PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANNO 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS; AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CLXVIII.

R. D. D. RUPERTUS ABBAS MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208.

1893

Clichy. — Ex typis PAUL DUPONT, 12, viâ dictâ Bac-d'Asnières. 128.8.93.

SÆCULUM XII

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS

MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS

VIRI LONGE DOCTISSIMI SUMMIQUE INTER VETERES THEOLOGI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM VENETAM ANNI 1748 PRÆVIA DILIGENTISSIMA EMENDATIONE AD PRELUM REVOCATA, VARIISQUE MONUMENTIS AUCTA

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri Universæ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE,* 208.

1893

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXVIII CONTINENTUR

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS.

(OPERUM CONTINUATIO.)

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

COMMENTARIORUM

IN

DUODECIM PROPHETAS MINORES

LIBRI XXXI.

PROLOGUS D. RUPERTI

IN EXPLANATIONEM PROPHETARUM

1-3 Spiritui sancto, et omnibus, quorum per A os ipse locutus est, sanctis prophetis, vir illustrissime Coloniensium archipræsul Friderice, jucundum esse nostrum eloquium non vane speramus, dum Christi Filii Dei sacramenta prædicantes, ipsorum testimoniis opportune et convenienter utimur. Uno namque et eodem actu, dum fidem nostram Deo offerimus, ipsorum quoque testes sumus, ipsorum fidei testimonium perhibemus. Hoc nimirum illis gratum esse et jucundum non dubitamus. Ait enim unus illorum, Isaias, in thesauro fidei et verbo Domini valde copiosus: *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem et Zachariam, filium Barachiæ; et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit* B *Dominus ad me: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, Festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum* (*Isa.* VIII) Quisnam est liber ille grandis, quem ut sumeret sibi jussum esse dicit, nisi universitas Scripturarum sanctarum, in qua sunt fidelia testimonia Christi, quod sanctum primum ad Abraham Deus repromisit? Et quid illi est, et in tali libro scripsisse stylo hominis nomen pueri, de quo prædixerat: *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium* (*Isa.* VII), nisi accepisse gratiam propheticam, factumque esse unum ex illis qui ejusdem Christi venturi testimonia conscripserunt, eumdemque testantur exstitisse Deum, priusquam per carnis nativitatem venerit in hunc mundum? Hoc eleganter per tale nomen prædicatur: *Accelera spolia detrahere, Festina prædari*, et per talem nominis rationem, *quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Qualis enim vel quanta est acceleratio spolia detrahendi, sive festinatio prædandi, prius spolia detrahere, prius prædari, quam habere matrem, vel vocare patrem, qui fuit Joseph secundum adoptionem pueri hujus! Idem ergo est ac si dicat quia puer iste, quem Virgo concepit et peperit, Deus erat priusquam idem homo fieret, et salvavit Hierusalem et Judam a rege Damasci Rasin, et a rege Samariæ Faccee, filio Romeliæ, qui tunc illum pariter impugnabant, et a cæteris quoque hostibus e quibus ille populus auxilio superno liberatus est. Profecto hujusmodi prophetias scribere, accedere fuit ad prophetissam, de qua dicit, *et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium.* Quænam est illa prophetissa, nisi illa de qua prælocutus fuerat, mater Emmanuelis, virgo Maria, gratia plena, in qua omnis prophetia implenda erat? Iste accessus ad hanc prophetissam talis est, qualis introitus honorati viri in sanctuarium Domini cum oblatione solemni, cum talento quod offerat auri probati atque purissimi. Testes hujus rei, quod taliter ad prophetissam **4** illam accesserit, quod prophetiæ in ea complendæ suam portionem conscripserit, gratulatur se habere tam aposto-

los ex Judæis, quam sanctos doctores ex gentibus, verbis hujuscemodi : *Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam, filium Barachiæ.* Sacerdos Urias, quod interpretatur, *lux mea Dominus*, apostolica dignitas. Zacharias, quod interpretatur, *memor Domini*, *filius Barachiæ*, id est *benedicti Domini*, conventus vel cœtus est Ecclesiæ de gentibus, sanctis ornatus doctoribus, quorum omnium, videlicet apostolorum atque doctorum, si scripta perpendas, palam est quia testes sunt Isaiæ prophetæ, quod optime senserit et crediderit de puero hoc talis prophetissæ filio, quia nimirum in prædicatione fidei hujus verbis ejus constanter utuntur. Quod de uno Isaia diximus, de cæteris quoque prophetis dicimus, quia revera datum est illis a Spiritu sancto, dividente singulis prout vult, sumere librum grandem, id est sanctam Scripturam, cujus primam et magnam portionem scripsit Moses ; et scribere in eo stylo hominis, id est eadem auctoritate qua primus Moses scripsit, scribere aliquid pro virili portione, sive quod ab homine posset legi, et tali modo accedere ad illam prophetissam, et inde habere testes duos, id est tam de Judæis quam de gentibus, credentes quod de Christo Dei Filio multum bene senserint, et in Spiritu sancto locuti sint, quæ gratia vere magna est. Nam legere quidem illum grandem librum pluribus datum est, paucissimis autem scribere in eo, et in sanctarum canone Scripturarum esse principes. Igitur, sicut initio diximus, sanctis prophetis cum Christo jucundum esse nostrum eloquium non vane speramus, dum Christi sacramenta prædicantes, ipsorum confessione et verbis quæ scripserunt, eumdem Christum honoramus. Cui autem non sit optabile, talibus ac tantis Regis æterni præconibus in hac parte jucunditatem et exsultationem facere ut gratulentur se tantæ rei nos testes habere ? Bonam quippe vicissitudinem in tempore opportuno valebunt rependere. Ea spe vel exspectatione scito me, Pater mi, sicut in cæteris Scripturis, ita et in volumine duodecim prophetarum dedisse, ad quærendum Christum, cujus veritas eorum corda possedit, ora replevit, calamum rexit, ut per omne quod scriberent, ad ejus gloriam et honorem tenderent. Hoc nunc dico, a quo ipse non dissentis, quod sicut de quadam terra scriptum legimus quia ibi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est, ita de sancta prophetica Scriptura recte dicas quia in hac invenitur Christi Filii Dei testimonium, et testimonium Scripturæ hujus optimum est. Tu mihi, et tecum paxillus modicus, attamen fidelis, et in loco fideli fixus, cœnobii Sigebergensis abbas, Cuno, fidei scientiæ domesticus, stimulum apposuisti, sicut in cæteris quibusdam, ita et in parte ista : ut quamvis piger essem, non tantum usquequaque dormitare possem, cum et hoc volumen aliquatenus attingerem Quod jam feci ad finem usque Micheæ, qui in hoc ordine sextus est. Septimus sequebatur Naum, sed quia is de adventu Christi fere nihil tale dicit, quod illum proprie nuntiet, ipso sono litterali, refriguit studium, quia contracta est admodum jucunditas quæ difficultatem tolerabilem in aliis fecerat. Ecce per hanc occasionem imperfecto opere resedi, ego piger, fortassis nihil de sex posterioribus prophetis præsumpturus. Cur in hac re nunc solito pigrior sum ? Nomen inane mihi non absque labore dedisti.

PROLOGUS RUPERTI IN OSEE PROPHETAM

5 *Primus in ordine duodecim prophetarum ponitur Osee. Hujus ad intelligentiam quanto sapientiæ lumine opus sit, ipse non leviter innuit, cum in calce voluminis ita dicit*: Quis sapiens, et intelliget ista ? intelligens, et sciet hæc ? (*Ose.* XIV.) *Sic namque admirando interrogans, interrogando admirans satis affirmat quod diligenter et multa cum industria pretiosas in angusta littera quam profundissime absconderit spiritualis intelligentiæ margaritas, adeo ut quisquis eorum qui meditantur in lege Domini, totis sancti studii viribus adhibitis, eas invenerit, hic vere sapiens atque intelligens reputandus sit. Dicit ergo quis : Quorsum tendebat talis diligentia? Nunquid sanctus prophetiæ spiritus, qui in isto atque in cæteris loquebatur, sensus sui thesaurum nobis occultum esse volebat ? Nunquid benevolus non est spiritus sapientiæ propheticæ, et idcirco taliter se abscondebat, ut nos eam aut vix aut nunquam possemus invenire ? imo ut inveniri posset, idcirco sapientia hæc abscondita, et thesaurus hic occultus est. Nisi enim sese abscondisset, nimirum hodie inveniri non posset. Hoc tunc demum recte advertis, si statum temporis illius rite perpendis. Nunquid enim prophetæ suis quique temporibus tam libere loquebantur quam licenter hodie leguntur? Nunquid non in multa formidine prophetabant? Dicit namque unus ipsorum*: Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et prophetæ (*Thren.* II), formido et laqueus facta est vaticinatio et contritio (*Thren.* III). *Siquidem vaticinantes occidebantur, et ipsa vaticinatio laqueus fiebat illis, ut quasi juste et rationabiliter occidi viderentur. Exempli gratia : Isaiæ, quamvis esset sanctus et nobilis, utpote cujus Manasses rex gener exstitit, id quod vaticinatus fuerat, dicendo* : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (*Isa.* VI), *laqueus fuit. Nam in lege Dominus dicit Moysi* : Non enim videbit me homo, et vivere potest (*Exod* . XXXIII) . *Ergo apud judices iniquos*

quasi ex ore et vaticinatione sua illaqueatus est, A *quod sanctæ legi et ipsi Domino contraria dicere præsumpsisset, scribendo se Dominum vidisse, cum Dominus dixisset se non posse videri ab homine; atque ita habito quasi judicio condemnatus est. Denique ab hoc illum Hebræi a jam dicto ipsius genero Manasse sectum esse perhibent. Quid putas illi evenisset si, quemadmodum dixerat:* Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, *ita etiam nudo sermone dixisset quomodo vel quali ordine idem Dominus ab ipsis Judæis crucifigendus et tunc demum resurgendo ex mortuis in illud excelsum paternæ dexteræ solium esset elevandus? Nimirum non exspectassent illi ut saltem cum judicio condemnarent, sed sicut B. protomartyre Stephano dicente:* Ecce video cœlos apertos et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei (*Act.* VII), *qui utique crucifixus fuerat ab illis, non exspectaverunt ut perageretur judicium, sed* exclamantes continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum (*ibid.*), *ita insanientes tanquam pro zelo Domini fortiter conclamantes, simul irruissent in eum. Nec vero tantum de sua morte solliciti formidabant ne occiderentur, quam ne sacræ periclitarentur litteræ et de hominum memoria tollerentur. Etenim nunc quidem, cum ab aliis prophetæ occiderentur, ab aliis propheticæ litteræ custodirentur; tunc autem, si tantum scelus tantique sceleris pœnam Judæis eventuram palam enuntiarent, nequaquam custodirentur. Exempli gratis: quando verba Domini, quæ Baruch scriba ex ore Jeremiæ scripserat, rex combussit, scindens volumen scalpello scribæ et projiciens in ignem, Elnathan et Dalajas, et Gemmarias contradixerunt regi, licet non audierit eos* (*Jer.* XXXVI). *Profecto si ea quæ de passione Domini et de futura subversione civitatis totiusque gentis, quæ propter illam futura erat, sentiebat, idem Jeremias manifestis et rebus et nominibus conscripsisset, non modo non prohibuissent volumen illud scindi sive comburi, verum etiam et universam illius, qua nunc Ecclesia Christi fruitur, Scripturam propheticam perdere festinassent; ipsum quoque non tantum misissent in lacum, ut jam fecerant, verum etiam aut vivum igni tradidissent, aut alio quolibet modo crudeliter occidissent. Contemperandum itaque tunc erat tempori, quatenus et Scripturas veritatis Spiritus sanctus conderet, et tamen veritas non usquequaque damnosum venturis sæculis odium sibi pareret. Si enim Christus Dei Filius in Psalmo loquitur:* Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua (*Psal.* LVIII), *cur non et prophetis Christi conveniat dicere: Deus ostendit nobis super fornicatrices istas, Oollam atque Oolibam, quarum altera Samaria, altera est Hierusalem* (*Ezech.* XXIII), *ne nimis exasperetis eas, ne quando obliviscantur mei, sive ignorantiam Dei semper habeant venturi populi; si istæ Scripturas recipere aut conservare voluerint, utimini discretione provida, occultate sub figuris et ænigmatibus descensuræ ad terras Divinitatis mysteria. Igitur cum dicit hic unus ex illis, primus, ut jam dictum est, in ordine prophetarum duodecim:* Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? (*Ose.* XIV) *atque hoc dicens manifeste sensus occultos et intellectu difficiles in littera ænigmatica sese signasse confirmat, recte non judicatur tanquam invidus, sed honoratur tanquam providus. Quippe qui bonum thesaurum futuris gratiæ cohæredibus in tuto reposuit, clavim illi derelinquens cui dereliquit David, qui Psalmos nihilominus clausos conscripsit, ut aperiret ipse quibus vellet in plenitudine temporis. Unde et in Apocalypsi* Sanctus et Verus *dicitur habens* clavim David, qui aperit et nemo claudit; claudit, et nemo aperit (*Apoc.* III); *dicitque angelo Philadelphiæ:* Ecce dedi ostium apertum coram te, quod nemo potest B clauere (*ibid.*). *Ipse nobis aperire dignetur ostium intelligentiæ, per quod priores et Patres nostros, Ecclesiæ magistros, introducere dignatus est, ut nos quoque cum illis videre queamus quid, quando vel quomodo fecerit Deus, per quod assimilatus sit in manu prophetæ hujus, semel et iterum ac tertio ad mulierem fornicariam accedentis, et ex ea duos filios et filiam generantis, et post hæc adhuc mulierem adulteram adeuntis. Nam quod hæc in similitudinem sui propheta facere sit jussus, ipse testatur qui in hoc eodem loquitur:* Et locutus sum super prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum (*Ose.* XII). *Nam cum et illud non abs re est quærere, sanctos istos prophetas suis in temporibus tam exosos, ut plerique* C *ex eis crudeliter interfecti sint, quæ causa eos defenderit, et tantum genti illi, quamvis peccatrici, commendaverit, ut litteras eorum in eodem receperit apice canonicæ auctoritatis, in quo et ipsam legem Moysi? Quod si quæris, opportune respondetur quia vere dignitati illorum subvenit auctoritas et judicium sanctæ et providæ legis Domini. Dixerat namque Dominus, sicut habet in libro Deuteronomii:* Propheta autem qui, arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcipi illi ut diceret, aut ex nomine deorum aliorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum quod non est locutus Dominus? hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed D per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum (*Deut.* XVIII). *Cum hæc dicit justa et irrefragabilis* **6** *lex, ergo econtra, quod in nomine Domini propheta prædixerit, et evenerit, hoc Dominus est locutus, idcirco timebis eum. Porro sancti prophetæ isti, cum mitterentur ad prænuntiandum de longinquo Christi adventum, simul etiam de propinquo datum vel injunctum est illis prophetare illud in quo citius veraces comprobari possent, scilicet imminentem ab Assyriis Israeli captivitatem, itemque instantem Judæ quoque Babylonis transmigrationem, et præterea nonnulla etiam minora, quæ litteris eorum legimus inserta. Cum igitur cito evenisset*

captivitas, sive transmigratio illa, sicut per illos veritas prophetica prædixerat, palam constituit quod veraciter fuissent locuti in nomine Domini, et quod Dominus misisset eos; atque ita completa prophetiæ pars illud quoque quod reliquum vel maximum erat de promissione vel adventu Messiæ, verum fore convincebat. Hoc animadverso, nonnihil juvari arbitror lectorem, mysterium regni Dei, vel adventus Christi Filii Dei in sanctis prophetis quærentem, ut non miretur aut offendatur, dum in sacris eorum litteris, modo captivitatis sive transmigrationis jam dictæ comminationem, modo repente libertatis æternæ et Dominici adventus significari audit promissionem. Illud de propinquo, hoc autem vaticinium sentiens de longinquo, et tam prope conjungi in littera, quæ tam longe disjuncta sunt per tempora. Exempli gratia. Cum dixisset hic idem B

A *propheta*: Clangite buccina in Gabaa, tuba in Roma; ululate in Bethaven, post tergum tuum Benjamin. Ephraim in desolatione erit in die correptionis; in tribubus Israel ostendi fidem (*Ose.* V). *Quibus utique imminentem declamat decem tribuum captivitatem, repente postmodum infert illud, quod sine dubio ad invisibilis animarum nostrarum captivitatis spectat solutionem, ita in persona Salvatoris nostri dicens*: In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit et sanabit nos; percutiet, et curabit nos. Vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum, etc. (*Ose.* VI). *Sed nos plura quæ hinc dici possent in suum locum differentes, jam nunc prophetiæ seriem* B *ingrediamur.*

IN OSEE PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

7 CAP. I. — *Verbum Domini quod factum est ad Osee filium Betheri.* Ut simus attenti, Scriptura hæc in exordio suis vocatur *Verbum Domini.* « Verbum Domini, ait B. Hieronymus quod in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum, factum est ad Osee filium Beheri. » Nec vere repugnat ei, quod ecclesiastica firmiter tenet regula fidei, Verbum, quod in principio erat apud Deum, non factum, sed natum, non creatum esse, sed genitum. Nam ad homines quidem factum est hoc Verbum, non autem factum est ad Deum, sed erat in principio apud Deum. Etenim hominibus quidem accidentaliter ex tempore accessit, apud Deum autem nunquam non fuit. Verum tamen ubicunque in sacris legimus Scripturis, ad illum vel ad illum factum esse Verbum Domini, magnam sonat beatitudinem hominis, quam et in D David Veritas ipsa commendat, cum dicit: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* XCIII). Suaviter namque et magna cum deliciarum multitudine summam sapientiam cito discit ille ad quem fit Verbum Domini, quia videlicet hoc Verbum *lux vera* est, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I); et dum infulget humanæ menti, repente illuminat, repente docet; neque in incertum aurem cordis audientis adducit, sed ita certum reddit, ita quod videt pro constanti habet, ut non dubitet dicere quia Verbum factum est, factum, inquam, quia certissime futurum est, immutabiliter adimplendum

C est, et impossibile est quin fiat quod futurum esse denuntiat. Beatus ergo ille homo est, et de sua multum potest beatitudine in Domino gloriari, quia non ab homine, neque per hominem accepit illud, sed per revelationem Spiritus sancti (*Galat.* I). Super hac eruditionis prærogativa soli possunt apostoli et prophetæ in Domino gloriari, quia videlicet taliter sunt eruditi, non ab homine, ut jam dictum est, neque per hominem, sed per magisterium Spiritus sancti. Idcirco, quæcunque illi scripserunt, ita sunt rata tamque firmum habent fundamentum veritatis, ut de ullo ipsorum dicto dubitare nefarium sit. Sane modum sunt eruditi, sive momentum, aut velocitatem doctoris eorum, nemo unquam satis agnovit nisi qui experiri meruit. Sciendum præterea quod ubique in sanctis prophetis dictio hæc qua dicitur *factum est Verbum Domini*, ad promissiones respicit, quæ nunc impletæ sunt, Verbi incarnati; et ob hujus intentionis excellentiam non tantum videntes, aut filii prophetarum, sed prophetæ merentur nuncupari, quia videlicet videntes, aut filii prophetarum potuerunt etiam pro minoribus, quas prævidebant, rebus dici. Solos autem eos prophetas sancta Scriptura nuncupat, qui prænuntiaverunt, vel ad quos sermo factus est de adventu Christi. Nec illud ignorandum quia primus illorum pater Abraham, novissimus autem Joannes exstitit, præcursor ejusdem et baptista Christi. Primum namque ad Abraham, ad quem promissio, imo et repromissis facta est beati

A seminis in hoc sermone : « Atque in semine tuo benedicentur omnes gentes » (*Gen.* XXII). Inter utrumque, id est post promissionem, et ante repromissionem, sermo Domini factus est. Et hæc talis enuntiatio in eum semel et iterum de causa jam dicti seminis taliter scripta est : « His ita transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens : Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, » etc. Illo ad hæc dicente : « Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus, hæres meus erit. Statim sermo Domini factus est ad eum, dicens : Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, et ait illi : Suspice cœlum et numera stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum Credidit Domino, et reputatum est illi ad justitiam » (*Gen.* XV). Quod autem hic propheta B fuerit, eo quod sermo Domini ad eum factus sit, testatur ipse Dominus qui pro illo arguens Abimelech per somnium nocte dicit : « Nunc igitur redde uxorem viro suo, quia, propheta est, et orabit pro te, et vives » (*Gen.* XX). Novissime in Joannem Baptistam scripta est ejusmodi enuntiatio, scribente Luca his verbis : « Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto » (*Luc.* III). Quod vero iste propheta sit, vel fuerit testatur idem Dominus, cum de illo ad turbas dicit : « Sed quid existis in desertum videre ? prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam » (*Matth* XI). Igitur ubi audimus in sanctis Scripturis factum ad sanctos homines sermonem sive Verbum Domini, jucundum et perpulchrum est perpendere, quod sic dictum sit, ut subaudiatur ejus rei, C quod Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I). Et ob hoc alios quidem prophetas, Joannem autem plus quam prophetam esse, quia Verbum carnem factum, magno quidem et prophetali munere sex menses nascendo prævenit, sed non minori privilegio gratiæ jam juvenem digito demonstravit, dicens : *Ecce Agnus Dei*, et tollentem peccata mundi fluente Jordanis baptizare meruit (*Joan.* I). Parum autem erat prophetas eos dici, ad quos sermo Dei factus est. Plus enim aliquid Spiritus sanctus in David de illis locutus est. *Ego*, inquit, *dixi* : *Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Quam ob causam nisi *quia sermo Dei ad eos factus est?* (*Joan.* X). Hoc enim in causa esse Dominus ipse astruit qui loquens Judæis calumniantibus, cum præmisisset : « Nonne scriptum D est in lege vestra : Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes, » continuo subjunxit : « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus, et non potest solvi Scriptura » (*ibid.*), etc. Ergo prophetæ *dii* sunt, quoniam isti sunt *ad quos sermo Dei factus est*. Quod si *dii* recte dicuntur, nonne et salvatores nihilominus recte cognominantur? Si illos Scriptura dixit salvatores, per quos Deus temporalem Israeli salutem operatus est, exempli gratia : « Et clamaverunt filii Israel ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez (*Judic.* III). *Itemque* : Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem Aoth » (*ibid.*). Si ergo illos dixit salvatores, per quos Deus temporaliter liberavit Israel, quanto magis recte illi dicuntur salvatores, quorum labor Salvatori nostro Deo ad nostram æternam salutem cooperatus est?

Pulchre igitur, et non sine quojam divino præsasagio, hic unus ex illis et primus ex duodecim dictus Osee, quod interpretatur *salvator*. Dicitur enim filius Beberi, quod interpretatur, *putei mei*. Et quis est de quo Deus Pater recte dicat, *filius putei mei*, nisi Christus Filius unicus et Verbum Dei, natus de secreto, sive altitudine aut profundo cordis paterni ? Ergo hic non solum officio, verumetiam vocabulo, tam proprio quam paterno, Salvatoris nostri Christi typum gerit. Sequitur : « In diebus Oziæ, Joathan, *regis* Achaz, et Ezechiæ regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas, regis Israel. » Ozias, qui et Azarias regnavit super Judam annis LII (*II Par.* XXVI), et post hunc filius ejus Joathan annis XVI (*II Par.* XXVII). Itemque post eum Achaz annis XVI (*II Par.* XXVIII), et post hunc Ezechias annis XXIX (*II Par.* XXIX) : qui simul juncti fiunt anni fere CXIII. Quod quia multum est, ut tandiu prophetasse unus existimetur : at saltem illud constare oportet, quod et extremos annos Jeroboam filii Joas regis Israel, qui regnante Ozia in Juda, jam regnare cœperat, ut prædictum est, regnavit XL et uno annis. Et primos annos regni Ezechiæ propheta hic attigerit, quia sic prophetiæ ejus initium habet : « Voca nomen ejus Jesrael, quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jesrael super domum Jehu. » Hoc fere continuo post mortem ejusdem Jeroboam factum est, quia succedens illi filius ejus Zacharias, regnavit tantum sex mensibus, et percussit atque interfecit eum Sellum, regnavitque pro eo. Hic jam recte quæritur, qualis sit intentio litteræ hujus, cur prophetiam hanc referat esse continuatam a diebus Oziæ, quibus regnavit et Jeroboam, usque ad dies Ezechiæ regis Juda. Ad quod primo dicendum quia regnante Ezechia, anno sexto regni ejus, qui erat nonus annus Osee regis Israel, capta est Samaria, et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Aylam et in Abor juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum, quia non audierunt vocem Domini Dei sui (*IV Reg.* XVII). Hoc ergo intendit sacræ litteræ spiritus, ut testificetur inexcusabiles fuisse reges et populum Israel, quia nunquam Dominus prophetas mittere desiit in illis, nullius regis eorum diebus prophetica vox defuit, iram Domini venturam comminans, captivitatem futuram prænuntians, donec veniret, ne Israel se excusare posset de ignorantia, colens vitulos quos fecit Jeroboam, imo et Baal quem introduxit Jezabel. Ante hunc exstitit Helisæus, qui et mortuus est, regnante Joas patre hujus Jeroboam, et ante Helisæum Helias, similiterque et alii, ut Micheas de Gemla (*III Reg.* XXII). multique filii prophetarum, atque ita si rite memores a primo Jeroboam qui peccare fecit Israel, cui et mala ventura pro meritis prædixit Ahias Sylonites, propheticum, sicut jam dictum est, testimonium

contra illos non defuit, usque ad effectum prædictæ captivitatis, ita ut per omnia judex Deus laudabilis, reus autem populus cum regibus sit inexcusabilis. Sub eisdem regibus Juda Isaiam quoque prophetasse, titulus libri ejus indicat. Et vide diligenter in spiritu Dei, dignitatis cujusque custodiam. Cum dixisset « in diebus Oziæ, Joathan, Achas et Ezechiæ regum Juda, » tunc demum subdit, « et in diebus Hieroboam, filii Joas, regis Israel. » At ille videlicet Jeroboam cunctis illis tempore prior exstitit, utpote cujus regni anno XXVII, Ozias, qui et Azarias, regnare cœpit in Juda (*IV Reg.* XV). Cur ergo tot junioribus in ordine suppositus est? Num casu hoc actum est? Non utique, sed quia regnum Judæ regnum David legitime existit, regnum autem Israel scissum a domo David, rapina erat, idololatriæ cultus erat, non templo Domini sed vitulis aureis serviebat. Idcirco Jeroboam ne commemorari quidem in ordine regum aut in sanctarum titulo Scripturarum præfigi debuisset, nisi pro causa, quæ jam dicta est, quia contra quos Helias et Helisæus, cæterique prophetæ steterunt idololatras reges Israel, contra ipsos etiam dirigebatur prophetia hæc ut inexcusabilis esset cum suis regibus impœnitens Israel. Proinde de cæteris regibus Israel qui temporibus istorum regum Juda regnarunt in Samaria complures fuerint: nullus hic nominatus est, nisi iste solus, idemque quamvis tempore prior, loco, ut dignum erat, positus est posterior. Sufficit namque ad insinuandum quod regibus Israel prophetica commonitio fuerit continuata, isto videlicet Osee incipiente prophetare diebus Jeroboam, Helisæo mortuo, qui prophetaverat adhuc in diebus patris ejus Joas: « Principium loquendi Dominum in Osee. Et dixit Dominus ad Osee? Vade, sume tibi uxorem fornicariam, et fac filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino. Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaim; et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jesrael; quia adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jesrael super domum Jehu, et quiescere faciam regnum Israel, et in illa die conteram arcum Israel in valle Jesrael. » Astruere non possumus idcirco dictum hic esse « Principium loquendi Dominum, » quod iste primus sit vel fuerit eorum, ad quos Dominum vel in quibus propheticæ locutionis modo locutus est, vel quibus futura captivitas illius populi præ-9 monstrata est. Nam constans quidem esse potest, quod prophetarum cæterorum, quorum prophetici exstant libri, primus tempore fuerit, et Isaiam quoque aliquantis diebus præcesserit, cujus circa initium voluminis mortuus Isaias legitur; verumtamen fuerunt et alii prophetæ, in quibus sine dubio locutus est Dominus, quorum notissimi sunt Samuel et David, Helias et Helisæus, qui hunc Osee non paucis præcessere diebus. Si ergo sic dictum intelligi placet, *Principium, loquendi Dominum in Osee*, ut sit sensus, primum locutus est Dominus in Osee, nihil repugnans invenitur, ita videlicet, ut subau-

A dias eorum qui sub prædictis regibus prophetaverunt. Nam et Isaias, et Joel, et Amos, et Abdias, et Jonas, et Micheas sub eisdem regibus prophetavere. Quorum etiam interpretationes nominum hic ponere non superfluum ducimus. Ozias interpretatur *fortitudo Domini*, Joathan, *Domini consummatio*, Achaz, *virtus*, Ezechias, *imperium Domini*. Hi regnabant in Juda, cujus nomen *confessio* est. Porro in Israel, qui sibi idola fecerat, et a Dei templo et domo David fuerat separatus, regnabat Jeroboam, qui interpretatur *temporaliter* sive *mora*, quod mundum amaverit et in ipso diu morari vitam putaverit sempiternam, nequaquam futuris, sed præsentibus delectatus. Quamvis autem sic recte intelligatur, ut jam dictum est, nihilominus tamen sic accipitur

B *Principium loquendi Dominum in Osee*, ut sit sensus: Hæc talia, quæ protinus sequuntur: *Vade, sume tibi uxorem fornicariam*, etc.: primum, in eo locutus est Dominus. Tandem et hoc prætereundum non est quia loqui Dominum ad Osee, et loqui Dominum in Osee, non omnino idem est. Nam loquitur Dominus ad Osee, vel ad alium quempiam, cum verba sua mittit per angelicam, sive per quamlibet aliam speciem; loquitur in aliquo, cum sine aliqua specie extrinsecus apparente loquitur in corde ejus per occultam suæ virtutis inspirationem. *Sume*, inquit, *tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum.* Ut nunc interim simplicem sequamur litteram, non culpandus est propheta, si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod

C ex mala fecerit bonam. Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur, si malo societur, sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Hæc et his similia multa dicta sunt, et dici possunt in excusationem viri sancti, non suæ libidini, sed superno imperio servientis, quo videlicet jubente etiam eorum quæ turpia vel inhonesta videntur, nihil fieri turpe aut inhonestum est. Cæterum eis, qui cum sint veritatis amatores, spiritum ubique potius quam litteram libenter amplectuntur, cito persuasum est vel persuaderi potest, quia nihil horum quæ hic de fornicationis opere scribuntur, gestum est corporaliter, sed totum spiritualiter, id est per visum sive per excessum. Neque enim inauditum et inusitatum est ut uxorem duxisse, filiosque ex ea genuisse sibi quispiam visus sit, factus

D extra sensus corporis, id est per excessum sive in visum noctis. Quanto magis ubi superna visitatio prophetiam instituit, talium rerum imaginationes insigniter per visum potuere celebrari! Annon multo plura atque prolixiora his continet Apocalypsis Joannis, quæ omnia sine dubio, sicut testatur ipse, in spiritu vidit et egit? Hic jam recte quæritur quid opus fuerit istis similitudinibus, vel quomodo per istas similitudines, ipse qui in propheta loquitur Dominus, in manu ejusdem prophetæ assimiletur, sicut ipse testatur. Hoc etiam in ipso dicens: *Ut in manu prophetarum assimilatus sum* (*Osc.* XII). Itaque jam nunc, priusquam litteræ seriem percurramus,

libet præmittere quid secundum istorum similitu- A dinem cum hominibus mirabilis Deus sit operatus, ut postmodum cum singula similitudinis facta vel dicta secundum tempus prophetiæ disserimus, non incognita pariter mysteria proferamus. Universum genus humanum a societate Creatoris recessisse, et recedendo fornicatum fuisse, quis nesciet? Recedere namque a Creatore et servire creaturæ, fornicari est. Nam et Psalmista de hujusmodi fornicatione: *Perdidisti*, inquit, omnem, *qui* fornicatur *abs te* (*Psal.* LXXII). Fornicariam ergo mulierem Deus sibi sumpsit, quando generationem aversam adiit, generationem Chaldaicam, unde Abraham eduxit: *Ego* enim, inquit, sum Deus *qui eduxi te de Hur Chaldæorum* (*Gen.* XV). Cum illo fœdus pepigit, habuitque ex carne ejus Israel, id est semen Dei, filios Dei, filios B promissionis; sed nihilominus pariter nati sunt filii fornicationis, id est filii carnis, qui non sunt filii Dei, aut filii promissionis, de qua nimirum distantia et Apostolus dicit: *Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ; neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen; id est non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii promissionis, æstimantur in semine* (*Rom.* IX). Isti et in Ægypto, ubi deos Ægyptios coluerunt, sicut in multis Scripturarum locis, et maxime in Ezechiel (*Ezech.* XVI), exprobratur eis, palam fecerunt quod essent filii fornicationum, et exinde fornicari non desierunt. Nunquam tamen in gente illa defuit Jesrael, id est semen Dei, scilicet multi fidem habentes ejus beati seminis, quod Abrahæ Deus promisit; et econtra C filii *fornicationum*, id est filii carnis semper persequentes semen Dei, sive filios promissionis, non tantum donec interficeretur Naboth, qui hic dicitur Jesrael, *fuit enim Jesraelites*, sed et in perpetuum. Hinc et Apostolus: *Sed quomodo is qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc* (*Gal.* IV). Deinde iterum, tempore non parvo interposito, id est post quadringentos et triginta annos, accessit Deus ad illam mulierem fornicariam, et genuit filiam, quæ diceretur: *non consecuta misericordiam.* Dedit enim legem in monte Sina, quæ non vivificaret, nec ad perfectum adduceret, et instituit Synagogam, de qua pro parte reproborum, quæ maxima exstitit, recte dicas, quia filia illa non est consecuta misericordiam. *Non enim*, inquit Apostolus, *per legem promissio Abrahæ* D *aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei* (*Rom.* IV), etc: Quam fidei justitiam, quia non recepit illa filia, ideo non consecuta est misericordiam, imo consecuta est iram. Lex enim iram operatur. Tertio, Deus ad fornicariam accessit, genuitque rursus filium, id est sermonem propheticum. Prophetas enim misit, quorum et Scripturas utiliter legi addidit. At illa fornicaria non solum non est a fornicationibus suis reversa, imo etiam contra semetipsam est divisa, et ecce jam fornicariæ duæ factæ sunt ex una, quarum altera Oolla, altera in eisdem prophetis dicitur Ooliba. Hæc divisio unius in duas tunc facta est, quando Samaria eum decem tribubus recedens a domo David regem suum sibi constituit, et pro Deo vitulos aureos colens, Baali quoque cæterisque deorum portentis sese prostituit, et hæc est Oolla. Nam Hierusalem cum duabus tribubus Juda et Benjamin, quæ et ipsa coluit Baal, ipsa est Ooliba. Ad istam quarto jam tempore Deus accessit quando Dei Filius de carne ejus natus est ex utero Virginis. Huic nimirum quodammodo dixit: *Dies multos* **10** *exspectabis me, non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te, quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim* (*Osee* III). Igitur ut in manu prophetæ hujus assimilaretur Dominus: *Sume*, ait, *uxorem tibi fornicariam, et fac filios fornicationum.* Quare? *quia fornicans*, inquit, *fornicabitur terra a Domino.* Idcirco, inquit, *fac filios fornicationum*, ut sint in signum et portentum eorum quæ acta, quæque agenda sunt inter gentem istam, et me Dominum patrum suorum. Notandum quippe quia non tantum dixerat: Quia fornicabitur, sed: *quia fornicans fornicabitur.* Idcirco præmisit, *fornicans*, et deinde, *fornicabitur*, ut sit sensus. Quia gens ista a Deo suo et fornicata est, et fornicatur nunc, et amplius fornicabitur in posterum. *Et abiit*, inquit, *et accepit Gomer filiam Debelaim et concepit et peperit filium.* Gomer *consummatam* atque *perfectam* in nostra lingua; Debelaim, *palatas* sonat. Est autem massa pinguium caricarum, quas in morem laterum figurantes, ut diu illæsæ permaneant, calcant atque compingunt, habentque in esu suavitatis voluptatem. Ergo *Gomer filiam Debelaim accepi*, inquit, id est apud gentem prophetavi consummatam, sive perfectam consummatione atque perfectione voluptuosæ fornicationis post vitulos aureos et post Baalim. Genitum ex ea filium, *voca*, inquit, *Jesrael.* Jesrael civitas est metropolis decem tribuum, de qua fuit et in qua interfectus est Naboth. Ponitur ergo pro ipso Naboth hoc nomen Jesrael. Et est sensus: Naboth quidem Jesraelites lapidatus (*III Reg.* XXI), et hominibus mortuus est; sed mihi vivit, et ad me sanguis ejus clamat, moxque vindictam recepturus est non solum de interfectoribus suis, verum etiam de illo qui sanguinis ejus ultor fuisse visus est. Nam hoc est quod ait: *Et visitabo sanguinem Jesrael super domum Jehu.* Jehu namque interfecit domum Achab, Domino jubente, propter peccatum sanguinis Naboth, sicut prædictum fuerat ad eum: *Occidisti insuper et possedisti* (*ibid.*). Ac deinceps: *In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lingent quoque tuum sanguinem* (*ibid.*). Item: *Canes comedent Jezabel in agro Jesrael* (*ibid.*). Cum ergo Jehu, non Jesrael, sive Naboth sanguinem fuderit, imo interfectores ejus interfecerit, quare super domum ejus ille sanguis Jesrael debuit visitari? videlicet, quia non veraciter zelo Dei paruit, sed propriæ cupiditati ut regnaret, deleta domo regis, per omnia servivit. Super hoc satis manifeste convincitur, quia videbent

a peccatis Jeroboam non recessit, vitulosque aureos et ipse coluit, quod non fecisset, si vero *zelo zelatus* fuisset pro causa Domini (*III Reg.* XIX). Recte ergo et ipse, vel domus ejus reputatur inter occisores Jesrael,id est persecutores seminis Dei,et vindicta peccati ejusmodi, tam ex ipso, quam ex cætero populo Jesrael requirenda judicatur, et ita factum est.Nam mortuo pronepote ejus Hieroboam, sub quo hic Osee prophetare cœpit, succedentem filium ejus Zachariam sexto regni ejus mense occidit *Sellum, regnavitque pro eo* (*IV Reg.* XV), de alia stirpe generatus. Nec mirum quod subversa est domus Jehu, cum etiam regnum domus Israel,hoc est, decem tribuum perinde deletum sit.Nam et occiso Zacharia, quia fuit ultimus de stirpe Jehu, statim reges Assyrii ceperunt Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse,quæ erat trans Jordanem, et deinde paucis, id est quadraginta et novem interjectis annis a Zacharia, quem occidit Sellum,ut jam dictum est,regnante Osee,anno regni ejus nono, decem tribus in captivitatem ductæ sunt. Hoc est quod ait:*Et requiescere faciam regnum domus Israel, et in illa die conteram arcum Israel in valle Jesrael.* Nam propter urbem Jesrael, quæ metropolis erat Samariæ, campi sunt et latissimi, et vallis nimiæ vastitatis, in qua commisso certamine ab Assyriis, cæsus et captivus ductus est Israel. Nunc quærere locus admonet,cur omisso proprio vocabulo Naboth, cum dicere posset : *Et visitabo sanguinem Naboth* Jesraelitæ, maluit dicere : *Et visitabo sanguinem Jesrael*, quod non hominis est nomen,sed civitatis, ex interpretatione sui.Interpretatur namque,ut jam dictum est, *semen Dei*,non uni tantum,sed omnibus communiter congruit,qui sunt semen Dei,homines Dei, electi Dei. Ad hæc dicimus, quia non solus Naboth visitandus erat,nec enim illum solum persecuti sunt Jezabel et Achab,et cum eis insana multitudo populi, sed omnes persequebantur, et occidebant, quos consequebantur,qui erant semen Domini,qui prophetabant in nomine Domini, qui loquebantur Verbum Dei.Hinc est illa fugientis Heliæ querela : Domine, *prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et relictus sum ego solus,et quærunt animam meam* (*III Reg.* XIX). Quis vero nesciat sanguineam ejusdem Jezabel insaniam sub ejusdem temporibus profluxisse etiam invidiam ?Nam Athalia Jezabelis filia,mortuo filio suo Azaria.(nupserat enim Joram regi Judæ filio suo Josaphat,et filium ejus jam dictum Azariam interfecerat Jehu,) irata et in ipsum sæviens Dominum,surrexit et interfecit omne semen regium, non utique absque favore vel consensu principum,qui et perinde suis delinitum obsequiis atque illaqueatum tenentes Joas regem,qui residuus fuerat, insignem occiderunt ad imperium ejus prophetam Zachariam,sicut scriptum est : Congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini (*IV Reg.* VI). *Et non est recordatus Joas rex misericordiæ quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus.* A *Qui cum moreretur, ait : Videat Dominus et requirat* (*II Par.* XXIV). Itaque jam dictus Helias cum fugitaret, et latitans in spelunca,dicenti Domino : *Quis hic agis,Helia?* querula responsione diceret : *Domine, altaria tua suffoderunt et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus et quærunt animam meam. Egredere*, ait Dominus, *et sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transivit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio ; non in commotione Dominus, et post commotionem ignis ; non in igne Dominus et post ignem sibilus auræ tenuis* (*III Reg.* XIX), et ibi Dominus.Nimirum prophetæ desideranti adventum Salvatoris, qui peccata tolleret et justitiam sempi- B ternam adduceret,quem et hic Osee desiderat atque prophetat, tali oraculo præsignabatur futura tam Israelis quam et Judæ captivitas,de qua et iste non tacet propheta : utriusque namque scilicet Israelis et Judæ futura mala pronuntiat, et de Salvatoris adventu necessaria nostræ saluti, sicut sequentia suis in locis declarabunt, prædicit mysteria. Denique loquens illic ad Heliam Dominus in spiritu grandi et forti, subvertente montes et convertente petras, futuram captivitatem significat decem tribuum Israel,quæ facta est a Salmanasar,rege Assyriorum, regnante Osee. *Non in spiritu*, inquit, *Dominus*, id est nondum finis, nondum venit Messias Dominus, qui exspectabatur.In commotione transmigrationem **11** primam designat tribus Juda, qua traducendus erat Joachim rex Juda in Babylonem cum C quadraginta millibus nemine relicto, *exceptis pauperibus* (*IV Reg.* XXIV). *Non*, inquit, *in commotione Dominus*, id est nondum finis, nondum veniet Dominus.In igne secundam captivitatem Juda et Hierusalem vult intelligi, quando rebellante Sedechia iterum venit rex Babylonis, *et succendit Nabuzardam, princeps exercitus, domum Domini et domum regis, omnemque domum combussit igni, et muros Hierusalem in circuitu destruxit* (*IV Reg.* XXV). *Non*, inquit, *in igne Dominus*,id est nondum templo exusto et civitate destructa, tempus erit Dominici adventus. *Et post ignem sibilus auræ tenuis*, et ibi Dominus. *Sibilus auræ tenuis*, occultus et secretus fuit adventus Domini,quem quasi de aura tenui, id est de Spiritu sancto Maria virgo concepit.Fuerunt D autem a prædicto turbine usque ad commotionem, id est a captivitate decem tribuum usque ad primam filiorum Juda transmigrationem,anni circiter centum viginti septem,qui supputantur hoc modo : anno sexto Ezechiæ transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios. Ipse autem Ezechias XXIX annis regnavit in Hierusalem. Ergo regni ejus residui erant anni XXIV, qui conjuncti cum LV annis filii ejus Manasse ac duobus filii Ammon atque XXX uno Josiæ, ac deinde annis XI Eliachim,qui dictus est Joachim, tandemque tribus filii ejus Joachim,fiunt XII [CXXVI]. Ab illa commotione usque ad ignem,id est a prima transmigratione usque ad templi et civitatis exustio-

nem fuere anni XI regi Sedechiæ. Ab illo igne sive captivitate usque ad sibilum auræ tenuem, id est Christi adventum, quot anni interessent, Danieli his verbis revelatum est : *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum* etc. (*Dan.* IX). Nimirum eo tendebat Helias, ut deleretur iniquitas per Christi adventum, et adduceretur justitia sempiterna, qui tunc abundante iniquitate se solum relictum esse putabat. Igitur quia per eamdem tempora non solum Naboth occisus; sed et multorum prophetarum atque justorum fundebatur sanguis, quem superna requirere debebat justitia, recte non proprium nomen Naboth, sed id quod secundum interpretationem commune est, ponitur vocabulum Jesrael. Miroque modo ita requirenda esse vindicta prænuntiatur, ut incipiat a justissimis illius homicidæ populi, a capite regni sanguinei, qualis tunc erat domus Jehu, quæ sibi domum Achab occidendo multum contulisse videbatur, et nihilominus idololatriam, quæ causa erat effundendi sanguinis sanctorum, exsequebatur. Sed et adhuc quæritur, quid magnum erat inter prophetas aut inter justos, ille Naboth Jezraelites, ut et ejus occasione omnes, qui interfecti sunt, justi aut prophetæ significarentur hoc nomine, Jesrael ? Ad hoc respondemus, quia vere magnum fuit, et esse debuit memoriale interfectionis ejus inter omnium prophetarum aut justorum neces, quia taliter interfectus est, ut vel ante, vel post ipsum, usque ad Christi Domini nostri passionem, fere nemo præter Dominum nostrum taliter vel tali ordine occisus esse referatur. Quid enim? Dicenti sibi Achab : *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum*, etc. Hoc tantum responderat : *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi* (*III Reg.* XXI). Pro hoc indignanti et vehementer irato suæ auctoritatis ultionem pollicita Jezabel scripsit litteras. *Prædicate* inquiens, *jejunium, et sedere facite Naboth inter primates populi, et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant : Benedixit Dominum et regem ; educite eum, et lapidate, et sic moriatur* (*ibid.*). Hoc modo hypocrisis Deo odibilis pulchre palliata incessit, specioso quasi ordine judicii, ut non tantum occideretur, quasi vir justus ab injustis et Deo adversantibus, sed quasi reus et blasphemus, a justis judicibus fortiter pro Deo zelantibus, legemque sanctam custodientibus, jejunantibus, et animas suas in jejunio humiliantibus, et prædicantibus : Jejunemus, quia tantum nefas diebus nostris audivimus, ne forte cum blasphemo pariter a terra deglutiamur, et talia scienter cum iniqua machinantibus simulatione, ut muliebri satisfieret insaniæ vel cupiditati furiosæ. Quantæ putas curæ Deo videnti hoc debuit esse ? Quantum fuit in cœlo spectaculum, dum tam crudele cruorem

A sitiendo callidi simulatores prædicarent vel celebrarent jejunium ? Bene ergo mors ejus memorabilis est inter omnium prophetarum vel justorum neces, ubi talis apparatus hypocritarum, talis spectatur facies homicidarum. Adde, quod in tali ejus interfectione splendidissimus Dominicæ Passionis typus est. Quid enim hic dissimile ? Verum quia mysterium hoc alio in opere nostro latius tractavimus, nunc præterire libet. Hoc tantum hic prætereundum non est, quia quod ait : *Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jesrael*, spiritualiter ita factum est, ut omnis evangelica vel apostolica doctrina testis est. Arcus quippe Israel, id est omnis fiducia carnalis Judaismi, fiducia circumcisionis et cæremoniarum, fiducia superbi spiritus et sanguinis, qua contra ipsum Dominum gloriati sunt, dicentes : *Pater noster Abraham est, nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum* (*Joan.* VIII), sicut hodie cernitur, contrita est, et gloriari illis non licet, quia non solummodo contempta est eorum lex carnalis, sed et ipsi captivi ducti sunt in omnes gentes. Hoc totum factum est *in valle Jesrael*, id est in humilitate seminis Dei, quod est Christus. Nam per humilitatem passionis Christi, sicut exaltatæ sunt gentes, fidem ejus recipientes, ita econtra dejecti atque contriti sunt Judæi, contemnentes juxta illud propheticum B. Virginis canticum : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (*Luc.* I). Sequitur : *Et concepit adhuc, et peperit filiam, et dixit : Voca nomen ejus, Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu, et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus.* Filia hæc magnum prioris sententiæ incrementum est. Prior namque sententiæ hæc erat: *Et quiescere faciam regnum domus Israel et in illa die conteram arcum Israel in valle Jesrael.* Quod totum completum erat, ubi rex Assyriorum, sicut jam prædictum est, præliando, victas duxit captivitas decem tribus Israel. Par illi malo exstitit aliud quod factum est in Juda, quando venit rex Babylonis, et ab eo capta civitate Hierusalem, populus ille in Babylonem captivus transmigravit. Facta est magna, judice Deo, captivitatis utriusque differentia, ut scilicet captivitas Judæ post annos septuaginta solveretur, captivitas autem decem tribuum, nequaquam ultra solveretur. Hoc est, quod ait : *Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor*, id est decem tribuum captivitatem non solvam, sed Judæ transmigrationem de Babylone revocabo. Sed et per idem tempus, quando decem **12** tribus in captivitatem ductæ sunt, misertus est Dominus domui Juda (*IV Reg.* VIII). Nam cum, sexto anno regis Ezechiæ, rex Assyriorum Salmanasser transtulisset Israel itidem XIV Ezechiæ, ascendit Sennacherib Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, et cepit eas, et venit usque ad Hierusalem. Venit autem angelus

Domini, et percussit in castris ejus CLXXX millia, et reversus est Sennacherib, et mansit in Ninive. *Cumque adoraret in templo Nesrach deum suum, Adramelech et Serasar filii ejus percusserunt eum gladio* (*IV Reg.* XIX). Ita si utrumque tempus misericorditer respicias, veraciter dictum esse perpendes: *Et salvabo eos in Domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello et in equis, et in equitibus.* Denique filii Juda neque nocte illa, qua percussa sunt castra Assyriorum, neque tempore illo quo de captivitate Babylonico soluti sunt, contra hostes vel captivatores suos arcum tetenderunt, aut gladium vibraverunt, aut in equos ascenderunt, sed, illis quidem dormientibus, percussit angelus Domini castra Assyriorum. Prophetis autem orantibus, sive cæteris justis hominibus, imo et angelis interve- B nientibus, juxta illud Zachariæ : *Et respondit angelus Domini, et dixit : Domine exercituum usquequo tu non misereberis Hierusalem et urbium Juda, quibus iratus es, iste jam septuagesimus annus est* (*Zach.* I), suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum ut proponeret edictum, daretque libertatem ascendendi in Hierusalem et ædificandi domum Domini Dei in Israel. Ergo *salvabo*, inquit, *eos in Domino Deo suo, et non in arcu vel gladio.* Quod si quæris rationem vel judicii æquitatem, cur Dominus non Israeli, sed domui Juda misereri debuerit, sciendum tibi est magnam in regibus Israel et regibus Juda distantiam fuisse peccati. Regnum quippe Juda nonnulli justi fuerunt, videlicet David, Ezechias et Josias, qui nullum idololatriæ peccatum admise- C runt, et Josaphat quoque, nisi amicitias iniisset cum Ochozia rege Israel, cujus opera pessima fuerunt, sed cum patre ejus Achab. Unde et arguit eum Jehu filius Anani, videns, et ait : *Impio præbes auxilium et is qui oderunt Dominum amicitia jungeris* (*II Par.* XIX). Cæterorum quoque nonnulli pœnitentiam egerunt, feceruntque quod placitum erat coram Domino. At vero de regibus Israel nullus exstitit qui faceret quod rectum esset aut placitum coram Domino, nullus omnino qui recederet a peccatis Jeroboam, filii Naboth, qui peccare fecit Israel. Omnes impœnitentes exstiterunt, et peccata sua defendentes universi, sermonem Domini repulerunt. Unde et in isto propheta loquitur Dominus: *Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a* D *me. Quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel ; non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum* (*Ose.* V) Itaque cum tanta fuerit illis atque illis distantia peccati, recte et sententia in utrosque debuit dispariter dari. Igitur filia hæc recte vocatur : *Absque misericordia*, quia non utcunque captivatus erat Israel, sed absque relaxationis misericordia. Juxta mysticum intellectum itidem veraciter spiritus propheticus dicat : Reprobata quippe jam Synagoga, claruit veritas quod filia illa non est misericordiam consecuta, quæ tunc nata est, quando, ut superius jam dictum est, Deus secundo ad mulierem sibi conjungendam accessit,

A quando post CCCC et XXX annos a testamento confirmato legem dedit in Syna, et nata est Synagoga misericordiam non consecutura, servilis filia nomine, nomine quidem filia, sed meritis ancilla foras mittenda. *Syna enim*, inquit Apostolus, *mons est in Arabia* (*Galat.* IV). Porro. Arabia temporibus antiquis, nunc illa, quæ non nominatur, sola erat, sed solitudo et pars Ægypti non modica, ubi est mons Syna, in quo data est lex, unde fuerat et Agar, quæ significat Vetus Testamentum. Cum ergo dixisset: *Hæc enim sunt duo Testamenta, unum quidem a monte Syna*, addidit : *In servitutem generans, quæ est Agar* (*ibid.*), quæ conjuncta est videlicet significatione ei, quæ nunc est Hierusalem, et servit cum filiis suis. Et subinde, cum dixisset : *Sed quomodo* B *tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc*, protinus ait : *Sed quid dicit Scriptura* (*Ibid.*) *Ejice ancillam et filium ejus : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* (*Gen.* XXI). Igitur filia illa, et ancilla non est misericordiam consecuta, sicut jam tunc re non parva significatum est, quando filiorum ejus corpora in deserto prostrata sunt, et in illam repromissionis terram non introierunt (*Num.* XIV). Illud nemo qui nesciat, aut nescire debeat, quia fideles omnes et electi, qui ex eodem populo non ad filiam hanc pertinuerunt, sed ad priorem filium scilicet Israel, id est sed semen Dei. Sequitur : *Et ablactavit eam, quæ erat absque misericordia*; *et concepit, et peperit filium, et dixit : Voca nomen ejus : Non populus meus, quia vos non populus meus,* C *et ego non ero vester Deus.* Jam nata fuerant duo infelicitatis incrementa, scilicet filius et filia. Filius videlicet, ut captivus duceretur Israel. Filia, ut eadem non solveretur captivitas. Non Israel quidem secundum se filius bonus est, sed secundum id quod requirebatur sanguis ejus, malum illi populo existit ; filia vero ablactata perpetuitas est captivitatis, cui nulla infunditur lactis alimonia, nulla consolatio de captivitate solvenda. Quid tantum vult tertius iste filius ? Quid per hunc intelligere debemus, nisi illud quod nomine suo personat, quod est : *Non populus meus* ? Maximum quippe hoc miseriarum est incrementum, ut populus captivus idemque nullum habens præfixum solvendæ captivitatis tempus, dicatur et sit quod dicitur a Deo : *Non populus* D *meus*. Nam, si captivus quidem esset populus, et corporalis ejus captivitas nunquam solveretur ; non tamen etiam secundum animam a Deo projiceretur, esset tolerabile malum, et magna ex parte bene se haberet status sive casus captivorum temporaliter gementium. Nunc autem malum irremediabile est, quia corpora visibilis Assyrius cœpit et tenet animas autem invisibilis Assyrius decipit et possidet! Dicat nunc aliquis : Quid ergo Dei fiet de proposito? Proposuerat namque Deus et promiserat Abrahæ de semine ejus populum sibi adducere innumerabilem, sicut stellas cœli ; et, inito fœdere, firmaverat quod esse deberet Deus ejus, et Deus seminis ejus : *Su-*

spice, inquit, *cœlum, et numera stellas, si potes. Et* A *dixit ei : Sic erit semen tuum.* Et continuo sequitur : *Credidit Abraham Domino, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* xv). Item et alibi loquitur ad eum idem Deus : *Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te* (*Gen.* xvii). Quid ergo erit, cum illic dixerit : *Ut sim Deus tuus, et Deus seminis tui post te,* Hic autem dicat, *quia vos non populus meus, et ego non ero vester* Deus ? Aut quomodo complebitur de semine ejus splendidus electorum numerus secundum numerum stellarum cœli, cum illic quidem dixerit : *Sic erit semen tuum* numerosum, sicut stellæ cœli (*Gen.* xv). Hic autem potius arenæ maris assimilet eos quam stellis cœli ? Sequitur enim et B dixit : *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non* **13**
numerabitur. Denique aquatica maris arena multum disparatur a stellis cœli fulgidis, et hoc ipso quod sine mensura esse et non numerari dicitur hic, repulsam vehementem sonat Israelis, quod nec mensuram donationis cujusquam habeat, nec numeretur in conspectu Dei. Quid ergo fiet, ut jam quærere cœpimus, de proposito Dei ? Nunquid excidit Verbum Dei ? Non utique, sed habita consideratione Verbi Dei promittentis Abrahæ diffinitionem sive determinationem teneamus seminis ejusdem Abrahæ. *Non enim*, inquit Apostolus, *omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ ; neque qui sunt semen Abrahæ, omnis filii*, sed *in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed qui filii* C *sunt promissionis æstimantur in semine* (*Rom.* ix). Ergo undecunque veniant, ubicunque vel quicunque sint habentes fidem promissionis, quæ, sicut jam dictum est, ad justitiam reputata est ipsi Abrahæ (*Gen.* xv), sine dubio reputantur in semine, et idcirco apostantibus carnalibus Israelitis, recte quærantur alii, de quibus impleatur propositum Dei. Sequitur ergo : *Et erit in loco, ubi dicetur eis : Non populus meus vos, dicetur eis : Filii Dei viventis ; et congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra, quia magnus dies Israel.* Locum hunc per semetipsum satis illustrem auctoritas apostolica clarius illustravit, cum post prædictam determinationem seminis Abrahæ paucis interpositis, ait : *Volens* D *Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloria. Quos et vocavit nos, non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam ; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco, ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi* (*Rom.* ix). His verbis vehementer atque diligenter astruit prophetiam hanc esse de gentibus assumendis, in locum eorum qui secundum carnem essent ex Israel, aut semen Abrahæ indurati et fidem non habentes, exciderunt. Porro de illis qui ex gente illa salvantur aut salvandi sunt, continuo subjunxit : *Esaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Ibid.*). Nimirum tali serie vel processu verborum electos ex gentibus et salvatos sive salvandos ex Israel in unum conjungit Christum, docens quod indifferenter tam illi quam isti propter fidem seminis Abrahæ, quod est Christus, omnes semen Abrahæ sint, atque id esse quod hic propheta nunc dicit : *Et congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra, quia magnus dies Israel.* Hoc denique sic fieri cœptum est, filii Israel, scilicet apostoli, qui, tam secundum carnem quam secundum fidem, filii sunt Israel, congregati sunt cum filiis Juda, id est, cum electis ex gentibus, quos ad fidem et confessionem Christi perducendo fecerunt filios Juda, congregati sunt pariter in unitatem fidei ita ut *non* sit, sicut Apostolus ait, *distinctio Judæi et Græci* (*Rom.* iii). Et posuerunt *sibimet caput unum*, illud videlicet unum, de quo Apostolus ait : *Igitur sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constitui sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi* (*Rom.* v). Isto capite posito, sibimet ascendet, inquit, *de terra*, ut jam non sapiant aut quærant terrena, quia magnus dies Jesrael. Magnus dies et magna illustratio seminis Dei, quod est Christus, seminis, inquam, resurgentis ex mortuis, cum quo consurgentes utique ascendunt de terra, faciendo quod idem Apostolus ait : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* iii). Si nimirum primo ascensione facta, quæ est resurrectio prima, tandem ascendent corpora quoque de terra, quæ erit resurrectio secunda, et sequentur caput suum, sicut membra capiti conjuncta, et sicut ipse Christus pulchre satis brevi expressit significatione, dicendo : *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* xxiv). Taliter loquendo in propheta, Spiritus sanctus miro modo et salutis gentium prophetiam magna ex parte patentem fecit, et nihilominus ipsis Judæis sive carnali Israeli qui gentium semper odere salutem, litterarum amabilem reddidit. Quid enim libentius audirent illi, quam quod hic dicitur : *Et congregabitur filii Juda, et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra* ? Jamdudum quippe magnum illud discordiæ malum acciderat inter Israel et Judam, ut scinderetur regnum et discederent decem tribus a domo David, et in duo regna divisi, Israel et Judas nonnunquam hostilibus quoque contra seipsos conflixere præliis (*III Reg.* xii). Hæc autem littera hoc

illis prophetare videtur, quod aliquando rursum congregandi sint in unum, Israel et Judas, et sub uno rege fœderati ascendere debeant de terra ad pugnandum et subjugandum sibi regna orbis terrarum multo fortius atque bellicosius quam fecerunt regna illa quibus hactenus ipsi servierunt, videlicet Babylonium, Persicum, Macedonium atque Romanum. Igitur etiam adhuc litteram propheticam libenter custodiunt, et ignorantes utilitati gentium serviunt, testimonia nostra jugiter ferendo secum. Nunc ad ipsos vocationis illius ministros, per quos vocandi erant filii Dei viventis, de loco ubi dicebatur eis : *Non populus meus vos*, apostrophen facit sermo propheticus, et dicit :

Cap. II. — *Dicite fratribus vestris : Populus meus: et sorori vestræ : Misericordiam consecuta. Fratribus vestris*, inquit. Quibus fratribus, aut ubi manentibus, et unde venientibus ? Nimirum fratribus Abrahæ fidem habentibus, undecunque veniant, ubicunque sint, quacunque ex gente originem ducant, sive Judæi sive Græci sint. *Fratribus vestris et sorori vestræ*, id est, tantummodo illis qui veri sunt Israelitæ, his qui non in ritus gentium transierunt, vel qui ritus gentium et culturam idolorum deseruerunt, illos agnoscite fratres, et illorum Ecclesiam agnoscite sororem vestram ; et illos fratres appellate, populum meum ; et illam sororem vestram nuncupate, *misericordiam consecutam*. Porro de fratribus vestris, qui sunt cognati vestri secundum carnem, et de sorore vestra carnea Synagoga tristitiam inconsolabilem ne habeatis, quod dixerim ego fratribus illis : *Non populus meus vos* ; et sorori illi : *Non consecuta misericordiam* ; sed tristitiam quam vobis magnam esse dicitis, et dolorem qui cordi vestro continuus est, consolamini bona recompensatione ; quia si fratres vestri secundum carnem jam non sunt populus meus, et si soror vestra carnea non est misericordiam consecuta, econtra quæ non erat plebs mea, nunc vocatur et est plebs mea, et quæ non erat misericordiam consecuta, nunc vocatur misericordiam consecuta (*Rom.* IX). Denique et hunc versiculum : *Dicite* **14** *fratribus vestris : Populus meus ; et sorori vestræ : Misericordiam consecuta*, pertinere ad vocationem gentium Apostolus innuit, qui non solummodo præcedentem versiculum pro testimonio sumpsit, *et erit in loco, ubi dictum est eis : Non populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei viventis*. Verum et ante sensum hujus præmisit, dicendo : *Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam* (*ibid.*) Sequitur : *Judicate, matrem vestram judicate ; quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum, ne forte exspoliem eam nudam, et statuam secundum diem nativitatis suæ*. Jam supra diximus, in manu prophetæ hujus assimulatum esse Dominum, id est, prophetam semel et iterum, et tertio accedentem ad mulierem fornicariam, sicut jam dictum est, et deinde adhuc jam sum diligere mulierem dilectam amico et adulteram, ad quod nondum perventum est : locus enim hic adhuc inferius est, similitudinem gerere Domini, quod gentem illam semel et iterum, ac tertio accessit. Primo testamentum suum confirmando cum Abraham, deinde dando legem in monte Syna, deinde mittendo prophetas, deinde carnem assumendo ex ipsa. Sed et hoc dictum est, quia cum prius fuisset quasi mulier una, id est, gens una, facta divisione et decem tribubus a domo David recedentibus, jam duæ mulieres habentur quæ et in prophetis ambæ super fornicationis scelere arguuntur, diciturque altera Oolla, quæ est Samaria, altera Ooliba, quæ est Hierusalem (*Ezech.* XXIII). Apud Oollam propheta iste prophetabat, eratque de tribu Isachar. Ergo Oolla secundum carnem mater hujus erat, sicut Amos et sicut Abdiæ, multorumque aliorum, qui sub eisdem temporibus prophetaverunt. Porro prophetantibus illis, mater illa nihilominus fornicata est, nec cessavit a fornicationibus suis : nullus enim omnino ex regibus ejus recessit a peccatis Hieroboam. Igitur jam peracta similitudine, quæ administrata est in persona prophetæ, palam arguitur Oolla, id est, tota gens decem tribuum sive metropolis Samaria. *Judicate*, inquit, *matrem vestram judicate*. O vos, inquit, prophetæ, o vos omnis Israel, id est semen Dei, quid in hoc meo decreto reprehenditis, quid in hac mea sententia titubatis? An quia mater vestra est domus Israel, super quam locutus sum, quia non addam ultra misereri ei, sed oblivione obliviscar eorum ; domui autem Juda miserebor, vos offendimini, et judicium hoc converti cupitis ? Ecce vos ipsi causas appendite, vos ipsi judicate utrum aliter debeat fieri. Vultis vos, vult ipsa ut addam misereri illi ? Ecce præsto sum, dummodo unum faciat. Quid illud est ? *Auferat fornicationes suas*, id est, fornicari desinat. At illa hoc non audit, fornicari non desinit. Afferte, si quid habetis ; proponite quidpiam pro illa, in quo possit justificari aut defendi. Ex quo agente Jeroboam, me virum legitimum contempsit, et vitulis aureis succubuit, nunquid fornicari desiit ? Quo tempore, aut quo sub rege quievit ? Nimirum non ita soror ejus Ooliba perseveranter fornicata est, non, inquam, soror ejus domus Juda perseveranter insanivit, quamvis multum ad tempus insanierit. Diebus Ezechiæ, diebus Josiæ, et nonnunquam sub aliis quoque regibus fornicationes suas abstulit. Judicate igitur utrum huic ita ut sorori ejus jam dictæ domui Judæ, debeam misereri, et ita hanc liberare ab Assyriis sicut captivitatem illius de Babylone revocare decrevi. Hanc ipsam perpendite causam inter eamdem matrem vestram et locum illum de quo dixi : *Et erit in loco, ubi dicitur eis : Non populus meus vos ; dicetur eis : Filii Dei* viventis. Denique locus ille gentilitas est, et illa auferet fornicationes suas, vestra autem mater non abstulit, nec auferre vult fornicationes suas. Itaque et in hoc illam judicate, et juste judicate, quia cum suis fornicationibus non debet in

domo mea permanere, et contra quæ fornicationes suas dimittit, non est cur a me debeat repelli, cum ego non tantum Israelis et Judæ, sed etiam cæterarum gentium æque Creator sim. Notandum quanta cum circumspectione fornicationes auferri præcepit, secundum personam vel gestus mulieris fornicatricis, dicendo: *Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum.* Faciem pro oculis, medium uberum pro corde posuit. In medio namque uberum locus cordis est. Unde et in Canticis casta sponsa dicit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* I). Duobus istis scilicet corde et oculis inundatio fornicationis hauritur, et deinde corpus incontinens ad actum libidinis velut magno torrentis impetu propellitur. Primum per oculorum vel visus cæterumque sensum qui omnes in facie sunt, fenestras mors ingreditur (*Jer.* IX), et captivata mente fornicatio sive adulterium consequenter actu peragitur. Potest autem per faciem fornicatio corporalis, et per adulterium, quod in medio uberum ejus esse dicitur, spiritualis corruptio recte intelligi; quia videlicet utroque modo gens illa peccasse redarguitur in Scripturis. Exempli gratia: In uno eodemque peccato Beelphegor, et spiritualiter a Deo fornicatus est Israel, et corporaliter cum filiabus Madianitarum commistus est. Ille enim vocaverunt eos ad sacrificia sua, *et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum* (*Psal.* CV). *Ne forte*, inquit, *expoliem eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ, et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti.* Nimirum hoc idem est ac si dicat: Ne faciam quod locutus sum, ne adimpleam filiorum et filiæ, quos mulier fornicaria Gomer filia Debelaim in præscripta visione peperit propheticum præsagium. Sed nunquid fixum non est et infectum esse potest quod locutus sum, dicens: *Et quiescere faciam regnum domus Israel, et non addam ultra misereri domui Israel, et vos populus meus, et ego non ero vester* Deus? Quid ergo sibi vult quod iterum revocatur, dicens: *Auferat fornicationes suas*, addensque: *Ne forte* faciam ei hæc vel illa, quæ locutus sum? Huic non dissimile est, quod cum data jam esset sententia super Nabuchodonosor regem, ita ut diceret Daniel: *Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ venit super dominum meum regem. Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua* (*Dan.* IV), etc., ait idem Daniel: *Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscat Deus delictis tuis* (*ibid.*). Quid per hæc animadvertere debemus, nisi quia in arbitrio nostro est, utrum sententiam suam suspendere debeat aut non debeat Deus. Non enim aut Deo mala nostra imputare, aut fata nobis dominari, quod dementissimum et impium est, putare debemus: id est, non quia Deus hoc præscivit aut prædixit, idcirco venit malum hoc aut illud; sed quia

A malum futurum vel faciendum erat, idcirco et præscivit et sententiam super illud prædixit Deus. Si igitur quæras quare sententiam irrevocabilem præfixit Deus, respondendum, quia malitiam incorrigibilem prævidit Deus. Item, si quæras quare post datam sententiam de correctione **15** consulit Deus, respondendum, quia ut experimento sciamus incorrigibilis esse, idcirco, quanquam non reversuros exspectat et per multam patientiam illos ad pœnitentiam invitat Deus. Igitur undique circumspectus, et oculis providentiæ plenus sermo propheticus sic loquitur: *Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum, ne forte exspoliem eam nudam.*

Quare autem non dixit: Ne expoliem et denudem eam, B sed: *Ne expoliem*, inquit, *eam nudam*? Aut quomodo exspoliari potest, si jam nuda est? Potest quidem sic intelligi dictum, ne expoliem nudam, ac si diceretur, ne exspoliando faciam nudam. Verumtamen sic melius placet sentiri, quod et jam nuda sit et adhuc habeat, quo possit exspoliari. Est enim nuditas duplex sive gemina, altera visibilis, altera invisibilis. Denique nuditas invisibilis est, dum nudatur anima intus; gloria vel gratia Dei, secundum quam Scriptura sancta de eadem gente dicit: *Videns Moses populum quod esset nudus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat)* (*Exod.* XXXII). Dixit enim hoc propterea, quia fecerant et adoraverant vitulum. Et sicut psalmus dicit: *Immutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli, comedentis* C *fenum* (*Psal.* CV). Nam idcirco spoliati erant Dei auxilio, imo et proinde dixit Deus, ut disperderet eos, si non idem Moses stetisset pro illis in conspectu ejus, corde confracto et contrito. Nuditas visibilis est, quando exterior quoque tollitur ornatus, exterior felicitas, qualis inter cætera maxime exstitit genti illi civitatis Hierosolymæ et templi, quod in ea condidit Salomon, quædam singularis gloria. Nimirum cum propheta hic ista loqueretur; nuda jam erat Samaria; sive decem tribus, nuditate illa, de quo, ut jam dictum est Scriptura dixit: *Videns Moses populum quod esset nudus*, etc. Hoc enim tunc factum et dictum est propter scelus unius vituli conflatilis. Hic autem regnabat peccatum Jeroboam super eos in duobus vitulis aureis. Et quia D taliter fornicaria gens semetipsam nudaverat auxilio vel gratia Dei, profecto merebatur spoliari etiam visibilibus et temporalibus bonis, id est cunctis terræ illius opibus, quas contulerat illi Deus, prior et legitimus vir. Ait ergo: *Ne forte exspoliem eam nudam.* Ac si dicat: Ne forte auferam illi cultum gloriæ temporalis atque visibilis, ut in oculis hominum exspoliata sit, quos solos erubescere novit, propterea, quia jam nuda est in oculis meis, et illam nuditatem non erubescit. Additque continuo: *Et statuam eam secundum diem nativitatis suæ, et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam siti.* Quis fuit dio na-

tivitatis fornicariæ illius? Nimirum dies vel tempus, quando in Ægyptum descenderunt patres ejus, et peregrini facti sunt in terra non sua, ab ea quæ illis promissa fuerat, filii Jacob, propter scelus in fratrem suum Joseph, quem vendiderunt. Nam idcirco et famem vocavit Deus super terram, quia Joseph ab illis in servum venundatus est, et idcirco in Ægyptum descendentes peregrini facti, et juste, judice Deo permittente, servituti subacti sunt. Ibi nata est ista fornicaria mulier, quia ibi germinantibus et multiplicatis filiis Israel, gens de paucissimis hominibus facta est. Et qualis ista, de qua nunc agitur, ibi nata est? Utique nuda nuditate utraque, de qua jam dictum est: nam quod bonis exterioribus et omni felicitate terrena, tunc in illo exortu suo nuda fuerit, fere nemo nescit. Neque enim aut regnum aut principatum aliquem tunc habebat, nec in aliquo sæculi hujus honore gloriari poterat, quando sub flagellis et verberibus in luto et latere talibus et tot dominis illudentibus serviebat. Porro quod gloria quoque Dei patrum suorum nuda fuerit in eisdem natalibus suis, qui nescit? Serviebat enim diis quoque monstrosis dominorum suorum et Ægyptiorum, juxta illud propheticum Ezechielis testimonium: *Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt ibi, ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum. Nomina autem earum, Oolla major, et Ooliba soror ejus minor. Et habui eas, et pepererunt filios et filias* (*Ezech.* XXIII), et reliqua. Igitur *secundum diem nativitatis suæ statuam illam* cum dicit, quid subaudiendum est, nisi, ut jam præmiserat, nudam et expoliatam, nudam a gloria unius Dei, exspoliatam a rebus vel honore regni, omnisque potentiæ temporalis, sicut erat, quando in Ægypto servivit. Et nota quam proprie subjunxerit adhuc: *Et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti.* Non dixit: Et ducam eam per solitudinem et per terram inviam, quod fecit tunc post diem nativitatis ejus, quando eduxit illam de terra Ægypti, sed ipsam *ponam*, inquit, *quasi solitudinem, et ipsam statuam quasi terram inviam*, ut ipsa solitudo et terra deserta sive invia sit. Deserta a Deo, invia et solitaria scilicet et omni destituta sanctorum angelorum frequentia, et Michaelis quondam principis sui pervigili præsidio. Item non dixit: Et fatigabo eam siti, quod itidem tunc factum est, quando post eumdem diem nativitatis eduxit illam de terra Ægypti, sed *interficiam eam*, inquit, *siti*, ut jam non bibat de petra, quæ virga crucis percussa est, cujus in typum tunc illi aquas largissima fudit petra inanimata. Addidit adhuc: *Et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt.* Filii a matre hoc differunt, quo ab inventore malitiæ immitatorem ejus differre perspicuum est. Nam sicut in bonam partem mater est anima, quæcunque ex spiritu Dei Verbum veritatis concepit; filius autem vel filia,

A quæ ex ore illius, audiendo Verbum doctrinæ proficit, sic in malam partem anima quælibet malorum adinventrix mater, et qui ab illa decipitur filius est. Ergo in populo illo fornicaria mater Synagoga est, et qui ab ipsa decipiuntur populares filii sunt. Quamvis autem plus damnationis sit matri ejusmodi quam filiis, tamen quia parum distat in vitio decipere et decipi posse, recte et in filios effunditur materna damnatio, dum dicit: *Et filiorum ejus non miserebor.* Quare? *Quoniam filii*, inquit, *fornicationum sunt.* Quod idem est ac si dicat, quoniam et ipsi incorrigibiles sive immutabiles sunt. Nam de talibus Sapientia loquens, cum dixisset: *Sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ*, continuo subjunxit: *Non ignorans quomodo iniqua est natura*
B *eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quod non possit mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio* (*Sap.* XII). Totum hoc exprimitur hic breviter per hoc dictum, *quoniam filii fornicationum sunt*, ut videlicet subaudias, *quod iniqua natura eorum et naturalis malitia ipsorum, et quod non possit mutari cogitatio ipsorum in perpetuum*, et quod ipsi æque, ut Amorrhæi et Ethæi semen maledicti sunt. Nec vero hujusmodi dictis culpatur natura quam Deus creavit, sed vehementissime redarguitur abusio naturæ, eo quod accidens malitia per consuetudinem in naturam versa sit. Justa ergo ratione sententiam defendit, qua dixerat, *Et filiorum* ejus **16** *non miserebor*, dicendo, *quoniam filii fornicationum sunt.* Nihilominus et
C eamdem rationem confirma sermo Dei concertator insuperabilis, subjungendo: *Quia fornicata est mater eorum.* Meminisse namque debemus, quia præsens locus judicatio est inter fornicariam et amatorem ejus quondam Deum, ab eo quod ait: *Judicate, matrem vestram judicate.* Dederat namque illi optionem, sive liberum arbitrium, dicendo: *Auferat fornicationes suas*, subauditur si velit mutari sententiam qua dixi, *quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus.* At illa pertinaciter perseverat in fornicationibus suis, et adulteria diligit. Sequitur ergo. *Et confusa est quæ concepit eos, quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, oleum meum et potum meum. — Confusa est*, inquit, *quæ concepit eos*, videlicet quomodo confundi solet qui
D convincitur et causa cadit in judicio, non habens quod contra judices sive accusatores possit mutire, manifesto atque inexcusabili convictus crimine. Ego enim mittens prophetas meos dicebam illi, sicut et nunc dico: *Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum*, id est, cesset colere vitulos aureos et facere sibi Baal. Illa autem dixit, et nunc usque perseveranter dicit, nequaquam, sed *vadam post amatores meos.* Nec vero solummodo verbis hoc dixit, verum etiam factis dicta sua defendit, eosdem accidendo prophetas. Unde et fugitans conquerebatur Elias: *Domine, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt*

A *gladio. et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam* (*III Reg.* XIX). Taliter dixit : *Vadam post amatores meos* dæmones, quos in idolis colit, humani generis inimicos stultissimo errore vocans amatores suos, non contemnens Deum verum, verumque amicum, quomodo si contemnat mulier amatorem suum. Quomodo autem dixit,vel quando dicere cœpit, *qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, et oleum meum et potum meum* ? Nimirum, quando ascendens de terra Ægypti, tam cito recessit de via Domini, fecitque sibi vitulum conflatilem et adoravit, atque immolans dixit : *Isti sunt dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII), tunc dicere cœpit de falsis amatoribus suis quod darent panes suos et
B et aquas suas sibi, et mentita est. Non enim illi, sed Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob panes de cœlo pluebat illis, et aquas fundebat de petra per manum Moysi. Item, et quando vitulos aureos sibimet instituit, mentita est,quia dixit, præloquente Hieroboam, quem relicta domo David, in adulterio secuta est. *Ecce dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* (*III Reg.* XII). Profecto cum diceret, *qui te eduxerunt de terra Ægypti*, simul etiam astruebat quod ab illis accepisset omnia, quæcunque possidere vel obtinere potuit, ex quo ascendit terra Ægypti. Quæ omnia hic, metaphoram mulieris superius cœptam servando, sermo propheticus congrua satis exprimit, sic illam depingens applaudere sibi. *qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum oleum meum et potum meum.*
C Lana quippe et linum materialia sunt instrumenta omnis muliebris opificii. Oleum autem et potus,res simul et nomina sunt voluptatis. Porro panes et aquæ sunt necessitatis, quia sine illis humanæ naturæ infirmitatis non subsistit.In omnibus his fornicaria mendax esse convincitur,qui non vituli illi, non Baal, quem Jezabel intulit, sed Deus, unus et verus hæc illi contulit, ut provocata beneficiis diligeret eum, cunctis abominationibus deorum alienorum derelictis, sicut scriptum est : *Et dedit illis regiones gentium,et labores populorum possederunt,ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.* Sequitur : *Propter hoc, ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria et vias suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quæret eos et non inveniet. Et dicet* :
D *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Notanda diligenter disgressio veracis et justæ invectionis. Nec dum enim cœptam culpæ ejus invectionem asperrimam finierat, et tam cito quamdam promissionis qualiscunque suavitatem repente inserit, maxime cum ita dicit : *Et dicet* : *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Nam, et si ad talia, qualia nunc loquebatur. *quia filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum*, etc., sic impatientes fuere reges et principes ipsius populi, ut plerosque occiderent ex prophetis, attamen talia patientius audire potuerunt, quale istud est in quo ad Deum suum filii Israel reversuri fore prædicuntur. Denique hoc suavitatis temperamento breviter interposito, confestim illam quam cœperat accusationem prosequitur, et dicit : *Et hæc nescivit, quia ego dedi frumentum, et vinum, et oleum, et argentum ei multiplicavi, et aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam et linum meum,quæ operiebant ignominiam ejus. Et nunc revelabo stultitiam ejus, in oculis amatorum ejus, et vir non eruet eam de manu mea. Et cessare faciam omne gaudium ejus,solemnitatem ejus, neomeniam ejus, Sabbatum ejus et omnia festa tempora ejus. Et corrumpam vineam ejus et ficum ejus, de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei. Et ponam eam in saltum et comedet eam bestia agri, et volucres cœli, et reptilia terræ. Et visitabo super eam dies Baalim quibus incendebat incensum, et ornebatur in aure sua et monili suo, et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus.* Totum hoc cursu continuo hic præscripsimus, ut id quod sequitur, suo itidem sensui copulemus. Nam sicut hæc. quæ dicta sunt : *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum vinum*, etc., prioribus illis per constructionem conjungenda sunt, quia dixit : *Vadam post amatores meos qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, oleum meum et potum meum.* Sic nihilominus dictis illis, *Et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem quia bene erat mihi tunc magis quam nunc*, ista, quæ sequuntur, in constructione conjungenda sunt : *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus, et dabo vinitores ejus ex eodem loco et vallem Achor ad aperiendam spem. Et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. Et erit in illo die, dicit Dominus : vocabit me vir meus, et non vocavit me ultra Baalim*, etc. Neque enim propterea,quia Baal incendebat incensum, et illa ornabatur inaure sua et monili suo,et ibat post amatores suos,et Domini obliviscebatur, remuneranda erat,ut diceret Dominus : *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus*, etc., sed propterea, quia quærendo amatores suos, et non inveniendo eos, dictura erat id quod superius dictum est : *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi tunc erat magis quam nunc.* Lactanda erat Spiritu gratiæ,et inundationis misericordiæ. Sic sermo divinus, medicinæ
17 potens experientissimus,voces suas ponderatas, atque ad mensuram libratas dispensat, amara dulcibus et amaris dulcia permiscens, offensionem labiorum infantilium et gutturis impatientis fugit atque devitat, quatenus medicamentum quocunque modo temperatum penitus infundat, atque intrinsecus in summa auctoritate contineatur sancta Scriptura Spiritus sanctus obtineat. Nec vero quasi

adulando id efficit, nec eidem generationi quam filios fornicationum appellaverat, jactationem secretæ allocutionis et dispensationem fi ei promittit; sed cum vera discretione et discreta veritate procedens sermo propheticus, in una eademque gente, et illos, quibus amara, et illos perspicit quibus dulcia jure propinentur. Nam una eademque gens sive Synagoga, aut certe Ecclesia, in semetipsa continet bonos et malos, id est, eos qui veraciter corpus Christi dicantur et sint, et eos qui propter simulationem corpus ejusdem dicantur, cum non sint. Hinc est de illa septem regulis Tyconii sententia, de corpore Domini permisto, sive de corpore Domini simulato et vero, et hæc in isto loco plurimum valet, ut discernas et discrete intelligas esse in una eademque gente sive Ecclesia, et eos quibus dulcissime consolatio gratiæ suaviter offeratur, et eos quibus propter impœnitens cor, ira et tribulatio promittatur. Et quis sapientiam propheticam digne admiretur in eo quod sicut boni et reprobi permisti sunt, et nunc discerni non valeant, ita voces suas permiscet et moderatur, et comprehendi vel deprehendi non potest quas hominum personas justificet atque condemnet? Mirentur ergo sæculares sæcularium rhetorum artificiosas compositiones, affectatas ad captandam hominum benevolentiam. Ecclesiastici et spirituales veram et discretam sanctorum mirentur eloquentiam, per quos Deus locutus est. His breviter dictis, pro continuatione litteræ, jam nunc eadem dicta prophetica repetentes, diligentius singula percurramus. *Propter hoc*, inquit, *ecce ego sepiam viam suam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas non inveniet*. Via vel semita dicentis : *Vadam post amatores meos, qui dant panes meos aquas meas*, ad infernum deducunt. Quæ nimirum si planæ sint et absque offendiculis, ita ut prosperetur prosperitate temporali anima, quæ se a Creatore suo avertit, vix aut nunquam revocari potest, vel audire vocem post tergum monentis. Si autem adversa occurrerint, et tribulatio vel angustia temporalis currentem comprehenderit, tunc reminiscitur, ut sæpe factum est, Domini Dei sui, sicut de ipsis filiis Israel, contra quos maxime hic propheticus sermo dirigitur, scriptum est : primum in Ægypto quia ingemiscentes propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Dominum pro operibus, et audivit gemitum eorum (*Exod.* III). Deinde et in libro Judicum persæpe scriptum est, quia cum dereliquissent Dominum, et propter hoc tradidisset illos in manus gentium, clamaverunt ad Dominum, et sæpe liberavit eos (*Judic.* III). Igitur quod nunc ait : *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria*, magnæ est miserationis : nam si non id faceret, tunc potius iratus et miserationum suarum oblitus esset Deus, quemadmodum Psalmista cum dixisset : *Exacerbavit Dominum peccator*, continuo subjunxit, *secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* IX). Spinæ namque adversitatis utiliter compungunt atque lacerant pedem ad mala cur-

A rentis et inhiantis deliciis perniciosis, ut saltem spinarum talium punctione, talisque maceriæ offensione commonita rationalis anima dicat : *Vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc*, id est, serviam Deo vivo et vero, et non superbiæ hominum vel malignorum spirituum, quia etiam in præsenti vita multo suavius est portare jugum Domini, quam servum vel ancillam fieri hominum. Hoc aliqui ex gente illa fecerunt, hoc recogitaverunt, et sic ad cor suum reversi, portas æternæ mortis quibus appropinquaverant refugerunt. Notandum deinde, quam sapienter sermo divinus mendacium illud redarguat dicentis de amatoribus suis, *qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, et oleum* B *meum, et potum meum*. Ait enim : *Et hæc nescivit, quia dedi ei frumentum, et vinum, et oleum* (*Psal.* IV), *et argentum multiplicavi ei, et aurum quæ fecerunt Baal*. Nescivit quod nescire non debuerat, quia videlicet non ut cæteræ gentes, sic Israelitica gens opulenta facta est. Aliæ namque a progenitoribus suis potentibus sæculi acquisitas vel possessas hæreditario jure obtinuerunt terras. Hæc autem gens de peregrinis et advenis patribus nata est. Peregrinus erat Abraham, peregrinus Isaac, peregrinus Jacob, pertranseuntes *de gente in gentem, et de regno ad populum alterum* (*Psal.* CIV), et nullam propriam terram habuerunt. *Exspectabant enim fundamenta habentem civitatem*, ut ait Apostolus, *cujus artifex et conditor est Deus* (*Hebr.* XI). Et quidem fides illorum C hoc emeruit, ut illud quoque quod non quærebant, scilicet terras vel regiones gentium, ipsis et semini ipsorum repromitteret Deus. Ait illi qui protinus ex ipsis orti sunt, videlicet filii Jacob, eadem promissione sese indignos effecerunt, vendendo fratrem suum Joseph (*Gen.* XXXVII). Nam idcirco peregrini facti sunt et in Ægypto servierunt. Sed et in deserto per quod ducebat eos, immeritos gratia liberatoris, verum sese indignos eadem promissione fecerunt, ita ut diceret Dominus ad Moysen : *Cerno quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII). Ita qui nullam terram ex possessione paterna hæreditabant, ipsam quoque quam divina largitas propter fidem patrum illis promiserat, terram non consequi D meruerant, nisi Deus propter gloriam et veritatem suam confirmandam, cumque patribus eorum meritam illis suspendisset iram, et exhibuisset misericordiam, eodem Moyse suggerente illi in confractione, id est, nimia humilitate cordis : *Recordare Abraham, Isaac et Jacob servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum*, dicens : *Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, et universam terram hanc de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper* (*ibid.*) Hoc ista nescivit, septem autem mulieres optime sciunt, quæ in Isaia dicunt : *Panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur*

nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum (*Isa.* A iv). Hoc namque omnes dicunt Ecclesiæ gentium in sugillationem meretricis hujus, quæ nec panem quem comederet, nec vestimenta quibus operiretur habuit, sed sub conditione accepit ut invocaret nomen Domini, quemadmodum Psalmista dicit : *Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus et legem ejus requirant* (*Psal.* civ). Nos, inquiunt istæ, tale nihil ex te pro mercede quærimus, ut propter Evangelium vel fidem tuam suscipiendam terras vel regiones alienas nobis conferas, sed panem nostrum comedemus et vestimentis nostris operiemur quæ ante notitiam tui nominis habemus ; imo et tibi, et his qui nomen tuum prædicant, panem nostrum et vestimenta nostra libenter B impertiemur, tantummodo dignare dici et esse **18** Deus noster, et opprobrium vitæ, vel conversationis pristinæ nobis aufer ut non simus absque viro, et non simus sicut hactenus eramus sine Deo in hoc mundo. Dicat ergo: *Et hæc nescivit*, id est, scire aut reminisci noluit, *quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum*, videlicet dando terram frumenti, et vini, et olei feracem, *et argentum multiplicari ei et aurum*, maxime diebus Salomonis, de quo Scriptura refert : *Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis, quia classis regis per mare cum classe Hyram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum et argentum, dentes elephantorum, et simias, et pavos* (*III Reg.* x). Porro, ex illa auri abundantia fecit Samaria, scin- C dendo se a domo David et a domo Salomonis, primum duos vitulos aureos, et deinde Baal. Cum ergo dixisset, *et argentum multiplicavi ei et aurum*, pulchre continuo addidit : *Quæ fecerunt Baal.* O dira ingratitudo ! De auro et de argento meo fecerunt mihi contraria, vitulos et Baal, cæteraque deorum portenta. *Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam, et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus. Convertar*, inquit, et conversus abibo ; recedam, et derelinquam eam ut, sicut jam dixi, *ipsa non uxor mea et ego non sim vir ejus.* Hoc enim pro parte illorum recte dicit, quos pœnitentiam non acturos fuisse præscivit. Nam, quod præmissum est : *Et sequeretur amatores suos, et non apprehendet eos : et quæret eos et non inveniet,* D *et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem*, pro parte illorum dictum est, qui reversi sunt aut revertentur ad Dominum, saltem post experimenta malorum, postquam anima per vexationem ad intellectum reducta, illos, quos sequebatur et quærebat velut amatores, non apprehendit aut invenit sicut amatores, sed sicut hostes crudelissimos, ut vere sunt, experta est. *Convertar* ergo, inquit, id est recedam, et hæc *uxor mea* jam *non* erit. Nec isto contentus, adhuc etiam bona temporalia tollam, quæ illi non quasi pro dote prima contuli. Hoc enim est, quod continuo subjungit : *Et sumam frumentum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus.* Et est sensus : Terram illi optimam dederam et afferentem *frumentum in tempore suo, et vinum in tempore suo.* Quod utique *frumentum* vel *vinum* meum est, *quia terra* ipsa, sicut per Moysen dixit, *mea est* ; *vos autem coloni mei estis* (*Levit* xxii). Sane hic per *frumentum et vinum* universa vult intelligi quæcunque ad victum pertinentia terra illa proferre potuit. Porro per *lanam et linum* omnem intelligamus vestitum. *Sumam* ergo, inquit, *frumentum meum, et vinum meum, et liberabo lanam meam, et linum meum,* id est, ad paupertatem et omnimodam victus et vestitus inopiam redigam eam, ut sit, sicut supradictum est, *secundum diem nativitatis suæ*, id est, nihil possideat suo jure, sicut quando nata est et servivit in Ægypto, nihil, nisi miseræ servitutis pœnam cognoscitur habuisse. Et notanda diligenter dictionis acrimonia, dum dicit : *Et liberabo lanam meam, et linum meum.* Idem enim est ac si dicat : Tantæ illam esse perversitatis ut rebus quoque inanimatis condolendum sit, quod serviant illi, et magnam esse captivitatem lanæ et lini, quod usibus ejus famulentur, quæ sit ancilla peccati. Quomodo autem vel quando hæc *operiebant ignominiam ejus* ? ut taceamus interim de communi usu, quo passim corpora virorum ac mulierum tegebantur, quamvis et hoc indignissimum fuerit, quod pannis adoperti quod dederat Deus, libidinibus polluebantur et simulacris prosternebantur ut, inquam, de hoc nunc taceamus, in eo quam magnifice lana et linum Domini operiebant ignominiam ejus, quod sanctuarium Domini et omnis cultus tabernaculi vel sacerdotii ejus de lana et lino mirifice compositus, secundum modum, quem ipse Moysi dictaverat, in sola gente illa tunc habebatur. Nam vestimentorum quæ fecit Moyses fratri suo Aaron, secundum ordinem vel imperium Domini dicentis : *Hæc autem erunt vestimenta, in quibus sanctificatus Aaron ministret mihi, rationale et superhumerale, tunicam et lineam strictam, cydarim, et baltheum. Facies illi et filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi, accipiesque aurum, et hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum* (*Exod.* xxviii), horum, inquam, decorem simul et sacramentum nullus sermo noster explicare sufficit. Quam illius mulieris, id est Israeliticæ ignominiam gentis, lana illa et linum illud operiebant ? Nimirum peccata ejus actualia simulque originale peccatum, quo admisso, primi parentes nostri ignominiam suam, id est pudenda sua foliis fici operuerunt (*Gen.* iii). Illam ignominiam in gente illa, lana et linea sacerdotalis cultus ornamenta operiebant. Notandum quod dicitur, quia operiebant quidem, sed non etiam delebant. Nam tantummodo sanguini Christi Jesu illa talis ignominia non solum operitur, sed etiam deletur et abluitur. Itaque cum dicit : *Et liberabo lanam meam, et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus*, subintelligendum est ac si diceret : Auferam illi

umbraticum quoque sacerdotium, quo communis nuditas generis humani in gente hac utrumque tegebatur. Nam, et postmodum dicit illi : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Magna igitur vituperatio sacerdotum ejusmodi, cum dicuntur lana et linum liberari tanquam a servitute ignobili, quibus utique magna nobilitas est, quanta potest esse rebus inanimatis, adhiberi ad cultum sacerdotii sive altaris Domini (*III Reg.* XII). Sequitur adhuc : *Et nunc revelabo stultitiam ejus, in oculis amatorum ejus, et vir non eruet eam de manu mea. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, Sabbatum ejus et omnia festa temporalia ejus.* Liberatis, ut jam dictum est, lana et lino Domini quæ operiebant ignominiam ejus, revelatur stultitia ejus in oculis amatorum ejus, ut in oculis ipsorum appareat contemptibilis, quibus perverse complacere voluit, quia captivitate genti illi ingruente, ita privatur temporalibus bonis ut non habeat, in qua gaudere possit, celebrando festivitates suas, profecto vilis inter gentes apparuit, et insultaverunt ei nationes quarum dominis velut amatoribus sese impudica prostituit. Nihilominus quod sequitur: *Et corrumpat vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei, et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri, et volucres cœli et reptilia terræ.* Sic factum esse constat, quia nimirum ex quo dixit, foratis vitulis aureis : *Hi sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti*, quod erat dicere : *Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei*, non cessavit cum eis fornicari, et propter hoc Assyriorum atque Chaldæorum exercitus veniens, omnia terræ illius devastavit nascentia, quorum ficus et vinea delicatissima sunt, et deficientibus habitatoribus, ea quæ nascebantur bestiæ agri et volucres cœli, et reptibilia terræ licenter comederunt. Verumtamen nondum finis, neque enim pœna im-
19 pœnitentis consummanda vel finienda erat illa tantum vastitate hostili, sed temporalem vindictam comitatur æterna: sicut Moyses in cantico Deuteronomi protestatus est : *Ignis succensus in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII). Sequitur ergo : *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus incendebat incensum, et ornabatur inaure sua et monili suo, et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus.* Cum enim dicit : *Et visitabo dies Baalim*, id est, dies vel solemnitates idolorum ; plurale namque est Baalim, deflexum a singulari, quod est Baal ; cum, inquam, *visitabo* dicit, subaudiendum est in die ultionis. Sic enim ad Moysen dixerat, quando primum idolum, id est, *vitulum conflatilem* in deserto populus sibi fecerat: *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*Exod.* XXXII). Quæcunque extunc idola populus ille coluit, simul hic uno significamur plurali nomine Baalim, qui videlicet tunc sorduerat Israel cultu Baal, quando iste prophetavit, et contra illum

A fere maxima causa erat prophetis, quia propter eum Jezabel prophetas Domini occidit. Quis autem est ille dies ultionis, nisi idem, qui credendus est dies salutis ? Denique tempus vel dies, de quo Apostolus dicit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI), sicut credentibus dies salutis vel propitiationis, sic econtra non credentibus est dies ultionis, in qua Judæorum perfidiam ulciscitur ipse, de quo Psalmista dicit : *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis* (*Psal.* XCIII). In ista die ultionis visitantur super gentem illam *dies Baalim*, visitatione, quam totus orbis novit, quia et secundum corpus captivi, et secundum animam in tenebras exteriores missi, propter *dies Baalim quibus*
B *incendebant incensum* patres eorum, quorum iniquitatem sic imitati sunt, ut merito propter illam subeant damnationis judicium. Porro primum idolum, quod post exitum de Ægypto coluerunt, factum est de ornatu inaurium muliebrium, sicut scriptum est : *Dixitque ad eos Aaron : Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Fecit populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron, quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque : Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII) Recte igitur cum dixisset. *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus incendebant incensum*, statim intulit : *Et ornabatur inaure sua et monili suo.* Nam quia primum, ut jam dictum
C est, de inauribus suis sibi formavit idolum, recte inauribus et monilibus suis ad honorem sive cultum Baalim sese ornasse culpatur, et in omni idolo, quod ex tunc coluit, formatura prioris idoli, quod ex inauribus factum est, judici Deo jure ad memoriam revocetur, ut æmulando dicat : *Et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur.* Sequitur : *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem, et canet ibi juxta juventutis suæ et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. Propter hoc*, inquit, *ecce ego lactabo eam.* Præmiserat autem : *Et visitabo super eam dies Baalim*, etc. Num ad unam eamdemque partem sermo respicit, cum illic ira,
D hic autem manifeste sonat gratia. Ergo, ut supra jam dictum est, ad meliorem partem sermo recurrit id est, ad eam, quæ saltem malis commonita seipsam, et Deum suum tandem recognoscit, et dicit illud, quod hic idem propheta supra præmisit : *vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Nam ut hoc manifestius fiat, capitulum hoc totum hic ponendum est.

Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus, et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor, ad aperiendam spem. Et canet ibi juxta dies juventutis suæ et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. Et

erit in illo die, ait Dominus, vocavit me Vir meus, et non vocabit me ultra Baalim, et auferam nomine Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum. Et percutiam eis fœdus in die illa cum bestia agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter. Et sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in judicio et justitia, et in misericordia, et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies, quia ego Dominus, et erit in die illo : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum, et vinum et oleum, et hæc exaudient Israel. Et seminabo eam mihi in terram, et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia, et dicam populo meo, Populus meus est tu, ipse dicet : Deus meus es tu. Notanda quippe diligenter, prolixi capituli sive copiosæ hujus promissionis clausula tarda, sed discreta. Postquam dixit, *lactabo eam, ducam eam, loquar ad cor ejus, dabo ei vinitores ejus, et canet ibi, et vocabit me, Vir meus ;* et deinde per apostrophem : *Et sponsabo te mihi,* rursusque *et seminabo eam mihi, et miserebor ejus,* quasi quæreres et diceres, Quam lactabis, quam duces, cujus ad cor loqueris, cui vinitores dabis, quæ canet vel quæ te virum suum vocabit, quam sponsabis tibi vel quam seminabis tibi, et cujus misereberis? Continuo respondit responsione et dictione provida, dicens : *Quæ fuit absque misericordia, et dicam non populo meo : Populus meus es tu.* Hoc ita esse, ut diximus, scilicet ad illam ista referri, quæ dixit superius : *Vadam et revertar ad virum meum priorem,* et hanc esse omnem animam quæcunque ad Dominum convertitur, sive ex Judæis, sive ex gentibus, Apostolus quoque testatur. Cum enim dixisset : *Volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam,* continuo subjunxit : *Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam* (*Rom.* IX). Interea et hoc notandum quia non dixit, et miserebor ejus quæ est absque misericordia, sed *quæ fuit absque misericordia.* Absque misericordia nunc est gens Israelitica, et idcirco sicut superius dictum est ex quo in captivitatem ductæ sunt decem tribus a rege Assyriorum Salmanassar. Propter hoc sic superius dictum est : *Et concepit adhuc, et peperit filiam, et dixit ei : Voca nomen ejus absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel,* etc. Proinde et reliqua tribus Juda nunc est *absque misericordia,* quia Judæi Romanorum gladiis concisi et in omnes gentes ducti captivi, palam est quia *absque misericordia* sunt. Porro gentilitas absque misericordia fuit, nunc autem *absque misericordia* non est, dicente Deo in hac prophetia : *Et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia.* Hinc idem, qui supra dicit

A Apostolus : *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo,* **20** *nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem, ita et isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur* (*Rom.* XI). Igitur, ut supra jam dictum est, non ad contingua Scripturæ dicta, in quibus manifeste ita sonat, referendum est id, quod ait : *Ecce lactabo,* etc., sed a superiora, ubi pars bona, pars electa rediens ad cor suum : *Vadam,* inquit, *et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.*

Dicamus itaque, imo quæramus, quid sit lactari eam, et duci in solitudinem, et loqui ad cor ejus, et dari ei vinitores ejus ex eodem loco, et cætera quæ sequuntur. Propter hoc, inquit : *Ecce ego lactabo eam.* B Lactari, est dulciter foveri, et propter imbecillitatem ad infantiles delicias reduci. Hoc omnino reprehensibile est in illis qui ex Judæi sunt conversi. Nam illi loquens Apostolus, dicit : *Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini quæ sint elemento exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo* (*Hebr.* V). Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Porro gentium fides idcirco laudis et meriti majoris est, quia et si illam lactari oportuit, citius tamen solidi cibi, id est, sermonis justitiæ, videlicet spiritualis doctrinæ, perceptibilis exstitit lactatio hæc, qua in Christi adventu omnis C Ecclesia, tam ex Judæis quam ex gentibus veniens lactata est. Similis lactationi illi est qua lacta fuit illa generatio filiorum Israel, quæ ascendit de terra Ægypti. Idcirco cum dixisset, et *ecce ego lactabo eam,* addidit, *ducam eam et in solitudinem,* paucisque interpositis : *Et canet,* inquit, *ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* Quis enim nesciat, gentem, sive generationem illam septam spinis in Ægypto habuisse viam, et perinde lactatam fuisse et ductam in solitudinem per quadraginta annos, et cecinisse ascendendo : *Nam quia oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premeban-* D *tur* (*Exod.* I), quæ veræ erant spinæ miseriarum, idcirco ingemiscentes vociferati sunt ad Dominum, qui vere prior fuerat vir fidei patrum ipsorum Abraham, Isaac et Jacob, cujus nequaquam recordarentur, servientes diis Ægyptiorum, nisi afflictio vehemens extorsisset gemitum, sensumque excitasset in negligentia propter abundantiam piscium, et propter ollas carnium consopitum. Tunc propter hoc gentem eamdem lactavit Deus multis miraculis, quibus Pharaonem et Ægyptum flagellavit, quod nimirum dulce fuit huic, cum videret pro se tam mirabiliter pugnari de cœlo. Quid multa? Transivit mare Rubrum, merso Pharaone cum curribus et

equitibus suis, atque ascendendo cecinit: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* xv). Ita ducta est in solitudinem, prosequente lactatione Domini, ita ut panem plueret illi Dominus, et percussa petra, copiosam daret aquam sitientibus tam jumentis quam hominibus, atque illic locutus est ad cor ejus circumducendo et docendo eam, imo et tentando eam, quemadmodum et Moyses quodam loco dixit: *Tentat vos Dominus Deus vester* (*Deut.* iii). Lactationi illi, ut jam dictum est, simile facturum se pollicetur: dicendo *Propter hoc, ecce ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem*, etc. Quod et fecit adventu Filii sui per sacramentum passionis et resurrectionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Nam omnes, quicunque relictis erroribus pristinis, ad B ipsum vivum et verum Deum conversi sunt, quod est reverti ad priorem virum, propter hoc ipsum quod taliter reversi sunt, lactavit idem Dominus Ecclesiam suam, non solum verbo dulcissimæ prædicationis, verum etiam dulcissimis charismatibus Spiritus sancti, et jucundis miraculis, quæ tunc temporis per apostolos et apostolicos viros abundanter et delectabiliter dignatus est operari. Ait ergo: *Propter hoc, ecce ego lactabo eam.* Continuo quoque addidit: *Et ducam eam in solitudinem.* Scimus enim quia mirabilibus, quæ operata est gratia Spiritus sancti, quæ super apostolos venit, ita delectati sunt credentes, ut solitariam quoque vitam appeterent. sicut in Actibus apostolorum scriptum est, nec quisquam eorum, qui possidebat aliquid, suum esse di- C cebat, sed *erant* illis *omnia communia* (*Act.* ii, iv). Addit adhuc: *Et loquar ad cor ejus* Et hoc fecit ipse qui promittit, hoc ore suo promisit et implevit homo factus ipse qui hæc loquitur in prophetis. Dixit enim: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis* (*Joan.* xiv). Item: *Cum autem veniet ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis* (*Joan.* xvi). Qui hæc in articulo passionis suæ dixerat, postmodum resurgens, secundum quod promiserat, locutus est ad cor eorum, sive docuit eos per Spiritum sanctum omnem veritatem, sicut scriptum est: *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* xxiv). Am- D pliusautem die quinquagesimo, dando illis Spiritum sanctum locutus est ad cor eorum, et extunc in Ecclesia non desunt, quorum mentibus veritatem insinuet et notitiam Scripturarum, ut veritas impleatur dicentis: *Et loquar ad cor ejus.* Addit adhuc: *Et dabo vinitores ejus ex eodem loco.* Vinitores ejus, apostoli sunt, et quique apostolici successores officii, id est, prædicatores veritatis. Ipsa namque de qua vel in quam hæc dicuntur: Ecclesia Domini vinea est, vel vinea dicitur, sicut multis in locis Scripturarum legimus Ut in Isaia: *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est* (*Isa.* v). Item in David: *Vineam de Ægypto transtulisti* (*Psal.* lx). Recte ergo

A curatores ejus hic vinitores dicuntur, et istos non undeque, sed *ex eodem loco*, inquit, *dabo ei*, id est, de genere ipsius, de gente ipsa quæcunque vinea Domini dici vel esse meretur. Nam ubicunque vinea Domini est, ubicunque per orbem terrarum sancta Ecclesia diffusa est, in medio ejus vel inter ipsos qui inhabitant fideles, vivunt et ambulant aliqui, quos prælatos Ecclesia sibi eligere possit, agente et ordinante ipso, qui hic loquitur dicens, *et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco*, ut spiritus sui dona non desint in omni loco suæ dominationis. Sic quondam in initio hujusce plantationis, quando comprimebatur inter spinas Ægypti Moysen et Aaron *ex eodem loco vinitores* dedit, sic itidem, quando in Babylone captiva transmigravit Zorobabel, Jesum, Neemiam et Esdram *vinitores, ex eodem loco* dedit. Sic in adventu suo, quando fructum ex vinea requisivit et a malis rejectus est agricolis, vinitores optimos illi (*Matth.* xxi), scilicet apostolos ex eodem loco dedit. Sic ubicunque per omnes gentes eamdem vineam, id est, Ecclesiam suam dilatavit, vinitores illi et patronos inclytos, martyres et confessores, et virgines, ex eisdem locis dedit, et nunc usque prælatos et necessarios dare non desinit. Sequitur adhuc: *Et vallem Achor ad aperiendam spem.*

21 Subauditur, *dabo ei.* Brevissima commemoratione magnum et amplum veteris Scripturæ locum nobis illuminat, qui hujusmodi est. Achor filius Carmi, de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate Hiericho, de qua dixerat Josue ad omnem Israel: *Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus civitatem, sitque civitas hæc anathema, et omnia quia in ea sunt* (*Josue* vi). Propter hoc iratus est Dominus, nec potuit Israel stare ante hostes suos, sed terga vertit, et fugit, et percussus est a viris urbis Hai, dicente Domino ad Josue: *Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est* (*Josue* vii). Factumque est, et sorte deprehensum Achor, duxerunt ad vallem Achor, *lapidavit eum omnis Israel*, vocatumque est nomen loci illius, vallis Achor, usque hodie. *Tunc demum dixit Dominus ad Josue: Ne timeas, neque formides* (*Josue* viii), etc. Hoc taliter secundum historiam factum, promittit se Dominus rursus spiritualiter facturum. Futuro namque tempore dixit, *et dabo ei vinitores ex eodem loco*, ad *vallem Achor*. Ad quid? *Ad aperiendam spem*, inquit, id est, ne ipsa de sua spe dubia vel incerta sit. Pulchrum ergo illius facti historici pandit mysterium, videlicet quia sicut tunc postquam interfectus est Achor, filii Israel sumpserunt spem vincendi hostes, nec frustrati sunt; sic postquam Synagoga Judæorum cum civitate Hierusalem destructa est a Romanis, templumque succensum et ipsi Judæi interempti, et in totum mundum sunt captivi, apostolis cæterisque credentibus aperta est spes victoriæ, qua totum mundum fidei in Christum subjugaverunt. Itaque hic in Evangelio, Achor de tribu Juda fuerit Judas Iscarioth, discipulus Christi, principis confessionis nostræ de tribu Juda, et cum eo pariter

cœtus ille malignantium Scribarum et Pharisæorum, cum quibus de proditione Salvatoris occultum et furtivum habuit consilium. Revera namque tunc Achor furatus est de anathemate urbis Hiericho, quando fur, loculorum Domini Judas ille in pretium sanguinis accepit triginta argenteos. Neque enim civitas illa secundum malignitatem inhabitantium tam Hierusalem dicenda est quam Hiericho. Ceciderunt muri civitatis illius jam tunc visibiliter in oculis Domini, quando Dominum negando et tradendo ad crucifigendum omne cœleste præsidium a se repulit; tunc autem etiam visibiliter, quando Romano exercitu circumdata et subversa est, et sicut sorte deprehensus Achor ille suo ore confessus est, et dixit : *Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci: et* hæc et hæc *concupiscens abstuli* (*Josue* VII). Sic iste Judas Iscarioth, ore Domini traditor designatus, postmodum confessus est projiciens triginta argenteos in templo, dicensque senioribus et principibus sacerdotum : *Peccavi, tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII); lapidatusque est Achor, prout cum Juda traditore illo, totus ille cœtus traditionis coemptor, *nec remansit lapis super lapidem* (*Matth.* XXIV). Et hoc totum factum est *ad aperiendam spem*. Si enim templum illud et civitas illa in sua gloria permansisset, multum Evangelio Christi obstitisset, nimis gentium fidem et spem impedisset, multos dubitare fecisset. Amplius dicam, quia etiamsi omnes credidissent et fidem Christi recepissent, itaque ita factum esset ut non *venirent Romani tollere locum et gentem* (*Joan.* XI), nihilominus evangelicam veritatem et Christianæ fidei regulam conturbassent. Hoc ex paucis illis qui crediderunt, facili argumento comprobatur. Pauci quippe ad fidem fuerunt conversi, comparatione totius Judaicæ multitudinis. Scriptum est autem in Actibus apostolorum : Quia *quidam ex illis descendentes* Antiochiam *de Judæa, docebant fratres*, qui crediderant ex gentibus, et dicebant : *Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri* (*Act.* XV). Factaque est seditio non minima Paulo et Barnabæ adversus illos, et convenientibus apostolis et senioribus videre de verbo hoc, cum magna conquisitio fieret, vix ad tempus sedati sunt per testimonia Scripturarum (*ibid.*). Quid igitur fieri potuisset, vel quantam turbam seditiosos Judæos putas facturos fuisse, si ad fidem Christi conversi fuissent? Utique pertinacius Evangelium circumcisioni miscuissent, ea de utroque neutrum aut nihil fecissent. Quia *si circumcidamini*, inquit Apostolus, *Christus vobis nihil prodest* (*Galat.* V). Proinde laudanda et veneranda est providentia Dei, quæ illos excæcavit, sicut in Isaia dicit : *Excæca cor populi hujus, et aures aggrava, et oculos claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (*Isa.* VI). Multo enim melius est, ab illis non cognosci Christum et non recipi baptismatis sacramentum, per quod, qui convertuntur, sanantur, accipiendo remissionem peccatorum, quam ita cognosci

A Christum et baptizari, ut nihilominus circumcisio carnis et carnalis Judaismus exerceatur. Hoc namque pacto, et sibi nihil contulissent, et gentibus plurimum nocuissent. Post omnia hæc dicit : *Et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. Canet ibi*, inquit. Ubi? In illa lactatione, in illa deductione, in illa cordis allocutione, in illa spei adapertione. Ibi canet, ibi laudes et gratias referet. Quomodo? *Juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti*, id est, sicut cecinit in diebus in quibus juvenis fuit, in diebus quibus ascendit de terra Ægypti. Tunc enim Ecclesia Dei juvenis fuit, et quasi colorem sanguinis sequens juvenilem judicium non habuit maturæ et securæ senectutis, in eo ut spiritualia cor-
B poralibus, cœlestia præferret terrenis. Quomodo cecinit in diebus illis? Signatis postibus suis sanguine agni et percussis primogenitis Ægypti, mare rubrum transiens, merso Pharaone cum curribus et equitibus suis, cecinit carmen hoc : *Cantemus Domino : gloriose enim* honorificatus est (*Exod.* XV), etc. *Juxta dies* illos, id est secundum quod in illis diebus præfiguratum est, ecce nunc Ecclesia sancta signatis frontibus signaculo crucis et sacramento Dominicæ passionis, atque ita exterminato primogenito mortis, id est peccato originali, transiens mare Rubrum, id est sacri baptismi sacramentum sanguine Christi rubicundum, sepultis omnibus, carnem gloriosum, cujus illud Moysi canticum fuit præfiguratum, sicut in Apocalysi scriptum est : *Et vidi tanquam mare*
C *vitreum, et mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem illius, et numerum nominis ejus stantes supra mare vitreum, habentes citharas Dei : et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ viæ tuæ, Rex sæculorum* (*Apoc.* XV), etc. Sequitur : *Et erit in illo die, ait Dominus, vocabit me : Vir meus, et non vocavit me ultra Baalim, et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum.* Hoc ut dicitur, ita factum est, et fit. Docente namque magistro et Domino nostro Jesu Christo, et Spiritu sancto nunc didicit B. Ecclesia Deum vocare virum suum, maxime quia bona et magna Ecclesiæ pars, B. virgo Maria sic Deo altissimo mirabiliter conjuncta est ut semen ejus, id est Verbum ejus, unicum
D Filium ejus utero proprio conciperet, Deumque et hominem et ad salutem omnium credentium feliciter pareret. Post ipsam omnis anima, quæcunque Verbi ejusdem incarnati fidem mente ad justitiam concipit, et oris confessione ad salutem parit (*Rom.* X), universa Ecclesia, quæ de multis hujusmodi credentibus consistit, recte dicit Deo. *Vir meus*; quia uxor Dei dici ei esse meretur. *Et non vocabit me*, inquit, *ultra Baalim*, subauditur, ut hactenus fecit. **22** Denique formatis vitulis et assumpto Baal, cæterisque deorum portentis, quæ hoc significantur plurali vocabulo Baalim, quoties dixit : *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te terra Ægypti* (*Exod.*

xxxii), toties quod auditu quoque nefas est, Israel illum, qui se eduxerat de terra Ægypti, vocavit Baalim. *Et auferam*, ait, *nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum*, videlicet juxta illud apostolicum, *aut turpido, aut stultiloquium, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos* (*Ephes.* v). Nam potest quidem Baalim tolerabilem habere interpretationem, id est *habens me*, quod de Deo vero fidelis anima recte potest dicere, sed hoc nomen Baalim, quod ab Jezabel introductum est in idolo Sidoniorum quod illi Baal dicunt, nimis pollutum et iniquinatum est; et idcirco nulla nominis ejusdem interpretatio, quamvis pulchra, placere debet. *Non* ergo, inquit, *ultra recordabitur nominis eorum*, et ego vicissim non recordabor nominis ejus sive nominum, sicut in psalmo scriptum est: *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea* (*Psal.* iii), id est, omnium eorum quæ impie gesserunt, pro quibus raptores, adulteri et similia sunt nominati, non recordabor nec pro his puniam eos. *Et percutiam eis fœdus in illa die cum bestia agri et cum volucre cœli, et cum reptili terræ, arcum et gladium, et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter. Et percutiam eis*, inquit. Quibus? Singulari namque numero utebatur, dicendo: *Vocabit me: Vir meus; et auferam nomina Baalim de ore ejus et nominis eorum non recordabitur.* Nunc autem in plurali numero loquitur dicens: *Et percutiam eis.* Quibus ergo? Nimirum supra dictis vinitoribus ejus, id est prædicatoribus ejus. His namque percussit Dominus *fœdus cum bestia agri, cum volucre cœli, et cum reptili terræ.* Quod primum juxta litteram recte intelligi potest. Habentes namque gratiam operationis virtutum apostoli et Patres sancti, et bestiis, et volucribus atque reptilibus sive serpentibus imperasse leguntur, et obedierunt eis tam prompte ut miraculo essent populis, ad gloriam Christi, quasi fœdus pepigissent cum eis. Denique, juxta hunc sensum tam pulchre quam veraciter et nunc dicitur: *Et percutiam eis fœdus* cum brutis animantibus. Porro, juxta anagogem, vinitoribus ejusdem Dominus cum bestiis, cum volucribus et cum reptilibus fœdus percussit, quia sanctis apostolis cæterisque ex circumcisione credentibus, gentiles in unitate fidei et gratia Evangelii consociavit, quorum prior vita vel conversatio merebatur bestiis, volucribus atque reptilibus assimilari, juxta illam apostoli Petri visionem, de qua in Actibus apostolorum scriptum est: *Et vidi cœlum apertum, et descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli; et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide, et manduca* (*Act.* x). Per illa namque gentes significari ipse intelligens postmodum dixit: *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus neminem communem et immundum dicere hominem* (*ibid.*). Cum talibus percussit eis fœdus Dominus, videlicet dicendo illi: Quæ *Deus purificavit, ne tu communia dixeris* (*ibid.*), aut immunda. Sed et quoties homo sæcularis vel potens, aut superbus, aut immitis, aut subdolus mores in melius commutando, arctius sanctæ religionis propositum assumit, et humilibus, mitibus, atque simplicibus sese conjungit, percutitur a Domino sanctis fœdus cum bestiis, et reptilibus ejusmodi, et impletur prophetia Isaiæ, dicentis: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus et ovis et leo simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, et in cavernum reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet* (*Isa.* xi). Nam quod idem alibi dicit Isaias de diebus novissimis, id est de adventu Domini: *Et judicabit gentes, et arguet populos multos, et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium* (*Isa.* ii), idipsum continuo subjungit iste, imo Deus in isto cum dicit: *Et arcum et gladium et bellum conteram de terra.* Hoc enim toties fit, quoties homo bellator et militiæ sæculari dudum deditus, arma bellica quibus homines occiduntur projicit, et monastico sive clericali transformatus habitu canit insignia pacis, aut certe factus eremita, qui dudum gladium lanceamque vibrabat, vomere terram scindit, et falce segetem et herbam secat exiguam, sustentando corpusculo necessariam. Sed et in singulis hominibus spiritualiter arcum et gladium, et bellum conterit Dominus, quando post pugnam vitiorum qua fatigabatur miles legitimus, dicens: *Condelector legi Dei, secundum interiorem hominem; video autem legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, tandem liberatur *de corpore mortis hujus* et hoc *gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* vii). Nam et in psalmo maxime de hac pace scriptum est: *Et factus est in pace locus ejus*, subauditur Dei, *et habitatio ejus in Sion.* Continuoque sequitur: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum et gladium et bellum* (*Psal.* lxxv), id est omnem impugnationem vitiorum. Sequitur adhuc: *Et dormire eos faciam fiducialiter.* Subauditur, in illa pace. Ibi namque dormitur fiducialiter, videlicet illa dormitione de qua in Canticis loquitur sponsa: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v). Vigilanti namque corde fiducialiter dormitur, quando remotis curis sæcularibus et repressis vitiorum motibus solum Deum libera per gratiam Dei anima suaviter contemplari delectatur. Vel certe dormire eos fiducialiter, id est somnum mortis excipere faciam confidenter, videlicet pro bona conscientia, quali fretus Apostolus, *dissolvi, et cum Christo esse* cupiebat (*Philip.* ii). His dictis de vinitoribus, confestim ad eamdem vineam, id est Ecclesiam universam facit apostropham, dicitque ad eam: *Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in judicio, et justitia, et misericordia, et miserationibus; et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Do-*

minus. Mira familiaritas! mira gratia! mulier ista, cui hæc loquitur, fornicatrix fuerat; post amatores suos ibat, nisi quod spinis offensa, et maceria ita ut non posset invenire vias suas, tandem dixit: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc, magis quam nunc.* Ecce autem ad desponsationem adducitur et convertitur ad illam amator Deus, et inter blanditias ineffabiles sponsa fore promittitur, quasi virgo, imo vere virgo. Nam Corinthiis qui utique gentes fuerant, et post multos amatores, id est post multos deos ierat anima eorum, loquitur Apostolus : *Æmulor enim vos Dei æmulatione : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI). Talis animarum amator Deus ut quantumcunque anima fornicata fuerit, statim ut Deo vero per fidem conjungitur, virgo sit. Hoc homo facere non potest : neque enim talis est carnis natura, sive lex. Secundum carnem virgo esse non potest, quæ semel corrupta est ; imo nec legitima uxor, quæ semel a viro suo repudiata est. Idcirco per prophetam alium dicit ad banc ipsam mulierem : *Vulgo dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum* **23**, *nunquid revertetur ad eam ultro? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa ? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te* (*Jer.* III). Cum dicit : *Et ego suscipiam te,* subaudiendum est secundum prædicta testimonia ; et sponsam et virginem faciam te. Nunc igitur diligenter considerandum est familiaritatis et gratiæ hujus trina repetitio : *Et sponsabo te mihi in sempiternum ; et sponsabo te mihi in judicio et justitia, et in misericordia, et miserationibus* ; *et sponsabo te mihi in fide.* Quid est illud primum quod promittit dicendo : *Et sponsabo te mihi in sempiternum* ? Quid, nisi nuptias illas repromittit, quarum jucunditate repersa omnis sancta Scriptura legenti et intelligenti animæ dulcescit ? In quodam loco Evangelii sui Sponsus iste dicit : *Simile est regnum cœlorum homini qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII). Nuptias istæ jam nobis innotuerunt quales sint, quia tunc Deus Pater et rex filio suo nuptias fecit, quando illum incarnari voluit, et nuptiarum istarum thalamus fuit uterus virginis. In illo namque utero natura mulieris hujus, natura nostra, natura humana, conjuncta est naturæ Dei : et exinde qui Deus erat, processit Christus, Deus et homo, sponsam habens ; et ideo sponsus, sicut scriptum est in psalmo : *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII). Ista sponsalia æterna sunt. Cum ergo dixisset : *Et sponsabo te mihi,* addidit, *in sempiternum,* id est naturam tuæ carnis semel suscipiens ultra non dimittam, nec evanescet, ut quidam hæretici putant, sed et Verbum et caro, id est et Deus et homo ero in sempiternum. Quid porro est illud secundum quod promittit dicens : *Et sponsabo te mihi in judicio et justitia, et misericordia et miserationibus* ? Quid nisi judicium illum promittit, quod homo factus ipse Deus fecit contra principem mundi moriendo propter delicta nostra, ut illum ejiceret foras ? Illa namque hora instante dixit : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi, ejicietur foras* (*Joan.* XII). Proinde justitia nostra, resurrectio ejus est. Quia crucifixus est, inquit Apostolus, *propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Misericordia ejus est remissio peccatorum, quod est primum sancti Spiritus datum, de quo ipsa die, qua resurrexit, cum insufflaret stans in medio discipulorum suorum dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* XX). Miserationes ejus, divisiones gratiarum sunt : quod est secundum ejusdem Spiritus sancti datum, de quo scriptum est : *Quia die Pentecostes apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum* (*Act.* II). In his igitur *sponsabo te mihi,* inquit, *in judicio et justitia et misericordia, et miserationibus.* id est, fundans sanguinem meum et moriar pro te. Unde judicatus *princeps mundi ejiciatur foras,* et resurgam propter justificationem tuam, et miserebor tui, dando Spiritum sanctum in remissionem peccatorum, et miserebor te dando et distribuendo tibi divisiones gratiarum, id est *gratiam sanitatum, operationem virtutem, genera linguarum* (*I Cor.* XII), etc. Quid deinde est illud tertium quod promittit, dicendo : *Et sponsabo te mihi in fide* ? Quid nisi illud, quod ad Romanos scribens, vehementissime concertat Apostolus : *Justificari hominem ex fide, non ex operibus ?* (*Rom.* IV.) Quid, inquit, dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem ? Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit ? *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* XV). Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam, sicut et David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XIII), etc., usque ad id quod ait : *Justificati igitur ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* III). Igitur cum dicit : *Et sponsabo te mihi in fide,* subaudiendum est, et non operibus, quia videlicet ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi super omnes, qui credunt. Sane cum hæc dicimus aut legimus, non opera decem præceptorum, qui in tabulis lapideis digito Dei conscripta sunt repudiamus, sed opera ceremoniarum carnalium in quibus Judæus gloriatur, cum oderit eas Deus, sicut in Isaia loquitur : *Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram. Kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea* (*Isa.* I). Tandem hac felici dispensatione promissa, et quasi triplici funiculo trina repetitionis insolubiliter confirmata, summam sponsa-

lium totiusque dotis breviter appendit dicendo : *Et scies quia ego Dominus.* Quid enim ? Nunquid parum est scire quod iste sit Dominus ? Nempe sapientes illi magistri et legisperiti Scribæ et Pharisæi, qui tulerant, vel tulisse videbantur sibi clavim scientiæ, nescierunt (*Luc.* XI). Cum enim tentassent hunc Dominum, ut quasi sapientes *in sermone caperent eum* (*Matth.* XXII), velut inscium, memor Scripturæ dicentis : *Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur* (*Prov.* XXVI), talionem illis reddidit, proponendo quæstionem hujusmodi : *Quid vobis videtur de Christo ? Cujus filius est ?* Dicentibus illis, *David* : *Quomodo*, inquit, *David in spiritu vocat eum Dominum, dicens* : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX.) : *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ? Et nemo poterat ei respondere verbum* (*Matth.* XXII). Nescierunt, imo scire noluerunt de filio David, quomodo vel unde sit filius David. Tu autem scies, inquit ; scies, inquam, quia ego Dominus, non solum David, cujus secundum carnem filius sum, verum etiam et angelorum et hominum, et cœli et terræ, et maris omnium quæ in eis sunt, quorum utique Creator, et idcirco Dominus sum. Ne quis parum hoc existimet, nimirum hæc sententia vita æterna est. Dixit enim ipse quodam loco ad Patrem : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Scientia hæc non ex magisterio hominis, sed ex revelatione procedit Dei Patris, et in hac revelatione vera beatitudo est. Unde ad Petrum cum ille incœpisset scire, quod iste Dominus sit, taliter locutus est : *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Matth.* XVI). Sequitur : *Et erit in die illa : exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum et vinum, et oleum, et hæc exaudient Israel.* Si solam spectes in istis quoque dictis litteram, valde exile est, neque majestati ejus, qui hæc loquitur, Domini Dei condignum apparet, quod senuit littera hæc. Etenim metonymica quidem transfiguratione littera decorata est, dum cœli, et terra, et triticum, et vinum et oleum exaudiri, vel exaudire dicuntur ; sed hic in superficie nihil aliud repromitti sentitur, nisi quod temporale est, quo anima non reficitur, sed solus venter qui destruendus est impletur. Ut ergo dignum Deo in ista quoque littera sensum
24 consequamur, levemus ad illum mentis oculos, cui dicit Psalmista : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* XVIII). Primum est, ut istas exauditiones enumeremus : Dominus exaudit cœlos, et cœli exaudiunt terram, et terra exaudit triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudiunt Israel. Nimirum quatuor exauditiones sunt et occulta gradatio, sed eam Apostolus planiorem atque clariorem facit, dum ad Romanos scribens, præmisso : *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit*, continuo subjungit : *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quomodo autem audient sine prædicante ? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur ?* (*Rom.* X.) Gradatio namque verbis diversa, sed sensibus eadem est nisi quod hic descendendo, Apostolus autem quasi ascendendo gradus eosdem disponit. Denique cœli quos hic Dominus sese exaudire promittit, ipsi sunt prædicatores de quibus in quarto gradu dicit Apostolus : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Si testimonium quæris, notum et promptum est illud Psalmistæ : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII), id est, apostoli cæterique prædicatores annuntiant Evangelium Christi Filii Dei. Itaque cum dicit hic Dominus : *Exaudiam cœlos*, sic intelligendum est : Spiritu sancto implebo apostolos, ut videlicet auctoritatem habeant prædicandi, tanquam a Deo missi. *Quomodo* enim *prædicabunt, nisi mittantur ?* Item cum dicit : *Et illi exaudient terram*, sic intelligendum est : Et illis prædicantibus audient inhabitantes terram, juxta illud : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). *Quomodo* enim *audient sine prædicante ?* Cœli ergo audient terram, id est apostoli per nimiam charitatem non sustinebunt, quin descendant ad erudiendam terrenorum hominum ignorantiam. Item cum dicit : *Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum*, sic intelligendum est : Et terreni homines credendo suscipient bonum Dei verbum, quemadmodum terra hæc inanimata suscipit semen, sive plantaria paritura triticum, et vinum, et oleum. Si nimirum et non aliter, nonnisi audiendo credere poterunt. *Quomodo* enim *credent ei, quem non audierunt ?* Item quod dicit : *Et hæc exaudient Israel*, sic intelligendum est : Et eorum credulitas invocabit semen Dei, id est Christum, quem, nisi credunt, invocare non poterunt. *Quomodo* enim *invocabunt, in quem non crediderunt ?* Totum ergo quod habemus, quod Dominum Jesum Christum scire et invocare meruimus, miserentis Dei gratiæ ascribendum est, quia videlicet non prior Dominus exaudisset cœlos, neque cœli exaudirent terram, neque terra exaudiret triticum et vinum, et oleum, neque hæc exaudirent Israel, nisi Deus vel Spiritus sanctus prædicatores misisset : neque illi prædicarent, ac per hos homines neque audirent, neque crederent, neque Christum invocarent. Proprietates istorum exauditionum, adhuc breviter percurrere libet. Exaudivit Dominus cœlos, quando desiderantes ipsum visitavit apostolos, primo et secundo post resurrectionem suam. Primo, ipsa die, qua resurrexit, quando de ipso loquentibus, sicut Lucas narrat, et dicentibus, *quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni, stetit in medio eorum, et dixit eis : Pax vobis* (*Luc.* XXIV) ; et, sicut Joannes refert : *Insufflavit et dixit : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX). Hoc enim est primum, quod dedit illis Spiritus sancti datum

in remissionem peccatorum. Secundo, quando cum essent *omnes perseverantes unanimes in oratione cum mulieribus et Maria matre Jesu, et fratribus ejus* (*Act.* I), misit eis Spiritum sanctum in divisionem gratiarum, quas linguæ dispartitæ significabant quæ apparuerunt. Hoc enim est alterum Spiritus sancti datum, quo illis dedit vel distribuit diversorum dona charismatum. Propter istas duas visitationes, quibus illis Spiritus sanctus datus est, pulchre non contentus est semel dixisse : *Exaudiam*, sed repetivit, et eodem bis usus est verbo. *Et erit*, inquiens, *in die illa* : *Exaudiam, dicit Dominus, et exaudiam cœlos.* Exaudierunt cœli terram, quando apostoli vocibus sanctæ Scripturæ, quæ pro terra sive pro gentibus, agunt, obedierunt. Exempli gratia, cum dixissent : *Vobis* quidem *oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, statim addiderunt : *Sic enim præcepit nobis Dominus* : *Posui te in lucem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ* (*Isa.* XLIX ; *Act.* XIII). Item : *Cum pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, et visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans et deprecans eum, dicens* : *Transiens in Macedoniam adjuva nos* (*Act.* XVI). Hoc viso, certi facti sunt, quia vocasset eos Deus, et evangelizare eis. *Exaudivit terra triticum, et vinum, et oleum*, quando gentilitas obedivit Evangelio Christi, ut viveret secundum ejus imperium, ut confirmaret se secundum Dei verbum, quod est bonum et spirituale triticum, et secundum Spiritus sancti beneplacitum, cujus jam dicta duo data recte intelliguntur per vinum et oleum. Hæc autem exaudierunt et exaudire non desinunt Israel, dum saturant ora mutorum et saturando aperiunt, et linguas infantium disertas faciunt, et aures referant ad audiendum et obediendum, juxta illud quod de hoc eodem tritico et vino et oleo saturandos prospiciens Spiritus prædixit in psalmo : *Edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum* (*Psal.* XXI). *Laudabunt* quippe, non aliud est quam *invocabunt*, quod hic significatur per exauditionis verbum. Sequitur: *Et seminabo eam mihi in terram, et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia* ; *et dicam non populo meo* : *Populus meus es tu, et ipse dicet* : *Deus meus es tu. Seminabo eam mihi in terram*, subauditur universam, id est disseminando verbum prædicationis, Ecclesiam catholicam in toto orbe terrarum diffundam, ut non sit tantum in una Judaica gente, sed in omni gente et natione, juxta quod in psalmo testatur Filius, dictum sibi esse a Patre : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). *Et miserebor*, inquit, *ejus.* Cujus *ejus* ? *Quæ fuit absque misericordia.* Hæc omnia faciendo, quæ huc usque pollicitus sum, lactando et ducendo eam in solitudinem, loquendo ad cor ejus, et cætera peragendo, miserebor ejus : et hæc est misericordia, quam faciam illi, quæ fuit absque misericordia. Jam supra hoc diximus, cuncta hæc quæ hoc prolixæ promissionis capitulo sub relativis pronominibus contineantur ab eo, quod ait : Ecce ego lactabo eam, ista clausula compleri, quæ fuit absque misericordia, atque hic tandem designari, ad quam fiant promissiones hujusmodi, mira non solum veritate, verum etiam elocutionis arte, ut non usquequaque irascatur contra Scripturam quam servari oportebat, illa contra quam superius dictum est : *Voca nomen ejus, Absque misericordia* (*Ose.* I). Putat namque ipsa quæ vocatur Absque misericordia, sibimet bona hæc promitti, et semetipsam esse de qua nunc dicitur : *Et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia.* Verum longe aliud est vocari, vel esse absque misericordia, atque aliud fuisse absque misericordia. **25** Nam absque misericordia vocatur, et est domus carnalis Israel, cui *non addam*, inquit, *ultra misereri* (*ibid.*). Absque misericordia vero fuit gentilitas, cui nunc miseretur Deus. Hoc manifestius liquet ex eo quod protinus addidit : *Et dicam non populo meo* : *Populus meus es tu* ; *et ipse dicet* : *Deus meus es tu.* Iste namque populus gentilis est, cui Paulus dicit : Qui *eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, quia aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi* (*Ephes.* II).

LIBER SECUNDUS.

Superiori loco, ubi dictum est : *Et dixit Dominus ad Osee* : *Vade, sume tibi uxorem fornicariam, et fac filios fornicationum*, meminimus et nunc quoque meminisse debemus versiculi, longe inferius in hoc propheta scripti, cum Dominus dicit : *Et locutus sum prophetis, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum* (*Ose.* XII). Diximus Dominum in manu prophetæ hujus assimilatum, in eo videlicet quod semel et iterum ac tertio accessit ad mulierem fornicariam, et fecit filios fornicationum. Huic namque illud simile est, quod tertio Dominus accessit ad gentem Hebraicam: primo, quando pepigit fœdus, sive confirmavit testamentum cum Abraham (*Gen.* XV) ; secundo, quando legem dedit in monte Sina, post annos quadringentos et triginta (*Exod.* XX) ; tertio, quando propheticum sermonem conscribendum misit, qualem primus et scripsit, et cecinit David. At vero a domo ejusdem David scissæ sunt decem tribus post mortem Salomonis, et domum ejus secuta et sola tri-

bus Juda, et quæ contigua illi erat tribus Benjamin, sicque de una domo Jacob duæ factæ sunt domus, altera domus Israel, et altera domus Juda, de quibus in isto cum dixisset: *Voca nomen ejus Absque misericordia*, continuo subjunxit: *Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor*. Istæ, ut alio jam loco diximus, quæ sunt mulieres, quarum altera apud Ezechielem dicitur Oolla, altera Ooliba (*Ezech.* XXIII). Videamus igitur sequentia:

CAP. III. — *Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade et dilige mulierem dilectam amico, et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum*. Mulier ista ipsa est Ooliba, id est Hierusalem, sive domus Juda. Et quare hæc dicitur dilecta amica? Videlicet pro eo quod superius dixit: *Et domui Juda miserebor*. Ad distinctionem domus Israel, de qua dixit: *Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum*, ista dicitur dilecta amico. In quo misertus est domui Juda? In eo nimirum quod, cum domum Israel transtulisset Salmanassar rex Assyriorum, domum autem Juda captivasset rex Babylonis, domum quidem Juda Dominus solvit de captivitate post septuaginta annos, domum autem Israel non solvit, sed tenentur captivi in Aila et in Abor, juxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum (*IV Reg.* XVII). Translatus est, inquit Scriptura, Israel de terra in Assyrios usque in diem hanc. Dilecta ergo recte hæc dicitur amico, quia parcius percussit hanc Oolibam quam sororem ejus Oollam, prioris amicitiæ memor, imo propositi sui, de quo mox dicendum est in præsenti loco. Sed vide quomodo, cum dixisset *mulierem dilectam amico*, statim addidit, *et adulteram*, subauditur, sicut est et soror ejus. Sequitur enim: *Sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respectant ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum*. Idem namque est ac si dicat: Quia domus Juda sic adultera est, ut domus Israel. Utraque enim cum diligeretur a Domino, sæpe respexit ad deos alienos, et dilexit vinacia uvarum, id est eosdem deos, imo dæmones qui vere tanquam vinacia uvarum sunt. Sicut enim tempore vindemiæ pressis uvis, vinoque in apothecis recondito vinacia foras projiciuntur, sic habito in supernis judicio, factaque bonorum et malorum divisione angelorum, boni in beatis mansionibus confirmati, mali autem foris projecti sunt. Istos deos se esse mentientes ista mulier Ooliba dilexit, et ad eos respexit non minus, quam Oolla, id est domus Juda non minus quam domus Israel, Hierusalem non minus quam Samaria. Unde in Ezechiele Dominus cum dixisset de Oolla, id est de Samaria: *Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, filios et filias ejus tulerunt, et ipsam occiderunt gladio*, continuo subjunxit: *Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plus quam illa insanivit libidine, et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter ducibus et magistratibus ad se venientibus indutis veste varia equitibus, qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia* (*Ezech.* XXIII). Præterea et aliter nunc usque Judæi fastidientes vinum, diligunt vinacia uvarum, quia in omnibus vivificantem fugientes spiritum, occidentem vitem et aridam sequuntur litteram. Sed ad ordinem redeamus. *Adhuc*, inquit, *vade; dilige mulierem dilectam amico et adulteram*. Postquam ad illam Gomer filiam Debelaim, o, tu Osee, semel et iterum ac tertio accessisti, et illa toties concepit et peperit, adhuc vade et dilige sororem ejus, similem adulteram. Et est sensus hic mysticus: Post illa tria quæ jam dicta vel facta sunt testamentum confirmatum cum Abraham, legem datam per Moysen in monte Sina, et sermonem propheticum a pluribus prophetis administratum et conscriptum, tandem, o Salvator, Fili Dei, Verbum Patris, ingredere mundum ad salvandum genus humanum, et de domo, inquam, Juda, de semine David, de virgine Maria, homo factus nascere. Hoc namque erat, mulierem illam diligere, imo et osculum illi dare. Juxta quod bona pars, delecta pars ejusdem per **26** Salomonem dixit: *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* II), quod est dicere: Qui olim per figuras loquens vel apparens, testamentum vel fœdus cum Abraham pepigit, qui deinde in monte Sinai legem dedit, et qui deinde prophetas misit, ipse jam veniat et conjungatur mihi per sacrosanctum mysterium suæ Incarnationis. Sequitur: *Et fodiam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei. Et dixi ad eam: Dies multos exspectabis me, non fornicaberis, et non eris conjuncta viro. Sed et ego exspectabo te, quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari et sine ephod, et sine theraphim*. Sicut paulo ante, cum secundum multitudinem mulieris loqueretur dicendo, et ibat post *amatores suos*, etc., repente ad similitudinem vineæ transivit et dixit: *Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco*. Ita et hic de similitudine mulieris, qua dixerat: *Adhuc vade; dilige mulierem dilectam amico*, repente ad similitudinem vineæ transivit, dicens: *Et fodi eam mihi*. Ad proprietatem namque spectat vineæ, quod dicit: *Fodi*, pro quo verbo in alia translatione scriptum est: *Et conduxi*: quia magis hoc pertinere visum est ad similitudinem vel proprietatem mulieris. Quid autem sibi vult hæc argenteorum quantitas numero XV itemque corus hordei et dimidius corus hordei? Et quidem multa sunt quæ hinc potuere dici, videlicet quindenarium argenteorum numerum ad XV lunam, qua die exierunt filii Israel liberati ab Ægyptiis. Corum autem hordei et dimidium corum hordei, qui sunt simul XLV modii, ad XLV dies congrue referri quibus egressi, pervenerunt ad montem Sinai die XLV. Qui enim XLV die ad eum pervenerunt locum, in quo legem acceperunt, bene XLV modiis hordei fuisse referuntur conducti. Non quidem hunc sensum ab antiquioribus traditum tenuem arbitramur, sed quia ad Salvatoris adventum, sicut jam dictum est, præsens spectat locus. Ex tunc

A enim sedent Judæi sine rege et principe, secundum hæc eadem tempora litteræ hujus sacramentum enucleare conamur.

Quærentibus nobis ut inveniamus juxta promissum dicentis: *Quærite, et invenietis* (*Matth.* VII), tandem illud occurrit quia neque in argenteis, neque in hordeo quantitas ad binarium numerum pervenit, sed neque in unitate remansit. Esset unitas, si ita dixisset: *Et fodi eam mihi* decem *argenteis*. Est enim denarius secunda unitas. Itemque si dixisset. *Et coro hordei*, neque addidisset: *Dimidio coro hordei*, esset itidem unitas in quantitate pacti. Excessit unitatem, nec tamen ad binarium pervenit quia neque viginti sunt argentei, qui numerus binarius decenus est; neque duo sunt cori hordei, qui binarius est singularis. B In utroque limite, id est tam in deceno quam in singulari unitas est semis, et sicut jam dictum est, in neutra ad binarium pervenit. Porro, absque dinario vel minus quam in binario numero conjugium non sit, neque carnale quod Deus ex initio conjunxit neque spirituale, de quo ad hunc prophetam hic mysticus sermo fit, de quo Apostolus, cum præmisisset: *Et erunt duo in carne una*, continuo subjunxit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (*Ephes.* v). Quid igitur hoc sibi vult, quia neque viginti argenteis dixit, neque duobus coris hordei, qui numerus est conjugalis, seu utrobique et super unitatem ascendit, et tamen ad binarium non pervenit, nisi quia mulier ista sic dilecta, cujus de carne Christus Deus homo fieri dignatus est, et tanquam sponsus C de thalamo suo processit, ad conjugium ejusdem Christi non pervenit? Sequitur enim: *Et dixit ad eam*: *Dies multos exspectabis me; non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego expectabo te*. Itaque defectum conjugii significat hic defectus, tam deceni quam singularis binarii, et idcirco recte, neque unitas sola, neque binarius totus est, quia gens illa, de qua Christus ecclesia sponsus natus est, neque virgo est; quippe quæ jam adultera præsenti loco dicta est, neque uxor aut conjux esse meretur, quia sine viro, quia Filium non confitens, nec patrem habet. At contra quæ virum hunc habet, quæ sponsa dici meretur, et est, et virgo est et conjux, atque idcirco quantitas argenteorum ejus unitate et binario taxata est. D Sic enim in Canticis habes: *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille tui argenteos* (*Cant.* VIII). Statimque vir ipse, scilicet Christus, dicit: *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus* (*Ibid.*). Millenarius quippe, sicut abacistæ melius norunt, quarta unitas est. Eodem namque charactere, quo unus in singulari limite notatur, translato in millenum limitem, mille significantur. Ducenti vero in centeno limite, eodem charactere significantur, quo in singulari duo prænotantur. Igitur, sicut illa neque virgo, neque viro juncta est, et idcirco argenti ejus neque decem sunt, neque viginti, neque corus unus, neque cori hordei; sic econtra hæc et virgo et conjux est, et idcirco argentei ejus et mille sunt et ducenti. Præterea et hoc notandum quod illa et argentum accipit et hordeum, hæc autem solummodo argenteos. Quia habet quidem illa quidpiam argenti, id est sermonis sancti in lege et prophetis, et soli hordeo occidentis litteræ incumbit. Hæc autem totum, quod habet, argentum est, neque enim hordeum litteræ attendit, sed solo vivificantia Spiritus argento delectatur. Et dicit: *Eloquia Domini, eloquia casta argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum* (*Psal.* XI). Dicitur ergo illi, quæ non habet gratiam conjugii: *Dies multos exspectabis me; non fornicaberis, et non eris viro.* Quid hoc sit confestim exponitur his verbis: *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine ephod, et sine teraphim*. Ecce hodie veritatem hujus prophetiæ completam videmus, quia Judæi ducti in omnes gentes captivi, sine rege et sine principe sunt. Hoc non fuit antequam Christus veniret, sed sicut prædixerat patriarcha Jacob: *Non auferetur sceptrum, de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLVI). usque ad ejus adventum; etsi non semper regem, semper tamen habuerunt principem, ita ut duces et judices de semetipsis haberent etiam cum in Babylonia captivi essent. Nam ibi quoque judicia sua per semetipsos exercuerunt. Exempli gratia: Susannam quidem condemnantes ut duceretur ad mortem, sed reversi ad judicium, duos presbyteros, qui falsum adversus illam testimonium dixerant, judicaverunt et interfecerunt (*Dan.* XIII). At ubi Christus venit quem non receperunt, judices et præsides alienos habuerunt, et non licuit eis judicare vel per semetipsos terminare judicium. Inde est, quod cum diceret eis Pilatus de Domino Jesu: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate*; responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam* (*Joan.* XVIII). Ex tunc sedent sine rege, et sine principe, et multi dies sunt. Nam quia regem suum Christum non requirunt, nec regem nec principem de semetipsis habere digne sunt. Sedent et sine sacrificio et sine altari; quia perdito loco, ubi templum et altare habebant, de quo illis in lege præcipiebatur: *In loco quem elegerit*
27 *Dominus*, immolabitis ei, et non in omni loco, nequaquam legales, victimas offerunt (*Deut.* XII). *Sedent et sine Aphoth, et sine Theraphim. Ephoth* proprie superhumerale vocatur; sed hic pro omni vestimento sacerdotali accipitur. *Teraphim* proprie appellantur figuræ et simulacra, sed hic pro omni ornamento sacerdotali positum est. Hæc omnia Judæi perdiderunt. Quomodo autem expectant Christum, vel quomodo illos Christus exspectat? Dicit enim: *Dies multos exspectabis me*; *non fornicaberis*; *et non eris viro*; *sed et ego exspectabo te*. Nimirum male exspectant, quia respuentes illum, qui jam venit, alium sibi pollicentur Messiam. Hinc ipse, cum dixisset: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me*, subjunxit: *Si alius venerit in nomine*

suo illum accipietis (*Joan.* v). Porro Christus illos bene exspectat, videlicet donec plenitudo gentium introeat. *Cæcitas*, inquit Apostolus, *ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* xi). Hoc ipsum est quod hic continuo subjungit : *Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum ; et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum.* Interea *non fornicaberis*, inquit, *et non eris viro.* Hoc est, nec amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi legitimo viro conjungeris, a quo conducta es. Istis namque diebus Israel sive Synagoga neque fornicatur publice cum Baal, sive cum vitulis aureis, sicut tunc faciebat ; neque viro suo Christo est, ac perinde nec Patrem Christi Deum habet. Post istos dies, sive post hæc revertentur, ut jam dictum est, quia, cum plenitudo gentium intraverit, quærent Dominum Deum suum et David regem suum, id est Deum Patrem et Filium ejus confitebuntur, Jesum Christum. *Et pavebunt*, inquit, *ad Dominum et ad bonum ejus in novissimo dierum.* Duabus personis, scilicet Patri et Filio tertiam addidit, id est Spiritum sanctum dum præmisso : *Et quærent Dominum Deum suum et David regem suum*, subjunxit : *Et pavebunt ad Dominum.* Pavebunt plane, id est ineffabiliter admirabuntur, attoniti pro magnitudine rei vel gaudii sui, videlicet quomodo pavebat Thomas, quando dicente sibi Domino : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis ; respondit, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* xx). Sicut enim Thomas cum cæteris discipulis illa die non fuit, quando Jesus venit, et dicentibus illis : *Vidimus Dominum*, non credidit : *post octo* autem *dies* erat *cum eis*, et venientem iterum Jesum *vidit et credidit* ; sic hodie Judæi nobiscum non sunt et dicentibus nobis resurrexisse illum, quem crucifixerunt, non credunt. Post hæc autem nobiscum erunt, et cognoscent eum, et pavebunt ad bonum ejus in novissimo dierum. Sequitur.

Cap. IV. — *Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei, in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit.* Postquam in capite libri, ut dignum erat, de Christo scripsit, miram similitudinem sive parabolam adhibuit de muliere, ad quam semel et iterum, ac tertio jussus est accedere. Itemque de muliere dilecta et adultera quam jussus est adhuc diligere, nunc demum agit id quod non quidem primum, sed tamen bonum secundarium est in ordine officii prophetici, scilicet peccata redarguendo populi, in quibus tunc erat, et pro quibus tandem mereretur projici atque disperdi. Sic Ezechiel quoque in capite libri, id est in prioribus visionibus longe post futura, præscripsit mysteria Filii Dei per quatuor facies, hominis, vituli, leonis atque aquilæ volantis, et tunc demum quæ minora vel secundaria sunt prophetavit vel scripsit, scilicet instantem captivitatem populi in Babyloniam transmigraturi. *Tu ergo*, inquit, *fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per diem coram eis* (*Ezech.* xii), etc. Ait itaque : *Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ.* Filii Israel, jamjam in captivitatem ducendi, quibus non addet Dominus ultra misereri, quibus dicit Dominus : *Non populus meus vos*; audite verbum Domini; audite et scitote quia judicio vobiscum agitur, quia vos non sine causa patimini aut patiemini, sed multis causis præcedentibus. Audite et scitote vos, audiat et sciat orbis universus omnesque generationes, tam præsentes quam futuræ, causas esse magnas propter quas reliquamini absque misericordia, propter quas Domino vobiscum sit judicium sine misericordia. Quænam illæ sunt causæ? ait : *Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra*, etc. Antequam causas hujusmodi pertractemus, sciendum est quia peccata populi illius non minora, quam gentium peccata percutit, et in sola Christi fide, per quam et Abraham, antequam circumcideretur, justificatus est ; justificationem hæc prophetica veritas constituit atque repromittit. Et, ut totum prophetiæ corpus prolucescat, jam dicimus quia septies abhinc usque ad finem voluminis peccata commemorat atque replicat, et per singulas vices in Christum sermo recurrit, qui solus omnium credentium atque pœnitentium justitia est. Vices istæ jam numerandæ vel præsignandæ sunt. Primo, inter cætera sic proloquens : *Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi, fornicati sunt, et non cessaverunt : Spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo, quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant; particeps idolorum Ephraim, dimitte eum.* Quibus utique dictis illos non minus quam gentiles sub peccato esse causatur atque convincit, tandem Christum, qui solus justificat, ad utrosque taliter loquentem introducit : *In tribulatione sua mane consurgent ad me dicentes : Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, et sanabit nos ; percutiet et curabit nos* (*Ose*, vi), etc.; secundo ita incipiens : *Ipsi autem, sicut Adam, transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine*, et quasi *fauces virorum latronum* (*ibid.*), et cætera, usque ad illud : *Ex diebus Gabaa peccavit Israel, ibi steterunt* ; *non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis, juxta desiderium meum corripiam eos, congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates* (*Ose.* x), tandem justum et justificantem Christum, sic introducit : *Ephraim vitula, docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli ejus. Ascendam super Ephraim, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. Seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale, tempus autem requi-*

rendi Dominum, cum venerit, docebit vos justitiam (*Ose.* x).

Tertio, confestim peccata repetens : *Arastis*, inquit, *impietatem, messuistis iniquitatem, comedistis fructum mendacii* (*ibid.*), et cætera, quibus præmissis, continuo Salvatoris ejusdem adventum repromittit, sic eloquens personam Dei Patris : *Sicut mane transit, pertransit rex Israel, quia puer Israel et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum* (*Ose.* xi). Quarto, itidem peccata replicans, et dicens : *Baalim immolabant, et simulacris* **28** *sacrificabant, et ego quasi nutritus Ephraim portabam eos in brachiis meis et nescierunt quod curarem eos in funiculis Adam ; traham eos in funiculis charitatis, et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur* ; *non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse rex ejus, quoniam noluerunt converti* (*ibid.*), et cætera, repente ad eumdem Salvatorem sermo recurrens, ipsumque repromittens : *Post Dominum*, inquit, *ambulabunt, quasi leo rugiet* ; *quia ipse rugiet et formidabunt filii maris, et volabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum* ; *et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus* (*ibid.*). Denique Dominus de quo ait, *quasi leo rugiet*, Salvator noster est, de quo et patriarcha Jacob prædixerat : *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna* (*Gen.* XLIX), ipsa rugiit et formidaverunt filii maris. Quia resurrexit et prædicatores apostolos suos misit, et timuerunt atque ad pœnitentiam conversæ sunt nationes orbis, et avolaverunt, et nunc usque avolare non desinunt, quasi avis ex Ægypto hujus sæculi, et collocat eos in domibus suis, videlicet in supernis mansionibus, de quibus ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum* (*Joan.* xiv), etc. Quinto, peccata repercutiens confestim dicendo : *Circumdedit me in negotiatione Ephraim, et in dolo domus Israel*, etc., usque ad id : *Idcirco erunt, quasi nubes matutina, et sicut ros, mane præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario* (*Ose.* xiii), continuo Salvator ipse suum repromittens adventum : *Ego autem*, inquit, *Dominus Deus tuus ex terra Ægypti* ; *et Deum absque me nescies, et Salvator non est præter me* (*ibid.*), etc. Sexto protinus peccata commemorans Dominus, dicendo : *Juxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt, et elevaverunt cor suum et obliti sunt mei*, et cætera. Tunc demum itidem suum repromittens adventum : *De manu mortis*, inquit, *liberabo eos, et de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne*, et cætera usque ad id : *Et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis* ; *ipse*, inquam, videlicet Christus, qui in persona sua dixerat : *Ero mors tua, o mors*, quia per mortem suam fortem armatum vicit et vasa ejus diripuit. Septimo acriter eadem peccata condemnans propheta, dicendo : *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum, in gladio pereat* : *parvuli eorum elidantur, et fetæ ejus discindantur*, protinus in Christum vel Christi adventum respiciens : *Convertere*, ait, *Israel ad Deum tuum* (*Ose.* xiv), et cætera, usque in finem. Quibus utique et veri Israelis conversionem, et peccatorum per eumdem Christum remissionem et donorum Spiritus sancti abundantem et gratuitam mystice præsignat effusionem. Ita quoties peccata gentis percutit sive enumerat, toties in adventum sive sacramentum Filii Dei suum propheticus sermo cursum terminat, illud videlicet innuens, quod justificari et a peccatis salvari, non aliter quam per gratiam vel fidem ejus quis possit. Unde Apostolus tam Judæorum quam gentium peccatis opportune commemoratis, tandem dicit : *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* v). Nunc ipsum litteræ expositionis ordinem ingrediamur. Præmisso, ut jam dictum est : *Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ*, quo dicto, non tantum attentos, verum et attonitos reddere potuisset eos, si haberent aures audiendi, confestim causam ingrediens, sic incipit : *Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum et mendacium, et homicidium et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et volucre cœli* : *sed et pisces maris congregabuntur. Verumtamen unusquisque non judicet et non arguatur vir* : *populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti*, etc. Fere totam hanc sermonis prophetici partem, usque ad id quod ait : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Hic præscribi ratio postularet, nisi festinantis ad expositionem lectoris vitaremus offensam.

Denique arbitramur. Apostolum nusquam certius respexisse aut respicere potuisse, ut ad Romanos scribens, redargutis vehementissime peccatis gentilium, diceret protinus conversus ad Judæum : *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas* : *eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* ii), et cætera. Revera si nosse cupis, quam vere Judæo judicanti gentilem dixerit : *Eadem enim agis quæ judicas* ; mala hæc loco præsenti conscripto de Judæis, confer malis, quæ de gentibus Apostolus commemoravit illic, et luce clarius liquebit, quia mala illorum, et mala istorum, non utique similia, verum eadem sunt. Verba quidem diversa, sed res eadem sunt. Illud breviter prælibandum, quia sicut Apostolus illic ait : *Propter quod tradidit illos Deus*, videlicet gentiles, *in desideria cordis eorum, et in immunditiam* (*Rom.* i), et hoc ipsum traditionis verbum tertio repetivit, dicens : *Propterea tradidit illos Deus in passionibus ignominiæ.* (*ibid.*) Itemque : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conve-*

niunt (*Rom.* I). Ita et hic Judæum fornicantem idem A Deus tertio tradit vel tradi jubet, dum derelinquit et redargui prohibet. Primo namque dicit : *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.* Secundo autem : *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, et sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabunt.* Deinde tertio : *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt.* Sano quippe intellectui non aliud est quod juxta Apostolum Deus gentiles tradidit, quam quod juxta nunc prophetam Judæum virum vetuit argui, non visitare se dixit, dimitti jussit, videlicet secundum desideria cordis sui. Item, quod de gentibus B Apostolus ait, *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio* (*ibid.*), et cætera, hoc idem de Judæis propheta hic enuntiat, brevius tamen, cum dicit : *Maledictum et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Unde miranda et laude digna vere sapientis Apostoli dispensatio, qui in disceptatione Judæorum et gentilium, quæ causa fuit scribendi Epistolam ad Romanos, ut utrosque compesceret, prius gentiles tetigit quam Judæos. Quam ob causam ? Videlicet quia ex ex Judæis quidem omnium gentium contemptoribus totum certamen oriebatur, et reatus eorum major erat, quia legem habentes, legis erant prævaricatores atque idcirco prius ipsi debuerant repercuti, et ostendi C sibimet quales fuerint, sed gentiles ad audiendum patientiores erant. Laudabilis ergo, ut jam dictum est, dispensatio sive discretio redarguentis Apostoli quia redargutionem illorum differens, qui merebantur **29** quidem magis et prius redargui, sed minus erant patientes, prius illos redarguit qui minus quidem damnabiles, sed magis erant patientes. Igitur, ut supra diximus, prolixum sermonis hujus prophetici capitulum causa hic postulabat præscribi et sermoni apostolico conferri, sed nos utrisque summam sic tetigisse contenti, deinceps carptim singula percurramus, paulatimque singula horum qualiter singulis Apostoli dictis consonent intueamur. Ait : *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* Idcirco, inquit, *judicium est domino cum habitatoribus terræ* ; *judicium*, inquam, *et* D *non misericordia*, neque enim *addam ultra misereri domui Israel*, quia *in terra*, id est eisdem habitatoribus terræ, *non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei.* Tria hæc, si bene considerentur, digna sunt ut ubicunque fuerint, cedat judicium et accedat misericordia Dei ; ubicunque autem non fuerunt, misericordia locum non habeat, judiciumque fiat. Ubi namque non est veritas, illic neque confessio peccatorum est : et econverso, ubi confessio peccatorum non est, illic veritas non est. *Si dixerimus*, inquit Apostolus, *quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Ecce autem hic, paucis interjectis, dicitur : *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir : populus enim tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.* Nimirum contradicere sacerdoti, est peccatum defendere ; quia sacerdotis officium est populum de peccato arguere. Igitur sicut in gentibus veritas non erat, ita et in Judæis, sive in illo carnali Israel veritas non fuit aut est. At vero acerbius istam veritatis absentiam in gentibus redarguit Apostolus, cum dicit : *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent ; quia quod notum est Dei, manifestum est illis* (*Rom.* I), et cætera. Ergo ut culpa Judæorum contra veritatem, culpæ gentilium veraciter æquipararetur, quæramus, et mox occurret quomodo et illi veritatem Dei in injustitia detinuerunt. Formatis namque vitulis aureis, dixerunt : *Hi sunt Dei tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*III Reg.* XII). In hac injustitia, tam Hieroboam, quam populus veritatem Dei detinuit atque depressit : non enim ignorabant, sed ignorantiam simulabant, *quia quod notum est Dei, manifestum* erat in *illis*, non tantum, sicut gentilibus, *a creatura mundi*, sed plus quam gentilibus a Scriptura susceptæ legis. Ad summum, quia sciderant sese a domo David, illa veritas non erat in eis, de qua idem dicit : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). Misericordia quoque non est in eis, inquit, et hoc par est ei quod itidem Apostolus de gentilibus picit : *Sine affectione, absque fœdere, sine misericordia* (*Rom.* I). Usque adeo, et isti erant sine misericordia, ut nec etiam jejunantes misereri scirent, sicut sub eisdem temporibus de ipsis dixit et scripsit Isaias : *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie* (*Isa.* LVIII). Ut breviter multa, quæ hinc dici poterant, concludam, cum dicit : *Non est misericordia*, consequitur, quia nec est dilectio sive charitas, non solummodo in proximum, verum etiam in Deum. Qui enim non diligit proximum, nec miseretur proximo, constat, quia nec diligit Deum. Hinc Joannes dicit : *Qui habuerit substantiam mundi hujus, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ?* (*I Joan.* III.) Justum ergo etiam pro hoc judicium Domino ut videlicet quia non diligunt nec ipsi diligantur, quia non miserentur nec ipsi misericordiam consequantur, sicut jam superius, cum dixisset : *Et voca nomen ejus Absque misericordia*, confestim ait : *Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum. Et non est*, ait, *scientia Dei in terra.* Hoc loco, si ad versiculum respicias qui postmodum sequitur : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*, nimirum quod hic de Judæis sive Israeliticis dicit, par est ei, quod de gentilibus itidem

Apostolus ait: *Quia non probaverunt Deum habere in notitia* (*Rom.* I). Hoc de illis dixit, quibus non quidem ex lege promptum erat, Dei notitiam habere, sed nihilominus poterat illis notum esse; imo nec ipsam ejus notitiam non poterant non habere. *Deus enim*, inquit, *illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles* (*ibid*.). Quanto magis de Judæis idem dici convenit, quibus non tantum a creatura mundi, verum ex lege scripta propositam constat fuisse scientiam sive notitiam Dei? Porro de verbo, quo ait, quodque jam ex parte commemoratum est: *Quia tu scientiam repulisti*, postmodum suo loco plenius dicendum erit. Sequitur: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Sine dubio et hoc illi par est, quod de gentilibus ibidem loquens Apostolus: *Repletos*, ait, *omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos.* Nam quod sequitur, *sine affectione, absque fœdere, sine misericordia*, idem est, ut jam ante diximus, quod hic præmissum est. *Non est enim veritas, non est misericordia.* Quod ille gentiles talibus repletos ait, hoc idem iste de Judæis sufficienter exprimit verbo inundationis, dicendo: *Inundaverunt*; quod nimirum non mediocritatis, sed plenitudinis est verbum. Idcirco hæc dicimus, et idcirco hujus prophetici et illius apostolici loci collationem facimus et facturi sumus, ut memoriam non excidat, quod, sicut jam ante diximus, rectissime Apostolus enumeratis gentilium vitiis, conversus ad hominem Judæum: *Inexcusabilis es*, inquit, *qui judicas, eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II). Cætera, cum per se satis pateant, de hoc uno quod ait: *Et sanguis sanguinem tetigit*, quæritur, quid sit. Nam recte quidem intelligitur ac si dictum esset: Peccatum peccato superadditum vel appositum est, quia solet sanguinis nomine peccatum designari, ut illic: *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ* (*Psal.* L), sed hoc sensu nihil aliud dixisse videtur quam præcedentia sonuerunt. Dicendo namque: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt*; quid aliud sonat, quam peccatum peccato superadditum? Ergo cum dicit: *Et sanguis sanguinem tetigit*, videtur consanguinitas culpari, quia contra legem Dei est, dicentis: *Omnis homo, ad proximam sanguinis sui non accedat* (*Levit.* XVIII), Talibus ac tantis præmissis malis: *Propter hoc*, inquit, *lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, et volucre cœli, sed et pisces maris congregabuntur.* Sensus iste est: Quia mala hæc quæ prædixi inundaverunt; terra ipsa quæ non peccavit aut peccare potuit, utpote res inanimata, vindictæ participationem sustinebit; **30** *et lugebit*,

A id est delectabilis species ejus non erit, versis in contrarium sive intemperiem elementorum naturis, et deficientibus pariter cum hominibus his quæ ad usum creata sunt hominis, scilicet bestiis agri, et volucribus cœli, et piscibus maris. *Congregabuntur*, ait, *pisces maris*, id est, simul adducentur ut ipsi quoque partem sustineant, vindictæ pro peccato hominis, et diminuatur copia bonorum omnium non solum in agris, verum etiam aquis. Sequitur: *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir.* Miro modo qui sic peccata punit, peccantes vetat judicari, prohibet argui. Cur ita velit, continuo causam subjungit: *Populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.* Hic meminisse oportet illius versiculi: *Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* IX).

B Quis peccator, vel quando exacerbavit Dominum? Nimirum ille peccator, qui, *cum venerit in profundum* malorum, *contemnit* (*Prov.* XVIII), tunc exacerbat Dominum, quando peccatis suis rebellionem addit et opera sua defendit, sicque, (ut alibi scriptum est), *currit adversus Dominum extento collo, et pingui cervice armatus est* (*Job.* XV). Istud, sive peccata istius, *secundum multitudinem*, inquit, *iræ suæ non quæret*, id est, nequaquam in virga iniquitates ejus, neque in verberibus peccata ejus visitabit; sed tacebit nunc, locuturus tempore alio. Dicet enim: *Hæc fecisti, et tacui* (*Psal.* XLIX). Igitur, cum dicit: *Unusquisque non judicet, et non arguatur vir: populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti*, magnam nimis iram intendit; quia *secundum*

C *multitudinem iræ suæ non quæret*, non judicat, non arguit, ut auferat misericordiam suam ab eis, sicut in initio dixerat: *Quia non addam ultra misereri domui Israel.* Item: *Quia vos non populus meus, et ego non ero Deus vester.* Quid enim est, quod ait: *Populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti*, nisi ac si diceret: quia rebelles sunt et in superbiam elati, peccata sua defendunt? Sacerdotis namque officium est, ut jam ante prælibavimus, populum vice Dei de peccatis arguere. Qui ergo sacerdoti contradicunt, secundum exemplum Adæ qui Deo contradixit, dum peccatum suum defendit atque idcirco sicut ille de paradiso, sic iste, quicunque est, a Dei regno et ab Ecclesia præsenti pellitur, ut hic idem populus in Assyrios. Hic dictis confestim

D ad ipsum populum apostropham facit et dicit: *Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum.* Me non judicante, me non arguente, pro eo quod sis, o popule, *sicut hi, qui contradicunt sacerdoti, corrues hodie*, subauditur iniquitate; quæ ruina hodie fit, sive hodierna est, videlicet ad distinctionem sequentis ruinæ, qua rues post hæc in pœnam gehennæ, qui hodie ruis in foveam culpæ. *Ruet etiam propheta tecum*; subauditur cæcus, qui tibi cæco ducatum præbet, quia pseudopropheta est. Quales nimirum prophetæ Baal exstiterunt CCCL viri, qui ruinæ primitias perpessi sunt, quando Helias pro Domino zelatus, illos occidit (*III Reg.* XVIII). Itaque, te ruente

hodie, quia cæcus est, *ruet etiam propheta tecum,* A nihilominus cæcus. *Nunquid enim potest cæcus cæco ducatum præbere? Nonne ambo in foveam cadent?* (*Matth.* XI.) Nam de ipsa cæcitate mox sequitur: *Nocte tacere feci matrem tuam.* Quid enim de nocte dicit, nisi de ignorantiæ tenebris? Denique et continuo subjungit, exprimens noctem illam: *Continuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam.* Quod autem eadem inscitiæ nox voluntaria fuerit, quod illas ignorantiæ tenebras sponte admiserit, nolendo *intelligere ut bene egeret* (*Psal.* XXXV), sequens versiculus testis est: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Quod si adhuc quæritur ubi vel quando, quid dicendo, quid agendo, populus ille scientiam Dei repulerit? Ecce in libro Regum scriptum est: Pro loquente Hieroboam, *omnis multitudo Israel,* cum dixisset ad Roboam filium Salomonis: B *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis,* et cætera, repente conclamavit: *Quæ nobis pars in David, vel quæ nobis hæreditas in filio Isai? Redi in tabernacula tua, Israel. Nunc vide domum tuam, David. Recessitque Israel a domo David* (*III Reg.* XII). Nimirum sic recedendo, scientiam repulit, scire nolens, attendere contemnens quod scientia et salus esset ex domo David, cui juraverat Dominus, dicens: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). Repellendo ergo David, nonne illum in quo vera scientia est, fructum ventris ejus repulit? *Excogitato* namque *consilio, Hieroboam fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite ultra ascendere in Hierusalem. Ecce dii tui, Israel qui eduxerunt te de terra Ægypti.* C Igitur ista nox, ista scientiæ repulsio de qua culpatur populus hic, par illi est, quod loco sæpe dicto Apostolus de gentibus ait: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et immutaverunt gloriam suam in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* (*Rom.* I). Nonne faciendo vitulos et colendo illos, immutaverunt gloriam suam Hieroboam et omnis Israel in similitudines ejusmodi, præsertim cum de alio quoque tempore Psalmista dixerit contra eumdem populum, non utique gentium, sed Judæorum: *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum* (*Psal.* CV). Vere ergo istorum quo- D que *obscuratum est insipiens cor,* non minus quam gentilium et ipsa cordis obscuratio, nox est de qua nunc dicit: *Nocte tacere feci matrem tuam.* Matrem sane populi dicit, magistram ejus Synagogam. Hæc nimirum nocte tacere compellitur, dum propter insipientis et obscurati cordis tenebrosam ignorantiam, docendi auctoritas sive locus ille aufertur. Tacente autem matre quæ docebat, necessario conticuerunt, id est simul tacuerunt et filii qui docebantur. Confestim ergo conversus ad eos, qui mirarentur tinnientibus utrisque auribus, et dicerent: *Quare sic fecit Dominus terræ huic, et populo huic?* (*III Reg.* IX.) *Idcirco, ait, conticuit populus meus, quia non habuit,* imo habere noluit *scientiam.* In quo continuit? In eo videlicet quod celebrare vel celebris esse desiit, quia festivitates ejus, Sabbata ejus, neomenias sive Kalendas ejus, et omnia festa temporalia ejus ego projeci. Satius namque mihi est ut in captivitatem ducti conticescant, quam ut sub nomine meo coram vitulis suis tripudient, et cantando subsiliant. Dicoque populo huic: *Aufer a me tumultum carminum tuorum* (*Amos* V); descende, et tace in terram captivitatis, in terram Assyriorum. Quod si adhuc murmurat, et dicit: *Quare sic factum est mihi?* dico illi: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Itaque sacerdotio nequaquam fungi et conticescere, paria sunt; quia videlicet sicut in functione sacerdotii pollet eloquii libertas, sic econtra in defunctione vel depositione sacerdotii cadit loquendi auctoritas. Sequitur: *Et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego.* Oblivio pro contemptu ponitur hic, quemadmodum et illic, cum dixisset Psalmista: *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum* (*Psal.* CV), continuo subjungit: *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos* (*ibid.*).

31 Causa namque similis, imo eadem vel major præcesserat, ut diceret hic: *Et oblita es legis Dei tui,* quia videlicet tunc unum in deserto fecerat vitulum, nunc autem duos, *alterumque eorum in Dan, et alterum posuerunt in Bethel* (*III Reg.* XII). Loquitur autem conversus ad illam, de qua dixerat: *Nocte feci tacere matrem tuam,* videlicet matrem populi Synagogam, sive sacerdotum aut seniorum cœtum, de quorum regimine vel magisterio populares pendebant. *Oblita ergo es legis,* id est contempsisti legem Dei tui: par pari refero, quia obliviscar filiorum tuorum, id est contemnam filios tuos et ego, quemadmodum et superius dixit, *quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.* His dictis ad illam matrem, id est sacerdotum et magistrorum turbam sive multitudinem, rursus ad auditores convertitur, et de eisdem taliter conquerendo loquitur: *Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos; et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. Secundum multitudinem,* inquit. Quidquid extra rationem numerumque vel ordinem legitimum effluit vel supercrescit, recte multitudo sive multiplicitas vocari debet. Constat autem, quia diebus illis turba sacerdotum ultra statutum sanctæ legis ordinem terminumque excreverat. Scriptum est enim: *Et fecit Hieroboam fana in excelsis, et sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filii Levi* (*III Reg.* XII). Item et alibi scriptum est: Quia *quicunque volebat implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum* (*III Reg.* XIII). Ita multiplicati sacerdotes fuerant, utpote indifferenter assumpti de cunctis tribubus. Rex ille, ut putabat, sapienter sibi providerat,

A qui ut sacerdotum multitudinem haberet, sacerdotes sibi de extremis populi fecerat. Tales quippe, quanto in plebe viliores, tanto ad honorem illum promptiores. Et gavisi sunt sese officio supergredi populum, qui conditione extrema latebant intra vel infra populum. Ait ergo: *Secundum multitudinem eorum, sic peccaverunt mihi,* id est quanto plures sunt vel fuerunt, tanto magis populum ut in me peccaret, deceperunt. Econtra quid ego? *Gloriam,* inquit, *eorum in ignominiam commutabo.* Et est sensus: Quoniam ipsi gloriam suam et olim *in similitudinem vituli comedentis fenum* (*Psal.* CV), et nunc in similitudinem vitulorum comedentium fenum commutaverunt, eveniet illis ut sint ejusmodi, de quibus recte dicatur: *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* (*Philip.* III). In quo B enim judicantur isti ventrem suum habere Deum? Videlicet in eo quod sequitur: *Peccata populi mei comedent.* Nimirum sacerdotes de extremis populi, ut jam dictum est, assumpti, conditionem sive paupertatem pristinam superare certabant, et qui illos constituerat Hieroboam, veram sanctæ legis imitationem se fecisse simulabat. Nam quia præceperat lex, ut filii Levi possessiones proprias non habentes, decimas et oblationes a populo susciperent, et inde sumptus haberent, hic de extremis populi sacerdotes fecerat ut tot decimas atque oblationes accepturi, quanto fuerant extremi, tanto magis avidi ad colendum mendacium, populumque decipiendum sese accingerent (*Num.* XVIII). *Peccata* ergo, inquit, *populi mei comedent,* id est sicut cœperunt, quoad C poterunt, comedere non desinent. Peccata namque populi comedebant qui pro hoc solum, ut ipsi decimas atque oblationes caperent, populum in peccatis et in mendacio detinebant, per omnia æque, ut gentiles illa Apostoli sententia digni, quam loco sæpe dicto taliter emittit: *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis* (*Rom.* I). Neque enim ignorabant sacerdotes ejusmodi nihil veri esse in vitulis illis aureis; sed veritatem detinebant, veritatem in corde abscondebant, et mendacium prædicabant labiis, dicentes: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*III Reg.* XII). Faciebant hoc nebulones et D gulæ propriæ servi, ut peccata populi comederent, qui cum essent de extremis populi non tantum haberent ad comedendum, nisi populus peccaret, nisi vitulos pro Deo colens, ipsos pro sacerdotibus levitici generis honoraret, dando et offerendo quod ventribus eorum sufficeret. Illi accipientes, dantem beatificabant; et revera morientes, id est ad mortem peccantes, quasi de vita securos reddebant. Unde cum dixisset: *Peccata populi mei comedent,* continuo subjunxit: *Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.* Iniquitas quippe illorum erat discessio a domo David, et a templo Domini, et aureorum cultus vitulorum. Ad hanc nimirum iniquitatem sublevabant animas eorum, confortantes eos dictis mendacibus, ut in vitulis illis tanquam in Deo confiderent, nihil metuerent tanquam minorem habentes in auro illo divinitatem, eo quod vituli pulchri formati essent, et festivitates opulentas apud illos sæpe celebrarent. De ignominia, quam dicit: *Et gloriam eorum in ignominiam commutabo,* postmodum latius edisserit. Nam interposito: *Et erit sicut populus, sic sacerdos; et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei,* continuo subjungit: *Et comedent, et non saturabuntur; fornicati sunt, et non cessaverunt, quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Fornicatio, et vinum, et ebrietas aufert cor. Populus meus in ligno suo interrogavit et baculus ejus annuntiavit ei. Spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama, et subtus quercum, populum et terebinthum, et quia bona erat umbra ejus. Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras, cum adulteraverint; quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effeminatis sacrificabant, et populus non intelligens vapulabit, si fornicaris tu, Israel, non derelinquat* [al. *delinquat*] *saltem Juda. Nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus. Quoniam sicut vacca lasciviens, declinavit Israel. Nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt. Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus. Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis.* Totus hic locus illi de Apostolo similis est sensu et ordine, ab eo quod ait: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis,* usque ad illud: *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte* (*Rom.* I). Et notandum illud maxime quod, sicut Apostolus, cum tertio dicat de gentibus, *tradidit illos Deus,* secundo vel medio loco ignominiam illorum magis expressit, dicendo: *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt* **32** *in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes* (*ibid.*) Ita et hic in isto habes de Judæis. Cum enim primo dixisset: *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir* et nunc secundo dicat: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Tertio quoque *particeps idolorum Ephraim, dimitte eum, fornicatione fornicati sunt.* Quod idem est ac si dicat: Tradam, vel trado eum, quo verbo Apostolus usus est, scilicet in passionem ignominiæ, in medio judicii sive judicationis hujus loco, turpem tam feminarum quam masculorum magis exprimit causam. Ait enim primum de feminis: *Ideo fornicabun-*

A *tur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras, cum adulteraverint.* Statimque de masculis subjungit: *Quoniam et ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effeminatos sacrificabant.* Nunc ad ordinem revertamur. Dixerat: *Peccata populi mei comedent*, judicium commune tam populo quam sacerdotibus comminatus fuerat dicendo: *Et erit sicut populus, sic sacerdos;* moxque comestionis, imo voracitatis nimietatem culpans: *Et comedent*, inquit, *et non saturabuntur.* Statimque subjungit: *Fornicati sunt, et non cessaverunt.* Duo mala principalia, scilicet avaritiam et luxuriam breviter expressit, quam insatiabilia sint. Avaritia quippe, cum semel animum occupaverit, nihil satis est. Ait ergo: *Comedent et non saturabuntur*, id est accipient a populo sacerdotes, qui de extremis populi constituti sunt, et acceptis, quamvis plurima sint, contenti non erunt. Item luxuria cum hominem imbuerit, *nunquam dicit*: *Sufficit* (*Prov.* XXX); et licet ad horam exstinguatur sitis ejus, statim exardescit. Ait ergo: *Fornicati sunt et non cessaverunt*: nam et usque ad decrepitam senectutem in cœno libidinis computruerunt, juxta illud: *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I), id est vitam finierunt bruti et immundi homines in peccato suo. Cur hoc? quare fornicari non cessaverunt, aut cessare potuerunt? Ait: *Quoniam Dominum dereliquerunt.* In quo? *In non custodiendo*, id est in eo quod se non custodierunt. Potuerant enim se custodire, liberum habendo arbitrium, simulque Dei quærendo auxilium. Hoc non fecerunt, sed legitimum dereliquerunt Dominum, et sponte tyranno mortis, id est peccato sese subdiderunt. Est autem jus, ut suis quique servi tradantur dominis. Ergo et peccato debuerunt tradi, tanquam domino suo, *quia omnis, qui facie peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Itaque, quemadmodum sæpedictus Apostolus de gentilibus dicit: *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et creaturæ potius quam Creatori servierunt*; ita et de istis dicendum, quia Domino suo spiritui fornicationis traditi sunt ut fornicarentur, et non cessarent, quia Dominum dereliquerunt. *Fornicatio*, inquit, *et vinum, et ebrietas, aufert cor. Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculos ejus annuntiavit ei: spiritus enim fornicationis decepit eos.* Vide quo fornicationis cæcus impetus perduxerit eos? Gentiles, quibus istos in peccato per omnia conferimus, immutaverunt gloriam incorruptibiliis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Populus autem meus lignum suum, baculum suum, pro Deo sibi posuit. Quo ergo iste gentili melior, qui gentilem judicat? Et vide quam rationabiliter, dicturus tantæ amentiæ nimietatem, præmisit: *Fornicatio, et vinum, et ebrietas aufert cor*, ut videlicet inexcusabilis sit in eo quod amisit cor, in tantum ut baculum suum poneret sibi pro Deo. Non enim casu aut fatali necessitate cor suum perdidit ut in tantam deveniret amentiam; sed fornicando, bibendo vinum, et inebriando se vim rationis obruit, ut veri Dei et baculi sui non agnosceret distantiam. Et vere digna et justa peccati exaggeratio, cum dicit: *In ligno suo, et baculus ejus annuntiavit ei*, quia videlicet de eodem ligno et Deum, et baculum sibi fecit ut sit sensus similis illi, quo et Isaias idololatriæ stultitiam declamat in his verbis: *Sumpsit ex eis videlicet lignis saltus, et calefactus est, et suscendit, et coxit panes. De reliquo autem operatus est Deum, et adoravit, fecit sculptile, et curvatus est ante illud.* B *Medium ejus combussit igni, et de medio ejus carnes comedit. Coxit pulmentum, et saturatus est, et calefactus est, et dixit: Vah, calefactus sum, vidi focum. Reliquum autem ejus Deum fecit, et sculptile sibi: Cor insipiens adoravit illud* (*Isa.* XLIV). Præterea est hic intelligendum genus quoddam divinationis, de quo proprie dictum sit: *Et baculus ejus annuntiavit ei*, quod Græci ut ait B. Hieronymus, rabdomitiam vocant. Unde et in Ezechiele legimus, quod virgas suas miscuerit Nabuchodonosor contra Ammon et Hierusalem, et exierit virga contra Hierusalem. Et unde tanta amentia populo quondam meo? *Spiritus enim*, ait, *fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo.* Quo uno brevi versiculo, utraque scilicet, tam corporalis quam spiritualis comprehenditur fornicatio, C quia videlicet et spiritualiter fornicati sunt idololatriam sectando, et corporaliter fornicati sunt contumeliis corpora sua in semetipsis afficiendo. De spirituali fornicatione protinus dici: *Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama. Subter quercum et populum et terebinthum, quia bona erat umbra ejus.* Hæc erat spiritualis fornicatio, de qua dixit: *Et fornicati sunt a Deo suo.* Et notanda secundum verba hæc, vaga licentia, sive licentiosa fornicationis hujusce vagatio. Non dixit: In angulis aut in cubiculis *sacrificabant*; sed: *Super capita*, inquit, *montium, super colles* foris sub dio, in publico *subter quercum*, subter *populum*, non propter metum alicujus necesse haberent subtegi saltem ramis et frondibus, D sed *quia bona erat umbra ejus.* Fornicationis hujus pœna est corporalis fornicatio, sicut Apostolus de gentilibus ait: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam* (*Rom.* I); et de ista continuo sequitur: *Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras, cum fornicatæ fuerint, et super sponsas vestras, cum adulteraverint.* Sicut Apostolus ait: *Propterea tradidit. et feminæ eorum immutaverunt naturalem usum*, ita et hic alia quidem, sed æqui pollente conjunctione usus. *Ideo* inquit, *fornicabuntur filiæ vestræ.*

Et ille dicendo, tradidit; et hic dicendo: *Non visitabo cum fornicatæ fuerint*, uterque justum insinuat judicium Dei, dum in corporali fornicatione derelinquit, et sordidari permittit extra omnem dignitatem rationis eos, qui a Deo fornicati sunt fornicatione spirituali. Item, quemadmodum illic continuo Apostolus subjungit: *Similiter et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes* (*Rom.* I). Ita et hic protinus ait: *Quoniam et ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effeminatis sacrificabant* (*ibid.*). Quod idem est ac si diceret: Et cum feminis et **33** cum masculis passivam libidinis nequitiam masculi perpetrantes, diabolo semetipsos sacrificabant, diabolo corporum suorum templa dedicabant. Effeminati namque dicuntur masculi femineo more peccato subditi, juxta illud: *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, morte moriatur* (*Levit.* XX). Item, sicut illic Apostolus ait de gentilibus: *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non cognoverunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte* (*Rom.* I). Ita et hic continuo de istis subjungit: *Et populus non intelligens, vapulabit.* Quod hic dicit, non intelligentem esse populum, qui utique legem accepit, et ille gentiles non intellexisse ait, quos utique justitiam Dei cognovisse præmisit, non excusatio est simplicium ignorantium et errantium, sed accusatio est contemptus, sciro recusantium, intelligere nolentium, sicut ait Psalmus de illo qui ejusmodi est, *noluit intelligere, ut bene ageret* (*Psal.* XXXV). Interea non prætereunda elocutionis cautela, quomodo impatientium offensionem, quod potest, propheta subterfugiat, præsens vitando tempus, et alia ponendo tempora, nunc quidem futurum, nunc autem præteritum. Non enim ait præsenti tempore: Ideo fornicantur, sed *ideo*, inquit, *fornicabuntur filiæ vestræ*. Item non ait: Quoniam et ipsi cum meretricibus conversantur, et cum effeminatis sacrificant; sed: *Conversabantur*, inquit, *et sacrificabant*, non ad ipsos in faciem, sed quasi de aliis ad ipsos loquens per apostropham repentinam, ut amarissimam rem atque asperrimam, modus dictionis utcunque mitiget invectionem, et nihilominus totam expediat veritatem. Quid porro est quod inter verba, quæ loquitur super Israel, id est decem tribus, repente convertitur et dicit: *Si fornicaris tu, Israel, non derelinquat saltem Juda*; quid nisi fornicationis ejusdem, imo fornicationum earumdem scelera in Judam inundasse innuit, sicut Scriptura utique tam prophetica, quam evangelica palam testis est? *Joram quippe filius Josaphat, regis Juda, ambulavit in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab: filia enim Achab erat uxor ejus, et fecit quod malum est coram Domino* (*IV Reg.* VIII). Plena exinde malis historia regum Juda exitur, ita et Isaiæ quoque sub eisdem regibus visionem proloquens, et super Judam et Hierusalem exclamet et dicat: *Audite Verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ* (*Isa.* I). Et ne aliquid minus Judam quam Israel fornicatum fuisse putes, loquitur Deus in Ezechiele: *Fornicata est Oolla super me, insanivit super amatores suos in Assyrios appropinquantes* (*Ezech.* XXIII), etc. Post quæ continuo subjungit: *Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plusquam illa insanivit libidine, et fornicationem super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter* (*ibid.*). Hanc videlicet Oolibam Judam esse sive Hierusalem notum est. Nam nomine, inquit, Samaria Oolla, et Hierusalem Ooliba. Cum igitur dicit: *Si fornicaris, Israel, non delinquat saltem Juda*, magna intelligi debet prophetæ admiratio, quod Israel semel cœptis fornicationibus cum vitulis aureis, non solum non rediit ad castitatem cum templo Domini et domo David, unde sese absciderat, verum etiam in illis fornicationibus perseverans, Judam sive Hierusalem sibimet consimilem effecit, atque ita, sicut Apostolus quoque meminit, *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Rom.* III), etc. Et ne de fornicationibus quoque filiarum sive feminarum Juda minus quid æstimes, illud vel maxime pro testimonio est, quod historia libri Regnum refert: *Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus; et abstulit effeminatos de terra, purgavitque omnes sordes idolorum quæ fecerant patres ejus; insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in loco ejus quem consecraverat, subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron* (*III. Reg.* XV), ubi talis erat regina, quales fuisset putas cæteras? Protinus ad utramque, scilicet in Hierusalem et Judam dicit: *Et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis: in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus, quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel, nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.* Quasi oblitus, quod dixerat: *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir: populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.* Nunc iterum judicat, et arguit dicendo: *Et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven:* Bethaven namque ipsa est quæ prius dicebatur Bethel, ex eo vocate Bethaven, id est domus idoli quod unus ex vitulis aureis illic positus fuerat a Hieroboam; sed et Galgala locus idololatriæ fuerat antiquior, sicut Scriptura testis est, memoriale viri fortis hortis hoc modo prædicans: *Cumque obtulisset Aod regi Eglon munera prosecutus est socios, qui cum eo venerant, et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te, o rex* (*Judic.* III,) Item post pauca: *Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, et pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat* (*ibid.*). Nimirum semel et iterum dicendo illum reversum esse de loco idolorum, sive de Galgalis, ubi erant idola, reversionem ejus ad Deum pulchre significat, et idcirco dignum fuisse, quem suscitaret Dominus Salvatorem, clamantibus ad se filiis Israel, quia jam a peccatis eorum recesserat (*ibid.*). Sed et

illud non ignorandum, quia Saul contra voluntatem A Domini rex petitus, in Galgalis unctus est (*I Reg.* xi. Cum ergo dicit: *Et nolite ingredi in Galgala, neque ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus*, superbiæ simul et idololatriæ atque perjurii peccata præsenti loco arguit, sicut jam diximus, pene oblitus esse videtur, quod populum eumdem ut contradictorem paulo ante judicari et argui prohibuit. Idcirco valde notandum quod cum quasi renuntiando faciens apostropham dixisset: *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel, nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine*, continuo ipse qui supradixit: *Verumtamen unusquisque non judicet, et arguatur vir*, sententiam confirmat, judiciumque derelinquendi, cum dicit: *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum.* Idem enim est B ac si dicat: Nonne, o propheta, dixeram tibi: *Unusquisque non judicet, et non arguatur, populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti*? Ut quid ergo iterum arguis sive astruere vis, dicendo: *Nolite ingredi in Galgala*, etc., et sermonem effundis, ubi non est auditus? *Dimitte eum*, noli judicare eum, noli arguere eum, quia *particeps idolorum* est, et particeps dæmoniorum, peccando non per ignorantiam, sed per superbiam atque contemptum. Idcirco *dimitte eum*, trade vel traditum relinque illum in reprobum sensum, ut faciat Ephraim ea quæ non conveniunt, ut habeant passiones ignominiæ, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, quoniam fornicationes suas diligunt atque defendunt (*Rom.* i). Nam hoc est quod sequitur: C *Separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt, dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.* Separatum namque convivium, sacrificia dicit dæmoniorum, quibus consequenter commiscetur confusio libidinum, juxta illud: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* xxxii).

34 Propterea *dimitte eum, quoniam* sic faciendo, ut tu quoque testaris, *sicut vacca lasciviens declinavit Israel*, videlicet jugum legis abjiciens, sacerdoti contradicens; sane quod Propheta ait: *Nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine*, præsentem, quam in hoc quoque sæculo mox recepturus erat Israel, significat ultionem. Idem namque est ac si dicat: In præsenti tempore, dum spiritus hos regit artus, me scilicet vivente, *pascet eos Dominus in latitudine quasi agnum*, id est, adducentur ab Assy- D riis in captivitatem, et ibi in captivitatem latitudinis terræ dispergentur, ibique multo tempore morabuntur. Agnus namque hoc loco non simplicitatem commendat, sed utilitatem insinuat, ut illic: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos* (*Psal.* xlviii). Itaque jam tertio judicavit populum contradictorem derelinqui, prius dicendo: *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir.* Et deinde: *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras, cum adulteraverint.* Et nunc dicendo. *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum* Jam ante diximus Apostolum loquentem de gentibus itidem secundum hunc sensum tertio dixisse: *Tradidit illos Deus*, videlicet *in desideria cordis eorum in immunditiam, in passiones ignominiæ, in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt* (*Rom.* i). Ac perinde tradi hoc esse dimitti vel non argui, eo quod contradicentes sint. Ad hæc et illud solerter intuendum, quia quam Apostolus in gentibus denotavit superbiam, cujus pœna esset passiva turpitudo libidinis, dicendo: *Sed evanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt* (*ibid.*). Eamdem et hic denotat in Judæis sive Israelitis, dicendo. *Ligavit eum spiritus in alis suis.* Per alas quippe superbia sive mentis elatio designatur, propter quam dæmones quoque interdum in Scripturis per volucres intelliguntur, ut illic: *Et aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud* (*Marc.* iv). *Spiritus* ergo utique fornicationis, ut supra dixit, spiritus enim fornicationis decepit eos, ipse *ligavit eum in alis suis*, id est, idcirco comprehendit eum, et passionibus ignominiæ subdidit, quia per superbiam sese extulit, et evanuit in cogitationibus suis. Illo spiritu ligante, *confundetur*, ait, videlicet confusione passionum ignominiæ, in operatione turpitudinis, et hoc *a sacrificiis suis*, id est, idcirco quia Deum vivum et verum dereliquit, et dæmonibus sacrificavit in vitulis aureis, et in Baal cæterisque deorum portentis. Confusionem istam mors consequitur, de qua idem Apostolus loco sæpe dicto loquitur: *Qui, cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* i). Igitur ubi Apostolus immunditias, sive contumelias et passiones ignominiæ, quas gentiles operati sunt, commemoravit, ex isto maxime Propheta manifestum atque probabile est quam vere, quam constanter, conversus ad Judæum gentiles judicantem atque despicientem dixerit, ut supra jam meminimus: *Propter quod inexcusabilis es, o homo, omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* ii) Sequitur ibidem protinus: *Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt* (*ibid.*). Quid aliud propheta hic præsenti loco subjungit? Ait enim:

Cap. V. — *Audite hoc sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate, quia vobis judicium est. Vobis*, inquit, *judicium est*, subauditur, ut Apostolus ait, secundum veritatem, id est absque distinctione personarum. Nam idcirco et sacerdotes et domum Israel, id est populum et domum regis, id est principes, ad audiendum et attendendum atque auscultandum invitavit, quia cum omnibus ita dirigitur veritas judicii, ut neque sacerdotalibus canis, neque popularibus sive adolescentulæ ætati, neque principum soliis parcat aut reverentiam exhibeat severitas judicantis. Eadem considerata veritate judicii, nullam Apostolus distinctionem vult habere Judæi et Græci. *Omnes enim*, inquit, *peccaverunt, et*

egent gratia Dei (*Rom.* III). Verumtamen in sacerdotes sicut majus peccatum, ita et majus redundat judicium, idcirco præ cæteris in eos invehitur districtio sermonis prophetici, cum protinus subjungit: *Quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor, et victimas declinastis in profundum.* His namque verbis magnitudinem peccati illorum describit, quia sicut laqueis et retibus in saltibus et in montibus capiuntur feræ ac volucres, ita popularem stultitiam fabellis et doctrinæ similibus versutiis glutinabant sacerdotes, ne recordarentur domus David et templi Domini, quod erat in Hierosolymis, sed vitulis regis aureis, cæterisque servirent simulacris, non tantum verbis agendo, ne ire vellent, verumetiam speculando et insidias ponendo, ne aliqui volentes ire valerent. Hoc est quod ait: *Quoniam laqueus facti estis speculationi.* Thabor autem mons est situs in campestribus Galilææ, rotundus atque sublimis, quem hic pro quovis monte ponit. Quia videlicet sicut in monte saltuoso laquei, vel retia tenduntur, vel expanduntur ad capiendum, ita subdola illorum consilia tendebantur, et effectum habebant ad decipiendum. Quod autem ait: *Et victimas declinastis in profundum*, vehementer brutam redarguit talium dolositatem sacerdotum, quia cum deberent victimas sublevare in cœlum serviendo et sacrificando Creatori, dimiserunt eas in profundum inferni, serviendo et sacrificando creaturæ auri et argenti, quorum fulgor oculos intuentium decepit, quia corda cupiditate corripit. Adhuc, ne se de ignorantia excusent, sententiam infert maximam, maximeque valentem. *Et ego*, inquit, *eruditor omnium eorum.* Omnes enim erudierat, omnibus in lege sua prædixerat: *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, in quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra non adorabis neque coles ea* (*Exod.* XX). Ergo cum dicit: *Ego eruditor omnium eorum*, idem est ac si dicat: Excusationem non habentes de peccatis suis, quia legem ego publicam dedi omnibus, ne similitudinem sibi facerent vitulorum, imo nec aliquorum ex omnibus quæ in cœlo, et quæ in terra, et quæ in mari sunt. His omnibus jam dictis continuo quasi propheta quærat cur dixerit: *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum*, causam hujusce dimissionis reddit, et dicit: *Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me, quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel. Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.* Idcirco, ait, ego dico: *Dimitte eum*, qui scio cogitationes eorum, *quod non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum.*

Sciendum hoc, et in bonitate de Domino sentiendum, quod neminem dimittat sive tradat, quo verbo, ut sæpe jam dictum est, utitur Apostolus, nisi quem esse perspicit incorrigibilem, quia videlicet, ut idem Apostolus ait, *Vult omnes*

A *homines salvos fieri* (*I Tim.* II), si ipsi velint; sed forte hic objicit quisquam: Sodomitas, Tyrios **35** atque Sidonios, scivit pœnitentiam posse agere, et tamen dimisit eos. Ait enim ipse: *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone essent factæ virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Et tu Capharnaum*, inquit, *nunquid usque in cœlum exaltaberis? Usque in infernum descendes. Quia si in Sodoma factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem* (*Matth.* IX). Quid igitur ad hæc dicendum? Quare Tyrios, Sidonios atque Sodomitas dimisit, et suas in illis virtutes non fecit, si per virtutes factas poterant revocari et dare cogitationes suas ut reverterentur ad Dominum? Nunquid idcirco quia salvos illos noluit fieri,
B *qui*, ut ait Apostolus, *vult omnes homines salvos fieri?* (*I Tim.* II.) An, quod verius est, et pœnitentiam in cilicio et cinere agere potuissent, et tamen non dare cogitationes suas ut reverterentur ad Dominum? Diligenter namque animadvertendum est, quia non paria vel æquipollentia sunt hæc, pœnitentiam agere et reverti ad Dominum. Alioquin Achab regem Israel impium fatebimur reversum fuisse ad Dominum, quia pœnitentiam egit pro sanguine Naboth quem occidit, quia dicenti sibi Elia in sermone Domini: *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent et tuum sanguinem, scidit vestem suam, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco* (*III Reg.* XXI). Num iste cogitationes suas dedit ut reverteretur ad Dominum? Non
C utique quia et si pro sanguine Naboth pœnitentiam egit, non tamen a peccatis Hieroboam, id est vitulis aureis recessit, imo et Baal, quem Jezabel induxerat, colere non desiit. Egit namque pœnitentiam, non ut æternum Dei regnum consequeretur, sed ne temporali regno Samariæ privaretur, recepit mercedem suam, mercedem pœnitentiæ, qualem quærebat, ut vivens regno non careret, dicente Domino ad Eliam: *Quia igitur humiliatus est mei causa non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus* (*ibid.*). Sic nimirum Sodomitæ, sic Tyrii et Sidonii, *si factæ fuissent in illis virtutes, pœnitentiam quidem egissent* (*Luc.* X); verumtamen non in ea intentione vel fide, ut ad invi-
D sibile regnum Dei pervenirent, sed ut in isto visibili sæculo sicut cæteræ civitate permanerent, et in sua parte florerent. Itaque sciebat quidem Dominus, quod pœnitentiam agerent, si virtutes in illis factæ essent; sed nihilominus sciebat quod cogitationes suas non darent ut reverterentur ad Dominum, atque idcirco dum hæc de illis dicit: *Olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*ibid.*), non consequitur quod illos salvos fieri noluerit, sed quod de tali illorum pœnitentia non curaverit, quæ non fieret propter Deum regnumque futurum, sed propter præsentem statum. Igitur quod de isto dicit: *Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me; quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel. Non da-*

bunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum. Propter quod et dixerat, *dimitte eum*, sive *unusquisque non judicet et non arguatur vir.* Hoc ipsum de omni homine sentiendum est, tam Judæo quam Græco quemcunque Deus dereliquit videlicet quod ipse sciat unumquemque non solum qualis nunc sit, verum etiam qualiter in malo perseveraturus sit, nec daturus cogitationes suas ut revertatur ad Dominum, atque idcirco derelinquit vel dimittit eum. *Quia nunc*, inquit, *fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel.* Hoc scio de præsenti sive de præterito, et nihilominus scio, nec absconditum est a me de futuro, quia *non dabunt cogitationes suas ut revertantur*, sed incorrigibiles permanebunt. Ephraim Hieroboam dicitur, qui de tribu fuit Ephraim. Israel autem decem tribus, quæ cum illo recesserunt a domo David. Et Ephraim quidem, id est Hieroboam fornicatum, Israel contaminatum esse dicit, quia videlicet Hieroboam vitulos aureos fecit, et populus secundum favorem ejus illos coluit. Quare *non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Dominum? Quia spiritus*, ait, *fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.* Magna et vehemens causa, quæ hoc satis efficere valeat, ut nunquam in melius mutent cogitationes suas. Non dixit tantum, *quia spiritus fornicationis in medio eorum*, sed addidit, *et Dominum non cognoverunt*, præsertim de his, qui scriptam legem acceperunt, atque idcirco de ignorantia se excusare non possunt. Quid, inquam, est de talibus dixisse. *Dominum non cognoverunt*, nisi idem quod de gentibus Apostolus ait, quia *Deum habere in notitia non probaverunt?* (*Rom.* I.) Itaque *non cognoverunt*, id est cognoscere noluerunt, vel cognoscentes contempserunt. Propterea *spiritus fornicationis in medio eorum*, propterea traditi sunt *in reprobum sensum*, quemadmodum et gentiles, ut facerent *ea quæ non conveniunt*, ac perinde sic traditi, *non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Dominum*, portantes justum suæ damnationis judicium. Et ut manifestius fiat quod ait, *Dominum non cognoverunt*, idem esse ac si diceret: Cognoscere noluerunt vel contempserunt; atque propter hanc causam traditos fuisse illos, ut esset spiritus fornicationis in medio eorum, continuo sequitur: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus, et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua.* Arrogantia namque est elatio mentis vel spiritus, qua usque in Dei contemptum erigitur, ut eum non cognoscat, id est cognoscere vel venerari contemnat. Hæc arrogantia in faciem illius qui ejusmodi est, tunc respondet, quando redditur ei quod dignum est. Quid est illud? Ait Apostolus de gentilibus; *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Ista redditio sive retributio mira et terribilis arrogantiæ responsio est, quam et his propheta breviter insinuat, dum præmisso: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus,* continuo subjungit: *Et Israel, et Ephraim*

A *ruent in iniquitate sua, ruet et etiam Judas cum eis.* His jam per ordinem transcursis, nunc recolendum atque replicandum est id quod jam plus quam semel diximus, scilicet Apostolum, commemoratis peccatis gentilium, verissime simili sive æquali culpæ subjectum inclamasse Judæum, dicendo: *Propter quod inexcusabilis es, o homo, omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II). Et illam veritatem apostolicam nullius Scripturæ melius vel promptius quam hujus prophetiæ testimonio confirmari posse. Sequitur: *In gregibus suis, et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient; oblatus est eis.* Quod hic dicit *in gregibus suis, et in armentis vadent ad quærendum Dominum,* videlicet Israel et Judas, qui in iniquitate sua cor-

B ruerunt. Hoc est, quod sæpe dictus Apostolus ait de eisdem, qui, sicut hodie vidimus, tanquam rami de radice bonæ olivæ, id est de fide patrum fracti sunt, et ceciderunt (*Rom.* XI). *Israel vero sectando justitiam in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus offenderunt in lapidem offensionis* (*Rom.* IX). Et subinde: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X). Justitia illorum **36** est, quam et statuere volunt, *in gregibus et armentis suis Dominum quærere*, id est greges et armenta certatim sacrificare, dissimulando se audire, quod econtra ille reclamat, dicens in David: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos* (*Psal.* XLIX). Et in Isaia: *Quo mihi*

C *multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* (*Isa.* I). Denique si recte perpendimus populo ascendenti ex Ægypto, ubi carnes immolare consueverat, ejusmodi sacrificia non tam jussa fuere quam permissa, testante ipso, cum dicit in Hieremia (*cap.* VII): *Holocautomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis,*

D *ut bene sit vobis.* Cum hæc ita sint, nimirum, sicut ait hic, *vadent quidem in gregibus suis, et armentis suis ad quærendum Dominum*, sed fiet quod sequitur: *et non invenient eum*, quia videlicet *offenderunt in lapidem offensionis, et in petram scandali* (*Rom.* IX), et pro talium justitia sacrificiorum decertantes ut illam statuant, justitiæ Dei, quæ Christus est, non sunt subjecti. *Non* ergo *invenient* eum. *Ablatus est eis?* Quomodo ablatus est eis? Num quia de loco ad locum transivit? Non utique, sed quia ipsi sunt excæcati, et indignos se judicantes æternæ vitæ, tali bono sunt exhæredati, et collatum est aliis. Nam loco illorum, qui cum essent naturales rami, *pro-*

pter incredulitatem fracti sunt, et *ceciderunt*; hi qui erant velut oleaster, inserti sunt *in bonam olivam* et fide stant, id est illis non credentibus *gentes* crediderunt, *quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam* quæ ex fide est, et taliter Dominus vel justitia Dei Christus ablatus est eis. Dicat quis: Quo ergo devenit, vel quomodo impleta est veritas Dei, qui pactum pepigit cum Abraham, et cum semine ejus, sicut Scriptura testatur, dicens: *In die illo pepigit Dominus cum Abraham fœdus* (*Gen.* xv). Itemque. *Et statuam*, inquit, *pactum meum inter me et te, et inter semen tuum in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te?* (*Gen.* xvii.) Ad hæc provida prophetici spiritus sapientia dicit: *In Domino prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt.* Et est sensus: Si de pacti ratione agitur, quod cum patribus eorum pepigit Deus, et ejus qui pepigit veritas requiritur, facile et veraciter excusatur Deus, quia pactum illud pepigit quidem Deus, sed ipsi *prævaricati sunt*, id est irritum fecerunt, sicut dictum est de illis ad prophetam Hieremiam: *Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea. Et hi ergo abierunt post deos alienos, ut servirent eis. Irritum fecerunt domus Israel, et domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum* (*Jer.* xi). Universos prævaricationis modos breviter exprimit, dicendo, *quia filios alienos genuerunt. Genuerunt*, inquam, non tam carnali procreatione quam spirituali seductione. Nec vero tantummodo *filios alienos genuerunt*, sed et ipsi genitores filii alieni exstiterunt, id est filii quidem carnis, sed non tamen in semine reputandi vel existimandi sunt *Non enim*, inquit Apostolus, *omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ; neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii Dei; sed in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, *non qui filii carnis, hi sunt filii Dei, sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine* (*Rom.* ix). Ergo *filios alienos genuerunt*, id est tales facti sunt, vel taliter suos instituerunt, vel de illis semen illud, de quo ad Abraham dictum est: *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* xxii) scilicet Christus, veraciter dicat: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni insurrexerunt adversum me, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* xvii). Duris corde et incircumcisis auribus parum est hoc omne malum, quod, sicut sermo propheticus comminatur, non debeant invenire Dominum, et quod ablatus sit ab eis, transeundo ad fidem gentium, nisi etiam præsentibus percellantur malis qui præsentia tantum bona diligunt. Sequitur ergo: *Nunc devorabit eos mensis cum patribus suis.* Ac si dicat: Non tantum illud de futuro præparatur eis malum æternum, quod non poterunt invenire Dominum; verum etiam nunc in præsentiarum auferentur eis bona transitoria quæ sola diligunt, et inferentur mala temporalia quæ sola metuunt, quæ sunt partes eorum, partes impiorum: nam econtra sanctus et justus dicit: *Portio mea in terra viventium* (*Psal.* cxli). *Cum patribus* ergo *suis*, id est cum eis quæ sola diligunt, temporalibus bonis, *devorabit eos mensis.* Breve tempus, brevis dierum numerus est mensis, semperque in motu vel mutatione est, præsertim lunaris, qualem solum noverant ex lege et commutabant hi, contra quos propheticus hic sermo dirigitur. Unde quoties in Scriptura sacra decima vel decima quinta die mensis quidpiam gestum vel gerendum legimus, sine dubio nihil aliud quam decimam vel decimam quintam lunam intelligimus. Porro, luna ipsa nunquam in eodem statu permanet, sed semper mutatur; et nunc quidem cremento proficit, donec plena sit; nunc autem decrementum luminis patitur, donec penitus exstinguatur. Itaque mensis hoc loco recte intelligitur temporalitas atque mutabilitas mundi vel vitæ præsentis, quæ nunc *devorabit eos*, inquit; quia non solum mala æterna in futuro, sed mala quoque præsentia jamjam recipient in præsenti sæculo tam Israel quam Judas. Quod jamdudum adimpletum videmus. Nam Israel ex tunc tenetur captivus in terra Assyriorum; Judæi vero, Babylonica quidem captivitate post annos LXX soluti sunt; sed post, Romanis agentibus, ceciderunt in ore gladii, et in omnes gentes captivi ducti sunt, et partes suas, id est terrena quæ sola quærebant bona perdiderunt, quia noluerunt partem suam esse Dominum. His dictis, protinus mira prophetici spiritus acrimonia sic inclamat, devorationem illam jamjam imminere significans, quam prædixerat: *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama; ululate in Bethaven. Buccina* ex cornu animantis recurvo fit; *tuba* autem ex ære vel argento in lege fieri præcipitur, concrepatque in bellis et in solemnitatibus (*Num.* x). *Gabaa et Rama*, civitates sunt in tribu Benjamin sibi vicinæ. Hæc est Gabaa, in qua natus est Saul. Rama autem ipsa est, qua rex Israel conatus est occupare, sicut in libro Regum legitur, ut clauderet exitum et introitum tribui Juda et Benjamin (*III Reg.* ii). Porro *Bethaven* in tribu est Ephraim, quæ ante vocata est Bethel. Quia igitur præmiserat superius decem tribuum et duarum captivitatem, dicens: *Nunc devorabit eos mensis cum patribus suis.* Hortatur eos, quasi jam instante vicina captivitate, ut resonent buccinis, et tubis cohortantes se invicem in communem luctum; et est sensus: Nolite vestram captivitatem humili voce deflere, sed buccinis concrepate et tubis, ut omnes audiant qui in circuitu sunt. Cui sensui bene congruit, quod Gabaa, *collis*; Rama, *excelsa* interpretatur. Dicitur ergo eis: *Clangite buccina* **37** *in Gabaa, tuba in Rama*, id est ascendite in montes et colles, celsaque voce deflete imminentem vobis captivitatem. *Ululate* etiam *in Bethaven*, ubi est unus ex aureis vitulis, pro quorum veneratione modo captivi tradentur habitatores ejus. Et pulchre additur: *Post tergum tuum Benjamin.* Ubi enim tribus finitur Benjamin, non procul est hæc civitas condita in tribu Ephraim, in posteriori scilicet parte ipsius Benjamin. Itaque cum de persona tertia in secundam prosilit, dicitque: *Clangite buccina in Ga-*

baa, tuba in Rama, ululate in Bethaven, post tergum tuum in Benjamin. Mira elocutionis arte, et rem decenter exornat, et instantem tumultum captivitatis acriter exprimit. Nec moratus eodem spiritus impetu ad personam tertiam recurrit, ac resilit, et dicit: *Ephraim in desolatione erit in die correptionis.* Supra dixerat: *Ruet etiam Judas cum eis*, scilicet cum Israel et Ephraim, nunc autem de Juda tacet, et de Ephraim, id est de decem tribubus dicit: *Ephraim in desolatione erit*, id est sine consolatione erit in miseriis captivitatis. Et recte: non enim Judas quoque tunc temporis sine consolatione habebat esse captivus in Babylone. Multas quippe consolationes habiturus erat, maxime per Danielis sociorumque ejus gloriosam sanctitatem, per quos sua magnalia Deus Judæorum ostendit, ita ut possent in Deo suo gloriari coram rege Babylonis, et deinde post annos septuaginta solutione captivitatis erant consolandi. Ejusmodi consolationibus Israel sive Ephraim in terra Assyriorum captivus caruit. Recte igitur, ut jam dictum est, Judas hic prætermissus est, dum dicitur: *Ephraim in desolatione erit in die correptionis*, id est decem tribuum populus consolationem ex Deo non habebit in die vel tempore, quo propter iniquitates suas hostibus traditus fuerit, quarum iniquitatum maxime auctor exstitit Ephraim, id est Jeroboam cæterique reges, qui fuere de tribu Ephraim. Cur ita discerni debuerunt, ut Israel, ut sive Ephraim in desolatione esset, jam loco alio diximus. quia videlicet aliqui de regibus Judæ justi fuerunt, ut David, Ezechias et Josias, aliqui vero, et si peccaverunt colendo deos alienos, conversi sunt, et pœnitentiam egerunt, ut Manasses, et sub aliis quoque regibus suis populus Juda reversus est ad cultum Dei. Regnum autem Israel, id est decem tribuum, pro quibus cunctis hic ponitur Ephraim, ex quo reges illi fuere orti, nullus omnino a peccatis Jeroboam recessit, id est a vitulis aureis, quos ille fecit. Idcirco et paulo supra Dominus dixerat: *Ergo scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me; non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum.* Mox ne cui dubitare vacet de veritate comminantis, sequitur et dicit: *In tribubus Israel ostendi fidem.* Ac si dicat: Quæcunque hactenus promisi, vel comminatus sum Israeli, effectum habuerunt, et in omnibus me ostendi veracem. Ergo et de hoc sermone nemo sibi blandiatur, tanquam sermo sit incertus, quia profecto sicut in cæteris, ita et in isto fidelis et verax comprobabor esse Deus. Sequitur: *Facti sunt principes Juda, quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam. Calumniam patiens Ephraim fractus judicio, quoniam cœpit abire post sordes.* Hoc quod nunc dicebamus Judam aliquoties suas terminasse iniquitates, Ephraim vero perpetuasse scelus idololatriæ, atque idcirco Judæ quidem captivitatem debuisse terminari, Israelis vero sive Ephraim non debuisse finiri, verbis præsentibus placet intelligi, ac si dicat Veritas vel Justitia Dei: Idcirco, ut in

A exordio prophetiæ hujus dixi, *domui Juda miserebor* (*Ose.* I), quia *facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum*, et idcirco *non addam ultra misereri domui Israel* (*ibid.*), quia cœpit abire post sordes, et sicut jam dixi, *non dabit cogitationes suas*, ut assumat terminum, ut cesset ire, ut terminet ipsas sordes. Juxta hunc sensum illud, quod ait: *Super eos effundam quasi aquam iram meam*, profecto magnam in ipsa ira sonat misericordiæ memoriam. Etenim captivitas Judæ fuit quidem ira peccatis debita; sed sicut aqua visibilis mundare solet sordes corporeas, sic illa captivitas eadem mundavit populi peccata, ut jam non superesset in quibusdam, videlicet in tribus pueris quippiam peccati, propter quod in Babylonica fornace lædi deberent eorum corpora (*Dan.* I). Igitur quod ait: *Facti sunt principes Juda, quasi assumentes terminum*, sic intelligi libet, ac si diceret: Viis suis pessimis terminum posuerunt, quod reges Israel non fecerunt, atque idcirco ira mea, id est præsens captivitas sic erit illis quasi aqua, id est proficiet ad emundationem peccatorum. Econtra Ephraim calumniam patiens, id est captivus ductus ab Assur calumniante illum factus est et cecidit judicio, id est causa ejus promerente aliter judicatum est apud Deum, ut non solvatur captivitas ejus, sed perpetuetur in terra Assyriorum. Quare? *Quoniam cœpit abire post sordes.* Gravissime dictum, *quoniam cœpit abire post sordes*, atque subaudiendum est, sordescere non desinet, juxta illud: *Et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Cum enim dicit, cœpit consummationem sordium, nondum esse innuit, quamvis maximæ sordes fuerint illi vituli aurei, quos Jeroboam fecit, et ille Baal, quem Jezabel impia superinduxit, In illis jam sorduerat Israel, erantque magnæ sordes, et tamen non dixit, quoniam abiit, sed *quoniam cœpit abire post sordes*, nimirum subintelligi volens quia sicut cœperat, ita et in sordibus etiam perseveraret, neque daret cogitationes suas ut rediret, et earumdem sordium emundationem quæreret. Ad hæc subjungit: *Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda.* Mira clementia Ephraim post sordes, quæ veræ sunt sordes, abiit; ego autem qui gloria ejus esse poteram, quasi sordes, imo quasi tinea et quas putredo visus sum illi, etenim erubuit me cum gentibus confiteri, quasi leges meæ contemptibiles sint. Exempli gratia: Circumcisio signum fidei, respicientis in illud semen quod Abrahæ repromisit. Hæc et cætera sanctæ legis obsequia, quæ gentium vicinarum garrulitas irridebat, secreta nesciens mysteria, sicut porci conculcare solent margaritas, Ephraim observare erubuit, ac perinde quasi tinea et quasi putredo reputatus sum illi, ut erubesceret confiteri gloriam nominis mei, quemadmodum tinea capitis ab homine nimis verecundo circumtegi solet atque operiri. *Et vidit Ephraim languorem suum, et Juda vinculum suum, et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem, et ipse non poterit sanare vos, nec*

solvere poterit vos a vinculo, quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. Ego ego capiam, et vadam, et tollam, et non est qui eruat. Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis, et quæratis faciem meam. Mira male videntis exprobatio. *Ephraim languorem suum, et Judas vidit vinculum suum,* atque tam magnum ille suum languorem existimavit, et ille tam forte vinculum suum reputavit, ut nullatenus a Deo patrum suorum Abraham, Isaac et Jacob, curari posset aut solvi, *et* idcirco *ad Assur* quasi ad fortiorem Deo, *confugit,* munera mittens illi. Legi namque in libro Regum, quia sub rege Manahen, qui decem tribubus præfuit, Israel Assyriis dona **38** transmisit, ut eum ea Damascenis hostibus liberaret. Judas quoque sub rege Achas misit munera Teglathphalasar, ut eum liberaret de oppressione regis Damasci (*IV Reg.* xv). Nimirum uterque male vidit, et ille languorum suum, et iste vinculum suum : nam si bene vidissent scirent id quod sequitur : *Et ipse non poterit sanare vos, nec solvere vinculum vestrum,* imo convertentur vobis in adversarios, et tanquam in Dei desertores facient ultionem. Unde et signanter, cum dixisset : *Et misit ad regem,* addidit *ultorem,* vehementer illius populi redarguens insipientiam, qui cum irato Deo molitur sibi acquirere hominem auxiliatorem incurrit eumdem Dei ultorem, qui desertores Dei ducat in captivitatem, tanquam Deo juraverit facere ultionem. Idcirco dicit : *Quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda.* Et est sensus : Licet perrexerint ad Assur, et munera miserint illi, ut illos liberaret tamen sanare eos non poterit, nec solvere vinculum captivitatis eorum. Ostendam enim quod me adversante vanum sit omne humanum consilium, imo quod irato me spes posita in homine vertatur in contrarium, dum ab illis captivi ducentur, quos sibimet paraverant habere refugium, et quia vindex Deus hoc egit, Deus, inquam hoc agere consuevit, ut ad quem confugit, ab eodem potissimum capiatur, atque elidatur is qui a Deo refugiens atque recedens ad hominem confugit, sive dæmonum in simulacris auxilia requirit. Verumtamen quod protinus ait : *Ego ego capiam, et vadam, tollam, et non est qui eruat,* in bonam accipere partem, pulcherrimum atque rationabile est. Nam postmodum ipsi qui a Domino capiuntur, cujus utique captura bona est et salubris, taliter dicunt : *Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos* (*Ose.* vi). Igitur secundum bonam captivitatem, de qua et in psalmo scriptum est : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem* (*Psal.* LXVII), sive ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, locum præsentem pertractemus. Recitatis hactenus peccatis, et demonstrato, quod Deo propter eadem peccata irato salvare sive sanare nemo possit, tandem seipsum Salvatorem venturum ad sanandum eos, qui ad ipsum confugiunt, hoc modo repromittit : *Ego Ego capiam. Ego,* inquam, *quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda,*

A tandem *capiam et vadam. Capiam* dicit, et quod capiat non exprimit. Verum, sicut jam dictum est, hi qui revertuntur ad Dominum, revertendo exprimunt, quid capiat dum dicit : *Quia ipse cepit et sanabit nos.* Ergo cum dicit : *Ego ego capiam,* promittit se capere nos, capere naturam nostram, ut fiat homo. Proinde respiciamus cursum ejus, qui nos cepit, et tunc liquido prospiciemus cursum sermonis hujusmodi, qui taliter procurrit : *Ego ego capiam, et vadam, tollam, et non est qui eruat. Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis, et quæratis faciem meam. In tribulatione mane consurgent ad me, dicentes : Venite, revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos, percutiet et curabit nos. Vivificabit nos post duos dies, in die* B *tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus, sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum.* Salvator noster Christus, qui hæc loquitur, sic fecit. Cepit nos et abiit, quemadmodum dicit : *Ego ego capiam, et vadam.* Capiens namque naturam nostram, id est homo factus, transivit ex hoc mundo per passionem mortis. Unde et ejus evangelista dicit : *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* VIII). Item : *Sciens quia a Deo exivit, et ad Deum vadit* (*ibid.*). Deinde cum taliter isset, tulit prædam inferni, quemadmodum dixerat : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuit* (*Luc.* XI). Cum ergo dixisset : C *Ego ego capiam, et vadam,* bene continuo subjunxit : *Tollam, et non est qui eruat.* Ac si dicat : Ego naturam hominis assumam, et ad mortis passionem vadam, et electos meos, nemine valente resistere, de inferni claustris eripiam, ego illa leæna, ego ille catulus leonis, quem longe ante Jacob patriarcha intuens, dixit : *Catulus leonis Juda ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna* (*Gen.* IV). His peractis, resurgens ex mortuis, abiit in cœlum unde venerat, et sedet ad dexteram Patris. Postquam ergo dixit : *Ego ego capiam, et vadam, tollam, et non est qui eruat,* bene continuo subjunxit : *Vadens revertar ad locum meum.* Locus quippe ejus est ille sedes majestatis, ille concessus Dei Patris, ubi *captivam duxit capti-* D *vitatem* (*Psal.* LXVII), quam cepit ubi peregrinam collocavit naturam hominis, cujus origo non cœlum, sed terra ; cujus patria sive locus originalis non altitudo cœlorum, sed pulveris exiguitas est, Ad illum locum reversus, faciem suam ab illo populo, cui hæc Scriptura loquitur, abscondit, donec plenitudo gentium subintroeat, et sic omnis Israel salvus fiat. Cum ergo dixisset : *Vadam et revertar ad locum meum,* bene continuo subjunxit : *Donec deficiatis, et quæratis faciem meam. Donec deficiatis,* inquit, illa nimirum defectione, qua illos nondum defecisse, Apostolus gemens dicit : *Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ*

Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* x). Quod ergo dicit : *Donec deficiatis, et quæratis faciem meam*, idem est ac si dicat : Donec desinatis velle vestram statuere justitiam, et gloriari in operibus legis, et credatis in me, solam quærentes justitiam Dei, justitiam fidei. His dictis protinus de omnibus, tam Judæis quam gentilibus, quicunque pœnitentiam acturi, et in Christum credituri, et per fidem ejus erant justificandi, idem ipse dicit : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Subauditur dicentes :

Cap. VI. — *Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit et sanabit nos; percutiet, et curabit nos. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Hoc fecisse, hoc dixisse primum Judæos, deinde gentiles, postquam ivit Christus, et reversus est in locum suum, id est, postquam ascendit in cœlum, manifestum est. Dato enim Spiritu sancto apostolis, et loquente Petro ad populum, *compuncti sunt corde, et dixerunt ad eum, et ad reliquos apostolos : Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ait ad illos : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II). In illa tribulatione, id est in illa compunctione et pœnitentiæ actione, consurrexerunt ad Dominum, et consurgunt usque hodie mane, id est transacta et depulsa infidelitatis nocte, ab actis tenebris ignorantiæ. Ita consurgentes, dicunt : *Venite, et revertamur ad Dominum.* Prædicant enim aliis Christum, qui illum cognoverunt, nec sua tantum contenti salute, aliis quoque ut salventur, verbum salutis prædicare satagunt. Quod est illud verbum? *Quia ipse*, inquiunt, *cepit, et sanabit nos; percutiet, et curabit nos.* Magnificentius atque brevius verbum salutis hujus edici non potest, Totus qui conversionis ad Christum et Christianæ fidei fructus est, hic paucis verbis comprehensus est, scilicet utraque resurrectio, qua resurgimus per Christum, prima animarum, secunda corporum. Cum enim **39** dicit, *quia ipse cepit, et sanabit nos*, sensus iste est : Quia ipse nostram naturam suscepit, et a peccatis nostris salvos faciet nos, secundum nomen suum, quod est Jesus, id est Salvator, quamvis autem vos credentes, et in nomine suo baptizatos jam sanaverit, adhuc tamen percutiet, et deinde curabit nos, id est sententiam mortis hujus corporis, de qua dixit : *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III), super nos dimisit, et ita fiet : sed deinde curabit nos, id est, in novissimo die carnis resurrectione resurgere faciet nos, qui resurrectione animæ, id est, remissione peccatorum sanavit jam et vivere fecit nos. Hinc est illud quod Apostolus dicit : *Corpus quidem mortuum* (*Rom.* VIII), id est certissime moriturum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. De illa resurrectione carnis, quæ secunda est, continuo dicit : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Et est sensus : Vivificabit nos in novissimo die, vita vel resurrectione carnis, quam persona sua mortuus propter nos, quia resurrectioni ejus, quæ die tertia facta est, hoc ipsum ascribimus, quod suscitabit nos. Ita sanati et curati, id est anima et corpore vivificati atque suscitati. *Vivemus*, ait, *in conspectu ejus*, id est immortales erimus : neque enim ultra mori poterimus propter conspectum ejus, *quia videbimus eum sicuti est, et inde similes ei erimus* (*I Joan.* III). *Tunc sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum. Sciemus*, inquam, et *cognoscemus*, non sicut nunc ex parte, sed perfecte. Nam hinc et Apostolus ait : *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Item : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*ibid.*) Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. *Sequemur*, inquit. Quo sequemur? Nimirum ad vitæ fontes aquarum, sicut alius propheta dicit : *Quia miserator eorum reget eos, et ad vitæ fontes aquarum potabit eos.* (*Isa.* XLIX). Et in Apocalypsi legimus : *Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum* (*Apoc.* VII). Quod idem est ac si dicat : Videndo vel conspiciendo Deum immortales erunt. Hoc dicent invicem se cohortantes, hoc dicent apostoli vel apostolici viri populis prædicantes, et subjungent : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus.* Ac si dicant : Quod dicimus, *quia ipse cepit, et sanabit nos*; non in angelo gestum est, sed sicut diluculum a cunctis videtur et latere non potest, et ad hoc venit ut videatur, imo ut illuminet; ita egressus ejus, quo de suis invisibilibus ad visibilia nostra egressus est, cunctis innotuit, cunctus orbis audivit, nec est qui se de ignorantia excusare possit. Hoc est quod Psalmista quoque dicit : *In sole posuit tabernaculum* (*Psal.* VIII), id est in manifesto exhibuit humanitatem suam. Ac deinceps : *Nec est, qui se abscondat a colore ejus* (*ibid.*), quia videlicet omnibus tam Judæis quam gentilibus auditus est adventus ejus, audita est prædicatio Evangelii ejus. Addunt adhuc : *Et veniet nobis, quasi imber temporaneus et serotinus terræ.* Juxta litteram, *temporaneus imber* illa est pluvia quæ jactis seminibus, a Deo datur terræ Palæstinorum ut infusa calescant semina. *Serotina* autem illa dicitur, quæ ad maturitatem eosdem perducit fructus. Siquidem terra illa non ita frequenter, ut nostra, de cœlo accipit pluviam, sed tantum bis in anno.

Spiritualiter pluviam sive imbrem utramque, videlicet temporaneum et serotinum, intelligi oportet et sancta prophetica atque apostolica scriptura est. Prophetica namque scriptura ipsa est imber temporaneus; quia sicut serotino imbro infusa coalescunt semina, ita hæc promissionem Christi venturi quæ ad Abraham facta est, frequenti declamatione exspectabilem faciebat. Porro evangelica vel apostolica scriptura imber serotinus est; quia, sicut serotino imbre fructus ad maturitatem perducuntur, ita scriptura hæc jam advenisse Christum confirmat, de quo prophetæ vaticinabantur. Igitur *et venient*, inquiunt, *nobis quasi imber temporaneus et*

serotinus, id est talis et taliter veniet nobis, vel taliter nobiscum faciet, sicut utriusque scilicet Novi ac Veteris Testamenti scripturæ testificantur. Hæc ubi dixit de illis qui erant credituri et fidem adventus ejus recepturi, contestim ad eos, quos non esse credituros præscivit, convertitur, et dicit: *Quid faciam tibi, Ephraim, quid faciam tibi, Juda? Misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens.* Sic nimirum patriarcha Isaac cum filium suum Jacob benedixit, et proinde Esau frater ejus ejulatu magno fleret, dicens: *Nunquid non reservasti et mihi benedictionem? Respondit* et dixit: *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi, frumento et vino stabilivi eum, et tibi post hæc fili mi, quid faciam?* Ac deinceps: *In pinguedine terræ et in rore cœli, desuper erit benedictio tua* (*Gen.* XXVII). Profecto ille Isaac typum Christi gessit; duo vero filii, de quibus jam dictum est, formam prætulere mysticam utriusque populi scilicet et ejus qui tantummodo generatione carnis, et ejus qui imitatione fidei semen ejus Abrahæ. Et illic Isaac in typo Christi dicit agresti filio: *Et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?* statimque invenit quid faciat, dicitque: *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua*, et hic Christus in prophetia dicit carnalibus Israelitis sive carnalibus Judæis, quicunque filii carnis et non filii sunt promissionis, *quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda?* statimque invenit, vel scit quid faciat, dum dicit: *Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.* Misericordia hæc parva illa est, quam intendens ille: *In pinguedine*, inquit, *terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Parva namque misericordia est temporalium sive corporalium abundantia rerum, quarum omnium summa, illic pinguetudine terræ et rore cœli comprehensa est. Porro, misericordia magna illa est benedictio quæ simplici Jacob in domo habitanti data vel effusa est secundum verba hæc: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Et deinceps: *Et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Sic namque benedicendo, magnam ille misericordiam imprecabatur, eam scilicet, ut de semine ejus Christus nasceretur. Proinde, quia misericordiarum tanta differentia est, idcirco David, qui utique minorem misericordiam fuerat consecutus, *in pinguedine terræ et in rore cœli desuper*, utpote rex dives et inclytus cum dixisset: *Miserere mei, Deus*, statimque addidit, *secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L). In quo? Nimirum in eo, ut nequaquam promissione Christi de semine suo nascituri frustraretur, propter causam Uriæ Ethæi. Nam inde est quod postmodum dicit, *ut justificeris in sermonibus tuis*, subauditur *miserere mei*, conservando mihi misericordiam magnam quam promisisti. Jam enim illi repromiserat Christum dicendo:

A *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo. et firmabo regnum* **40** *ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum* (*II Reg.* VII). Igitur et hic postquam secundum magnam misericordiam dictum est de filiis promissionis suæ fidei: *In tribulatione sua mane consurgent ad me, dicentes: Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit et sanabit nos, percutiet et curabit nos*, etc., confestim ad filios carnis tanquam ad Esau conversus. *Quid*, inquit, *faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.* Ac si dicat: Populo electo, cujus typus erat Jacob, magnam misericordiam, magnam consequente benedictionem habendo fidem seminis Abra-

B hæ, quod est Christus, vobis filiis carnis, qui tanquam Esau tardatis et foris vagamini, *post hæc ultra quid faciam? In pinguedine terræ et rore cœli desuper* fueris hactenus *benedictio* vel misericordia vestra; sed nunc eadem ipsa properante captivitate pertranseat, sicut pertransit matutina nubes, et in meridie sive vespera jam non est; et sicut pertransit ros, qui cum mane herbam operuit, orto sole velociter disparet, et jam non est. Sic enim continget, qui mane compluti estis, et matutino rore maduistis, id est qui præsentem lætitiam et tantummodo caduca præsentis sæculi bona requisistis. Nubes vestra pertransit, et ros vester orto sole siccatur, id est lætitia vestra in tristitiam vertetur, et deliciæ vestræ in futurum non invenientur, ubi verus sol Chri-

C stus in virtute sua lucens in meridie conspicietur. *Propter hoc dolavi in prophetis, et occidi eos in verbis oris mei. Propter hoc*, inquit, videlicet quia vos tantummodo rerum temporalium matutinam nubem, roremque transitorium requiritis, et gloriam Dei regnumque futurum non attenditis, *ego dolavi*, id est multas percussiones feci in prophetis, qui vobis secundum vestram intentionem adulati sunt et applauserunt, videntes vana et loquentes mendacia. Quales utique fuerunt prophetæ Baal. Et illis namque, sicut in Regum libris legimus, Elias Thesbytes, CCCCL viros una die interfecit (*III Reg.* XVIII), itemque magnam illorum multitudinem percussit Jehu, qui domum Achab subvertit (*IV Reg.* X). Hoc totum factum est ad imperium Domini: idcirco cum

D dixisset: *Dolavi in prophetis*, protinus addidit, *occidi eos in verbis oris mei.* Hoc recte factum est, ut qui propter lucrum temporale et ut alius propheta, propter pugillum farinæ (*Ezech.* XIII), non solum magnam Dei misericordiam reliquerant, sed et popularem turbam secum devocabant. Primum in ipsis dolaretur et occideretur, et deinde populus in captivitatem duceretur, matutina misericordia, de qua jam dictum est, et quasi transitorio rore frustratus. Quam juste hæc facta sint vel fiant, nunc toto in orbe scitur, ubicunque lux veritatis est. Sequitur: *Et judicia mea quasi lux egredientur.* Et est sensus: Sicut caligantes in nocte oculos lux succendens illuminat, sic illis qui hactenus in nocte ignorantiæ

fuerant, annuntiata judicia hæc perspicua erunt, ut dicant: *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa* (*Psal.* XVIII). Egredientur igitur judicia mea quasi lux, id est quod voluerim aut quid utile esse judicaverim ego, manifestius cognoscetur. Quid est illud? Ait: *Quia misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocaustum.* Hujus suæ sententiæ memor Dominus semel et iterum apud Matthæum invenitur. Ubi enim discumbente eo in domo ejusdem Matthæi murmurabant Pharisæi, dicentes ejus discipulis: *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? Non est*, inquit, *opus valentibus medico, sed male habentibus* (*Matth.* IX). Statimque subjungit: *Euntes autem discite quid sit: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX). Item, ubi discipulis ejus esurientibus et spicas Sabbato vellentibus atque manducantibus, cum dixissent: *Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere Sabbatis.* Ait post alia: *Si autem sciretis quid est, misericordiam volo, et non sacrificium*, nunquam condemnassetis innocentes istos. Ergo cum dicit in hoc propheta: *Quia misericordiam volui et non sacrificium*, dignam suorum reddidit causam judiciorum, cur supra inter cætera dixerit, *in gregibus suis et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient eum*, quia videlicet neque secundum corpus, neque secundum animam misereri noverunt proximis, prompti sacrificatores gregum, immolatores armentorum. Nam utramque misericordiam, scilicet corporis et animæ testatur se voluisse illa quam commemoravimus evangelica prolocutione. Ubi enim peccatorem sive publicanum recipiens Matthæum dicit, *euntes discite*, quid est, *misericordiam volo et non sacrificium*, illam patenter misericordiam se requisisse significat, quæ impenditur circa curam animarum. Ubi vero discipulos suos esurientes, et Sabbato spicas vellentes a Sabbati violatione defendit, dicens: *Si autem sciretis* quid est *Misericordiam volo et non sacrificium*, nunquam condemnassetis innocentes istos. Ibi profecto misericordiam, quæ proximis in corporum necessitatibus impenditur, sese voluisse testatur. Igitur judicia Domini vera sicut lux manifesta sunt, et causa cadit carnalis Israel sive Ephraim et carnalis Juda; quia certatim sacrificium offerunt quod Dominus non vult, et viscera misericordiæ non habent quam Dominus vult; quia holocausta multiplicant quæ Dominus non requirit, et scientiam Dei negligunt in qua Dominus et creaturam rationalem voluit semper et vult exerceri. Non acquieverunt voluntati ejus, non exsecuti sunt ea quæ ille voluit, scilicet misericordiam et scientiam Dei. Hoc est, quod continuo subjungit: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.* Et est sensus: Ipsi autem et peccaverunt, et peccatum suum per superbiam defendendo mihique contradicendo, contra semetipsos et contra posteros suos immisericordes et crudeles exstiterunt. Sed jam in isto secundi hujus voluminis finem facientes, sequentis initium ab hoc eodem capitulo sumamus.

LIBER TERTIUS.

41 In Canticis canticorum dilectus amicæ suæ loquitur: *Ostende mihi faciem tuam, amica mea, speciosa mea, columba mea, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis et facies tua decora* (*Cant.* II). Vocis sive locutionis ejusmodi nunc opportune reminiscimur, quia videlicet salvo altiori cœlestis gratiæ vel amoris gradu, in quo dilectus Christus et amica ejus sancta Ecclesia cognoscitur, nimirum sapientis cujusque animus dilectus et sancta Scriptura amica vel dilecta est illius quicunque talis est, ut veraciter testimonium sibi perhibeat conscientia, quod sanctæ Scripturæ pulchritudinem veram et veritatem pulchram diligat. Illius namque verba sunt hæc: *Dixi sapientiæ, soror mea es, et prudentiam vocavi amicam meam* (*Prov.* VII). Dicit ergo nunc animus studiosus, et ipsa Scripturæ præsentis admonet difficultas, ut dicat: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Sanctæ hujus Scripturæ facies nonnisi sapienti unquam ostensa est, et vox ejus nonnisi in auribus diligentis unquam sonuit, neque alius scire meretur, vox ejus quam dulcis, et facies ejus quam decora sit. Dicit enim ille qui scripsit: *Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et sciet hæc?* (*Ose.* XIV.) Igitur semen hujus dulcedinis atque decoris auctorem spiritum propitium habere operantes, dilectam hanc sive amicam instantur cœpto itinere sequamur, ut faciem ejus videre et vocem audire, id est et intentionem ejus sentire, et verum ejus sensum inspicere mereamur. Cum dixisset in hoc propheta Dominus: *Quia misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocaustum*, continuo subjunxit: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.* Ab isto rursus capitulo populi peccata incipit declamare. Unde et hic ad memoriam revocandum est, quia, sicut superius jam diximus, septies hic propheta gentis suæ peccatricis peccata percutit, totidemque vicibus in adventum sive sacramentum Filii Dei sermo ejus recurrit, singulosque cursus in eodem terminat, nimirum sapienti atque intel-

ligenti, quia hæc scire meretur. Illud innuens, A quod justificari et a peccatis liberari aliter quam per gratiam vel fidem Christi nemo possit. Hac vice prima, quam nunc usque tractavimus sic incœpit: *Non est enim veritas et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* Tandem in persona Christi venturi dixit: *In tribulatione sua mane consurgent ad me*, etc., et tunc demum ad initium redargutionis rediit, dicendo: *Quia misericordiam volui, et non sacrificium, et scentiam Dei plus quam holocaustum, ipsi autem, sicut Adam, transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.* Cum enim dicit, *quia misericordiam volui et scientiam Dei*, subaudiendum vel reminiscendum est, quod in initio capituli dixerat, *non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* Nunc itaque ordine B cœpto processuri, non negligenter præterimus, quia duo dixit in versiculo præsenti: *Sicut Adam transgressi sunt, ibi prævaricati sunt in me.* Brevi versiculo et originale peccatum, et actualia tetigit peccata eorum. Dicendo namque, *sicut Adam transgressi sunt*, actualia peccata vehementer accusat; quia colentes idola et cætera facientes scelera, non quomodocunque peccaverunt, non per ignorantiam aut per infirmitatem deliquerunt; sed qui nequissimus peccandi modus est, scienter peccantes, scientes quod mala facerent, recedendo a domo David et a templo Domini, quod erat in Hierosolymis, vitulosque aureos colendo peccatum suum defenderunt, contradicendo sanctis prophetis quoscunque Dominus misit. Unde et superius Dominus dicit: *Populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.* C Hoc nimirum erat ita transgredi pactum, *sicut transgressus est Adam.* Ille namque et transgressus est et transgressionem suam superbe defendit, dicendo: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen.* III). Porro subjungendo, *ibi prævaricati sunt in me*, originale respicit peccatum. *Ibi* namque cum dicit, subauditur *in Adam*: præmiserat enim, *sicut Adam transgressi sunt pactum.* Et vere in Adam prævaricati sunt, quia, ut Apostolus ait, *per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V). Itaque cum dicit, *ibi prævaricati sunt in me*, bene sæpe dictus Apostolus huic in isto quoque sermone consonat prophetæ causando D Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, subjungendo etiam hæc: *Non est enim distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III). His dictis, continuo de peccato actuali abundantius agit, scilicet, de peccato idololatriæ et aureorum cultu vitulorum, quo, *sicut Adam, transgressi sunt pactum*, ut jam dictum est. Sequitur enim: *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine; et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum in via interficientium, pergentes de Sichem, quia scelus operati sunt.* Galaad est civitas sita trans Jordanem in tribu Gad, in qua idolum primitus est consecratum. Erat enim et civitas fugitivorum. Sed quanto celebrior, tanto idololatriæ et malorum omnium principium fuit. Et quia isti idola primum consecrarunt, vel maxime, sicut præsens testatur, in malum adjuverunt; idcirco primi ab Assyriis capti et in captivitatem ducti sunt. Porro, Sichem civitas in confinio decem tribuum **42** et duarum, quæ postea Neapolis appellata est, unde transitus erat Israelitis in Hierusalem, ubi solummodo licebat victimas immolari. Tribus ergo temporibus, quibus secundum legis præceptum populus ad templum Domini ascendere debebat, sacerdotes illorum ponebant in itinere latrones qui insidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan et in Bethel, quam Dominum adorarent in Hierusalem, et quos revocare non poterant, in eadem via interficiebant. Sacerdotum illorum particeps nunc dicitur Galaad, videlicet eo quod Galaaditæ conjungendo se iniqua fœderatione et cooperando sacerdotibus in interfectione. Sensus igitur iste est: Si quæras cur dixerit, *ipsi autem transgressi sunt pactum, sicut Adam*, qui utique non per ignorantiam, sed scienter per arrogantiam peccavit, et peccatum suum adversus Deum sese corripientem proterve defendit. Ecce affectum sive opus manifestum habes malæ defensionis. Nullum denique manifestius defensionis est experimentum, quam illos interficere, quibus admissum non placet communiter suscipere peccatum.

Locus interfectionis erat Galaad, mira perversione, mira supplantatione. Debuerat namque civitas esse non interficientium, sed ab interfectione liberantium quempiam fugitivum, secundum legem Domini dicentis: *Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus; quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum, triduumve ejus probatur inimicus et habitavit in civitate illa, donec stet ante judicium, causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus qui fuerit in illo tempore* (*Josue* XX). Recte ergo dicitur, *supplantata sanguine*, quia perdito vel derelicto constituto pacis, susceperat pro illo commutationem sanguinis. Dicitur et *quasi fauces virorum latronum*, quia videlicet sicut latrones in faucibus, id est cavernis locisque abditis latentes, exspoliant prætereuntes et interficiunt; sic in ea quæ debuerat esse asilum fugitivorum sanguinarii sacerdotes simplicitati populi insidiantes exspoliabant eos fide, interficiebant mente, quos decipere non poterant vestibus privabant, corpore necabant. Pro tanto scelere propheta dolens, exclamat: *In domo Israel vidi horrendum. Ibi fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel.* Quid enim magis horrendum, quid magis exclamatione dignum quam istud accidisse, non in qualicunque gente aut natione, sed in domo Israel, in gente Dei, in parte Domini, sicut Moses loquitur: *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculum hæreditatis ejus?* (*Deut.* XXXII.) Denique gentis alterius peccatum in idolis error

est. Israelis autem, qui veri et unius Dei notitiam habuit legemque accepit, tale peccatum horror est. Propterea toties peccatum illius populi fornicationem appellat, et nunc quoque dicit: *Ibi fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel. Ephraim*, ut sæpe dictum est, ipse Jeroboam de tribu Ephraim; *Israel* vero decem tribus, quæ illo peccante, id est vitulos aureos pro Deo sibi faciente contaminatæ sunt, sequendo illum. Etenim sicut comtaminatur adulterio mulier, sic derelicto Deo populus ille cultu idololatriæ contaminatus est. Hæc adversus Israel, id est decem tribus dicta sunt. Sed nunquid tantummodo illis iratus est? Nonne et super Judam grandis ira, quam nunc videmus, pro meritis erat ventura? Sequitur: *Sed et Juda pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.* Ac si dicat: Dixi quidem in initio prophetici hujus sermonis, *quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum; et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo*, et hoc verum est. Nam Israelis, id est decem tribuum captivitas, de terra Assyriorum non revocabitur. Tua vero, o Juda, transmigratio de Babylone est reducenda post annos LXX. Verumtamen cum convertero illam captivitatem populi mei, cum reduxero illos in terram suam, qui ex te supererunt digni ut reliquiæ salventur pro ipsorum fide et meritis usque ad plenitudinem temporis, quo convertenda est universalis captivitas omnis populi mei per adventum Salvatoris Christi, tu, Juda, pone messem tibi quæ secunda erit, id est multitudinem filiorum male natorum, quibus multipliciter pullulabis, scito demetendam esse Romanorum gladiis, sicut nunc, imo magis quam nunc, decem tribus demetuntur et transferuntur ab Assyriis. Quam ob causam? Quibus pro meritis sive peccatis? Ait:

Cap. VII. — *Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium, et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Et est sensus: Cum ad salvandum Israel venissem, illa iniquitas revelata est et illa malitia Judæorum sese expressit, cujus illa *iniquitas Ephraim*, illa *malitia Samariæ* typus vel præcursio fuit, quando, relicta domo David, Jeroboam prætulit; relicto Domino Deo, vitulos aureos colere magis elegit. Diligenter prophetiæ hujus locum hunc quem nunc ingredimur pertractare conemur, memores illius dicti in fine voluminis, cujus sæpe meminimus. *Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et sciet hæc*, et scientes tanta esse vel talia quæ hic prophetali oculo prævidet ac præscribit, qualia si nudis eloqueretur verbis, nimis intolerabile esset audire hominibus illius temporis, sicut diximus jam in proœmio præsentis opusculi. Denique peccatum Judæ in Salvatorem cujus sanguinem fudit, hic mystice describit propter quod talia facta sunt vel fieri debuerunt in ejusdem excidio gentis. Quæ prospiciens hic recte dicat: *Sed et Juda pone messem tibi. Cum*, inquit, *sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ.* Qui nondum *sapiens* sive *intelligens* est, qualem sanctus prophetiæ spiritus loco jam dicto requirit, nihil aliud significari hic arbitratur, nisi ac si dictum sit: Cum per David electum meum vellem Israel instruere ad cognoscendum verum Deum, et ad tenendum firmiter solius nominis mei cultum legitimum, iniquitas filiorum Israel magis exarsit, et malitia illorum pertinacius insanivit, nec ante destiterunt, donec ad posteros derivato regni gubernaculo jugum excusserunt, et a domo recesserunt ejusdem David, et Deos sibi fecerunt juxta mentionem suæ iniquitatis, juxta malitiosa desideria cordis sui.

Verum ille David non solum pater secundum carnem exstitit Salvatoris nostri, verum etiam figuram ejusdem prætulit in mirabilibus gestis. Regnum ejus præparatio fuit regni Christi, imo regnum unum est Christi, et ipsius David, juxta quod et angelus ad Mariam de illo dicit: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus* (*Luc.* I). Econtra Jeroboam, et qui illum secuti sunt relinquentes David, typum gesserunt Judæorum et Pharisæorum, qui Christum negaverunt ante faciem Pilati, et dixerunt: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Furor ille quo Christum condemnantes petierunt dimitti sibi Barabbam homicidam, et seditionis auctorem, illi malitiæ similis exstitit, qua illi qui secuti sunt Jeroboam, *veritatem Dei in mendacium commutaverunt* (*Rom.* I). Vel, sicut hic scriptum est, mendacium operati sunt, quia veritate contempta, mendacium in vitulis aureis operati sunt, et coluerunt. Igitur in verbis istis similitudinem pariter contemplemur **43** et rem. Similitudinem in illius statu temporis, scilicet in eo quod ille Ephraim, sive illæ decem tribus taliter recesserunt a domo David. Rem vero in adventu Salvatoris, quando Judæi rebellantes veritati, negaverunt eum, et populus regis hujus esse noluerunt. Itaque cum dicit: *Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim.* Ponamus ante oculos mentis et illum David patrem carnis Christi, et hunc filium ejus verum David, quia videlicet uterque suo modo Israel sanare voluit, ille psalterium componendo, iste carnem assumendo. Nam psalterium, illud manufactum typum fuisse carnis vel corporis Christi, testatur ipse, cum in psalmo personam Patris ad eumdem Filium, dum in sepulcro corpus ejus quiescit, loquentem introducit: *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* LVI). Et ille respondens: *Exsurgam*, inquit, *diluculo* (*ibid*). Illo psalterio suo manufacto David Israel sanare voluit, quia nimirum idcirco verba cœlestia cum psalterio cecinit, ut populum tantummodo terrena diligentem introduceret ad amorem et spem futuri regni, quæ vera sanitas est cordis. Hoc ante illum nemo fecit, ut promissa cœlestia verbis enuntiaret

manifestis, aut pœnas ignis æterni. Hoc ita verum est, ut apud Moysen fere nusquam invenias promissiones paradisi vel regnum Dei, neque comminationes inferni, nominibus manifestis, præter locum unum in cantico Deuteronomii, ubi sic dicit: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII). Omnia clausa sunt sub figuris, et bona quidem æterna sub nomine terræ Chanaan, terræ quasi lacte et melle manantis; mala vero sempiterna, sub nominibus famis, pestilentiæ, gladii, malarumque bestiarum reddenda significat pro meritis. Talis namque et ita quodammodo puerilis sensus erat carnalis populi in illius statu temporis, ut nonnisi præsentia diligere prospera, nonnisi præsentia metuere sciret adversa. Hinc primus, ut jam dictum est, cœlestis regni gloriam patenter expressit verbis, addita vi musicæ dulcedinis et ordine composito divinæ religionis, volente Domino sanare Israel, scilicet ut sano corde terrena parvipenderet, cœlestia magis desideraret: At vero psalterium istud, sive hæc cithara, cui Pater hoc dixit: *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara*, multo amplius hoc egit sic aperiendo os suum, ut Matthæus scribit: *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v), etc. Nimirum hæc exspectationi carnalis Israel valde contraria sonuerunt beatificando pauperes, mites, lugentes, esurientes ac sitientes justitiam, misericordes, mundicordes, pacificos et persecutionem propter justitiam sustinentes. Aliter namque sentiebat carnalis Israel, scilicet beatos esse tantum illos qui prosperarentur in via hujus sæculi, quibus veraciter ut essent superbi, immites, sive tyranni ridentes, atque exsultantes quamvis in rebus pessimis, inexpertes miseriarum atque idcirco nescientes compati miseris, luxuriantes omni voluptate cordis et corporis, belligerantes atque bellicis elatos triumphis valentes per potentiam quos vellent occidere ac persequi. Profecto sensus hic magna erat infirmitas. Ille autem sanare volebat Israel, ut sane saperet. Adversus utrumque revelata est iniquitas Ephraim, id est, persecuti sunt eos omnes illi qui noluerunt sanari. Primum quis nesciat quanta David ille regni Dei psaltes adversa pertulit, quanta mala passus est ab illis? usque adeo quo gratis illum odio habuerunt, ut filium quoque illius Absalon regem sibi facerent, quia non alium habuerunt, quo duce consurgentes regno eum depellerent. Mortuo Absalon, secuti sunt Seba filium Bochri, illo mortuo subticuerunt victi et inviti per sapientiam ejusdem David filiique ejus Salomonis, sed deinde mox ubi occasio data est per imprudentiam Roboam, cervices suas excusserunt, regemque alium et Deos alienos, id est vitulos aureos sibi fecerunt (*IV Reg.* XVII). Hæc fuit iniquitas Ephraim, et hæc malitia Samariæ, quia videlicet Jeroboam de tribu Ephraim, manum hoc inique gessit, et Samaria per quam totum ejus regnum intelligitur (fuit enim metropolis decem tribuum), hoc ipsum malitiose suscepit, scilicet invidendo domui

A David, invidendo et dedignando tribui Juda, quod sibi tantum ex illa tribu reges deberent esse destinati. Dixerunt enim quodam loco viri Israel ad regem David: *Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et transduxerunt regem et dominum ejus Jordanem? Et respondens omnis vir Juda, quia propinquior*, inquit, *mihi est rex. Et respondens vir Israel, decem partibus, ait, major ego sum* (*II Reg.* XIX). Ita commota seditione quidam vir Belial nomine Seba filius Bochri cecinit buccina, et ait: *Non est nobis pars in David, neque hæreditas, in filio Isai* (*II Reg.* XX). Denique ex dictis et factis hujuscemodi palam datur intelligi quænam illa fuerit malitia Samariæ, de qua nunc loquitur hic; quia nimirum scissuræ illius causa fuit invidentia, quæ veraciter

B malitia dici potest, quia cuncta malitiosarum machinamenta cogitationum parit. Maxime vero tunc iniquitas, quæcunque sit, malitia meretur dici, quando sic se exercet ut cum sapientia vel ratione incedere possit videri. Sapienter autem sive rationabiliter Samaria fecisse sibi videri poterat, sequendo regemque faciendo Jeroboam de tribu Ephraim, quia patriarcha Jacob cum benediceret filios Joseph Manassen et Ephraim, *iste quidem*, ait, scilicet Manasses, *erit in populos et multiplicabitur, sed frater ejus junior major illo erit, et semen illius crescet in gentes* (*Gen.* XLVIII). Et in Paralipomenon legimus: *Ruben quippe primogenitus erat Israel, sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filii Joseph filii Israel* (*I Par.* v). Et quidem pluraliter dixit filiis Joseph, sed cum ille, ut jam dictum

C est, Ephraim juniorem priori prætulerit, jure sibi tribus Ephraim de primogenitis videbatur gloriari. Itaque peccatum Samariæ recedentis a domo David et invidentis tribui Judæ, ut ex ea reges aut principes deberent germinari, recte malitia debuit nuncupari, quia cum contra veritatem et rationem ageret, rationis et divinæ auctoritatis patrocinio non carere sibi visa est. Et notandum qualiter dixerit huic: *Revelata est iniquitas Ephraim et malitia Samariæ.* Non dixit, exorta est sive oriri cœpit iniquitas, *cum sanare vellem Israel*, sed *revelata est*, latebat quandiu duces vel principes habebat Israel, qui illum cogerent ad cultum Dei, qualium optimus vel maximus fuerat David. Revelabatur autem quando morientes decedebant illi, sicut quodam loco Scriptura

D dicit: *Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur mesericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, et multo majora faciebant, quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos et adorantes eos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam per quam ambulare consueverant* (*Judic.* II). Eodem modo tunc revelata est eadem iniquitas, eadem malitia, quando decesserat David, quo regnante, non audebat revelari, imo et multo majus tunc revelata est quam eatenus aliquando revelata fuisset. Prius namque urgente aliqua calamitate, et clamantibus illis ad Do-

minum cum tribularentur suscitato Salvatore aliquo, id est judice bono, 44 convertebantur ad Dominum, et deos alienos relinquebant. Extunc autem quando sic revelata est ut illos facerant vitulos, nunquam ab eisdem vitulis recesserunt, sicut manifeste de singulis regibus Scriptura dicit, quia a peccatis Jeroboam non recesserunt. Hanc iniquitatem sive malitiam adhuc propheticus sermo persequens, protinus addit : *Quia operati sunt mendacium, et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. Mendacium* quippe *sunt operati*, dicendo de vitulis, qui utique non erant dii, *isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*III Reg.* XII). Ad illud opus ut fieret, et diabolus invisibiliter, et Jeroboam visibiliter operatus est. Pulchre ergo et veraciter dictum : *Fur ingressus est spolians*, scilicet diabolus animas furtim devorans per inspiratam occulte malitiam, et *latrunculus foris*, videlicet Jeroboam latro visibilis, qui foris, id est exterius idola fabricans, extra domum sive partem Domini, et peccare faciens Israel, nimirum grande et crudele latrocinium fecit. Diximus qualiter illo tempore regnante seu jam decedente David, iniquitas Ephraim et malitia Samariæ revelata fuerat, cum sanare vellet Dominus Israel. Dicamus nunc qualiter novissimo tempore, cum in adventu suo Salvator itidem Israel sanare vellet, similis iniquitas vel malitia, imo et multo major secundum similitudinem illius revelata sit. *Cum*, inquit, *sanare vellem Israel*, dicat hoc sanator et salvator Israel, sanitatis illius auctor, de qua cum præmisisset paulo ante dicens ipse: *In tribulatione sua mane consurgent ad me*, verba ipsorum consurgentium protinus intulit hoc modo: *Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cœpit et sanabit nos* (*Ose.* VI), de qua sanatione sive sanitate, id est peccatorum remissione primaque resurrectione, quæ est resurrectio animæ, jam eodem loco dictum est. Cum enim illa sanitate sanare vellet Israel Deus homo factus præsentialiter atque visibiliter incipiens prædicare, et sic dicere : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV), tunc *revelata est iniquitas Ephraim et iniquitas Samariæ*, id est illa iniquitas Judæorum, illa malitia Scribarum et Pharisæorum, cujus typus exstitit illa iniquitas Ephraim et illa malitia Samariæ, de qua jam secundum litteram vel historiam dictum est: *Exagitavit* enim *illos spiritus nequam* (*I Reg.* XVI), ut pœnitentiæ doctorem cum verbo prædicationis, opera quæ nemo alius fecit facientem deriderent, persequerentur et blasphemarent, exempli gratia, dicendo: *Dæmonium habes* (*Joan.* VIII). Itemque *in Beelzebub principe dæmonium ejicit dæmonia* (*Matth.* XII). Non enim placebat illis Christus talis prædicator, pœnitentiæ doctor, paupertatis persuasor atque exemplar humilitatis, magister mansuetudinis, monitor ad lugendum pro peccatis, declamator justitiæ et conquisitor misericordiæ, munditiæ cordis collaudator, pacis remunerator et eorum qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V) consolator. Quare ?

A Quam ob causam talia prædicantem repulerunt, odio habuerunt atque impugnaverunt? videlicet quia cuncta his contraria sapiebant et diligebant, talemque sibi cupiebant advenire Messiam, qui illos in hoc sæculo extolleret, gentiumque pacem eo usque turbaret, donec omnes fines terræ ditioni illorum per bella bellorumque triumphos subjugaret, aureamque ac gemmatam illis Hierosolymam in terris construeret, atque in cæteris his similibus eorum cupiditatem omnino, sicut littera prophetica plerisque in locis sonare videtur, corporaliter expleret. Tamen illorum intentionem sensumque ipse quodam loco breviter exprimens : *Quomodo*, inquit, *potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam quæ a solo Deo est*, non quæritis? (*Joan.* V.) B Persecuti sunt ergo sanare volentem tanquam phrenetici medicum percutientes antidotum porrigentem, nec ante destiterunt, donec tradentes illum negarent ante faciem Pilati, præeligentes Barabbam latronem, auctorem seditionis eumdemque regem suum postulantes crucifigi (*Matth* XXVII). Hoc modo revelata in illis, imo impleta ab illis est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ, et sic impleverunt mensuram patrum suorum, et sic revelaverunt ac testificati sunt quod essent consentientes patribus eorum. Nam quod incœperunt illi, recedendo a domo David et occidendo prophetas Domini; hoc isti adimpleverunt, crucifigendo filium David, Filium Dei, et deinde occidendo, crucifigendo, flagellando, et de civitate in civitatem persequendo prophetas et sapientes et Scribas, quos ille misit in omnibus his C *operati sunt mendacium*, mentientes adversus eumdem regem suum quem negaverunt, et velut malum ac seductorem accusaverunt. Perspicuum quoque illud est in illis, quod sequitur: *Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Fur namque Judas proditor, et latrunculus cœtus pharisaicus exstitit. Judas namque loculorum Domini erat fur, sicut evangelista testatur, *quia fur erat et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat* (*Joan.* XII). Porro Pharisæi et sacerdotes in templo latrocinabantur, prædam de populo facientes, vendendo et emendo, unde cum ejiceret eos (*Matth.* XXI), sumptum de Isaia testimonium protulit, dicens : Scriptum est : *Domus mea domus orationis vocabitur* (*Isa.* LVI), et mox illud de Jeremia subjunxit: *Vos autem fecistis* D *illam speluncam latronum* (*Jerem.* VII). Ille fur intus inter discipulos Domini Jesu pseudodiscipulus et fictus amicus, et ille latrunculus foris, id est manifestus hostis, consilium simul inierunt, et, sicut jam dictum est, *mendacium operati sunt*, cujus videlicet mendacii maximus opifex, Caiphas, sic mentitus est, toto conspirante illo concilio malignantium ad decipiendum miserum populum. *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat, ne forte veniant Romani, et tollant nostrum et locum, et gentem* (*Joan.* XI). Adeo *cum sanare vellet Dominus Israel*, ille more suo sanari noluit, sicut aliis verbis declamans dixit: *Hierusalem, Hierusa-*

lem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluistis? (*Matth.* XXIII.) Sequitur: *Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea factæ sunt.* Magna et vera confirmatio justi judicii Dei sive ultionis, quam præmiserat dicens: *Sed et Juda pone messem tibi* (*Ose.* VI), messem, sicut jam dictum est, appellans illius immensitatem excidii, qua a Romanis erant perdendi. *Ne forte*, inquit, *dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum.* Ac si dicat: Ne forte murmurent, et quasi injustam reprehendant sententiam dicentis: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi* (*Matth.* XXIII), ut quod vindicatum est in patribus iterum vindicetur in filiis, omnis causa illis tollitur justæ reprehensionis. Solent namque Judæi adversus hujusmodi respondentes dicere nobis: Cur hoc tempore vindicari in nos arbitramini, in quod olim vindicatum fuit? Exempli gratia: Cum dicimus eis, illud quoque peccatum, quod olim in deserto fecerunt patres eorum, faciendo vitulum et adorando illum, hoc tempore visitari super illos, quando sic excæcati sunt; respondent nobis illius malitiæ tunc Dominum fuisse recordatum, siquidem tunc ex
45 illis in una die viginti tria millia ceciderunt. Hæc dicentes non advertunt quia, postquam illud factum est per manus filiorum Levi, quibus et Moses ait: *Consecrastis manus vestras hodie Domino unusquisque in filio et fratre suo* (*Exod.* XXXII): deinde cum oraret Moses dicens: *Dimitte eis hanc noxam*; ipse respondens: *Angelus*, inquit, *meus præcedet te, ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*ibid.*). Igitur, *ne forte dicant*, ait, *in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum*, id est, singula quæque peccata temporibus suis punisse me, atque idcirco non debere nunc omnia venire super generationem istam, dico illis, quia *nunc circumvenerunt eos adinventiones suæ*, videlicet quasi longus funiculus, quia cuncta priorum generationum peccata imitati sunt, et illæ adinventiones *coram facie mea factæ sunt*, quia nullæ pœnitentiæ satisfactione illa delere curaverunt. Tales sunt adinventiones eorum quæ illos circumvenerunt, taliter causas mortis in uno homine adinvenerunt, ut merito dictum sit, et merito fieri debuerit illud dictum: *Venient hæc omnia super generationem istam* (*Matth.* XXIII). Omnes enim, quicunque a sanguine Abel justi justos homines vel prophetas occiderunt, similes esse fecerunt Cain, qui Abel interfecit (*Gen.* IV); similes Saul, qui David persecutus est, et propter illum sacerdotes Domini LXXXV viros trucidavit, et civitatem illorum percussit in ore gladii (*I Reg.* XXI); similes Jezabel et Achab, qui Naboth justum et cæteros prophetas Domini occiderunt (*III Reg.* II). Atque idcirco recte iniquitates illorum et omnium quicunque tales exstiterunt, isti in generatione sua porta-

A verunt. Quænam sunt adinventiones illæ quæ eos circumvenerunt et per quas omnibus illis similes se fecerunt? Ait: *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente. Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum. Dies regis nostri. Cœperunt principes furere a vino. Extendit manum suam cum illusoribus, quia applicuerunt quasi clibanum cor suum cum insidiaretur eis. Tota nocte dormivit, coquens eos; mane ipse succensus, quasi ignis flammæ.* Quis iste fuit rex, et qui isti principes, quos et *in malitia sua, et in mendaciis suis lætificaverunt adulterantes*, sic succensi quomodo succenditur, *clibanus a coquente*? Et quidem sensus est utilis, qui et si non palam in-
B venitur, in gestis tamen potest conjici, quod ita factum sit. Rex Hieroboam et principes ejus, qui faventes illi ad omne facinus paruerunt, hoc modo lætificaverunt. Mysterium propheticum de nece Salvatoris, de quo nunc loquebamur, paululum differimus, ne conjecturam utcunque rationabilem atque probabilem nos neglexisse videamur. *Omnes adulterantes*, id est a proprio viro, Deo, recedentes, *quasi clibanus a coquente*, quia sicut clibanus succenditur ut coquat panes, ita illi succensi sunt malitia Hieroboam et igne idololatriæ. *Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.* Fabricatis quippe idolis, non vim fecit Hieroboam populo ut ea coleret, ne forte quibusdam causa Dei religionis resistentibus, cultura idolorum evacuare-
C tur. Ideoque *paululum quievit civitas*, donec propria voluntate populus regi consentiret, ut primum principes, deinde satellites illorum regi et principibus faventes, ad ultimum omnis populus corrumperetur, Et hoc est quod dicit, *donec fermentaretur totum.* Quæ enim sponte fiunt, diu permanent; quæ autem necessitate, cito solvuntur. Hoc considerans Hieroboam, maluit sponte quam coacte populum subire novam idolorum culturam. Itaque succensa totius populi massa in veneratione vitulorum, cœperunt dicere ad fores Hieroboam: *Dies regis nostri*, subauditur iste est, et quem nobis festivum noster constituit imperator. Hunc celebramus, in hoc gaudemus, in hoc vitulos aureos adoramus, ita clamante populo, *Cœperunt*, inquit, *principes furere a vino*, id est, non solum non sunt irati qui debuerant rectores
D esse populi, sed insuper intelligentiam suæ mentis amittentes, *cœperunt furere a vino*, videlicet amentiam passi tam luxuriæ quam idololatriæ. Quid ad hæc ille rex? *Extendit*, inquit, *manum suam cum illusoribus, quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis.* Illusores quippe erant principes qui populo nequiter illudebant, eumque a Deo suo longe abducebant, errori ejus consentiendo, gratulantes quod applicuissent *cor suum quasi clibanum*, ut eos succenderet ille rex, et idololatriæ flammis ardere faceret. Cum illis *illusoribus*, cum ejusmodi principibus *manum suam extendit*, quasi benedicendo et pro facili consensu grates agendo.

cum insidiaretur eis, id est, cum iniquum penes se haberet consilium, ut eos omnino averteret a templo Domini, ne pergendo Hierosolymam causa adorandi et sacrificandi paulatim resipisceret, et unum eumdemque cum Juda regem rursus susciperet, talia machinando, *tota*, inquit, *nocte dormivit*, *coquens eos*; *mane ipse succensus quasi ignis flammæ*. Et est sensus: Postquam ignem malitiæ cordibus eorum immisit, et vidit eos furere, nullumque esse qui suæ resisteret voluntati, *tota nocte dormivit*, hoc est, securus jacuit, versutus in tenebris, *coquens eos* igne impietatis, *mane autem ipse succensus* flammis suorum scelerum venit ad immolandum. Hæc secundum conjecturam magis quam secundum historiam de præterito tempore narrata utcunque valeant, nos illud attendentes quia propheta est, et tantæ profunditatis sibi conscius ut in fine voluminis dicat illud, quod jam sæpe commemoratum est: *Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et sciat hæc?* (*Ose.* XIV.) Nos ad mysterium Salvatoris supra cœptum recurramus, et in futurum tempus respicientem prophetam, intellectuali oculo sequi contendamus. Istæ sunt adinventiones eorum, adinventiones Judæorum, quæ illos circumvenerunt, quas effugere non potuerunt, propter quas bellica Romanorum falce, ut secarentur ut arida messis, judicati atque damnati sunt. *In malitia sua lætificaverunt regem et in mendaciis suis principes, omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente.* Isti *adulterantes* illi sunt, quorum scelus alius propheta prævidens: *Audite*, inquit, *verbum Domini, principes Sodomorum*; *percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ* (*Isa.* I). Prævidebat namque sacrilegium Judæorum et illam noctem quas insanierunt adversus Dominum et adversus Christum ejus, non sine quadam similitudine Sodomorum. Nota quippe vetus historia est, quia cum hospitaretur Dominus apud Loth, *viri civitatis vallaverunt domum ipsius ipsa nocte, a puero usque ad senem, omnis populus simul vocaverunt Loth et dixerunt ei: Ubi sunt viri qui ad te introierunt nocte* (*Gen.* XIX), etc. Secundum similitudinem illorum, isti quasi clibanus succensi a coquente diabolo, illa nocte paschali post esum agni sui, crapulati et ebrii circumdederunt Dominum, *et tenuerunt eum ut traderent gentibus ad illudendum, et flagellandum et crucifigendum* (*Matth.* XX). *In* illa *malitia sua lætificaverunt regem.* Quem regem? Utique Pontium Pilatum sive etiam ipsum Cæsarem, quem se lætificare putaverant adulando, et dicendo: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Nam Pilatum recte hic regem dici confirmat illud de Actibus **46** apostolorum, tibi cum dixissent fideles orantes: *Domine, tu qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis, qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti* (*Psal.* II): *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus*, continuo subjunxerunt: *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum*
A *puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israel* (*Act.* IV). Reges illos, de quibus scriptum fuerat: *Astiterunt reges terræ*, Pontium Pilatum et Herodem ille Scripturæ locus testatur fuisse. Et recte, tetrarchæ enim erant, id est singuli quartæ partis regni Judaici reguli isti. Pontius Pilatus, Herodes, Philippus et Lysanias illum talem suum regem in malitia sua Judæi lætificaverunt, in eo quod Dominum Jesum comprehenderunt, eique crucifigendum tradiderunt. Loquebatur quidem verba quasi tristia, dicendo: *Ego in eo nullam invenio causam*, et cætera his similia, lavans etiam manus suas et dicens: *Mundus ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis* (*Matth.* XXVII), sed mentiebatur homo expers veritatis, et propria possessio mendacii. Etenim is cui, dicente Domino,
B *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit meam vocem*, continuo procaciter dixit: *Quid est veritas*, et non exspectato responso, *iterum exivit* (*Joan.* XVIII). Quam longe putas a veritate, et quam mendax exstitit? Imo non solum mendax, verum etiam simulator et callidus, simulans justitiam quasi pius, cum impie lætaretur. Dicit aliquis: Quæ causa vel necessitas illi erat, ut cum lætaretur, tristitiam simularet? Nimirum Romani imperii, quæ tunc vigebat, sæcularem justitiam timebat, ne vocaretur in jus, eo quod hominem occidisset innocentem, pœnamque subiret homicidii. Quod tamen postea contigit. Hic erat timor ejus, quem et evangelista memorat, ubi cum dixissent Judæi: *Nos legem*
C *habemus et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, continuo subjunxit: *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit* (*Joan.* XIX). Sed adhuc videtur illum excusare Dominus ipse, cum dicit: *Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* (*ibid.*), Non excusat homicidam, sed in comparationem ejus Judaicum scelus magis condemnat. Pilatus namque, qui neque legem neque prophetas accepit, sic in nece Domini accusatur tanquam reus homicidii, quia nihil aliud quam hominem illum esse scire potuit. Judæus autem ex lege et prophetis convincitur, quia non tantum hominem, sed et Regem et Deum suum tradidit, ac perinde majus peccatum habet, de quo excusationem non habet. Igitur *in malitia sua lætificaverunt* Pilatum
D regem sive tetrarcham aut præsidem, imo non tantum regem, sed et reges, Pilatum et Herodem. *Ut enim cognovit Pilatus*, ait evangelista, *quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes, viso Jesu, gavisus est valde* (*Luc.* XXIII), scilicet visu miraculorum ejus sperans regiam ac superbiam oculorum suorum curiositatem pascere vel satiare. Sequitur enim: *Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de illo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Cumque nihil responderet, sprevit illum Herodes cum exercitu suo, et illusit, indutumque veste alba, remisit ad Pilatum.*

Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die. Nam antea inimici erant ad invicem (*Luc.* XXIII). Hæc fuit lætitia illorum, convenire in amicitiam et consensum ad illudendum et perdendum Dominum. Porro *principes*, quos *in mendaciis suis* itidem *lætificaverunt*, maxime principes sacerdotum Annas et Caiphas exstiterunt, qui inique lætabantur quando secundum voluntatem ipsorum turbæ mentiebantur, clamantes illum seductorem magnum, malefactorem, dicentes: Quia invenimus *hunc subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari* (*ibid.*), et cætera his similia. *Quievit*, inquit, *paululum civitas ex commistione fermenti donec fermentaretur totum.* Festivitas Judæorum, qua imminente Dominus quærebatur ad occidendum, notum est quia festivitas erat azymorum, et ab illa vespera, qua traditus est, usque ad diem octavum, juxta præceptum legis fermentatum non inveniebatur in domibus eorum (*Deut.* XVI). At illi fermentati in semetipsis erant *fermento veteri, fermento malitiæ et nequitiæ* (*I Cor.* V). Opportune ergo tunc civitas habuisse denotatur commistionem fermenti, quando vanissime cavebat exterius fermentum in panibus, et non timebat fermentari intrinsecus malitiosis et sanguineis apparatibus. Ab ejusmodi fermenti commistione paululum civitas conquievit, quia postquam illo consilio malignantium fuere fermentati, cogitantes ut interficerent eum, paululum se continuerunt et quieverunt Judæi Hierosolymitani, propter turbas quæ ascenderant de civitatibus vel regionibus aliis, quæ et susceperunt illum cum ramis palmarum, clamantes: *Hosanna filio David* (*Matth.* XXI). Hinc est illud, quod cum *concilium* fecissent, *ut eum dolo tenerent et occiderent, dicebant*, inquit evangelista: *Non in die festo*, causamque subjungit: *Ne forte tumultus fieret populi* (*Matth.* XXVI). Quod utique non dicebant intentione religionis, ut haberet festivitas ornamentum pacis, sed ne de manibus eorum tolleretur auxilio ejus, qui ad diem festum convenerat, populi. Nam ubi traditore accessit, qui traderet illum sine turbis, in ipsa festivitatis nocte exierunt ad comprehendum illum, contra morem religionis, contra edictum legis. Cum enim dixisset lex: *Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare et utrumque postem*, istud quoque addidit, *nullusque vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane* (*Exod.* XII). Ita male et maligna intentione civitas quæ epulari debebat in azymis quievit, ex quo fermentari cœperat commistione illius fermenti, quod commistum fuerat maligni collectione concilii, agentibus hoc senioribus et Scribis et Pharisæis et principibus sacerdotum, ut quiesceret *donec fermentaretur totum*, id est, donec magis ac magis omnes in eumdem confirmarentur iniquitatis consensum. His dictis repente propheta voces eorum, qui Dominum comprehenderant, horribiles inclamat: *Dies regi nostri.* Puta illos dixisse: Honor regis nostri honor et fidelitas Cæsaris, *non enim*

A *habemus regem, nisi Cæsarem*, et illi honorem in hac die fecimus, capiendo hunc qui prohibebat *tributa dari Cæsari.* Dies hic memorialis illi sit, pro cujus honore et fidelitate istum, qui se dicit regem esse, illudimus, conspuimus, spinis coronamus, flagellamus crucifigimus. Hæc et hujusmodi dicentes: *Cœperunt*, inquit, *principes furere a vino.* Veraciter animo cœperunt furere quia non jejuni aut sobrii mane, sed crapulati et ebrii comprehenderunt illum in vespere clauso jam die, in illa festivitate, in illa paschali nocte, quando nimirum delectabile illis de more fuisse nemo ambigat, opulenter cœnare atque affatim potare. Poti et pleno ventre resoluti, modum furori nescierunt ponere, persequentes *hominem inopem et mendicum, et compunctum* **47** *corde mortificare* (*Psal.* CVIII). Hinc illud

B est inter cætera in persona ejus dictum: *Adversum me loquebantur* sive exercebantur, *qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum* (*ibid.*). Biberant enim, ut jam dictum est, illa nocte vinum, atque perinde ebrietate augente furorem, psallebant in eum: *psallebant*, inquam, non sicut David laudem Dei, sed strepebant vocibus horrisonis, opprobria decantantes et blasphemiam nominis Dei, sicut ait ipse: *Et opprobia exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Psal.* LXVIII). Sequitur: *Extendit manum suam cum illusoribus, qui applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis. Tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ.* Quis extendit manum suam cum illis illusoribus? Nimirum Pilatus jam dictus. Quo-

C modo extendit manum suam? Profecto cohortem mittendo ad capiendum Dominum, sicut testatur evangelista cum dicit: *Judas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis* (*Joan.* XVIII). Nam cum sic distinguit, *cum accepisset cohortem, et a pontificibus et Pharisæis ministros*, palam dat intelligi quia ministros quidem a pontificibus et Pharisæis accepit, cohortem vero a præside, penes quem et cohortes et cæteri militares imperii Romani erant ordines. Itaque *manum suam extendit cum illusoribus*, manum utique militarem, id est cohortem, misit, Pharisæis et pontificibus suos pariter ministros mittentibus. Et recte hic illusores appellantur, quia nocte illa, cum tenuissent Dominum, illuserunt eum

D exspuendo in faciem ejus, colaphis cædendo, et palmas dando in faciem ejus, et cætera faciendo, quæ in Evangelio legimus. Qua fiducia fretus, taliter *extendit manum suam*? Quia *applicuerunt*, inquit, *quasi clibanum cor suum*, id est, quia bene conscius erat quod per invidiam tradissent eum. Illo invidiæ confisus incendio *manum suam extendit*, in eo quod ad comprehendendum illum cohortem misit, *cum insidiaretur eis*, id est, ita ut insidiaretur eis, ita ut flammam invidiæ magis ac magis accrescere faceret in eis. Dicebat enim: *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* (*Matth.* XXVII). Item, cum adduxisset *eum foras* et sedisset *pro tribunali:*

Ecce, inquit, *rex vester.* Clamantibus illis: *Tolle, tolle, crucifige eum,— Regem vestrum*, inquit, *crucifigam?* (*Joan.* XIX.) Talia dicendo nimirum insidiabatur eis, id est, hoc agebat, ut invidiæ flammam magis ac magis augesceret in eis. Et vide nequitiam hominis mendacissimi, callidi et insidiatoris. *Tota*, inquit, *nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus, quasi ignis flammæ.* Qua nocte tota illa dormivit? Nimirum eadem nocte qua manum suam extendit, id est, cohortem misit. Nusquam enim adfuit persona ejus vel interfuit tota nocte illa, qua illi velut clibanus succensi, furiose in illum ardentes insanierunt, conclamando, conspuendo, colaphis cædendo, palmas in faciem ejus dando. Inter hæc intus continuit se usque mane, et tunc apparuit ipse succensus quasi ignis flammæ. Siquidem *Mane facto*, inquit evangelista, *vinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato præsidi*, videlicet, *consilium ineuntes, ut eum morti traderent* (*Matth.* XXVII). In illo consilio is, qui tota nocte dormierat, Pilatus, quasi ignis flammæ succensus in verba prorupit, ardens pariter et succendens, et ardentes instigans verbis supra memoratis, ne ab illo, quo ardebant, invidiæ incendio refrigescerent. Quid multa? *Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos.* Omnes, inquit, calefacti sunt, seditio convaluit, et vidit ipse Pilatus, imo videre gavisus est gaudio maligno, quod seditio convalesceret, nihilque proficeret cogitando, quod ullam in eo causam inveniret, et fingendo mirari se quod instarent, ut regem ipsorum crucifigeret. Ita omnes calefacti flamma zeli et invidiæ, quasi clibanus: omnes, inquam, principes sacerdotum et ipse Pilatus, Scribæ et Pharisæi, persuadentes turbis Judæorum, conclamantes, milites præsidis illudentes, et omnia quæ scripta sunt peragentes. Sed quid? *Et devoraverunt*, inquit, *judices suos.* Miro modo dictum, quod judices suos devoraverunt. Væ devoratoribus illis, quia devoraverunt, id est condemnaverunt, illos a quibus judicandi sunt. Judicum primus ipse est Dominus Jesus Christus, venturus judex vivorum et mortuorum; cæteri vero judices apostoli sunt, quibus ipse locutus est: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Istos, quantum in ipsis fuit, devoraverunt, quia videlicet ipsum Dominum sic se occidere putaverunt, ut omnino moreretur et periret nomen ejus. Apostolos autem in fugam converterunt, maximum ex illis Petrum negare compulerunt. Igitur miseri, atque a misericordiæ foribus excludendi, mira infelicitate illos devoraverunt, quos judices habituri sunt, illos judices habituri sunt, quos devorarunt, quo modo vel in quantum potuerunt. Sequitur: *Omnes reges eorum ceciderunt, non est qui clamet in eis ad me.* Hoc et de illius temporis statu, quo vitulos aureos coluerunt, et de tempore jam dictæ passionis Dominicæ recte intelligendum est. Nam et tunc ita ceciderunt omnes reges decemtribuum, ut non esset vel unus qui recederet a peccatis Jeroboam. Et itidem quando Christum condemnaverunt, ita reges eorum ceciderunt, ita rectores vel principes eorum excæcati sunt, ac velut rami fracti corruerunt, ut non sit in eis qui clamet ad Dominum. Clamant quidem, sed non ad Dominum imo contra Dominum, blasphemando Christum Deum et Dominum. Quod et si extunc clamare et sacrificare contendunt, resultat eis illud propheticum: *Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I). Ita cadendo quales facti sunt? Ait *Ephraim in populis ipse commiscebatur.* Ephraim omnis ille dicitur, qui recessit a domo David, magis autem ille populus, qui crucifixit Christum filium David, quia veraciter sic faciendo recessit a domo David Sed et de hac et de

B illa recessione jam superius diximus, quia hæc illi similis est, imo illic cœpta recessio hic consummata est. Ergo Ephraim, id est, omnis carnalis Israel et carnalis Judaismus, apud quem non est David, neque semen ejus Christus, in populis commiscebatur et commiscetur, id est, inter gentes reputatur. Nam contra, Israel verus inter gentes reputatur, sed habitat solus, juxta illud: *Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur* (*Num.* XXIII). Item et Moyses benedicendo loquitur: *Habitabit Israel confidenter et solus* (*Deut.* XXXIII). Hic Israel sanctus et mundus est. Is autem, qui nomine Ephraim in præsenti loco denotatur, immundus est et sordidus, in populis commistus. Hoc est quod sequitur: *Ephraim factus est subcinerius panis, qui non reversatur.* Quod idem est ac si dicat: Invidiæ flam-

C mis quasi in clibano decoctus, sub cinere peccatorum suorum premitur, et ad pœnitentiam non convertitur. Nam sicut panis subcinericius a cinere non emundatur, nisi reversetur; ita Judaicus populus, qui, ut sæpe jam dictum est, veraciter recessit a domo David, atque idcirco a nomine Ephraim per spiritum propheticum denotatur, a peccatis suis non liberatur, **48** quia ad fidem Christi non convertitur. Itaque in populis commiscetur, populorum nominibus, quibus commistus est et similis factus est, jure censetur, juxta illud: *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cetea* (*Ezech.* XVI). Nec vero tantummodo in populis commiscetur, verumetiam in malis meritis præfertur. Exempli gratia, cum Dominus dicit: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione*

D *ista, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic* (*Matth.* XII). Et his similia. Diligenter verba propheticæ veritatis persequamur, quibus iste Ephraim vehementer culpatur. *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit.* Vere manifestum est quia *comederunt alieni robur ejus*, id est abstulerunt omnem dignitatem regalem sive principalem, qua olim tanquam in juventute sua roborabatur. Ecce enim hodie non est illi rex, neque princeps, aut dux, *et ipse*, inquit, *nescivit.* Quid rescivit? Nimirum illud quod nescire, sed magnopere scire debuit, quia non prius comederetur, non

prius omnino devoraretur tale illud robur ejus, donec veniret verum robur et princeps fortitudinis Christus. Sic enim patriarcha Jacob fuerat prælocutus : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus,donec veniat,qui mittendus est* (*Gen.* XLIX). Quo tempore venit ille,quem venisse credimus,natum ex utero Virginis, quem negavit iste Ephraim, factum est istud. *Alieni,* scilicet gentiles Romani, *comederunt robur ejus,*id est,regnum ejus ablatum tradiderunt suis satellibus,scilicet Herodi et posteris ejus, et postmodum venientes insuper tulerunt locum et gentem illius.Hoc *ipse nescivit,*imo nescire voluit,ut diceret, aut dicat quia Christus jam venit, si verus est sermo quem tantus patriarcha dixit. Nec vero taliter comederunt alieni robur illud, ut possit recuperari, sed ita ut irrecuperabile sit.Hoc est quod ait : *Et cani effusi sunt in eo, et ipso ignoravit.* Ac si dicat : Sicut homini præ senectute canescenti jam non est spes ut recuperetur in eo robur juventutis ; ita populo illi, ex quo regnum sic perdidit, non est spes recuperandi, nisi illa quæ vana est, et fallax erit, et frustrabitur eum,quando videlicet pro Christo suscipiet Antichristum. Hoc ipse ignoravit,canos istos in semetipsos non attendit. Vir autem quicunque verus Israelita exstitit vel nunc est, ipse non ignorat, quia sic senuit et incanuit Ephraim ut jam non sit sicut heri et nudiustertius,quando toties victus vel captus ab hostibus post fatigationem captivitatis regnum quasi juvenile robur recuperare potuit. Eruditus homo canos istos sic intelligit, ut ad similitudinem respiciat Abrahæ senis, et Saræ jamjam decrepitæ matris.Sicut enim illi tunc Isaac genuerunt.quando in illis cani effusi sunt, cum ante Sara sterilis fuisset (*Gen.* XXI), ita tunc demum Christus nasci debuit de populo illo, quando regno ablato invalidus factus est. Quomodo hæc ipse nescivit, aut quomodo ignoravit? Malo nimirum et pessimo inscitiæ vel ignorantiæ modo, nolendo intelligere, nolendo scire,repellendo scientiam hanc, sicut superius Dominus dicit : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Ose.* IV). Ergo quod dicitur, *et ipse nescivit, et ipse ignoravit,* id est ac si diceretur : Propter culpam superbiæ cæcatus est quia scire contempsit.Unde et protinus subditur *:Et humiliabitur superbia Israel in faciem ejus.* Superbia namque Israel palam nunc est quod in faciem ejus humiliata sit,quia propter superbiam *contigit cæcitas in Israel* (*Rom.* XI), ut Apostolus ait, *velamen* quod *positum est super cor eorum* (*II Cor.* III), sicut præsignabat velata exterius facies Mosi,humiliatio superbiæ Israel est. In conspectu omnium, qui revelata facie contemplantur gloriam Domini,humiliatio quæ propter superbiam contigit, cognoscitur in facie ejus, in corde et sensu ejus.Præterea sic quoque humiliata est eadem superbia in faciem ejus,ut tunc ab Assyriis et Babyloniis captivitatis jugo premeretur, pro eo quod prophetas occidit, et postea miserabilius a Romanis disperderetur, pro eo quod prophetarum

A Dominum Christum crucifixit. Quamvis in eadem humiliatione cervicem subrigeret adversus Dominum, dicendo : *Semen Abrahæ sumus,et nemini servivimus unquam*(*Joan.* VIII),tamen nihilominus servi peccati, sub hominibus quoque servile jugum ferebant, Romanis serviebant, ut cæteris regnis serviebant,et servitutis ejusdem grave adhuc experimentum capere habebant, cadentes in ore gladii, et in omnes gentes ducti captivi,in his omnibus humiliatur quidem, sed nihilominus perseverat superbia, dum in synagogis suis ipsum quem experti sunt victorem Christum blasphemant. Hoc est quod sequitur : *Nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his.* Vere duræ cervicis populus (*Exod.* XXXII), qui tot flagellis coer-
B citus,ad Dominum non revertitur. Super hoc admirans ipse Dominus in Isaia loquitur : *Super quod percutiam vos ultra,addentes prævaricationem?*(*Isa.*I.) Nimirum velut districtus Dominus, cum omnes virgas et flagella cuncta castigando consumpserit,miratur servum incorrigibilem et contumacem. Unde hoc ? Videlicet quia velatum et obduratum habent cor,imo quia nec habent cor.Sequitur enim :*Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* In eo quod non absolute ait,*factus est quasi columba,* sed addidit,*seducta,*bonam columbæ significationem præsenti loco penitus exterminat. Amplius autem cum apponit adhuc, *non habens cor,* seductionem ejusdem et vacuitatem totius boni miro exprimit modo. Siquidem adversus id, quod de columba pro
C bona similitudine dici vel scribi solet, non habens fel, dicitur hic, *non habens cor.* Quanta putas distantia est inter non habentem fel et non habentem cor? Quanta, inquam, differentia, columba habens fel et non habens cor,a columba non habente fel et habente cor,sejuncta est?Magna profecto et omnino contraria. Sic plane et tanta dissimilitudine sejunctus est carnalis Israel a spirituali, qualis tunc erat ille Ephraim, qui seductus est,ut recederet a domo David, et nunc est iste Judæus qui negavit Christum Filium Dei. Columba esse debuit manendo in simplicitate atque unitate paternæ fidei, sed et tunc et nunc seducente diabolo recessit in felle amaritudine in inopia cordis.Quo recessit ?Quo abiit? *Ægyptum invocabant, et ad Assyrios abierunt.* Quomodo Ægy-
D ptum invocabant? Deos Ægyptios colebant, ex quo corpore et non mente de Ægypto exierunt. Tunc enim cum vix exissent, vitulum in deserto fecerunt. et adoraverunt (*Exod.* XXXII) more Ægyptiorum, sicut inter eos facere consueverant. Verba quoque ipsorum Ægyptum invocantium hæc fuerunt : *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panes in saturitate* (*Exod* XVI). Item : *Constituamus nobis ducem,et revertamur in Ægyptum* (*Num.* XIV). Et his similia. Postquam autem terram adepti sunt tam bonam, ut Ægyptiacis carnibus vel panibus non indigerent, nihilominus tamen Ægyptum invocaverunt. Duos enim vitulos fe-

A cerunt eadem, imo et majori, dementia quam olim in deserto fecerant et adoraverant unum. Hoc modo propter suam ingluviem, **49** atque luxuriam Ægyptum invocantes, ad Assyrios quoque abierunt et similes illis facti sunt, videlicet per superbiam, atque ita in populis commisti non tam Israelitæ, quam Ægyptiii, vel Assyrii dici meruerunt. Amplius autem, quando, ut sæpe jam dictum est, Christum negaverunt, regemque suum esse Cæsarem professi sunt, et non alium, *Ægyptum invocabant et ad Assyrios abierunt*, id est, hominum sine Deo, qui solum diligunt hoc sæculum, et malignorum spirituum sese socios in damnatione fecerunt. Sed quid sequitur? *Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum, quasi volucres cœli detraham eos.* Secundum metaphoram columbæ seductæ et non habentis cor, pulchre significat quod comprehendantur in superbia sua, qui per superbiam quidem quasi volando sese extollere ausi sunt, sed nihilominus infirmi sunt atque invalidi, ut columba. *Cum*, inquit, *profecti fuerint*, videlicet olim, dicendo: *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai* (*III Reg.* XII), et nunc clamando: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XVI), *tunc expandam rete meum, et quasi volucres cœli detraham eos*, ut neque cum gloriosis et liberis quos æmulantur penna libertatis volare possint, neque apud me liberi sint, sed pœnas dent vanæ spei et præsumptionis, primum in Assyriis et Chaldæis captivi, et deinde sub Romanis per totum orbem vinculis et retibus captivitatis distracti atque compediti. His dictis æquam protinus et justam accumulat sententiam, dicens: *Cædam eos secundum auditionem cœtus eorum.* Auditio namque cœtus eorum illa exstitit, quam hodieque audimus et legimus, quia vanum sibi finxeruut timorem, et dixerunt: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Hunc timorem pontifices et Pharisæi collecto consilio finxerunt, et totum consilium cætus universus audivit, et aurem libenter apposuit, ut quasi ex necesitate viderentur occidere Christum. Sed quid econtra illis evenit! Non quia occiderunt illum cum Romanis regnaverunt, sed potius hoc exigente sub Romanis pœnas dederunt, veneruntque Romani, locumque illis et gentem tulerunt. Igitur *cædam*, inquit, *eos secundum auditionem cœtus eorum*, id est, inducam super eos formidinem quam formidaverunt, quam sibimet confixerunt, non vere formidantes, sed formidinem ejusmodi veram videri volentes. *Væ eis, quoniam recesserunt a me: vastabuntur, quoniam prævaricati sunt in me. Et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Ita *cædam eos*, ut et secundum animam *væ illis* sit, *quoniam recesserunt a me*, et secundum corpus vastentur, quoniam *prævaricati sunt in me.* Neque enim tantummodo in legem meam prævaricati sunt, in meipsum manus miserunt, meipsum tradiderunt ad crucifigendum. Et vide quam ingrati sint. *Ego redemi eos*, et olim ex Ægypto, et nunc a peccatis in sanguine meo, scelus quoque meæ mortis ignoscens illis ita ut dicerem: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII), *et ipsi* pertinaciter *contra me mendacia locuti sunt.* Nam et militibus copiosam dederunt pecuniam, dicentes: *Dicite quia discipuli nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus; et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant docti. Et divulgatum est apud Judæos verbum illud usque in hodiernum diem* (*Matth.* XXVIII). Hæc et hujusmodi mendacia contra me locuti sunt, et loqui non desinunt.

Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis. Super triticum et vinum B *ruminabant, et recesserunt a me.* Diligenter in verbis istis divinam perpendamus justitiam, quia hic causa est propter quam carnalis Israel existimetur vel reputetur Edom sive Esau, et non Israel. *Et non clamaverunt*, inquit, *ad me, sed ululabant.* Quidnam est clamare ad Dominum, nisi desiderare Dominum? Cæterum, si quis orationem multiplicet, quantum vis clamando et lacrymando, non habens intentionem in hoc, ut ipsum mereatur habere Deum, sed ut aliud qui obtineat terrenum sive transitorium, non veraciter dici potest clamare ad Dominum, id est ita clamare ut clamor ejus ad Domini Dei perveniat auditum. Iste qui sic clamat, nimirum similis est Esau, de quo scriptum est: *Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno et consternatus* C *ait: Benedic etiam et mihi, pater mi* (*Genes.* XXVII). Non utique alium quærebat benedictionis fructum, nisi hunc, ut in isto sæculo dives ac potens existeret. Idcirco postmodum sequitur: *Cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum: In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Sciebat enim quid quæreret, et idcirco illius benedictionem ejusmodi præfinivit. Ait ergo: *Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis*, id est, non fuerunt mihi devoti, cor eorum mecum rectum non fuit; non meipsum, sed quæ mea sunt quæsierunt, et propter hæc ejulabant *in cubilibus suis*, id est in synagogis suis, quæ nimirum non Ecclesia mea, sed cubicula ipsorum sunt. Vere *ululabant*, quia *super triticum*, inquit, *et vi-* D *num ruminabant;* sola quæ ventris sunt quærebant, et recesserunt a me, videlicet non quærendo habere me. Hoc modo revera non ad generationem pertinent *quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob* (*Psal.* XXIII), sed ad generationem Esau. Hoc sentiens Apostolus dicit ad Hebræos: *Ne qua radix amaritudinis rursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi; ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam* (*Hebr.* XII). Usque hodie infelices Ju-

dæi sic ululant in cubiculis suis, neque inveniunt pœnitentiæ locum, ut benedictionem hæreditare possint, quanquam cum lacrymis inquirant eam. Quare? Quia non clamant ad Dominum in corde suo, sed *super triticum et vinum* ruminant, id est, non cœlestem quærunt gratiam, non peccatorum optant remissionem, non regni futuri suspirant gloriam, sed ululant et ruminant propter illius terræ iracundiam, in qua tritici et vini se habuisse recolunt abundantiam, sicut in Psalmo scriptum est : *Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant* (*Psal.* XXXIV). Nam quia terram illam ab adventu Salvatoris nostri propter sanguinem ejus se amisisse non ignorant, idcirco irascuntur, et zelo maligno inflammati blasphemant illum. Et *recesserunt a me*, inquit. Vere recesserunt, imo et legationem miserunt post ipsum dicentes : *Nolumus hunc regnare super nos* (*Luc.* I). *Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam.* Sententia hæc magnæ admirationis habet sensum. Idem enim est ac si dicat : Ego, in quem cogitaverunt nequitiam, ego ille sum qui erudivi eos, ego ille qui confortavi brachia eorum. Erudivi nimirum dando legem, et docendo non esse vitam hominis tantum in tritico et vino super quod nunc ruminant, sed in sermone Dei, quemadmodum Moyses dicit: *Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum manna,* **50** *quem ignorabas tu, et patres tui, ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei* (*Deut.* VIII). Postquam *erudivi* eum, postquam legem dedi illis, et circumduxi, et docui, custodiendo quasi pupillam oculi mei, tunc demum *confortavi brachia eorum*, constituendo super excelsam terram ut comederet fructus agrorum (*Psal.* CIV), et ita confortati sunt, ut reges fortes occiderent, duces, principes, et reges eorum, et longo tempore possiderent labores populorum. Ille qui hæc feci illis, ego ipse sum in quem cogitaverunt malitiam, videlicet hanc, ut me crucifigerent. Dixerunt enim : Suspendamus eum in ligno, et proinde maledictus erit, nec reputabitur filius Benedicti, de quo Psalmista cecinit : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Psal.* CXVII). Moyses namque scripsit, quia *maledictus a Deo est qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI). Hanc *in me malitiam cogitaverunt*, sed hæc ipsa malitia eorum excæcavit eos, ut non viderent ac scirent quod contrario per crucem ejus in omnes gentes benedictio, id est, peccatorum daretur remissio, et per eam omnia trahere ad seipsum (*Joan.* XII). *Reversi sunt ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus.* Mira rebellio perversorum, quibus quod in rectis corde suave est et leve, importabile videtur et ferre non possunt. *Jugum* quippe Domini *suave est, et onus* ejus *leve* (*Matth.* XI), duræ autem cervices et male fortes humeri illorum ferre non potuerunt. Idcirco *reversi sunt ut essent absque jugo*, ut non haberent legem aut regem malis voluntatibus suis contradicentem, sed ita revertendo *facti sunt quasi arcus dolosus*, id est, semetipsos interfecerunt

A ac perdiderunt in modum arcus dolosi, qui retrocidente sagitta, ipsum a quo tenditur percutit. Fugiendo namque jugum Dei sive imperium Christi, perniciosum sibi subierunt jugum hominum, mortiferum sibi fecerunt jugum Romani imperii. Imo et intendentes arcum rem amaram, ut sagittarent in occultis immaculatum (*Psal.* XCIII), eodem arcu sagittis ipsis in semetipsos reversis perierunt, sese æterna damnatione percusserunt, dicendo : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). Hoc est quod continuo sequitur :

Cadent in gladio principes eorum a furore linguæ suæ. Furor namque linguæ illorum quasi gladius acutus exstitit, quemadmodum Psalmista cecinit, quia *acuerunt ut gladium linguas suas* (*Psal.* LXIII).
B Item : *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI). Furor linguæ ejusmodum ille sermo nequam exstitit, quem firmaverunt sibi clamando : *Tolle, tolle, crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX). Et hic linguæ gladius sic acutus Mariæ quoque animam pertransivit, juxta dictum Simeonis (*Luc.* II). Ab illo furore, id est, propter illum furorem *linguæ suæ cadent*, inquit, *in gladio principes eorum*, et sic factum est. Legimus et miramur Josephum narrantem illud mirabile excidium Hierosolymorum, in quo sic ceciderunt et nunquam suum possint recuperare statum, foris Romanorum, intus gladiis concisi suorum concivium et contribulium, ut multo aliter quam gladiis cecidissent Assyriorum sive Babyloniorum. Et merito, quia nimis longum traxerant peccatorum funi-
C culum. Ait enim : *Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.* Et est sensus : Ista peccantium insania non nova est, sed inveterata, ex quo gens ista nata est in terra Ægypti. Illic namque patres istorum, qui subsannaverunt Christum Dominum legis et prophetarum, subsannaverunt Moysem missum sibi a Deo, ut liberaret eos de manu Ægyptiorum. Licet enim clamarent ad Dominum propter afflictionem et duram servitutem, tamen mira dementia missum sibi liberatorem subsannaverunt, dedignando intelligere quod visitarentur et salvandi essent per illum. Hinc Stephanus protomartyr, cum præmisisset : *Existimabat autem intelligere fratres suos, quoniam Deus per manus ipsius daret salutem illis. At illi* inquit, *non intellexerunt* (*Act.* VII). Et post pauca :
D *Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes* (*Exod.* II) : *Quis te constituit principem et judicem? hunc Deus principem et redemptorem misit, qui accepit verba vitæ dare nobis, cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron* (*Exod.* XXXII) : *Fac nobis deos, qui præcedant nos. Moysi enim huic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit. Et vitulum fecerunt in illis diebus* (*Act.* VII). Ego quod in Ægypto subsannatio illorum jam sævierit palam est, et ex ipsorum quoque verbis attestantibus potest colligi. Cum enim persequeretur eos Pharao, illi videntes exercitum ejus.

dixerunt: *Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes; Recede a nobis ut serviamus Ægyptiis?* (*Exod.* XIV). Illic nimirum testantur se illum repulisse mira invidentiæ crudelitate, ut cum clamarent ad Dominum ob suam liberationem, personam liberantis odirent, et cum sibi salutem cuperent, illi personæ quam noverant gloriam ministerii salutaris inviderent. Eodem morbo corrupti, cum regem nimis importune quæsissent, dotam sibi secundum cor Domini personam odere regnantem, invidebantque gloriæ triumphatoris, cujus contra gentes inimicas gloriabantur triumphis, in tantum ut contra illum susciperent filium ejus Absalon, deinde Seba filium Bochri, deinde Jeroboam filium Naboth, semel et iterum dicentes: Non est *nobis pars in David*, neque *hæreditas in filio Isai* (*II Reg.* XX). Eadem iniquitate sive subsannatione perseverante, cum regem magnum per prophetas prænuntiatum exspectassent Messiam, ad magnam generis sui gloriam venientis odere personam, et illam quam ex lectione poterant animadvertere Christi gloriam stanti in medio ipsorum personæ nimis crudeliter invidebant. Igitur ista subsannatio eorum in terra Ægypti, id est, sic subsannaverunt Moysen in terra Ægypti, sic subsannaverunt Christum Filium Dei, sic subsannaverunt David, sic subsannando negaverunt Moysen, negaverunt David, negaverunt Christum ante faciem Pilati. Et idcirco *cadent in ore gladii*, ut jam dictum est, propter istum *linguæ suæ* furorem, propter istam suam subsannationem. Quid proinde facies, o propheta?

CAP. VIII. — *In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini, pro eo quod transgressi sunt fœdus meum et legem meam prævaricati sunt. Me invocabunt: Deus meus, cognovimus te. Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.* Hæc annuntia, et annuntiando *in gutture tuo sit tuba*, quia videlicet populo huic bellum est, et non pax. Aquila namque veniet super domum Domini, id est, Romanum imperium, cujus militare signum aquila erat, veniet super civitatem, in qua est domus Domini. In Ezechiele, ubi contra Judam prophetia dirigitur, decem tribubus jam in Assyrios translatis per aquilam Nabuchodonosor significatur his verbis: *Aquila grandis alarum magnarum longo membrorum ductu, plena plumis et levitate, venit ad Libanum et tulit medullam cedri, summitatem ejus avulsit*, etc. *Nescitis quid ista significent? Dic: Ecce venit rex Babylonis in Hierusalem, et assumet reges et principes ejus, et adducet eos ad se in Babylonem* (*Ezech.* XVII). Hic autem ubi non adversus Judam tantum, sed adversus omnem
51 Israel prophetia texitur, et quasi tuba declamare jubetur, recte secundum supra dicta per aquilam excellentia Romani intelligitur imperii, cujus, ut jam dictum est, militare signum aquila fuit, ante susceptum vexillum crucis, eo quod aquila rex avium esse dicatur, et cujus ob honorem Herodes

A quoque auream fixit aquilam super templum Domini, ut refert Josephus. Hæc *aquila*, inquit, *super domum Domini*, id est, Romanum imperium ad destruendam irrecuperabiliter gloriam sacerdotii Judaici veniet. Quam ob causam? *Pro eo*, inquit, *quod transgressi sunt pactum meum, et legem meam prævaricati sunt.* Poterat enim objicere quis et dicere quod istud Deus faceret vel fieri sineret contra suum statutum, contra fœdus vel pactum, quod pepigit cum patribus eorum. Nam ut de cæteris taceamus, nunc ad Salomonem qui primus ædificavit illam domum Domini, taliter dixit: *Exaudivi orationem tuam et deprecationem, qua deprecatus es coram me. Sanctificavi domum hanc quam ædificasti ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum* (*III Reg.* IX). Sed vide quid
B postmodum sequitur: *Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, et cæremonias quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos, et adoraveritis eos, auferam Israel de superficie terræ quam dedi eis, et templum quod sanctificavi nomini meo projiciam a conspectu meo, eritque in proverbium et in fabulam cunctis populis, et domus hæc erit in exemplum.* Ergo in pacto domus illa stetit, id est sub conditione servandæ justitiæ, quam profecto servandam ab illis non esse Deus præscivit. Nam si servandam esse præsciret, nequaquam conditionaliter illis bona sua permitteret, toties dicendo: *Si præcepta mea servaveritis, si in viis meis ambulaveritis*, quod in lege frequens, sed absolute et modo prædicativo, vel promissivo, sicut ad Abra-
C ham locutus est in promissione seminis, quod est Christus. Non enim dixit, Si egressus fueris de terra tua, sed *Egredere*, inquit, *de terra tua*, et cætera, et *benedicam tibi* (*Genes.* XII), atque *In te benedicentur universæ cognationes terræ* (*Genes.* XXII). Itemque, in repromissione non dixit, Si feceris rem hanc, et non peperceris filio tuo unigenito, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Quæ universaliter populo pro cultu tabernaculi vel domus Domini, pro cæremoniis servandis promissa sunt, sub conditione posuit providentia Dei præscientis, quod conditionem vel pactum promissionis non essent servaturi, et quod pactum istud irritum facturi essent sicut et Jeremias verbis declamat manifestis. Cum enim præmisisset: *Audite verba pacti hujus*, et facite
D illa, postmodum hæc intulit: *Et hi ergo abierunt post deos alienos ut servirent eis, irritum fecerunt domus Israel et domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum* (*Jer.* XI). Itemque alio loco dicit: *Et nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, quoniam si bene dixeritis vias vestras et studia vestra, habitabo vobiscum in loco isto* (*Jer.* VII). Igitur cum dixisset: *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini*, ne quasi de mutabilitate argueretur, quod abjiceret domum quam prius elegisset, vel in pactum suscepisset, causam reddidit protinus dicens, *pro eo quod transgressi sunt*

fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt quod idem ac si diceret, quia pactum meum irritum fecerunt. Et ista quidem causa contra Judaicos flatus sufficiens est, nec aliam audiri digni sunt, quandiu suam volentes statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti, dum inter cætera quibus sese adversus fidem Christi defendunt, illud quoque subsannant, dicendo consequenter, esse mutabilem Deum, si donum suam nomini suo sanctificatam abjecit, apud Christianos quæsiturus aliam. Qui autem jam pro emerita fide dignus est, ut intret in sanctuarium Domini, et intelligat in novissimis eorum, causas alias audit et reddit, intelligit et dicit, quare super illam domum Domini aquila semel et iterum venire debuerit. Semel namque venit super illam Nabuchodonosor (*IV Reg.* xxv), quem in Ezechiele, ut jam dictum est, per aquilam oportet intelligi, et eamdem domum incendio conflagravit. Iterum venit Romanum imperium cum victricibus aquilis (*II Mach.* v), et non solummodo domum illam, sed et locum et gentem irrecuperabiliter tulit. Semel vel primo permittente Deo, idcirco factum est, ut vetus illud sacerdotium corriperetur. Secundo idcirco factum est, ut omnino tolleretur. Corripiendi namque, atque instruendi erant illius temporis tam populus, quam sacerdotes, ut scirent ipsi et ipsorum posteri, quia non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit Dominus, et quia auro et lapidibus, quibus præfulgebat illa domus, non magis quam fumo aut favilla delectatur, nisi cordium corporumque templa sibi ad habitandum præparentur. Tollendum autem omnino erat in adventu Christi domus vel templi illius sacerdotium, quia temporis illius sacrificium non fuerat jussum, sed permissum, donec cum jussu et præsentia Christi veniret sacerdotium necessarium secundum ordinem Melchisedech. Nam quod illud sacrificium non fuerit jussum, ut jam dictum est, sed permissum, testatur ipse Dominus in Jeremia dicens : *Holocautomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes* ; *quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens* : *Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis* (*Jer.* vii). Ergo sacrificium illud non jussum erat, sed permissum. Ad quid autem permissum ? Ad hoc maxime, ut ordo illius carnalem retineret populum, ne citius dilaberetur ad Ægyptiorum, cæterarumque sacrificia gentium, ut saltem sub nomine veri Dei pingues hostias carnium sacrificarent a quibus omnino avelli nequaquam possent. Hoc ipsum interea testari cœpit Spiritus sanctus per os David, quamvis ille in eadem religione sacrificantium studiosissimus fuit. Ait enim : *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis* (*Psal.* xlix). Nimirum istæ voces parum profecissent ad decutiendum supercilium illius sacer-

A dotii, si post adventum Christi stetisset et locus et gens, et non venisset talis aquila super illam domum Domini. Denique adhuc, postquam super lapidem non remansit, Christum blasphemant ubique terrarum captivi, et blasphemando impedimentum facere noliuntur currentibus quadrigis Evangelii Christi. Quid facerent, si roborati in terra sua consistentes, domumque illam splendidam superstitem habentes tale suæ per fidei fulcimentum digito demonstrare possent? Tali ergo debuit aquila veniente domus Domini destrui, quemadmodum et Daniel angelus prædixit: *Et post hebdomadas*, inquit *sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post*
B *finem belli statuta desolatio. Et deficiet hostia et sacrificium et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem* **52** *perseverabit desolatio* (*Dan.* ix). Nunc ad litteræ textum revertamur. Cum causam reddidisset cur aquila venire permitteretur super domum Domini, dicendo : *Pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt*, continuo subjunxit : *Me invocabunt* : *Deus meus, cognovimus te.* Et est sensus : Mira impudentia, cum sint transgressores, cum sint prævaricatores, invocant me dicentes : *Deus meus, Deus meus, cognovimus te.* Tale est illud in Isaia : *Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit* (*Isa.* lviii). Mentiuntur
C ergo dicendo : *Deus meus, cognovimus te.* Ipse Dei Filius refellit eos in hoc dicto : *Est*, inquit, *Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum* (*Joan.* viii). Quare? Nimirum quia juxta et illud quod prophetavit Isaias: *Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longe est a me* (*Isa.* xxix). Ita modis omnibus verbis ipsorum opera contraria sunt. Idcirco protinus hic propheta subjungit : *Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.* Quod bonum, vel quem bonum Israel projecit, nisi Deum qui summum bonum, qui solus et summe bonus est, cui dicit oretenus, *Deus meus, cognovimus te*? Denique illum projecit, non modo, quia dudum dixit : *Non est nobis pars in David neque hæreditas in filio Isai* (*III Reg.* xii), et
D vitulos sibi pro deo statuit, verum etiam quia, quod majus est, Dei Filium extra civitatem projecit, negans eum ante faciem Pilati, et foris inter sceleratos projectum crucifixit. Idcirco *inimicus persequetur eum*, inquit, nimirum juxta maledictiones, quas præscius Moyses in lege præscripsit: *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos. Per unam viam egrediaris contra eos et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ, sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cœli, et bestiis terræ, et non sit qui abigat* (*Deut.* xxviii). Quod ita factum sit, assertione nostra non indiget. Sequitur : *Ipsi regnaverunt et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi, argentum suum et aurum suum fece-*

runt sibi idola ut interirent. Qui regnaverunt non ex me? Nimirum ipsi qui bonum projecerunt, primum qui cum Hieroboam recesserunt a domo David, deinde qui crucifixerunt, vel negaverunt Filium Dei, filium David. Primo videndum de illis regibus, qui, regno scisso a domo David, super decem tribus regnaverunt, utrum vero ex Deo regnaverunt, an non? Videtur namque repugnare verbis istis illud quod in illa divisione regni scriptum est: *Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, et ait ad Hieroboam: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus* (*III Reg.* XI). Item, cum congregasset Roboam multitudinem exercitus, ut reduceret regnum sibi, factus est sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: *Loquere ad Roboam, et ad omnem domum Juda, dicens: Non ascendetis, nec bellabitis contra fratres vestros,* filios Israel. *Revertatur vir in domum suam: a me enim factum est verbum hoc* (*II Par.* XI). Hæc, ut jam dictum est, repugnare videntur verbis istis: *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi.* Sed absit ut sanctæ Scripturæ verba sibimet repugnantia vel contraria sint. Quærimus ergo qualiter et veritas historiæ consistat, et nihilominus vera sit hæc sententia prophetica. Hoc intendentes originem perpendimus illius mali, vel schismatis, quia nimirum facto illo prior exstitit quod historia narrat expletum per manus Abiæ Sylonitis, et confirmatum per Semeiam, virum Dei. Quænam illius mali origo fuit, nisi odium, quo Israel regem suum David semper odio habuit? Nunquam enim volens sapientiam, fortitudinem, atque humilitatem, qui fuere tres primi sortes David, populus ille sustinuit, utpote malis intentus studiis, et idolatriæ cultui, cui servire non poterat, regnante David. Hujus rei summum illud judicium fuit, quod cum non haberent alium, quem statuere possent super illum depellendum, filium ejus Absalon susceperunt. Verum quandiu vixit David, quandiu filius ejus Salomon cum sapientia processit, peccata illorum consummari non potuerunt, ut liceret ejus judicio Dei pervenire ad effectum (*III Reg.* XI). At ubi merita domus ejusdem David, quæ peccatis illorum præponderaverant, sic infirmata sunt ut Salomon per fornicationes depravatus serviret diis alienis, tunc demum manum suam Deus subtraxit, et prævalens Israel contra domum David, velut equus indomitus sese excutiens, frenum rupit, et abiit, suisque studiis congruum sessorem Hieroboam suscepit. Hoc nimirum ex Deo non fuit, et idcirco nunc dicit: *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi.* Ut autem non posset eos retinere, vel revocare Roboam, divino factum est judicio, atque idcirco illic, ait: *A me enim factum est verbum hoc.* Ad summum ejus sententiæ, qua dictum est, *ipsi regnaverunt, et non ex me,* illud pro foribus argumentum est, quia regnaverunt absque

A legitima Dei unctione. Unctio namque regalis in domo David, et in tribu Juda remansit, reges autem decem tribuum absque unctione regnaverunt. Sane unus Jehu filius Josaphat filii Namsi, quantulacunque unctione rex constitutus est, et hoc ex Domino, verumtamen non eumdem Jehu comprobante, sed condignam de domo Achab ultionem exigente. Tantummodo lenticulam olei fundens super caput ejus unus de filiis prophetarum dixit: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Domini Israel, et percuties domum Achab domini tui, et ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, et sanguinem omnium servorum Domini de manu Jezabel, perdam omnem domum Achab* (*IV Reg.* IX), etc. Iste unus regnaverit ex Domino, et

B principem illum cognoscere, Deus utcunque dignatus sit, verumtamen tantummodo ad vindictam, quia domum Achab delevit et Baal exterminavit, non autem ad gratiam, quia peccata Hieroboam, id est vitulos aureos, non dereliquit. Quapropter vera undique est sententia: *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi,* quia præter istum unum unctum unctionis imperfectæ, cæteri omnes, sicut absque unctione, ita regnaverunt absque vocatione divinæ gratiæ. Nunc demum et de illis animadvertendum, qui usque adeo recesserunt a domo David ut crucifigerent filium David, Filium Dei, quam vere dictum sit: *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi.* Recte enim hoc in reprobationem illorum debuit prophetari, qui

C utique voluerunt temporaliter in hoc sæculo extolli absque adjutorio visitantis gratiæ Dei, sicut in evangelica parabola ipse Dominus innuit, cum dicit: *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas; et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt* (*Matth.* XXI). Quid hæc parabola innuit, nisi quia Scribæ et Pharisæi, videntes Jesum, non ignoraverunt, sed oderunt illum, quemadmodum et ipse dicit: *Nunc autem et viderunt et oderunt et me, et patrem meum* (*Joan.* XV). Cum enim agricolæ dixerunt, *Hic est hæres,* nemo est in eis qui **53** se de ignorantia excuset. Ergo cum dicunt, *Venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas,* recte et veraciter dicat is qui occiditur: *Ipsi regnaverunt, et non ex me,* id est, voluerunt sine me regna-

D re, et sine me divites esse, sedendo super cathedram Moysi, et prædam faciendo de populo, ita ut mentham quoque et anetum decimarent, non curando justitiam, et fidem, etc., quæcunque graviora sunt legis (*Matth.* XXIII). Sed cum illi ore suo semetipsos judicantes, dixissent: *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis* (*Matth.* XXIII), quid, iste intulit? *Ideo dico vobis,* ait, *quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*ibid*). Igitur quod ait: *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi,* idem est ac si dicat: Ipsi quidem regnare voluerunt, sed auferetur ab eis regnum Dei, quia non regnare vo-

fuerunt ex me, et in principatu suo cognoscere noluerunt me, suæ modis omnibus studentes avaritiæ. Nam hoc est quod sequitur: *Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.* Et est sensus: Argentum et aurum plus dilexerunt quam Deum, imo ne ullum auri et argenti detrimentum paterentur, oderunt Christum et Patrem ejus Deum, oderunt et crucifixerunt Christum Dei Filium. Latrocinabantur enim in illo Dei templo, aurumque et argentum sibi congregabant, prædam facientes de populo. Nonne autem Apostolus Christi testatur, quia *avaritia simulacrorum est servitus?* (*Col.* v.) Recte igitur ait, quia *argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola*, quia *simulacrorum servitus est avaritia*, maxime in illis qui præsentes habentes Christum Dei Filium, contra ipsorum avaritiam disputantem, argento et auro magis faverunt, et adversarium mammonæ, id est contemptorem argenti et auri Christum interfecerunt. Quo fructu? Qua mercede? *Ut interirent*, ait Etenim fructus idolorum ejusmodi, fructus mammonæ, fructus argenti et auri interitus est animæ illorum et corporis. Interierunt spiritualiter invisibilibus malignorum spirituum phantasiis, interierunt corporaliter visibilibus Romanorum gladiis. Itaque vicit domus David, victi sunt omnes qui recesserunt a domo David. Sequitur ergo: *Projectus est vitulus tuus, Samaria, iratus est furor meus in eis.* Longa quidem concertatio facta est inter domum David et vitulos aureos quos Jeroboam fecit, sed tandem vicit domus David: vicit, inquam, quando Christus filius David in crucem ascendit. Ibi cornu David, cornu salutis productum et erectum nobis in domo David, confregit, projecit atque contrivit vitulum Samariæ, id est, omnem impietatem dividentem se a domo David, in qua princeps sedet nunc ipse filius David, cujus videlicet divisionis initium sæpe dictus ille materialis vitulus Samariæ exstitit. Et pulchre, cum duo fuerint vituli singulariter, nunc *projectus est vitulus*, inquit. Plus enim significat, quam si dixisset duo vituli, sicut interdum singulariter per militem plus intelligimus quam per milites pluraliter. Militem namque dicere solemus, exercitum significantes. *Projectus* ergo, inquit, *est vitulus tuus, Samaria*, id est, cecidit omnis idololatria, et ab illo principe domus David, Deo, et homine Christo sententiam acceperunt: *Omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* xcv), et *princeps mundi hujus ejectus est foras* (*Joan.* xii). Illud quoque pulchrum est attendere, quod loco præsenti Samariam compellat, quia videlicet quando passionis Christi sacramento destrui cœpit error sive idololatria, fieri hoc cœptum est a Samaria. Cum enim Jerusalem non susciperet, imo persequeretur fidem Christi, sicut scriptum est: *Facta est autem persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ* (*Act.* viii), Samaria verbum Dei cum gaudio magno suscepit, sicut ordo lectionis in Actibus apostolorum patenter depromit: *Iratus est*, inquit, *furor meus*. In quibus vel contra quos *iratus est*, nisi in illis vel contra illos qui vitulum fecerunt, qui idololatriam pertinaciter sectati sunt, qui propter simulacrorum servitutem a domo David recesserunt, imo natum de domo David Christum negaverunt? Nimirum inter istos concluduntur, et maxime sunt vel fuerunt Scribæ, vel Pharisæi. Et idcirco jam extunc templum vel altare illorum, non altare Dei, sed vitulus Samariæ meretur dici: Ecce *furor* Domini *iratus est* in eis et *vitulus* eorum *projectus est*, domus autem David magnificata est. Templum quippe et sacrificium illorum ablatum est, Christus autem et Ecclesia ejus in æternum manet. Et quare *iratus est furor meus in eis*? Videlicet, quia non possunt emundari. Nam hoc est, quod admirando pariter et interrogando confestim subjunxit: *Usquequo non poterunt emundari? Quia ex Israel ipse est. Artifex fecit illum, et non est deus.* Cum interrogando dicit: *Usquequo non poterunt emundari?* subaudiri vult in æternum. Et causam reddit cur in sempiternum non possunt emundari: *Quia ex Israel ipse est*, inquit, *artifex fecit illum.* Causa hæc diligenter animadvertenda est. Sciendum imprimis incorrigibilem esse illum qui non per ignorantiam in mendacium cadit, sed per malitiam de corde suo mendacium confingit. Ille namque verbum dicit contra Spiritum sanctum, qui sciens veritatem Dei, contra mendacium cogitat, et veritatem in mendacio detinet sicut Apostolus dicit: Quicunque talis est, reus est æterni delicti, et non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia ex ipso est quod facit, aut dicit, non ab alio seductus, sed de corde suo seductionem configens, et proprio judicio condemnatus (*Matth.* xii; *Tit.* iii) Nimirum talis ille Jeroboam exstitit, et hoc sacræ Scripturæ conditor Spiritus sanctus nobis intimatum esse voluit, peccatum ejus exprimens verbis hujuscemodi: *Dixit Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, et convertetur cor populi hujus ad domum suam Roboam regem Juda, interficientque et revertentur ad eum* (*III Reg.* xii). Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: *Nolite ultra ascendere in Jerusalem. Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* (*ibid.*). Vera igitur impossibilis emundationis causa, quam dixit, quia *ex Israel ipse est, artifex fecit illum*, id est, quia Israel et rex ejus Jeroboam non aliunde inductus, aut ab alio seductus, aureum vitulum putavit esse deum, sed artificio malitioso confinxit illum, sciens eum non esse deum, et hoc solum intendens, ut populus sibi subditus, tali præstigio fascinatus, verum nequaquam requireret Deum. Idcirco *non poterunt emundari*, et in illo peccato cuncti reges Israel cordis fuere impœnitentis. Porro Baal non ita susceptus est, ut dici posset, quia *ex Israel ipse est*, quia videlicet nequaquam Israel, sive rex Israel illum de corde suo artifici commento confinxit, sed Jezabel a Sydone adveniens secum illum advexit, et

suscepit eum Israel pro favore reginæ, et regis Achab, pellecti nimiumque proni ad serviendum sævitiæ muliebri, et idcirco quandoque potuerunt emundari, ut non colerent illum, sicut in eisdem sacris habemus litteris. Jehu namque studiose super hoc fecit, quod rectum erat, et placebat in oculis Domini **54** et delevit Baal de Israel (*IV Reg.* x). Non ita peccatum Judæ exstitit, quamvis et Baal et cætera idolorum portenta coluerit. Nullum quippe illorum ex ipso fuit sed aliunde accepit, et idcirco emundari potuit, aliquoties emundatus est, sicut legimus, quia rex ille, et ille statuas, vel simulacra confregit, lucosque subvertit, et fecit quod rectum erat in oculis Domini. At postquam eo perventum est ut peccatum peccarent Judæi, de quo veraciter dicas, quia ex ipsis est, et quia peccati ejusdem fuere artifices, jam non possunt emundari. Quod illud peccatum est? Nimirum illud mendacium aureolum, quod fabricati sunt, dicentes: *Blasphemavit*, quia *dixit se filium Dei* benedixit, *et si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Matth.* XXVII; *Joan.* I) Quod inquam, fabricati sunt, dando pecuniam copiosam militibus, ut dicerent, quia *discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus* (*Matth.* XXVIII). Sicut veraciter illic de vitulo dictum est, quia *ex Israel ipse est, artifex fecit illum* et non est Deus; ita et hic veraciter dicas de hoc mendacio, quia *ex Israel*, sive ex Judæis est, *artifex fecit*, id est, malitiosa mens excogitavit, et confinxit illum, et non est verum. Utrumque etenim excogitato sive accepto consilio factum esse Scriptura refert. Et sicut illic, lingua foris vitulum ostentans diceret, *Isti sunt dii tui, Israel*, conscientia testis intus refragabatur, sciens et dicens quia non est Deus. Ita et hic, dum consultarent, et per pecuniam obtinerent, quatenus verbum hoc divulgaretur, *furati sunt eum, nobis dormientibus*, sciebant et conscientiam refragantem intus audiebant quia non est verum. Postquam sic peccaverunt, non veritatem ignorando, sed mendacium excogitando, jam *emundari non potuerunt* jam non remittitur eis, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia tale peccatum consequitur impœnitens cor resistens Spiritui sancto. Utrumque projectum est, et ille vitulus, ad quem transversi sunt olim, recedentes a domo David, et illud simulacrum avaritiæ, cui servientes crucifixerunt Christum filium David, et *iratus est furor Domini in eis*. Vere *projectus est vitulus*. Sequitur enim: *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ*. Item vere *iratus est furor ejus in eis* Unde et protinus subjungit: *Quia inventum seminabunt, et turbinem metent. Culmus stans non est in eis germen, non faciet farinam. Quod et si fecerit, alieni comedent eam.* Ab his experimentis utrumque comprobatur, et quod vitulus projectus sit, et quod furor Domini iratus sit in eis. Magnam quippe projectionem, sive abjectionem, demonstrat hoc argumentum, quod vitulus quondam præcultus

A aureolus et ob frequentiam festivitatum perpolitus, derelinquitur in telas aranearum, id est, ita negligitur, ut vacet araneis suarum contexione telarum totum cooperire et sordidare vitulum. Hoc ita ut dicitur factum est per passionis Christi triumphum, non tantum in vitulo Samariæ, sed in cunctis simulacris gentium. Nihilominus et vitulus mendacii Judaici, de quo jam dictum est, factus est in telas aranearum, id est, tam infirmum est atque invalidum contra veritatem, ut sunt telæ aranearum. Hinc Isaias dicit: *Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt* (*Isa.* LIX). Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operietur operibus suis. Exempli gratia, ut appareat quam facile mendacium illorum solvi possit, dicimus eis: O milites vigiles,

B qui dicitis, ut estis docti, quia *discipuli ejus venerunt nocte, et furati sunt eum, nobis dormientibus*, si dormistis, ut dicitis, unde hoc ipsum scire potestis, quod venerint et eum furati sint? Ergo telas araneæ texuistis vos, et consiliarii vestri, quia quam facile solvitur tela araneæ, dissipatur et vestri compositio mendacii. Item magnam innuit iram, quod ait, quia *ventum seminabunt, et turbinem metent, culmus stans non eis germen, quia non faciet farinam*. Et: *Quod et si fecerit, alieni comedent eam*. Belli quippe turbinem et famem panis sonant hæc sono litterali, sed longe graviora sunt quæ intelligimus sensu spirituali, scilicet turbinem judicii æterni, et famem audiendi verbum Dei. At ille populus ejusmodi erat, qui spiritualia sive invisibilia hæc mala non pertimesceret, præsentia tantum et corporalia cupiens

C bona, metuens mala. Ergo secundum ejus puerilem intellectum bene litteram hoc modo contexuit, ut exterius sonet famem panis, interius significet famem audiendi verbum Dei, qua videlicet fame nunc ille populus periit. *Ventum* autem *seminabunt*, id est opera inutilia facient, et sicut ventum solet sequi turbo tempestatis, sic opera illorum sine dubio sequetur valida tempestas judicii Dei. *Culmus stans* apud eos, littera est legis et prophetarum, et iste culmus *non est germen*, sive non habet germen *in eis*. Notandum diligenter quod cum dixisset, *culmus stans*, nequaquam ait, non est in eo germen, sed *non est in eis germen*. Denique in culmo sacræ litteræ est germen sive granum spiritualis intelligentiæ, sed *non in eis*, quia non intelligunt spiritum vi-

D vificantem, solamque ruminant litteram occidentem. Hoc ipsum repetit verbis aliis, dicendo, *non faciet farinam, quod et si fecerit, alieni comedent eam*. Nam non faciet farinam, subauditur in eis, sicut jam dixerat, *Non est in eis germen*. In quibus autem est germen, aut facit culmus ille farinam? Nimirum in alienis, id est, in gentibus sive populis qui in Christum credentes, de culmo litteræ illius comedunt spiritualis intelligentiæ farinam. Nam hoc est quod ait: *Quod et si fecerit, alieni comedent eam*. Pro minimo esset infidelibus illis talem pati famem sive sterilitatem, nisi etiam corporaliter nunc præsentia mala sustinerent. Sequitur ergo:

Devoratus est Israel, nunc factus est in nationibus quasi vas immundum, quia ipsi ascenderunt ad Assur. Et sensus: Devoraverunt hostes Israel, ita ut jam non sit populus, sicut prædictum fuerat (*Psal.* LXXVII; (*Rom.* X): Et ego provocabo eos in eo, qui non est populus, sive et ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, et cum ceciderint in ore gladii, qui superfuerint ex eis, captivi ducentur in omnes gentes et ubicunque fuerint pro immundis habebuntur, ut vere sunt. Ipsi enim sunt qui cum blasphemarent Dominum dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII), taliter denuntiati sunt: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et cum venerit, invenit scopis mundatam, et tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* (*Luc.* XI). De homine namque immundus spiritus exivit, et per loca inaquosa ambulavit, quando de populo Israel per Moysen et Aaron cultum Dei suscipiente recessit, et gentes possedit. Ibi *requiem quærens, non invenit*, quia veniens Christus exspectatio gentium, fortiter istum inquietavit, et foras misit. Reversus ergo est in domum suam, id est in illius populi synagogam, quam quia invenit *scopis mundatam et ornatam*, id est, per hypocrisim pulchram, suamque volentes statuere justitiam, nunc ingressus habitat ibi, *cum septem* **55** *aliis spiritibus nequioribus se*, scilicet cum omni spiritu impietatis et blasphemiæ. Recte ergo dictum est: *Nunc factus est in nationibus quasi vas immundum*, habitantem quippe habet in se spiritum immundum. Ipsæ autem nationes vasa immunda sunt, direpta illi forti armato, quemadmodum ait ipse Christus, semetipsum significans (*Luc.* XI) *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis et deripere vasa ejus, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum illius diripiet?* (*Matth.* XII.) Sic immundus Israel cur factus est? *Quia ipsi*, inquit, *ascenderunt ad Assur.* Assur, quod interpretatur *dirigens*, plerisque Scripturarum locis superbum diabolum significat ut illic: *Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse, in manum ejus indignatio mea* (*Isa.* X). Et post pauca: *Et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus* (*ibid.*). Ergo *quia ipsi ascenderunt ad Assur*, id est, quia sese in superbiam extulerunt, ita ut filii sint Assur, sicut Dominus ait: *Vos ex parte diaboli estis* (*Joan.* VIII), idcirco *quasi vas immundum* facti sunt *in nationibus*. Completa est igitur et illa beatæ Mariæ prophetia, quam dixit: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (*Luc.* II). Quia videlicet propter superbiam et dispersi sunt, factique contemptibiles ubique terrarum, et *culmus stans*, ut jam dictum est, *non*

A *facit in eis farinam.* Quod et si facit, non *alieni* esurientes comedimus *eam*. Ascensum illum quo ascenderunt ad Assur adhuc denotat, ita subjungens: *Onager solitarius sibi Ephraim munera dederunt amatoribus, sed et cum mercede conduxerunt nationes.* Onager, id est agrestis asinus, hominem stultum atque superbum significat, sicut in Job scriptum est: *Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri liberum se natum putat* (*Job.* XI). Recte ergo per onagrum carnalis Israel, sive Judæus hic intelligitur, qui vinculo Domini ligari, et ad præsepe ejus duci contempsit, sicut in Isaia ipse Dominus dicit: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit* (*Isa.* I).
B Nam sicut per bovem qui possessorem suum, et per asinum qui præsepe domini sui cognovit, credens ac fidelis quisque intelligitur, ille de Judæis, iste de gentibus; sic Israel, qui Dominum eumdem non cognovit, vel populus, qui eum non intellexit, imo cognoscere aut intelligere noluit, recte onager dicitur, id est asinus quidem, sed superbus, asinus præ stultitia, sed infrenis et præsepii dominici contemptor, vel ignarus præ superbia. Iste onager solitarius, id est populus a rectore Deo profugus et solus, utpote Dei desertor et a Deo desertus, quid fecit, aut quo declinavit? *Munera*, inquit, *dederunt amatoribus, sed et cum mercede conduxerunt nationes.* Qualibus munera dedit amatoribus? Profecto amatoribus sine fide, amatoribus
C amantibus in simulatione, qui sic amant ut amantes faciant, qui sic amare simulant ut decipiant, ut videlicet cum animas devoraverint a Deo vero Creatore suo, protinus denudatos et auxilium non habentes invadant, ut possideant suamque tyrannidem in eos exerceant. Ergo ironice dictum *amatoribus*, nam veraciter dicere posset hostibus: tales Assyrii, cæteræque nationes fuerunt, quibus Israel misisse munera refert Historia sacra, divinum non sperantem auxilium. Ut vero de futuris more prophetico dictum intelligas, tunc *amatoribus munera dederunt*, quando Christum Filium Dei crucifigentes, Barabbam quasi pro munere diei festi, non utique Deo, sed diabolo cunctisque malignis spiritibus falsissimis amatoribus, certissimis deceptoribus reserveverant, et ob destruendam Dominicæ
D resurrectionis veritatem mendacium supradictum copiosa pecunia militibus data comparaverunt. Quid faciat Dominus onagro huic, populo huic, qui taliter effugit? Ait: *Nunc congregabo eos, quiescent paulisper ab onere regis et principum.* Et est sensus: Quoniam ipsi effugerunt a me, congregabo eos in obsidionem et in gladium, prius Assyriorum et Chaldæorum, et deinde Romanorum, et deinde, sicut superius jam dixi, *multis diebus sine rege et sine principe sedebunt* (*Ose.* III). Et nota quod dixit, *quiescent paulisper*, quia videlicet labor illis erat et grande onus habere reges et principes, qualium severitas onagrum illum ad præsepe Domini re-

A ligaret, quales fuere judices usque ad Samuel, per quos Israel salvatus est, quales fuere reges David, Ezechias et Josias, ac deinde rursus principes usque ad Machabæos duces et ad ultimum ipse Christus, regum Rex, et principum Princeps. Isti omnes onus fuere illis, nec eos ferre poterant impatientes, tanquam sub nimio pondere curvi et anheli, propriæ voluntatis amatores, quomodo pueri lascivi et adolescentes petulantes magistros severos et pædagogos odisse solent austeriores. Quiescent paulisper ab ejusmodi onere requietione nimis damnosa, nunc enim dimittam *eos secundum desideria cordis eorum*, ut eant *in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX). Quiescent quidem, si paulisper, quia cum excusserint se occidendo, scilicet maximum Regem B et Principem suum, Christum, atque hoc facto quiescere se putaverunt diu ab onere velut importabili, tunc alio prementur onere, nec requiescent gravissimis hostibus suppositi. *Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt aræ ei in delictum, scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ reputatæ sunt.* Causa hæc est malorum sequentium. Quomodo *multiplicavit altaria ad peccandum?* Videlicet in eo quod aliud quid coluit extra unum Deum, quod sacrificavit extra sanctuarium vel ordinem legitimum. Siquidem unus erat Deus, et unum altare ejus, quocunque in loco vel quantiscunque in locis una fide nomen ejus invocatur. Ille autem altare aliud fecit vitulo suo, qui, ut supra dictum est, non est Deus. Hoc utique fuit multiplicare *altaria ad peccandum*, et taliter C exstructæ *factæ sunt ei aræ in delictum*, quando Baal quoque et cætera deorum portenta suscipiens, tot aras habuit quot dæmonibus sacrificavit. Reddam ei multiplicitatis vicem, nam quia multiplicavit altaria, multiplicabo et ego leges meas, nova lege reprobando sacrificia, quæ illis lex vetus instituerat. Unde et sequitur: *Hostias offerent immolabunt carnes, et comedent, et Dominus non suscipiet eas.* Istæ leges carnium et hostiarum velut alienæ computantur ei, sed tamen meæ sunt. Nonne et David hoc idem testatur cum dicit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech?* (*Psal.* CIX). Reprobaverunt illi altare meum, et altaria sua multiplicaverunt, reprobabo et ego sacrificia carnium illorum, et multiplicabo leges meas, quas illi per cæcitatem mentis intelligere D non poterunt, et velut alienas computabunt, sed tamen meæ sunt. *Immolabunt carnes, et Dominus non suscipiet*, immolabitur sacrificium novum, et Dominus suscipiet. Non erunt veteris et novi sacrificii leges contrariæ, sed *multiplices*. Ipsi autem dicunt esse contrarias, quia cæci sunt. Scribere nihilominus, et scribere non desinit eidem populo Dominus leges suas, leges evangelicas. Notandum hoc est, quia non dixit tantum Scribam **56** leges, sed *Scribam*, inquit, *ei*, quæ videlicet *leges*, ipsæ *multiplices*, quas velut alienas computant, continentur in ipsius libris, testificatæ sunt a lege et prophetis. Magna est hic vindicta peccatorum præcedentium, quod sic cæci facti sunt, velut alienas computent leges istas, quascunque per doctores vel Scribas evangelicæ veritatis, per ministros Novi Testamenti Deus scribit, *non littera, sed spiritu* (*II Cor.* III). Magna, inquam, damnatio, quod a claritate ista sub velamine cordis absconduntur. Hoc est quod protinus subjungitur: *Nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum. Nunc* enim, id est in hoc ipso quod velut alienas computant et non suscipiunt, non intelligunt, aut intelligere nolunt leges istas, *recordabatur Dominus iniquitatis eorum*, et excæcatio hæc, visitatio peccatorum eorum quæ fecerunt a die qua primum in deserto vitulum formaverunt, usque ad illam diem qua Christi sanguinem fuderunt, sicut vindex prædixit Deus ad Moysen: *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*Exod.* XXXII). Hæc est vindicta quam in Psalmo sanguinis Christi exposcens, cum dixisset: *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII), continuo subjunxit: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et deorsum eorum semper incurva* (*ibid.*). Hoc idem et in præsenti loco propheta secretius innuens, continuo subjungit:

Ipsi in Ægyptum convertentur. Ægyptus namque *in tenebras* transfertur. Est ergo sensus: Ipsi excæcabuntur et aggravabunt cor sicut aggravavit Pharao et Ægyptus. Unde et Apostolus, cum de ipsis dolore intimo loqueretur, repente Pharaonem pro exemplo intulit hoc modo. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra* (*Rom.* IX). Est enim hoc simile illi, quia videlicet sicut Pharao et Ægyptii videndo magnalia Dei, magis ac magis præ invidia sunt indurati et excæcati; sic isti, qui debuerant esse Israel, quanto majorem ex jam dictis legibus audiunt gloriam Christi, tanto magis indurantur, et scandalizantur, et in blasphemias offendunt et corruunt cæcis oculis. Veraciter ita dictum: *Ipsi in Ægyptum convertentur*, id est fient Ægyptus, sicut Ægyptus superbiendo atque invidendo excæcabuntur atque indurabuntur. Unde sequitur adhuc: *Et oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra.* Idem enim est ac si dicat: Et cæcitas contigit in Israel, qua nimis obscuratus, *oblitus est factoris sui*, spem suam in Deo non posuit. Et quid egit ille oblitus Domini? *Et ædificavit*, inquit, *delubra*. Vere ergo *in Ægyptum* conversus est, quia spirituali Pharaoni, id est diabolo ædificavit habitacula, majori servitutis miseria, quam olim Pharaoni illi civitates Phyton et Ramesses ædificaverant (*Exod.* I). *Et Judas multiplicavit urbes munitas.* Et est sensus: Non in Domino confisus est, sed in civitatibus munitis, quasi possint illum munitiones ejusmodi Deo adversante

tueri. Sed vide quid contra dicat Deus: *Et mittam ignem in civitate ejus et devorabit ædes illius.* Hæc, secundum præteriti temporis historiam, ita ut dicuntur gesta sunt, quia sicut historia Regum narrat, quarto decimo anno Ezechiæ ascendit Sennacherib, et omnes civitates munitas cepit, destruxit et igne combussit (*IV Reg.* XXIII). Deinde multo magis Nabuchodonosor rex Babylonis, et civitatem Hierusalem, templum quoque combussit (*IV Reg.* XXV). Ad postremum vero Romanus exercitus prophetiam hanc maxime adimplevit, quia A tunc ignis illius populi ædes irrecuperabiliter devoravit. Spiritualiter delubra et urbes munitæ, quas ille Israel sive Judas ædificavit et multiplicavit, superstitiones fuere, et machinamenta impietatis, quibus sese defendunt, ex quo Christus veritas et veritatis propugnator advenit, in quibus adhuc sese quasi muniti protegunt adversus prædicationem evangelicæ fidei. Propter quod et igni dupliciter sunt traditi, juxta illud de cantico Deuteronomii: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XII).

LIBER QUARTUS.

57 Prolixa invectione peccata Judæ sive Israel, aut Ephraim, spiritus propheticus præsenti loco declamans, mala illis ventura denuntiat acerba nimis et diuturna, non ante finienda donec veniret Romanus exercitus, et cumulatam in ultionem sanguinis Christi miseriarum mensuram in illis compleret. Testatur hoc ipse qui in prophetis olim loquebatur Christus, cum persemetipsum testimonium de præsenti prophetæ hujus declamatione sumens, ita loquitur ductus ad crucifigendum: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, quia ecce dies venient in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos* (*Luc.* XXIII). Hoc nanque propheta hic ante prædixerat, et sic infra scriptum est: *Lappa et tribulus ascendet super aras eorum, et dicent montibus: Operite nos; et collibus: Cadite super nos* (*Ose.* X). Dicebat autem Dominus de tribulatione et ira, quæ ventura erant per manus Romanorum populo illi in ultionem sanguinis sui. Igitur quocunque nomine propheta hic utatur, sive Judam, sive Israel, sive Ephraim vocet eos, ipsi sunt Judæi illius temporis, quod propheta prospicit intendens in adventum Christi, et maxime illius mala ista denuntiatur, qui patrum suorum recedentium a domo David, mensuram impleturi erant, crucifigendo magnum et verum David. Nunc ita cœpto tenore, ordinem prophetiæ persequamur.

CAP. IX. — *Noli lætari, Israel, noli exsultare sicut populi, quia fornicatus es a Deo tuo. Dilexisti mercedem super omnes areas tritici. Area et torcular non pascent eos, et vinum metietur eis. Non habitabunt in terra Domini.* Notum est, quia *lætari* et *exsultare* voluit *Israel sicut populi*, et hoc peccatum ejus manifestum est, ut inferius hic propheta dicit: *Ex diebus Gabaa* etc. (*cap.* X), id est ex diebus Saul, qui fuit de Gabaa. Tunc enim Israel hoc ipsum, quod vellet lætari et exsultare sicut populi, manifestavit Samuel his verbis: *Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis. Constitue nobis regem ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes* (*I Reg.* VIII). Cum- B que diceret Dominus: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim abjecerunt te, sed me ne regnem super eos. Juxta opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto, usque ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi* (*ibid.*). Cum, inquam, hæc et cætera diceret Dominus, et Samuel ille cuncta contestaretur, iterum firmius manifestavit Israel, quod vellet lætari et exsultare sicut populi, dicens illi: *Nequaquam; rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes; et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis* (*ibid.*). Nimirum hæc lætitia populorum, hæc exsultatio est gentium regem alium habere quam Deum, et hac lætitia lætari, tali exsultatione C exsultare voluit Israel, quando regem Saulem expetivit, quando secutus est Hieroboam, relicta domo David, quando Christum negavit ante faciem Pilati, dicens: *Nos non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Verum taliter lætari, tali modo exsultare non conceditur populo illi qui legem accepit et cultum professus est Dei, qualiter lætantur vel quomodo exsultant cæteri populi qui nunquam habuerunt notitiam Dei, ut vacet illis, quemadmodum et cæteris gentibus, deserto Deo prosperari in temporalibus bonis. Ait ergo: *Noli lætari, Israel, noli exsultare sicut populi*, subauditur quia non conceditur tibi. Quare? *Quia fornicatus es a Deo tuo*, inquit. Ac si dicat: Aliter enim judicas ut adultera, quæ D fornicando recessit a viro suo, atque aliter meretrix quæ nulli fidem dederat, neque unquam astricta fuerat vinculo conjugali. Tu virum Deum sortita fueras, et tali marito contempto dormisti cum altero viro, imo cum pluribus viris; olim in deserto et in Samaria, sive etiam in Hierosolymis cum vitulis aureis, et cum Baal cæterisque portentis, et novissime cum Barabba latrone, quem tibi negato Christo prælegisti, et hæc adulteria maritus deprehendit. Præcepit autem lex ipsa, quam tu professa es: *Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, adducet eam ad sacerdotem. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, et ponet super manus ejus sacrificium recordationis et*

oblationem zelotypiæ. Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum exsecratione maledicta congessit; adjurabitque eam et dicet: Si declinasti a viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero, his maledictionibus subjacebis. Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo. Putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et utero tumescente putrescat femur tuum. Et respondebit omnis populus: Amen, amen (*Num.* V). Non sic examinatur vel in isto sæculo judicatur meretrix cui non est vir, quem jure adversus eam spiritus zelotypiæ concitare possit. *Noli* igitur *lætari, noli exsultare sicut populi, quia Deo tuo fornicatus es*, quia videlicet lætitiam sive exsultationem populorum non concedunt tibi, quæ in te conscriptæ sunt legis maledictiones. *Maledictus eris in civitate, maledictus in agro; maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ; maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum* (*Deut.* XXVIII), et cætera.

58 Porro populis saltem ista conceduntur temporalia bona ut, verbi gratia sint *promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud*, ut sint *oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ* (*Psal.* CXLIII). Cur ita? Qua ratione sic apud Deum judicatum est? Videlicet, quia populi suos labores possident, tu autem labores aliorum pro mercede accepisti conservandæ legis Dei, sicut in Psalmo scriptum est: *Et dedit illis regiones gentium et labores populorum possederunt; ut custodiant justificationes ejus* (*Psal.* CIV). Hac mercede accepta, datorem Deum diligere, et legem ejus custodire debueras. Sed quid? *Dilexisti mercedem*, ait, *super omnes areas tritici.* Perversa dilectio tua. Nam Deum diligere, mercede autem uti debueras. Tu autem econtrario mercedem dilexisti, Deum contempsisti. Ergo *fornicatus es a Deo tuo*, quia dilectionem, qua Deum diligere debueras, ad diligendam mercedem detorsisti, et hoc non parce, non quomodocunque, sed *super omnes areas tritici* id est tam immensa cupiditate, tam profunda avaritia, ut te explere non queant omnes areæ tritici. Tua namque avaritia ignis est, qui nunquam dicit: *Sufficit.* Talem tamque perversum tuæ dilectionis ordinem Dominus ipse detestans in Evangelio dicit: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem* (*Matth.* XXIII). Item: *Amant autem primos recubitus in cœnis et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi* (*ibid.*). Tam honoris quam pecuniæ mercedem te dilexisse redarguit, quia nimirum in utroque perversa est dilectio animæ fornicantis a Deo, diligentis rem Dei, neglecto Deo. Quid igitur? Quid fieri censet propheticus sermo? *Area*, inquit, *et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis.* Ad auditores

A se convertens, totusque aversus a fornicante populo spiritus, qui hæc dicit, aliis annuntiat quid juste propter hoc eventurum sit. Ac si dicat: Quoniam dilexit mercedem meam, et meipsum contempsit: ipsa merces tolletur ei, scilicet triticum et vinum; et cum in illis speravit, mentientur ei, sicut continetur in maledictionibus legis: *Sementem multum jacies in terra, et modicum congregabis, quia locustæ omnia devorabunt. Vineam plantabis et fodies; et vinum non bibes, nec colliges ex ea quidpiam, quoniam vastabitur vermibus* (*Deut.* XXVIII). Parum hoc erat, ut area tritici non pasceret eos, et vinum pariter mentiretur eis, nisi etiam et olim Assyrio vastante, et post, Romano exercitu debellante, ducerentur captivi. Ait ergo, repente sententiam complens:

B *Non habitabunt in terra Domini*, subauditur, sed in omnes gentes ducentur captivi, et nusquam requies erit illis, quemadmodum itidem Moyses prædixit: *Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus. In gentibus quoque illis non requiesceres, neque eris requies vestigio pedis tui* (*ibid.*), etc. Et notandum, quod non dixerit, Non habitabunt in terra sua, sed *Non habitabunt*, ait, *in terra Domini.* Non vult profiteri quod terra illa, ad quam possidendam ingressi sunt filii Israel, terra ipsorum fuerit aut esse debuerit, sed terra Domini. Et recte; nam hoc ipsum confirmatur auctoritate ipsius Domini dicentis inter cætera legitima terræ, quæ observari jussit: *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est; vos autem advenæ et coloni mei*
C *estis* (*Levit.* XXV). Neque enim terra fuit ab initio illius populi, sed neque suis eamdem terram acquisivit meritis, cum fuerit populus durissimæ cervicis. Unde et Moyses dicit in Deuteronomio: *Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter justitias tuas et æquitatem cordis tui, ingredieris ut possideas terras eorum; sed quia illæ egerunt impietatem, introeunte te deletæ sunt; et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac et Jacob. Scito igitur, quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessio-*
D *nem, cum durissimæ cervicis sis populus* (*Deut.* IX). Recte igitur dictum, *Non habitaverunt in terra Domini*, pro eo ut diceret, Non permanebunt in terra quam Dominus dedit illis, quæ nequaquam ipsorum erat, sed *terra Domini*, quia videlicet nec ipsorum ab initio fuit, nec eam pro ullis adepti sunt meritis suis. Porro et alia est terra, quæ dignius dicatur terra Domini, scilicet *terra viventium* (*Psal.* CXLI), in qua et Psalmista portionem suam esse dicit; et credit *videre bona Domini* (*Psal.* XXVI). Num ergo saltem in terra poterunt habitare coloni isti; et suscipiet eos illa terra viventium quos ista tera Chanaan evomuit? Nequaquam. Sequitur enim:

Reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit. Non libabunt Deo vinum, et non placebunt ei. Sacrificia eorum, quasi panis lugentium, omnes qui comedent eum contaminabuntur, quia panis eorum, animæ ipsorum non intrabunt in domum Domini. Recte ergo non specialiter dixerat, *non habitabunt in* ista *terra Domini*; sed generaliter, *non habitabunt in terra Domini*, quia videlicet sicut de illa corporaliter ejecti sunt in terra Domini, sic spiritualiter atque invisibiliter damnati sunt, ut animæ ipsorum non intrent in illam cœlestem domum Domini. Quare? Quia *reversus est*, inquit, *Ephraim in Ægyptum*, id est qui debuerant esse filii Abrahæ, Ægyptii facti sunt, videlicet superbientes in peccatis suis, et propter superbiam suam excæcati et indurati. Notandum, quia tertio jam in ista invectione hoc ipsum dixit, licet verbis aut syllabis parumper demutatis. Supra namque dixerat: *Ægyptum invocabant, et ad Assyrios abierunt*: (*Ose.* VII). Ac deinceps: *Ipsi in Ægyptum convertentur et oblitus est Israel factoris sui* (*Ose.* VIII). Nunc tertio dicit: *Reversus est Israel in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit.*

Notanda sunt etiam incrementa mali, secundum modos cujusque dictionis. Nam quod secundo ait: *Ipsi in Ægyptum convertentur*, plus est quam id quod primo dixerat, *Ægyptum invocabant*: et quod tertio dicit: *Reversus est Ephraim in Ægyptum*, plus est quam id quod secundo dicit, *ipsi in Ægyptum convertentur.* Præterito namque tempore dicendo, *reversus est in Ægyptum*, consummatum discessionem exprimit; atque addendo, *et in Assyriis pollutum comedit*, peccati vel apostasiæ ejus delectationem vehementer coarguit. Secundum hæc dicta, nimirum populus ille de malo in deterius atque in pessimum declinavit. Quando primum de Ægypto exierant, facientes vitulum, *Ægyptum invocabunt* dicentes: *Faciamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum* (*Num.* XIV); sed suæ voluntati permissi non fuerunt. Quando vero peccatum illud auxerunt, et recedentes a domo David, non unum tantum, sed duos vitulos fecerunt (*III Reg.* XII), et suæ voluntati permissi sunt, recte secundum illud prophetico spiritui dicere conveniebat, quia *ipsi in Ægyptum convertentur.* Sed ejusdem conversionis nondum finis erat. Adhuc enim suos ad eos Dominus prophetas mittebat, adhuc lucerna David reservabatur in **59** tribu Juda, ubi tandem crucifixerunt Christum, illuc demum propheta intuitum intendens, jam præterito utitur tempore, dicendo: *Reversus est Ephraim in Ægyptum*, id est Judæi excæcati sunt, tenebræ factæ sunt, obscurati sunt oculi eorum, et sic Pharao et Ægyptus aggravavit cor suum, addendo *et in Assyriis pollutum comedit*; *non libabunt Deo vinum, et non placebunt ei*; evidenter astruit, quia quidquid ex tunc quasi sacrum Judæi comedunt, cum Assyriis, id est malignis spiritibus, pollutum comedunt, quidquid ex tunc libant, quidquid sacrificant, non Deo placitum, sed Deo est adversum, secundum quod et

A per Isaiam dicit idem Deus: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. Ne offeratis ultra sacrificium frustra* (*Isa.* III). Hæc et cætera cum dicit, profecto confirmat præsentem prophetiæ locum, dicentis: *Non libabunt Deo vinum, et non placebunt ei.* Et ut exprimeret, quam *pollutum comedit in Assyriis*, id est cum spiritibus malignis, qui per Assyrios solent designari, protinus ait: *Sacrificia eorum quasi panis lugentium*; *omnes qui comedunt eum, contaminabuntur;* apud Judæos, cum pro mortuo sacrificium offerebatur, ipsum sacrificium vocabatur panis lugentium, videlicet propter hæc, quia pro mortuo erat oblatum, in cujus morte parentes lu-
B gebant. Et quisquis in domo mortui comedisset aliquid vel tetigisset, reputabatur immundus. Unde et aliorsum comedebant usque ad septimum diem. Et ergo sensus: Siculi ea, quæ in domo mortui erant, immunda fiebant, et quisquis ea comedisset aut bibisset, reputabatur immundus, sic istorum sacrificia, quæ Dominus in Isaia sese odisse testatur, immunda sunt, et quisquis inde comedit, contaminatur. Quare? *Quia panis*, inquit, *animæ ipsorum*, subauditur, repositus, juxta illud: *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* VI), *non intrabit in domum Domini*, videlicet quia sacrificatur vel offertur extra gratiam Domini, extra fidem Christi. Hæc propheta quasi ad circumstantes respiciens dixerat; nunc ad ipsos, quibus ante loquebatur, iterum oculos forti zelo terribiles convertit et dicit: *Quid*
C *facietis in die solemni, et in die festivitatis Domini?* Hæc sub interrogatione, ut eos evigilare faceret exclamavit, cunctisque qui audiunt in attentionem excitatis, rursum se convertit, et causam reddit cur eos tam graviter percunctatus sit. Ait enim:

Ecce enim profecti sunt a vastitate, Ægyptus congregabat eos, Memphis sepeliet eos, desiderabile argenti eorum urtica hæreditavit, lappa in tabernaculis eorum. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis. Tanquam diceret: Derident isti me quasi promittentem longinquum diem dum dico: *Quid facietis in die solemni, et in die festivitatis Domini*, sicut mos eorum est, illudere prophetis. Exempli gratia, sicut in Isaia dicunt: *Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta ree-*
D *xspecta, modicum ibi, modicum ibi* (*Isa.* XXVIII). Quoniam ergo non credunt diem illum, aut certe contemnunt, quasi non prope, sed longe venturum, ecce de propinquo molestum datur illis argumentum, ut non vacet eis dissimulare diem illum quandoque venturum, quem dico solemnem, quem dico Domini festivitatem. *Ecce enim profecti sunt*, id est sine dubio in proximo proficiscentur a vastitate decem tribus in Assyrios, et reliquæ duæ in Babylonios. Illos proficiscentur *a vastitate*, id est hic relinquentes solam vastationem terræ, vastata enim remanebit gladio et igne. Qui superfuerunt ex eis, *Ægyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos.* Hoc ita

factum est. Reliquiæ ex Judæis interfecto Godolia, quem rex Babylonis terræ præfecerat, contra Domini præceptum fugientes Chaldæos, ingressi sunt Ægyptum (*IV Reg.* XXIII), et postea, sicut Jeremiæ testatur liber, ibi a Nabuchodonosor interempti sunt (*Jer.* XLI). Memphis, cujus habitatores sepelierunt eos, ante conditam Alexandriam metropolis erat Ægypti. Cur cum dixisset, *ecce profecti sunt*, subjunxit *a vastitate*, satis aperit his verbis: *Desiderabile argenti eorum urtica hæreditavit, lappa in tabernaculis eorum*. Longam nimirum et magnam his verbis significat vastitatem, quia ubi erant quondam domus pulcherrimæ, desiderabiles, et desiderabili argento comparatæ, ibi lappæ ortæ sunt atque urticæ. Ab isto præsentium vel citius venientium malorum argumento, majorum fidem capere poterant malorum de longinquo, ut non liberet eos ridere vel subsannare ad percunctationem dicentis: *Quid facietis in die solemni, et in die festivitatis Domini?* Sane dies ille solemnis, dies festivitatis Domini quis sit, manifestius aperit, cum repetit, et dicit: *Venerunt dies vastationis. Venerunt*, id est certissime venturi sunt, *dies retributionis*. Sive cum singulariter diem, sive cum pluraliter dies dicit, idipsum intendit. Etenim quod hic dies dicitur, alibi dicitur etiam annus. Nam in Isaia Christus ipse dicit: *Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit* (*Isai.* LXIII). Dicitur etiam tempus, ut vere exstitit quando Dominus noster in hunc mundum venit, quando et civitati, quæ illum venientem cognoscere noluit, flens super illam, dixit: *Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ* (*Luc.* XIX). Quod illic dicitur tempus visitationis et in Isaia annus retributionis, hic dicuntur *dies visitationis, dies retributionis*. Istud tempus visitationis, iste dies vel annus retributionis, visitanti Domino solemnis dies est festivitatis, quia ex tunc gloria et honore coronatus est Filius hominis, et sicut in Canticis canticorum legimus, *Dies desponsationis ejus dies lætitiæ cordis ejus* (*Cant.* III) exstitit. Illis autem phreneticis, qui visitantis medici gratiam non cognoverunt, imo repulerunt, dies est retributionis, dies interfectionis, sicut de ejusmodi de Isaias dicit: *Dies enim interfectionis et conculcationis et fletuum a Domino Deo exercituum in valle visionis* (*Isa.* XXII). Sequitur: *Scito te, Israel, stultum, prophetam insanum, virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ et multitudinem amentiæ tuæ*. Iterum conversus ad eum, de quo præcedentia quasi ad auditores loquebatur, consilium illi præbere atque sensatas cogitationes insinuare nititur. Consilium quippe sanum est dicentis, *scito te stultum, scito te insanum, scito te spiritualem*, id est amentem, post spiritualia nequitiæ euntem, spiritum erroris sequentem istud namque scire via vel principium est sapientiæ. Hoc ille de semetipso scit, quem respexit, quem eruditione sua dignum indicavit spiritus timoris Domini. Hinc namque Salomon dicit: *Visio quam locutus est vir, cum quo est Dominus, et qui Deo secum morante, confortatus ait: Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, et non novi sanctorum scientiam* (*Prov.* XXX). Ad magnam ergo visionem illum excitare intendit, adhortando ut sciat se esse stultum, quia videlicet hæc est visio quam locutus est vir, cum quo est Deus. Hoc et apostolus intendens: *Si quis*, ait, *sibi videtur inter vos esse sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III). Nec vero abs re taliter, sed pro negotio magno illum populum admonet, quia videlicet fere nullius gentis homines adeo delectantur videri sapientes aut scientes et magistri, **60** ut homines populi Israel. Idcirco spiritu superbiæ decepti magistri facti sunt erroris, qui nolunt esse discipuli veritatis. Inde est illud væ, quod illis Dominus enuntiat his verbis: *Væ vobis, legisperitis, quia tulistis clavim scientiæ. Ipsi non introistis, et eos qui introierunt prohibuistis* (*Luc.* XI). Est igitur sensus: O Israel qui tibi sapiens videris, qui cum multa mentis elatione prophetasti, et prophetis tuis arrisisti, dicentibus: *Pax, pax* (*Jer.* VI). et non venient super eos mala, scito te et confitere stultum, scito et confitere et prophetam insanum insanias falsas secutum; scito te virum spiritualem, id est spiritu erroris deceptum, et hæc tibi accidisse propter multitudinem iniquitatis tuæ, et propter multitudinem amentiæ. Si enim hoc scieris, si istud confessus fueris, tunc loquente te cum Deo, sapiens fieri poteris, et iniquitates tuæ remittentur tibi. Quod si nunc scire nolueris, scies quandoque, et sine fructu pœnitentiæ pœnitebit te quod stultus fueris, juxta illud Sapientis: *Ergo erravimus a via veritatis, justitiæ lumen non reluxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus* (*Sap.* VIII). Clamavit ad Israel suggerens, imo et inculcans, ut sciat et confiteatur quod stultus sit. At ille pertinaciter stultitiam suam defendit, dicens quod sapiens sit. Itaque rursus ad auditores convertitur, et conquerendo dicit: *Speculatator Ephraim cum Deo meo propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo ejus. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. Recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum*. Magna vehementer malitiæ, vel præsumptionis admiratio, dum dicit, *speculator Ephraim cum Deo meo*. Quid enim est, speculatorem esse cum Deo? nisi speculationis subtilitate contendere cum Deo. Denique sicut pugnare cum inimico, idem est quod pugnare contra inimicum, ita speculari cum Deo, idem est hoc loco, quod speculari contra Deum. Non enim dixit speculator Dei, quod bonum esset. Hoc enim debet esse is, quemcunque Deus vice sua pro animarum custodia vigilaturum posuit, sed dixit *speculator cum Deo*, quod malum est. Sic enim recte denotatur ille, quicunque aliquo machinamento divinis molitur obviare consiliis. Hoc egit Ephraim, hoc Jeroboam fecit. *Dixit* enim *in corde suo*: *Nunc revertetur re-*

guum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, et convertetur cor populi hujus ad Dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me et revertentur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite ultra ascendere in Jerusalem. Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan (*III Reg.* XII). Talis fuit speculator, et sic astute, ut putabat, speculatus Ephraim, et hanc speculationem cum speculatione Dei contulit, prætulitque illius consilio vel speculationi dicentis sibi: *Si igitur audieris omnia, quæ præcipio tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea et præcepta mea, sicut fecit David servus meus, ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David, et tradam tibi Israel, et affligam semen David super hoc verumtamen non cunctis diebus* (*III Reg.* XI). Nunquid non melius se sibi providere putavit, consilium aliud excogitando sibi? Ait ergo: *Speculator Ephraim cum Deo meo.* Dictum hoc admirantis pariter et dolentis sonat affectum. Non enim tantum dixit, speculator cum Deo, sed *speculator cum Deo meo.* Habuit et prophetas Ephraim, videlicet quales erant illi quadringenti quinquaginta viri, quos uno die Elias interfecit (*III Reg.* XVIII), et quales postea Jehu sacrificio simulato Baal, quotquot erant, omnes occidit (*IV Reg.* X). Imo et ab initio, factis vitulis aureis, sicut sacerdotes, ita et prophetas Jeroboam sibimet instituit. De quibus erat ille, qui virum Dei venientem de Juda in sermone Domini contra Jeroboam fefellit, et reduxit secum ut comederet et biberet in domo ejus, propter quod cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit (*III Reg.* XIII). Cum ergo dixisset *speculator Ephraim cum Deo meo*, subjunxit atque ait: *Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus.* Propheta dixit Ephraim, id est prophetas habentem. Et quia prophetæ illi vere insanierant, et nihil quod ad sanitatem pertinexeret, prophetabant, sed tantummodo inutilia quædam insana mente divinabant, idcirco subjunxit, atque ait: *Insania in domo Dei ejus.* Quis autem erat Deus ejus? Utique vitulus aureus, et talis domus Dei erat ea, quæ fuerat vocata Bethel, id est domus Dei. Illic insaniam, id est, insanam prophetiam jam tunc fuisse manifestum est. Scriptum est enim sic: *Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venit filius suus, et narrabat ei omnia opera quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel, et verba quæ locutus fuerat ad regem* (*III Reg.* XIII), etc. Ejusmodi prophetia quam illi prophetabant, recte hic dicitur insania. Quid enim insanius, ut, exempli gratia, de eodem, quem nunc commemoravimus, aliquid proferamus? Quid, inquam, insanius, quam quod et illum virum Dei decepit, et in inobedientiam ruere fecit, sciens et hoc intendens, quod evenit? Exclamavit enim et dixit: *Quia inobediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum, quod*

A *præcepti tibi, non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum* (*ibid.*). Item cum occidisset illum leo, et ille sepelisset eum, dixit ad filios suos. *Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulcro in quo vir Dei sepultus est, juxta ossa ejus ponite ossa mea* (*ibid.*). Profecto enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini. Vere iste insanus erat, taliter nequam alii, nequior sibi. Quid enim iste, nisi per insaniam semetipsum occidit, suæque animæ mortem cum morte aliena apertis perpetravit oculis? Etenim, o insane, si propterea non infertur cadaver ejus in sepulcrum patrum ejus, quia inobediens fuit ori Domini, tibi quid fiet, qui hoc scienter fecisti, quod factus es inobediens ori Domini? Talis prophetia, sic insaniens *propheta, laqueus*, inquit,
B *ruinæ factus est super omnes vias ejus*, subauditur Ephraim, et ad illaqueandum intenti omnes erant prophetæ illi, et prævalebant decipiendo sub nomine prophetarum divinando aliquid. Quid enim dicebant, nisi quod ille jam dictus dixit: *Et ego propheta sum similis tui, et angelus locutus est mihi in sermone Domini?* (*Ibid.*) Si hoc dicendo laqueus factus est viro Dei, ita ut falleret eum, et reduceret secum, quanto magis populum fallebant, et super omnes vias ejus laqueum deceptionis tendebant? Neque enim sinebant, ut auctoritatem haberet quispiam de prophetis Domini, cum sese conferre auderet illi pseudopropheta, diceretque: *Et ego propheta sum similis tui.* Denique pugno etiam interdum sibi auctoritatem contrarius propheta contra
C prophetam Domini vindicare non dubitabat. Sicut alio loco scriptum est: *Nunc igitur*, ait Michæas ad regem Achab, *ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. Accessit autem Sedecias filius Chanaam, et percussit Michæam in maxillam et*
61 *locutus est tibi?* (*III Reg.* XIII). Jam ut ad rem summam recurram, id est ad tempus Dominicæ passionis, quo totius prophetiæ caput intendit. Tunc vero propheta laqueus ruinæ factus est, quando prophetavit Caiphas, quod Jesus moriturus erat pro gente. Hoc nimirum intendens populo insinuare, quod nisi illum interficerent, futurum esset, ut venirent Romani, et tollerent eorum locum et
D gentem. Sic namque prophetando, cunctos illaqueavit et attraxit in consensum peccati, quod velut laqueus inexplicabilis, et loco, et genti, sicut jam apparet, magnæ ruinæ causa exstitit. Illic populus Judaicus recte dicendus erat Ephraim, quia, sicut superius jam dictum est, illic Ephraim, id est, decem tribuum recedentium a domo David, peccata consummavit, crucifigendo Christum Filium et Dominum David. Dicatur ergo *speculator Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus.* Speculatus est enim et quasi speculando contendit cum Deo, putans quod consilium Dei suo destruere posset con-

silio. Dixit enim: *Quid facimus, quia hic homo signa multa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Deus autem econtra speculabatur, quod si non dimitterent eum, sic omnes crederent in eum. Sed et in omnibus quæcunque aiebat, vel dicebat Dominus, speculator aderat ille Ephraim, ille falsitatis fabricator, pharisaicus livor, ut illius admiranda opera vel negarent, vel sinistra interpretatione depravarent, et ut eum aliquando saltem in sermone caperent. Unde Psalmista, cum dixisset: *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL), continuo de quolibet illorum subjunxit: *Et si ingrediebatur ut videret vana loquebatur; cor ejus congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.* Et est sensus: Si quis illorum accedebat ad sermonem, vel convictum meum, ad hoc tantum accedebat, ut insidiaretur mihi, et egrediens ad eos, loquebatur in idipsum, id est, secundum ipsam iniquitatem, quam cor ejus congregavit sibi. Nimirum, quia sic malitiose egit ille Ephraim: Ecce *insania in domo Dei ejus*, insania, inquam, quam totus orbis audivit. Insanierunt enim ex tunc horribiliter seditiosi, et illam seditionem quam in Barraba latrone maluerunt hæreditare, condemnato Jesu pacis principe, sic ventilaverunt intus obsessi ut, sicut Josephus testatur, admirationem simul et dolorem facerent obsidentibus Romanis. Fiebat autem hoc maxime in templo, cujus præsidio firmissimo seditiosi male utebantur. Recte ergo dictum, *insania in domo Dei ejus.* Et quis erat Deus ejus, nisi Mammon, cui serviendo, domum illam fecerant speluncam latronum, et in eo diu latrocinati fuerant? O inexcusabilem malitiam illorum! *Profunde*, inquit, *peccaverunt sicut in diebus Gabaa*, id est: Sicut facere cœperunt in diebus Saul, qui fuit de Gabaa, quando Dominus non ignorans quantum in profundum peccati descendere cœpissent, ac perventuri essent, dixit ad Samuelem: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (*I Reg.* VIII.). Denique non statim factum est ut non regnaret Dominus super eos præsertim cum postmodum, amoto Saul, David illis regem dederit, secundum cor suum, sed certissime futurum erat, ut quod facere cœperat, dicendo: *Constitue nobis regem, sicut et universæ habent nationes*, itemque nequaquam audiemus te, rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes. Hoc ipsum perficerent, negando Christum regem et dicendo: *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Horum quidem medium fuit quod decem tribus recesserunt a domo David, Jeroboam et vitulos aureos secuti, sed tota serie temporum vel generationum, unus idemque exstitit funiculus peccati, quo merito deberent, Domino flagellante, de templo et de regno ejus ejici. Hoc est, quod protinus dicit: *Recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum* (*Matth.* XXIII), ut, videlicet quemadmodum dixit: *Venient hæc omnia super generationem is-*

A *tam*, duplicem recordationis et visitationis recipiant vindictam, temporalem pariter et æternam. Et ut manifestum sit, hoc idem intendere spiritum propheticum, quod Dominus intendit, dicendo, ut jam dictum est, *venient hæc omnia super generationem istam*, quod scilicet superiora patrum peccata portare debeant imitatores filii, repetit altius, et dicit: *Quasi uvas in deserto inveni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum. Ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, et abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum a partu et ab utero et a conceptu.* Hic jam ipsa Dei persona loquens in propheta, peccata ipsa quæ visitanda erant, commemorans, prius sua bre-
B viter quidem, sed mirabiliter ad memoriam audientium beneficia revocat, ut ingratitudinem illorum contra quos sermo est, quilibet perpendens, admiretur cum Mose, et dicat: *Generatio prava atque perversa, hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens?* (*Deut.* XXII.) *Quasi uvas*, inquit, *in deserto inveni Israel.* Israel hoc loco totum bonum, totum electum oportet intelligi. Nam econtra per Ephraim, qui *quasi avis avolavit*, omnes illi sunt intelligendi, qui tantummodo filii carnis, et non filii sunt promissionis, quorum idcirco gloria dicitur esse a partu et ab utero, et a conceptu, quia in sola carne gloriantur Abrahæ, atque idcirco non æstimantur in semine, Israel ego *quasi uvas inveni*, id est, sic super filiis Israel credentibus in me gavisus eum, quomodo gaudet quispiam cum in
C transitu vel itinere dulces ad comedendum uvas invenerit. Ista inventio gratiæ fuit. Ubinam inveni? In deserto, id est, in tali loco, ubi mirum fuit uvas nasci, ubi pro magno habendum sit Israelem, id est, animas Deum videntes sive rectas potuisse inveniri. Desertum illud, fuit terra Ægypti, quia videlicet desertum est terra, vel gens omnis quæ Deum verum deserens, vel non habens, ab eodem juste deserta est. Non solum autem desertum, verum etiam locus erat horroris, juxta illud Deuteronomii: *Invenit eam in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis.* Et quidem illud quoque desertum, per quod circumduxit eos quadraginta annis, hic valet intelligi, sed magis horridum erat illi desertum ipsa Ægyptus, ubi servientes in operibus luti
D et lateris hoc ipsum vapulabant, quod quasi desertos se esse, gementes ad Dominum vociferabantur. Quod illic invenit Israel quasi uvas, id est, quod audivit gemitum eorum, propter dilectionem patrum fecit, sicut Scriptura testatur, ubi præmisso, quia ascendit clamor eorum ad Dominum pro operibus, et audivit gemitum eorum, continuo subjunctum est: *Ac recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham, Isaac, et Jacob, respexitque Dominus filios Israel, et liberavit eos.* Bene ergo cum dixisset, quasi uvas in deserto invenit Israel, continuo subjunxit: *Quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum.* Et est sensus: Quando gemitum

eorum audivi, recordatus sum fœderis quod pepigi cum Patribus eorum.

62 Quomodo autem patres illi, vel qua significatione quasi prima poma ficulneæ dicantur, ille locus Scripturæ nos instruit, quod Adam et Eva cum admisso peccato cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. Recte namque genus humanum propter hoc ipsum ficulnea dicitur, quia primi patres generis humani transgressores facti, foliis ficulneæ pudenda contexisse noscuntur. Cujus nimirum ficulneæ quasi prima poma fuerunt patres eorum, quia videlicet primis sæculi temporibus isti, de humano genere Deo placuerunt. Non quasi prima folia, sed *quasi prima poma*, inquit, *inveni patres eorum*. Quanto meliora sunt foliis poma, tanto utiliores cætera multitudine hominum inveni patres eorum. Etenim, quod non sine gemitu recolendum est, ficulnea hæc multum in foliis luxuriata est, multa cito folia dilatavit, pauciora vero poma tardius protulit. Homines quos more suo natura produxit extra benedictionem vel gratiam Creatoris dicentis : *Crescite et multiplicamini*, et ad illam pertinentes iram, qua mulieri post admissum peccatum dixit : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos*, hujus ficulneæ non poma sed folia sunt. Porro, filii benedictionis poma sunt ejusdem arboris, et patres Israel, de quibus jam dictum est, quasi prima poma fuerunt in summitate arboris, quia pro merito primæ fidei principatum obtinent, et summi sunt in universitate generis humani. *Ipsi autem*, inquit, *intraverunt ad Beelphegor*. Non solum hoc fecerunt, sed inter omnia quæ fecerunt, hoc fuit turpissimum, quod spiritu fornicationis seducti per mulieres Madian (*Num.* XXV), initiati sunt Beelphegor, quem Latini nuncupant Priapum. Et hoc facientes abalienati sunt, ait, in confusionem, id est alieni facti sunt, et non filii patrum talium quos vidi, quos cognovi, quos elegi, ut essem Deus eorum, et ab illa gloria traducti sunt in confusionem, in ignominiam Dei sui, ventris sui, et eorum quæ sub ventre sunt, comedendo sacrificia mortuorum et fornicando cum mulieribus, quæ illos ad sacrificia sua vocaverunt. Vis scire, quantam in confusionem abalienati sunt ? *Et facti sunt*, ait, *abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Ergo facti sunt sicut Beelphegor, ad quem intraverunt. Et revera sic facti sunt, testante alio propheta, cum dicit de simulacris ejusmodi : *Similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII). Et notandum, quod neque iste dixit, *et facti sunt abominabiles sicut* quæ fecerunt, sed sicut *ea quæ dilexerunt*, neque ille tantummodo dixit, *similes illis qui faciunt ea*, sed addidit, *et omnes qui confidunt in eis*. Talis unusquisque est, quale illud est quod diligit, vel in quo confidit, et hoc adeo verum est, ut qui Deum diligunt, vel qui Deo confidunt, auctoritate sanctæ Scripturæ dicantur etiam dii, vel filii Dei. Cæterum si quis faciat iniquitatem, et non etiam diligat, nondum recte dicitur abominabilis, sicut illa quæ fecit. Potest enim fieri, ut recuperet honestatem et beatitudinem, Deo contegente mala ejus facta juxta illud Psalmistæ : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* LXXXI). Nomen eorum qui dilexerunt mala quæ fecerunt; confestim exprimit, dicendo : *Ephraim quasi avis avolavit*. Etenim peccata Ephraim, id est Jeroboam, qui fuit de tribu Ephraim, tempore illo erant vituli aurei, et peccata illa sic dilexerunt, ut ne unus quidem de regibus decem tribuum recesserit ab eis, atque idcirco cuncti quicunque vel prius vel posterius fuerunt, suam diligentes iniquitatem, recte hic denotantur nomine Ephraim. Et vide qualiter opposuerit : *Israel quasi uvas inveni*, inquit, et partes eorum *quasi prima poma in cacumine ficulneæ* vidi, *Ephraim* autem *quasi avis avolavit*. Secundum similitudinem hanc sæpe contingit, in eadem vite, qua dependet uva, super eadem ficulnea in qua dulcia insunt poma, plerumque avis sedet sibi, sed longe aliter ad votum vel commodum agricolæ proprius accedentis. Denique uva pomumque manum ejus exspectat, ut carpat et in os suum mittat, avis autem exiliens evolat. Sic nimirum Ephraim, quicunque ille est filius carnis non promissionis, non exspectavit manum Domini, non voluntati ejus paruit, sed indomitus effugiens, regem suum David dereliquit, Christum filium David denegavit. Israel autem, quicunque existit filius promissionis, radici bonæ inhærens, atque inde trahens amoris pinguedinem præstitit, et tanquam uva, vel ut pomum ficulneæ, colligentem atque eligentem Dominum delectavit. In quo gloriatur uva ista, vel pomum istud, socium radicis, quod portat illa paternæ fidei radix, in eo gloriari nequaquam illa poterit avis, ille volatilis et refuga Ephraim. Sed quid ? *Gloria eorum*, inquit, *a partu, et ab utero, et a conceptu*. Et est sensus : In eo gloriantur quod secundum carnem semen sunt Abrahæ, quod secundum carnem semen faciunt in Israel, quod uxores eorum multum pariunt, quod uteri nuptarum steriles non sunt, quod conceptus eorum multiplices sunt. In hujusmodi gloriantur, et dicunt : *Semen Abrahæ sumus, pater noster Abraham est* (*Joan.* VIII). *Quod et si enutrierint filios, absque liberis eos faciam in hominibus* Ac si dicat : Gloriantur ipsi tanquam commodo, et multum prole sua conferentes Israeliticæ carni, sed palam faciam, quod non delecter ego in multitudine filiorum, qui non promissionis vel fidei, sed tantummodo carnis sunt filii. Nam et si enutrierint et educaverint, si usque ad adolescentiam, et usque ad juvenile robur, gloriam partus, gloriam uteri conceptus sui perduxerint, faciam ut absque liberis sint, ut cadant in gladio filii coram parentum oculis, nullosque genuisse filios illis potius optabile sit. Non autem isto contentus ero : *Sed et væ eis cum recessero ab eis*. Ac si dicat : Non solum hoc malum erit eis, ut fiant absque liberis, ut cadant in ore gladii materialis filii quos enutrierint, sed postquam sic recessero ab eis, postquam sic tradidero illos in manu

hostili, sequitur adhuc væ, id est judicium æternæ damnationis, juxta quod et Psalmista cum dixisset: *Tradentur in manus gladii*, confestim addidit, *partes vulpium erunt* (*Psal.* LXII). Idem enim est, ac si diceret : Corpora illorum gladiis, animæ vero tradentur spiritibus malignis. Quam ob causam ? Ait: *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine*. Et est sensus: Idcirco tam terribile potabunt judicium, corpore et anima damnati, quia peccatum eorum non ex ignorantia vel infirmitate procedit, sed ex superbia, quam per Tyrum notum est significari. Exempli gratia, cum ad Ezechielem Dominus dicit : *Fili hominis, dic principi Tyri : Hæc dicit Dominus Deus : Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti, Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo et non Deus, et dedisti cor tuum, quasi cor Dei* (*Ezech.* XXVIII). Et subinde: *Hæc dicit Dominus Deus : Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti* ; cum ergo præmittens, *absque liberis eos faciam in hominibus, sed et væ eis, cum recessero ab eis*, statim subjungit : *Ephraim Tyrus erat, fundata in pulchritudine* miro modo justæ damnationis causam reddit sufficientem, id est, superbiæ magnitudinem. Et recte per Tyrum vitium designatur **63** peccatoris superbientis, peccata sua defendentis, quia videlicet sicut Tyrus circumvallata mari, non sine periculo pugnantium poterat impugnari, ita quicunque ejusmodi est, non sine periculo redarguentium solet redargui, ut hic idem populus, qui redarguentes prophetas et ipsum Dominum prophetarum occidit. Et notanda qualitas distinctionis, cum dicit, *Ephraim, ut vidit, Tyrus erat*. Idem est ac si dicat : Ephraim in oculis meis superbus apparebat. Gravissimæ namque denotationis est, superbum quemque dici in oculis Domini, econtra humilem esse vel dici in oculis Domini, sicut magnæ approbationis est. Porro pulchritudo est de qua dicit, *fundata in pulchritudinem* : falsa est et vana, qua superbi omnes sibimet pulchri videntur, dum suas sordes cognoscere dedignantur, quin et irasci solent, dum illis a corripiente quod sordidi sint, aliquo modo suggeritur. Sic Tyrus fundata est; sic sibi stare videtur, qui superbus et arrogans est. Propterea, justum est Ephraim pati id quod jam dictum est. Et hoc ipsum repetitur, cum protinus subjungit: *Ephraim educit ad interfectionem filios suos*. Ac si dicat : Propterea, sicut jam præmisi, dicens, absque liberis faciam eos, ita nunc repetens dico : *Ephraim educit ad interfectionem filios suos*, id est interficiendos, et morti destinatos generat filios, imo et ipse interficit eos malo exemplo, ut perinde interficiantur gladio. Sequitur : *Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia*. Mira inclamatio, mira postulatio, Audierat propheta magnam justæ sententiæ severitatem, justam filiorum interfectionem, et mirabiliter infelicium parentum miseratus angustiam exclamavit, et dixit : *Da eis Domine*. Statimque sermone nondum peracto, datum quod quærit dolenter apud semetipsum perpendens percunctatur, et dicit: *Quid dabis eis* ? Quid volo ut des illis ? Nunquid ut salvi sint ? Nunquid ut væ non sit illis, aut ut vivant cum liberis ? Non utique tale quid postulare ausus sum, sed *da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia*. Quare? Nimirum quia dies illi tales erunt ut dicant: *Beatæ steriles et ventres quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt* (*Luc.* XXIII). Hoc sciens ipse Dominus cum ad crucifigendum duceretur, dixit mulieribus quæ plangebant eum, et lamentabantur: *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles et ventres quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt*. Itaque idcirco *da eis vulvam Domine, sine liberis*, quia beati *ventres qui non genuerunt*, et idcirco *da eis ubera arentia*, quia beata *ubera quæ non lactaverunt*. O infelix fecunditas et fecunda infelicitas, cujus in comparatione sterilas, quæ in illa gente pro maledictione reputabatur, beatitudo est! Hæc interlocuto propheta, rationem suam prosequitur in sua persona divina majestas, et dicit: *Omnes nequitiæ eorum in Galgalis, quia ibi eos exosos habui*. Supra dixerat : *Væ eis cum recessero ab eis*, etc., nunc dicit : *Omnes nequitiæ eorum in Galgalis*. Et est sensus : Non mireris, o propheta, nec tibi plus justo dura videatur sententia sive ultio nimis festinata, quia nequitiæ eorum quæ vindicantur, propter quas sententia profertur, non novæ sunt, sed inveteraverunt et ab antiquis diebus semper in pejus profecerunt. Pejus namque in Galgalis, quam in Bethel idola coluerunt, quia videlicet idolum vitulinum in Bethel coluerunt temporibus regum, sed supra jam temporibus judicum in Galgalis nequiter egerunt, habendo illic idola, sicut scriptum est in libro Judicum: *Cumque obtulisset Ahot regi Eglon munera, prosecutus est socios qui cum eo venerant, et reversus de Galgalis ubi erant idola, verbum*, ait, *secretum habeo ad te, o rex*. Et post pauca : *Ahot autem, dum illi turbarentur, aufugit, et pertransiit loca idolorum unde reversus fuerat* (*Judic.* III). Et pulchre dictum, quia de loco idolorum, id est de Galgalis, reversus fuerat, animo quippe idololatriam, quam sectabatur Israel, reliquerat, et miro modo ante hæc in eodem libro scriptum est: *Ascenditque angelus Domini de Galgala ad locum flentium et ait*: *Cur hoc fecistis?* (*Judic.* II.) Denique idcirco de Galgala, ubi erant idola, sicut jam dictum est, angelus Domini ad eos ascendisse dicitur, ut subintelligas eum ad videndas nequitias descendisse illuc eodem descensionis modo, quo alibi dictum est : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est; descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me ; opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII). Præterea regem sibi fecerunt Saulem contra voluntatem Domini, et cum Dominus non lætaretur in eis, imo diceret ad Samuelem : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem*

super eos, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die A *qua eduxi eos de Ægypto, usque ad diem hanc sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi* (*I Reg.* VIII). Ipsi tantum contemnentes offensionem sive conquestionem Domini, lætabantur, sicut illic manifeste scriptum est : *Et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino, et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis* (*I Reg.* XI). Vere *nimis*, quia nimium est, homines lætari cum male fecerint, et exsultare in rebus pessimis (*Prov.* II), sicut lætabantur hi cum tam male fecissent, ut Dominum abjicerent, ne regnaret super eos. Unde et hoc valde notandum, quia lætitia taliter lætantium ibidem in confusionem versa est. Illic enim Saul præsumptuose contra legem, qui non erat de tribu Levi, holocaustum obtulit, et propter B hoc audire meruit : *Nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum ; et præcepit ei Dominus, ut sit dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus* (*I Reg.* XIII). Igitur non novæ sunt nequitiæ, propter quas nunc prædico væ illis, quia jamdudum istæ illorum nequitiæ fuerunt in Galgalis, et ibi lætati sunt in rebus pessimis. Et idcirco non plus justo festina nunc est sententia judicantis, quia sicut lætati sunt in malis, ita non desinent lætari donec loquantur super me labiis, et moveant capita sua dicentes : *Vah ! qui destruis templum Dei* (*Matth.* XXVII), etc. *Ibi*, inquit, *exosos eos habui.* Ubi ? In ipsis nequitiis, quia sic nequiter egerunt et egunt, ut etiam exsultent in rebus pessimis. *Propter malitiam adinventionum eorum de domo mea ejiciam eos,* C *non addam ut diligam eos.* Hoc jam tertio factum est. Prius namque in Assyrios decem tribus ejecit Dominus de domo sua, id est de Bethel, quod interpretatur *domus Dei*, quod nomen Jacob urbi imposuit. Hieroboam vero fecit illam esse domum idoli, ponendo illic unum de vitulis aureis. Deinde tribum Juda ejecit de domo sua, id est de templo quod erat in Jerosolymis, et in Babylonem transmigrare fecit. Verumtamen tunc addidit, ut diligeret eos : reduxit enim eos soluta captivitate post septuaginta annos. Porro, jam tertio sic ejecit eos de domo sua, ut hoc ipsum terribili signo significare dignum duceret, cum flagello ejiciens vendentes et ementes de templo, dicens eis : Scriptum est : *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Matth.* XXI). D Ita ejectis illis postmodum, sicut illic **64** significatum est, *ut caderent in ore gladii, et captivi ducerentur in omnes gentes* (*Luc.* XXI), *non addam*, inquit, *ut diligam eos*, quia videlicet cum in præsenti puniantur, non eveniet illis remissio saltem in futuro sæculo. Sciendum autem, quia de domo sua neminem Deus ejicit, nisi eum qui sponte sua, mente aversa, recedit. Sequitur ergo, et causam dicit, cur de domo sua sese illos ejicere prædixerit. *Omnes principes eorum recedentes.* Item enim est ac si dicat : Idcirco *de domo mea ejiciam illos*, quia *principes eorum omnes recedentes*, sunt. Omnes animo recesserunt, et quamvis labiis me honorent, *cor eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX). Et quidem de regibus decem tribuum palam Scriptura refert, quia omnes recedentes a Deo fuerunt. Nullus enim illorum recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israel. Porro de Scribis et Pharisæis et principibus sacerdotum, quod vere recedentes fuerint, Deus ipse judex fuit et testis, dicente Salvatore : *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra* (*Luc.* XVI), et cætera hujusmodi. Itaque, si quæris cur de domo sua illos Deus ejecerit, cur in Ecclesia vel in domo Dei non sint recepti, dicit tibi : Quia omnes, qui recedentes sunt, id est quia priusquam corpore visibiliter ejicerentur, mente recesserunt, animo longe fuerunt, et idcirco etiam corporaliter ejecti sunt, et ipsa, quæ sola diligebant, terrena, domus Dei lucra vel commoda perdiderunt. His dictis et tali causa reddita, confestim sententiam quam præscripserat, confirmat, repetens ita : *Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient. Quod et si genuerunt, interficiam amantissima uteri eorum. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus.* Quid enim supra dixerat : *Quod et si enutrierint filios, absque liberis eos faciam in hominibus ;* idem nunc repetiit, dicendo, *quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum.* Porro, quod ait, *percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est ; fructum nequaquam facient* ; multum erat secundum sensum ipsorum, ut superius dixerat, *gloria eorum a partu* est, *et ab utero, et a conceptu.* Dum enim gloriantur in carnis fructu, et multiplici partu sive conceptu contendunt non impleri in se, quod nunc ait, *radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient.* Cum ergo hoc dixissent, recte et opportune, quasi dicta corrigens, sententiamque integre perficiens, continuo subjunxit : *Quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum.* Ac si dicat : Quandiu genuerint et fructum ventris multiplicant, videtur eis quod fructum faciant, non putant quod radix eorum exsiccata sit, vel quod sint percussi ferro abscissionis, et de terra viventium eradicati ; sed amantissimorum occisione filiorum discruciati, clamabunt et dicent, quod filios non genuisse melius fuisset sibi. Hæc Deo dicente, statim in sua persona propheta veræ ac justæ sententiæ testis consonat et dicit : *Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum et erunt vagi in nationibus.* Quibus utique verbis utramque damnationem exprimit de qua jam superius dictum est : quia videlicet et secundum animam regno Dei privati sunt, quos Deus abjecit, et secundum corpus captivi, suoque loco expulsi, qui vagi sunt in nationibus ; idcirco quia non audierunt eum, id est quia non intellexerunt, sed quia intelligere noluerunt. Sequitur :

(CAP. X.) — *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit sibi altaria, juxta ubertatem terræ suæ*

exuberavit simulacris. Supra dixerat : *radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient;* nunc autem dicit, *vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei.* Et exponens quid dixerit, *fructus adæquatus est ei*, subjunxit atque ait : *Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.* Ergo ubi dicit, *fructum nequaquam facient*, subaudiendum est, bonum ; et *exsiccata est radix eorum*, subauditur ab omni pinguedine fidei vel dilectionis Dei : hic autem ubi nunc dicit, *vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei*, subauditur malus. Fructus namque malus altaria sunt multiplicia, simulacra exuberantia, fructus ille, cujus secundum multitudinem altaria vel simulacra multiplicavit *altaria* subjungens, *juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris ;* fructus iste, scilicet ubertas terræ in rationibus divinitatis, nec bonus est, nec malus est, sed utriusque, scilicet boni et mali medius, videlicet qui boni fructus, id est bonorum meritorum quædam temporalis merces esse debuerit, sed per pravitatem male utentium quoddam malorum operum instrumentum factus sit. Proinde suapte natura in judicio divinitatis neque malus neque bonus iste fructus meretur addici, sed, sicut jam dictum est, utriusque, scilicet boni ac mali medius; ille autem, de quo dixerat, *nequaquam fructum facient*, sine dubio donus ; et ille, de quo subjunxit : *Fructus adæquatus est ei, secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria*, sine dubio fructus intelligitur malus. Fructus bonus et fructus malus mira invectione discernitur in Isaia, dum in illo dicit Deus de ista vite frondosa : *Et exspectavi ut faceret judicium et ecce iniquitas, et justitiam et ecce clamor* (*Isa.* v). Et quidem quo tempore vitis hæc frondosa, scilicet Israel a domo David recesserat, non valde multum deorum altaria enarratur fecisse sibi sive simulacra, nisi tantum vitulorum duorum quorum alterum posuit in Bethel, et alterum in Dan ; sed hoc ipsum jure multiplicitatis arguitur, quia multum est extra unius Dei altare habere vel unum altare aliud. Sic eo tempore quo in tantum recessit a domo David, ut ipsum crucifigeret filium David, non alios legitur habuisse deos ; quinimo de unius veri Dei cultu plurimum superba religione gloriabatur, sed in hoc altarium atque simulacrorum multiplicitas recte condemnatur, quod veri et summi sacerdotis Christi secundum ordinem Melchisedech, altare vel sacrificium refugiens, altare aliud, altare suum, et sacrificium sanguinis hircorum et vitulorum sibi obfirmavit, nimium intendens avaritiæ, *quæ est simulacrorum servitus* (*Coloss.* III). Porro fructum suum vitis hæc in eo male sibi adæquavit, quod secundum amaritudinem radicis cordis sui, aceto sive vino myrrhato sitientem in cruce potavit. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Recto et valde justo judicio *eorum divisum est*, qui seipsos a Deo diviserunt. Palam ex historiæ Regum serie cognoscitur,

A quam vere, quam multipliciter cor eorum divisum fuerit ex quo diviserunt sese a domo David ; quippe qui fere decies contra semetipsos divisi, reges alios, percussis aliis, sibi locaverunt, et tandem juxta vocem hanc propheticam, *nunc interibunt* in captivitatem irrevocabilem ducti sunt. Porro tempore illo quo semetipsos a vero David, id est a Filio Dei diviserunt, mirum dictu est, quam crudeli discordia contra semetipsos divisa fuerit multitudo Judæorum, sicut miserabilis excidii illorum tragœdia testatur, Josepho scribente, per totum vulgata mundum. Multo quippe crudeliores sibimet per impacabiles seditiones intus exstiterunt, quam **65** esse potuerit foris obsidens exercitus Romanorum. Et revera juste, quia principem pacis Jesum
B condemnantes, Barabbam sibi præelegerant seditionis auctorem. Illos ergo prophetali oculo prævidens, brevi quidem, sed altera declamatione, justam in illos depromit Dei sententiam, *divisum est*, inquiens *cor eorum, nunc interibunt.* Divisionem namque consequitur interitus, juxta illud : *Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur, et domus supra domum cadet* (*Matth.* XII). Interitum atque ruinam regni sive cordis eorum divisi, sequentibus verbis exprimit, ita dicens : *Ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum.* Hoc et tunc de prope factum est, quando Assyriis captivantibus depopulatione merita vastati sunt et tunc de longe futurum erat, quando venientes Romani tollerent et locum et gentem eorum (*Joan.* XI). Tunc enim confracta sunt durissima confractione simulacra eorum.
C Et notandum, quod non dixit : Hostiles exercitus confringet, sed ipse scilicet *Deus meus*, qui, ut supra dictum est, *abjiciet eos, confringet simulacra eorum, depopulabitnr aras eorum.*

Non vult Deus ut homini attribuatur, quando per hominem secundum merita peccantium vindicta divinitatis exercetur. Sed et si quis sibimet attribuit, quod Deo permittente contra populum Dei quidpiam facere prævaluit, ipse cœlestem contra semetipsum indignationem magis adducit, fitque interdum ut propter hoc ipsum minus nocere possit. Unde in cantico Deuteronomii, cum dixisset : *Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum*, continuo subjunxit : *Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent :*
D *Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia* (*Deut.* XXXII). Assur ille, per quem tunc temporis Deus confregit simulacra eorum, et depopulatus est aras eorum, sibimet arrogavit quod sua hoc virtute fecerit, et idcirco dicitur in eum cum indignatione Dei : *Væ Assur. Virga furoris mei et baculus ipse, in manu ejus indignatio mea* (*Isa.* X). Super hoc ille gloriabatur, quasi omnia suis faceret viribus, et idcirco postmodum dicitur contra eum : *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur?* Dicebat enim, quemadmodum idem propheta præmisit : *In fortitudine manus meæ feci, et*

in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum (*ibid.*). Nimirum ita gloriando, sic se exaltando, cœlestem ut jam dictum est, super semetipsum indignationem adduxit, quæ protinus intentatur in eum verbis istis: *Propter hoc mittet dominator Deus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem, et subtus gloria ejus succensa ardebit quasi combustio ignis* (*ibid.*). Cum igitur sic vehementer sermo propheticus enuntiat: *Ipse confringet simulacra eorum, et depopulabitur aras eorum*, idem esse intelligamus ac si dicat: Non manus hostium excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia. Ipse et tunc per Assyrios confregit et depopulatus est, et deinde per Romanos confracturus erat simulacra eorum et depopulaturus aras eorum, quia a domo David recesserunt, quia filium David Christum crucifixerunt. Quam ob causam? Ait: *Quia nunc dicent, non est rex nobis. Non enim timemus Dominum, et rex quid faciet nobis.* Grandis nimirum et vehemens causa damnationis est, quia dicere, *non est rex nobis*, et hoc peccantium conscientiam dicere, *non enim timemus Dominum*, id est propositum habemus non timere Dominum, et proinde cum tumore cordis effari, rex quid faciet nobis quemadmodum dixerant prius: *Quæ pars nobis in David, vel quæ hæreditas in filio Isai?* (*III Reg.* XII.) Sicut enim hoc illi dixerant, sic et sequaces illorum adversus verum David dicturi erant: *Nolumus hunc regnare super nos* (*Luc.* XIX). Hoc enim apertis vocibus conclamaverunt ita ut, dicente Pilato, regem vestrum crucifigam, responderunt: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Profecto hæc dicentes pariter quoque dicebant, *non enim timemus Dominum*, id est propositum habebant non timere Dominum, non portare timore ejus jugum; sed contumaciter dirumpere et projicere omnia vincula sanctorum ejus mandatorum. Nimirum ubi conscientia rebellis sese tali et tanta præsumptione induit, consequabetur ut dicerent etiam hoc, *et rex quid faciet nobis?* Consequebatur namque, ut regem contemnerent Dei Filium, quibus propositum est, non timere Deum Neque enim non ignoraverunt, sed contempserunt et oderunt. Unde ipse rex reprobatus ab eisdem, dicentibus, *et rex quid faciet nobis*, cum dixisset: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, continuo subjunxit: *Nunc autem et viderunt et oderunt et me et patrem meum* (*Joan.* XV). Propter hoc, ecce ipse destruxit simulacra avaritiæ eorum, et depopulatus est templum et altare eorum. His dictis iterum qui loquebatur de ipsis, convertitur ad ipsos, et dicit: *Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus, et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri.* Manifestum est hic, cum dicit, *loquimini*, non imperium volentis, sed permissionem esse indignantis et aversionem dimittentis, ut sit sensus: Jam docendi non estis quid utile sit, sive monendi ut utilia loquamini; vos enim non per ignorantiam errando inutilia loquimini, sed scientia et cum profundo malignitatis consilio mendacia construitis, et arrogantia depravati prophetatis de cordibus vestris; veram autem et utilem prophetiam intelligere non vultis. Loquimini igitur qualia potius vos eligitis, *loquimini verba visionis inutilis*: nam utilia verba loqui vel signa facere quæ prosint, neque vos quæritis, neque datum aut permissum est vobis. Sciendum quippe de pseudoprophetis, quod et si aliquando futura divinant, nihil tamen utile prophetant, et licet nonnulla signa et prodigia fecisse vel facturi esse legantur, nihil tamen utilitatis aliquod eorum signum habere comprobatur. Unde et Joannes in Apocalypsi cum dixisset: *Et fecit signa magna, et seducit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ* (*Apoc.* XIII). Eamdem signorum magnitudinem vanam, totamque inutilem fore insinuans, determinando sic ait: *Ita ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum* (*ibid.*). Quid enim utilitatis habet, ignem in conspectu hominum vel super homines de aere ministerio dæmoniaco cadere? Ejusmodi signa non sunt illius generis, cujus illa quæ nobis Dominus in semetipso designavit: *Euntes*, inquiens, *renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* (*Matth.* XI). Hæc utilia sunt, sicut et verba ipsa, quibus propter hæc eadem signa justum est credi; vos autem, o prophetæ vitulorum (quos Jeroboam fecit, quos Ephraim coluit), *loquimini verba visionis inutilis.* quoniam ita vultis et ferietis fœdus, subauditur nequaquam cum Deo, sed cum mendacio, quemadmodum et Isaias talibus illusoribus dicit: *Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit non veniet super nos, quia posuimus mendacium* **66** *spem nostram, et mendacio protecti sumus* (*Isa.* XXVIII). Hujusmodi fœdus ferietis, et propter hoc germinabit quasi amaritudo judicium, ut videlicet fœdus vestrum deleatur, et in inimicitias implacabiles convertatur, fiatque vobis sicut ibidem apud eumdem Isaiam Dominus dicit: *Et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans cum transierit eritis ei in conculcationem* (*ibid.*), etc. Hoc judicium germinabit fœdus vestrum, ait, quasi amaritudo, id est ut vere amaritudo, ut vere amara radix, juxta illud Moysis: *Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus cujus cor aversum est, ut vadat et serviat diis gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem* servitutem deorum alienorum, et Moyses radicem dixit esse generantem fel et amaritudinem (*Deut.* XXIX). Et iste, cum dixisset, et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri, videlicet remaneant inculti, cultoribus in captivitatem ductis, continuo subjunxit: *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores*

Samariæ. Nam hæc est amaritudo germinans judicium. Hæc est radix, ut ait Moyses, germinans fel et amaritudinem. Ad auditores rursus sese convertit sermo propheticus, miro modo clamans causam propter quam Israel judicetur. *Vaccas,* inquit, *Bethaven coluerunt habitatores Samariæ. Quia luxit super eum populus ejus, quia migravit ab eo. Siquidem et ipse in Assur delatus est munus regi ultori, confusio Israel capiet, et confundetur Israel in voluntate sua.* Cum irrisione non vitulos sexus masculini, sed vaccas, id est feminas appellavit, ut videlicet Israel non solum deos vitulos, sed deas vaccas coluerit. Nec dixit tantum *vaccas coluerunt,* sed *vaccas Bethaven coluerunt.* Magna quippe distinctio vaccarum est earum, quæ figi poterant in Bethaven, id est, in domo idoli, et earum quæ gradiuntur in B armentis, et spatiantur in pascuis. Istæ namque vaccæ vivunt et sentiunt, illæ aureæ sive ex alio quocunque metallo formatæ, non solum insensibilia, verum et inanimata simulacra sunt. Constat autem, quia corpore inanimato corpus animatum vivens et sentiens longe præstantius est. Pulchre igitur et vehementer redarguit nimis depressam hominum stultitiam dicendo, *vaccas Bethaven,* id est vaccas non saltem viventes et lactis alimoniam præstantes, sed inanimatas vaccarum similitudines coluerunt. Notandum et hoc quia non dixit *coluerunt* reges *Samariæ,* sed *coluerunt habitatores Samariæ.* Colere namque recte dicitur, qui sua voluntate et animi diligentia celebrat et adorat sive veneratur. Non ergo populum excusabilem videri sermo hic propheticus patitur, cum dicit: *Vaccas Bethaven* C *coluerunt habitatores Samariæ.* Hoc enim non proprie dictum esset aut dici posset, si regibus vitulos colentibus, metu tantum et non propria fuissent obsecuti voluntate: si inviti paruissent, et non sponte consensissent. Et unde constat quod *habitatores Samariæ vaccas* illas *coluerunt*? Ait: *Quia luxit super eum populus ejus.* Ut ostenderet *vaccas Bethaven* unum in Bethel vitulum sentiendum, non intulit, *luxit super* eis *populus,* sed *super eo,* id est vitulo aureo. Quando vel quam ob causam *luxit populus super eo*? Videlicet quia tempore necessitatis et angustiæ vituli quoque aurei inter munera cætera regibus Assyriis directi sunt. Legimus in Regum volumine, regem Israel Manahen regi Assyriorum Phul misisse argenti talenta mille, ut ei præberet D auxilium (*IV Reg.* XV), inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos esse directos. Et ut sciamus, inquiunt, hoc esse quod dicimus, perspicue sequens versus ostendit: *Siquidem ipse in Assur delatus est munus regi ultori.* Idcirco populus luxit, qui utique non lugeret nisi volens, nisi cum amore magis quam pro regum timore tali idololatriæ deservisset. Cum ergo dixisset, *vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ,* ut confirmaret eos revera vitulum coluisse, voluntarie vitulo deservisse, causam reddidit non firmam dicendo, *quia luxit super eo populus ejus.* Consequitur enim, quod eum

A amore possederint vel habuerint qui luxerunt, quando ablatus est eis. *Populus ejus,* subauditur vituli, non sine magno improperio dicitur, qui debuerat esse unius veri Dei populus. Porro et hoc tradunt Hebræi, quod a sacerdotibus vituli aurei furto sublati, et pro his ænei deaurati fuerint repositi. Cum igitur lugeret populus tempore necessitatis et angustiæ, sicut jam dictum est, vitulos aureos regibus Assyriis esse directos, exsultabant æditui, quod fraus eorum nequaquam potuisset argui vel deprehendi. Hoc est quod continuo subjungit:

Et æditui ejus super eum exsultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo. Lugente populo exsultabant *æditui in gloria ejus,* subauditur populi, hoc est in vitulo quem habebant pro gloria: nam gloriam incommutabilis Dei commutaverant in similitudinem imaginis corruptibilis, non hominis sed vituli. Et quæ pars vitæ detestabilior habetur, populusne, qui luxit super vitulo tanquam super Deo sibi ablato, an æditui vel sacerdotes qui exsultaverunt, eo quod non esset deprehensum furtum, quod fecerant in illo tali Deo? Profundius barathrum damnationis merito illusoribus illis arbitramur destinatum, quia populares forte errando luxerunt, illi autem irridendo, in rebus pessimis exsultaverunt, quia migravit ab eo, id est a populo. Et est sensus: Exsultaverunt quod migrasset, quod sic Assyriis regibus datus esset, quasi jam ultra deprehendi non posset, utrum aureus an æneus esset. Sed quid deinde? *Confusio,* inquit, *Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua.* Postquam enim in Assur pro munere vitulus velut aureus delatus est, deprehensa fraus regi Israel litteris indicatur, et unde se placere æstimaverunt, inde vel maxime confunduntur et offendunt eos quibus munera miserant, æstimantes non furto sacerdotum, sed fraude regum atque consilio hoc esse perfectum. Inde confusio cœpit Ephraim, inde confusus est Israel. Sequitur:

Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquæ, et disperdentur excelsa idoli peccatum Israel. Siquidem pro merito iniquitatis perseverantis hoc emeruit Samaria sive decem tribus, ut rex ejus transiret et regnum ejus solveretur, sicut spuma super faciem aquæ, quæ vera nimirum similitudo est. Sicut enim olla fervente superiores aquæ in spumam bullasque surgentes irrumpunt, ipsæque bullæ subsilientes colliduntur, et aliis emergentibus aliæ crepant et dissiliunt, ita Samaria vel decem tribus, jugi ferventes igne discordiæ, reges alios super alios creaverunt, et usque ad decem vices sicut ex ipsa libri Regum lectione colligi promptum est, percussis regibus, alii reges supersederunt, secundum numerum scissurarum decem pallii, quo descisso, propheta, scilicet Ahias Silonites, dixerat ad Jeroboam: *Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus* (*III Reg.* XI). Decies namque, sicut

67 jam dictum est, regnum illud decem tribuum per discordiam scissum fuit, decies quasi spumam sive bullam super faciem aquæ transire fecit regem suum, alio percusso suscipiens alium. Primo namque scissum est Jeroboam. Secundo, Baasa percussit Nadab filium Jeroboam, et regnavit pro eo. Tertio, Zambri dux mediæ partis equitum percussit Ela, filium Baasa, et regnavit pro eo. Quarto, Amri, qui erat princeps militiæ super Israel, rex factus est ab exercitu, et illo mortuo in peccatis suis, Achab filius ejus regnavit pro eo. Quinto loco, Joram filium Achab occidit Jehu, et regnavit pro eo. Sexto, Zachariam abnepotem Jehu percussit Sellum, et regnavit pro eo. Septimo, eumdem Sellum percussit Manahen, et regnavit pro eo. Octavo, Phacee filius Romeliæ, percussit Phaceiam filium Manahen, et regnavit pro eo. Nono, Phacee filium Romeliæ, percussit Osee filius Ela, et regnavit pro eo. Decimo, tandem dissidio scissum est regnum in rege Assyriorum, qui Osee jam dictum obsedit, et vinctum misit in carcerem, *et transtulit Israel in Assyrios* (*IV Reg.* XVII). Sic et sic Samaria malis suis regem suum transire fecit. *Et disperdentur*, ait, *excelsa idoli*, de quibus videlicet toties Scriptura refert; verumtamen adhuc populus immolabat et adolebat incensum in excelsis, quod erat *peccatum Israel*. Cuncta hæc, ut cætera superiora, altius, sicut prophetalem decet dignitatem, nos animadvertere commonet illud, quod continuo subjunctum est: *Lappa et tribulus ascendet supra aras eorum et dicent montibus: Operite nos; et collibus: Cadite super nos.* Hoc enim nequaquam de angustia captivitatis illius qua tunc in Assyrios translati sunt, sed potius de excidio pene inenarrabili, quo Judæi propter scelus Dominicæ mortis subversi, et in omnes gentes captivi ducti sunt, prædictum esse auctoritate sua Dominus ipse comprobat, qui, sequentibus et lamentantibus mulieribus, dum ad mortem duceretur dixit: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles et ventres quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.* Tunc *incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Cooperite nos* (*Luc.* XXIII). Notandum quippe quod non sic ait: Tunc dicent montibus, sed *incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.* Idem namque est, ac si diceret: Tunc in illa tribulatione sive angustia incipiet impleri, quod per Osee prædictum est. Quod si tunc cœpit impleri, et tunc dicere cœperunt montibus: *Cadite super nos*, quando venerunt illi dies, quos tunc venturos esse dicebat Dominus noster, non utique ad illa tempora sua vel ad mala quæ præsens ipse vidit propheta intendebat, quando hæc dixit vel scripsit. Et revera, si rite perpendas illud quod tunc Israel passus est, quod *anno nono Osee regis Israel cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Haila, et in Abor juxta fluvium Gozam in*

A *civitatibus Medorum* (*IV Reg.* XVII), non tale vel tam grande fuit malum, ut propter illud propheticus dignaretur sic exclamare spiritus, *et dicent montibus: Operite nos; et collibus: Cadite super nos.* Quinimo etiamsi in servos et ancillas venundare illos rex Assyriorum maluisset quam ponere in civitatibus suis, tolerabile, imo et optabile fuisset malum, comparatione tam miserabilis Hierosolymorum excidii. Quemadmodum Esther quoquecum dixisset regi: *Traditi enim sumus ego et populus meus ut conteramur, jugulemur et pereamus*, continuo subjunxit: *Atque utinam in servos et famulas venderemur; esset utcunque tolerabile malum, et gemens tacerem* (*Esther.* VII). Igitur quoniam et illa, quæ de verbis istis propheticis tractavimus, partim
B non ex nota rei gestæ historia, sed ex Hebræorum traditione sumpta sunt, ut supra meminimus. Ipse autem propheta non Judæis perfidis, sed sapienti hæc intelligibilia fore insinuat, cum dicit: *Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et sciet hæc* (*Osee* XIV), rursus eadem repetere libet, et prophetiam secundum tempora, quæ nunc futura erant, notis conferre vel proferre rebus vel sensibus eodem tenore vel cursu, quousque ad præsentem locum pervenimus, Christum et ejus tempora non, dubitantes hujus vel omnis sanctæ prophetiæ summam esse vel caput. *Vaccas*, inquit, *Bethaven coluerunt habitatores Samariæ. Habitatores Samariæ* veraciter Judæi fuere, qui civitatem sanctam Hierusalem et templum in illa divini nominis videbantur inhabitare non utique corde, sed tantum corpore. Si enim
C Dominum nostrum non dubitaverunt Samaritanum dicere (*Joan.* VIII), qui utique secundum carnem Judæus ex Judæis erat, et hoc idcirco dicere ausi sunt, quod in civitate Samaritanorum duos dies manserat, postquam locutus est cum muliere Samaritana (*Joan.* IV), quanto magis ipsa Scriptura dicere debuit, *habitatores Samariæ*, quis nimis crudeliter imitati sunt, atque impleverunt peccatum Samariæ? Samaria namque recessit a domo David, regemque alium et deos alios sibi fecit. Judæi vero negaverunt et crucifixerunt Filium David, Filium Dei, regemque suum Cæsarem esse professi sunt (*Joan.* XIX), et tunc quidem Barabbam sibi dimitti petierunt (*Matth.* XXVII), et Antichristum pro Christo suscepturi sunt. Vere ergo *habitatores Samariæ*,
D id est alieni a David, et a civitate ejus Hierusalem, et a templo, quod est in ea, et templo Dominici corporis, in quo corporaliter *inhabitat omnis plenitudo divinitatis* (*Coloss.* II). Isti *coluerunt vaccas Bethaven*, videlicet qualibus alius propheta loquitur: *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ; quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes; quæ dicitis dominis vestris: Afferte et bibemus. Juravit Dominus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus; et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus* (*Amos* IV). *Vaccæ* ita-

que illius temporis altera contra alteram, principes sacerdotum Annas et Caiphas exstiterunt ita devorantes plebem sicut herbam virentem vaccæ devorare solent, et hoc Bethaven, quod interpretatur *domus idoli*, id est in illo templo, quod dicebatur templum Domini et debebat esse *domus orationis*, sed erat domus Mammon, quippe quam ipsi fecerant *speluncam latronum* (*Matth.* XXI). Istas utique vaccas Judæi coluerunt, voluntaria namque crudelitate illis principibus sacerdotum sese submiserunt, et consenserunt ad occidendum Dominum in illa Bethaven, id est propter illam domum idoli sui, scilicet mammonæ vel pecuniæ suæ, et quasi divino oraculo crediderunt vaccis illis, dicentibus sibi : *Occidamus eum ne forte veniant Romani, et tollant nostrum et locum et gentem* (*Joan.* XI). Talia sibi immugientes vaccas pingues illi coluerunt, id est libenter audierunt. Unde hoc comprobatum : *Quia luxit*, inquit, *super eo populus ejus*. Hoc manifestum est. Luctum namque spontaneum *populus* sibimet assumpsit *super eo*, subauditur Deo suo, videlicet mammona iniquo, cui nimirum serviens nequaquam serviebat Deo, et quodammodo lugebat, talem inter se haberi hominem qui diceretur Christus, qui rex Israel acclamaretur, quem nisi occiderent, venirent Romani, et tollerent ipsorum locum, tam pulchrum **68** tantarumque divitiarum. Hoc illi simile fuit, quod, impia Jezabel jubente, primates populi luctum simulaverunt, et prædicaverunt jejunium, ut quasi necessario justitiæ judicio interficierent Naboth, submittentes duos viros filios Belial contra eum, qui falsum dicerent testimonium (*III Reg.* XXI). Et populus quidem totus crudelitati intentus, voluntariam necessitatem occidendi Dominum quasi tristis suscepit : sed principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi gaudebant intra cordis sui secretum quod prævaluisset malitiæ suæ commentum. Ait ergo : *Et æditui ejus super eum exsultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo. Siquidem et ipse in Assur delatus est munus regi ultori. Æditui* namque tunc erant illi, non veritatis, sed erroris et malitiæ, juxta illam sententiam Domini, *quia tulistis*, inquit, *clavim scientiæ. Ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis* (*Luc.* XI). *Exsultaverunt*, ait, *in gloria ejus, quia migravit ab eo*, id est exsultaverunt in pecuniis populi, quia prædam faciebant de populo, sperantes quod deinceps sua lucra facerent occiso Christo, qui reprehendebat avaritiam ipsorum. Nam quod tali spe vel intentione Christum occiderent, illa probat parabola, in qua videntes agricolæ filium patrisfamilias, dixerunt : *Hic est hæres, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI). Cui autem dubium vel quis nesciat quomodo migraverit ab eo, scilicet populo deus suus Mammon, cui serviebat, ut merito veniret in manus Romanorum argentum ipsorum et aurum et locus et gens ? Siquidem ipsi hoc emeruerunt, quando *congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes : Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus* (*Matth.* XXVIII). Hoc nempe modo Deus ipsorum, qui non est alius, nisi Mammon iniquus, in Assyriis delatus est munus regi ultori, quia profecto pecunia ipsorum malignis spiritibus et diabolo patri mendacii dedicata est, quando tale mendacium coemerunt. Proinde justo valde judicio provenit ut traderentur illi regi ultori, ut et super eos rex atque pater mendacii regnaret, et in eos ultionem per manus Romanorum exerceret. Et illi quidem ad horam nimis parvam exsultaverunt, putantes quod deinceps liberius copiosa pecunia migrare deberet a populo in marsupia ipsorum ; sed exultatio illa in verum conversa est luctum, quia magnam et miserabilem, toto mirante sæculo, ultionem sustinuerunt. Unde et subditur : *Confusio Israel* [al. *Ephraim*], *capiet, et confundetur Israel*, sicut nunc palam factum est, quando *ceciderunt in ore gladii, et in omnes gentes captivi ducti sunt* (*Luc.* XXI), et in residuis eorum toti mundo spectaculum est, non solum dispersio qua dispersi sunt (*Judith* V), verumetiam *cæcitas* mentis, quæ *in Israel contigit* (*Rom.* XI). Et bene, cum dixisset, *confundetur Israel*, addidit, *in voluntate sua*, quia videlicet sic voluerunt Judæi sic electione præfinxerunt ac præscripserunt sibi Christum regem negantes, et Cæsarem profitentes, Christum occidentes, et Barabbam dimittentes, et clamantes coram Pilato, *sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). Sequitur : *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ, et disperdentur excelsa idoli peccatum Israel. Samaria*, sicut jam dictum est, hoc loco recte dicitur etiam Judæa, quia revera secundum supradictas rationes Samariæ, quæ a domo David scissa fuerat, similem sese in pejus fecit Judæa, quæ verum David Christum regem habere recusat. *Transire* ergo *fecit regem suum*, id est regem habere maluit transitorium, quam regem suum. Verum non conceditur et ut saltem transitorium regem habere possit, sed omnino ablatum est illi regnum, et dux pariter et rex ab ea transivit. Nec enim saltem dignatus est Cæsarum quisquam regnare super eos, aut in regno suo cives habere illos, sed tantummodo captivos, licet adulati sint dicentes : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Sicut repente transit spuma super faciem aquæ, sic in brevi dissipatum et annihilatum est regnum Judææ, et disperdita sunt *excelsa idoli peccatum Israel*, lapis quippe super lapidem non remansit (*Luc.* XXI), et destructum est subvertentibus Romanis illud, quod debebat esse templum Domini. Erat autem excelsum idoli, et peccatum Israel ex quo polluti sunt sanguine Christi, homicidæ et servi peccati, servi mammonæ Dei vel idoli sui. Et quid mirum, si jam post necem Christi templum illud vocetur excelsum idoli, cum antea domus eadem spelunca latronum facta vocata fuerit ? (*Matth.* XXI) *Disperdentur* ergo *excelsa idoli*, id est annihilabitur caput superbiæ Judaicæ, et fundus avaritiæ

Pharisaicæ, pulchritudo templi, de quo salus exivit, sicut significatur in Evangelio, cum dicitur : *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo* (*Joan.* VIII). Quanta autem perditione, quanta cum tribulatione gentis hoc deberet fieri, verbis sequentibus exprimit, cum dicit : *Lappa et tribulus ascendet super aras eorum, et dicent montibus : Operite nos; et collibus : Cadite super nos.* Quod enim dicit, *lappa et tribulus ascendet super aras eorum*, signum est ultimæ solitudinis, ut ne parietes quidem et extrema ædificiorum vestigia relinquantur. Cum autem subjungit : *Et dicent montibus : Operite nos ; et collibus : Cadite super nos*, iram et tribulationem illam vehementer edicere nititur, quæ tanta exstitit ut satis declamari non possit. Eorum namque erat dicere *montibus : Operite nos ; et collibus : Cadite super nos*, quippe qui magis mori optarent quam cernere quæ afferunt mortem. Et revera satis pulchra atque eleganter exprimit littera hæc, quanto desiderio latere voluisset, si possibile fuisset. Etenim cum per omne tempus obsidionis, ut Josephus refert, occisorum, sive fame, cæterisque cladibus mortuorum numerus ad decies centena millia collectus fuerit, qui superfuerunt ad valles, et in specus subterraneos confugerunt, et in cloacis quoque delitescere frustra conati sunt. Sic delituisse vel delitescere voluisse, nimirum dixisse fuit *montibus : Operite nos, et collibus : Cadite super nos*. Quare autem Dominus noster hoc testimonium de propheta sumens, sic dicere maluit, *tunc incipient dicere* : Cur non ait : *dicent*, sed *dicere incipient* ? Videlicet, quia non illic finis, sed *initium dolorum* (*Marc.* XIII) extitit quando sic *ceciderunt in ore gladii* (*Luc.* XXI). Tempus aliud erit, veniet dies alius, dies judicii, quo majori cum angustia *dicent montibus : Operite nos ; et collibus : Cadite super nos* ; dicent sanctis patribus et patriarchis : Protegite nos ; dicent Moysi et prophetis : Excusate nos. Verum id frustra dicent ; nam econtra *est qui accuset vos*, ait Dominus, *Moyses in quo vos speratis* (*Joan.* V). Et verba quidem diversa de montibus et collibus prædicata sunt, dicendo *montibus : Operite nos ; et collibus : Cadite super nos* ; sed sensu eadem sunt. Nam propheta quidem, *dicent*, ait, *montibus : Operite nos ; et collibus : Cadite* ; Dominus autem, *tunc*, inquit, *incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos.* Sequitur : *Ex diebus Gabaa peccavit Israel. Ibi steterunt. Non comprehendet eos, in Gabaa prælium super filiis iniquitatis. Juxta desiderium meum corripiam eos. Congregabuntur super eos populi cum corripientur propter duas iniquitates suas.* Semel et iterum ac tertio, imo et quarto antiquitatem, sive vetustatem peccati illorum **69** commemorat, ut nulli videatur nimium festina, vel plus justo severa punientis sententia. Primo namque superius dixit : *Ita subsannatio eorum in terra Ægypti*, et post aliqua rursus ait : *Profunde peccaverunt sic in diebus Gabaa.* Item : *Omnes nequitiæ eorum in Galgalis, quia ibi exosos habui eos.* Nunc quarta jam vice secundum eamdem intentionem dicit : *Ex diebus Gabaa peccavit Israel*, id est ex eodem tempore quo in Gabaa peccare non desiit Israel. Peccavit autem illic semel et iterum Israel peccata, quorum in Scriptura sævum et horribile monumentum est. Venit Levita in civitatem illam cum uxore sua, illucque divertit, et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum in qua manebat, volentes eum occidere, et uxorem ejus incredibili libidinis furore vexantes. Denique mortua est (*Judic.* XIX). Ubi tanta regnabat corporalis nequitia fornicationis, jam increverat nequitia quoque spiritualis, et hoc nihilominus eadem Scriptura denarrat, referens præcedenti lectione idolum factum in domo Michæ. Et quanta illud instantia, qua violentia rapuerunt ad se filii stirpis Dan cum sacerdote, dicentes ei : *Veni nobiscum, ut habeamus te patrem et sacerdotem* (*Judic.* XVIII), etc. Sed filii Israel illam fornicationem idololatriæ pro nihilo ducentes, imo et ipsi facientes pro illa corporali fornicatione ascenderunt oppugnare Gabaa contra filios Benjamin, et semel atque iterum bello concisi, tandemque victores pene unam ex Israel tribum deleverunt. Post hæc Saul ex eadem urbe rex assumptus est, tanta cum offensione Dei ut diceret ad Samuelem : *Non enim te objecerunt, sed me, ne regnem super eos* (*I Reg.* VIII). Nimirum sic, et sic peccante Israel, filii quoque postmodum nati simul peccaverunt, vero et justo judicio Dei sic enuntiante, sic eos arguente ut dicat ibi steterunt. Idem enim est ac si dicat : Filioli, quamvis post multa tempora nati illic peccaverunt, in illis patribus suis prævaricati sunt, quia videlicet a peccatis eorum non recesserunt, imo pejora faciendo mensuram illorum impleverunt. Idcirco etiam durius atque fortius super eas dari debuit judicium. Quod intendens continuo dicit : *Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filiis iniquitatis.* Et est sensus : Quod malum passuri sunt, non tale erit quale fuit illud prælium in Gabaa, quod habuerunt contra filios iniquitatis, quorum incredibilis furor libidinis mulierem vexando interfecit, sed multo vehementius, incomparabiliter majus. Hoc est quod protinus ait : *Juxta desiderium meum corripiam eos.* Magna et vehemens comminatio, quæ secundum litteræ sonum hoc significat, quod vindictæ magnitudinem facere Deus, qui utique impassibilis est, habeat in desiderio. Simile est huic illud quod in Isaia dicit : *Heu consolabor super hostibus meis* (*Isa.* I). Dictum est autem ad similitudinem hominis multum exacerbati, et ultionem videre adeo desiderantis, ut antequam fiat, nullo modo possit consolari. Et quid facturus sit, protinus breviter innuit : *Congregabuntur*, ait, *super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas.*

Propter duas iniquitates corripiendum dicit Israel, juxta illud quod in Hieremia loquitur idem Deus : *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas quæ con-*

tinere non possunt aquas (*Jer.* II); hoc de gente alia, de populo quovis Deum ignorante, dici non poterat. Gens enim quæcunque verum ignorans Deum, falsos deos colebat, unam tantum fecisse iniquitatem recte dicitur; gens autem hæc, in qua Deus notus erat, declinando in idololatriam, duas habere iniquitates veraciter culpatur, id est Deum verum reliquisse, et pro illo vel contra illum deos alienos coluisse. Dupliciter namque reus est, qui, bonum sciens, malum potius eligit, ille vero simpliciter, qui bonum nesciens, malum pro bono suscipit. Itaque et quando vitulum unum populus ille fecit in deserto et coluit, post multa quæ viderat magnalia veri Dei, et quando deserens domum David et templum Domini, duos vitulos sibi statuit, imo et quoties illos vel illos gentium deos adoravit. Amplius autem quando Barabbam sibi dimitti, Christum autem crucifigi petivit, duas iniquitates fecit, dupliciter peccavit, bonum reprobans, et malum eligens; dulce amarum, et amarum dulce ponens; tenebras lucem, et lucem tenebras appellans. *Cum* igitur *corripientur propter duas iniquitates suas, congregabuntur*, ait, *super eos populi* ut videlicet propter seditionis auctorem, quem sibi elegerunt, tradantur in manus gladii, et propter hoc quod Christum negaverunt, vulpium, id est malignorum spirituum partes sint. Sequitur: *Ephraim vitula docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli ejus. Ascendam super Ephraim, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.* Quærebas forte admirans quæ causa vel quod vinculum tam forte populum illum idololatriæ subligatum, tandiu tenuerit ex diebus Gabaa, imo ex diebus Ægypti, sicut superius ait, *ista subsannatio eorum in terra Ægypti* (*Ose.* VII). Quasi istud quæreres, causam veram habili atque eleganti similitudine convenienter exprimit. *Ephraim*, inquit, *vitula docta diligere trituram.* Consuetudo hic terræ promissionis tangitur, ubi vitulæ cum cæteris animalibus fruges terere consueverunt. Cum autem gravissimo labore fatigantur, solent prodire ab area. Iterum autem diligentes aream, eo quod fruges in ea comedant, unde est illud: *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Cor.* IX), sponte ad aream redeunt. Igitur Ephraim similis est vaccæ vitulæ, quia didicit aream terere. Et non solum didicit, verum etiam a nimia consuetudine cœpit amare quod docta est, licet trituratio laborem inferat. Sic et populus Israeliticus, licet frequenter affligeretur, et multa adversa pateretur propter idololatriam, tamen voluntates suas, et ingluviem ventris sequi desiderans, ultro ad idola revertebatur. Poterat hoc ipsum alia quacunque similitudine quam per ejusmodi vitulam designari, sed mira proprietate usus est intuitus spiritus prophetici, dum talem proponere similitudinem maluit. Nam quia vitulos colebat Ephraim sive Israel scissus a domo David, imo et coluit ab initio vitulum, quando egressus est de terra Ægypti, pulchre nimis eadem gens hic vitula dicta est, dum arguitur, quod a vero Deo fornicando

A cultui vitulorum succubuerit. Magnam deinde sonat iram dicendo, *et ego transivi super pulchritudinem colli ejus*; *ascendam super Ephraim. Pulchritudo* namque *colli* superbiam designat eorumdem peccantium, et in peccatis suis complacentium sibi. Porro transitus sive ascensus, de quo dicit: *Ego transivi* sive *ascendam Ephraim*, tam futuro quam præterito tempore certissimum esse significans quod facere intendit, vindicta est eadem quam in Exodo legimus præscriptam his verbis: *Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te* (*Exod.* XXXIII). Nec vana illa comminatio exstitit. Semel enim ascendit, semel homo natus est, semel passus, mortuus est et resurrexit, et in cœlum ascendit, et tunc demum illum populum dura cervice B ascensus sui nimis impatientem delevit. Quod hic *pulchritudo colli*, hoc ibidem dicitur ornatus, cum Dominus dicit: *Jam nunc depone* **70** *ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi* (*ibid.*). Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum a monte Oreb. Quandiu peccator ornatus incedit, id est in peccatis suis superbit, quandiu pulchram cervicem erigit, complacendo sibi, lætabundus quod male fecerit, *et exsultans in rebus pessimis* (*Prov.* II,) quodammodo nescit Deus quid faciat illi, nescit misericordia quali aditu ad illum veniat remota severitate judicii, atque idcirco cum dixisset sententiam judicialem, *populus duræ cervicis es*, semel ascendam in medio tui et delebo te, protinus consilium offerens, *jam nunc*, ait, *depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi*, id est humiliare pœnitendo, ut miserear tui. Igitur C quod hic ait, *et ego ascendi* sive *ascendam super pulchritudinem colli ejus*, videlicet vitulæ diligentis trituram, id est populi toties tamque pertinaciter recurrentis ad idololatriam, illam designat iram, quam tunc idem populus bibit usque ad fundum calicis, quando Deus homo factus in medio ejus ascendit. Et tunc enim contracta est pulchritudo cervicis, quia *ceciderunt in ore gladii, et in omnes gentes captivi ducti sunt* (*Luc.* XXI) peccatores superbi. Porro idem ascensus, sicut in ruinam superborum blasphemantium, ita et in resurrectionem positus est humilium credentium atque confitentium. Sequitur ergo: *Arabit Judas, confringit sibi sulcos Jacob.* Ecce videmus et orbis universus novit quia contrita cervice Ephraim aravit Judas, et Jacob sulcos sibi confregit, D quia disperditis incredulis Judæis, qui negaverunt filium David, sicut olim recesserat Ephraim a domo David, evangelicæ prædicationis vomer corda gentium exaravit, et Jacob, id est supplantator, videlicet gentilis populus sulcos sibi confregit, agriculturam exercens ad seminandum vel recipiendum semen verbum Dei. Judas aravit, quandoquidem Judæis erant apostoli secundum hoc ipsum nomen, quod est Judas, id est confessio, primi confitentes Christum Filium Dei vivi gentibus prædicaverunt. Ipsæ autem gentes Jacob effectæ sunt, quia supplantaverunt Esau, dum primogenita salutis tulerunt, quæ fuerant Judæorum. Arando sulci fiunt, con-

fringendo autem sulcos; id quod aratum est, ido- A neum fit ad semen contegendum atque confovendum. Congratulatur protinus propheticæ gratiæ spiritus agricolis sive aratoribus istis, et dicit: *Seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale.* Seminant quippe prædicatores, quando verbum annuntiant; metunt autem, quando de credentium confessione exsultant. Idcirco sic pulchre distinctum est, *seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ*, quia videlicet, sicut Apostolus ait, *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x). Et quia sua quisque justitia vel salute contentus esse non debet, sed dare operam, ut etiam alios salvet, subjungit atque ait: *Innovate vobis novale. Novale* quippe innovare, est inculta prius loca excolere, utpote saltibus explanare. Porro gentes prius erant quasi silvæ, nimirum a B feris, videlicet malignis spiritibus obsessæ. Nam econtra comparatione gentium Judæi domus erant pulchræ, terra culta et civitates opulentæ. Unde Psalmista cum dixisset: *Ecce audivimus eam* (*Psal.* cxxxi), scilicet Ecclesiam, sive Dominicæ Incarnationis et sanctificationis ejus arcam in Ephrata, quæ est Bethleem, per Ephratam, Judæos intelligi volens, statim quia de Judæis ad gentes eadem sanctificationis arca transivit, subjunxit atque ait: *Invenimus eam in campis silvæ* (*ibid.*), id est in gentibus, qui de silva campi, de fructuosis cultiles facti sunt et fecundi. Igitur *innovate vobis novale*, id est gentibus Evangelium Christi prædicando, novam Ecclesiam, novum acquisitionis populum vobis parate, Deo ad vestram salutem et gloriam acquirite. Et quia cum *plenitudo gentium subintroierit* (*Rom.* xi), futurum est, ut cum misericordia respiciat vitulam, id est Synagogam illam, cujus *super pulchritudinem colli*, nunc tam severe transivit. Sequitur et dicit: *Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam.* Tempus quippe *requirendi Dominum* reliquiis Israel tunc erit, cum *plenitudo gentium subintroierit.* Tunc enim veniet Dominus et *docebit eos justitiam*, iniquitate aversa, quemadmodum et Apostolus cum dixisset, *quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintroierit*, et sic omnis Israel salvus fieret, testimonium propheticum apponens, sicut, ait, scriptum est: *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem ab Jacob* (*Isa.* lix).

LIBER QUINTUS.

71 Propter prophetiæ præsentis ordinem illustrius C retinendum, jam dictum et iterum atque iterum dicendum est, quia ab eo quod ait, *non est veritas, et non est scientia in terra* (*Ose.* iv), septies usque ad finem voluminis peccata commemorat atque replicat, et per singulas vices in Christum sermo recurrit, qui solus omnium credentium atque pœnitentium justitia est. Secunda jam vice ab eo quod ait: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum* (*Ose.* vi), longa et vehementi declamatione peccatorum declamavit abundantiam sic concludens: *Tempus autem requirendi Dominum cum venerit, qui docebit vos justitiam.* Tertio nunc eadem peccata repetens dicit: *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis fructum mendacii, quia confisus es in viis tuis.* Aptissime per similitudinem arantium, metentium, et fructus suos comedentium pertinaciam incorrigibilium denotat peccatorum qui male incipiendo in pejus proficiunt, et pessime finientes deficiunt. Sicut enim hæc per incrementa differunt, arare, metere et comedere fructum, sic in peccatoribus distantiam per incrementa peccati divinum perpendit judicium. Denique cum proposito peccati opere corruptus laborat animus versatque cogitatu intimo, qualiter voluntatem impiam ad operis perducat effectum, aranti vel seminanti similis est. Cum autem expleto iniquitatis opere exsilit lætabundus *quod male fecerit, et exultans in rebus pessimis* (*Prov.* ii), similis est metenti; cum deinde ad hoc etiam eruperit, ut superbo spiritu, sua contra redarguentem legem Dei peccata defendat, et securus incedat corde impœnitenti, similis est ei, qui post messem reconditos fructus comedit. Proinde cum dixisset, *comedistis fructum mendacii*, continuo quasi quæreretur ab aliquo illorum cui hæc dicit, quomodo vel quare dicit quod comederim fructum mendacii, subjungit atque ait: *Quia confisus es in viis tuis.* Idem enim est ac si dicat: Quia tu peccata tua superba cervice defendis. Eisdem incrementis originale, id est Adæ peccatum, peractum est. Primo quippe impietatem aravit, quando Dei similitudinem appetivit. Nisi enim intus prius tumuisset, nisi divinitatem vel divinæ majestatis similitudinem D appetisset, foris tentatus tam facile non cederet. Deinde iniquitatem messuit, quando propositum sibi præceptum de ligno scientiæ boni ac mali transgressus est (*Gen.* iii), inobediens voci Domini. Deinde comedit fructum mendacii, quando in ipso peccato sibi complacuit, seque adversus redarguentem Deum defendit. Exinde omnis vitiosa propago vitiati parentis eadem incrementa contraxit, exempli gratia, ut ille Ephraim sive Jeroboam, cujus peccatum toties in sanctis et propheticis commemorantur litteris. Aravit namque *impietatem*, quando excogitavit consilium et dixit: *Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut sacrificia*

faciat in domo Domini, in Hierusalem (*III Reg.* XII), etc. Messuit *iniquitatem*, quando excogitato consilio fecit duos vitulos aureos et dixit: *Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* (*ibid.*). Comedit *fructum mendacii*, dum ita regnando non cum Deo, prophetas ad se missos in sermone Dei, sicut Scriptura refert, incorrectus contempsit, et confisus est *in viis suis*, in vitulis suis. Ad summum cœtus ille Judaicus, qui non utcunque recessit a domo David sed etiam crucifixit Filium David, tunc aravit *impietatem*, quando *quærebant principes sacerdotum et Scribæ quomodo* illum *interficerent* (*Luc.* XXII). Messuit *iniquitatem* quando *potierunt et obtinuerunt a Pilato ut interficerent eum* (*Act.* XIII). *Fructum mendacii* nunc usque comedunt, quod videlicet mendacium sive mendacii fructum data militibus pecunia copiosa comparaverunt, ut dicerent, *quia discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus. Divulgatum est enim verbum illud apud Judæos usque in hodiernum diem* (*Matth.* XXVIII). Et confidunt *in viis suis*, dum justitiam suam statuere volentes justitiæ Dei non sunt subjecti. Ubi sic arando, sic metendo, sic nihilominus comedendo sive confitendo, peccatum cumulatum atque roboratum est, jam profecto judicii vel sententiæ vindicis tempus et locus est. Sequitur ergo: *In multitudine fortium tuorum consurget tumultus in populo tuo, et omnes munitiones tuæ vastabuntur.* Quicunque modis supradictis peccata sua consumat recte fortes suos habere dicitur, fortes utique malos, bonis fortibus contrarios. Quales fuere fortes David fortes primi, ad quos cæterorum fortium nullus pervenit. Tres illi fortes ejus virtutes, videlicet sapientia, humilitas et fortitudo, quas Scriptura taliter designat breviterque comprehendit. Hæc nomina fortium David, David sedens in cathedra sapientissimus inter tres. Sedens in cathedra sapientissimus, hoc est sapientia. Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus. Hæc est humilitas. Qui octingentos interfecit impetu uno. Hæc est fortitudo; fortibus illis contrarios fortes habent isti, videlicet insipientiam, superbiam et temeritatem, quam putant veram esse fortitudinem, et proinde nullam merentur clementiam, citamque experiuntur vindictam. Hoc est quod ait: *In multitudine fortium tuorum consurget tumultus in populo, et omnes munitiones tuæ vastabuntur.* Sic factum est, et quando decem tribus captivæ translatæ sunt in Assyrios, sic factum est, quando Judæi, vincentibus Romanis *ceciderunt in ore gladii, et in omnes gentes captivi ducti* sunt. Consurrexit enim tumultus in populo illo triplici discordia, sicut historiæ referunt, contra semetipsum diviso, et omnes munitiones ejus vastatæ sunt, ita ut non **72** relinqueretur *lapis super lapidem.* Hoc evenit *in multitudine fortium*, id est propter multitudinem fortium ejus, de qualibus jam dictum est, quia videlicet tales fuere Judæi male fortes, sicut testatur ipse Salvator in psalmo dicens: *Quia ecce cœperunt animam meam, et irruerunt in*

A *me fortes* (*Psal.* LVIII). Nunc ad ipsos devastandos apostropham faciens, dicit propheticus sermo: *Sicut vastatus est Salmana a domo ejus qui judicavit Baal in die prælii, matre super filiis allisa, sic fecit vobis Bethel a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.* Nota rei gestæ historia est, cui vastationem illorum similem fore denuntiat. In libro namque Judicum scriptum est angelum apparuisse Gedeoni, qui dixit ei: *Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian.* Ac deinceps: *Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui, et nemus quod circa aram est succides* (*Judic.* VI). Hoc facto, jubente Domino, perrexit cum trecentis viris, et vicit Madian mirabili genere prælii. *Divisit trecentos viros, et* B *dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. Ingressusque ipse, et trecenti viri qui cum eo erant in parte castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere et complodere inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini et Gedeonis. Omnia itaque castra turbata sunt et mutua se cæde truncabant fugientes, conclamantibus et persequentibus viris Israel* (*Judic.* VII). Apprehensi sunt et interfecti duo viri Madian, Oreb, et Zeb, et deinde Sebee et Salmana reges Madian. Diem illud appellat hic propheta diem prælii, cum dicit: *Sicut vastatus est* C *Salmana a domo ejus qui judicavit Baal in die prælii.* Nam qui judicavit Baal, ipse est Gedeon. Unde vocatus est Hieroboal, eo quod dixisset pater ejus, ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus. Porro Isaias diem eumdem, diem appellat Madian. *Jugum*, ait, *oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superastis, sicut in die Madian* (*Isa.* IX). Uterque, tam iste quam ille triumphum Christi, quo triumphavit, tam de invisibilibus quam de visibilibus hostibus suis, triumpho illo assimilavit, quo taliter triumphavit Gedeon de Madian cum illis CCC viris. Nimirum Psalmista quoque inimicos Dei hostes et adversarios Christi, illis principibus Madian, quorum unus fuit hic Salmana, similes imprecatur fore in ruina. Deus, inquit, *pone principes eorum, sicut Oreb et Zeb, et Zebee et* D *Salmana* (*Psal.* LXXX). Magnum et memorabile prælium, cujus secundum similitudinem spirituale bellum Domini, tribus prophetis testibus, Isaia, David et isto Osee confirmatum et prænuntiatum est fore gerendum. Nam, sicut a catholicis atque orthodoxis est tractando depromptum Gedeon Christi CCC cum eo viri prædicatorum sanctæ trinitatis typum gesserunt, Madian vero cunctorum Christi inimicorum, quod viri illi non gladios, sed sinistris quidem manibus atque in lagenis lampades, dexteris vero sonantes tenuere tubas ejus rei typus exstitit, quod sancti prædicatores in minore suorum salutem corporum, in majore vero cura verbum prædi-

cationis habuerunt. Confractis hydriis sive lagenis lampades micuerunt, concrepante sonitu tubarum, et hostes in fugam versi disperierunt, quia prostratis morte corporibus, magnitudo gratiarum, quæ in illis erat occultior, magis claruit per signa miraculorum, et sic dissipata sunt contraria Christo molimina hostium, malignorum spirituum sive impiorum hominum.

Nunc secundum litteræ præsentis ordinem sive tenorem cœptum prosequamur intellectum. *Sicut vastatus est*, inquit, *Salmana a domo ejus qui judicavit Baal in die prælii, matre super filios allisa ; sic fecit vobis Bethel a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.* Non dixit, *sicut vastatus est* Madian, sed *sicut vastatus est Salmana,* qui fuit rex Madian, sic enim ibidem scriptum est : *Dixitque Gedeon ad viros Socoth : Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt, ut possimus persequi Zebee et Salmana et reges Madiam* (*Jud.* VIII). Quomodo vastatus est ille Salmana ? Cum comprehendisset eos Gedeon, videlicet Zebee et Salmana, dixit ad eos : *Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor ? Qui responderunt : Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. Quibus ille ait : Fratres mei fuerunt, filii matris meæ. Vivit Dominus, si servassetis eos, non vos occiderem*, et cætera quæ concluduntur sic : *Surrexitque Gedeon, et interfecit Zebee et Salmana* (*ibid.*). Idcirco propheta cum dixisset, *sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui judicavit Baal in die prælii*, addidit, *matre super filiis allisa*, quia videlicet matrem ipsius Gedeon vehementer alliserant super filiis, quorum mors maternorum viscerum allisio non esse non poterat, quam etiam ob causam noluit servare Gedeon, sed interfecit eumdem Salmana. *Sic fecit vobis*, ait, *Bethel a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.* Sive ad illius temporis statum respicias quo decem tribus in Assyriæ translatæ sunt, sive ad illius quo Judæi Romanorum gladiis excisi sunt, vera est utrobique similitudo ; quia proinde hæc passi sunt, quod et priores illi prophetas occiderunt, et juniores isti Christum et apostolos interfecerunt ; et hoc faciendo matrem super filiis alliserunt, id est Ecclesiam Dei graviter contristaverunt. Illis fuit Bethel civitas ejusdem nominis, in qua unum posuerant de vitulis quos coluerunt. Istis autem Bethel exstitit ipsa domus Domini, quæ erat in Hierosolymis secundum interpretationem nominis, interpretatur enim Bethel *domus Dei*, in qua non Deo, sed mammonæ servierunt. Illa domus fecit eis a facie malitiæ nequitiarum ipsorum, ut *sicut vastatus est Salmana*, sic ipsi vastarentur et ultimum paterentur exterminium. Quare ? Quia videlicet jam non erant sicut Abraham vel sicut Israel, sed sicut Salmana qui rexerat Madianites, quod nomen interpretatur *consummatio*, significans eos in omni nequitia consummatos modis omnibus, de quibus supra dictum est, arando *impietatem*, metendo *iniquitatem*, comedendo *fructum mendacii*, et confidendo *in viis suis*. Dicat illis igitur Gedeon,

A quod interpretatur *circuiens uterum*, scilicet Dominus noster Jesus Christus, qui non de virili semine conceptus, sed per semetipsum de cœlo veniens, introivit et implevit Virginis uterum : *Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor ?* Et sit sensus : Quid vobis conscientia vestra respondet, quales fuerunt illi quos misi ad vos, ex quibus occidistis, et crucifixistis, ex quibus flagellatis in synagogis vestris, et persecuti estis de civitate in civitatem ? (*Matth.* XXIII.) Non enim veritas ream illorum cessat convenire conscientiam, sed semper accusantes secum cogitationes circumferunt. Dicuntur autem hoc fecisse *in Thabor*. Et recte, quia Thabor interpretatur *veniens lumen*, et ipsi in adventu et propter adventum veri luminis, quod est Christus, hoc fecerunt, B nolentes videre aut ab aliquo videri sive demonstrari tantum lumen. Respondent illi : *Similes tui et unus ex eis, quasi filius regis.* Nequaquam enim **73** respondere non possunt, quia non ignoranter, sed scienter peccaverunt; et liquido sciebant eos similes fuisse Christi, videlicet prophetas, et sapientes, et Scribas, et unum ex eis quasi filium regis, imo verum filium regis, qui hoc ipsum requirit, quia conscientias eorum convincit, qui ad judicium mortis jubet eos produci. *Fratres*, inquit, *mei fuerunt, filii matris meæ. Si servassetis eos, non vos occiderem.* Vere fratres suos esse Christus beatos apostolos dicit, quia et antequam clarificassent eum passionibus vel mortibus suis, dixit Mariæ cum resurrexisset a mortuis : *Vade ad fratres meos, et dic* C *eis : Ascendo ad Patrem meum et patrem vestrum* (*Joan.* XX.) Sunt et *filii matris* ejus, videlicet supernæ Hierusalem, quæ est mater omnium nostrum (*Galat.* IV), cujus et Christus secundum carnem filius factus est filius singularis, primogenitus ex mortuis. *Si servassetis eos*, inquit, *non vos occiderem*, quia videlicet dimissus fuisset Judæis reatus quoque mortis Christi, si post resurrectionem ejus apostolis ejus credidissent, secundum orationem qua oravit, quando illum crucifixerunt. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). His præmissis continuo Salvatoris ejusdem gratiam, qua justificantur credentes electi, sic eloquitur persona Dei Patris.

CAP. XI. — *Sicut mane transit, pertransiit rex* D *Israel; quia puer Israel, et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum.* Sensus iste est : Rex Israel nonnisi Deus esse debuerat, et Christus Dei Filius, quem patriarcharum fides exspectaverat. Unde cum quærerent regem filii Israel, displicuit sermo in oculis Samuelis, Domino quoque dicente ad eum : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (*I Reg.* VIII). Verum nequaquam exspectavit tempora legitima regni Dei, quisquis in Israel regnare potuit, sed certatim in alterutros insurgendo, regesque alios percutiendo, alii regnaverunt quousque regnaret Herodes, qui non erat de genere Israel. In illo cessavit homo transiturus regnare in Israel, quamvis quidam de posteris ejusdem Herodis aliquas post illum lace-

raverint potius, quam rexerint ejusdem regni partes, quia tunc rex Christus natus, cujus regnum non transit, sed in æternum permanet (*Luc.* I). Igitur transire et cessare debuit rex Israel, eo maxime tempore, quando talis erat rex Herodes, qui neque de Juda, neque de ulla esset tribu Israel, quo tempore verus rex Christus natus est. Nimirum ita factum est. Nam *sicut mane transit, pertransiit rex Israel*, et finitum est terrenum regnum Israel. Et quidem cito mane transit, verumtamen iterum revertitur. Rex autem ejusmodi sive regnum Israel non revertetur amplius. Recte ergo cum dixisset, *sicut mane transit*, non contentus fuit dixisse, transit rex Israel, sed omnimodum et irrevocabilem exprimens transitum, *pertransiit*, inquit, *rex Israel*, qui jam ultra non rediturus est, sicut mane transit quidem, sed iterum transmissa nocte rediturum est. Quare? *Quia puer*, inquit, *Israel*, subauditur natus est, qui solus cœlesti imperio regnare debeat in Israel, quem quærebat ad perdendum Herodes ille alienigena rex (*Matth.* II). *Et dilexi eum*, ait, videlicet juxta alium prophetam, per quem hic idem Deus Pater locutus est: *Ecce puer meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea* (*Isa.* XLII). *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII). Et rectissime puer iste præsenti loco dicitur Israel, propter illud quod sequitur, *et ex Ægypto vocavit filium meum*. Iste namque puer pertulit tentationes sive tribulationes Israel, incipiens ab eo quod fugit ex Israel in Ægyptum, ubi quondam ille peregrinatus est Israel. Quod sciens divinus evangelista, cum dixisset: *Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis*, continuo testimonium hoc ita subintulit, *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem*: *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Matth.* II). Ubi servivit propter peccata sua domus Israel, quia vendiderant fratrem suum Joseph (*Gen.* XXXVII), illic exsul factus est ite rex Israel. Vocatus ex Ægypto, qua traginta diebus tentatus est in deserto (*Matth.* IV). Illic quondam Israel egressus ex Ægypto tentatus est, quia tentavit Deum in deserto quadraginta annos, quia deliquit detrahendo terræ repromissionis, quam per quadraginta dies exploravit, et idcirco diem pro anno computante ille judice Deo, mansit illic, ut dictum est, quadraginta annos. Hic autem, qui non tentavit, sed tentatus est, statim post quadraginta dies in veram repromissionis terram introire, suosque auditores introducere cœpit prædicando, dæmones ejiciendo, et cætera miracula faciendo, mortem patiendo, et a mortuis resurgendo, atque in cœlum ascendendo. Recte igitur hic Filius præsenti loco Israel dictus est, et pulchre ad illum ejus fugam in Ægyptum et reditum hoc pertinet testimonium ab evangelista sumptum: *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Et quidem populus quoque Israel, cum vocaretur ex Ægypto, filius dictus est, sicut scriptum est: *Dicesque*

A *ad Pharaonem*: *Hæc dicit Dominus*: *Filius meus primogenitus Israel. Dixit tibi*: *Dimitte filium meum et serviat mihi, et noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum* (*Exod.* IV). Ergo populus quoque Israel pro parte electorum filius quidem dictus est, sed hoc nonnisi gratia hujus, qui filius est unicus, non adoptatus, sed genitus, qui de populo illo secundum carnem nasciturus erat, ut multos filios per passionem suam in gloriam adduceret, non dedignatus eos habere fratres et cohæredes. Alioqui nisi venisset qui venturus erat hic dilectus Filius Dei, Israel quoque, sicut cæteræ gentes, nequaquam poterat tanti Patris Filius dici, testante Apostolo, qui cum ex illo sit populo, tamen dicit: *Eramus enim et nos aliquando*

B *natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II). Quod si quæras quid olim factum sit, quando Israel de Ægypto ascendit. Quoniam quidem, sicut evangelista dicit, tunc quando puer Jesus in Ægyptum fugit, et inde rediit, impletum est illud *quod dictum est a Domino per hunc prophetam dicentum*: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*; audi quod sequitur: *Vocaverunt eos et sic abierunt a facie eorum, Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant.* Hic jam quarto peccata ejusdem populi replicans, ad superiora tempora sermo recurrit. Et est sensus: Ego quidem vocavi tunc temporis filios Israel ex Ægypto; at illi tunc non exierunt ex Ægypto, præterquam paucissimi. Corpore quidem exierunt, sed animo non exierunt. Alii vocaverunt eos, et ipsi me contemnentes, potius secuti sunt illos. Denique cum

C corpore ex Ægypto exirent, usque adeo mente in Ægypto remanserunt, ut simulacris Ægyptis sacrificarent, insuper et Baalim immolarent. Et quidem Hieroboal, qui et Gedeon, destruxit idolum Baal (*Judic.* VIII), sed postea ad immolandum illi revoluti sunt, vocantibus maxime regibus suis et impia Jezabel, et a facie illorum taliter abeundo, nequaquam ex Ægypto se exisse testati sunt, qui peccata Ægyptiaca non deseruerunt. *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos.* Miram Dei patientiam, cujus et Paulus in Actibus apostolorum meminit his verbis: *Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto* (*Act.* XIII), præsens locus, quamvis breviter magnifice satis innuit: *Et*

D *ego*, inquit, **74** *quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* Sicut enim nutritius puerulum, qui nondum ad intelligibilem ætatem pervenit, sed ne discretionem adhuc habere potest boni ac mali, patienter sufferet et infantiles ejus ineptias, quamvis interdum commotus reverberet, adhibitis sæpius consolatus blandimentis, et quamlibet ingratum portat in brachiis; sic Dominus Deus, qui hæc loquitur, populum rudem et spiritualia nescientem mysteria cœlestis regni Dei patienter sustinuit, et quamvis multorum ex illis corpora prosterneret in deserto, residuis tamen multis et magnis blandiebatur miraculis, *circumducendo illos et ducendo*, ut

Moses ait : *et custodiendo quasi pupillam oculi sui* (*Deut.* XXXII). Hoc est quod ait : *et portabam eos in brachiis meis* : per brachia namque fortitudinem eorum, quæ facta sunt, miraculorum vult intelligi. Unde Scriptura cum dixisset : *Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægyptii, et persecutus est filios Israel*, continuo subjunxit : *At illi ingressi erant in manu excelsa* (*Exod.* XIV). Et Psalmista : *Et eduxit Israel*, inquit, *de medio ejus in manu potenti et brachio excelso* (*Psal.* CXXXV). Nec vero abs re per nomen hic Ephraim exprimitur, cum hæc una tantum tribus fuerit illius populi, sed quia major ingratitudo tribus illius exstitit, in eo quod Hieroboam de tribu Ephraim vitulos aureos fecit, recte gravius eadem tribu denotatur, ubicunque potiora super ingratam gentem commemorantur B beneficia Dei. *Et nescierunt*, inquit, *quod curarem eos*. Revera *nescierunt*, in tantum, ut dum ipse quædam curationis ligamenta, id est legalia daret illis præcepta, illi perterriti et pavore concussi, starent procul dicentes Mosi : *Loquere tu nobis, et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Econtra Moses, ut scirent quod Dominus non occidere, sed curare vellet eos : *Nolite*, ait, *timere. Ut enim probaret vos, venit Deus et ut terror illius ac pavor esset in vobis et non peccaretis* (*Exod.* XX). Secundum sensum verborum eorumdem, quæ tunc locutus est Dominus, sequitur in propheta et dicit : *In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis*. Cum enim dixisset Moses : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, subjungens C protinus : *Ut petisti*, ait, *a Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus : Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam* (*Deut.* XVIII). Denique sicut illic in ejusmodi verbis, ita et hic dicendo, *in funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis*, incarnationem unigeniti Filii sui Deus Pater hominibus repromittit. Quando enim hoc factum est, tunc revera prophetam suscitavit Deus hominibus D de medio fratrum suorum, similem Mosi, id est Deum talem factum cui possent homines loqui, sicut locuti sunt Mosi, cui dixerant : *Loquere tu nobis, et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Et nunc *in funiculis Adam* traxit nos, utpote factus filius Adam sive filius hominis, qui funiculi sunt charitatis. In eo namque quod factus est ex carne Adam filius hominis, miro modo sibi nos colligavit, et traxit ad se *in funiculus charitatis*, et ex eo scimus quod curet nos : nam eatenus *et nescierunt*, ait, *quod curarem eos*. Funiculorum eorumdem attritionem in eo maxime tandem inten-

A dit, quod veniens in hunc mundum peccatum gulæ, per quod primus homo periit, et per quod jam dicti filii Israel tentaverunt Deum, concupiscendo *concupiscentiam in deserto* (*Psal.* CVIII), corrigeret in electis suis, informando illos ad operandum cibum, qui non perit, *ad manducandum et bibendum* sacramentum corporis et sanguinis sui (*Joan.* VI). Sequitur ergo : *Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur*. Maxillas namque dentes radicati continentur, et per eas primum comminutus ad interiora cibus transmittitur. Recte ergo per maxillas gula denotatur, per quam primus, ut jam dictum est, homo periit, et per quam filii Israel Deum tentantes, dixerunt : *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto* (*Psal.* LXXXII), et cætera hujusmodi. Sed et cum præsens adesset, diceretque illis : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Dixerunt ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi ? Quid operaris ? Patres nostri manducaverunt manna in deserto* (*Joan.* V). Hoc nimirum intendebat, ut vel eodem modo, quo patres eorum sine opere suo panem illum manducaverunt, vel sicut ipse paulo ante de quinque panibus, et duobus piscibus satiaverat quinque millia hominum (*Luc.* IX), ita pasceret eos, atque hoc modo quasi maxillis hiantibus ciborum quam habebant expromebant concupiscentiam. Cum ergo dicit : *Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur* ; hic est sensus : Et ego extrahens illos *in funiculis Adam, in funiculis charitatis*, sicut jam dictum est, reprimam atque coercebo in illis temperatum edendi appetentiam, per quam primus homo periit, et cui secundum exemplum ejus nimium sunt dediti, dicendo illis : *Operamini non cibum qui perit*, et cætera hujusmodi. *Etenim ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI), quo nimirum descensu declinavit ad eum ut vesceretur, atque vescendo pane hoc, viveret quisquis in fide et in obedientia bene operans, infidelitatem atque inobedientiam caperet in semetipso evadere, per quam in primo parente male comedente fuerat mortuus. Sequitur : *Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse rex ejus, quoniam noluerunt converti. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum, et populus meus pendebit ad reditum meum. Jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur*. Quando, ut supra dictum est, in brachiis suis populum illum portabat per desertum, et panem, id est manna, dabat illi vivi et vivifici panis figurativum, tunc multoties murmurando contendebant (*Exod.* XVI) dicendo : *Constituamus nobis decem, et revertamur in Ægyptum* (*Num.* XIV). Quando autem ipse per semetipsum declinavit ad eum, ut vesceretur, quando se descendisse de cœlo testatus est *panis vivus, ut qui manducaverit ex eo, non moriatur* (*Joan.* VI), eo tempore non erat tumultus iste in populo, ut constituens sibi

ducem in Ægyptum reverteretur, quinimo in civitate et templo illo plurimum gloriabatur sed nihilominus ipse Assur, id est diabolus, rex est ejus. Quare? *Quoniam noluerunt*, inquit, *converti*, subauditur, ut vescerentur pane illo qui, ut jam dictum est, declinavit, id est qui de cœlo descendit ad hoc ut vesceretur operarius quisquis operis Dei. Quod autem revera rex ejus extunc sit Assur, id est diabolus, pro eo quod regem suum, regem justitiæ et principem pacis negavit et blasphemavit, et ad eum noluit converti, claruit ex subsequentibus. *Cœpit enim*, inquit, *gladius in civitatibus ejus*, videlicet quando populus ille Romano exercitu circumdatus est. Miro namque modo, antequam **75** hostilibus machinis muri deforis pulsarentur, intus seditiosorum gladiis innumera miserabilium civium corpora necabantur, sicut mira et cunctis sæculis pervulgata Hierosolymitani excidii tragœdia Josepho describente testatur. Recte ergo et veraciter dictum, *cœpit gladius in civitatibus ejus*, quia prius vastavit eos intus gladius, quam pavor foris ex hostium præsentia clausis incuteretur. Quod sequitur dicens: *Et consumet electos ejus, et comedet capita eorum*, id est ac si dicat, quia destruet non solum duces aut principes, sed et omnem principatum eorum, secundum Danielis quoque prophetiam, qui cum dixisset: *Et post hebdomadas sexaginta occidetur Christus, et non erit ei populus qui eum negaturus est*, prosecutus est ita dicens: *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Et deficiet hostia et sacrificium, et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (*Dan.* IX). Cum autem, ut ait ille, *et non erit ei populus, qui eum negaturus est*, Judæi cum Christo nihil habeant, Christum autem se expectare contendunt. Hoc est quod præsenti loco nunc dicit; *et populus meus pendebit ad reditum meum*. Pendent enim nunc inter utrumque, utpote neque Deum patrum suorum habentes, neque idola colentes, sicut quondam Baal, et vitulos coluerunt. Et redibit quidem Christus ad eos, ita ut *reliquiæ salvæ fiant* (*Rom.* IX), sed interim eis qui non credunt *jugum* impositum est, *quod non auferetur*, jugum peccati et jugum captivitatis, qua *in omnes gentes captivi ducti sunt*. Hoc intendens ac prospiciens, ut videlicet *reliquiæ salvæ fiant*, continuo dicit: *Quomodo dabo te, Ephraim, protegam te, Israel? Quomodo dabo te? Sicut Adam ponam te, ut Seboim. Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ, non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, et non homo in medio tui sanctus.* Notum est Adama et Seboim civitates fuisse Sodomorum. Quinque namque civitates fuerunt, Sodoma et Gomorrha, Adama, et Seboim, et Balla, quæ et Segor (*Genes.* XIV). Unde et ipsa regio Pentapolis dicta est. Illæ civitates per ignem et sulphurem ita subversæ sunt, ut nullæ ex eis reliquiæ superessent.

A Cum ergo dicit, *quomodo dabo te, Ephraim, protegam te Israel*, subauditur, qui protegi non mereris, statimque meritam subjungit sententiam dicens: *Sicut Adama ponam te, ut Seboim*, tantam illi populo comminatur repulsam, ut ne reliquiæ quidem ex eo debeant salvari. Hoc dicto, confestim quasi dolore cordis tactus intrinsecus, nimiam ipse sui severitatem censet esse judicii, et dicit: ***Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea.*** Et est sensus: Statim ut locutus sum adversum te malum et crudelem protuli sententiam, tetigit me pietas vincente misericordia, veluti austeritatem judicis pietas mitigat Patris. *Non faciam*, ait, *furorem iræ meæ*; *non convertar ut disperdam Ephraim*, subauditur, eo modo quo disperditi Adama et Seboim, B nullis reliquiis earum reservatis. Non ita convertar, non ita mutabor ab insita mihi clementia ut taliter compleam furorem meum, *quoniam Deus ego et non homo in medio tui sanctus*. Homo dum irascitur, accepta injuria profunde læsus, eo totus intendit ut vindictam exigat, et de pœnis satietur ejus qui læsit, nec enim pœnitentiam, sed solam, ut jam dictum est, quærit vindictam. *Ego autem Deus sum in medio tui sanctus*, nunc pro furore vindictam aut pœnam, sed pro misericordia peccatorum desiderans pœnitentiam. *Non ergo ingrediar civitatem*. Id est non indiscrete percutiam ad modum hominis qui cum iratus, ut sæpe dictum est, offensam irruperit civitatem, furore ardens nullam ætatum aut ordinum sive conditionum habet discretionem, omnes pariter involvens, universos indiscrete percutiens, et C fugientes insequens et obviantes jugulans. Secundum hunc sensum dicit et Apostolus: ***Nunquid repulit Deus populum suum? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.*** Et subinde: *Quid dicit Heliæ responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI). Non ergo Deus genti iratus est, sed incredulitati, quia non sic iratus est ut nullas ex illo populo suo reliquias, si convertantur, suscipere velit: non, inquam, idcirco Judæus quisquam repellitur, quia gens Judaica Christum occidit; sed qui Christum negat, sive Judæus sive gentilis, ipsemet sese D facit in sua persona repelli. Unde loco supra memorato, cum dixisset Daniel: ***Et post hebdomadas sexaginta occidetur Christus***, subjungens: ***Et non erit ei populus***, ait, ***qui eum negaturus est.*** Non dixit, non erit ejus populus qui eum occisurus est, sed *qui eum negaturus est*. Nam occisio Christi occisoribus sine dubio donatur, secundum ipsius precem dicentis: ***Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*** (*Luc.* XIII); negationis autem pertinacia damnatur, nullamque veniam meretur. Itaque non ut Adama et Seboim, quarum corporale incendium nullus evasit inhabitantium, posuit Deus illum populum suum, quia corporali excidio multi superfue-

runt, et reliquiæ ex illis subverterentur cum *intraverit plenitudo gentium*, nisi sponte sua, nisi gratuita misericordia furorem iræ suæ repressisset, justo valde judicio, sicut Adama et sicut Seboim, nullis reservatis reliquiis, perdidisset. Unde et Isaias loquitur : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus* (*Isa.* I). Sequitur : *Post Dominum ambulabunt quasi leo rugiet quia ipse rugiet et formidabunt filii maris, et avolabunt quasi avis ex Ægypto, quasi columba de terra Assyriorum Et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.* Idcirco, ait, *non* omnino *disperdam*, quia *post Dominum*, reliquiæ *ambulabunt*, id est credent in Christum. Etenim Christus ab eis in tempore beneplacito cognoscetur et timebitur sicut ex suo rugitu leo cognoscitur et formidatur. Ipse enim *quasi leo rugiet*, inquit. Hoc ipsum, non semel contentus, repetit et dicit, *quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris*. Dominus noster Jesus Christus quasi leo rugiit, quando infernum contrivit et mortem vicit, secundum prophetiam Jacob dicentis: *Catulus leonis Juda*; *ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti, ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum ?* (*Gen.* XLIX.) Itaque post Dominum rugientem, quemadmodum rugit leo, ambulabunt et formidabunt, id est in Christum devicta morte et spoliatis inferis glorificatum credent, ejusque vestigia sequentur, et in timore illi subditi erunt. Sed quinam sunt, qui ita post Dominum ambulabunt et ita formidabunt ? *Filii maris*, inquit. Non dixit filii Ephraim sive filii Israel, quibus supra dixerat : *Quomodo dabo te, Ephraim ? Protegam te, Israel? Filii maris*, inquit, id est, quicunque crediderint et baptizati fuerint. Moriturus enim erat Jesus *non tantum pro gente*, sive pro reliquiis gentis, *sed ut filios Dei qui* 76 *erant dispersi, congregaret in unum* (*Joan.* XI). Bene ergo magis universali enuntiatione dixit, *filii maris*, id est filii baptismi, filii gratiæ regenerantis, quacunque ex gente sive natione sint. Reliquiæ filiorum cum istis *post Dominum ambulabunt et formidabunt*, et ita *qui dispersi erant* filii Dei *congregabuntur in unum*. Istam unitatis eorum congregationem propheta pulcherrime exornat, cum dicit : *Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum, et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.* Ægyptus sive terra Assyriorum mundus iste est omnibus errantibus et principem hujus mundi sectantibus, qui intelligitur per Assur. Pulchre namque *quasi avis* avolare dicitur, qui terrenas cupiditates relinquendo cœlestem gratiam sequuntur, et sic evadunt ut vestigia culpæ nulla in eis inveniat insecutor diabolus, sicut avolatus avium vestigia nulla supersunt, dum liberis per aera pennis feruntur. Nec vero contentus dixisse nomine generali, *et avolabunt quasi avis*, sed continuo specialiter exprimit ejus avis similitudinem, cui competenter assimiletur gratia cœlestis, dicendo : *Et quasi columba de terra Assyriorum. Columba* namque maxime pro eo quod in hac specie Spiritus sanctus

A super Dominum nostrum cum baptizaretur apparuit (*Matth.* III), regenerantem ejusdem Spiritus sancti gratiam significat, cujus utique sacramentis vivificati, avolavimus ex Ægypto et de terra Assyriorum, id est de ignorantiæ tenebris et de terrenarum affectibus cupiditatum. Et sic avolantes *collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus. In domibus suis*, id est in mansionibus sibi præparatis. Nam ab origine mundi, quando creatis hominibus primis benedixit illis et ait : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I), præparavit illis domos sive mansiones æternos, de quibus continuo moriturus dixit : *In domo Patris mei, multæ mansiones sunt* (*Joan.* XIV), et in novissimo die dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei* ; *percipite paratum vobis*
B *regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV). Sequitur :

CAP. XII. — *Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel. Judas autem testis descendit cum eo suo, et cum sanctis fidelis. Ephraim pascit ventum et sequitur æstum. Tota die mendacium et vastitatem multiplicat, et fœdus cum Assyriis iniit, et oleum in Ægypto ferebat.* Quinta jam declamatione peccato populi sese justificare volentis sermo propheticus accusat, et ante tribunal suum reum addicit majestas, cujus manus non est qui effugiat, si judicio cum hominibus contendat. *Circumdebit me*, ait, *in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel.* Secundum evidentem litteræ sonum ad illa tempora lectorem mittit, quando,
C ut sæpe jam dictum est, Hieroboam, qui erat de tribu Ephraim, vitulos aureos fecit (*III Reg.* XII). Tunc enim et ipse *in negatione, et domus Israel in dolo* Deum *circumdedit*, quando ejusmodi consilium excogitavit, tam ipse, quam domus Israel, quatenus depellerent a se domum David. Ibi revera dolus exstitit, qui non per ignorantiam, sed per malitiam, Israel peccavit ; ibi manifeste Deum negavit, qui eduxit Israel de terra Ægypti, quando et hoc nomen et hoc opus vitulis illis ascripsit dicendo, *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*ibid.*) Sed nunquid is, qui hæc loquitur solos in isto propheta vitulos attendit, quos illo tempore fecerat Ephraim, et non magis illos vitulos multos et tauros, de quibus in alio Propheta jam dixerat: *Circumdederunt me vituli multi, tauri*
D *pingues obsederunt me*? (*Psal.* XXI.) Ergo ad illa magis tempora prospicientem spiritum propheticum sequamur, quando peccatum illius Ephraim qui tunc negavit David, imo Dominum ipsum in David, ad quem promissio facta fuerat, dicendo, *Quæ nobis pars in David*, *aut quæ hæreditas in filio Isai* (*III Reg.* XII), sic imitati sunt desertores Filii Dei, filii David, ut circumdarent eum dicentes : *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palam* (*Joan.* X). Tunc enim in negatione circumderunt eum, et hæc dixerunt ei, quia profecto talis eorum intentio fuit ut confitentem se esse Christum accusarent eum et negarent, quod et fecerunt

ante faciem Pilati. Item, quando miserunt ad eum A quosdam ex Pharisæis cum Herodianis dicentes : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces; dic ergo nobis: Licet censum dare Cæsari, an non?* (*Matth.* XXII). Tunc utique *in dolo circumdedit* eum *domus Israel;* quippe qui consilium inierant ut caperent eum in sermone. Hæc et his similia facturos sive dicturos hæredes peccati illius Ephraim sive Israel, qui recessit a domo David, veraciter nunc dicit : *Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel.* Porro, his qui illum susceperunt et confessi sunt, secundum præsentem Petri et Apostoli confessionem dicentis : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI), congruit illud quod protinus dicit : *Judas autem testis descendit cum Deo suo, et cum sanctis fidelis.* Judas nam- B que *confessio* interpretatur, et idcirco confessores virtutis universi recte hoc nomine significantur. Et notanda diligenter hæc oppositio. *Ephraim in negatione* Dominum *circumdedit* : *Judas autem* hoc ipsum, quod est Judas, id est in confessione est, *testis cum Deo suo descendit.* Nimirum negatio et Judas, id est confessio, contraria sunt; item, circumdare Dominum, et descendere cum Domino, contraria sunt. Nihil verius hoc præconio prophetali. Qui enim in negatione Dominum circumdat, contra Dominum superbit, et superbiendo incidit in judicium diaboli : et econtra, qui confitetur Dominum Filium Dei in humilitate Filii hominis confitendo descendit, unde et meretur exaltari. Iste Judas recte dicitur *testis*, non qualiscunque, sed *fidelis*, C videlicet ex opposito domus Israel quæ Dominum in dolo circumdedit. Dolus namque et fidelitas contraria sunt. Confessor igitur *et testis fidelis cum Deo suo, et cum sanctis descendit.* Exempli gratia, quando unus ex illis, *qui venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, confessus est et non negavit, et confessus est, Quia non sum ego Christus* (*Joan.* I). Item : *Qui post me venturus est*, ait, *ante me factus est, quia prior me erat, et de plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*ibid.*). Hoc modo nimirum omnes sancti descendunt, et cum illis omnis confessor et testis fidelis descendit confitendo scilicet quod ille prior omnibus exstiterit, et quod de plenitudine ejus omnes ipsi acceperunt. Econtra superbi omnes, quales erant illo tempore Scribæ et Pharisæi, D tolluntur in sublime, unde et facti sunt sicut *pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I). Ait ergo: *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum.* Ventum namque pascere, est superbiæ spiritu inflari; sequi vero æstum, luxuria corrumpi, quæ peccata vel vitia consequentia sunt, ita ut cum superbia spiritum erexerit, carnem quoque corrumpat spiritus fornicationis. Quod item sequitur: *Tota die mendacium et vastitatem multiplicat*, quam veraciter eisdem congruat, palam est qui tota die, id est pertinaciter, fingendo mendacium vanumque timorem, ac dicendo : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI) — *vastitatem* utique multiplicaverunt, id est multiplicem suis urbibus eversionem comparaverunt. Quomodo autem ille talis Ephraim, id 77 est populus desertor veri David *fœdus cum Assyriis iniit, et oleum in Ægyptum ferebat*, nisi malignorum spirituum voluntatem faciendo, et imperio mundi hujus male adulando, ita ut diceret : *Non habemus regem nisi Cæsarem?* (*Joan.* XIX) Oleum namque interdum adulationis significat suavitatem ut illic : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL), id est, adulatio cujusquam non delectabit mentem meam. Et quidem ille, dicendo: *Non habemus regem, nisi Cæsarem, et si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, et cætera hujusmodi, oleum in Ægyptum ferebat, sed nec saltem ad tempus illis Ægyptiis, id est gentilibus principibus Romanis acceptum fuit. Nam pro suavitate talis olei nullam societatis gratiam, imo magnam eversionis suæ pœnam consecuti sunt. Sequitur : *Judicium enim Domini cum Juda, et visitatio super Jacob. Juxta vias ejus et juxta adinventiones ejus reddet ei. In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est; flevit et rogavit eum.* Dixerat Dominus: *Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel, Judas autem testis descendit cum Deo suo, et cum sanctis fidelis*; nunc, quasi quæreat aliquis quæ causa jurgii fuerit Ephraim ut negaret, quæ causa domui Israel ut idolum excogitaret, cum Judas econtra testis fidelis cum Deo suo descenderet, subjungit ipse propheta dicens in sua persona : *Judicium enim Domini cum Juda, et visitatio super Jacob.* Et est sensus : Idcirco Dominum circumdederunt negantes et in dolo loquentes, quia Dominus ipse judicium posuit cum Juda, et visitationem egit super Jacob, discernendo videlicet et discernendum esse docendo, quinam sint veraciter Judæi, et *qui* econtra *Judæos se esse dicant cum non sint*, sed sint *in Synagoga Satanæ* (*Apoc.* III). Qui, inquam, sint veraciter Jacob, et qui econtra Jacob sive Israel se esse dicant cum non sint, sed sint Esau. Tale namque judicium cum Juda talem visitationem adveniens Dominus noster exercuit super Jacob, ut non eos reputare velit Judæos, sive filios Jacob, pro eo quod sunt filii carnis, nisi sint etiam filii promissionis vel fidei. Unde et Apostolus dicit : *Non enim omnes, qui sunt Israel, hi sunt Israelitæ, neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii Dei, sed in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, *non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine* (*Rom.* IX). Denique quod nihil prosit esse filios carnis, qui non sunt filii promissionis, justissima confirmat sententia, cum dicit : *Juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei.* Cui ei? Nimirum ei, qui cum deberet esse Jacob sive Judas testis fidelis, factus est Ephraim, qui recessit infideliter a domo David, imo et Chanaam dici meretur, sicut habemus in sequentibus. Cum ergo dicit : *Juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus*

reddet ei, subintelligendum est, æque ut gentili. *Ira* enim *et indignatio*, inquit Apostolus, *tribulatio et angustia in omnem animum hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci. Non est enim personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* II). Veritatem judicis sive veram sententiam judicis discernentis, quis vere Jacob dicatur et sit, verbis istis breviter definit: *In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum et confortatus est; flevit et rogavit eum.* Cum enim hæc dicit, valde subtiliter exigit ut similiter faciat quicunque hoc astruere vult, quod ex Jacob sit. Et hoc declamat, quod populus ille veraciter Jacob dicatur et sit, qui similiter agit. *In utero*, inquit, *supplantavit fratrem suum*, unde dictus est *Jacob* (*Gen.* XXV), id est supplantator. Ergo qui vult veraciter dici vel esse Jacob in hujus vitæ angustiis, confligat sensu veritatis contra populum istum qui cum sit crudelitate rufus, cupiditate terrenus, moribus hispidus, Deum sibi arrogat, cum Dei Filium non habeat, et pugnando usque ad victoriam tollat ejus primogenita. Item, *et in fortitudine sua*, inquit, *directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est; et flevit et rogavit eum.* Notam historiam contingit, videlicet cum Jacob reverteretur de Mesopotamia, traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, trans vadum Jacob remansisset solus: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, dixit ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco* (*Gen.* XXXII). Ergo et qui non solum Jacob, verum etiam Israel veraciter dici vel esse vult, similiter *in fortitudine sua*, id est in fide sua, dirigatur cum Christo magni consilii angelo, et invalescat ad angelum hunc, videlicet et agendo pœnitentiam, et faciendo dignum pœnitentiæ fructum. Nam quod ait, *et confortatus est*, subjungens, *flevit et rogavit eum*, recte dicas de fortitudine pœnitentium; quia revera fortes sunt flendo instanter, et rogando perseveranter remissionem peccatorum, juxta illud: *A diebus autem Joannis regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI). Quisquis taliter imitatur patrem Jacob, qui cum angelo luctatus est et tanquam victor benedictionem exegit ab eo, hic nimirum quacunque ex gente vel natione sit, vere est jam Jacob, et dici meretur Israel. Addit adhuc: *In Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum, et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus.* Patenter hic angelum, cum quo directus est, sive luctatus ille patriarcha Jacob, ipsum asserit fuisse Dominum, dicendo: *In Bethel invenit eum, et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus.* Nam eum quem superius invenerat in Bethel, ipsum fuisse Dominum Scriptura testis est. Sic enim scriptum est: *Viditque in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens cœlum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui, et Deus Isaac* (*Gen.* XXVIII). In Bethel ergo invenit eum scilicet angelum, cum quo luctatus est postmodum, qui et dixit ei: *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* (*Gen.* XXXII.) Interpretatur autem Bethel *domus Dei*. Ergo et quisquis invalescere cupit ad illum talem angelum, ut fletibus tanquam victor obtineat remissionem peccatorum, in Bethel quærat ut inveniat eum, id est in domo Dei, quæ est Ecclesia. Nam extra istam Dei domum nullus est locus in quo inveniat quis eum, vel in quo suum cuiquam impertiatur alloquium. Unde nunc ait: *Et ibi locutus est nobiscum.* Quis vel quantus iste sit quem vel tunc ille Jacob in Bethel invenerit, vel nunc invenire debeat in domo Dei, quisquis ejusdem Jacob sive Israel semen veraciter meretur nuncupari, manifestius exprimit cum protinus dicit: *Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus.* Nam revera hic magni consilii Angelus Dominus est, Deus est. *Dominus*, inquam, *Deus exercituum*, omnium videlicet Creator et rex angelorum, et omnium electorum hominum. Et hoc nomen, quod est *Dominus*, ita est *memoriale ejus* sicut et Dei Patris ejus. Nemo enim in Spiritu Dei loquens, diffitetur aut obliviscitur; sed memoriter tenet et 78 dicit, *Dominus Deus.* Nunc ad auditorem propheta sese convertit, dicitque ei: *Et tu ad Dominum Deum tuum converteris; misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper.* Cum dicit *et tu*, subintelligendum est quemadmodum ille, sive secundum exemplum illius. Et quemadmodum tunc ille Jacob ad Dominum Deum suum conversus est, quomodo misericordiam et judicium custodivit, et speravit in Deo suo semper? Nimirum cum peregrinaretur, fratrem suum Esau fugitans, qui jam non peregrinus, sed præpotens factus erat, accipiendo uxores de filiabus Chanaan, inter quas Isaac pater suus habitabat, tunc omni humano solatio destitutus, flendo, ut jam dictum est, et rogando convertit se ad Dominum Deum suum, invaluitque ad angelum, confortatus cum flebili oratione hac: *Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac, Domine, tu dixisti mihi: Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ et benefaciam tibi; minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate quam explesti servo tuo; in baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo* (*Gen.* XXXII). Ita ergo et tu, quoties te persequitur Esau, id est quilibet frater falsus cujuscunque exemplum fuit Esau, imo et quoties spiritum tuum caro tua persequitur, convertere ad Dominum Deum tuum, et ora eum atque ut exaudiri merearis rogando fortiter, sicut ille *in fortitudine sua cum angelo directus est*, perseveranter esto fortis, quemadmodum ille cum dixit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Misericordiam et judicium* ille custodivit, videlicet ambulando in viis Domini. Nam *universæ viæ Domini misericordia* et judicium (*Psal.* XXIV),

sive misericordia et veritas. Proinde et merito speravit in Domino Deo suo semper, id est in omnibus adversis quæ multa passus est, nec spe sua frustratus est. Nam et de manu Esau quem timebat eruit eum Dominus, et tandem post dies peregrinationis suæ plurimos, post annos vitæ suæ cxxx, visa rursus facie filii sui Joseph, consolatus est semetipsum, dicens quod jam lætus moriturus esset (*Gen.* xlv). Hujusmodi judicium cum Juda, et hæc visitatio super Jacob, ut quisque secundum hæc exempla vivit patris illius, ille duntaxat dicatur et sit Judæus, ille Jacob, imo et Israel vere vocetur. Quid contra is, qui cum sit fidei vel meritis ejusdem patris contrarius, in sola carne Jacob sive in carnali tantum Judaismo gloriatur? Audi quod sequitur: *Chanaan est in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.* Miri et condigna secundum cujusque merita nominum sive appellationum positio, imo oppositio, illi qui secundum exemplum patris jam dicti in fortitudine sua dirigitur cum angelo et invalescit ad angelum, recte dicitur, *nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*; *quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis*? (*Gen.* xxxii.) Huic autem qui similiter non facit, imo invidet similiter facienti, dicitur secundum sensum sermonis hujus prophetici: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum*, sed *Chanaan*. Hoc et in alio propheta confirmat idem Deus, cum dicit: *Pater tuus Ammorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* xvi). Amorrhæus namque et Cethæus posteri Chanaan exstiterunt. Quam ob causam maxime meretur vocari Chanaan, quisquis secundum carnem Judæus dicatur sive Israelita, secundum mores a tali vel tanto patre degenerat. Nimirum propter malitiosam terrenæ cupiditatis duplicitatem, quæ pulchre talibus exprimitur verbis: *In manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.* Hoc namque contrarium illi est, quod de patre illo Scriptura dicit: *Jacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis* (*Gen.* xxv). Simplicitas eo provexit illum ut vocari mereretur Israel; dolositas eo devolvit filios carnis illius ut vocentur Chanaan. Quod si habendo in manu sua stateram dolosam contra justitiam legis Dei dicentis: *Sit tibi æquus modius justusque sextarius* (*Levit.* xix), merentur appellari Chanaan, quanto magis pro eo quod consilium facientes *ut Jesum tenerent et occiderent* (*Matth.* xxvi), statera hoc peregerunt, appendenda triginta argenteis, sanguinis ejus pretium, non jam Judæi, sed Chananæi dicendi sunt? Nimirum de Judæis illius temporis veraciter propheticus sermo dicat: *Chanaan calumniam dilexit*, quia majori diligentia vel instantia calumniati sunt ut crucifigerent Christum regem, verum David, quam olim sese scidisset a domo David ille Ephraim, de quo hic propheta protinus dicit: *Et Ephraim dixit*: *Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi. Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.* Manifestius expressit quem in præcedenti versiculo no-

A mine Chanaan denotaverit, subjungendo: *Et dixit Ephraim.* Nam qui nascendo erat Ephraim et pro discessione a domo David, non qualiscunque, sed notabilis Ephraim, ipse stateram dolosam in manu habendo et idolum sibi inveniendo, Chanaan recte dici meruit. Et vide quam mira fatuitatis consolatio. Cum haberet iste Chanaan in manu sua stateram dolosam, et accusantem se nusquam posse evadere peccati conscientiam, consolatus est semetipsum et dixit: *Verumtamen dives effectus sum.* Undecunque, inquit, vel quomodocunque acquisierim, sive juxta sive dolosa in manu mea statera fuerit, *dives effectus sum*; quod quærebam adeptus sum, *inveni idolum mihi.* Et hoc quidem ille dixerit Hieroboam de tribu Ephraim, qui evincere potuit,
B ut pro Deo vitulum faceret coli. Judæi vero temporis illius, quod maxime propheta respicit, quo videlicet venit ut regnaret verus David, cum audissent eum contra avaritiam suam disputantem, maximeque Scribæ et Pharisæi, cum illum crucifixissent gavisi sunt, quasi illo interempto, deinceps vacaret sibi servire idolo suo, scilicet mammonæ, id est vacaret lucris suis. Cum itaque conscientia crudeli torqueretur hic talis Chanaan sive Ephraim consolabatur semetipsum, *verumtamen*, inquiens, *dives effectus sum.* Econtra ille dicebat *Verumtamen, væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (*Luc.* vi). Jacobus quoque apostolus contra
C divites eosdem dicit: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis* (*Jac.* v). At ille dives Chanaan, id est Judaicus sive Pharisaicus cœtus dicebat sibi, quemadmodum hic propheta præscribit: *Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem meam, quam peccavi.* Et est sensus: Omnia peccata mea non potuerunt vindicari, neque fieri potest ut iniquitas quam peccavi puniatur eversione civitatis et templi. Nunquid enim credere vel audire posset quod locus ille tam lucrosus propter sanguinem Jesu Christi destruendus foret? Denique hoc Stephano protomartyri pro crimine ascriptum est, quod ita prædicaret sicut Scriptura refert: *Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum, et sanctum, et legem. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Je-*
D *sus Nazarenus destruet locum istum* (*Act.* vi). *Agite ergo divites*, inquit apostolus jam dictus, *plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a*
79 *tineis comesta sunt* (*Jac.* v): Et subinde: *Epulati*, ait, *estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis, et non restitit vobis* (*ibid.*). Vane ergo se consolatus est hic, qui stateram habens dolosam, calumniam dilexit, dicendo: *Verumtamen dives effectus sum*, quia nec divitiæ suæ proderunt illi, nec male commutati nominis Chanaan hæreditate carebit. Sequitur: *Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*,

adhuc sedere te faciam in tabernaculis sicut in diebus A *festivitatis*. Hoc anterioribus conjungitur dictis, neque enim *Chanaan* illi, cujus *in manu statera dolosa* est, aut Ephraim qui *sibi idolum* invenit et gloriatus est divitem se esse, gratiam istam repromittit; sed ei cui dixerat, *Et tu ad Dominum Deum tuum converteris, misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper*. Hic ille est, qui habito judicio cum Juda seu visitatione super Jacob, vere Judæus et verus esse Israelita repertus est, imitando illum, qui in utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo, sicut jam dictum est. Itaque ad illud quod dixerat, *Et spera in Deo tuo semper*, conjungitur id quod ait: *Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*, id est, ex eo tempore quo egressus ex ignorantiæ tenebris verum mihi B fidei sacrificium obtulisti. Tabernacula illa, quæ repromittit, dicendo: *Adhuc sedere te faciam in tabernaculis*, Illa sunt, de quibus Psalmista: *Quam dilecta*, inquit, *tabernacula tua, Domine virtutum*? subjungens, *concupiscit et deficit anima mea in atriis Domini* (*Psal.* LXXXIII). *Tabernacula* quippe, id est tegumenta peregrinantium sive in malitia laborantium, discreti in Ecclesia sunt ordines Deo servientium, in quibus posita *anima concupiscit et deficit in atriis Domini*, desiderando ab istis angustiis transmigrare in illam amplitudinem Hierusalem supercœlestis, ubi tanta amplitudo est ut nullius possessio alterius possessione possit arctari, sufficiatque unicuique quod possidet, ita ut amplius nolit. Notandus ergo ordo dictorum, quia cum dixisset, *Ego Dominus* C *Deus tuus ex terra Ægypti*, adhuc ait, *Sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis*. Notum quippe est, quod egressi de terra Ægypti filii Israel in tabernaculis habitaverunt. Unde et festivitatem Tabernaculorum cœnophegiam celeberrimam habuerunt singulis annis (*Exod.* XXIII). Est itaque sensus: Olim patres tuos ascendentes de terra Ægypti habitare feci in tabernaculis, donec introducerem eos in terram promissionis. Sed sicut alia est Ægyptus quam in illa Ægyptus significavit, et alia terra promissionis cujus illa terra typum prætulit, ita adhuc alia sunt tabernacula, quorum illa tabernacula significativa fuerunt, et in illis *te sedere faciam, sicut in diebus festivitatis*, id est, sicut significatum est illis tabernaculorum festis, quia *omnia in figura contingebant illi* (*I Cor.* x). Et revera qui- D cunque credendo in Christum de spirituali Ægypto exivit, in aliis, id est in spiritualibus sedet tabernaculis, dicitque sedens, *Concupiscit et deficit anima mea in atriis Domini*. His dictis protinus subjungit: *Et locutus sum per prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum*.

Hoc ita sensui conjungitur præcedenti. *Ego*, inquam, *Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*, et extunc ita factis et dictis innotui, ut nemo se de ignorantia nominis mei excusare possit. Nam ut innotescerem, *visionem* extunc *multiplicavi*, ex quo Mosi apparui de medio rubi in flamma ignis, et ille dixit: *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* (*Exod.* III). Et tunc per illum prophetam et *per* alios *prophetas locutus sum*, et visionem multiplicavi, id est videndus atque cognoscendus prophetis multipliciter apparui, *et in manu prophetarum assimilatus sum*, videlicet opera multa faciendo, quæ mei ipsius quasdam similitudines prætulerunt. Exempli gratia: In manu Mosi decem plagis contraria quidem Ægyptus et Pharao flagellatus est, sed nonnisi per immolati sanguinem agni ad perfectum victoria perduci potuit. Illic nimirum in manu Mosi assimilatus sum; hoc denique tunc assimilatum vel præfiguratum est, quod decem justitiæ præceptis legalibus, qui illa ante meum servaret adventum, sancti homines, vexarent quidem spiritualem Pharaonem, id est diabolum, repugnando et resistendo illi atque contendendo exire de regno mortis, sed non prævalerent. *Nihil enim ad perfectum* adductura erat *lex*, sicut Apostolus dicit (*Hebr.* VII), donec tandem ingrederer mundum immolandus, et sacrificium justitiæ futurus verus Agnus Dei, per meum sanguinem solus implerem, ut per justitiam hominum, quantumvis fortiter præcepta legis adimplentium fieri non potuit. Ejusmodi factis multiplicibus multisque similitudinibus in manu Mosi et prophetarum assimilatus sum. De ignorantia talium, quoniam scripta sunt, maxime tribus Juda, penes quam et templum et religionis sive sacerdotii cultus erat, excusari non poterat. Sequitur ergo: *Si in Galaad idolum, tamen frustra erant in Galgal bobus immolantes*. Et est sensus: Si decem tribus idola colunt, quæ templo Dei, sacerdotibus et Dei religione carent, tu tamen, o Juda, frustra Deum dereliquisti et in Galgal idola codis, cum habeas templum et sacerdotium, et cætera, quæ ad divini cultus pertinent ritum. Galaad namque et mons est civitas juxta eumdem montem sita trans Jordanem in tribu Gad, de qua superius legimus: *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine*. Galgal vero in tribu Juda prope Bethel, de qua supradictum est: *Omnes nequitiæ eorum in Galgalis*. Itaque et per Galaad decem tribus, et per Galgal tribus Juda recte denotantur, secundum tropum, qui synecdoche dicitur, id est conceptio, cum a parte totum vel a toto pars intelligitur. Aliter et sic intelligi potest, etiamsi Galaad idolum sit, sive quamvis Galaaditæ abundent idolis, tamen in Galgal erant mira superstitionis insania, non contenti uno in loco fixa portenta venerari, sed semper de loco ad locum cursitantes, et idolorum loca diversa visentes, quasi præclaris festivitatibus invitati. Nam et protinus subjungit: *Nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri*. Quod est dicere: Cum enim uno in loco, hoc est in Hierosolymis uni Deo sacrificia vel primitias offerre debuerint, adeo multiplicaverunt altaria, sicut superius jam dictum est, et ita exuberaverunt simulacris, et in vicis tam multa stabant altaria, ut solent manipulorum congesti stare acervi. Hoccine est hæreditarium pater-

næ fidei, quod habito judicio Domini cum Juda, et visitatione super Jacob, filii Juda vel filii Jacob mereantur nuncupari? Non utique. Sequitur enim: *Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israel in uxore, et in uxore servivit. In propheta autem eduxit Israel de Ægypto, et in propheta servatus.* Causa ista non minime operatur in illo judicio, sive operatione Domini super Jacob in discernendo, quis veraciter et quis falso dicatur esse semen Jacob. Cur enim ille *fugit in regionem Syriæ, et servivit in uxore?* Videlicet ne quando ad ejusmodi perduceretur altaria per mulieres Chanaan. Dixit enim Rebecca ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Eth. Si acceperit Jacob uxorem* **80** *de stirpe hujus terræ, nolo vivere* (*Gen.* XXVIII). *Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit, præcepitque ei dicens: Noli accipere conjugem de terra Chanaan; sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Batuel patris matris tuæ; et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui* (*Gen.* XXVIII). Itaque mulieres terræ illius fugit, quæ possent illi scandalum esse et causa peccati; et exemplum ejus sequendum esse, propter causam eamdem, Moses ita scripsit: *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis eorum, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis, irasceturque furor Domini, et delebit te cito* (*Deut.* VII). Isti autem contra de Galaad in Galgal, de Galgal in Galaad cursitabant, quærendo et sequendo idola, quæ ille de gente in gentem et de regno in populum alterum pertranseundo fugiebat. Falso igitur filios illius fecisse dicunt, cum sint potius Chanaan, sicut supra dictum est, cujus opera sectati sunt. Magnum profecto præconium est fugientis, in eo quod dicitur, *et in uxore servivit.* Maluit uxorem juxta beneplacitum Dei, patris ac matris propria servitute acquirere, quam filias Chanaan ducere cum offensione, sicut fecit Esau, de quo scriptum est: *Esau vero quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beheri Ethæi, et Basemath filiam Heloim ejusdem loci; quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ* (*Gen.* XXVI); uxor illa in qua servivit Rachel exstitit. Non pro Lia servivit, aut conventionem fecit, sed pro Rachel, quam solam diligens a patre petivit. Idcirco autem repetiit dicendo, *et servivit in uxore, et in uxore servivit,* quia videlicet bis pro una eademque Rachel septennem servitutem subiit. Septem quippe annis servivit, antequam conjugem duceret, et debito conjugio fraudatus est, sed querela deprompta, protinus post Liæ copulam quam non quæsierat, optatis potius nuptiis Rachel, rursus servivit septem aliis annis. Et notandum quod sic repente nomen commutatur, dicendo: *Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israel in uxore.* Quando *fugit,* dicebatur Jacob, quando autem *servivit,* meruit vocari Israel, auctis utique meritis, sicut narratio continet reversionis ejusdem de servitio redeuntis. Ad eamdem distinctionem tanti patris et eorum qui, quamvis carnis ejus filii nequaquam tamen mereantur in semine reputari, spectat ad illud, quod protinus subjungit: *In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto, et in propheta servatus est.* Nam econtra subaudiendum est: Isti autem de Ægypto mente nequaquam sunt egressi, imo ipsi sunt Ægyptus, faciendo sibi et colendo deos, Ægypti scilicet vitulos, quorum cultum didicerunt in terra Ægypti. Unde confestim in sua persona Deus conquerendo dicit:

CAP. XIII. — *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinis suis, et sanguis ejus super eum veniet.* Statimque propheta subsequitur: *Et opprobrium ejus restituet Dominus Deus suus. Loquente Ephraim horror invasit Israel, et deliquit in Baal, et mortuus est. Et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntque sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum. Factura artificum tota est. His ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes.* Hæc omnia quæ hic dicta sunt declamatione vehementi prophetæ judicium Domini, et visitationem super Jacob justificantis, fortiter convincunt eos quod non sint aut mereantur dici Israel, qualem Dominus in propheta veraciter de Ægypto eduxit. Alii namque et longe diversi, imo et contrarii Israel vero et fideli, quem in propheta Mose Dominus eduxit de Ægypto, vero corde dicente: *Eamus et sacrificemus Domino Deo nostro* (*Exod.* V). Illi fuerunt qui in amaritudinibus suis eumdem Dominum ad iracundiam provocaverunt, tentando et male loquendo de ipso, semperque murmurando contra eum. Et ille quidem Israel, qualis erat Josue sive Caleph, in eodem propheta servatus est, ascendendo per mare Rubrum, illorum autem corpora prostrata sunt in deserto. Illorum omnium deterrimus et maxime notabilis exstitit Ephraim, id est Hieroboam de tribu Ephraim, qui populum scindens a domo David vitulos aureos pro Deo colendos instituit. Idcirco confestim in illum sermo recurrit, dicente Domino: *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, et sanguis ejus,* id est peccatum ejus, *super eum veniet,* ut scilicet, intereat et regnum perdat in posteris suis, quod tali modo retinendum putavit. Et quia præsens pœna non sola redditur impœnitenti, subjungens propheta: *Et opprobrium,* inquit, *ejus restituet ei Dominus Deus suus,* id est, in futuro quoque sæculo tanti opprobrii memoria non delebitur, qui in tantum se dejecit, ut deserto Creatore Deo, coleret non tam vitulum quam inanimatam et insensibilem similitudinem vituli. Nec vero sui solius, sed et omnium quos ad tantum opprobrium induxit, perditio in illum rebundabit. Idcirco peccatum ejus amplius declamans: *Loquente,* inquit *Ephraim, horror invasit Israel, et dereliquit in Baal, et mortuus est.* Et est sensus. Dicente Hieroboam: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*III Reg.* XII), horrendus horror et erroneus pavor invasit Israel, ut aut verum putaret aut obloqui non auderet, et non solum vitulos illos, sed et Baal, agente

Achab cum Jezabel, coleret, atque hoc modo mortuus est. Extunc usus idololatriæ tantum excrevit, ut pene in omni loco singuli propria pro posse sibimet fabricarent idola in agris et in domibus suis. Hoc est quod ait: *Et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntque sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum*, ut scilicet haberent ipsi quoque suos vitulos. Nam quia rex deos habebat aureos, ipsi secundum suam possibilitatem fecerunt sibi deos argenteos. *Totum* hoc ait, *factura est artificum*, sicut alibi scriptum est : *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum* (*Psal.* CXIII). Quod cum ita sit, recte admiratur et dicit : *His ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes.* Nam vere mira et nimis misera stultitia, mandare homines, qui sunt opus Dei, tali facturæ artificum immolari. Hoc tam grande malum nequaquam illis fuit inusitatum. Scriptum est enim : *Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan* (*Psal.* CV). Qui autem sunt ipsi qui hæc dicunt? Nimirum sacerdotes sive artifices quorum illa factura est. Vos, aiunt, o cultores idolorum, quibus non suppetunt hostiæ, filios vestros et filias vestras idola sive vitulos nobiscum adorantes, eisdem vitulis immolate. Tantis ac talibus causis redditis, quibus in judicio Domini cum Juda sive visitatione super Jacob convincantur, quod potius semen Chanaan, quam semen Jacob mereantur dici, nunc superest pronuntiare condignas judicii sententias, et diffinire qualem pœnam isti falsi filii et qualem jure gratiam recipiant veri filii patris illius Jacob, cujus Deus Dominus dicatur esse vel dici. Sequitur ergo : *Idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens. Sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, et* **81** *Deum absque me nescies, et Salvator non est præter me. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis.* Prior namque sententia super illos filios carnis, et non fidei Jacob depromitur, quod ipsorum memoria sit peritura, sequens ad istos, non tantum carnis sed et fidei filios, quod in adventu Salvatoris Christi salvandi sunt in Domino salute æterna. In illorum qui reprobantur sententia, quatuor ista pro similitudine posita sunt : Nubes, ros, pulvis et fumus. Notandum vero quod nullum horum simpliciter positum est, sed cum adjectione quæ malum significet, quia videlicet unumquodque horum simpliciter positum, in bonam partem accipi plerumque solet. Scriptum est enim : *Qui sunt isti qui ut nubes volant* ? (*Isa.* LX.) Item : *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* (*Deut.* XXXII). Vel ut Abraham loquitur ad Deum : *Loquar ad Dominum cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII). Et Psalmista dicit : *Qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes et fumigant* (*Psal.* CIII). Itaque quatuor hæc omnia simpliciter in Scripturis posita, in bonam partem accipi possunt, idcirco singula hic cum adjectionibus congruis posita sunt, per quas sempiterni boni significatione distinguuntur. *Nubes matutina, ros* item *matutinus* et *mane pertransiens, pulvis turbine ex area raptus, fumus* item *de fumario* turbine raptu edicitur, atque ita hæc omnia perituram convenienter significant memoriam illorum, qui cum deberent esse semen Jacob, ipsi per suum vitium in illum Chanaan, qui a patre sancto maledictus est, degeneraverunt. Et quidem hoc, scilicet delendam esse memoriam illorum quatuor ista pariter significant, verumtamen in propriis significationibus diversa sunt. Etenim duo postrema, videlicet *pulvis turbine raptus ex area* et *fumus de fumario*, manifestam exprimunt iram ; duo autem præcedentia, *nubes matutina* et *ros matutinus præteriens*, temporalem licet et cito transituram quamdam misericordiam, juxta illud quod supra in hoc eodem propheta dictum est : *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda ? Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.* Denique et hic illic *nubes matutina* et *ros mane pertransiens* temporalia significant genti illi collata, bono quidem secundum se, sed malo illorum cito transitura. Duo sequentia manifeste sempiterna significant mala, sicut jam dictum est. Etenim hæc impiorum retributione perire, sicut disperiit pulvis turbine raptus ex area, et sicut deficit fumus turbine raptus de fumario, Psalmista quoque dicente : *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I). Item : *Inimici vero Domini, mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus, deficient* (*Psal.* XXXVI). Sic itaque nubes illa matutina sive ros ille mane pertransiens, talium, pars filiorum, qualis fuit Esau, cui dixit pater Isaac. *In pinguedine terræ, et in voce cœli desuper erit benedictio tua* (*Gen.* XXVII). Nam illorum qui sunt semen Jacob vel reputantur in semine, suntque Israelitæ, pars Dominus est, sicut protinus verbis sequentibus exprimitur: *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me. Ecce cognovi te in deserto in terra solitudinis.* Qui enim hæc loquitur Dominus Deus, dicens : *Et salvator non est præter me*, Christus est Dei Filius, fructus benedictionis illius quam non meruit Esau, Jacob autem adeptus est secundum verba hæc : *Et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (*ibid.*). Hoc nimirum in Spiritu sancto agebatur, ut quando dividendi erant Jacob et Esau, juxta illud divinum oraculum : *Duo gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex ventre tuo dividentur* (*Gen.* XXV), non de Esau, sed de Jacob semen Abrahæ, quod est Christus, nasceretur. Hic ergo cum dicit, *ego autem Dominus Deus tuus*, notandum quod addit, *ex terra Ægypti.* In hoc namque breviter astruit quod non sit Deus

recens quamvis in novissimis diebus de Virgine natus sit. Poterat autem dicere sic, *ergo autem Dominus Deus tuus* ex Abraham, quemadmodum et Judæis dicentibus, *quadraginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Respondens : *Amen amen*, inquit, *dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum* (*Joan.* VIII). Cur ergo dicere maluit, *ex terra Ægypti* ? Videlicet quia tunc magis innotuit, et potentiam suam ostendit in signis et prodigiis, qualia Abrahæ non ostendit, propter quod et Mosi tunc ait : *Ego Dominus qui apparui Abraham et Isaac, et Jacob in Deo omnipotente*; *et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* VI). Tunc etenim fœdus pepigit cum illis in monte Sinai, ut esset Deus eorum. Qui dixerunt ad Mosen: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his* (*Exod.* XXIV). Sermonum eorumdem initium erat hoc : *Non habebis deos alienos coram me.* Recte ergo et hic ait : *Et Deum absque me nescies.* Continuo quoque addit : *Et salvator non est præter me.* Iste Deus et Salvator Christus est Deus, quia creavit ; Salvator, quia factus homo salvavit. Unde et Jesus, quod interpretatur *Salvator*, nuncupari voluit. Vere præter hunc, Salvator non est, qua *non est in alio aliquo salus, nec enim nomen aliud sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV). Gratiosa valde commemoratio est, qua tandem dicit : *Ego cognovi te in deserto in terra solitudinis.* Neque enim exiguum quid est ei, qui omnia scit, et omnes per scientiam novit, notum esse per gratiam illa notitia, juxta quam uni illorum vero Israelitæ scilicet Mosi dicit : *Invenisti enim gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine* (*Exod.* XXXIII). Et quod tunc uni illi dictum hoc esse legimus, sed quod uni dicit, omnibus dicit, quos tunc temporis, imo et ante et post tempus illud præscitos atque prædestinatos eligit, quia cunctorum nomina in libro vitæ scripsit. Proinde et hoc sciendum, quia quique electi in deserto cognoscuntur, maxime et in terra solitudinis, in deserto hujus sæculi, *ubi Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV), in solitudine cordis et occulto conscientiæ latentis, ubi solus Deus animam tentationibus circumventam prospiciens, exercet, et probat, et legitime currentem cognitione sua dignam ducens, profitetur quia cognoscit. Talibus et ita cognitis sive nominatis ipse in Evangelio dicit : *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x).

LIBER SEXTUS.

82 Sexta nunc repetitione peccata gentis ejusdem Dominus depromens ad auditorem sese convertit et dicit : *Juxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt. Et elevaverunt cor suum et obliti sunt mei.* Dictum hoc Dei quidem bene facientis commendat bonitatem, sed nihilominus eorum quibus benefactum est vehementer condemnat ingratitudinem. Simile namque illi est, quod de eisdem Psalmista dicit : *Et manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desideriis suis* (*Psal.* LXXVII). Et subinde : *In omnibus his peccaverunt adhuc* (*ibid.*), et non *convertentur inimici mei retrorsum* (*Psal.* LV). Nunc ipsorum proprietatem dictorum consideremus. *Juxta pascua sua*, inquit, *adimpleti sunt.* Quemdam non bonum sive laudabilem adimpletionis et saturitatis modum insinuat, ita determinando, *adimpleti sunt et saturati sunt juxta pascua sua.* Quænam vel qualia fuerunt pascua sua? Nimirum ea quæ desideraverunt, propter quæ murmuraverunt *et de Deo male locuti sunt* (*Psal.* LXXVII). Exempli gratia, quando dixerunt : *Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique et cepe, et allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man* (*Num.* XI). Quia taliter et talia desideraverunt et desiderantes usque ad nauseam impleti sunt, recte pascua sua hæc dicta sunt. Neque enim Deum propter ipsum, sed propter ista secuti sunt. Cæterum qui Deum sequuntur propter ipsum, non hæc talia dicuntur pascua ipsorum, sed sermo Dei cibus vel pascua ipsorum est, juxta illud Deuteronomii : *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Deut.* VIII). Cum ergo dicit, *juxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt*, vehementer illos reprehendit. Idem enim est ac si dicat : Manducando et bibendo totam receperunt mercedem suam, pro eo quod exierunt de terra Ægypti, et ad tempus susceperunt legem Dei. Omnino delictum est propter talia pascua Deum sequi. Idcirco tales vituperans in Evangelio dicit : *Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* VI). Similiter et omnes sese existiment vituperati, quicunque altari Christi præsto sunt, non propter dilectionem sacramentorum quæ concelebrant, sed propter hoc solum ut de altaris sumptibus vivant. Igitur quod ait, *juxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt*, illi simile est, ut jam diximus, quod Psalmista dicit : *Et desiderium eorum attulit eis Dominus* (*Psal.* LXXVII). Nimirum talis plenitudo ventris, mentis elationem, talis saturitas oblivionem Dei generat. Notum et manifestum est, quia taliter illis accidit. Unde et continuo dicit : *Et elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei.* Nam qui terram optimam in possessionem

acceperunt, cujus fructibus adimpleti et divites facti sunt, elati in superbiam, regem sibi petierunt nolentes audire vocem Domini et Samuelis, sed dicentes: *Nequaquam: rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster* (*I Reg.* VIII). Eadem mentis elatione repulerunt demum David, et fecerunt sibi regem Hieroboam, qui pro Deo vitulos illis fecit, quæ nimirum res magna fuit oblivio Dei (*III Reg.* XII). Idcirco nunc dicit, *et obliti sunt mei.* Subaudiendum vero est, sed non licuit aut licebit eis penitus oblivisci. Sequitur enim: *Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum, et consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.* Sensus iste est: Tradam illos regnis quatuor, quæ intelliguntur per leænam et pardum et ursam et bestiam agri, quam sine nomine posuit ut ab illis oppressi atque conscissi magnitudine miseriarum cogantur reminisci mei, cujus sunt obliti. Per istas namque quatuor bestias regna quatuor, scilicet Babylonicum, Persicum, Macedonicum atque Romanum; illa maxime Danielis visio dat intelligi, qua dicit: *Videbam in visione mea nocte, et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno; et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. Prima quasi leæna, et alas habebat quasi aquilæ. Alia similis urso. Alia quasi pardus. Quarta terribilis atque mirabilis, et fortis nimis* (*Dan.* VII). Sicut ille, ita et hic bestiam quartam sine nomine posuit dicendo, *bestia agri scindit eos.* Igitur *ero*, inquit, *eis quasi leæna, et sicut pardus*, id est tradam eos Babyloniis, atque Macedoniis in via Assyriorum; id est pro eo quod superbe incedendo contra me direxerunt: Assyrii namque *dirigentes* interpretantur: *occurram eis quasi ursa raptis catulis.* Aiunt, qui de bestiarum scripsere naturis, inter omnes feras nihil esse sævius ursa, cum perdiderit catulos, vel indiguerit cibis. Cum ergo per ursum apud Danielem regnum Persarum atque Medorum significetur, non incongrue per hujusmodi ursæ ferocitatem illius Aman Agagitæ crudelitas pessima intelligitur, qui indignans quod Mardochæus non se adoraret nec sibi genu flecteret, pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas; audierat enim quod esset gentis Judææ, magisque voluit omnem Judæorum qui erant in regno Assueri perdere nationem (*Esther* III). Et quia mala hæc sub regnis jam dictis propter peccata sua erant passuri: *Et dirumpam*, ait, *interiora jecoris eorum.* In jecore namque juxta physicos voluptatis et concupiscentiæ consistit vis. Itaque per *interiora jecoris*, omnem concupiscentiam, quæ peccatum parit, breviter
83 innuit, quæ videlicet interiora quasi per ejusmodi feras dirupta sunt, quia peccata illorum regnis illis opprimentibus punita sunt. Et quia peccata ipsa in tribulatione confitentibus, tandem parcere habebat, subjungit atque ait: *Et consumam eos ibi quasi leo.* Tradunt namque physici, leonem prostrato

A parcere homini. Ergo ibi, id est sub regnis illis, non utcunque sive absque ulla discretione, sed *quasi leo consumam eos*, ait, quia videlicet ira mea terribilis quidem super eos erit, sed prostratis et peccata sua in tribulatione confitentibus parcam illis. Qui tandem fiet? *Bestia agri scindet eos, bestia quarta terribilis*, ut ait. Daniel, *atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens et reliqua pedibus suis conculcans, et omnino dissimilis cæteris bestiis* (*Dan.* VII). Quomodo *scindet eos?* Nimirum exscindendo miserabili excidio, et in omnes gentes ducendo captivos. Nunc ad ipsum populum taliter scindendum convertitur, et dicit: *Perditio tua, Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Ac si dicat: Tu ipse perditionis tuæ causa es;
B tu tibi perditionem thezaurizasti, recedendo a me, qui solus tibi poteram et consueveram auxiliari, et nusquam tibi auxilium est nisi apud me, si pœnitentiam egeris. Et quod vere tantummodo in ipso auxilium sit, increpando confirmat sequentibus verbis: *Ubi est rex tuus? Maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis; et judices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem et principem. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.* Vehementer vanam populi percutit æstimationem, qui regem sibi petivit, cum regem Deum haberet et ab hoc percunctatur, ut ad considerandum excitet et scire faciat, quia tantummodo in Deo auxilium est. Similis huic percunctationi illa est: *Ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam; de quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum* (*Deut.*
C XXXII). Nam, quemadmodum illic deficiente responsione, competenter subjungit: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me* (*ibid.*); ita et hic, cum dicit: *ubi est rex tuus; et judices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem et principem* subjunxit atque ait: *Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.* Factum namque hoc fuerat in primo rege Saul, quem petenti populo dederat. Denique in furore suo regem illum dedit, sicut ipsa ejus verba indicant, cum dicit: *Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum*, et cætera, quæ hoc modo concludit: *Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis servi et clamabitis in die illa a*
D *facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem* (*I Reg.* VIII). Ita in furore suo datum, abstulit in indignatione sua, dicens ad Samuel: *Pœnitet me, quod constituerim Saul regem* (*I Reg.* XV). Et subinde dicit Scriptura: *Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino* (*I Reg.* XVI). Itidem de Hieroboam cæterisque regibus decem tribuum sentiendum, quia volentibus illis scindentibus sese a domo David, in furore suo dedit illos et in indignatione sua abstulit, alios in vita sua, alios percutiens in posteritate sua. Porro David neque populus prior petivit, neque Dominus in furore suo

dedit, sed Dominus prior in misericordia elegit, in gratia dedit, in summa dignatione firmavit et custodivit. Itaque cum dicit, *De quibus dixisti : Da mihi regem et principem*, subaudiendum est, et ego respondi tibi in occulto judicio dicens : *Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.* Sequitur : *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum. Dolores parturientis venient ei. Ipse filius non sapiens. Nunc enim non stabit in contritione filiorum.* Jam sæpe dictum est *Ephraim*, id est reges decem tribuum, ita pariter viam Hieroboam secutos fuisse, qui peccare fecit Israel, ut nullus eorum, Scriptura testante, a peccatis ejus recederet. Ergo quasi quæreres, quænam furoris aut indignationis causa fuerit, *colligata est*, ait, *iniquitas Ephraim*, id est soluta non est, neque solvi poterat iniquitas regum illorum, eo quod incorrigibiles, et impœnitentes fuerunt, semperque iniquitatem quisque illorum defenderit. Nam hoc est quod sequitur: *Absconditum peccatum ejus. Absconditum* namque *peccatum* dicit, ubi nulla voce confessionis aperitur, imo et superbiæ defensionis scuto contegitur. Ibi iniquitas ita colligata est, ut solvi aut dimitti non possit. Econtra sanctus dicit : *Delictum meum cognitum tibi feci, dixi : Confiteor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Ille talis filius est sapiens ; de isto autem dicitur : *Ipse filius non sapiens.* Quomodo enim sapiens filius, quia a patre recessit a quo fuerat adoptatus, dicente ad Pharaonem : *Filius meus primogenitus Israel*? (*Exod.* IV.) Et quidem nunc coram hominibus peccatum suum abscondit, et coram Deo cum abscondere non possit, impœnitenti corde defendit, *sed dolores*, inquit, *parturientis venient ei.* Sicut enim mulier conceptum suum ad tempus quidem dissimulare potest, sed tandem parturiendo, doloribus attestantibus, occulta prodit, sic quisquis ejusmodi est, peccatum suum utcunque dissimulare ad tempus et abscondere potest, sed in tempore suo cuncta cordis ejus occulta cum dolore manifestabuntur, juxta illud : *Nihil opertum quod non reveletur, neque occultum quod non sciatur* (*Matth.* X). Tunc utique parebit sibi, quia ipse filius non sapiens. Et unde hoc probatur quod sit *filius non sapiens*? Ait : *Nunc enim non stabit in contritione filiorum.* Et est sensus : Qui enim vere filii sunt, ipsorum est contritio, et ipsi in tribulatione stant, id est pœnitentiam agunt, habentes cor contritum et humiliatum. Denique ita conteri sive confringi, hoc vere stare est, sicut de quodam ejusmodi filiorum scriptum est : *Et dixit ut disperderet eos, si non Moses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus* (*Psal.* CV). Nam confractionem nimiam et vehementem dicit humilitatem, in qua sic stetit ut Deum teneret homo fortis dicentem : *Dimitte me* (*Exod.* XXXII). In hujusmodi contritione qui stant, et filii sapientes sunt. Ita enim se conterendo per pœnitentiam sapientes filii fiunt. Is autem qui, ut jam dictum est, corde impœnitenti suam iniquita-

A tem colligavit, filius quidem dici potest dum jactat se et dicit : *Unum patrem habemus Deum* (*Joan.* VIII), sed non sapiens filius dicitur aut est. Restat igitur ut quemadmodum illi furorem debitum adjudicavit atque indignationem, sic econtra filiis istis, quorum est contritio, id est cor contritum et humiliatum, dignam et gratiosam repromittat consolationem. Audiamus illam vere magna et senora declamatione depromptam. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne.* Christus Dei filius, victor mortis et auctor vitæ, hoc in persona sua magna voce, magna veritatis eloquitur auctoritate : *Liberabo eos*, inquit, *de manu mortis, redimam eos de morte.* Quos eos, nisi filios, quorum cor contritum in pœnitentiæ
B studio est? Horum in catalogo primus est Abel, cujus ipsum nomen pœnitentiæ significat lamentum, transfertur enim in luctum. Ab illo usque ad ultimum electum cuncti pœnitentiam agentes, et peccatores se esse confitentes : *Omnes enim* **84** *in Adam peccaverunt* (*Rom.* III), consolationem istam accipiunt, de manu mortis liberati, de morte redempti. Nec vero abs re ita semel et iterum depromitur miserationis dignatio, *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos* : sed pro duplici morte, qua omnes mortui sumus in Adam, alia corporis, alia vero animæ. Itaque de manu mortis scilicet ejus, qua mortuus est Adam, in qua die præceptum transgressus est, quæ mors est animæ, liberabo eos. De morte quam indixit Deus his verbis : *Quia pulvis*
C *es et in pulverem reverteris* (*Gen.* III), quæ mors est corporis, *redimam eos.* Quo modo liberabo ? Quali redimam pretio ? Ait : *Ero mors tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne.* Non auro neque argento, sed morte mea mortem ipsorum interficiendo. Moriar, ut ipsi vivant, et ad infernum descendam. Nam hoc est quod dicit ad ipsam mortem, ad ipsum infernum apostropham faciens, mortis et inferni potens debellator, vitæ et mortis dominator : *Ero mors tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne.* Qualiter deberet vel posset mors mortis esse, breviter innuit dicendo : *Morsus tuus ero, inferne.* Et est sensus : Tu deceptus mordebis me, quemadmodum innuitur per id quod de te ipso dicitur ad Job : *In oculis ejus quasi hamo capiet eum* (*Job.* XL). Item : *Extrahere poteris Leviathan hamo?* (*Ibid.*) Ego factus homo tibi hamus
D ero, quia quemadmodum in hamo carnis teneritudo ostenditur et acumen ferri occultatur, sic humanitatis infirmitas te humani generis inimice invitabit ut mordeas, et divinitatis interior fortitudo transfiget, ut captivus pendeas. Quia taliter morsus tuus efficiar, mors mortis ero, quia vescera mortis interiora tua in inferno non sustinebunt, cum vitam momorderis, et dirupto ventre vitam remittes, morte mortua evadentibus vivis quicunque vita ista sunt digni. Aliter infernum Christus momordit, quando partem, suos videlicet electos liberavit ; partem autem, id est reprobos reliquit. Nam ex eo quod mordemus, partem consumimus, partem relinquimus. Sequitur :

Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres divisit. Ubi audivit propheta de gratia liberatoris et Redemptoris quod gauderet, vidit etiam quod carne sua de gente sua vel fratribus suis Israelitis, quod merito doleret. Illud videlicet quod et Apostolus pene inconsolabiliter gemit his verbis: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem; qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* IX). Divisionem B inter fratres, quam illic Apostolus continuo dolore gemit, hic futuram luget, dicens: *Consolatio abscondita est ab oculis meis.* Quis ita inter fratres divisit, nisi infernus, cujus morsum se fore liberator et Redemptor dixit? diabolus namque qui designatur nomine inferni, Judæos excæcando a fratribus ipsorum, et apostolis ejus divisit ut ejicerent eos, et oporteret illos evangelizare potius gentibus extraneis. Propter hoc, inquit, *abscondita est consolatio ab oculis meis.* Non dicit periit *consolatio*, sed *abscondita est*, id est non cito potest inveniri, non leviter possum consolari. Invenitur autem in illa spe, qua et Apostolus seipsum consolatus est, qui cum dixisset: *Cæcitas ex parte contigit in Israel*, subjunxit: *Donec plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI). Ad hunc sensum C pertinet id quod continuo hic propheta subjungit: *adducet ventum urentem Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas ejus et desolabit fontem ejus, et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. Ventum urentem* hoc loco Spiritum sanctum dicit, quemadmodum et illic juxta mysticum sensum gratiæ, quæ nos in baptismo Christi salvavit. *Cumque extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus vento flante vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum* (*Exod.* XIV). *Ventum* ergo *urentem*, id est Spiritum sanctum vehementer ardentem, adducet Dominus, subauditur, cum plenitudo gentium introierit, *et siccabit venas ejus*, subauditur inferni, *et desolabit fontem ejus*, auferendo scilicet omnes causas et abundantiam incredulitatis, D ut *reliquiæ* Israel *salvæ sint* (*Rom.* IX). Interim *et ipse*, inquit, *diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis*, quia videlicet ipse et ille qui fortior supervenit, cum fortis armatus custodiret atrium suum, et universa arma illius distribuit. Vas desiderabile et thesaurus pretiosus utique est omnis electus. Et quia neminem relinquit, sive Judæus sit quicunque invocat nomen Domini, recte universali enuntiatione dictum est, *et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.* Hoc fit, et fieri non desinit per ventum de deserto ascendentem, scilicet per Spiritum sanctum de humilitate Christi procedentem, qui a suis desertus

A fuerat. *Ventum urentem*, id est carnis petulantiam et humores vitiorum suo calore desiccantem. Tandem et hujus sextæ repetitionis fine in Christum, qui justitia nostra est, reducto: septimo, quæ et ultima, sic inchoatur peccatorum et ejusdem justitiæ commemoratio:

CAP. XIV. — *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum. In gladio pereat, parvuli eorum elidantur, et fetæ ejus discindantur.* Dissimile hoc initium est cæteris omnibus, quia videlicet illa talia sunt ut peccata replicent et præ oculis ostendant, hic autem tanquam desperata correctione statim in primo sermone, non tam peccata quam idolorum vindicem depromit sententiam. *Pereat*, inquit, *Samaria*. Quare? *Quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Magna hæc et terribilis causa sive accusatio est: Deus enim naturaliter dulcis est, nec parva potest esse causa, per quam ad amaritudinem concitatus esse videatur. Cor impœnitens hoc effecit, et hujus criminis rea fuit Samaria, cujus de regibus nullus omnino recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israel. *Pereat* ergo, inquit, quia justitiæ concedendum est; nullam quippe cor impœnitens consequitur veniam. Nec vero solummodo secundum animam, verum etiam secundum corpus ut pereat concedendum est. Idcirco cum dixisset, *pereat Samaria*, corporalem quoque concessit perditionem, dicendo, *in gladio pereat*, etc. Hic a nomine vel condemnatione Samariæ Synagoga illa non excipitur, quæ peccatum Samariæ supergressa est, dum non tantummodo ut illa scidit se a domo David, verum etiam, ut sæpe jam dictum est, crucifixit Christum filium David, Filium Dei, et idcirco periit, *quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum*, in tantum ut sitientem in cruce potaret aceto (*Joan.* XIX) sive, ut alius evangelista scribit, *vinum daret ei bibere cum felle mistum* (*Matth.* XXVII). Proinde ut periret illa, Dominus ipse concessit et ore proprio prædixit. Et quia justitiæ ratio postulabat ut periret, per humanitatis quidem affectum *flevit super illam* (*Luc.* XIX), et flendo prædixit, sed per divinitatis virtutem impassibilem super ipsam quam flebat, fixam et immobilem sententiam tenuit. Dixit Samariæ ut pereat, dicat nunc Israel qui faciat, ait: *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum,* **85** *quoniam corruisti in iniquitate tua.* Qui hæc loquitur in calce voluminis, ipse est Christus, finis omnis consummationis, qui missus *ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* X), sic prædicare exorsus est: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum* (*Matth.* IV). Secundum eumdem sensum hic dicit: *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum* (*ibid.*). Causam confestim cur converti oporteat, vel inde pœnitentia sit agenda subjungit, *quoniam corruisti in iniquitate tua.* Cum dixit, *in iniquitate tua*, breviter insinuat, quod omni peccanti iniquitas, quamcunque perpetravit, sibimet a seipso sit amputanda, ne ullo modo se excuset aut defendat, sicut fecit Adam, in quo omnes peccavimus et corruimus, tam gentes quam Judæi, quemadmo-

dum Apostolus dicit : *Eramus enim aliquando et nos filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II). Illi originali peccato actuali jungendo peccata, non minus Israel quam gens aliqua corruit, sicut hactenus sermo propheticus peccata ejus toties commemorando comprobavit. Convertere igitur, o Israel, tu primus: conversione quippe opus est, quia corruisti, et hoc ipsum confitere, quia *in iniquitate tua corruisti* ; nam confessio hæc initium est confessionis. Dicant forte aliqui, quemadmodum et illi qui compuncti corde dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos: *Quid faciemus, viri fratres* (*Act.* II.) Ad hæc vel hujusmodi quæcunque perterriti dicere possunt, compuncti, et iniquitatem suam cognoscentes protinus occurrit et dicit : *Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum et dicite ei* : *Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Qui *convertimini ad Dominum, verba*, inquit, *tollite vobiscum.* Quare *verba* et non potius munera ? Videlicet ut sciatis quia non est difficultas apud Deum, non exigit a vobis illa quæ forte non possetis consequi pro redemptione animarum vestrarum. Non ergo dico, tollite aurum, tollite vobiscum argentum, seu multitudinem hircorum aut vitulorum, et cætera talia quæ non omnibus præsto sunt, sed verba, quæ consequi potestis absque dispendio rerum, verba confessionis et precum tollite vobiscum, et hæc vobis in promptu adesse possunt ; Deo autem pro salute vestra sufficiunt, et pro iniquitatibus vestris satisfaciunt. Cum istis subsidiis convertimini ad Dominum Deum, qui vestrorum non eget bonorum, et sicut jam dixi, non *sollicitemini*, quasi munera non habentes grandia pretiosi auri et argenti, quibus honoretis propitiandam faciem tam magni tamque potentis Domini, sed dicite illi : *Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum.* Non dicatis, non habemus iniquitatem, quia tunc mentimini et vosipsos seducitis (*I Joan.* I), sed dicite ei : *Omnem aufer iniquitatem*, quia iniquitates nostræ multæ sunt. Confidenter dicite, *et accipite bonum*, scientes quale requirat bonum, et hoc sciendo subjungite *et reddemus vitulos* non armentorum, sed *labiorum nostrorum.* Sufficiens namque es, plenus es. Atque idcirco non opus habes manducare carnes taurorum, aut potare sanguinem hircorum, sed tantummodo ut immolentur tibi vituli labiorum, id est sacrificium laudis, Et hoc melius placebit tibi, quia testimonium est bonæ voluntatis. Proinde Psalmista cum dixisset : *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude* (*Psal.* LXVIII), quod nimirum est vitulos labiorum reddere, subjunxit atque ait : *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.* Hoc interea providendum et ne post redditos labiorum vitulos, id est post verba confessionis et laudis iterentur opera iniquitatis. Itaque sequitur, et super hac re instruit eos, qui dicant, quid promittant, dum ex persona ipsorum verba infert hujuscemodi : *Assur non salvabit nos, super equos non ascendemus* ; *non dicemus ultra*: *Dii nostri opera manuum nostrarum, quia ejus qui in te est misereberis populi* Subaudiendum namque est, et hoc dicite ei. Et quid est hoc dicere ei? *Assur non salvabit nos*, nisi ac si dicant : Non sicut hactenus fecimus, confidemus in homine, neque ponemus carnem brachium nostrum ? Sæpe namque Israel, sicut sacræ testantur historiæ, confisus est in principibus, et in filiis hominum, et auxilia quæsivit ipsorum, quorum Assyrii potentissimi fuerunt. Item, quid est dicere ei, *super equos non ascendemus*, nisi ac si dicant : *Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus ?* (*Psal.* XIX.) Denique et in hoc Israel peccavit, quod super equos ascendere nimium affectavit, male æmulando currus, et equitatum Pharaonis, cum filii Israel de Ægypto pedites exierunt, et gloriose salvati fuerint, Pharao vero cum curribus, et equitibus suis in mari demersus perierit. Propterea redarguit eos alio loco Scriptura, dicens : *Ægyptus enim homo et non deus et equi eorum caro, et non spiritus* (*Isa.* XXXI). Idcirco rex Israel, quando venit benedictus in nomine Domini, non super equum aut super currum ascendit, sed super pullum asinæ filium subjugalis in contemptum superbiæ sæculi maxime gloriantis in curribus et in equis. De tertio quod dicunt, nec *dicemus ultra* : *Dii nostri opera manuum nostrarum*, notum est ex quo cœperint ut dicerint, *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*III Reg.* XII), cum formassent vitulum in ipso exitu de terra Ægypti, quomodo ex tunc peccaverunt in idolis, sicut scriptum est : *Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum* (*Psal.* CV). Super tribus itaque sceleribus emundationem promitte, inquit, de quibus omnia pendent peccata, quorum unum est confidere in filiis hominum, aliud magnificari in multitudine equorum et curruum, tertium contaminari in sordibus idolorum Ex istis enim omnia generantur peccata, quæcunque populum Israeliticum non minus quam cæteras gentes admisisse Scriptura tam historica quam prophetica narrat aut reprehendit. Qua vero fiducia, qua virtutis vel possibilitatis conscientia tantam tantorum criminum emendationem promittere debetis ? Nunquid confidere potestis, quod viribus vestris excutere possitis jugum cujuscunque peccati cui vos semel tradidistis ? Non utique, quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). Cum ergo dixeritis : *Assur non salvabit nos, super equos non ascendemus, nec dicemus ultra* : *Dii nostri opera manuum nostrarum*, quod est omnimodam spondere peccatorum emendationem, etiam dicite ei, *quia ejus, qui in te est, misereberis populi* ; ut sit sensus : In tuæ miserationis auxilio sperantes hæc promittimus, quia tuum est, et honorem tuum condecet ut illius populi, qui in te est, qui in te credit miserearis, manumque porrigas, ut mala consueta relinquere, pristinamque conversationem possint in melius mutare. Quicunque hæc verba vobiscum tol-

litis, quicunque hujusmodi labiorum vitulos redditis, pœnitentiæ studio dediti, audite quid ipse, qui ad pœnitentiam invitat, consilio salutis vestræ jamdudum elocutus sit. *Sanabo contritiones eorum, diligam vos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israel germinabit quasi lilium. Erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus, ut Libani Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico, et germinabunt quasi vinea. Memoriale ejus sicut vinum Libani.* Manifestius hic ipsa loquitur persona Salvatoris suum **86** ad salutem pœnitentium repromittens adventum promissione dulcisona, dulcedine gratiosa. *Sanabo,* inquit, *contritiones eorum,* id est in gaudium convertam tristitiam illorum, quicunque ad pœnitentiam contristati sunt, habentes B cor contritum et humiliatum. Tales namque contritiones eorum sanatione dignæ sunt, tales contritiones Paracletum, id est consolatorem merentur habere Spiritum sanctum Non pro muneribus quæ ipsi priores mihi dederunt. *Quis* enim *prior dedit* mihi, *et retribuetur ei ?* (*Rom.* XI.) Sed gratis sanabo eos, gratuita peccatorum remissione curabo eos. Et hoc est quod ait, *diligam eos spontanee.* Sponte veniam, et homo factus spontaneum subibo sanandi officium. *Quia aversus est,* inquit, *furor meus ab eis,* juxta quod alibi scriptum est, super hac eadem re: *Benedixisti, Domine, terram tuam ; avertisti captivitatem Jacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ* (*Psal.* LXXXIX). C Iratus quippe fuerat Deus humano generi in Adam, et iram illam omnes portavimus. Unde et alibi dicit: *Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus* (*Psal.* LXXXIV.) Meus ille furor aversus est ab eis, in plenitudine temporis, quando completum est, quod prædictum fuerat: *Benedixisti, Domine, terram tuam,* ut videlicet de sacra Virgine nascerer ego novus Adam. Nam eamdem intendens benedictionem, *ero,* inquit, *quasi ros, Israel germinabit quasi lilium.* Etenim *quasi ros* exstitit, quando per Spiritus sancti gratiam Virginem obumbrans in uterum ejus descendit. Tunc veraciter germinavit *Israel quasi lilium,* quia veri Israelitæ, scilicet apostoli, non in carne sed in spiritum fructificaverunt, nova conversatione imitantes filium, id est magi- D strum et præceptorem suum Christum, virgineæ pulchritudinis filium. In illa pulchritudine fortitudo nihilominus aderit, ut constantissimæ sint fidei, propter quod continuo dicit: *Erumpet radix ejus ut Libani.* Libanus quippe mons est, cujus ligna excellentissima quantum ad auras extendunt verticem, tantum radicem in ima demergunt, ut stabili mole consistant et nulla tempestate quatiantur. Libanus quoque nomine suo eamdem quam et lilium munditiæ pulchritudinem significant, interpretatur enim *candidatio.* Ergo *erumpet radix ejus ut Libani,* id est apostoli cæterique prædicatores de radice Israel, quæ Christus est, tales consurgent, ut sint fide fortes, A conversatione mundi. *Ibunt rami ejus,* id est proficient de virtute in virtutem auditores ejus. *Et erit quasi oliva gloria ejus,* id est *loquetur,* sicut alibi scriptum est, *pacem gentibus* (*Zach.* IX). Oliva namque pacem significat, et apud gentiles quoque in medio bellorum furore pacis insigne esse consuevit. Erit ergo *gloria ejus quasi oliva,* inquit, id est pacem evangelizabit, pacem inter Deum et homines confirmabit, sicut et tunc significari voluit, quando veniens ad passionem, per quam nos Deo reconciliavit, cum ramis psalmarum et olivarum susceptus est a turbis. *Et odor ejus ut Libani,* subauditur erit, id est bonam ubique opinionem habebit, dicente Apostolo: *Christi enim bonus odor sumus in omni loco* (*II Cor* II). Iste odor, ista pacis et misericordiæ gloria, gentes ad credendum invitabit Sequitur ergo: *Convertentur sedentes in umbra ejus. Convertentur sedentes,* id est conversi sedebunt in umbra ejus, et propter hoc ipsum, quod sedentes erunt, protegentur sub umbra ejus. Sessio namque humilitatem significat juxta illud quod Psalmista cum dixisset: *Vanum est vobis ante lucem surgere,* subjunxit atque ait, *surgite postquam sederitis* (*Psal.* CXXVI), id est tunc demum sperate exaltari, postquam vosmetipsos humiliaveritis. Taliter sedentibus vitalis alimonia cælitus administratur, et de bono semper proficiunt in melius. Dicit itaque continuo: *Vivent tritico, et germinabunt quasi vinea.* Triticum namque quo interior homo vivit, est sermo Dei, cujus nimirum intelligentia, non erectis sed sedentibus, id est non superbis sed humilibus dari consuevit. Sane *vinea,* cujus secundum similitudinem germinare dicuntur, a mala vinea distinguenda est. Est enim mala vinea, de qua dicitur in cantico Deuteronomii: *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ* (*Deut.* XXXII). Ait ergo: *Memoriale ejus sicut vinum Libani.* Multum namque vinea hæc per hoc ipsum quod dicitur, *memoriale ejus sicut vinum Libani,* ab illa discernitur *vinea Sodomorum,* cujus uva dicitur et est uva fellis, cujus botrus dicitur et est amarissimus. Denique *vinum Libani,* imo et ipsum Libanum serpentes fugere dicuntur, maxime propter odorem cedri, quem non possunt terre. Illic autem dictum est? *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*ibid.*). Potest tamen *vinum Libani,* vinum mistum dici et diversis pigmentis conditum, ut odorem habeat suavissimum, quorum videlicet pigmentorum thus maxime odoriferum est. Libanus namque apud Græcos et Hebræos et mons dicitur et thus. Sequitur: *Ephraim qui mihi ultra idola. Ego exaudiam et dirigam eum, ego ut abietem virentem, ex me fructus ejus inventus est.* Triumphaliter in ultimis adversarium percutit, consummatam prospiciens victoriam in proposito suo, gratia Dei. Siquidem Ephraim iste est omnis adversarius veritatis, quisquis usquam scandalum vel offendiculum animabus posuit aut ponere non desinit, ne pertingat ad notitiam veritatis, secundum exemplum illius Ephraim, id est Hieroboam de tribu Ephraim, qui

aureos fecit vitulos, hoc intendens ne filii Israel ascendendo frequenter ad orandum in Hierusalem, aliquando reverterentur ad domum David. Et quidem tunc ille secundum intentionem suam prævaluit, et in peccato idololatriæ populum detinuit. At vero cum modo supradicto factus fuero *quasi ros*, et *Israel* germinaverit *quasi lilium*, o tu *Ephraim, quid mihi ultra idola?* Nunquid in via prædicationis evangelicæ mihi ostendere poterunt? Nunquid spiritualem Israel ab Oriente et Occidente venientem ad fidem Evangelii, ut credat in me filium David, avertere poterunt simulacra vel figmenta mendacii tui, sicut carnalem in Israel, ne ascenderet in Hierusalem et reverteretur ad regem suum David, averterunt aurei vituli? Non. Sed quid? *Ego exaudiam et dirigam eum, ego ut abietem virentem*, subauditur, dirigam eum. Via recta conscendet ille spiritualis Israel in cœlestem Hierusalem secundum similitudinem abietis virentis, et recta statura sursum tendentis, ut perveniat ad regem suum David, ad me Deum et Salvatorem suum filium David. Eo tendentem *ego exaudiam, et dirigam eum*; et hic *fructus* ejus, ut scilicet perveniat eo quo tendit, *ex me inventus est*, quia videlicet *sine me nihil facere potest* (*Joan.* xv), et hoc ipse confitens, multum carnali Israeli dissimilis est, qui suam justitiam statuere volens, justitiæ Dei subjectus non est (*Rom.* x). *Quis sapiens, et intelligit ista, intelligens, et sciet hæc?* Hunc versiculum ab exordio voluminis semper præ oculis habuimus, et idcirco semper scripturam hanc, tanquam vere cœlestis thesauri clausam venerantes thecam, nihil condignum nos effari posse perspeximus, sive aliquem quicunque ille sit, nisi cui aperire dignatus sit *sanctus et verus qui habet clavem David, quia aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* iii). Si enim ipse qui scripsit, vel difficile vel impossibile **87** confitetur intelligere et scire hæc, quid nos facere possumus, qui lippientibus oculis et peccatorum sordibus obscuratis clarissimum jubar solis non possumus intueri? Verumtamen quæcunque illa sunt, quæ adhuc clausa nos latent, quantulacunque illa sint, quæ exinde nos intelligere vel scire potuimus dicamus cum ipso in conclusione, id quod verum est. *Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis. Prævaricatores vero corruent in eis. Viæ Domini* de quibus maxime in hoc propheta tractatur, illa *sunt judicia* Domini vere *incomprehensibilia* (*Rom.* xi), quibus a Judæis recessit, et ad gentes transivit. *In* istis viis *justi* ambulant. Exempli gratia, Paulus apostolus vas electionis, qui quamvis dolore continuo doleat pro eisdem fratribus suis, nihilominus tamen rectas confitetur vias Domini, et dicit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Ibid.*) *Prævaricatores vero* maxime Judæi *corruunt in eis*, dum se justificant et veritati resultant, invidentes gentium saluti. Animadvertimus quippe, maxime ex hoc propheta, sicut suo jam loco diximus, convinci, non minus illos, quam gentes peccasse et indiguisse gratia Dei, quod Apostolus ad Romanos scribens vehementer affirmat, dicendo: *Eadem enim agis, quæ judicas* (*Rom.* ii). Denique super hoc sæpius, sicut nos distinximus, in isto convincuntur propheta, quia videlicet septies peccata illius populi replicans, per singulas vices in gratiam vel adventum Christi recurrit, cujus solius omnem hominem tam Judæum quam gentilem justificat. Proinde illud, quod populo prævaricatori Moyses imprecatur, cum dicit: *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos; per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias* (*Deut.* xxviii), in ista quoque quamvis habili scriptura delectabiliter spectari potest, viri prævaricatores jam dicti, seipsos justificantes, convincuntur repetitione septemplici, atque ita corruunt septies.

PROLOGUS RUPERTI IN JOELEM PROPHETAM

88 « Qui operantur in me, ait Sapientia, non peccabunt, et qui elucidant me, vitam æternam habebunt (Eccli. xxiv). » Sapientia quæ hæc loquitur, Christus est, quem et Apostolus prædicat « Dei virtutem et Dei sapientiam (I Cor. i), » quæ et alibi protestatur: « Ego, inquiens, ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam (Eccli. xxiv). » Hæc sapientia maxime in prophetis latet, et idcirco elucidari postulat, magnam elucidantibus sese remunerationem, id est vitam æternam repromittens. Tantæ remunerationis spe, studium nostrum nos exigui sanctorum Patrum conjungimus studiis, qui summopere desudaverunt, tam in propheticis quam in cæteris sanctis Scripturis, hoc studentes ut sapientia Dei Christus quæ latebat in illis posset agnosci, et faciem ejus expositio clara legentibus insigniter ostenderet, quam sub litteræ grosso velamine providentia sancti Spiritus indignis occultam esse voluit. Hanc vitæ æternæ spem prima jam et præparatoria merces corroborat atque lætificat, si fiat nobis quod promisit dicens: « Et qui operantur in me, non peccabunt. Sicut enim « multam malitiam docuit otiositas (Eccli. xxxiii). » sic econtra occupatio bona et meditatio Scripturarum sæpe cogitationes nequam et grandia quæ subintrare poterant, excludit peccata. Fere de omnibus, quæ scriptitare audemus vel hactenus ausi fuimus, hæc apud omnes nostra responsio vera esse potest, ut nequaquam præsumptioni seu vanæ temeritati deputent, quod nos postremi homines, post magna sanctorum Patrum opera in scripturis Sapientiæ quidquam operamur, quia videlicet idcirco taliter exercemur, ut secundum promissiones ejus et in præsenti non usquequaque peccemus, et in futuro vitam æternam habeamus. Igitur oculo simplici, id est intentione fideli te requirentes teque elucidare cupientes, nos aspirando præveni et adjuvando prosequere, Sapientia Dei, quæ in temperantibus teque elucidantibus, tantam remunerationem repromittis, et post Osee secundum Joel, qui illum in ordine duodecim prophetarum sequitur, revelata facie nobis annue contemplari.

IN JOELEM PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

89 Cap. I.—« Verbum Domini quod factum est ad Joel filium Phatuel. » A De eo quod ad prophetas dicitur vel scribitur esse, » Factum est Verbum Domini,» in initio prophetæ præcedentis, scilicet Osee, diximus, secundum Patrum sanctorum sententiam, fideique catholicæ regulam, quia videlicet ad prophetas quidem factum est, id est, in tempore, vel ex tempore, accessit hoc Verbum. Ad Deum autem nequaquam factum est, neque enim factura est, sicut Ariani garriunt, sed in principio erat apud ipsum. Hoc namque Verbum est Christus Filius Dei, quem et hic Joel filius Phatuel tam proprio quam paterno nomine significat non minus, quam præcessor ejus Osee filius Beeri. Joel namque est *Deus*. Phatuel *latitudo Dei* interpretatur. Porro de B Verbo Domini, de Christo Filio Dei, jam dudum longo victrix certamine fides obtinuit et prædicat quia est Deus. Et quæ est latitudo Dei, nisi dilectio vel charitas Dei? Etenim Psalmista cum dixisset: « Omnis consummationis vidi finem (*Psal.* CXVIII), » charitatem intelligi volens, de qua et Apostolus: « Finis, inquit, præcepti est charitas (I *Tim.* I), » continuo subjunxit: « Latum mandatum tuum nimis.» Hujus nimirum latitudinis Dei Christum esse Filium Apostolus idem confirmat his verbis: « Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ (*Coloss.* I). » Igitur et hujus tam proprium quam paternum vocabulum hoc innuit quia hi ad quos factus est sermo Dei per gratiam sunt dii et filii dilectionis Dei, sicut et ipse unicus dilectionis Filius scriptum esse meminit, dicens C Judæis: « Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi: Dii estis, et filii excelsi omnes? » (*Joan.* X.) Non pauca vel parva esse existimanda sunt ea quæ dicturus est propheta tanti nominis, licet sermone brevi, præsertim quia sic incipit: « Audite hæc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ. Si factum est in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum, super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ. Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. » Hæc et cætera quæ sequuntur vere multa et magna sunt, talisque modus ipse dicendi D quo enuntiantur, imo fortiter auribus nostris illiduntur, ut vere non solum dormientes, verum etiam præ ebrietate absorpti et sepulti reputentur, quicunque ad clamores istos tam terrificos non excitantur. Prædicit enim tam primum quam secundum Domini nostri Jesu Christi adventum, diem magnum et horribilem, hoc vehementer intendens, ut homines ad ejus adventum per pœnitentiam sese præparent. Summa hæc prophetæ intentio est. Etenim quæcunque alia prius vel citius ventura prædicit, idcirco et a Deo fieri et per prophetas prænuntiari oportuit, ut citius adimpleta fidem mortalibus facerent de majoribus longe post futuris. Notanda igitur mira discretio prophetæ, imo Spiritus sancti per prophetam loquentis, qui, apud multitudinem non unius moris sese verba facere præsentiens, ita non exordio, quo attentos facere intendit cunctos auditores, bifariam discernit ac distinguit: Audite, inquit, hæc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ. Senes et habitatores terræ hoc differunt quo cœli et terra apud Isaiam dicentem: « Audite, cœli, et auribus percipe, terra (*Isa.* I). » Senum quippe talium tam venerabilis senectus est, ut etiam cœli merito vocentur. Senes videlicet, propter mentis canitiem vel sensuum maturitatem, juxta illud Sapientis: « Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani enim sunt sensus hominis et ætas senectutis vita immaculata (*Sap.* IV). » Cœli autem pro eo quod dicere possunt: « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* III). » Porro habitatores terræ cum reprehensione hic dicuntur omnes illi qui tam terrena corda gerunt, et adeo terrena sapiunt, ut terra quoque vocari mereantur, de qualibus et ad serpentem dictum est: « Terram comedes cunctis diebus (*Gen.* III). » In duas partes istas omne hominum genus dividitur, et utraque pars hic in isto propheta invenit vel audit, unde excitetur sive **90** terreatur. Nam alii sunt quorum ita incanuit fides, exemplo senis Abrahæ patris ipsorum, ut de actibus hominum curam esse Deo non dubitent, et audientes promissionem de Christo venturo, minasque de judicio futuro, quamvis temporalibus prosperis abundent, nihilominus tamen ventura credant atque formident. Alii vero et istis multum dissimiles sunt, qui dummodo præsentibus bonis affluant, de futuris bonis aut malis nullum habent respectum. Illos nimirum temporalibus oportet adversis excitari, ut saltem vexatio sola intellectum det auditui. Itaque jam in exordio postulata attentione, ut omnes habeant aures audiendi, confestim dicit: « Si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum, super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ. « Ac si dicat: Nulla hac meminit ætas quæ dicturus sum, nec vestro, nec patrum vestrorum atque majorum

facta sunt tempore. Quæ sunt illa? « Residuum, inquit, erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. » Mala de proximo ventura præmisit habitatoribus terræ, postea dicturus de Christo judicioque futuro qualia debeant exspectare, ut dubitare illis non liceat de rebus majoribus procul venturis, cum ista de rebus minoribus prophetiæ pars cito completa fuerit. Denique per erucam Assyrios, Babylonios, atque Chaldæos intelligimus, qui, de uno orbis climate procedentes, tam decem tribuum, quas Jeroboam separavit a domo David, quam duarum, hoc est Juda et Benjamin, cuncta vastarunt. Per locustam, Medos, Persas, qui, subverso imperio Chaldæorum, Judæos habuere captivos. Per bruchum Macedones et omnes Alexandri successores, maximeque regem Antiochum, cognomento Epiphanem, qui instar bruchi sedit in Judæa et omnes priorum regum reliquias devoravit, sub quo Machabæorum bella narrantur. Per rubiginem imperium Romanorum, qui quarti et ultimi in tantum oppressere Judæos, ut de suis eos finibus protrahentes ducerent vel transmitterent captivos, cujus rei mirabilem atque miserabilem tragœdiam plenius scribit Josephus septem voluminibus, Vespasiani et Titi denarrans triumphos. Hæc quatuor regna subverterunt Judæam.

Nec mirum quod hic ipsa eadem regna sub nominibus ejusmodi vermium prænuntiantur, quæ apud Danielem per feras terribiles, leænam, ursum, pardum, et aliam quæ sine nomine mirabilis et fortis dicitur, dentes ferreos habens magnos, significantur (*Dan.* VII). Etenim contra hominum quidem maxime Judæorum imbecillitatem regna illa quasi bestiæ fortes atque feroces exstiterunt. Sed coram omnipotentia Divinitatis infirma et fragilia, sive etiam exigua tanquam locusta, velut eruca, quasi bruchus, et ceu rubigo reputata sunt; et vana fuit omnis pulchritudo eorum. Sed item « hæc auribus percipite, omnes habitatores terræ. » Si jam dicerem vobis illud quod post aliqua dicturus sum senibus, de adventu Domini, et de die ejus venturo magno et horribili, nihi quæ mali sive adversi contingeret vestris diebus, dormitaretis lascivientes in stratis vestris, et, conversi in latus aliud diceretis mihi in tempore longo fieri istud (*Ezech.* XII), sed nec fidem adhiberetis meis sermonibus. Aliter audiunt senes. Neque enim afflictionibus excitati, sed pro sola dilectione, ad custodiam evigilant mandatorum Dei. Abraham senex bonæ senectutis et plenus dierum, sicut Scriptura testatur, nullam adhuc tubam audierat futuri per ignem judicii, et pro sola dilectione Creatoris, de terra et cognatione sua dicto obaudiens exivit (*Gen.* XII). Similiter cæteri senes quicunque secundum exemplum illius senectute bona servierunt, nequaquam præsentibus malis indigent, ut excitentur, sed futura sponte credunt, quæcunque bona probis, quæcunque mala reprobis promittit vel comminatur Deus. Vos habitatores terra, quia non sponte audi-

A tis, eruca, locusta, brucho et rubigine, de quibus jam dictum est, oportet circumcingi, ut non dormiatis. « Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. » Notandum, quo sensu dicat, « qui bibitis vinum, » addendo « in dulcedine. » Non enim vini creaturam, sed bibentium tali sermone condemnat luxuriam, eo quod non tantum ad necessitatem implendam, sed ad voluptatem concitandam vinum, quia dulce est, immoderate hauriant. Nunquam autem sine doloris amaritudine amittitur, quod cum dulcedine possidetur aut bibitur. « Quoniam » ergo « periit ab ore vestro expergiscimini, » inquit, o « ebrii, » qui, sicut alius propheta dicit, « potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendum ebrietatem (*Isa.* V) » — « Expergiscimini, »

B id est hoc argumento sentite vos perdoceri, quod cura sit Deo de hominum factis, et quod in novissimo die suo magno et horribili, sicut prædiximus vobis, cuncta in judicium adducturus sit, quia jam partim judicat et partim punit, dum ab ore vestro dulce vinum perit. Sic expergefacti, tunc demum « flete et ululate, » id est pœnitentiam agite, ut mala ventura, mala his multa majora, possitis evadere. Quomodo periit vinum? Ait: « Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis. Dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonum. Posuit vineam meam in desertum, ficum meam decorticavit. Nudans spoliavit eam, et projecit, albi facti sunt rami ejus. » Sub metaphora locustarum

C hostium describitur adventus, hoc loco magis Assyriorum et Babyloniorum qui tunc imminebant. Nam de regno Medorum atque Persarum qui post futuri erant, et Macedonum quos multo post fuisse cognovimus, Romanorum quoque qui ultimi cuncta deleverunt, posterius per ordinem agere videtur, singularumque superventura Judæis prænuntiare mala per declamationes singulas. Sicut enim quatuor præmisit, erucam, locustam, bruchum et rubiginem, quatuor illa significans regna, sic etiam quatuor inclamat mala considerans sub eisdem regnis eventura. Primo namque sic dicit: « Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. » Deinde secundo: « Plange quasi virgo accincta sacco super

D virum pubertatis tuæ. Periit sacrificium et libatio de domo Domini, » etc. Deinde tertio: « Accingite vos et plangite sacerdotes, ululate ministri altaris; ingredimini, cubate in sacro ministri Dei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio, » etc. Deinde quarto: « Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, » etc. Quatuor istas inclamationes secundum regnarum quatuor fieri pressuras arbitramur, de quibus jam dictum, et adhuc plenius per ordinem dicendum est. Nam quod deinde sequitur: Nunc ergo dicit Dominus: « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu, » Evangelicam pœnitentiæ prædicationem præcinit ac

personat, quæ primo Hierosolymis incœpta, deinde in omnes gentes prædicta est. Nunc jam ad ordinem revertamus. « Gens enim, inquit, ascendebat super terram meam fortis et innumerabilis. » Quomodo « fortis, » quæ erucæ comparatur sive locustis? Sed vere, ut jam dictum est, gens vel regnum Assyriorum sive Babyloniorum, vere fortitudinis Dei respectu, **91** jure exiguis, et segnibus comparatur vermiculis, attamen contra Judæorum imbecillitatem veraciter gens fortis prædicatur et innumerabilis. Proinde et locustam et bruchum et rubiginem et erucam in hoc eodem propheta Dominus fortitudinem suam nuncupat his verbis: « Et reddam vobis annos quos comedet locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos. » Est ergo in his quædam fortitudo Dei, sed non illa fortitudo quæ non possit infirmari; infirma est fortitudo, sed tamen sufficiens contra infirmitatem hominis, qui ne pulici quidem resistere valet, ut dormire possit. Itaque non minus locustarum sive erucarum multitudine, quam ipsum qui per illas figuratur exercitum Chaldæorum fortem dicas et innumerabilem. Quid enim locustis innumerabilius et fortius, quibus humana resistere non potest industria? Protinus fortitudinem gentis ejusdem exprimit juxta eamdem metaphoram locusticæ multitudinis: « Dentes, inquit, ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonum. » Nam quia locusta dente exiguo nocere consuevit, pulchræ genti quam per locustam figuravit non arma ferrea, sed dentes nocivos adscribit. Miro autem modo dentes locustæ hic dicuntur esse, « ut dentes leonis. » Sic et in Apocalypsi « similitudines locustarum similes dicuntur equis paratis in prælium, et dentes eorum sicut leonum (*Apoc.* IX). » Quam parva corpuscula, quam magnos, quam valentes in ore suo dentes habere dicuntur. Imo quam infirmi, quam brevis actus homines, quantam potestatem irata Deo contra populum peccatorem habere permittuntur. Narratur quippe impietas hostium sub figura locustarum, et rursus sic de ipsis locutis dicitur, quasi si hostibus compararentur, cum locustas legeris, hostes cogites; cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas. « Dentes ergo ejus » videlicet gentis locustarum, quæ omnia tropice intelligenda sunt, « quasi dentes leonum, et molares illius ut catuli leonum, » ut qui multitudine et brevis vitæ juvenili saltu locustis comparantur, in ferocitate et crudelitate leonibus comparentur. Hæc, inquit, gens « posuit vineam meam in desertum, » videlicet illam, de qua Psalmista: « Vineam, inquit, de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam (*Psal.* LXXVII). » « Et ficum meam decorticavit, » scilicet eumdem populum Judæorum, ad quem et ego tandem veni ut ex ea comederem fructus, et non inveni, maledixique ei et aruit (*Marc.* XI), propter perseverantem eamdem sterilitatem, ob quam et illud contigit, quod eamdem ficum olim talium multitudo locustarum decorticavit. « Nudans, inquit, spoliavit

A eam, et projecit; albi facti sunt rami ejus. » Omnia sub metaphora locustarum dicta noscamus quæ in tantum cuncta populantur, ut derodant arborum cortices, exutasque projiciant, et omni virore consumpto albos ramos aridosque derelinquant. Sic factum est, et sic periit ab ore vestro vinum, o vos habitatores terræ, qui bibitis vinum in dulcedine, ut expergiscamini vos, ebrii, diutina ebrietate sepulti, id est, ut recogitet unusquisque vestrum et dicat: Quid feci, et pœnitentiæ ad fletum atque ululatum confortamini. Sequitur: « Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ [*al.* suæ], periit sacrificium, et libatio de domo Domini; luxerunt sacerdotes ministri Domini. » Post regnum Assyriorum atque Chaldæorum sive Babyloniorum,
B regnum Medorum atque Persarum Judæos captivos tenuit. Sub illo regno Neemias planxit et flevit, quemadmodum ipse inter cætera refert his verbis « Ego enim, inquit, eram pincerna regis, factum autem in mense Nisan anno vicesimo Artaxerxis regis, et vinum erat ante eum. Et levavi vinum, et dedi regi; et eram quasi languidus ante faciem ejus. » Hæc et cætera quæ sequuntur legentes, plane advertimus illi tempori et rei congruere, quod hic propheta declamans: « Plange, inquit, quasi virgo, accincta sacco, super virum pubertatis tuæ. » Quam ob causam? « Periit sacrificium, ait, et libatio de domo Domini, luxerunt sacerdotes ministri Domini. » Denique et istam causam suæ mœstitiæ Neemias idem præmiserat, dicens: « Et venit
C Aman unus de fratribus meis ipse et viri Juda, et interrogavi eos de Judæis qui remanserant et supererant de captivitate, et de Hierusalem, et dixerunt mihi: Qui remanserunt et derelicti sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt et in opprobrio, et murus Hierusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni. Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi et flevi, et luxi dies multos, et jejunabam et orabam ante faciem Dei cœli. » Recte igitur et hic, et quicunque talem ob causam plangebant, assimilari jubentur virgini plangenti super virum pubertatis suæ: flebant enim non ut illi supradicti, pro eo quod periisset ab ore ipsorum vinum, et non jam biberent illud in dulcedine, sed pro eo quod periisset et sacrificium, et libatio de domo Domini in Hierusalem. Porro,
D Deum qui in Abraham, Isaac et Jacob despondit sibi virginem sponsam, nulla idololatriæ sorde maculatam, viro pubertatis assimilat, dicendo: « Super virum pubertatis tuæ. » Vir namque pubertatis sive vir virginis dici quilibet consuevit, qui virginem sponsam sive uxorem duxit. Secundum hanc similitudinem, et per Jeremiam redarguendo loquitur Deus: « Non ut Dominum me vocasti et patrem, et principem virginitatis tuæ (*Jer.* III). » Nec vero prætereundum, quod cum dixisset, « plange quasi virgo, » addidit, « amicta sacco. » Denique sub eodem regno Persarum, scilicet et Medorum, cum vellet Aman omnem Judæorum qui erant in regno

Assueri perdere nationem, eo quod Mardochæus non sibi flecteret genu nec se adoraret, « Mardochæus hoc audiens scidit vestimenta sua, et indutus et sacco, spargens cinerem capiti, et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui (*Esther.* IV). » Similiter et cæteri Judæi flebant, et jejunabant, regina Esther præ cæteris id agente, quæ et Mardochæo verba hæc mandavit : « Vade et congrega omnes Judæos, quos in Susis repereris, et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus ac noctibus, et ego cum ancillulis mei similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem (*ibid.*). » Tunc profecto gens ipsa, cui nunc dicitur, « plange quasi virgo, » erat amicta sacco, et plangebat super virum pubertatis suæ, id est super Deum patrum suorum, quod offendisset eum. Esther ipsa sic inter cætera confitente ac dicente : « Peccavimus enim in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum, coluimus enim deos eorum. Justus es, Domine (*Esther.* XIV). » Hæc et hujusmodi dicentes, nimirum reminiscebantur etiam terræ optimæ quam dederat eis Deus, et condolebant sibimet quod, ipsis in captivitatem ductis, terra ipsa vastitatem diutinam pateretur. Recte ergo subjungitur : « Depopulata est regio, luxit humus, quoniam vastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento et hordeo, quia periit messis agri. Vinea confusa est, et ficus elanguit. Malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt, quia confusum est gaudium a filiis hominum. »

Hæc omnia secundum prophetiam hanc accidisse sub jam dicto Babyloniorum regno, et **92** perseverasse usque ad Persarum et Medorum imperium, illa præmemorati Neemiæ conquestio manifestat, cum dicit : « Et timui valde ac nimis, et dixi regi : Rex, in æternum vive. Quare non mœret vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt igni (*Nehem.* II). » Ubi ergo quasi virgini super viro pubertatis suæ commemoratio facta est quem offendit, quamobrem et plangere jubetur, congrue cuncta hæc utilia, quæ gignit humus optima, depopulata sive devastata et confusa esse, elanguisse atque periisse commemorantur, ut ex istis quoque causa planctus illi digne augeatur. Pertinent enim ista quoque ad dotem, quam illa de tali viro consecuta est, quando egressa de Ægypto et illum secuta, legitimas matrimonii tabulas suscepit in monte Sinai. Terram enim Chanaan pro hoc ipso talis ille vir dedit illi, ut servaret fidem conjugii, sicut Psalmista testatur his verbis : « Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant (*Psal.* CV). » Et vide in hac commemoratione, quam valida reprehensio est, licet brevis. Nam et si quæreres quare « depopulata est regio et luxit humus, » quam ob causam « vastatum est triticum, confusum est

A vinum, elanguit oleum, » et cætera perierunt sive aruerunt, confestim causam reddens, quia confusum est, inquit, gaudium, a filiis hominum, id est quia confuderunt gaudium sive non servaverunt ordinem gaudii filii hominum. Primum enim principaliter gaudere debuerant in Domino, secundarie vero non in bonis, sed de bonis Domini super frumento, vino, et oleo, et cæteris quæ dantur a Domino. Hic erat rectus ordo gaudii. Hunc ordinem ita confuderunt filii hominum, ut in Domino gaudere negligerent, in bonis autem Domini gaudere cuperent. Hoc fecerunt filii hominum, et idcirco « plange quasi virgo, » quia tales tecum vel apud te fuerunt, qui virum pubertatis tuæ tibi offensum, et illi domum suam quasi extraneum fecerunt. Sequitur : « Ac- B cingite vos et plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris; ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio. Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, et clamate ad Dominum ; A, a, a, diei; quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet. » Post regnum Persarum atque Medorum, de quo jam dictum est, talia nimirum Judæis acciderunt sub regno Græcorum, propter quæ sic inclamare debuerit spiritus propheticus, non minus, imo et plus quam inclamaverat propter mala quæ futura erant sub duobus regnis præcedentibus. Tunc enim secundum prophetiam Danielis, « de uno ex quatuor cornibus hirci magni, qui arietem misit in terram et conculcavit, egressum est cornu unum C modicum, et factum est magnum contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem, et magnificatum est usque ad fortitudinem, cœli, et dejecit de fortitudine et de stellis, et conculcavit eas ; et usque ad principem fortitudinis magnificatus est, et ab eo tulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus (*Dan.* VIII). » Hic fuit Antiochus illustris, filius Antiochi regis, ut testatur liber Machabæorum, radix peccati, qui et ædificavit abominandum idolum desolationis super altare Dei, et tanta fecit quanta legentes horremus, tam in primo quam in secundo Machabæorum libris (*I Mach.* I). Tunc utique « interiit de domo Dei sacrificium et libatio, » et propter hoc accinxerunt se et planxerunt sacerdotes, et ululaverunt ministri altaris, et D ingressi sunt et cubaverunt in sacco ministri Domini. Exempli gratia, « et congregati sunt, inquit, et venenerunt in Masphat, et jejunaverunt, et induerunt se ciliciis et cinere in capite suo, et destituerunt vestimenta sua, et expanderunt libros legis, et attuleruut ornamenta sacerdotalia, et primitias et decimas, et suscitaverunt Nazareos, qui impleverunt dies, et clamaverunt voce magna in cœlum dicentes: Quid faciemus istis, et quo eos ducemus? » (*I Machab.* III) et cætera. Hos propheta prospiciens jejunantes, et jejunandi necessitatem habentes, « sanctificate, inquit, jejunium, vocate cœtum. » Nimirum quod ait « sanctificate jejunium, » tale

est quale illud apud Isaiam: « Nolite jejunare sicut usque in hanc diem (*Isa.* LXVIII). » Et subinde : « Nonne hoc est magis jejunium quod elegi ? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam (*ibid.*) » Ita sanctificantes, id est sanctum facientes, jejunium, « vocate, inquit, cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ. » Cœtum convocatum in duos greges dispares divisit, scilicet senum et habitatorum terræ, dicendo : « Congregate senes, omnes habitatores terræ, » de quorum distantia supra diximus, ubi ait : « Audite hæc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ. » Cum ergo congregati fuerint, « clamate, inquit, ad Dominum, et dicite. A, a, a, diei, quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet. » Malis præsentibus commoniti, et senibus attestantibus certificati credant et clament omnes habitatores terræ, « quia prope est dies Domini, » quia veniet dies judicii, quia veniet dies Domini magnus et horribilis. Nam sicut longe posterius propheta testatur, hæc omnia fient « antequam veniat dies Domini magnus et horribilis (*Joel.* I.), » et idcirco scient antequam veniat, ut sine dubio credatur venturus, cum fuerint facta ista quæ per eosdem prophetas sunt prænuntiata. Si quis enim de illa parte prophetiæ, id est de die Domini magno et horribili dubitare voluerit, ostendatur illi pro argumento completa hæc prophetiæ pars, scilicet eruca et locusta et bruchus, de quibus jam diximus, ut compellatur scire, quod ille quoque dies « quasi vastitas a potente veniet, » — « quasi vastitas, » inquam, ut videlicet, sicut Isaias ait, ponat universum orbem desertum (*Isa.* XIV), et peccatores perdat ex eo (*Isa.* XIII). Dicaturque eis qui ejusmodi sunt : « Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt, de domo Dei vestri lætitia et exsultatio ? » Et est sensus : Quid adhuc increduli permanetis ? Quid adhuc adventum diei Domini magni et horribilis dubitabilem esse vultis ? Nunquid non vidistis aut videtis oculis vestris prophetiæ partem completam esse quam prophetavimus vobis ? Nunquid non jam venerunt eruca, locusta et bruchus, atque illis devastantibus perierunt alimenta periit « de domo Dei vestri lætitia et exsultatio ? » Adhuc aliquibus in impœnitentia permanentibus, conversus idem prophetiæ spiritus ad suos. « Computruerunt jumenta in stercore suo. » Jumenta namque in stercore suo putrescere est, carnales quosque et luxuriosos in fetore luxuriæ vitæ finire, quales utique fuerunt illi, tempore jam dicti Antiochi, sicut idem liber Machabæorum testatur. Exempli gratia, cum dicit : « Etenim ausus est Jason sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque ephebortum in lupanaribus ponere (*II Mach.* IV). » Item : « Pessima autem et universis gravis malorum erat incursio. Nam templum luxuria et commessationibus erat plenum, et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebant (*II Mach.* VI). » Itaque secundum illud tempus congrue sic exclamat, « computruerunt jumenta in **93** stercore suo. » Iuxuriantibus illis mira cordis impœnitentia, cum periissent coram oculis ipsorum alimenta, et de domo Dei lætitia et exsultatio. Denique jam Antiochus civitatem armis ceperat, erantque toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti (*II Mach.* V). Desolationem ejusmodi adhuc declamans, sequitur et dicit: « Demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum, quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti [*al.* arietum], quia non est pascua eis, sed et greges pecorum disperierunt. Ad te, Domine, clamabo ; quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. Sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis comedit speciosa deserti. » Quoniam, inquit, confusum est triticum, idcirco « horrea demolita ; » et quia vinum periit, « apothecæ dissipatæ sunt, » quia nimirum si frumenta et vina non fuerint, frustra horrea et torcularia præparantur. Sed quid sibi vult, quod per cunctatur et dicit, « Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti, » statimque causam illorum respondet, dicens : « Quia non est pascua eis. » Nimirum brutis animalibus et gregibus armenti similes eos vult haberi, quamvis homines sint, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, et hoc solum esse miserum sive dolendum reputantes, si ventri quidpiam desit. Hujusmodi animalia sive greges non solum ingemiscunt quando non est pascua eis, « sed et greges, inquit, pecorum disperierunt, » id est ejusmodi homines qui multi sunt, quasi greges pecorum in tempore tentationis recedunt, murmurantes si non fuerint saturati, et blasphemantes Deum. Quod si aliquis quæreat, dicens : Tu autem quid agis, o propheta, ut exemplum tuum sequatur homo rationalis, quem non vis aut censes brutum esse animal ? « A te, inquit, Domine, clamabo : quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. » Et est sensus : Tibi, Domine, peccata mea confitebor ; ego vel omnis rationalis et sensatus homo, quia propter peccata nostra traditi sumus in manu hostili, qui terram nostram vastaverunt et succenderunt igni. Non solum autem hoc, « sed et bestiæ agri, inquit, quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, » id est tanta siccitas est et defectus imbrium ut, siccatis fontibus, bestiæ quoque agri siti pereant, pœnam sustinentes propter peccata hominum. « Et ignis, inquit, devoravit speciosa deserti, » id est loco prius speciosa comburendo, in desertum redegit. Hoc non semel dixisse contentus est, sed secundo repetivit : nam ante jam dixerat, « quia ignis comedit

speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna A regionis. » Postmodum idem tertio dicturus est his verbis : « Populus multus et fortis, similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti (*Joel.* II). » Quod enim semel et iterum ac tertio civitas illa Hierusalem incendia conflagravit : primum, succedentibus Babyloniis, secundo rege Antiocho, sicut scriptum est de illo « et irruit super civitatem repente, et percussit eam plaga magna, et perdidit populum multum ex Israel ; et accepit spolia civitatis, et succendit eam igni ; » tertio, concremata est instantibus Romanis, quod excidium nimis horribile perspiciens, quarta jam vice B vehementissime clamat et dicit :

Cap. II. — « Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis ; quasi mare expansum, super montes populus multus et fortis : similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, » — « neque est qui effugiat eum. » — « Populus hic multus et fortis, » non incongrue populus intelligitur Romanus. De quo enim alio populo rectius quam de isto dicitur, similis ei non fuit a principio ? Denique neque populus fuit Babylonius, neque Assyrius, neque populus secundi C regni Persicus aut Medus, neque populus tertii regni Macedo sive Græcus similis ei fuit, sicut et Daniel de quarta bestia, quæ quartum hoc regnum significabat, asserit his verbis : « Et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens et reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat cæteris bestiis quas videram (*Dan.* VII). » — « Canite ergo, inquit, tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, » et cætera ut supra. Tribus exclamationibus quæ præcesserant, acrior hæc quarta multoque vehementior est, videlicet secundum dissimilitudinem quartæ bestiæ, de qua testatur Daniel, ut jam dictum est. Nam terribile quidem est quod dixerat, « expergiscimini et flete, » prospiciens Assyrios D sive Babylonios ; et quod dixerat, « plange quasi virgo amicta sacco, » intuens Persas et Medos ; et quod clamaverat, « accingite vos et plangite, sacerdotes, » prævidens regnum Græcorum sub quo Judæos attrivit Antiochus Epiphanes, sed multo terribilius est quod nunc ait, Romanorum adventum prænuntians : « Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terræ, quia veniet dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis. » Unde simul attendendum, quia tria quidem exterminia, quæ tria regna fuerunt, prophetæ prædixerunt ; quod autem a quarto Romanorum regno factum est excidium, prophetæ simul et Evangelium. Exempli gratia : « Cum ducerent Dominum Jesum ad crucifigendum, et sequeretur illum turba multa populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum, conversus ad illas, dixit : « Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles ventres quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos (*Matth.* XXIV). » Item quibusdam dicentibus de templo, quod lapidibus bonis et donis esset ornatum, dixit : « Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur (*Marc.* XIII). » Pulchre igitur non ipse propheta ex persona sua nunc edicit, sive edixerat de cæteris malis quæ ventura erant sub tribus anterioribus regnis, « expergiscimini et flete, plange quasi virgo, accingite vos et plangite, sacerdotes ; » sed aliis committit hoc annuntiandum, Christo videlicet et apostolis ejus, dicendo : « Canite tuba in Sion. » Stephanus protomartyr, dum tuba caneret evangelica, super cantu isto sive nuntio accusatus est a dicentibus : « Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem. Audivimus enim eum dicentem quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses (*Act.* VI). » Ibidem quoque scriptum est : « Tunc submiserunt viros qui dicerent se audisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et Deum (*ibid.*). » At ille subsequenti oratione, de verbo quidem blasphemiæ in Moysen et Deum sive legem sese **94** insigniter expurgavit, de verbo autem hoc, quomodo Jesus Nazarenus hic destruet locum istum nullam excusationem protulit, sed hæc tantum dixit : « Salomon autem ædificavit illi domum, sed non Excelsus in manufactis habitat (*Act.* VII). » Verum quippe erat destruendum esse locum illum, et hæc evangelica tuba canere in Sion, magnumque exinde ululatum veraciter prædicare poterat in illo monte Dei sancto. Quod autem tempora ejusmodi dicuntur Domini, quemadmodum hic, cum dicitur, « quia venit dies Domini, » adversus dormientes et ebrios dictum valde congruit, qualibus supra dixit, « expergiscimini, ebrii. » Qui enim dormiunt, nocte dormiunt ; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt, videlicet suimet obliti et immemores Dei atque ita in peccatis mala securitate circumdati, ut clausis oculis non videant quod de actibus hominum Deo cura sit. Nimirum quando coguntur per adversitatis pœnam, malorum actuum suorum reminisci, et videre quid fecerint, tunc illis dies fit, verumtamen non simpliciter dies aut dies solis, sive splendoris et claritatis, sed « dies, inquit, tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis, » qualis utique Judæis futurus erat dies ille, sive tempus illud quo circumdarentur ab hostibus Romanis. « Tunc, inquit, conturbentur omnes habitatores

terræ, » et hæc utique per concessionem dicit, quia sic oportet evenire. Et recte bis illos appellat « habitatores terræ, » qui Christum occiderunt, quasi propter habitationem terræ, sicut dixerat ipse per Psalmistam: « Et in iracundia terræ, loquentes dolos cogitabant (*Psal.* XXXIV), » videlicet cum dicerent, « si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum et locum et gentem (*Joan.* XI). » Et illud quidem tempus, sicut jam dictum est, dies Domini dicitur, verumtamen nondum magnus, quod tantum de ultimo die judicii solet dici, quemadmodum et hic propheta postmodum, « antequam, inquit, veniat dies Domini magnus et horribilis, » tenebras et caliginem, nubem et turbinem illius diei, cujus cunctis vocibus magnitudo granditer declamatur, venturæ calamitatis magnæ rei comparat, dicendo, « quasi mare expansum super montes. » Quid enim majus sive formidabilius in hoc mundo ante finem ejus evenire potest, quam si expanditur mare super montes, sicut in diluvio factum est? Est ergo sensus: Sicut in diluvio non magis montes sese fluctibus eximere potuerunt quam valles, ita in illa Romanæ multitudinis vel fortitudinis inundatione non magis superbi principes sacerdotum sibimet consulere quiverunt quam exigui quique sive populares. Et vide quam congrua comparatio vel similitudo sit. Sequitur enim: « Populus multus et fortis, similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. » Congrua namque similitudo est maris et populi Romani tam multi et tam fortis, qui universas fere orbis terræ nationes multitudine operuit, fortitudine convulsit, more fluctuum iens et rediens, et contra montes universos intumescens eosque operiens, id est cunctos reges vel regna gentium suis viribus opprimens. Huic nimirum « populo similis non fuit ab initio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. » Daniel quoque, ut supra dictum est, attestante de bestia quarta qua Romanum figurabatur imperium, quia « dissimilis erat cæteris bestiis (*Dan.* VII), » videlicet leænæ, urso et pardo, quibus regna præcedentia significabuntur. « Ante faciem ejus, inquit, ignis vorans, et post eum exurens flamma. » Hoc ut dicitur, ita factum esse legentibus excidium illud Hierosolymorum, Josepho narrante, luce clarius est. Nam et antequam civitatem Romanus circumdaret exercitus, ipsi qui quasi pro defensione fuerant introducti, triplici discordia debacchantes intus, et ædificia civitatis, et plurimos sumptus, qui diuturno poterant sufficere bello, multis consumpserunt incendiis, et postquam hostes ingressi sunt victores victi, usque ad consummatum exitum rebelles, donec et Templum et quidquid superat intra mœnia miseræ civitatis concremaretur, furore incredibili perstiterunt, miserantibus et parcere volentibus adversariis. Qualis ante adventum populi tam fortis regionis facies exstiterit, et qualis per adventum ejus effecta sit, breviter exprimit, cum subjungit: « Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. » Et est sensus: Cum veniret exercitus hostilis, talis erat regio coram illo, sive illa terra promissionis; « quasi hortus voluptatis, » videlicet vinetis, palmetis atque olivetis, cæterisque consita arboribus diversi generis et præterea templo augustissimo insignita, quo nihil pulchrius aut gloriosius in mundo esse potuit. Cum autem victor discederet, id est exercitus talis post eum remansit, « ut solitudo deserti, » secundum verba Domini flentis super Hierusalem et dicentis: « Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die, quæ ad pacem tibi! Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te et circumdabunt te, et coangustabunt te undique; et ad terram prosternent te, et filios qui in te sunt, ut non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ (*Luc.* XIX). » — « Et filios tuos, ait, prosternent qui in te sunt, » videlicet ita ut non sit qui effugiat, quemadmodum hic cum dixisset, « et post eum solitudo deserti, » subjunxit, « neque est qui effugiat eum. » Nullus quippe ex tanta multitudine quæ dinumerari non poterat effugisse legitur, quin fame et gladio perirent foris et intus, et qui reliqui esse potuerunt in captivitatem ducerentur. Adhuc de fortitudine populi tam multo grandissimo ejus amore loquitur: « Quasi aspectus equorum aspectus eorum, et quasi equites sic current. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. A facie ejus cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam. Sicut fortes current, et quasi viri bellatores ascendent murum. Viri in viis suis gradientur, et non declinabunt a semitis suis. Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt. Sed et per fenestras cadent, et non demolientur. Urbem ingredientur, in muro current. Domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur. » Fortitudinem atque velocitatem tam multi populi brevibus et celeriter currentibus declamavit sententiis. O ergo senes et habitatores terræ, quibus in exordio dixerat, « audite hæc, et auribus percipite omnes, » quamvis erucam, locustam, bruchum et rubiginem nominaverit, ne subsannetis quasi ad viles et parvas res orator iste inepte vos attentos fecerit, quia nimirum erucæ istæ sive locustæ, bruchus hic sive rubigo ista, vobis non parvæ res aut vermiculi sunt viles, quamlibet apud cœlestem fortitudinem regnorum omnium vani homines propter suam vanitatem sint contemptibiles. Vobis enim homines de quibus agitur, imo contra vos viri fortes, viri veloces sunt. Nominavit quidem locustas et cætera hujusmodi, sed nihilominus fortes atque veloces sunt. Hoc est quod ait: « Quasi aspectus equorum, aspectus eorum, et quasi equites sic current. » Nam in equis et in equitibus fortitudo simul et ve-

locitas usu requiruntur. Et hic quidem cum dicitur, « quasi aspectus equorum, aspectus eorum, »
95 dictiuncula quasi, similitudinem significat, hic autem, « quasi equites sic current, » veritatem sive rei proprietatem. Non enim *quasi* vel *sicut* semper tantummodo significat similitudinem, sed interdum quoque rei veritatem. Exempli gratia : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I), » id est, vere unigeniti a Patre. Item in psalmo : « In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati (*Psal.* CXXV), » id est, vere consolati. Itaque « et quasi equites sic current, » id est, non sicut erucæ aut locustæ vulgares, segnes erunt, aut breviter fallent, sed viri bellatores erunt, et equis currentibus ibunt. Quod autem equis similes pronuntiantur, dicendo : « Quasi aspectus equorum, » superbiam atque fortitudinem, simulque præliandi aviditatem illos habere innuit, secundum gestus ejusmodi animalis, naturaliter ferocis et superbi, dicente Domino ad beatum Job : « Gloria narium ejus terror. Terram ungula fodit, exsultat audacter : in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus ; fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicet : Uva [*al.* Vah]. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus (*Job.* XXXIX). » Hæc dicta sint de quolibet equo Domini, de qualibus scriptum est: « Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III). » sed mystice intelligantur, ut nihilominus de equo quadrupede secundum litteram congrue vel veraciter enuntiari non dubitentur. Quod si de quolibet sancto et forti prædicatore cujus sessor est Dominus, et idcirco pericula mundi non timet, spiritualiter ista recte intelliguntur, cur non etiam superbia regnorum supradictorum, maximeque Romana potentia carnaliter similis esse dicatur ? Itaque quasi aspectus equorum aspectus earum, quia quemadmodum dicit idem Dominus : « Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum ? » (*Job.* XXXIX.) Solus ipse regnis jam dictis, et maxime Romano imperio præbere potuit fortitudinem, et collo circumdare hinnitum ut præ sola superbia vel cupiditate, quasi hinniendo consurgeret adversus omne regnum, donec sibi faceret esse subditum, ut « gloria narium ejus esset terror, » id est, gloriaretur quoties terrifici belli sibi daretur occasio, ut terram ungula foderet, regum orbis terrarum nimis cupide conquirendo thesauros; ut exsultans audacter armatis in occursum pergeret, ut contemneret pavorem, et gladio non cederet. Quod deinde sequitur, » sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient. » certam designat illorum gloriam triumphalem, quod sine dubio victoriam perficiant, et cum quadrigis victricibus more suo ducant triumphi pompam nobilem, et quodammodo superbiam sive temeritatem subsannat Judaicam, dicendo : « Super capita montium exsilient, » quod Deo sibimet irato ausi sunt contra semetipsos provocare ad bellum victores omnium gentium, quasi ipsi montes intransmeabiles essent. Deinde quod ait, « sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, » igni procul dubio consummandam esse declamat eamdem victoriam, ultima declamationis clausula qualitatem pulchre eximit erucæ, sive locustarum, dicendo, « velut populus fortis præparatus ad prælium, » inculcans et replicans, quia non realiter locustæ existimandæ sunt, sed sub nomine illo multitudo hominum. Et vide in ipsa superficie sermonis prophetici, quantus eloquentiæ decor sit. Quinque etenim similitudines positæ sunt, et semper sequens præcedente vehementius sonat, et plus terroris exhibet, quasi aspectus equorum aspectus eorum. Hoc jam terribile est, sed amplius id quod sequitur, « et quasi equites sic current. » Plus enim equitem constat esse, quam equum. Quod deinde sequitur multo plus est, « sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient. » Itemque multo amplius ac terribilius, « sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam. « Ac deinde quod sequitur, manifestius atque abundantius est, « velut populus fortis præparatus ad prælium. » Ita quasi ascendendo atque crescendo in majus per singulos gradus, vis perficit atque acrimonia grandisona plus quam rethoricæ declamationis, et post excursum, quasi resumpto spiritu, breviori processu prosequitur et dicit : « A facie ejus cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam. » Quod quomodo, vel quam fere factum sit legentibus palam est ex jam dicti narratione historiographi. Dira namque obsidione cruciati, fame incredibili denigrati et tumefacti, vultus redacti sunt in ollam, qui vividi et pulchri fuerant. Hæc et cætera quæ sequuntur intellectui plana sunt, quia videlicet Romani, « sicut viri fortes cucurrerunt, et sicut viri bellatores ascenderunt murum, et in viis suis gradientes, » id est, ab incœpto non deficientes, a semitis suis non declinaverunt, neque enim propter difficultatem aliquam victoriæ spem deposuerunt, et « unusquisque fratrem suum non coarctabit, » quod facere solent fugientes erumpendo quo possunt, inordinati atque confusi : sed in suo calle ambulabant singuli, quod maxime in illo populo laudabile fuit, tenendo videlicet ordines suos, semperque procedendo cum disciplina militari. Hoc tantum parvula quæstione indiget, quod deinceps ait, « per fenestras cadent, et non demolientur, » et deinde subsecutus « urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent, » tandem subjungit, « per fenestras intrabunt quasi fur. » Quomodo enim equitibus sive quadrigis Romani imperii congruit, ut per fenestras cadere, per fenestras intrare, in modum furis dicantur ? Tam forti quippe imperio similitudo furis vel ascensus per fenestras incongrue adscribi videtur. Sed sciendum Romanum imperium sicut fortitudinis laudem, sic econtra profundæ avaritiæ meruisse vituperationem, et hoc vitium in illo

denotari, dum dicitur, « per fenestras ascendent sive intrabunt quasi fur. » Et revera de fenestris ejusmodi in illo excidio non omnino tacetur, Josepho inter cætera narrante, ac dicente. Hic itaque tunc militum quidem non exspectato cujusquam edicto, neque tantum facinus veritus, sed divino quodam motus impetu, a contubernali suo sustollitur, et ex ardente materia raptum ignem in fenestram infert auream, unde ad mœnia circum templum ædificata de septentrionali regione aditus erat, et post pauca : Plerosque autem prædarum spes incitabat, suspicantes intus omnia pecuniis esse referta, quoniam fores auro factas conspicerent. Propter hujusmodi causam illos non merito sic denotatos dubitaverim, ut per fenestras ascendere dicantur in modum furis. Sed et ut de isto, si parvum videtur, taceam, quam furis nequitiam vel cupiditatem non excedit illud, idem scribit : Quidam enim, inquit, apud Syros ex transfugis deprehenditur e fimo ventris aureos colligens, transglutientes autem eos veniebant, quia cunctos seditiosi scrutabantur, et maxima vis auri erat in civitate. Verum hac arte per unum delecta, totis castris fama percrebuit, quod auro transfugæ pleni venirent. Arabum ergo multitudo et Syri scissos ventres supplicum rimabantur. Et hac ego, inquit, clade nullam credo sæviorem contigisse Judæis. Una denique nocte duorum millium patefacta sunt viscera. Hæc nimirum considerando, non inepte quisquam dicat, hostes illos pro fortitudine quidem viris bellatores, sed pro cupiditate **96** nimia crudelissimis furibus fuisse comparabiles. Sequitur : « A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus. Magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum ? » — « A facie, inquit, ejus. Cujus ejus ? Nimirum populi multi, et fortis, populi Romani, cui similis a principio non fuit. A facie talis populi, id est, in signum venturi, et hæc omnia, quæ dicta sunt facturi, terra contremuit, et tremore suo magnam iram Judæis venturam significavit, videlicet quando scelere illorum pendens in cruce Dominus, spiritum tradidit. Nec vero solummodo terra tremuit, sed et cœli, inquit, moti sunt, sol et luna obtenebrati sunt et stellæ retraxerunt splendorem suum. Tunc enim « a sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam (*Matth.* XXVII), » et sicut jam dictum est, ubi clamans voce magna, emisit spiritum, » terra mota est, et petræ scissæ sunt. Hoc factum est a facie, id est in signum ejusdem populi venturi, ad ulciscendum sanguinem Domini, sicut tunc quoque ibidem ipse dixit : « Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed et super vos ipsas flete, et super filios vestros, quoniam ecce venient dies in quibus dicent : Beatæ steriles et ventres, quæ non genuerunt, et ubera quæ non la-

A claverunt. Tunc incipient dicere montibus. Cadite super nos, et collibus : Operite nos (*Luc.* XXIII.) Unde notandum, quod cum dixisset hic, « terra contremuit, sol et luna obtenebrati sunt et stellæ retraxerunt splendorem suum. » continuo per conjunctionem celerrimam, « et Dominus, inquit, dedit vocem suam ante faciem exercitus sui. » Per hoc namque animadvertere licet quod cum illo terræ motu et tenebris illis Dominus noster, dum, tradens spiritum, voce magna clamavit hæc significavit, quod justitia ejus illum exercitum suum exercitum Romani imperii vocaret ad vindictam sanguinis sui, et quod sanguis ejus de terra non ante clamare desineret, donec idem exercitus adveniret. Et vide quam magnifice dictum sit, vel dici conveniat de homine crucifixo, et quasi de-

B relicto atque dicente : « Deus meus, ut quid dereliquisti me, quod haberet exercitum, cujus ante faciem talem vocem suam daret. Quod si miraris, quod dicatur de paupere tale quid, subjunxit amplius et copiosius verbis hujuscemodi, « quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus. » Nam vere in illa quoque hora qua sic videbatur derelictus, multa nimis erant et fortia castra ejus, non solum castra angelorum, de quibus ait Petro : « Converte gladium tuum in locum suum : an putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum (*Matth.* XXVI) ? » verumtamen castra Romanorum, quæ venirent et facerent verbum ejus, circumdando civitatem, vallo circumdando

C illam, et coangustando undique, et prosternendo illam ad terram, et filios ejus, qui erant in ea, et non relinquendo lapidem super lapidem, secundum verbum ejus. Non mireris quia majus his videbis. « Magnus enim, inquit, dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum ? » Nimirum et hoc ibidem ipse testatus est. Dixit enim : « Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli, » subauditur, cum potestate magna, et majestate, quemadmodum alibi dixit : « Nam virtutes, inquit, cœlorum movebuntur ; et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate (*Ibid.* XXV). » Itaque non mirum quod dictum est, « quia multa sunt nimis ca-

D stra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus, » non, inquam, mirum comparatione majorum. « Magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum ? » Quod idem est ac si dicat : « Ipse enim constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum (*Act.* X), » et magnus erit ille dies ejusdem Domini, quando ad judicandum vivos et mortuos veniet cum nubibus cœli. His clamoribus præmissis de malis imminentibus, quæ propter peccata fieri oportebat sub illis quatuor principalibus regnis, convertitur ad reliquos, et dicit : « Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu, et scindite corda

vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini A ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multus misericordia, et præstabilis super malitia. Quis scit, si convertatur et ignoscat, et relinquat post se benedictionem? Sacrificium et libamen Domino Deo nostro. » Ergo inquit, « quoniam periit vinum ab ore bibentium in dulcedinem, » quoniam « periit sacrificium et libatio de domo Domini, quoniam item interiit de domo Dei nostri sacrificium et libatio, quoniam itidem ascendit populus multus et fortis, cui similis a principio non fuit, atque ita secundum verbum Domini, quod locutus est per os nostrum, contriverunt vos regna, Babylonicum, Persicum sive Medicum, Macedonicum atque Romanum, nunc vos, qui hæc videtis fieri, convertimini, non dubitantes de illo die judicii, B sive die Domini magno et horribili, quoniam futurus sit secundum testimonium ejusdem propheticæ veritatis, cujus pars magna impletur sub illis regnis, videntibus oculis vestris. « Convertimini, inquam, ad me, dicit Dominus, in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu. » Nam hæc est vera conversio, primum cor per pœnitentiam mutare interius. Cæterum jejunare, flere, et plangere, et hoc habitu foris incendere, corde interius pristinam peccandi intentionem retinente, non est veraciter converti ad me. Prius itaque « in toto corde vestro convertimini ad me, » et tunc demum animi pœnitentiam, jejunio, et fletu, et planctibus indicate, ut, nunc jejunantes, postea saturemini; nunc flentes, postea rideatis; nunc plangentes, postea consolemini. Et C quia consuetudinis est, ut in tristibus atque adversis scindantur vestes, quod et pontifex ad Domini Salvatoris crimen augendum in Evangelio (*Matth.* XXVI) fecisse memoratur, et Paulum et Barnabam audientes verba blasphemiæ, legimus perpetrasse (*Act.* XIV), idcirco ego præcipio vobis ut nequaquam scindatis vestimenta, sed corda, quæ plena sunt peccatorum, quæ instar utrium, nisi scissa fuerint, sponte rumpuntur. Cum hoc feceritis, redite ad Dominum Deum vestrum, quem vobis priora peccata alienum fecerant nec desperetis veniam scelerum magnitudine, quia magna peccata magna delebit misericordia. Est enim « benignus et misericors, » malens pœnitentiam peccatorum quam mortem. Patiens et multæ misericordiæ, » qui non humanam imitetur impatientiam, D sed longo tempore nostram pœnitentiam præstoletur, et præstabilis, sive pœnitens super malitiis, ut si nos egerimus super peccatis pœnitentiam, et ipsum pœniteat comminationis suæ, et mala, quæ comminatus est nobis, non inferat, nostræque mutatione sententiæ, et ipse mutetur. Et notandum quam diligenter in ipsa pœnitentia cautos esse cupit, et securitatem tollit, cum dicit: « Quis scit, si convertatur et ignoscat, et relinquat post se benedictionem? » Ac si dicat: Ego quidem hortor, quod meum est, ad pœnitentiam, et Deum ineffabiliter novi esse clementem, dicente David: « Miserere mei, Deus, secundum **97** magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (*Psal.* L). » sed quia profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei nosse non possumus (*Isa.* XL), sententiam temperet, et opto potius quam præsumo. Tantum interim « sacrificium et libamen Deo nostro, » subaudis, offeratur sacrificium contriti cordis et libamen piæ confessionis ac boni operis, et quod nescimus, videlicet si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, in ejus arbitrio relinquamus, pendentes in spe miserationis. Quomodo nunc Deus converti, et post se benedictionem relinquere dicatur vel speretur, illud pro exemplo est quod ipse in Exodo loquitur: « Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti (*Exod.* XII). » Denique verbis istis sese ad sanguinis signum converti, et videre sanguinem ac transire atque benedictionem et vitam post se relinquere sese profitetur. Secundum hanc similitudinem post passionem Domini nostri Jesu Christi, sanguine ejus postes suos, id est frontes suas signantes cuncti, qui pœnitentiam in nomine ejus prædicatam susceperunt, spem habent non vanam quod convertatur Deus ad signum istud et relinquat post se benedictionem, transiens, et Ægyptios, id est cunctos superbos atque impœnitentes æterni judicii sententia percutiens. Hanc pœnitentiam et remissionem peccatorum prædicandam in omnes gentes, incipi oportebat ab Hierusalem, sicut et ipse testatus est, postquam resurrexit, loquens apostolis suis: « Quoniam, sicut scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus, pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierusalem (*Luc.* XXIV). » Sequitur ergo: « Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera. Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. » Hoc totum sic futurum esse prophetat, ut simul hortetur quatenus intente et studiose fiat. Sion namque hæc est Hierusalem, unde oportebat, ut jam dictum est, incipi pœnitentiæ prædicationem, quam prædicare utique tuba canere est, quia rem valde magnam evangelica prædicatio personat, scilicet iram venturam, ut eam quisque pœnitendo effugiat. Petrus apostolus ista primus tuba cecinit in illa Sion, ab istius prophetæ testimonio, quod postmodum sequitur, incipiens et post tandem dicens: « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum, aliis etiam verbis plurimis testificans, et exhortans eos, et dicens: Salvamini a generatione ista prava (*Act.* II). » Quid nisi tuba canebat, dicendo: « Salvamini a generatione ista prava? » Venturos quippe Romanos, futurumque illius pravæ generationis exitium significabat, ut agentes pœnitentiam non solum remis-

A sionem peccatorum et vitam futuram, sed etiam salvationem præsentem sibi acquirerent, ut præsentia quoque mala mererentur evadere venientia super generationem illam, quod et factum est. Imminente namque excidio, divinitus admoniti sunt fideles ut exirent atque ita salvati sunt a generatione illa, sicut salvatus est Lot ab incendio Sodomorum (*Gen.* XIX), nullusque cum illis conclusus vel obsessus est Christianorum. Notandum quod ita canentibus tuba in Sion : « Sanctificate, inquit, jejunium. » Multo namque plus est sanctificare quam prædicare jejunium, quia videlicet jejunare vel jejunium prædicare impii quoque possunt, qui non remissionem peccatorum, sed tantummodo malorum præsentium jejunando quærunt remedium. Tale fuit jejunium Achab, qui occidit Naboth, ut vineam ejus possideret. Cum enim audisset sermones Eliæ, « scidit vestem suam, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulabat demisso capite (*III Reg.* XXI). » Quam ob causam? Nunquid ut peccatorum remissionem acciperet, et salutem æternam obtineret? Non utique, sed ne temporali regno vivens careret. Ergo jejunavit quidem, sed non sanctificavit jejunium, atque idcirco non mercedem recepit sanctorum, sed mercedem suam mercedem transitoriam, dicente Domino ad Eliam : « Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus (*ibid.*). » Igitur « sanctificate jejunium, » id est, idcirco ut sancti sitis, celebrate jejunium, et ad illud « vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, » id est sanctificando per baptismum novam Christianitatis constituite Ecclesiam, atque in sinu ejus pariter et coadunate senes, et congregate parvulos ac sugentes ubera, » ut videlicet senum, id est sapientium maturitas, parvulos quibus adhuc lacte opus est erudiat, et ad solidum usque cibum perducat. Quod deinde subjungit : « Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo, » idem est, quod et Apostolus dicit : « Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est. Reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint (*I Cor.* VII). » Item : « Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt ut sit sancta et corpore et spiritu (*ibid.*). » Nimirum secundum hujusmodi prædicationem evangelicam sive apostolicam vivere, hoc est sponsum de cubili suo, et sponsam de thalamo suo exire. Sequitur : « Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini et dicent : Parce, Domine, parce populo tuo; et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut non dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis ubi est Deus eorum? » admonitio post illa grandia populi multi et fortis, « cui similis a principio non fuit, » bella sive incendia, quem populum Romanum intelligimus, quem in cæteris superioribus locis, ubi regna priora, Babyloniorum, Persarum atque Macedonum significari animadvertimus. Et recte, quia videlicet ubi quartum hoc regnum, « quarta hæc bestia terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos (*Dan.* VII), » gentes cæteras, et maxime Judæos comedit atque comminuit, et reliqua pedibus suis conculcavit, multo major multoque celebrior pœnitentiæ prædicatio sive pœnitentialis religio per mundum universum audita et suscepta est. Non deerit eadem bestia, quæ impios puniverat Judæos persequi et conterere martyres pios, et quanto magis illos afflixit, tanto magis fideles omnes ad orationem et pœnitentiæ fletum excitavit. Hoc ergo futurum prævidens : « Inter vestibulum, inquit, et altare plorabunt sacerdotes mi-
B nistri Dei, et dicent : Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. » Quod dicit, inter vestibulum, » quod nos ante fores porticum possumus dicere et altare, assiduitatem significat religionis et continentiæ sacerdotum et levitarum cæterorumque ministrorum Domini, qui ut parati sint semper ad orationes et hostias Deo jugiter offerendas, circa templum vel ecclesias Dei dicatas in sacris castisque domibus honeque regulari cum disciplina commanent. **98** quemadmodum hic propheta cum hæc diceret, futurum esse prævidebat. Qui ejusmodi sunt, et sui non obliviscuntur propositi, quo proposuerunt esse sacerdotes vel ministri Domini,
C plorant et orant die ac nocte, crebris noctium vigiliis dierumque jejuniis pro peccatis populi Christiani, maximeque tunc illis hoc egisse non dubium est, quando jam dicto Romano imperio sæviente, nimius perurgebat fervor persecutionis. « Parce, inquit, Domine, parce populo, » In quo? In eo videlicet, ut non des hæreditatem tuam in opprobrium. » Quod si quæras, quale metuent opprobrium? « Ut dominentur, ait, eis nationes. » id est ut vincant eos et animis eorum imperent impii gentiles, te Deum et vivum et verum Christumque Filium tuum blasphemantes. Hoc eidem in psalmo metuent et ipsi dicunt : « Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen sanctum tuum (*Psal.* LXXVIII). » Denique et quod illos
D sequuntur et dicunt, « ne forte dicant in gentibus? Ubi est Deus eorum? (*ibid.*) » Hoc ipsum hic conquerendo et percunctando loquuntur : « Quare dicunt in populis : Ubi est Deus eorum? (*ibid.*) » Et est sensus : Quare ita propter te mortificamur tota die et æstimamur ut oves occisionis (*Psal.* XLIII), ut vacet hostibus atque persecutoribus Christianorum insultare et dicere : « Ubi est Deus eorum? » Intendunt digitum suum in solem aut lunam, aut in aliquod simulacrum aureum vel argenteum, aut certi lapideum et dicunt : Ecce dii nostri isti sunt : Deus autem ipsorum ubi est? Nusquam comparet, neque enim videre illum aut ostendere possunt, nullum

A de illo habentes adjutorium, tota die inter manus nostras mortificantur et pereunt. Hæc opprobria inter innumera mortium tormenta sustinentes, et peccatis suis humiles sancti reputantes: « Parce, inquiunt, Domine, parce populo tuo, » subauditur in eo, ut, sicut alibi scriptum est, non relinquas, id est non nimis diu manere permittas, « virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas (*Psal.* CXXIV). » Hujusmodi gemitus compeditorum, ut verius advertamus, piorum passiones martyrum recolamus, quarum in aliquibus scriptum est quia latentes in cryptis et in speluncis fideles, corpora sepeliebant, plorantes et multum tristes, et per multos dies non cessabant mugitus lacrymarum dantes. His ita conquerentibus consolatorio protinus oraculo respondetur: « Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo. Et respondit Dominus, et dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis, et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. Et eum qui ab aquilone est, procul faciam a vobis, et expellam eum in terram inviam et desertam, faciem ejus contra mare orientale, et extremum ejus ad mare novissimum. Et ascendet fetor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit. » Insipientium erat, o sacerdotes et ministri Domini, insipientium erat dicere in populis, « ubi est Deus eorum, » pro eo quod videbant virgam peccatorum admissam « super sortem justorum, » et cædi corpora eorum visibiliter, Deo non apparente ad defendendum, et putare illos non habere Deum aut certe non posse adjuvare Deum ipsorum. Non ita est. Sed quid? « Zelatus est Dominus terram suam » zelo bono, zelo paterno; et sicut pater percutiens miseretur filiorum suorum et parcit eis, ita percussit et percutiendo pepercit populo suo tanquam filiis. Notandum, quod cum diceret: « Zelatus est Dominus terram, » addidit, « suam. » Terram namque suam dicit, litteraliter quidem terram Chanaan a semetipso filiis Israel datam, unde et quodam loco dicit: « Terra enim mea est, et vos coloni mei estis (*Levit.* XXVI), » spiritualiter autem Ecclesiam, quam suo sanguine acquirendo fecit suam. Sicut terram illam zelatus est Dominus super filios Israel, eo quod ingressi contaminassent eam, et tradidit eos in manus gentium, et tamen pepercit populo suo, dando illos in misericordias in conspectu omnium, qui cœperant eos, sic Ecclesiam suam sæpe zelatus est ne sacramenta ejus indigni indigne tractarent, et permisit fieri persecutiones ut electi cribrarentur sicut triticum, discedente palea (*Luc.* XXII), quibus in initio fuit proditor Judas, oportet judicans hæreses quoque esse, ut qui probati essent, fierent manifesti, et tamen inter ipsas tribulationes fierent clariores, glorificati virtutibus et signis (*I Cor.* XI). Hanc disciplinam Patris ignorantes dicebant in populis, videntes corpora martyrum discruciari: « Ubi est Deus eorum? » Et illi quidem, qui foris erant, verum nescientes Deum dicebant: « Ubi est Deus eorum? » Qui autem intus esse videbantur, quasi eumdem profitendo Deum dicebant, ubi est sanctitas vel perfectio viarum illorum? Media hujus conjecturæ magnum et evidens est in amicis beati Job judicium. Illi namque ex eo quod percussus erat male conjicientes, quod coram oculis Domini impius exstitisset, qui coram hominibus pii vel justi opinionem obtinuerat dicebant: « Ubi est timor tuus, fortitudo tua, et perfectio viarum tuarum? Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo, periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos (*Job.* IV), » subauditur, ut tu
B nunc consumptus es. Sic insipientes longa concertatione contendebant, ut cogerent eum sibi cedere ad constituendum sibi, quod de vita illius nullatenus bene æstimandum sit, quemcunque adversis opprimi vel flagellis divinitus cingi contigerit, et quod neminem contingat secundum corpus consumi, nisi pro merito propriæ iniquitatis. At ille plus aliqui sentiens quam quod hic dictum est, « zelatus est Dominus terram, et pepercit populo suo, » videlicet quod neque ut existimare volunt qui ejusmodi sunt, semper peccatores impii reputandi sint, quos Deus afflixerit, neque omnes quos Deus percutit aut percuti permittit, percuti zelo corripientis ad purgationem, verum nonnullos ad probationem, ut coronæ illis multiplicentur, dicit inter
C cætera: « Saltem nunc intelligite, quod Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis cinxerit me. » Nam quod ait: « Non æquo judicio, » idem est ac si dicat: Non sicut vos putatis pro malitia vel impietatis meæ recompensatione. Ubi namque pro impietate sua percutitur impius, æquum judicium est. Ubi autem peccantem filium pater zelatur et parcit, judicium ad æquitatem non pervenit, quia « misericordia judicium superexaltat (*Isa.* II). » Ubi vero vir simplex et rectus, ac timens Deum et recedens a malo, percussionibus probatur, ut coronetur, jam non judicium æquum aut judicium misericordia superexaltatum, sed gratia et gloria est. Quapropter sciendum, ubi erat « quod Deus non æquo judicio afflixerit me, » æquum non poni pro justitia, ut rectitudine, sed pro æqualitate. Deus nam-
D que sive impium superbientem puniat, sive excedentem filium corripiat, sive sanctum et perfectum per patientiam probare intendat, semper justus et rectus est. Sed jam ad cœpta prophetiæ verba revertamur. Cum dixisset, « zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo, » ut ostenderet in quo pepercerit, subjunxit atque ait: Et respondit Dominus, et dixit populo suo: « Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum et oleum, et replebimini eis, **99** et non dabo vos ultra in opprobrium gentibus. » Sicut et in cæteris, ita et in isto quoque auditu senes et habitatores terræ, qui in exordio sunt invitati ad audiendum, discernuntur, et diverse au-

A diunt. Denique habitatores terræ frumentum hic tantummodo illud intelligunt quo venter impletur, et vinum illud quo carneum cor lætificatur, et oleum illud quo carnea facies exhilaratur. Senes autem considerantes majestatem ejus, qui hæc pro magno repromittit, digniora ut illum decet, sentiunt, videlicet frumentum illud, et oleum illud, quod edentes et bibentes, et quo delibuti, omnes æternitatem gloriæ consequantur, præsertim quia sic habes postmodum in istorum promissione bonorum, et non confundetur populus meus in æternum. Et istud quidem frumentum corporale, vinumque et oleum dona Dei sunt, et nonnunquam timentibus Deum pro quadam consolatione dantur, et data sunt, sed frustra dantur, et frustra sumuntur, nisi utentes istis operemur, B vel quæramus frumentum illud, quod est Verbum Dei, scilicet Christus qui de semetipso dicit: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XII). » Et vinum, et oleum illud quod Samaritanus vulneribus ejus qui in latrones inciderat infundit (*Luc.* X). Quia nimirum de talibus veraciter dicat majestas promittentis: « Et replebimini eis. » Sola namque hæc sunt, quibus repleri possit usque ad sufficientiam vacuitas nostræ mortalitatis. Hujusmodi sensu præeunte, sequentia quoque digne intelliguntur. « Et non dabo vos ultra in opprobrium gentibus, et eum qui ab aquilone est, procul faciam a vobis, et expellam eum in terram inviam et desertam: faciem ejus contra mare orientale, C et extremum ejus ad mare novissimum. Et ascendet fetor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit. Noli timere, terra, exsulta et lætare, quoniam magnificavit Dominus ut faceret. Nolite timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. Et filii Sion exsultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum sicut in principio; et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo, et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos; et comedetis vescentes, et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobis mirabilia. Et non D confundetur populus meus in æternum, et scietis quia in medio Israel ego sum, ego Dominus Deus vester, et non est amplius, et non confundetur populus meus in æternum. » Nulli dubium esse debet doctorem justitiæ, quem hic prophetica gratulatio commemorat, dicendo: « Et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ. » Christum Dei Filium esse, pro quo nimirum, quia datus est in Domino Deo Patre ejus, qui illum dedit, exsultandum et lætandum est. Nunc ergo litteræ ordinem repetentes propheticum qui in illo est spiritum quocunque nos ducit, quoad possumus sequi desideremus. Propter eos qui dicunt in populis: « Ubi est Deus eorum? » propheta, ut corrigat sensum illorum perversum: « Zelatus est, inquit, Dominus terram suam, et pepercit populo suo, » id est non sicut illi arbitrati volunt nullus est, aut dereliquit eos Deus eorum, sed more patrisfamilias zelo paterno filios suos castigans castigavit, et deinde pepercit, non eos tradendo morti, imo promissiones vitæ dando illis. Nam hoc est quod sequitur: « Et respondit Dominus, et dixit populo suo. » Non præmiserat quod Dominum consuluisset populus suus, et tamen ait: « et respondit Dominus, » et in ipsa responsione repromissionem habemus doctoris justitiæ, qui est Christus, et Spiritus sancti, sicut in sequentibus continetur luce clarius. Cum itaque talem litteræ ordinem legimus, « zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo, et respondit Dominus, » recte subintelligimus quia zelante Domino exercitatus populus, et paterno verbere commonitus, clamavit ad Dominum, et tum demum pariter et pepercit, « respondit Dominus, » ut Christum suum liberatorem, et æternæ salutis auctorem vigilantibus opportune promitteret auribus, quosdam etiam temporales interim dando salvatores, qui salvarent eos in typum venturi ejus, quem erat missurus. Exempli gratia: Quando in Ægypto serviebant filii Israel diis alienis, immemores Dei patrum suorum, zelatus excitando Pharaonem, ut esset rex qui ignorabat Joseph, et qui opprimeret eos operibus duris, sicut ipse testatur, cum dicit: « Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra (*Exod.* IX; *Rom.* IX). » Ita zelante Domino excitati sunt. « Ingemiscentes enim propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Dominum, et audivit gemitum eorum (*Exod.* II), » et respondit eis, videlicet per Moysen, secundum hæc ipsa verba prophetæ hujus dicentis: « Et respondit Dominus, et dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, » verbi gratia, dicendo: Audi, Israel præcepta mea, et in corde tuo, quasi in libro scribe, et dabo tibi terram fluentem lac et mel. Et manifestius promisit eis istum doctorem justitiæ, dicente Moyse: « Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis (*Deut.* XVIII), » sicut me, et cætera quemadmodum ad ipsum Moysen Dominus ipse dixerat: « Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam (*ibid.*). » Item, quando zelatus est Dominus, et tradidit eos in manu regis Babylonis, eodem zelo excitati, clamaverunt ad Dominum maximeque Daniel cum sociis suis, et respondit ei Dominus, multa et manifesta de hoc eodem doctore justitiæ, maxime illud, quod taliter narrat ipse: « Adhuc me loquente in oratione, ecce Gabriel cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, » et subinde: « Septuaginta

hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, A et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum (*Dan.* IX). » Paucisque interjectis : « Et post hebdomadas, inquit, sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est (*ibid.*). » Non multis opus est exemplis, sed hoc indubitanter notandum, quia quoties sive ante sive post adventum suum zelatus est Dominus terram sive Ecclesiam suam, zelando excitavit electos suos ad invocationis suæ majorem instantiam et in ipsa ira misericordiæ recordatus, sic respondit eis, et taliter egit cum eis, ut non vacaret dicere in populis : Ubi est Deus eorum. « Replebimini ergo, in- B quit, et non dabo vos ultra in opprobrium gentibus. » Cum hæc dicit, subintelligendum est, quinimo cessare faciam principem opprobrii vestri. Sequitur enim : « Et eum qui ab aquilone est, procul faciam a vobis. » Etenim quis ab aquilone est, nisi diabolus princeps opprobrii, qui dixit in corde suo : « Sedebo in monte 100 testamenti in lateribus aquilonis ? » (*Isa.* XIV.) Et quidem regnorum supradictorum principes Nabuchodonosor rex Babylonis, Aman de stirpe Agag qui universum Judæorum genus delere voluit, Antiochus Epiphanes, et Nero Romani macula imperii, suo quique tempore principes fuere opprobrii, quem utique tunc Deus cessare fecit, quando per passionem Jesu Christi Filii sui, doctoris sui, cujus clara hic commemoratio fit, foras misit, C dicente illo : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan* XII). » In typum ejus, et Nabuchodonosor de regno suo ejectus, fenum ut bos comedit (*Dan.* IV) ; et Aman in patibulo, quod Mardochæo paraverat suspensus (*Esther* VII), et Antiochus sine manu contritus est (*I Mach.* VI), qui ita ab aquilone fuerunt, ut aquilonis, id est diaboli typum in semetipsis exprimerent manifestum. Cum ergo dicit : « Et eum, qui ab aquilone est, procul faciam a vobis, » subintelligendum est, quemadmodum illos similitudinis ejus bajulos suo quemque in tempore procul feci. Istius aquilonaris, id est perfidia et frigida malitia congelati diaboli, maxime Babylonius Nabuchodonosor typum gessit, pro eo quia loco quoque aquilonarius exstitit, id est secundum situm terræ Judææ venit a parte aquilonari. Porro, D quod cum dixisset : « Et expellam eum in terram inviam et desertam, » continuo subjunxit : « Faciem ejus contra mare orientale, et extremum ejus ad mare novissimum, » secundum litteralem sensum non valet intelligi de ullo ex sæpe dictis quatuor regnis. Nusquam enim sacræ referunt litteræ quod Judææ, sive Israelis hostes ita Dominus repulerit, ut exercitum illorum inter duo maria concluderet, quorum alterum orientale sive primum (ut in alia translatione scriptum est) mare illud dicitur, quod juxta solitudinem est, et vergit ad orientem, in quo fuit quondam Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim, quod nunc mortuum nominatur, eo quod nulla ibi vivant animantia. Novissimum autem illud, quod ad occidentem est, et quod ducit in Ægyptum, in cujus littore Gaza et Ascalon Azotusque et Joppe et Cæsarea, et cæteræ urbes maritimæ sitæ sunt. Inter hæc maria, sicut jam dictum est, hostes Israel Domino repellente conclusos fuisse nulla scriptura refert. Quod si aliquando factum fuisset, delectabiliter (ut in cæteris vel in plerisque Scripturarum locis fieri solet) super litteræ vel historiæ fundamentum allegoricis sensus ædificium collocandum esset. Nunc ergo spiritualiter dicta, et spiritualiter intelligenda vel exponenda sunt, scilicet non de corporali occisione vel cruore inimicorum, sed tantummodo de spirituali captivitate nudati inimicorum captivis, id est diaboli, quem Dominus Jesus expulit, et misit foras in terram inviam et desertam, ut in illis tantummodo commaneret vel potestatem haberet, quidem illius, qui illum expulit, forasque misit, et evangelicæ prædicationis non reciperent gratiam desertores et deserti, et idcirco deserti, quia desertores Dei. « Facies, inquit, ejus, » subauditur, expulsi vel foras missi, « contra mare orientale, et extremum ejus ad mare novissimum. » Primum sive orientale mare, ut mare novissimum, prima et secunda est regeneratio vel resurrectio mortuorum. Prima namque regeneratio gratia baptismi est, qua renascimur ex aqua et Spiritu sancto ; secunda vero vel novissima regeneratio mortuorum est corporalis resurrectio, Domino attestante ; « In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ (*Matth* XIX). » Prima regeneratio, quæ est baptismi gratia, de patefacto Christi latere profluens, sive originem ducens, idcirco mare dicitur, quia in similitudinem maris, per quod filii Israel merso Pharaone cum curribus et equitibus transierunt, omnes filios Dei de morte ad vitam regeneratos, suffocato diabolo et omnibus populis ejus transmittit ad salutis portum, spem beatam restituens consequendi vitam, regnumque aperiens immortalitatis, sine dubio percipiendum post hujus vitæ temporalis exitum. Secunda regeneratio, quæ est resurrectio mortuorum, idcirco mare dicitur, et mare novissimum quia sine dubio et angelis ejus et omnibus qui a sinistris erunt, mare profundum erit, imo, sicut in Apocalypsi (*cap.* XIX) legimus « stagnum ignis ardentis et sulphuris, » in quod iste aquilonaris, id est diabolus, sicut ad beatum Job (*cap.* XL) dicit Dominus, « videntibus cunctis præcipitabitur. » Igitur « facies expulsi, sive foras missi hujus contra mare orientale, sive primum et extremum ejus ad mare novissimum. » Notanda proprietas dictionum, quia facies ejus non ad mare, sed contra mare primum et extremum ejus, non contra, sed ad mare novissimum. Etenim facies ejus, id est nequissima intentio ejus, non ad istud, sed contra istud mare tendit (quo salutaris baptismi gratiam dicimus) omnibus baptizatis in Christo Jesu insidians, ut eos iterum inquinet, et de illis quoque præsumit, sicut ad beatum Job dicitur : « Et habet fiduciam,

quod influat Jordanis in os ejus (*Job.* XL).» Extremum autem sive finis ejus ad illud mare novissimum, ad illud ignis ardentis stagnum sulphureum, subaudis per judicium adducetur, et in illud, sicut jam dictum est, « videntibus cunctis præcipitabitur (*ibid.*). » — « Et ascendet, inquit, fetor ejus quia superbe egit.» Quo ascendet, vel quomodo ascendet fetor ejus et putredo ejus? Nimirum ad visum sive notitiam sanctorum vel electorum omnium sicut in Isaia tam de ipso, quam de cunctis sequacibus ejus angelis et hominibus scriptum est : « Et egredientur, » subauditur, sancti et electi, « et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me, et vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ac satietatem visionis omni carni (*Isa.* LXVI).» Hoc idcirco, « quia superbe egit, » id est, quia contra Creatorem sese tumidus erexit. De utrobique, id est et de culpa superbiæ ejus, et de pœna fetoris vel putredinis ejus. Item per Isaiam contra istum sub nomine regis Babylonis dicitur : Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum ; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Quomodo excidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV), » etc. Et recte cadaver ejus propter superbiam concidisse, et fetor, imo ipse cadaver et putredo esse dicitur. Vitam namque, id est Deum perdidit, et mortuus per malitiam, licet vivat per essentiam. Sicut enim corpus ab anima relictum mortuum est, sic rationalis creatura a Deo separata veraciter mortua est. Unde quia cadaverum receptoria sepulcra dicuntur, ipse autem diabolus Deo, ut jam dictum est, mortuus in impiorum mentibus cubat, recte per prophetam dicitur : « Ibi Assur et omnis multitudo ejus, et in circuitu ejus sepulcra illius (*Ezech.* XXXII). » Quod idem est ac si aperte dicatur : Ibi diabolus, cujus per superbiam typum gessit Assur et omnes angeli ejus, et ibi sociabuntur ei cuncti reprobi, qui illum secuti sunt, dicente judice his qui a sinistris ejus erunt : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Magna sunt hæc, et idcirco ad credendum magna nimirum fide opus est. Idcirco sequitur, et dicit : « Noli timere terra, exsulta et lætare, quoniam **101** magnificavit Dominus ut faceret. » Quod dicit, « noli timere, » idem est ac si dicat : Noli diffidere. Timiditas namque pro infidelitate ponitur, ut in Apocalypsi, cum præmisisset : « « Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. » Continuo subjunxit : « Timidis autem et incredulis et exsecrabilibus et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ignis ardentis et sulphuris (*Apoc.* XXI) . » Nam quia timidi sociantur incredulis, sine dubio timiditas mala intelligitur, et con-

A traria fidei, quæ et hæsitatio vel dubietas recte potest dici, juxta illud Jacobi apostoli : « Postulet autem in fide, nihil hæsitans. » Qui enim, hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat quidquam a Deo. « Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis (*Jac.* I). » Rursus exsultatio, sive lætitia pro hilaritate fidei ponitur, juxta quod ad Judæos Dominus dicit : « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum ; vidit et gavisus est (*Joan.* VIII). » Nam exsultavit, id est exsultanter credidit, hilarem fidem habuit. Igitur cum dicit : « Noli timere, terra, exsulta et lætare, » idem est ac si dicat : De omnibus quæ tibi dicuntur, o homo, noli hæsitare, vel diffidere, noli terra esse gravi

B corde, sed alacriter crede ac spei lætitiam habe. Quoniam magnificavit Dominus, ut faceret, id est, magnificus est, qui tanta proposuit et perficere potest, juxta quod et Psalmista testatur cum dicit exsultans et lætabundus de futuro, ac si jam factum sit : « In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione. Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum eis. Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes (*Psal.* CXXV). » Sed forte adhuc superesse videtur, quod timeant quicunque modicæ sunt fidei, dicentes :« Quid manducabimus, aut quid bibemus » interim, dum in isto corpore sumus, antequam ad illa venturi sæculi bona perveniamus, quoniam « eruca et locusta, bruchus et

C rubigo » ,universa consumunt, et « ignis comedit speciosa deserti ? » Sequitur ergo : « Nolite timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. » Ac si dicat : Pars ista, de qua vos, o animalia, sollicita estis, et propter hoc ipsum animalia potius quam homines recte dicimini, quia vos angustat solitudo ejusmodi, pars, inquam, ista recuperabilis est, quia cum exusta fuerint, rursus germinabunt speciosa deserti, iterumque ficus et vinea, cæteraque ligna fructum et virtutem suam dabunt. « Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). » Et in hoc solummodo gaudete, quod regnum Dei primum quæritis, et in-

D venire speratis, non in omnibus his quæ adjicientur vobis. Hoc est, quod continuo dicit : « Et filii Sion, exsultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum a principio. » Ac si dicat : Animalibus dixi, ut non timeant, consolationem hanc illis ostendens, quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, tandiu illos esse animalia judicans, qui homines esse deberent, quandiu pro ventre suo nimium sunt solliciti. Vobis autem, o filii Sion, id est, homines rationales, et spe lucrandis cœlestibus intenti, hoc dico, ut exsultetis et

lætemini, non in ficu vel vinea, sive in quibuslibet germinibus deserti, quantacunque speciosis, sed in Domino Deo vestro, et hæc summa sit causa exsultationis et lætitiæ, quia dedit vobis doctorem justitiæ, videlicet Christum, quem fecit vobis nasci ex virgine, qui justificet et justificari vos doceat non ex operibus legis, sed ex fide (*Rom.* II), et hujus doctrinæ gratiam « descendere faciet ad vos » in principio velut « imbrem matutinum et serotinum.» In principio, inquam, id est, primum Judæo, deinde Græco: Filii namque Sion recte intelliguntur Judæi, primitivæ Ecclesiæ filii quicunque receperunt verbum salutis, quia prius oportuit illis prædicari verbum Dei; propterea prædicationem sive doctrinam eamdem matutinum imbrem nuncupavit. Et quia cum plenitudo gentium subintraverit, tunc iterum prædicabitur illis, et reliquiæ salvæ fient ex eis, recte imbrem illum matutinum dixit et serotinum. « Et implebuntur, ait, areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo; » in area frumentum quæritur in torcularibus vero vinum ab acino, et oleum ab amurca premendo separatur. Significat autem utrumque, scilicet area et torcular, pressuras sive tribulationes sanctorum, quas exemplo jam dicti doctoris justitiæ Christi, propter prædicationem doctrinæ ejus, sustinere habebant. « Implebuntur igitur, ait, areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo,» id est, quanto magis tribulati fuerint, quanto graviores pressuras sustinuerint, tanto majorem verbi abundantiam et copiosiorem Spiritus sancti gratiam desuper accipient atque effundent, a prædicatione non cessando. » Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos. » Hæc juxta litteram, quia a Domino repromissa sunt, ita creduntur accidisse, ut sterilitas præterita novis frugibus compensaretur, et quidquid « locusta, bruchus, rubigo et eruca » consumpserant, annis sequentibus impleretur. Sed ut de regnis quatuor sæpe dictis, quæ sub nominibus istis figurantur, ista redditio intelligatur difficile aut etiam impossibile est. Quomodo enim illis qui in Babylonica captivitate, vel sub cæterorum jugo regnorum vita excesserunt, redditio temporalis fieri potuit annorum, id est, messium vel fructuum annualium, quos ignis, vel manus hostilis eisdem viventibus abstulit? Spiritualem ergo et æternam redditionem oportet intelligamus, quæ in adventu Salvatoris, qui hic doctor justitiæ dicitur, reddita est omnibus, qui exspectantes regnum Dei, sub eisdem regnis injuste fuerant oppressi. Omnes enim illos in passione sua Salvator liberavit, descendens ad inferos, et educens eos in illas æternas delicias paradisi. Ibi Daniel et socii ejus, cæterique temporis illius electi, quibus Babylonica captivitas annos suos abstulit. Ibi Esther et cæteri, quos Persici vel Medici regni superbia nequaquam a cultu Dei separare potuit. Ibi Machabæi, quos avertere non potuit Antiochus opprobrium regni Macedonici. Ibi apostoli et mar-

A tyres sancti, quos Romani imperii bestialis sævitia vincere non potuit. « Reddam igitur vobis annos, ait, quos comedit locusta, bruchus, rubigo et eruca, » id est, consolabor vos super omnibus malis quæcunque intulerunt vobis regna illa regno Dei contraria. Interea valde notandum est, quod regna illa tam fortia, tamque potentissima, tam mirabiliter et magnificat et deprimit, ut et minimis vermiculis, locustæ, brucho, erucæ, et rubigini comparet, et tamen fortitudinem suam nuncupet dicendo: « Fortitudo mea magna, quam misi in vos. » Nec vero istud adeo mirum videbitur, si ut longe superius perstrinximus, ita distinguamus, ut æternæ majestati comparata hæc regna mundi quantumvis fortia nequaquam dubitemus nimis esse exilia. Humanæ

B autem infirmitatis respectu, quoties vanitatem hominum flagellari oportet, sufficere manu Dei locustas parvissimas, et flagella esse fortissima, non minus, quam regna ipsa, quæ hic significanter per illas. Nonne potentia **102** Dei contra superbiam Ægyptiorum plagis ostensa est per muscas et locustas, et præcipue per cyniphes, qui tam parvi sunt culices, ut vix cernantur oculis? Nonne multitudo talium tanta fuit fortitudo Dei, ut non posset resistere exercitus Pharaonis? Si ergo locustæ ipsæ tantæ potuere esse fortitudinis, quid mirum regna quæ per istas significantur dici fortitudinem Dei? Porro aliter, vel alia dicitur et est fortitudo Dei Christus, virtus et sapientia Dei. Quod male intelligentes, imo prave intelligere laborantes hæretici Ariani, cum in Nicæna synodo requirerentur ab

C episcopis catholicis, ut Ecclesiastica narrat historia, si dicerent Filium Dei non esse creaturam, sed Dei virtutem et Dei sapientiam, secundum verba Apostoli (*I Cor.* I), innuebant alterutris dicentes: « Quia hæc etiam veniunt ad nos » Nam eruca et locusta dicitur virtus Dei magna. Sed nos eorum mentem corruptam detestantes, locustam quidem et cætera hujusmodi, quibus maxime Ægyptus attrita fuit, magnam Dei fortitudinem esse fatemur. Magnam, inquam, et valentem usque ad evincendam superbiam Pharaonis duntaxat carnei: Christum autem Dei virtutem sive fortitudinem solam sufficientem ad destruendam tyrannidem Pharaonis, id est, diaboli. Non enim locusta sive eruca, sed sola hæc virtus Dei, Christus, illum foras mittere potuit. Illud quoque notandum, quod cum

D dixisset: « Fortitudo mea magna, » addidit, « quam misi in vos. » Veraciter namque et regna jam dicta, et cæteros hostes misit in eos, et venire permisit Dominus in populum suum propter multas præceptorum suorum transgressiones, sed nihilominus væ illis quos propter ejusmodi causas contra electos suos ad tempus prævalere permisit, sicut exempli gratia, testatur ipse quodam loco, cum de uno talium dicitur: « Væ Assur! Virga furoris mei, et baculus ipse in manu ejus indignatio mea (*Isai.* X). » Tali modo, ut jam dictum est, redditis annis, « quos locusta et bruchus, et rubigo, et eruca » comederunt, « comedetis, ait, vescentes, et satura-

bimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia, et non confundetur populus meus in æternum. » Manifeste hic æternæ gloriæ promittitur saturitas, de qua et David : « Satiabor,inquit,cum apparueritgloria tua(*Psal.* XVI). » « Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi (*Psal.* XXI). » Ubi enim alias est vel esse potest saturitas electorum Dei, quibus dicit : « Et comedetis vescentes et saturabimini, » nisi in deliciis paradisi ? Ibi namque ex quo parietem inimicitiarum Christus per passionem suam solvit (*Ephes.* II), saturabuntur beati perfruentes visione Dei, et ibi laudant nomen Domini, nam cibus ipsorum est ipsa laus Dei, qui ipsos mirabiliter reformabit, et non confundentur in æternum, quia liberati a confusione peccati, et æterna gloria glorificati sunt : « Et scietis,inquit,quia in medio Israel ego sum,et ego Dominus Deus vester,et non est amplius,et non confundetur populus meus in æternum.» Videlicet quod hic sciebatis ex parte, et videbatis per speculum et in ænigmate,ambulantes per fidem, tunc scietis et videbitis facie ad faciem ambulantes per speciem.Delectabile nimirum sanctis Patribus,et cæteris gentis illius electis fuit,et est,scire hoc,quomodo Dominus Deus esset in medio eorum.Quomodo enim est in medio eorum,vel quid est,esse in medio eorum? Profecto in medio eorum esse,est in veritate naturæ humanæ carnem de carne illorum assumpsisse.Hoc scire et videre, quia hic est Dominus Deus ipsorum, et non est amplius,neque enim extra illum est Deus, cum Pater et Filius non duo sunt dii, sed Filius in Patre Deus unus. Hoc,inquam,scire et videre,Deum Filium, Deo Patri æqualem secundum divinitatem, sibi consimilem secundum veram humanitatem, ineffabilis felicitatis et gloriæ est.Idcirco,quod paulo ante dixerat, repetivit : « Et non confundetur populus meus in æternum. » Repetitio namque confirmatio est : Non confundetur, imo gloriosus erit, magnificus et honorificatus erit populus, cui promissus, et ex cujus carne natus est talis Filius,gloriosumque erit eis illud Apostoli : « Nusquam enim angelos apprehendit,sed semen Abrahæ apprehendit (*Hebr.* II), » et gloria hæc æterna erit. Remota omni confusione,quæ per peccatum Adæ humano generi accessit. Gloriosa hæc dicta sunt hactenus filiis Sion,quos in adventu suo iste doctor justitiæ Christus requisivit,et per passionem suam eduxit de tenebris, secundum fidem Patrum,qui illum exspectaverant : sicut testatur Paulus apostolus (*Hebr.*XI) defuncti omnes non acceptis promissionibus, descendens quippe ad inferos,et resurgens ex mortuis, omnes introduxit in veram terram repromissionis. Constat autem, quia post expletam suæ glorificationis dispensationem, majorem atque abundantiorem gratiæ vel Spiritus sanctus dedit effusionem, scilicet non uni genti, ut prius, sed universis gentibus secundum veritatem repromissionis, qua Abraham dictum est : « Atque in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Sequitur ergo : « Et erit post hæc : Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt,et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servus et ancillas meas in diebus illis effundam Spiritum meum.» Quod enim dicit « super omnem carnem, » nullam sinit fieri gentis vel personarum exceptionem. Priusquam glorificatus esset Jesus,super filios tantum Sion effuderat Spiritum suum, et de illa solummodo gente prophetæ sapientes erant.Postquam autem glorificatus est resurgendo, et in cœlum ascendendo, cum tanto fructu sæculorum præteritorum, nullam fecit Judæorum et gentilium distinctionem, sed omnibus communiter evangelizari voluit peccatorum remissionem. Hoc est, quod nunc dicit : « Et erit post hæc : Effundam Spiritum meum super omnem carnem. » Verumtamen hoc loco meminisse libet,quod Apostolus,cum dixisset : « Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum (*Rom.* II), » confestim ita subordinavit, ut diceret: « Judæo primum et Græco (*Rom.*II), » videlicet Judæo credenti,vel bonum operanti gloriæ, honoris et pacis gradum concedens primum, utpote cujus est adoptio filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium;et promissa, cujus patres, ex quibus Christus secundum carnem,qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen (*Rom.* IX). Græco autem, id est, gentili, gradum fere secundum, quamvis nulla distinctio sit in largitate remissionis peccatorum Hanc subordinationem et hic propheta videtur innuere, cum præmisso : « Effundam Spiritum meum super omnem carnem, » protinus ita subjungit : « Et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt, sed et super seivos et ancillas meas in diebus illis effundam Spiritum meum. » Loquebatur namque filiis Sion, quorum utique filii apostoli erant et filiæ, mater Domini nostri Jesu Christi, et cæteræ mulieres eodem tempore commanentes et orantes cum eisdem apostolis, sicut Lucas meminit : « Hi omnes, inquit, erant perseverantes unanimes in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus (*Act.* I). » Isti filii et filiæ filiorum Sion, accepto Spiritu sancto prophetaverunt, id est, de cœlestibus mysteriis variis linguis locuti sunt. Et isti senes, quales erat inter eos prior Petrus, vel deinde Paulus, somnia somniaverunt, et juvenes, **103** qualis erat Joannes, visiones viderunt. Nec vero contentus ero hanc filiis vestris dedisse gratiam, « sed et super servos meos, » inquit,quacunque ex gente sint,« effundam Spiritum meum. » Laxior nimirum hæc appellatio est servorum atque ancillarum Dei quam filiorum Sion. Filii namque Sion unius, id est Judaicæ sunt gentis,servi autem et ancillæ Dei, omnium gentium sunt electi, qui etiam non tantum servi, sed filii quoque appellantur Dei, quemadmodum Joannes cum dixisset quia

Jesus moriturus erat pro gente, subjunxit atque ait : « Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (*Joan.* XI). » Profecto causa ista effusionis Spiritus sancti dignior et locupletior est, quod sint servi et ancillæ Dei, quam illa, quod sunt filii Sion, id est Judæi. Non enim Judæo tantum, sed omnibus servis et ancillis suis, bonus Dominus gratiam debet. Primum tamen, ut jam dictum est, Judæo, deinde Græco. Notandum præterea, quod cum dixisset : « Sed et super servos et ancillas meas effundam spiritum meum, » non addidit, « et prophetabunt, » neque ait, « senes eorum somnia somniabunt, et juvenes eorum visiones videbunt, » sicut dixerat de filiis filiorum Sion. Sciendum quippe, qui licet multi de Ecclesia gentium prophetiæ spiritum habuerint, somnia memorabilia somniaverint, et visiones memoria dignas viderint, soli tamen filii Sion, et filii filiorum, scilicet prophetæ priores, et apostoli succedentes, soli, inquam hi sunt, quorum prophetiæ et somnia, seu visiones canonicæ auctoritatis tenent apicem summum, tamque probatæ veritatis atque certitudinis sunt, quam lex et Evangelium. Recte igitur sic dictum est, « sed et super servos et ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum, » et non additum est, « et prophetabunt, » sive « somniabunt, » aut « visiones videbunt, » quia videlicet cum sanctis doctoribus, et omnibus qui in Ecclesia Christi post prophetas et apostolos sanctum intelligentiæ spiritum accipere meruerunt, satis bene actum est, quod somnia seu visiones propheticas atque apostolicas, scienter et fideliter interpretari sive explanare potuerunt.

V Effusionis hujus rem simul et signum in die Pentecostes, quando super discipulos Christi Spiritus sanctus descendit, contigisse dubium non est. Rem videlicet, quia tunc apostolis, qui erant filii filiorum Sion, sicut jam dictum est, quippe eatenus homines erant sine litteris et idiotæ, prophetica, imo plus quam prophetica gratia data est, et extunc somnia somniare (de qualibus nonnulla in Actibus apostolorum legimus) et visiones videre cœperunt, quales maxime in Apocalypsi Joannis admiramur. Signum autem in eo fuit, quod omnium gentium loquebantur linguis (*Act.* II). Per hoc namque significabatur quod super omnem carnem, sive super servos et super ancillas Domini in omni gente et natione oporteret eamdem Spiritus sancti effusionem derivari. Quod jam tunc sciens apostolus Petrus, dixit : « Viri Judæ, et qui habitatis Jerusalem universi. Hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictum est per prophetam Johel : Et erit in novissimis diebus dicit Dominus : Effundam de spiritu meo super omnem carnem, » etc. (*Ibid.*) Sequitur : « Et dabo prodigia in cœlo, et in terra, sanguinem et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. » Quod hic de solis videtur dixisse pro- A digiis, scilicet danda fore illa in cœlo et in terra, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, qui est dies universali judicii, de cæteris quoque omnibus, quæ hactenus hic idem propheta prædixit, sentiendum pariterque subaudiendum est. Nam et eruca, et locusta, et bruchus, et rubigo, scilicet quatuor regna erant ventura, et deinde effusio Spiritus sancti, et hæc jam venerunt, antequam veniat ille dies magnus et horribilis. Unde sicut jam superius dictum est, et illi quibus Petrus apostolus præsens prophetæ hujus apposuit testimonium, et quicunque extunc usque ad nos audierunt, et extunc audituri sunt, nimirum magnum esse illum et horribilem diem Domini, certi esse debent, imo dubitare non sinuntur quin ita sit, quia veniet, quia jam B tanta pars eorum completa est, quæ uno eodemque ore iste propheta locutus est. Denique magnum super hac re certamen est Deo et Verbo ejus Jesu Christo, qui est testis fidelis. Magnum, inquam, et acre certamen in exigendo, ut credatur sibi, quia veniet talis, et tantus ille dies tremendi judicii, post quem jam nullum pœnitentiæ tempus erit, juxta quod et in Apocalypsi Joannes dicit : « Et Angelus quem vidi stantem supra mare, et supra terram, levavit manum suam in cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei (*Apoc.* X). » Super hac re concertans, ut scilicet credatur sibi, quia revera grande nimis negotium est, et nimium expedit hoc scire miseris, ut tantam C iram effugere possint. Nunc dicit : « Et dabo prodigia in cœlo, et in terra sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. » Ac si dicat : Non credent homines curam esse Deo de actibus suis, et quod statutus sit ad judicandum de illis dies ille magnus et horribilis. Non, inquam, credent, non audient, non animadvertent, nisi magna et multa viderint prodigia fieri. Effundam igitur spiritum meum (sicut jam dixi) et per virtutem ejus dabo prodigia in cœlo et in terra, et quod prædicatio judicii confirmetur ubique sequentibus signis. Dabo sanguinem, dabo ignem, subauditur in testimonium illis, ut videlicet non solummodo miraculorum prodigiis, sed etiam magnitudine D perseverantiæ commoti, cum tot millia testium usque ad sanguinem perseverare viderint, et ignem charitatis Dei nullis persecutionum aquis, nullis fluminibus, quamvis multa sint, posse in illis exstingui, ut credant eorum testimonio, aut inexcusabiles sint. Dabo et vaporem fumi, similiter in testimonium illis. Fumum hic aut cæcitatem, quæ in Israel contigit, aut certe, quoniam fumus lacrymas excitare solet, compunctionem pœnitentium licet intelligi. Etenim utraque hæc vim prodigiorum obtinent, et evidenter astipulantur, futurum esse judicium. Hæc prodigia dantur in terra. Quæ vero sequuntur : « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, » prodigia sunt, quæ

dantur in cœlo. Ilis quoque versiculis nos reminisci facit eorum quæ Dominus dixit. « Et erunt (inquiens) signa in sole et luna et stellis, » etc., usque ad id, « et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate (*Luc.* XI). » Idem namque est, quod hic nunc dicitur : « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. » Jam quemadmodum illic dicitur, « et tunc videbunt venientem Filium hominis, » ita et hic eodem modo dici poterat, et tunc veniet « dies Domini magnus et horribilis. » Quicunque prodigiis talibus excitati, pœnitentiam egerint sive conversi fuerint, salvi erunt. Nam et ipsa prodigia, sicut jam dictum est, idcirco **174** fient, ut convertantur, et salvi sint. Hoc est, quod sequitur : « Et erit, omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit. » Cum dicit omnis, subaudiendum est absque distinctione Judæi et Græci. Etenim Apostolus cum hoc intenderet, ac diceret : « Non est enim distinctio Judæi et Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocaverint illum (*Rom.* X), » testimonio præsenti usus est, « omnis » enim, inquiens, « quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit. » Eamdem distinctionem Judæi et Græci iste quoque aufert pariterque confirmat, quod recte universaliter dixerit « omnis » uno eodemque versiculo, quem protinus subjungit : « Quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis, quos Dominus vocaverit. » Nam in monte Sion et in Jerusalem, id est in Judæis, et residuis, id est in Græcis, salvatio erit, quoscunque invenerit Dominus, id est vocante gratia prævenerit, ut invocent nomen Domini. Interea sciendum est certum esse ordinem sive tenorem invocationis nomini Domini, ut scilicet ad hoc invocetur primum, ut largiatur spiritum cogitandi et agendi quæ recta sunt, deinde, ut in illo die suo magno et horribili non intret Deus cum homine in judicium, sed superexaltet misericordia judicium. Subtiliter atque fideliter adhuc intuendum est, quomodo cum dixisset : « Et erit, omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit, quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus : et in residuis, » ita clausit ut diceret : Quos Dominus vocaverit. Nempe hoc ipsum, quod invocatur nomen Domini, non invocantibus, sed gratiæ vocantis, ut dignum est, attribuit. Quod Apostolus confirmans, cum hoc exemplo usus fuisset : « Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit, » pulchram nimis gradationem continuo fecit : « Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt ? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur ? » (*Rom.* X.) Sic nimirum ascendendo, usque ad Deum recurrit, comprobans totum esse adscribendum gratiæ vocantis, quod invocatur nomen Domini, quia videlicet nisi ille misisset, non venissent, neque prædicassent, si non prædicaretur, non audiretur ; si non audirent, non crederent ; si

A non crederent, non invocarent. Ubi porro dixit hoc Dominus : Quod in monte Sion sive in Jerusalem, et in residuis, id est in Judæis et in Græcis a Domino vocandis deberet esse salvatio ? Nimirum in præscientia sua, in prædestinatione sua, ante tempora sæcularia. Etenim quos in tempore vocavit, eos ante omnia tempora præscivit et prædestinavit, ut idem Apostolus ait, « conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII). » Nunc superest causam reddere, unde vel in quo ille dies Domini magnus sit et horribilis. Sequitur ergo :

CAP. III.—« Quia ecce in diebus illis et in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et educam illas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo B meo, et hæreditate mea Israel, quas disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt, et super populum meum miserunt sortem, et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino, ut biberent. » Magna vero et horribilia sunt hæc, ut merito pro ipsis dicatur ille dies Domini magnus et horribilis. Dies ille pro sui magnitudine, et dies multi multorum dierum sive annorum dicitur tempus, utpote cui nulla lucis et tenebrarum vicissitudo sive alternatio successura est. Dicitque quia ecce contestans in proximo adesse, quamvis cuilibet stulto longe esse videatur, qui dicit in tempora longa fiet istud. Mentitur, sibi, quia nimirum, sicut et alius propheta dicit, « juxta dies Domini magnus, juxta est et velox nimis (*Sophon.* I, 14). » Et revera C juxta esse et velociter venire diem illum sentit, qui æternitatem attendit, cujus comparatione velut momentum et inane reputatur omne tempus prætereuntis sæculi, cujus finis ille dies erit. « Cum convertero, inquit, captivitatem Juda et Jerusalem. » Hoc loco Juda et Jerusalem una est, sola est generatio electorum sive confessorum Dei, unica est civitas Jerusalem cœlestis, cujus captivitas tunc cœpit, quando invidia diaboli decepti primi homines expulsi sunt a paradisi deliciis (*Gen.* III), in anima mortui, corpore morituri. Eorum captivitas conversa tunc erit, quia resurgent incorrupti, liberati tam a jugo peccati quam a debito mortis, anima et corpore vivi, et in neutro jam morituri. Tunc « congregabo, ait, omnes gentes. » Hoc ipsum est quod in Evangelio Dominus idem dicit : « Cum autem veD nerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* XV). » Sed quid sibi vult quod ait, « et educam eas in vallem Josaphat ? » Nimirum tam propter nominis interpretationem loci hujus nunc meminit, quam propter rem quæ recenti memoria fuerat gesta, quando iste prophetavit. Tempora namque quibus prophetavit hic, eadem debemus accipere quæ in Osee legimus, ipso dicente : « In diebus Oziæ, Joathan, et Achaz, et Ezechiæ regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas, regis Israel (*Osee.* I). » Porro ante annos plus minus octoginta, regnante

Josaphat, congregati sunt filii Moab, et filii Ammon et cum eis de Moabitis ad Josaphat, ut pugnarent contra eum, et de his locis quæ trans mare sunt, et mons Seir, sicut ipse Josaphat in oratione sua dicit: « Nunc igitur ecce filii Ammon et Moab, et mons Seir, per quos non concessisti filiis Israel, ut transirent, quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, et non interfecerunt illos, econtrario agunt, et nituntur ejicere nos de possessione quam tradidisti nobis, Domine Deus noster. Ergo non judicabis eos ? (*II Par.* xx). » Cum hæc et cætera peroraret, omnisque Juda staret coram Domino cum parvulis et uxoribus et liberis suis, factus est sermo Domini super Ihazihel filium Zachariæ « in medio turbæ, et ait : Attendite, omnis Juda, et qui habitatis in Jerusalem, et tu, rex Josaphat. Hæc dicit Dominus vobis : Nolite timere, non est enim vestra pugna, sed Dei. Cras ascendentis contra eos, tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos. O Juda et Jerusalem, nolite timere, ne paveatis, cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum (*ibid.*). » Factumque est ut Dominus locutus est. « Nam filii Ammon et Moab consurrexerunt adversus habitores montis Seir, ut interficerent et delerent eos. Cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus, nec superfuit quisquam qui necem posset evadere (*ibid.*). » Idcirco vallis illa dicitur Vallis Josaphat, sive, secundum interpretationem nominis Josaphat, Vallis judicii Domini, quia videlicet miro modo secundum nomen suum quod interpretatur Domini Judicium, dixerat idem Josaphat: « Ergo, Domine Deus, non judicabis eos? » Et ita judicavit eos Dominus, ut versi in semetipsos mutuis conciderent vulneribus, nec superesset quisquam sicut jam dictum est, qui necem potuisset evadere. Dicitur etiam vallis benedictionis pro eo quod liberati filii Juda ibi benedixerunt Dominum, sicut ibidem scriptum est: « Per tres, inquit, dies spolia non potuerunt auferre pro prædæ magnitudine. Die autem **105** quarta congregati sunt in valle benedictionis (*II Paral.* xx). » Etenim quoniam ibi benedixerunt Dominum, vocaverunt locum illum vallis benedictionis usque in præsentem diem. Igitur cum dicit : « Congregabo omnes gentes, et educam illas in vallem Josaphat, » rem gestam magni miraculi nobis ad memoriam reducit, pulchreque innuit, quod secundum similitudinem futurum sit in die judicii, ut nullus eorum sententiam damnationis evadere possit, qui mala inferunt servis Dei propter hoc ipsum quod sunt servi Dei, sicut nullus eorum necem evadere potuit, qui contra Judam et Hierusalem illic fuerant congregati, propriisque fiunt ex conscientiis judicandi, sicut illi armis suis et mutuis vulneribus conciderunt. Illud quoque non prætereundum, quia sicut unus idemque locus propter causas memoratas, et vallis Josaphat, id est judicii Domini, et vallis dicitur benedictionis, ita et illa sessio majestatis Domini ad judicandum congregatis gentibus, erit sinistris quidem ad damnationem, dicendo: « Ite, maledicti (*Matth.* xxv); » dextris autem ad benedictionem, dicendo: « Venite, benedicti Patris mei (*ibid*). » Cætera prosequamur. « Et disceptabo, inquit, cum eis super populo meo et hæreditate mea Israel. » Mira et gravissimi sensus plena dictio, cum dicit fortissimus Deus, « disceptabo. » Qui habet aures audiendi ipse audit et intelligit quia horribile est hoc, propter quod et ille dies Domini magnus dicitur et horribilis. Quid enim horribilius quam tali in tempore disceptatio Dei cum hominibus ? Signanter namque dicit ibi, acsi nunquam alias cum hominibus disceptaverit, licet multa terribilia post illud aquæ judicium, id est diluvium, cum hominibus vel contra homines fecerit. Post illud namque et « super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphurem pluit (*Gen.* xix), » et Pharaonem cum curribus et equitibus suis in mari Rubro demersit (*Exod.* xiv), et filios Israel omnes a viginti annis et supra, qui egressi fuerant ex Ægypto, præter paucissimos, in deserto prostravit, tam terribiliter, ut quosdam ex illis viventes terra deglutiret, et ipsos, quos introduxerat in terram repromissionis, filios Israel quinquies in servitutem propter transgressiones tradidit, primo videlicet in manus Cusanrasathaim regis Mesopotamiæ, deinde in manus Eglon regis Moab, tertio in manus Jabin, regis Chanaan, quarto in manus Madian, quinto in manus Philistiim, et post hæc tradidit eos in manus regnorum quatuor, scilicet Babylonii, Persici sive Medici, Macedonici, atque Romani (*Num.* xiv, 16 ; *Jud.* xiii, 4). Futurum autem est, ut Antichristum quoque in suo tempore permittat prosperari, tantamque fieri tribulationem, « qualis non fuit ab initio sæculi (*Matth.* xxiv). » Nimirum universa hæc parva sunt, comparatione illius diei magni et terribilis, idcirco signanter nunc dicit de illo die : « Disceptabo ibi, » ac si illa priora facere, nondum fuerit disceptare. Super qua re tandem erit illa disceptatio? « Super populo meo, inquit, et hæreditate mea Israel. » Verus profecto Israel est, de quo tantam curam habet Deus, ut super illo disceptet, et propterea non contentus est dixisse: « Super populo meo, » sed addidit, « et hæreditate mea Israel. » Et quidem omnis electorum multitudo, quotquot ad vitam æternam præordinati sunt, populus Dei et hæreditas ejus, et unus ac verus Israel, sed nunc interim peculiarem illum populum attendamus, ex quo Christus secundum carnem, ut ea quæ hic commemorantur mala intulisse gentes, certis ex Scripturarum locis ostendamus. Primum quod cum dixisset : « Et disceptabo cum eis super populo meo et hæreditate mea Israel, » subjunxit atque ait : « Quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. » Assyrii et Chaldæi fecisse leguntur, quia « translatis filiis Israel et filiis Juda, gentes alienigenas in civitatibus eorum pro illis collocaverunt. Etenim de populo ipso vix ullas reliquias dimiserunt, excepto quod de plebe pauperum, qui penitus nihil habebant, dimisit Nabuzardan magister militum

regis Babylonis in terra Juda, et dedit eis vineas et cisternas (*Jerem.* XXXIX). » Quod deinde sequitur, « et super populum meum miserunt sortem, » scilicet Persarum et Medorum regnum fecisse legitur. Sic enim scriptum est : « Mense primo, cujus vocabulum est Nisan, anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur Phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici, et exivit mensis duodecimus qui vocatur Adar (*Esther.* III). » Quod deinde subjungitur, « et posuerunt puerum in prostibulum, » tertium respicit regnum, scilicet Græcorum, sub quo ita corrupti sunt Judæi quoque ex imitatione illorum, ut puerum ponerent in prostibulum. Sic enim in libro Machabæorum legimus : « Super hæc promittebat Jason frater Oniæ, et alia talenta centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur, gymnasium et ephebiam ibi constituere (*II Mach.* IV). » Et subinde : « Etenim ausus et sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere (*ibid.*). » Hoc, ut manifestius dicamus, illud est quod Apostolus horribiliter detestans in gentibus : « Masculi, inquit, eorum relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpidinem operantes et mercedem, quam oportuit, erroris sui, in semetipsis recipientes (*Rom.* I). » Quod adhuc sequitur, dicens : « Et puellam vendiderunt pro vino ut biberent, » hoc lenonum est facere, qui puellas meretricari cogentes, luxuriam de luxuria mereantur, dum de corporum illarum turpi et infami mercimonio, fœda et, ut ita dicam, canina sibi convivia faciunt, et exinde bibentes vinum, alienæ luxuriæ pretium propriæ faciunt libidinis incendium. Hoc ibidem sub eodem Græcorum regno non omnino tacetur factum. Sic enim scriptum est illic : « Nam templum luxuria et commessationibus erat plenum, et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, introferentes ea quæ non licebant (*II Mach.* VI). » Quartum regnum Romanorum gravius quidem Judaicum populum attrivit, magisque in nationibus dispersit, sed merito in deceptatione sua de pressura illa, quam tunc popopulus ille pertulit, nullam Deus mentionem facit, quia videlicet nullum electorum Dei, quia ad gratiam ejus pertineret, vel ad vitam ejus prædestinatus esset, illa calamitas involvit. Prius enim quam Romanus veniret exercitus, præmoniti sunt ab angelo fideles, ut hoc loco cederent, sicut Hegesippus refert. His dictis contra gentes omnes universaliter, ejusdem judicii comminationem specialiter intorquet, et dicit : « Quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum ? Nunquid ultionem vos reddetis mihi ? Et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum et aurum tulistis, et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra, et filios Juda, et filios Hierusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis. Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum, et vendam filios vestros, et filias vestras in manibus filiorum Juda, et venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est. » Nisi post Tyrum et Sidonem sermo divinus omnem quoque terminum Palæstinorum nominasset, non inveniremus ubi vel quando factum sit secundum litteram id **106** quod nunc ait, « argentum enim meum et aurum tulistis, et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra. » Nusquam enim Tyrus et Sidon, sed tantum Palæstini, id est, Philisthiim hoc fecisse leguntur in primo libro Regum. « Pugnaverunt, inquit, Philisthiim et cæsus est Israel, et arca Dei capta est (*I Reg.* IV). » Et subinde : « Philisthiim autem tulerunt arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon (*I Reg.* V). Arca ipsa et tabulæ testamenti in ea simulque urna aurea habens manna et virga Aaron, quæ frondueral, et propitiatorium, duo quoque Cherubin obumbrantia propitiatiorium, argentum et aurum erant (*Hebr.* IX), quæ quodammodo « et desiderabilia » ejus dici poterant. Hæc Palæstini tunc « in delubra » sua intulerunt, quando, et jam dictum est, inferentes « arcam in templum Dagon, statuerunt eam juxta Dagon (*ibid.*). » Porro hic jam non prætereundum, quia Judæi de hoc sermone, quo his dicitur : « Ecce ego suscitabo eos, » videlicet filios Juda et Hierusalem, quos vendidistis filiis Græcorum, « de loco in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum, et vendam filios vestros in manibus filiorum Juda, et venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est. » Ex hoc, inquam, sermone vanam sibi, imo miserabilem consolationem assumunt. Illa namque de Romanis sub nominibus Tyri et Sidonis atque Palæstinorum hæc intelligi volunt, eo quod Vespasianus et Titus Romæ templo pacis ædificato vasa templi et universa donaria in delubro illius consecravit. Promittunt ergo sibi, imo somniant, quod in ultimo tempore congregarentur a Domino ut reducantur in Hierusalem, neque hac felicitate contenti, ipsum Deum manibus suis Romanorum filios et filias asserunt traditurum, ut vendant eos Judæi non Persis et Æthiopibus et cæteris nationibus, quæ vicinæ sunt, sed Sabæis genti longinquissimæ, quia Dominus locutus est, ut populi sui ulciscatur injuriam. Nos econtra non Romanos, sed ipsos qui se dicunt esse Judæos et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ, dicimus designari ac percuti sub nominibus Tyri et Sidonis, et intra omnem terminum Palæstinorum concludi eamdem ob causam, quam et in alio propheta Deus considerans, cum eumdem populum redargueret : « Pater tuus, inquit, Amorrhæus, et mater tua Cæthea (*Ezech.* XVI). » Etenim sicut Amorrhæi et Cæthei, ita Tyri quoque et Sidonii atque Palæstini, non de Sem aut de Japhet, sed de Cham, qui reprobus exstitit, posteritate generati sunt. Et quia Deus non stirpem

carnis, sed mores attendit animi, Judæi quoque A quamvis secundum carnem de stirpe Sem per Abraham processerint, nihilominus tamen inter posteros Cham reputantur, illi duntaxat, qui veri patris Noe, quod interpretatur *requies*, scilicet Christi, qui est requies omnibus sanctis, humanam propter eos assumptam despiciunt infirmitatem, sicut ille Cham derisit, et foris nuntiavit patris nuditatem. Causam dicimus, cur præsenti loco Judæi in synagoga Satanæ remanentes, ut jam dictum est, sub nominibus Tyri et Sidonis recte intelligantur. Tyrus et Sidon, sicut et cætera regiones terræ Chanaan, populo Israel forte distributæ sive designatæ fuerunt: sed quia in corde maris sitæ non facile ab hostibus obsiderentur, minime capi vel possideri ab eis potuerunt. Sic nimirum Judæi prædicationis evangelicæ armis capi B debuerunt, imo et illis prius verbum Dei prædicari oportuit, sed quia profunditate malitiæ semetipsos circumdantes, et quasi in abysso scientiæ nequam se abscondentes, repulerunt illud, et expugnari veritatis et justitiæ armis non potuerunt, idcirco relictis illis apostoli ad gentes conversi sunt (*Act.* XIII). Item causam dicimus, cur iidem Judæi in Palæstinorum terminum concludantur. Palæstini, id est Philisthiim, ascendentibus ex Ægypto, et transeuntibus mare Rubrum filiis Israel, primi inviderunt, et deinde cæteri, sicut Moyses in cantico suo cum dixisset: « Dux fuisti in misericordia tua populo quem redimisti. Et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum. Ascenderunt populi et irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores C Philisthiim (*Deut.* XXXII). » Deinde de cæteris. « Tunc, ait, conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan (*Exod.* XV). » Ita nimirum credentibus in Christum et mare baptismi transeuntibus, primum Judæi, sicut in Actibus legimus (*Act.* XIV) inviderunt, deinde gentes cæteræ, quæ et exemplo crebisque seditionibus illorum in hoc ipsum excitatæ sunt. Et illi quidem Palæstini sive Philisthiim, quod interpretatur *potione cadentes*, argentum et aurum Domini in sua delubra, id est, in templum Dagon detulerunt, scilicet arcam undique auro circumtectam, et cætero desiderabia sive pulcherrima, ut erant propitiatorium et duo Cherubin. Isti autem auream, sive argenteam Dominicæ Incarnationis veritatem in mandacio, quantum in ipsis est, D detinent, atque hoc faciendo desiderabilia Domini reposuerunt in templo Dagon, quod interpretatur *piscis tristitiæ*, qui videlicet piscis est Leviathan serpens, victis tortuosus, et in templo suo cubat habitando in incredulis illorum cordibus. Igitur quod hic dicit Tyro et Sidoni atque Palæstinis, et filios Juda, et filios Hierusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis. Istud quoque contra se Judæi dictum sciant. Filii namque Juda, et filii Hierusalem apostoli, cæterique discipuli exstiterunt, quos illi vendiderunt filiis Græcorum, id est repellendo verbum Dei, seque indignos vitæ æternæ judicantes ad gentes expulerunt, quæ omnes sub uno intelligendæ sunt nomine Græcorum testante Apostolo, cum dicit: « Non est enim distinctio Judæi et Græci (*Rom.* X). » Item: « Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco (*Rom.* II). » Per Græcum utique omnem gentilem vult intelligi. Illa vero expulsio apostolorum ad gentes, recte venditio dicitur, quia videlicet pro eadem spe temporalis commodi illos expulerunt, pro qua etiam occiderant Dominum ipsorum. Quænam erat illa spes? Nimirum ipsa quam innuit evangelica parabola, dicentibus colonis vineæ ad invicem, cum vidissent filium patrisfamilias « Hic est hæres: Venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas (*Matth.* XXI). » Hæc fuit spes illorum, quod si Christum Dei Filium occidissent, et discipulos ejus expulissent, terræ et templi illius commoda liberius obtinerent. Itaque « vendidistis, ait, illos filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis, » id est, terrena tantum sperantes et amantes, cœlestium prædicatores longe in nationes expulistis, ne prædicarent suæ genti, id est vobis, quibus primum oportebat prædicari verbum Dei. Hoc autem facientes, dicebant, et dicere non cessant. Deum ad se pertinere, suumque Deum esse, seque persecutionem cunctam pro ejus obsequio facere. Idcirco sic exorsus est: Quid mihi et vobis? Nunquid ultionem vos redditis mihi? Ac si dicat: Quid me Deum vestrum esse dicitis, cum constet quia me non cognovistis? « Quid me labiis honoratis, cum cor vestrum longe a me sit (*Matth.* XV)? » Dicitis, « unum Patrem habemus Deum, sed quid mihi et vobis (*Joan.* VIII.) » Arbitramini vos obsequium præstare, « et ultionem reddere (*Joan.* XVI), » quando veritatis evangelicæ prædicatores **107** persequimini? Faciebat hoc unus ex vobis quondam Saulus, simpliciter errans, et abundantius æmulator existebat paternarum suarum traditionum, sed ideo misericordiam consecutus est, quia ignorans fecit in incredulitate. Vos autem per malitiam hoc facitis, excusationem non habentes de peccato vestro, quia vidistis et odistis filium, et me patrem ejus. « Nunquid » ergo « ultionem vos reddetis mihi, » sicut vultis arbitrari? Non utique, sed crudele odium exercetis, et vosipsos contra me ulciscimini. Dico ergo: « Et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis supra caput vestrum, » ulciscendo me contra vos, quoniam ulciscimini vos contra me. Non enim per ignorantiam delinquitis, sed « argentum meum et aurum, » de qualibus scriptum est: « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI). » Itemque alibi: « Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum (*Psal.* XVIII), » sive « super aurum et topazion. » (*Psal.* CXVIII). Hæc, inquam, « desiderabilia mea et pulcherrima » tulistis cum violentia, et « intulistis in delubra vestra, » id est, depravastis doctrina per-

versa in cordibus vestris, quæ jam non sunt Dei A templa, sed dæmonum delubra, et eos qui non aliter docebant quam sicut ex me docti sunt, quia ratione superare non potuistis, furore persecuti estis, et longe fecistis eos de finibus suis. Sed quid ? Sicut jam dixi, « vicissitudinem ego reddam vobis. » Nam « ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos. » Quomodo vel quando suscitabo eos ? In novissimo die, de quo ante jam dictum est, suscitabo illos, ut resurgant mortui, et venient singuli apostolorum sive prædicatorum de locis ad quæ illos ejecistis, et jam dicta venditione vendidistis. Venient, inquam, non soli vel pauci, sed adducentes gentium multitudinem, copiosos exercitus tenentes arma salutis (*Ephes.* VI), quos acquisierunt per « verbum Dei, quod repulistis vos, B et indignos æternæ vitæ vosipsos judicastis (*Act.* XIII). » Tunc « convertam retributionem vestram in caput vestrum, et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda. » Digna et justa retributionis conversio in caput vestrum. Vos enim sicut pro Barabba Christum commutastis, et sanguinem ejus vendidistis, atque pro pseudoapostolis veros apostolos tradidistis, et ad gentes ejecistis, ita fiet vobis in illa die resuscitationis. Vos namque juxta illud quod scriptum est, « Justus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo (*Prov.* XI), » trademini in sententia damnationis, et, illis in sinum Abrahæ, Isaac et Jacob receptis, vos foras expellemini. Talis venditio, talis commutatio fiet de vobis in manibus filiorum Juda, C id est, in manibus apostolorum, quia ipsi judices vestri erunt, « sedentes super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XII, 16). » Nec vero vendemini genti propinquæ, sed ab eis genti longinquissimæ, id est malignis spiritibus, quæ gens longinquissima est communione naturæ vestræ, ab omni fœdere conditionis humanæ. Per Sabæos namque, quod interpretatur *captivantes*, malignos spiritus intelligi licet, sicut illic, juxta sensum mysticum accipiendum est in libro Job : « Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta, et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio (*Job.* I). » Moraliter namque per Sabæos maligni spiritus intelliguntur, qui ubi illis potestas divinitus data est, labores animæ cunctosque sensus utiles auferunt, et percutiunt gladiis invisibilibus. Itaque vendent eos, ait, Sabæis, id est, cruciandos sociabunt eos spiritibus malignis, quia Dominus locutus est, cujus locutio vera, cujus sermo veritas est. « Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat, quia fortis ego sum. Erumpite et venite, omnes gentes, de circuitu, et congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. » Grandis et fortis hic rhetoricæ, imo plus quam rhetoricæ, declamationis impetus, quia videlicet grandis est res, et dicenda nequaquam exiliter. Hoc, inquit, quod prædixi, congregaturum me esse omnes gentes, et deducturum eas in valle Josaphat, et cætera quæ sequuntur usque ad illud : « Venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, » quia Dominus locutus est, « clamate, » id est, prædicate in gentibus, juxta illud : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc. ult.*). » Item. « Euntes docete omnes gentes (*Matth. ult.*). » Et « sanctificate, inquit, bellum, » videlicet baptizando eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quatenus ad illud bellum, universalis judicii, sanctitatis et justitiæ sint armis induti et præparati. Et quia ad concursum illius belli sola baptismatis sanctificatio non sufficit, « suscitate robustos, ascendant omnes viri bellatores, » id est, « docete eos servare omnia quæ mandavi vobis (*ibid.*), » ut tunc demum fiduciam habeant in die judicii, tanquam robusti, et ascendant tanquam viri bellatores, tanquam judices terribiles « gladios ancipites in manibus suis habentes ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum (*Psal.* CXLIX). » Et quia rex belli hujus nimium grandis est, eumque negligi nimis damnosum est : « Concidite, inquit, aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas, » id est, labores sæculi, et usum hujus mundi, « cujus figura præteriit (*I Cor.* VII), » postponite Evangelio Christi et verbo Dei, ut in illo studentes arma vobis optima circumponatis, quibus in illo bello opus erit. « Infirmus dicat, quia fortis ego sum, » id est, quisquis ad illud bellum sese præparatum esse cupit, tunc demum fortem sese speret in Domino inveniri, cum humiliter cognoverit quam in semetipso infirmus sit. Nam virtus in infirmitate, hoc est, infirmitatis propriæ cognitione perficitur. Taliter « erumpite, inquit, et venite omnes gentes in circuitu, » id est, ab oriente et ab occidente, et a septentrione et meridie, omnes, inquam, gentes, quia videlicet apud Deum nulla personarum aeceptio, vel distinctio est, sed omnes pro meritis discernens, probos remunerabit, improbos puniet. Itaque « venite et congregamini, » alii ad dextram, alii ad sinistram separandi.

Hæc proloquens spiritus propheticus, cum hactenus de multis vel ad multos pluraliter locutus fuerit, miro modo ad quemdam singulariter, repente apostropham facit, dicendo. « Ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. » Quia est iste robustorum possessor, quos ibi Dominus faciet occumbere, nisi is qui apud beatum Job dictus est esse rex super omnes filios superbiæ ? (*Job.* XLI). Nempe ibi robustos ejus omnes, id est superbos, cum eodem rege ipsorum vel principe faciet Dominus occumbere, dicendo sicut in Evangelio legimus : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et

angelis ejus (*Matth.* xxv). » Nec plura cum illo robusto robustorum loqui dignatus, priorem repetit sermonem, et dicit idem Dominus: « Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. » De valle Josaphat jam superius dictum est. Notandum vero, quod cum ille dixerit: « Congregabo omnes gentes, et educam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi, **108** nunc aliter hic pronuntiat: Consurgant et ascendant » omnes « in vallem Josaphat, » quando incredulos quosque, vel adversarias potestates Dominus ad judicium provocat, et disceptat cum eis pro populo suo: « Deducam eos, inquit, in vallem Josaphat. » Quando autem credentes ad prælium cohortatur: « Ascendent, ait, omnes viri bellatores: Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat. » Qui enim judicatur, in valle positus est, qui autem viri bellatoris nomen obtinebit illic stando a dextris, amplius autem quicunque sedebit in ordine sedium duodecim, nimirum in alto erit. Quod tandem ita subinfert: « Quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu, » verbis evangelicis satis aperitur: « Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* xxv, 31), » et cætera. Sequitur: « Mittite falces, quoniam maturuit messis. Venite et ascendite, quia plenum est torcular, et exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. » Quis dicat, quibus dicat, et quid significet quod dicit: « Mittite falces, » et quoniam « maturuit messis, » illa satis indicat evangelica parabola seminantis, vel boni seminis et zizaniorum agri. De quibus cum dixissent servi patrisfamilias: « Vis, imus et colligamus ea? Sinite, inquit ille, utraque crescere ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Messis, inquit Dominus, consummatio sæculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala (*Matth.* xiii). » Igitur qui hæc dicit: « Mittite falces quoniam maturuit messis, » Filius hominis est, qui et antequam fieret Filius hominis, erat ut nunc est Filius Dei, et hæc et cætera loquebatur in prophetis. Et quibus hæc dicit, messores ejus angeli sunt, et ipsa maturitas messis finis est sæculi, quando secundum præscriptam disceptationem judicii facienda est separatio tritici et zizaniorum agri. Quod autem sequitur et dicit: « Venite et descendite, quia plenum est torcular, et exuberant torcularia, » rem eamdem per aliam similitudinem nihilominus congrue significat, quia videlicet tunc universaliter fiet quod nunc interdum particulariter fit, ut a reprobis omnino separentur electi, sicut in torcularibus vinum in apothecis reponendum, separatur ab acinis foras projiciendis. Unde quod ait, « quia multiplicata est malitia eorum, » sic intelligendum est, ac si diceret: Quia,

A sic abundante malitia, multorum charitas refriguit (*Matth.* xxiv), ut amplius differri non debeat expressio judicii, quia electi a reprobis, simplices sequestrentur a maliliosis. His dictis terribiliter inclamat et dicit: « Populi in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. » Idcirco populi vel gentes, de quibus supra dictum est, in valle judicii sive concisionis congregantur, ut a dextris atque a sinistris dispertiti, a Domino judicentur. Cujus mœrorem diei et tormenta pereuntium ne sol quidem et luna, astraque cætera potuerunt intueri, sed retrahent fulgorem suum, et severitatem judicantis, reddentisque uniuscujusque opus in caput suum, aspicere non aude-
B bunt, non quo clementiora sint Dei judicia, sed quo omnis creatura tormentis aliorum pertimescat. Eodem sensu quo hic ait: « Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt lumen suum, » alius propheta dicit: « Dies Domini ista, tenebræ, et non lux. Nunquid non tenebræ dies Domini, et non lux? Et caligo, et non splendor in eas? (*Amos* v.) » Itemque alius: « Dies iræ dies illa, dies tribulationis, et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis (*Sophon.* i). »

Porro, quod semel et iterum dicit, « in valle concisionis, » idem intelligi volens, quod supra, ubi dixit, in valle Josaphat, meminisse nos facit historiæ supra memoratæ, quia in valle Josaphat congregati filii Ammon et Moab, et montis Seir, ut
C pugnarent contra Judam, versi contra semetipsos mutuis concidere vulneribus, unde et propter hoc ipsum, quod propriis gladiis concisi sunt, recte vallis concisionis, sicut econtra pro eo, quod illic filii Juda benedixerunt Dominum, dicta est vallis benedictionis. Sicut illi mutuis vulneribus semetipsos conciderunt, sic in illa die reprobi, omnes propriis ex conscientiis condemnandi sunt. Sequitur: « Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam. Et movebuntur cœli et terra, et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel. » Quoniam de illo die Domini magno et vox ista Domini illa intelligitur, de qua ipse in Evangelio dicit: « Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, au-
D dient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (*Joan.* v). » Nam vox illa, de qua præmiserat, dicens: « Amen, amen dico vobis, quia venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent (*ibid.*): » ille rugitus, et illa vox est qua infernum moriendo ac resurgendo terruit ac vicit, prædamque ex eo tulit, secundum prophetiam Jacob, dicentis: « Catulus leonis Juda, ad prædam fili mi, ascendisti (*Gen.* xlix), » etc. Ab illo rugitu Amos propheta incipit, dicendo: « Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam (*Amos.* i). »

Quod idem est, ac si dicat : « De Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* I.). » Nam quod illic sequitur, « et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli, » quod interpretatur *scientia circumcisionis,* intelligitur de superbia Scribarum et Pharisæorum, qui se profitebantur pastores populi, qui propter suas traditiones reliquerant traditiones Dei, videlicet quod illa quasi speciosa doctrina illorum, coruscante Christi Evangelio, lugere deberet, et exsiccari. Igitur « Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam, » videlicet quando de medio sanctorum, quorum cum millibus veniet, et de medio angelorum qui cum eo venient, quorum nimirum una societas recte Sion dicitur et Jerusalem, sedens in sede majestatis suæ, « dicet his qui a dextris erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum. His autem qui a sinistris : Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Tunc utique movebuntur cœli et terra, sicut ait ipse Dominus. Nam « virtutes cœli movebuntur (*Matth.* XXIV). » Nec vero parvus erit terræmotus in occursum ejus, sed tantus, ut mortui omnes impulsi tanquam dormientes excitentur. Et electi quidem ipsi quoque timebunt et trement, sed in ipso timore vel tremore fortem et firmam retinebunt spem. Hoc est quod protinus ait : « et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel. » Omnis namque populus electorum Dei recte dicitur et est, quos omnes tunc eadem majestate sua miro modo et terrebit et confortabit, quia videlicet nunquam in semetipsis, sed in Domino speraverunt, nunquam de sua, sed de Domini fortitudine præsumpserunt. Quo contra falsi Israelitæ in semetipsis sperant, et de semetipsis fortes videri volunt, dum « quærentes suam statuere justitiam, justitiæ Dei subjecti non sunt (*Rom.* X). » Hæc omnia gentibus prædicata sunt secundum præceptum dicentis superius : « Clamate hoc in gentibus, » et quæcunque **109** ab eo loco dicta sunt, propheta de persona Dei loquebatur. Nunc tandem ipse Deus in persona sua loquebatur et dicit : « Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion, in monte sancto meo, et erit Hierusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. Et erit in die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ. Et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis, pro eo quod inique egerunt in filios Juda, et effuderunt sanguinem innocentem in terra sua. Et Judæa in æternum habitabitur, et Hierusalem in generationem et generationem, et mundabo sanguinem eorum quem non mundaveram, et Dominus commorabitur in Sion. » Miro modo verba suæ personæ verbis prophetæ Dominus subjungit per conjunctionem, et, ac si dicat : Ista omnia, quæ jussi clamari in gentibus, fient, et tunc vos qui estis populus meus, qui dicimini et veri estis filii Israel, « quia ego Dominus Deus vester, » scietis, inquam, quia videbitis. Videbitis autem, non adhuc « per speculum in ænigmate, sed ad faciem (*I Cor.* XII). » — « Ego ille Dominus Deus vester, » tunc cognoscar a vobis « habitans in Sion, in monte sancto meo, » et quemadmodum alius propheta testatur : « Tunc loquar ad inimicos meos in terra mea, et in furore meo conturbabo eos, ego, inquiens, constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II). » Et tunc erit Hierusalem sancta, videlicet « quam, ut Apostolus ait, exhibui mihi sponsam gloriosam non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* V), » et de qua Joannes in Apocalypsi : « Vidi civitatem Hierusalem novam descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo (*Apoc.* XXI). » — « Et alieni, inquit, non transibunt per eam amplius. » — « Alieni, » inquam, scilicet timidi, et increduli, et exsecrabiles, et homicidæ, et fornicatores, et venefici, et idololatræ, et omnes mendaces, qui antehac per eam transibant eamque fatigabant, amplius per eam transire non poterunt, quia foras missi erunt, et sicut illic scriptum est, « pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda (*ibid.*). » Item : Illic scriptum est : « Foris canes et malefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium (*Apoc.* XXII). » Igitur « alieni non transibunt per eam amplius, » — « et neque mors ultra erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, quæ prima abierunt (*Apoc.* XXI). » — « Et erit in die illa, inquit, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ. »

Montes illius civitatis prophetæ et apostoli, colles autem cæteri sancti sunt, quorum qui doctrinam subjectæ plebes hic susceperunt, idcirco illic gloriæ quoque communicabunt, et insitam illis dulcedinem divinæ charitatis videndo bibent, et convivendo haurient, quia nimirum plenius in illis gloriam Dei videbunt, per quorum doctrinam gloriam Dei cognoverunt. Hoc brevi versiculo Psalmista significat dicens : « Inebriabuntur ab ubertate vultus tui, et torrente voluptatis tuæ portabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbunt lumen (*Psal.* XXXV), » et quidem de montibus dulcedo et de collibus fluet lac, et per omnes rivos Juda, id est per omnium fidelium sive confessorum corda ibunt aquæ salientes in vitam æternam, sed ejusdem dulcedinis, ejusdem lactis, earumdemque aquarum fons et in montes et in colles, et in omnes rivos illos de domo Domini, inquit, egredietur : quæ videlicet domus recte intelligitur fabrica corporis Christi, etenim ipsa est « domus quam sapientia sibi ædificavit (*Prov.* IX). » Ait ergo : « Et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum, fons vitæ, et torrens voluptatis de illa domo Domini egrediens, irrigabit torrentem spinarum, » id est universitatem electorum, ut jam non sit quod erat, decurrendo ab ortu ad occasum inter spinas tribulationum atque peccatorum, sed torrens deliciarum abundans ubertate bonorum sempiternorum. De hoc item in Apocalypsi legitur : « Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ, limpidum sic-

ut crystallum, procedens a sede Dei et agni, in media plateæ civitatis. Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum (*Apoc.* XXII). » Breviter hic dicendum. quia fons ille sive flumen Spiritus sancti est, qui et in propheta dicit : « Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium (*Isa.* LXVI). » Hoc, inquam, flumen pacis, hic torrens gloriæ, hoc flumen lætitiæ, hic torrens voluptatis, hæc ubertas domus Dei, Spiritus sanctus est. Ipse namque amor est sponsi et sponsæ, quo nimirum inundatus et sanatus, qui erat torrens spinarum, torrens erit deliciarum, id est conditio nostra, quæ mortalis erat, et misera, immortalis erit et beata. Civitati huic Ægyptus et Idumæa spiritualiter secundum novam interpretationem, et secundum rem contrariæ sunt, et idcirco contraria recipient. Ægyptus namque *tenebræ*, Idumæa *terrenitas* interpretatur, omnesque illos significant, « quos excæcavit malitia ipsorum (*Sap.* II), » et qui propter cupiditatem corda terrena gerunt. Ait ergo : « Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis. » Quare? « Pro eo, inquit, quod inique egerunt in filios Juda, et effuderunt sanguinem innocentem in terra sua, filios Juda. » Sicut Hierusalem et Sion, non carnaliter sed spiritualiter intelligimus, scilicet omnes qui unum et verum Deum confitentur, secundum nomen Juda, quod interpretatur *confessio*, et propter eamdem confessionem iniqua patiuntur ab Ægypto et a filiis Edom : « Qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (*Psal.* CXXXVI), » subauditur Hierusalem. Nellent namque exinanire civitatem, id est Ecclesiam Dei, nullamque ex ea penitus audiri vocem Juda, id est confessionis, ac proinde Domino habitante in illa cum abundantia dulcedinis, fluvioque lactis, ac per omnes rivos Juda euntibus aquis, ipsi econtra erunt in desolationem, et in desertum perditionis. Unde adhuc sequitur : « Et Judæa in æternum habitabitur, et Hierusalem, in generationem et generationem, et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram, et Dominus commorabitur in Sion. » Cuncta hæc spiritualiter dicta miro modo carnali Judææ, sive Israeli in carne glorianti blandiuntur. Cum enim contra ipsos maxime hæc dicantur, utpote qui terreni sunt et terrena diligunt, et sanguinem sanctorum prophetarum in terra sua effuderunt, et proinde excæcati merito redacti sunt in

A Ægyptum, ipsi pro semetipsis dicta esse gloriantur. Hæc enim ad opinionem illorum multum accedere videntur, qua mille annorum regnum in Judææ sibi finibus pollicentur, et auream Hierusalem, et victimarum sanguinem, et filios ac nepotes, et delicias incredibiles, et portas gemmarum varietate distinctas. In illa pulchra annorum longitudine habitaturos se putant secundum hanc prophetiam, de montibus stillas carneæ dulcedinis, et de collibus candidi fluvios lactis, et per omnes rivos Juda salientes aquas purissimas, tanta ubertate ut torrentes quoque spinarum ita commutentur, quatenus circum circa non spinæ, sed ligna pulcherrima atque fructifera nascantur, velut in paradiso deliciarum. Juxta litteram hæc omnia somniant et errant ; sed hic error pro-

B pheticis **110** profuit semper et prodest litteris, ut a suis conserventur inimicis. Denique tanta sunt, quæ contra illos dicuntur, ut odio nimis impatienti illos sine dubio concitarent, si manifestis expressa fuissent vocibus. Itaque sicut in Isaia loquitur Dominus : « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis (*Isa.* VIII), » ita et hic necessario factum credamur, ut ligaretur testimonium hoc mysticum, discipulis Christi repositum, ab inimicis Christi conservandum, propter ligaturæ pulchritudinem, propter blandientem illis litteræ superficiem. Ligaturæ ejusdem summa clausura hæc est : « Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaverunt. » « Et Dominus commorabitur in Sion. » Quorum eorum mundabo sanguinem ? Ægyptiorum videlicet et Idumæorum, quos semetipsos esse Judæi non sen-

C tiunt, cum sint maximi homicidarum, qui » sanguinem innocentem effuderunt. » — « Eorum, inquit, sanguinem mundabo, quem non mundaverunt, » id est homicidia cæteraque peccata illorum vindicabo, de quibus pœnitentiam non egerunt. Nam, si mundavissent ipsi per temporalem pœnitentiam, ego non mundarem aut punirem per æterni judicii sententiam. Succinit propheta persona loquentis Domini, conversus ad nos, ac dicens : « Et Dominus commorabitur in Sion, » in illa videlicet, « cujus fundamenta sunt in montibus sanctis, cujus portas diligit Dominus super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI), » de qua tam mirabiliter quam veraciter loquitur Spiritus sanctus, » et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*ibid.*). » Ibi commorabitur, ibi mo-

D ram faciat æternam, ibi semper videbitur Deus deorum, semperque desiderabilis erit ad videndum.

PROLOGUS RUPERTI IN AMOS PROPHETAM.

111 Tertius in ordine duodecim prophetarum, sanctus Amos, magnam doctoris et eruditoris sui Spiritus sancti gratiam commendat ad gloriam ipsius referendo, quis et unde in prophetam fuerit assumptus. Ait enim ipse in titulo prophetiæ suæ : « Verba Amos, qui fuit in pastoralibus de Thecue (Amos I). » Et alibi : « Non eram propheta, nec filius prophetæ, sed armentarius vellicans sycomoros, et tulit me Dominus cum sequerer gregem, et dixit ad me : Vade, propheta, populo meo Israel (Amos VII). » Magnum quippe est præconium gratiæ et gloriæ Domini, in eo quod pastorem implendo, prophetam facere et dignanter voluit, et efficaciter potuit. Porro nos temeritatis argui veremur, qui verba non hominis, sed Dei verba, non ab humo prolata, sed cœlesti magisterio deprompta tractare nitimur, quorum sub majestate magni et antiqui, multo-

que majores quam nos, intellectus proprii vires succumbere fatentur. Quis enim, inquiunt, digne exprimat tria et quatuor scelera Damasci, Gazæ, Tyri, Edom, filiorum Ammon et Moab, in septimo octavoque gradu Judæ et Israel? Quid igitur? Remittemus laxas manus, et verborum dignitatem atque difficultatem, dormitionis ac somnii nobis ut pigri occasionem faciemus? Si hoc agimus, contra nos est illud dictum Sapientis, ut excusari non possimus: « Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam; quæ cum non habeat ducem vel præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. Usquequo piger dormis? Quando consurges ex somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet tibi ut messis tua, et egestas longe fugiet a te (Prov. VI). » Quonam hæc dicta tendunt, nisi ut spem suggerant inopi animæ, quatenus de adjutorio Dei confidens properet, exemplo formicæ, majora humeris suis onera subire, cibumque sibi parare? Ventura namque est fames pigris et somnolentis, in hoc tempore dormitantibus, et occurret illis quasi vir armatus, quam et Psalmista prospiciens, cum dixisset: « Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit (Psal. XXXVI), » subjunxit atque ait: « Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur (ibid.). » Tempus malum et dies famis nimirum appellat diem judicii, quando mali et pigri, qui hic neglexerunt omnem sermonem procedentem ex ore Dei, in quo vivit, et sine quo non vivit homo (Deut. VIII), esurient et sitient in æternum. Exsurgamus igitur etiam ad hanc partem sermonis Dei, et quisquis hæc opuscula nostra legerit, exoratum se noverit, ut cum benevolis arridens oculis dicat de nobis illud ejusdem Sapientis: « Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi (Prov. XXX). »

IN AMOS PROPHETAM
COMMENTARIUM LIBER PRIMUS.

112 CAP. I. — « Verba Amos qui fuit in pastoralibus de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Hieroboam filii Joas regis Israel, ante duos annos terræmotus. » Amos, quod interpretatur *populus avulsus*, ex ipsa sui nominis interpretatione durum præfert præsagium Israeli ad quem mittitur, quod videlicet proxima captivitate de terra sua foret avellendus, quin aureos colendo vitulos, a domo et stirpe David quem elegerat Dominus fuerat avulsus. Hujus verba sunt hæc de vivo nimirum fonte, quod est unicum Verbum Dei, prolata et idcirco omni veritate rerum sequentium necessario adimplenda; quia videlicet « Amos fuit in pastoralibus Thecue. » Est autem Thecue vocabulum oppidi distantis a Bethlehem sex millibus ad meridianam plagam, et ultra nullus est viculus, ne agrestres quidem casæ, B quales Afri appellant Mapalia furnis potius quam domibus similes. Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare Rubrum Persarumque et Æthiopum atque Medorum terminos dilatatur. Et quia humo arida atque arenosa nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoralibus, ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum et Amos propheta fuit, imperitus sermone, sed non scientia. Idem enim qui per omnes prophetas Spiritus sanctus per istum quoque locutus est. Porro Thecue *tuba* interpretatur. Unde et hoc ipsum nomen viculi multum congruit rei, scilicet huic prophetiæ, quæ nimirum si bene auditur, si aures audiendi habemus, tanta et tam fortis est ut merito vocetur tuba Dei. Hæc verba « vidit super Israel, » C subauditur venientia velut grande pondus. Cæterum nisi Israel prævaricatus fuisset, et idcirco non adversa, sed prospera nuntiaret, rectius diceretur ad Israel sive pro Israel. Vidit autem visione illa qua possunt verba videri, scilicet visione mentis, quæ vera visio est, ob cujus excellentiam et prophetæ

A dicuntur *Videntes*. Ozias cujus in diebus hæc vidit cognomento Azarias dictus est, rex Juda, qui indebitum sibi sacerdotium vindicare conatus lepra in fronte percussus est (*II Par.* XXVI), quando iram Domini non solum pœna ejus, sed et terræmotus ostendit, quem Hebræi tunc accidisse commemorant. « Ante duos annos illius terræmotus » hæc verba se vidisse testatur. Cur autem terræmotus ejusdem nunc fecerit mentionem, si ratio quæritur opportunius in proximo dicetur, quando pro necessitate mystici sensus inveniendi, scrutabimur verticem Carmeli, cur præmisso « Dominus de Sion rugiet et de Hierusalem dabit vocem suam, et luxerunt speciosa pastorum, » subjunxit atque ait, « et exsiccatus est vertex Carmeli. » Porro Hieroboam iste non est filius Naboth, qui peccare fecit Israel, sed filius Joas, filii Joathan, filii Jehu, pronepos ejusdem Jehu, sub quo prophetaverunt, Osee, et Johel, et Amos. Verba ipsa jam nunc aggrediamur. « Dominus de Sion rugiet, et de Hierusalem dabit vocem suam, et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli. » Ab eo quo summa sanctorum prophetarum intentio tendit, verborum suorum initium facit, scilicet ab adventu qui tunc exspectabatur, et Evangelio Christi Filii Dei, et quid propter ejus rejectionem sive repulsionem infelicibus eventurum foret Judæis, mirabiliter atque terribiliter propheta de pastore assumptus edicit. Nam « Dominus de Sion rugiet, » hoc est, Christus Dei Filius, Deus et Dominus, homo factus et mortem passus, infernum confringet, et mortem evincet, tanquam leo fortissimus, tanquam catulus leonis, id est fortissimus, Filius fortissimi Dei, secundum prophetiam Jacob dicentis: « Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti, ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum? » (*Gen.* XLIX.) Tanto rugitu emisso de Sion

deinde de Hierusalem, quæ una eademque civitas est, « dabit vocem suam, » id est emittet prædicationem evangelicam, quod et fieri oportere secundum Scripturas ipse testatus est ? « Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicare in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem (*Luc.* XXIV). » Quid deinde miseris eventurum erat Judæis?Nimirum geminum malum, duplex contritio : alia temporalis, alia æterna, sive alia corporalis, alia spiritualis. De temporali sive corporali, « et luxerunt speciosa **113** pastorum, » inquit. De æterna sive spirituali, « et exsiccatus est, inquit, vertex Carmeli. » Quæ enim vel quorum speciosa pastorum luxerunt, et quomodo luxerunt ? Utique speciosa civitas illa Jerusalem, quæ et prophetas et ipsum Dominum prophetarum occidit, et augustum in ea templum, quo nihil in orbe fuit augustius, etc., quæcunque speciosa sive delectabilia potuerant habere pastores illi falsi, scilicet Scribæ et Pharisæi, qui se profitebantur esse pastores, cum essent lupi rapaces. Luxerunt luctu inconsolabili, circumdantibus et vastantibus cuncta Romanis, quibus vincentibus, quicunque ex Judæis gladio, fami, et igni superesse potuerunt, in omnes gentes captivi ducti sunt. Hæc fuit et est contrito temporalis, contritio corporalis. Quis porro erat Carmelus, et quis Carmeli vertex, et quomodo exsiccatus est ? Interpretatio nominis Carmeli rem cito aperit, interpretatur enim Carmelus *scientia circumcisionis*. Ergo Carmelus secundum suum nomen significat circumcisionem, id est Judaismus carnalem multum in sua scientia gloriantem. Vertex ejusdem Carmeli illa fuit generatio, quæ Salvatorem crucifixit, « generatio cujus, ut sapientiam dicit, excelsi erant oculi, et palpebræ in altum resurrectæ (*Prov.* XXX). » Illa namque generatio circumcisionis, summum sibi visa est esse vel habere culmen scientiæ, ita ut et claves scientiæ dixerit eam Dominus tulisse. « Væ, inquit, vobis, quia tulistis clavim scientiæ ! Ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis (*Luc.* XI). » Talis et vertex Carmeli, post rugitum Domini de Sion et vocem ejus de Hierusalem exsiccatus est, quia videlicet extunc ab illis recessit omnis ros supernæ gratiæ, et nubibus suis mandavit Dominus, ne pluerent super eos imbrem, quia repulerunt Verbum Dei, et indignos se judicaverunt æternæ vitæ. Super illum verticem, id est super illam generationem omnium cæterarum nationum omnia peccata venerunt, secundum sententiam ipsius Domini, qui cum dixisset : « Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et Scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et cætera, » subjunxit atque ait : « Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam (*Matth.* XXIII). » Sequitur ergo : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod trituraverit in plaustris ferreis Galaad. » Hæc est contritio æterna, contritio spiritualis, in eo quod dicit, » Non convertam eum. » Quem enim dicit eum, nisi verticem Carmeli, id est sicut jam diximus, superbiam scientiæ circumcisionis, cujus illa generatio vertex quidam exstitit, nemque cum dicit : « Non convertam eum, » non licet subaudire Damascum, cum Damascus sit feminini generis, sicut et cum dicitur, « super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum », non licet referri ad Gazam, cum Gaza nomen civitatis et feminei sit generis, et sicut cum dicitur. « super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, » non convenit singulariter eum referri ad pluralitatem filiorum Ammon. Igitur « non convertam eum » cum dicit, subaudiri necesse est Carmelum, sive verticem Carmeli, id est populum Judaicum circumcisum, maximeque illam, quæ Dominum crucifixit generationem ejusdem populi, cujus sententia denotatur reprehensibilis ex interpretatione, ut jam dictum est, nominis Carmeli. Neque enim leviter ac sine magnæ indignationis pondere illa generatio dicitur vertex Carmeli, sed eodem spiritu, et eadem ira qua et diabolus sub nomine principis Tyri, in Propheta propter præsumptionem scientiæ dicitur Cherub, quod interpretatur plenitudo scientiæ : « Tu, inquit, signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti ; tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei (*Ezech.* XXVIII). » item : « Et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum (*ibid.*). » Homo quoque cui persuasit in pretium transgressionis scientiam plenariam, dicendo : « Et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum (*Gen.* XXXVI), super eodem vitio denotatur in ligno prævaricationis, dum pro eo quod accidit, nomen ironice scriptum est illi, ut diceretur lignum scientiæ boni et mali. Ita nimirum per verticem Carmeli, secundum jam dictam interpretationem terribiliter hic denotari arbitramur superbiam illius generationis, sive circumcisionis nimium de scientia præsumentis cujus tanta præsumptio, ut Christum virtutem et sapientiam Dei speraret se circumvenire posse dolis, et ita exinanire consilium Dei, ut illum qui venisset benedictus in nomine Domini faceret haberi maledictum in manu legis Domini, pro eo quod dixerat lex, quia « maledictus est a Deo qui pendet in ligno (*Deut.* XXI). » Proinde terribiliter dictum, et cum metu ac reverentia cogitandum, quod propter scelera Damasci, propter scelera Gazæ, propter scelera Tyri, propter scelera Edom, propter scelera filiorum Ammon, propter scelera Moab, propter scelera Juda, et propter scelera Israel, hic judicet Dominus et damnet illum verticem Carmeli, ut non convertat eum, id est omnino repellat et cæcitati tradat eum secundum

alterius prophetiæ testimonium, qua idem Dominus dicit : « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat et convertatur, et sanem eum (*Isa.* VI). » Quis hoc animadvertere posset, nisi Dominus ipse in luce Evangelii consonanter et manifestius dixisset, illud quod jam præmisimus : « ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram a sanguine Abel justi (*Matth.* XXIII). » Itemque : « Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam (*ibid.*) » Denique si omnia, ergo et Damasci et Gazæ, et Philisthiim et Tyri, et Edom, et Moab, patrum suorum Juda, atque Jerusalem scelera venire debuerunt super generationem illam secundum prophetiam hanc. Porro quamvis dicantur venire super illius generationis verticem, non tamen removeri dicuntur ab eisdem, quorum priorum scelera fuerunt, vel a quibus incœpta sunt. Nam et illi onus suum singuli portare debuerunt, illa autem infelicissima generatio, et onera omnium illorum, et suum debuit portare onus proprium. Vere generatio infelix, in malum tempus separata, quemadmodum hic idem propheta quodam loco, cum exclamasset : « Væ qui opulenti estis in Sion, » inter cætera subjunxit : « Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis (*Amos.* VI). » Nempe sicut Dominus noster apostulos suos beatificans et dicens : « Ego misi vos metere quod non laborastis, alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis (*Joan.* IV), » mercedem illorum non excludit qui laboraverunt et non messuerunt, videlicet sanctorum patriarcharum : qui exspectaverunt, et, « non acceptis promissionibus, omnes defuncti sunt (*Hebr.* XI), » sed istorum præfert qui sine labore exspectationis ipsum præsentem beatis oculis videre meruerunt, ita nimirum cum dicit : Venient hæc omnia super generationem istam, pœnam Damasci et cæterorum non aufert, sed generationis ejusdem, quæ, **114** mensuram illorum implevit, majorem fore censet. Jam litteræ ordinem prosequamur : « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum. » Recte in initio scelera ponit Damasci, quia videlicet a Damasco initium fuit sanguinis, de quo Dominus ait : « ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram a sanguine Abel justi (*I Joan.* III). » Is namque locus esse dicitur, ubi Cain eumdem Abel occidit, et ex eo traxisse causam nominis sui. Damascus namque *bibens sanguinem* interpretatur. Computanda jam hic sunt scelera tria, et quatuor, et designanda qualitatibus propriis. Primum scelus est voluntas perversa, quæ etsi opere compleri nequeat, tamen scelus utique est. Unde et propter odium, quoniam et occidendi voluntas est jam quisque dicitur, et est homicida. « Omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est (*Matth.* IX). » Jam ergo mortuus est qui odit, sed mors ejus intrinsecus latet, et rursus ad vitam converti potest, sicut illam puellam Dominus suscitavit,

A quæ nondum erat elata, sed in domo jacebat (*Luc.* VII). Secundum scelus est, voluntatem opere complevisse, et hoc facto mortuus est peccator, et foras elatus. Sed adhuc suscitari potest, sicut illum juvenem Dominus suscitavit, qui per portam civitatis mortuus efferebatur. Tertium scelus est opus malum in consuetudinem vertisse, et tunc peccator mortuus et sepultus est. Sed adhuc ad vitam suscitari potest, sicut Lazarum sepultum jam quatriduanum et fetentem Dominus suscitavit (*Joan.* XI). Quartum scelus est, in suo sibi peccato complacere, Deoque ad pœnitentiam revocanti, et legi ejus redarguenti, superbiæ spiritu resistere. Hoc scelus diabolicum est, quod et in psalmo brevi versiculo designantur : « Qui dixerunt : Linguam nostram B magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est ? (*Psal.* XI.) » Hoc scelus perpetrare et sic loqui est dicere verbum contra Spiritum sanctum, et « non remittetur, neque in hoc sæculo neque in futuro (*Matth.* XII). » Non placet sancto Spiritui, ut convertat illum qui sese in hoc scelus erexit. Nunc jam litteræ hujus distinctionem sive tenorem, diligenter attendamus. « Super tribus, inquit, sceleribus Damasci, et super quatuor. » Non dicit super tribus sceleribus et super quatuor Damasci, sed nomen Damasci tribus et quatuor interponit, et tria, et quatuor scelera subjunxit. Hic tenor in omnibus vigilanter considerandus est. Ita enim super tribus sceleribus Gazæ dicit, demumque et super quatuor adjungit. « Super tribus sceleribus Edom, » inquit, ac deinde, « et super quatuor, » C ait. Sic omnino et in cæteris. Nusquam tria et quatuor scelera conjungit. Quod si faceret, et tria et quatuor viderentur esse scelera Damasci, et Gazæ, et Tyri, et Edom, et filiorum Ammon, et Moab, et Judæ, et Israelis. Nunc autem hoc perpendere operæ pretium est, quod singulorum illorum, Damasci, videlicet et cæterorum, tria tantum scelera sint, quatuor vero verticis Carmeli, id est sæpe dictæ generationis, cujus tempore Dominus venit. Denique nec illa quartum scelus habuisset, nisi Dominus ad eam venisset, sicut et ipse testatus est ? « Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo (*Joan.* XV). » Item : « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, pecccatum non D haberent. Nunc autem, et viderunt, et oderunt, et me, et Patrem meum (*ibid.*). » Igitur quoniam Dominus ad Damascum, ad Gazam, ad Tyrum ad Edom, ad filios Ammon, et ad Moab non venit, sed neque ad Judam, neque ad Israel prioribus temporibus venerat, sicut venit in tempore illius generationis, tria tantum sunt scelera Damasci et cæterorum, quatuor autem verticis Carmeli, id est illius malæ et adulteræ generationis Judæorum, sive Scribarum et Pharisæorum quia Filium Dei et opera ejus viderunt, ipsumque et Patrem ipsius oderunt. Denique Damascus, et Gaza, et Tyrus, et Edom, et filii Ammon, et Moab, tria hæc scelera,

malam voluntatem, et malum opus, et mali operis consuetudinem habuerunt, sed de quatuor, id est de superba defensione scelerum aliquam habere defensionem sibi videri possunt, quia neque Christum viderunt, neque Patrem ejus bonum cognoverunt, sed neque legem ejus, vel redarguentem audierunt. Juda quidem et Israel ante generationem istam legem habuerunt, et trangressi sunt atque in transgressionis suæ defensionem prophetas occiderunt. Verumtamen non ita, sed in comparatione illius sæpe dictæ generationis, multo magis excusabiles sunt. Etenim, et de Juda, et de Israel, qualiacunque exempla sunt, quod pœnitentiam egissent, si factæ fuissent virtutes in illis, quæ in illa generatione factæ sunt. Denique et Achab, rex Israel, cum audisset sermones Domini per Heliam Thesbitem, pro sanguine Naboth, quem occiderat, pœnitentiam egit, jejunavitque et dormivit in sacro, et ambulavit demisso capite. Et idcirco « non inducam, ait Dominus, malum domui ejus in diebus ejus (*III Reg.* XXI). » Et Manasses rex Juda, cum impie egisset, multumque sanguinem innoxium fudisset, postquam coangustatus est, oravit Dominum, et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Illa autem generatio, de qua nunc sermo est, neque sicut Achab rex Israel de futuris malis prædicenti Domino credidit, neque sicut Manasses rex Juda, postquam mala ipsa venerunt, propter tantas angustias pœnitentiam egit, quamvis perirent fame, gladio, et igni, quamvis qui erant residui, ducerentur in omnes gentes captivi. Cæteris, qui in hoc loco præscribuntur, Damasco, Gazæ, Tyro, Idumææ, filiis Ammon, quod si annuntiatum illis fuisset, testis est ipse Dominus, quia pœnitentiam egissent. Cum enim exprobaret civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes, nec egissent pœnitentiam : « Væ tibi, inquiens, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, » subjunxit, atque ait : « Quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent (*Matth.* XV). » Quod de Tyro testatus est, hoc idem cæteris civitatibus sive gentibus, inter quas Tyrus tertio loco hic nominatur, licet intelligi. Quod si quæras : Cur ergo non fuit annuntiatum, quare virtutes non sunt factæ in illis, quoniam crederent et pœnitentiam agerent. Breviter hic pro tempore respondendum est quia Deus de tali illorum pœnitentia non curavit, aut curare debuit, quæ non ageretur pro æterna salute futuri sæculi, sed pro vitanda adversitate, pro retinenda prosperitate vitæ præsentis. In hoc duntaxat cunctis illis generatio sæpedicta magis inexcusabilis exstitit, et sceleratior cunctis illis quia neque temporalis miseriæ comminationibus, quam illaturi erant Romani, neque æterni judicii vel gehennæ ignis auditui Domino prænuntiante credidit, semper incredula, semper dura cervice rebellis. Igitur tria tantum Damasci et cæterorum, verticis autem Carmeli quatuor scelera sunt, quia quartum est cor impœnitens, sive rebellio atque defensio scelerum. Porro tria et quatuor, septem sunt, quia numerus impar insolubilis, neque enim in partes æquas potest resolvi, sicut plerumque universitatem significat, ita in Cain, qui typus fuit illius generationis, insolubilem sive interminabilem vindictam designat, dicendo de Lamech : « Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech **115** vero septuagies septies (*Gen.* IV). » Et quidem vindicta videtur extendi, cum dicit de Lamech, septuagies septies, quia numerus prolixior est, sed econtra solubilem significat ultionem de Lamech, qui numerus solubilis est, septies vero insolubilem ultionem de Cain, quia numerus insolubilis est. Denique septem nullus alius metitur numerus præter unitatem, septuaginta septem alii quoque metiuntur numeri, videlicet septem et undecim. Nam septies undecim, sive undecies septem, septuaginta septem sunt. Itaque cum dicitur, « septies ultio dabitur de Cain, » insolubilis, et idcirco major ultio denuntiatur; dicendo autem : « de Lamech vero septuagies septies, » solubili, et idcirco minor vindictæ modus appenditur. Proinde cum dicit Dominus : « sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur (*ibid.*), » subaudiendum est, nisi pœnitentiam egerit. Et in lege, quoties dicitur, qui hoc vel illud fecerit, morte moriatur ; et in Evangelio : « Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt (*Matth.* XXVI), » necessario subaudiendum est, nisi pœnitentiam egerint. Iste cor non pœnitens se habuisse ostendit, qui, nemine vocante in jus, reum se esse confessus est, « quoniam, inquiens, occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livore meo. (*Gen.* IV). » Ille autem, et requisitus Domino, negavit proferre dicens : « Nescio, nunquid custos fratris mei sum ? » (*ibid.*) et convictus desperavit. « Major est, inquiens, iniquitas mea, quam ut veniam merear (*Ibid.*). » Igitur et generationis illius ultionem interminabilem significat hic numerus septenarius, cum dicitur : « super tribus sceleribus » gentium istarum, « et super quatuor non convertam ; » quod idem est, ac si diceretur : Propter omnem sanguinem justum qui effusus est super terram, projiciam generationem illam, quontam, tribus sceleribus alienis addendo sua quatuor, sicut patrum suorum, ita et omnium gentium mensuram impleverunt. Scelera Damasci in hoc uno facto comprehendit, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad. Hoc Damascum fecisse constat, regnante Azahel secundum prophetiam Elizæi. Scriptum est enim : « Stetitque cum eo, et conturbatus est usque ad suffusionem vultus, flevitque vir Dei. Cui Azahel ait : Quare dominus meus flet ? At ille respondit. Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igni succendes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos elides, et prægnantes divides. Dixitque Azahel : Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam tam magnam ? Et ait Elisæus : Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore (*IV Reg.* VIII). » Factum est ut

propheta prædixerat, et in facto ejus tria scelera, de quibus supra dictum est, hoc modo distinguuntur. Primum scelus ultroneum ejus odium fuit, quo adversus populum Dei cor suum induravit, nihil ab eo læsus, imo et Deo et prophetis ejus ingratus, Eliæ scilicet et Elisæo, per quos fuerit rex præsignatus. Nam ad Eliam Dominus : « Vade, inquit, revertere in viam tuam per desertum in Damascum, cumque perveneris illuc, unges Azabel regem super Syriam (*III Reg.* XIX). » Ad Elisæum autem idem revelatum fuerat, cum diceret ad eum, ut jam præmissum est, « Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore (*IV Reg.* VIII). » Secundum scelus fuit, quod odium illud opere explevit, dum contra regem Israel Achab ad præliandum in Ramoth Galaad ascendit, mala utique reddens pro bonis, sicut et præcessor ejus Benadad. Quid enim boni fecerat cum illo rex Israel? Victi Syri cum dixerunt : » Ecce audivimus quod reges domus Israel clementes sint. Ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris, et ingrediamur ad regem Israel, forsitan salvabit animas nostras. Egressus est ad eum Benadad, et levavit eum in currum suum. Qui dixit ei : Civitates quas tulit pater meus a patre tuo, reddam, et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, et ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, et dimisit eum (*III Reg.* XX). » Hoc fœdus uterque irrupit, quia propter Ramoth in Galaad, quæ civitas erat Israel, uterque, Benadad scilicet et Azahel, suo quisque tempore ad præliandum contra Israel ascendit. Tertium scelus ejusdem Azahel regis Syriæ sive Damasci illud fuit, quod non una victoria contentus in Ramoth Galaad, quotiescunque et quantumcunque potuit, percussit Israel, et concidit in universis finibus ejus, sicut postmodum eadem sacra Historia testatur : « Et percussit eos, inquit, Azahel in universis finibus Israel, a Jordane contra orientalem plagam, omnem plagam Galaad et Gad, et Ruben, et Manasse, Azoer quæ est super torrentem Arnon, et Galaad, et Basan (*IV Reg.* X). » Porro Galaad interpretatur *acervus testimonii*, significatque hoc nomen martyres, id est testes Christi, quorum in persecutione ille sæpedictus vertex Carmeli superavit crudelitatem hujus Damasci sive regis Damasceni, et tria ejus scelera quatuor suis sceleribus abundantius implevit. Proinde sicut omnis sanguis justus, ita ille quem tunc Damascus fudit, super illum verticem venire debuit. Sed jam hic quæri potest quomodo inter sanguinem justum sanguis ille possit reputari, quem tunc Damascus effudit. Certum est enim quia tunc temporis miserabilis Israel, nimirum idololatriæ cultibus sordebat, quam ob causam tradebatur in manus hostium, justam Domini sustinens iram. Ad hoc breviter respondendum, quia tunc quoque in Israel nonnihil justi sanguinis erat, testante Domino, cum dicit ad Eliam : « Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata Baal (*III Reg.* XIX). » Septenario numero millium univer-A sitas significabatur illorum, qui etiam in illo tempore malo, regnantibus Achab et Jezabel, impietati non consenserunt, latentes apud semetipsos, et colentes Deum verum patrum suorum. Ex illis nonnullos ille Damasci belluinus furor trituravit. Cæterum et in omnibus quos pervagando dissecuit, non merita vitæ, sed veri Dei mentionem tam illi quam et cæteri persecuti sunt inimici, hoc maxime invidentes, quod dicerentur habere Deum verum, secundum invidiam Cain, qui fratrem suum odio habuit, ob illam solummodo causam, quod visus est illi dignior esse cultor Dei (*Genes.* IV). Ergo nec illorum sanguinem ab omni sanguine justo, qui effusus est super terram, ratio excipit, sentitque judicio Domini venisse super illum Carmeli verticem ut exsiccaretur, et non B contereret eum Dominus, id est, super illius temporis populum Judaicum, sub quo, et a quo Domini et prophetarum, sapientiumque et Scribarum, quos ipse misit, sanguis est effusus occidendo, crucifigendo, flagellando, et de civitate in civitatem persequendo. Sequitur : « Et mittam ignem in domum Azahel et devorabit domos Benadab, et conteram verticem Damasci, et disperdam habitatorem de domo idoli, et tenente sceptrum de domo voluptatis, et transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus. » Sicut jam super dictum est, cum dicit Dominus omnia venire super generationem illam a sanguine Abel justi, quam intelligimus per exsiccatum verticem Carmeli, nequaquam tamen a pœna liberi, vel immunes sunt quicunque sanguinem C justum fuderunt, sed in propriis personis pœnam quoque receperunt, cujus videlicet pœnæ, sicut culpæ, nonnullam hæreditatem generationi illi **116** transmiserunt. Itaque quod nunc ait : « Et mittam ignem in domum Azahel, » et cætera, sic de illa Damasco, et de illa Syria facta intelligamus super tribus sceleribus suis, id est propter tria scelera sua, quæ jam supra diximus, ut ignem illum et dispersionem, qua illa generatio disperiit super eis tribus sceleribus Damasci, et quatuor, quæ suo tempore adjecit, pariter respiciamus. Legimus quippe quod Theglah Phalassar rex Assyrius, interfecto Rasin rege Damasci, omnem Syriæ populum in Cyrenen transtulerit. Ob hoc nunc ait : « Et conteram vectem Damasci, et disperdam habitantem de domo idoli, » omnem videlicet Syrorum fortitudinem, qua veluti D quodam vecte adversariorum impetus submovebat, et ut ostenderet vana idolorum auxilia, cum populus Damasci Assyrio veniente caperetur, signanter ait : « Et disperdam habitatorem de campo idoli. » Simulque luxuriæ populum arguit, dicendo : « Et tenentem sceptrum de domo voluptatis, » quem intelligimus Rasin. Quod autem præmissum est : « Et mittam ignem in domum Azahel, et devorabit domos Benadad, dat intelligi, quod Azahel, regnantibus Ozia et Jeroboam, jam in Syria mortuus erat, et ei in regnum successerat filius suus Benadab, a quo postea omnes reges Syriæ et Damasci Benadab vocabulum possederunt. Quapropter non dixit : Mittam

ignem in Azahel, sed, « in domum Azahel, » id est in domum ejus regiam, cui Benadad filius eo tempore præerat. Verumtamen hoc aperte Scriptura non dicit, quod ignis materialis domum ejus conflagravit, sive quando regnante jam dicto Benadab filio Azahel, Joas filius Joahaz Syriam percussit, sive quando rex Assyriorum Rasin interfecit. Sic enim Scriptum est : « Mortuus est autem Azahel, rex Syriæ, et regnavit Benadab filius ejus pro eo. Porro, Joas filius Joahaz tulit urbes de manu Benadab filii Azahel, quas tulerat de manu Joahaz patris sui jure prælii, tribus vicibus percussit eum Joas, et reddidit civitates Israeli (*IV Reg.* XIII). » — « Ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam, et transtulit habitatores ejus Cyrenen. Rasin autem interfecit (*IV Reg.* XVI). » Nusquam hic vel illic mentio fit ignis, ut possimus ostendere materialis incendii magnitudinem secundum altitudinem prophetici præconii. Simulque notandum quod contra omnes istas scelerum declamationes (excepto loco octavo, ubi dicitur : « Super tribus sceleribus Israel » eadem pœna ignis eodem modo subscripta est : « Et mittam ignem in domum Azahel, et devorabit domos Benadab, et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus, et mittam ignem in Theban, et devorabit ædes Bosræ, et succendam ignem in muro Rabath, et devorabit ædes ejus, et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth : et mittam ignem in Judam, et devorabit ædes Jerusalem. » Istæ sunt septem vindictæ ignis, secundum tria et quatuor scelera, quibus omnis justi sanguinis mensuram Juda sive Jerusalem illa sæpedicta generatione implevit, cujus materialem ignem sive incendium totus orbis audivit. Quapropter si historia deficit, qua materialis ignis secundum prophetiam hanc, illis et illis ædibus atque muris immissus possit ostendi, nihilominus, imo et multo magis, veritatem prophetiæ miremur, atque veneremur adimpletam juxta subtilitatem suæ intentionis, quia nimirum quarum scelera gentium implevit, earumdem vindictas igneas illa infelix generatio super semetipsam transtulit, ignemque commeruit, qui hic incipiens nullum haberet finem, secundum illam in Deuteronomio Domini sententiam, qua dixerat : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » Sequitur : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum, eo quod transtulerit captivitatem perfectam, ut concluderet eam in Idumæa, et mittam ignem in murum Gazæ : et devorabit ædes ejus, et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone, et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philistinorum, dicit Dominus Deus. » Quinque civitates Philistinorum plerisque locis nominatæ sunt. Exempli gratia, ut illic : « Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philistiim pro delicto Domino : Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum. Accaron unum (*I Reg.* VI). » Istas hic omnes præter unam

A Geth sermo propheticus nominatim commemorat, sed eadem videlicet Geth non omnino præterit, dum, cæteris nominatis, tandem ait : « Et peribunt reliqui Philistinorum. » De ista gente, id est, de Philistiim, hoc sciendum, quia filiis Israel ascendentibus de Ægypto per mare Rubrum prima invidit. Primam enim hanc inter cæteras gentes tunc temporis nominatam audimus in illo dolore invidiæ ex Cantico Moysi : « Ascenderunt, inquit, populi, et irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, » etc. (*Deut.* XXXII.) Inter dolentes dolores invidiæ, primos posuit habitatores Philistiim. Videretur ergo in ordine gentium sceleratum prius debere posuisse scelera Philistiim quam scelera Damasci, sive Syriæ. Sed ad hoc sciendum, quia etiam ante exitum de Ægypto, imo et ante B discessum Israel in Ægyptum, Syriam in persecutione Sanctorum proprius livor excitavit, testante eodem Moyse, cum in Deuteronomio dicit : « Suscipiensque sacerdos cartallum, ponet ante altare Domini Dei tui, et loqueris in conspectu Domini Dei tui. Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam et robustam, » etc. (*Deut.* XXVI.) Syrus, inquit, id est, Laban de Mesopotamia Syriæ, assumptis fratribus suis, persecutus est patrem meum Jacob, quem et comprehendit in monte Galaad, sed vidit in somnis dicentem Deum : « Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob (*Genes.* XXXI). » Illa persecutio Syri jam tunc, et periculosa fuit, et magnam persecutio- C nem significavit, quo jam humiles persequi incipiebant superbi secundum interpretationem ipsius nominis Syri. Syrus interpretatur *sublimis*. Recte igitur, non ante, sed post Syriam, sive Damascum hic ponitur Philistiim, non ob istam solummodo causam, verum etiam quia sicut jam superius dictum est, ubi initium effusum est justi sanguinis, quando fratrem suum Abel justum Cain funestus occidit. Item, recte quæritur cur in capite condemnationis Philistiim, Gaza potius quam Azotus, sive Ascalon, aut certe Accaron posita sit, dicendo, « super tribus sceleribus Gazæ ? » Ad quod dicendum, quia Gazæ potius Judaici sceleris simul et damnationis triste præsagium prætulit, videlicet in eo quod apud illam Samson fortissimus et occubuit, et plures quam D vivus occiderat, moriens occidit (*Judic.* XVI). Quo tandem in facto Gazæ, sive Philistiim scelera, quorum de numero jam dictum est, denotantur? « Eo quod, inquit, transtulerit captivitatem perfectam, ut concluderet eam in Idumæa, » hoc videtur dicere, quod Gazæ captivitatem ex populo Idumæorum duxerit, et quod Idumæis vendiderit quos ceperat ex Judæis. Verum hoc etsi factum est, tamen non tam clare factum est, nec tanta captivorum, sive venditorum multitudine, ut sacris Historiis traditum sit, atque idcirco res minor videtur quam ut prophetica declamatione, sive conquestione digna sit. Altius **117** ergo quærendum quid, Gazæ sive Phili-

stiim conspiratione habita cum Idumæis, contra populum Dei fecerit. Jam ante dictum, quia filiis Israel ascendentibus de Ægypto per mare Rubrum, gens Philistiim prima invidit. Sciendum autem, nec dubium est, quod si Idumæi, filii videlicet Esau, filiis Israel tanquam fratribus suis, ut jure debuissent, auxilium ferre voluissent, et Philistiim et Chananæi, de quibus postmodum dicendum erit, non tam facile illis obsistere tentavissent. Proinde item et illud non dubium est quin prima illis cura fuerit, antiquam invidiæ flammam, quam habuit Esau contra fratrem suum Jacob, resuscitare in gente ejusdem Esau, id est Idumæis, imo et augere malis persuasionem flatibus, ut sibi cæteris gentibus potius quam Israelitis Idumæi consentirent, secumque contra illos communes inimicitias susciperent. Hoc primi B fecisse Philistiim vigilanter attendentibus, Scriptura indice, probantur. Scriptum est enim : « Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quœ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum (*Exod.* XIII). » Si vidisset, inquit, adversum se bella consurgere, quod utique fieret, nam jam tunc, ut supra dictum est « dolores obtinuerunt habitatores Philistiim (*Exod.* XV). » Nec vero absque consensu fratrum Israelis, id est, Idumæorum, hoc facere leviter ausi fuissent, imo et communem cum illis conspirationem eamdemque præparaverant voluntatem. Hoc ex eo satis liquet, quod, filiis Israel declinantibus Philistiim, primi ex cunctis gentibus armati occurrerunt eisdem sui fratres Idumæi, sicut C scriptum est : « Misit nuntios Moyses de Cades ad regem Eddom qui dicerent : Hæc mandat frater tuus Israel. Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Ad hæc respondens Edom : Non transibis, inqnit, per me, alioquin armatus occurram tibi (*Num.* XX). » Rursus supplicantibus respondens ait : « Non transibitis. Statimque egressus est obvius cum infinita multitudine et manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti ut concederet transitum per fines suos. « Quamobrem divertit ab eo Israel (*ibid*). » Igitur dubitare opus non est quin illuc propheta respexit, ut diceret : « eo quod transtulerit captivitatem perfectam, ut concluderet eam in Idumæa. » Perfectam namque captivitatem, id est filios Israel, consummata atque transacta captivitate sive pere- D grinatione de Ægypto, ascendentes transtulit, id est, declinare et per viam deserti circuire fecit. Quod nisi Dominus prævidisset, et si Israelem per terram Philistiim duxisset, utique conclusissent eos Philistiim in Idumæa, id est, armatis occurentibus Idumæis, sicut jam dictum est, ipsi a tergo insecuti fuissent, et ita conclusos oppressissent, ac proinde pœniteret Israelem de Ægypto exisse, cum videret undique adversum se bella consurgere. Horum scelerum, quæ in hoc facto numerantur, mensuram illa generatio Judaici populi, de qua sæpe dictum est, taliter implevit : Credentibus in Christum pluri-

A mis, et ad prædicationem Evangelii transeuntibus Rubrum mare baptismi, dolores obtinuerunt Judæos cum Scribis et Pharisæis, et transferre conati sunt illos, ut concluderent in Idumæam, nimirum quando institerunt, summitendo pseudoapostolos, ut inducerent eos in suas terrenas et carnales cæremonias, sicut in Actibus apostolorum scriptum est : « Et quidam descendentes de Judæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvi fieri (*Act.* XV). » Item : « Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes quia oporteret circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi (*ibid.*). » Hæc et similia dicentes et facientes, non minimas Evangelio Christi seditiones excitaverunt. Itaque « super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum, » inquit, subaudi verticem Carmeli, id est illam generationem Judaici populi, super quam, sicut cætera omnia, ita et ista tria scelera Gazæ cum suis quatuor juste venerunt. Quia sicut Gaza, sive Philistiim, et mala voluntate inviderunt, et facto persecuti sunt, et quoad potuerunt, adversari non destiterunt : ita ipsi quoque Evangelio Christi, et mala voluntate inviderunt, et facto adversati sunt, et nunc usque blasphemare non desinunt, quartum habentes scelus in eo quod legem et prophetas econtra testificantes audire contemnunt. « Et mittam, ait, ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus, et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone, et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Palæstinorum dicit Dominus. » Hæc juxta litteram ubi vel quando insigniter facta sint, sacra non narrat Historia. Cæterum in illam generationem ita factum est. Misit namque Dominus ignem in murum ejus per Romanorum manus, et devoravit ædes ejus, et dispersit habitatores de Jerusalem, et tenentem sceptrum, ut jam non habeant regem, sive regnum, qui regem suum Christum negaverunt. Et convertit manum suam super eos, quicunque igni jam dicto superfuerunt, ita ut dispergerentur, et in omnes gentes captivi ducerentur. Nomina ipsa, Gaza, Azotus, Ascalon, et Accaron, et Philistiim generationi tali congruunt. Gaza quippe sonat *fortitudinem*, et Judæorum designat rebellionem adversus veritatem. Azotus interpretatur *ignis uberis* sive *patrui*, et ardentem in illis significat invidiam patris eorum diaboli, quæ exuberat in eis. Ascalon interpretatur *ignis homicida*, et homicidialem illorum furorem designat. Accaron *sterilitas*, et inopiam illorum, quia fructum spiritus fugiunt, et paleam litteræ sectantur, significat. Philistiim *potione cadentes*, et illorum vere ebriosum hoc nomine intelligimus scandalum, juxta illud, quod in psalmo scriptum est : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et deorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXIII). » Sequitur : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non

convertam eum, eo quod concluserit captivitatem perfectam in Idumæa, et non fuit recordata fœderis fratrum, et immittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus. »

Eamdem impietatem quam imputaverat Gazæ, imputat et Tyro, dicens : « eo quod concluserat captivitatem in Idumæa. » Quod ut idem clarescat ex auctoritate Scripturæ, quando vel quomodo factum sit, supra memoratæ sequentia historiæ respiciamus. Præmisso quod rex Edom postulanti Israeli transitum per terram suam negavit, statimque egressus est obviam cum infinita multitudine et manu forti, protinus subjungitur : « Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens duxit ex illo prædam (*Num.* XXI). » Pro Chananæo Tyrum his positam arbitramur, dictumque esse super tribus sceleribus Tyri, pro eo ut diceretur super tribus sceleribus Chananæi. Tyrii namque et Sidonii de Chananæis sunt.

Quod si quæritur cur nomen Tyri potius quam Chananæorum vocabulum hic scribere placuit, scire debemus quia solas gentes illas propheticus spiritus in hoc ordine condemnare **118** proposuit, quæ nihil ab Israel læsæ sunt, et gratuitas contra illum inimicitias susceperunt, cum ille non quæreret terras eorum. Porro terram Chanaan obtinere quærebat, et ad possidendam illam ex Ægypto ascenderat, et idcirco Chananæus universus non ita gratuitas contra Israel inimicitias exercebat. Tyrum et Sidonem, quamvis et ipsæ, ut jam dictum est, de Chananæis essent, Israel, ut possideret, intendisse, vel contra eas pugnasse non legitur. Itaque, suppresso universali nomine Chananæi, nomen ponitur Tyri, eo quod Israelem gratis oderit sicut Syria et Philistiim, et Edom, et filii Ammon, et Moab, quorum terras Dominus neque promiserat, neque dare volebat illi. Nunc demum videamus utriusque loci nonnullam in eodem scelere distantiam. Dixerat de Gaza, « eo quod transtulerit captivitatem perfectam, ut concluderet eam in Idumæa, » de Chananæo, id est de Tyro, nunc dicit, « eo quod concluserit captivitatem perfectam in Idumæa. » Denique transtulisse intentione concludendi minus est quam conclusisse. Sic in memoratis rebus evenisse manifestum est. Illic enim Philistiim perfectam captivitatem illam de Ægypto ascendentem in Idumæa non conclusit, sed tantummodo concludere parata fuit, quamobrem et Dominus Israelem circumduxit per viam deserti, unde et imputatur Philistiim quod captivitatem transtulerit, et deinde Idumæa illi armata occurrit. Porro, de Chananæo pro quo intelligimus hic positum nomen Tyri, scriptum est quia conclusum inter se et Idumæam Israel oppugnavit. Tunc namque venerat in monte Hor, qui est in finibus terræ Edom. Præmissoque quamobrem divertit ab eo Israel, « cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom, » ita subsequitur : « Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam pugnavit contra illum (*Num.* XXI). » Hoc nimirum conclusisse fuit. Illud autem tantummodo in voluntate fuit Philistiim, et idcirco de Gaza dictum est, quia transtulit, ut concluderet. Hic autem de Tyro dicitur quia conclusit. Notandum quoque quam congrue tali in loco, tali in tempore, vel re mentionem faciat captivitatis. Denique hoc verbo crudelitatem viscerum illorum valde percutit, qui captivitatem perfectam, vel consummatam, longo tempore protractam invidebant solvi, nihil læsi a captivis illis quorum captivitas talis fuerat, ut omnes homines deberent saltem pro communi humanitate commisereri, et diceret tale quid ut ille Jethro de Madian, cognatus, id est, socer Moysi : « Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis. Nunc cognovit quia magnus Dominus super omnes Deos, eo quod superbe egerit contra illos (*Exod.* XVIII). »

Item et illud notandum, quod cum dixisset : » eo quod concluserit captivitatem perfectam in Idumæa; » addidit pluraliter, « et non sunt recordati fœderis fratrum. » Quoniam erant, qui non sunt recordati fœderis fratrum ? Nimirum Tyrus sive Chananæus et Idumæa. Ambo namque consilium ineuntes, unam eamdemque voluntatem habuerunt. Idumæa sive Edom, ut contra fratrem de captivitate revertentem armatus exiret; Chananæus, ut Idumææ malitiam adversus fratrem approbaret, pariterque accurendo cum armis fraternum odium sibi placere ostenderet. Ita fœdus fraternum fœdus naturale, alter istorum impugnavit, alter ut impugnaretur adjuvit. Præterea, fratres quodam modo Judæorum Tyrii fuerunt, eo quod Hiram princeps Tyri cum David atque Salomone habuerit amicitias (*III Reg.* V, 6), intantum, ut et ille in ædificationem templi atque palatii ligna cedrina ratibus Joppen usque perduceret, et hi frumentum et oleum Tyriis largirentur, et viginti urbes in Basan ei domo daret, quas ille, quia graminibus plenæ erant, suscipere noluit. Verum quid post illam societatem ante tempora prophetiæ hujus fecerit Tyrus contra Israel, sive contra Judam, et quomodo vel quando concluserit captivitatem perfectam, sacra non narrat Historia. Item, quod dicit deinde : « Et immittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus, » sacris litteris aperte traditum non invenitur. Et quidem Nabuchodonosor Chaldæorum rex Tyrum expugnavit et cepit, secundum prophetiam Ezechielis dicentis : « Circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in Ægypto (*Ezech.* XXVI). » Et rursus : « Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum (*Ezech.* XXIX), » et cætera ; sed cuncta hæc absque ignis conflagratione fieri vel perfici potuerunt. Itaque quoquo modo in illam Tyrum vindicatum sit, illud dubium non est quin super generationem illam sæpe dictam scelera

ejusdem Tyri, sicut et cætera omnia, venerint, quia quod Tyrus fecisse arguitur, illa spiritualiter implevit persequendo, ut superius jam dictum est, fidem Evangelii Christi. Proinde cum dicit, « Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum, » subaudiendum est, ut in cæteris, verticem Carmeli. Neque enim, quod dicit « eum, » referri potest ad Tyrum, cum Tyrus sit feminini generis. Cur autem vertex Carmeli illam quæ Dominum crucifixit generationem significet Judaici populi, sæpe dictum est, et in hac serie lectionis memoriter tenendum est. Sequitur : « Hæc dicit Dominus, super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem. Et mittam ignem in Theman, et devorabit ædes Bosræ. » Ecce jam tertio culpatur Edom, primo cum Gaza sive Philistiim, deinde, cum Tyro sceleribus arguebatur, nunc in sua tantum persona dicitur quid fecerit, et quid recipere mereatur, et merito, cum singulæ gentes singulis vicibus coarguantur, iste Israelis frater impius, tertio in judicium sermonis divini protrahitur, « eo quod fratrem suum in gladio persecutus sit, et misericordiam ejus violaverit. » Levemus oculos nostros superius, et statum illius consideremus temporis, quando Edom transitum, sicut jam dictum est, fratri suo Israeli per terram suam non concedens, etiam armatus contra illum exivit cum infinita multitudine et manu forti, et tunc intelligimus quanta misericordiæ violatio fuerit. Israel de captivitate demissus egrediebatur, ipse autem Edom in suo monte habitabat dives et robustus. Cumque esset illius frater uterinus, ex eodem patre, et uno, ut Apostolus ait, concubitu pariter generatus, sic universos germanitatis naturales occlusos tenuit affectus, ut crudelior contra illam nulla esset ex cunctis gentibus, et cæterarum gentium roboraret manus, persecutionis et odii primus auctor et prævius. Nec vero contra hominem fratrem, sed contra Deum erat odium ejus. Quam enim ob causam tali vel tanto contra Israelem odio ferebatur ? Nimirum propter benedictionem, qua sibi frater ita Domino disponente fuerat prælatus. Idcirco cum dixisset propheta, « eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, » addidit, « tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem. » Furorem et indignationem illam dicit, quia furens **119** et indignans Edom, id est, Esau semper odio habens Jacob, dixit in corde suo : « Venient dies luctus patris mei, ut occidam Jacob fratrem meum (*Gen.* XVII). » Hoc propositum odii paterni, posteritas de qua nunc sermo est, usque in finem servavit, agendo pro posse quidquid furor et indignatio suggessit. Et quidem quandiu filii Israel in Ægypto servierunt, et tam duræ servitutis pensum Pharaoni et Ægyptiis illudentibus in luto et latere solverunt, consolabatur se nequiter in illo fratre maligno Edom, paululumque requiescebat odii spiritus, non dubium sibi fore existimans quod cassa semper deberet esse benedictio, qua junior Jacob sibi priori fuerat prælatus, cum ipse jam regnaret, ille autem misere peregrinaretur. At ubi magnalia Dei facta sunt in Ægypto pro illo fratre suo ; ubi illum egressum esse audivit in manu potenti et brachio excelso, utique non dubium quin renovatus sit livor, exarserit furor, efferbuerit indignatio, quippe qui primus in gladio, perpetuus in odio, frequens contra illum fuit in bello, donec, vincente David, persensit quod benedictionibus Domini invalidior, Jacob infirmior, Israel esset indignior : « Facta est namque universa Idumæa serviens David sub tributo, et ipse posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium (*II Reg.* VIII). » Idcirco malam ubique nimisque acerbam passim in Scripturis sanctis habet memoriam. Omnes homicidæ, universi persecutores piorum, nomen ejus hæreditaverunt ut vocetur Edom, quia videlicet cunctorum ipse fuit exemplum. Exempli gratia : « Memento, Domine, inquit Psalmista, filiorum Edom in die Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea (*Psal.* CXXXVI). » Idem enim est ac si dicat : omnes cives regni Dei, exsultantes super flumina Babylonis, id est super decursum confusionis hujus sæculi. Memento, Domine, tribulationum, quas sustinemus illatas a filiis Edom, id est, ab imitatoribus Esau, qui propter sævitiæ magnitudinem dictus est Edom, quod interpretatur *terrenus* sive *sanguilonentus*, quia ipsi cupiunt exinanire Jerusalem usque ad fundamentum, ut totum funditus destruatur fidei et veritatis ædificium. Cunctorum talium homicidarum maximi et notissimi carnales Judæi sunt, Abrahæ sive Israel filii sunt. Illi etiam secundum exemplum prioris Esau, primogenita sua perdiderunt, scilicet, adoptionem filiorum et gloriam, et testamentum, et legislationem, et promissa, quæ illorum, ut Apostolus ait (*Rom.* IX), esse debuerunt, gentes autem, secundum exemplum junioris Jacob, eadem hæreditaverunt. Et sicut ille ascendenti ex Ægypto Israeli, quanto per carnem propinquior, tanto per odium fuit cæteris gentibus nequior, sic Judæi, quanto per carnem Christo propinquiores, tanto per invidiam Christiano populo, ex quo cœpit prædicari fides evangelica, fuerunt perniciosiores, primique ante omnes gentes, et maxime inter omnes gentes inimici ac persecutores. Itaque et quod nunc dicit : « Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum, » ad utrumque quidem est referendum, maxime autem ad illum qui non carne, sed spiritu est Edom, scilicet Judaicum populum, qui per verticem Carmeli sæpe dictum, et adhuc dicendum est, significatur.

Hujus Edom pœna ignis est, de quo jam sæpe diximus, qui illi generationi, quæ Salvatorem crucifixit, taliter immissus est, ut succensus a Romanis, in furore Domini ardeat usque ad inferni no-

vissima (*Deut.* XXXII), sicut ipse in Moyse prædixit : A « Mittam ergo ignem in Themam,» quæ Idumæorum regio est, nominis autem interpretatione vertitur in *austrum*, et luminosam quondam civitatis Jerosolymæ templi significat gloriam. Quodque dicit: « Devorabit ædes Bosræ, » non alteram civitatem, sed ipsam Idumæam secundum litteram significat, secundum sensum vero mysticum eamdem significat Jerosolymam, Dei quondam et angelorum præsidio munitam. Bosra namque interpretatur *munita*, unde et in Isaia vox admirantium illa est : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ(*Isa.* LXIII).» Admiratio namque est, quod de Idumæis, id est de Judæis et de civitate Jerosolyma quam suo præsidio munierat, talia passus, et suo sanguine aspersus veniat. B Sequitur : « Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. Et succendam ignem in muro Rabba, et devorabit ædes ejus in ululatu, in die belli, et in turbine, in die belli commotionis, et ibit Melchon in captivitatem, ipse et princeps ejus simul, dicit Dominus. » Ammon iste et Moab, cujus scelera protinus dicturus est, ex propinquitate Abrahæ fuerunt, scilicet filii Lot, qui filius fuit fratris Abrahæ. Debuerant ergo et ipsi filiis Israel clementiores cæteris gentibus esse, præsertim cum illi nihil eos læsissent, neque terras eorum quæsissent. Nam isti sunt quorum terras C Israeli Dominus nominatim interdixit, jam dictus Edom et hic Ammon, et sequens Moab. Sic enim Moyses in Deuteronomio commemorat: « Dixit Dominus ad me: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau. Videte ergo diligenter, ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantu potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. » Et rursum: « Venimus, inquit, ad iter quod ducit in desertum Moab, dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium. Non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi eam in possessionem. » Ac deinceps : « Locutus est, ait, Dominus ad me, dicens : Tu transibis hodie terminos Moab, D urbem nomine Ar, et accedes in vicinam filiorum Ammon. Cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium. Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem (*Deut.* II). » Cum ergo propinqui essent Israeli filii Ammon et Moab, ut jam dictum est, et nihil ab Israel sive a Deo Israel læsi fuissent, clementiorem erga illum cæteris gentibus gerere affectum debuissent. At illis sicut Edom, inclementiores econtra et impietatis principes exstiterunt, testante Psalmista, qui cum dixisset: « Simul adversus testamentum tuum disposuerunt tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ, Moab et Agareni, Gebal et Ammon et Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis (*Psal.* LXXXII), » subjunxit atque ait : « Facti sunt in adjutorium filiis Lot. » Jam inter cæteras gentes nominaverat filios Lot, dicendo Moab et Agareni, Gebal et Ammon, sed non dixerat quænam gentes in illa conspiratione magis fuissent vehementes. Ut ergo illud quoque non lateret nos, « facti sunt, inquit, in adjutorium filiis Lot. » Notandum quippe, quod non dixerit, cæteris factos esse in adjutorium filios Lot, sed cæteros in adjutorium filiis Lot. Non ergo tam cæteri filios Lot, quam filii Lot cæteros ad inimicitias pertrahebant contra Israel exercendas. Recte igitur sceleris arguitur Ammon in hoc facto, « eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum. » Non dicit ad vindicandum injuriam suam, sive ad recuperandum incommodum suum, sed « ad dilatandum terminum suum, » quod cupiditatis est indicium, injuriæ **120** intemperamentum, crudelitatis argumentum. Quid enim cupidius, quid injuriosius, quid crudelius, quam pro sola ejusmodi intentione prægnantes dissecuisse ? Propterea non crudelitatis David arguendus, sed de justitia ac fortitudine est collaudandus in eo, quod ipse similia vel majora fecit eis, sicut scriptum est : « Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversus Rabbath. Cumque dimicasset, cepit eam ; populum quoque ejus adducens serravit, et circumegit super eos carpenta ferrata, divisitque cultris, et transduxit in typum laterum (*II Reg.* XII). » Sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Non, inquam, crudele hoc, sed justum fuit, quia sicut fecerunt, ita reddidit eis. Porro filii Ammon hoc fecisse videntur, regnante Saul, quando ascendit Naas Ammonites et pugnare cœpit adversum Jabes Galaad, supplicantibusque ac dicentibus : « Habeto nos fœderatos et serviemus tibi : In hoc, inquit, feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dexteros (*I Reg.* XI). » At illos percussit Saul et dispersi sunt; ita ut non relinquerentur ex eis duo pariter, et nihil tale tunc fecisse leguntur filii Ammon, quod tanta prophetici spiritus conquestione sit dignum. Arbitramur ergo prophetam superiorem magis respexisse historiam, scilicet ad tempora judicum, quando Jephte expetitus est, ut filios Israel judicaret, eo quod « vir fortissimus atque pugnator esset, natus de Galaad (*Judic.* XI). » Tunc siquidem iratus Dominus contra filios Israel, tradiderat eos in manus Philistiim et filiorum Ammon, afflictique sunt et vehementer oppressi per annos octodecim. « Pugnabant, inquit Scriptura, filii Ammon contra Israel (*ibid.*), » afflictusque est Israel nimis. « Quibus acriter instantibus, perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium Jephte (*ibid.*). » Cætera legentibus, et disceptationem Jephte contra filios Ammon vehementem perspicientibus claret quod afflictionem illam fecerint filii Ammon, maxime in Galaad, et inter cætera prægnantes quoque dissecuerunt, licet hoc ipsum ver-

bum non ibi scriptum sit, et quod ita fecerint « ad dilatandum terminum suum. » Mandati namque Jephte regi filiorum Ammon, ac dicenti : « Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me? » ille respondit, et falsum locutus est, « quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto a finibus Arnon usque ad Jaboc atque Jordanem, » propterea comminatur Dominus succensurum se ignem in muros Rabba, quæ fuit metropolis Ammonitarum, ut devorentur « ædes illius in clamore et ululatu vincentis exercitus, in die commotionis et turbinis, » quando captivi ejus Nabuchodonosor vincente ducentur, et idolum Ammonitarum, quod vocatur Melchon, id est, rex eorum feretur in Assyrios, et principes ejus pariter abducentur. Eodem modo quo cætera super generationem illam sæpedictam, ista quoque venire habebant quæ fecerunt filii Ammon, et idcirco quod ait Dominus : « Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, » referendum est ad verticem Carmeli, de quo jam dictum est, et propter fastidium vitandum, non toties oporteret replicari, nisi memoriæ videretur expedire legentis Sequitur:

Cap. II. — « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem. Et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth, et morietur in sonitu Moab, et clangore tubæ, et disperdam judicem de medio ejus, et omnes principes ejus cum eo, dicit Dominus. » De Moab et Ammon, maximeque de Edom jam dictum est, quanti recte arguantur sceleris, pro eo quod contra Israel de Ægypto ascendentem inimicitias exercuerunt, cum essent carne propinqui. De isto quærentibus quid sit dictum eo quod incenderit ossa regis Idumææ jam sepulti [qui cum Joram rege Israel et Josaphat rege Juda ascenderat adversum Moab (*IV Reg.* III)] in ultionem doloris a Moabitis postea fuisse convulsa atque succensa. Hæc Hebræorum traditio est: ob hanc ergo, inquiunt, causam Deus missurum dicit se ignem in Moab, quo nomine vel metropolis Moabitarum, vel universa significatur provincia, ut devoret ædes Carioth, quod nomen est civitatis. Verum hoc parum videtur ad magnitudinem propheticæ dignitatis, ut quod Spiritus sanctus loquitur in eis, ex opinione tantum judaica, et non ex sanctis comprobetur Scripturis. Aliud ergo quærimus incendium quod fecit Moab, sacra referente Scriptura; legimus in libro Numeri, quia Balac filius Sephor rex Moab misit et accersivit Balaam filium Beor ariolum, ut veniret et malediceret Israel. Quod cum ille, Deo prohibente, facere non posset, tandem dixit : « Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus huic populo faciet (*Num.* XXIV). » Postmodum scriptum est: « Et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum initiatusque est Israel Beelphegor (*Num.* XXV). » Magnum illum fuit incendium, magna libidinis flamma, quæ concremavit populum. Et quid illi homines sive illæ filiæ Moab, nisi regis Idumææ ossa fuerunt? Quis enim est rex Idumææ, nisi spiritus superbiæ, qui dicantur super omnes terrenos, id est deditos cupiditati terrenæ, secundum nomen Idumææ? Nam quod per spiritum superbiæ pervenerint ad illud incendium carnis suæ, unus pro exemplo est, de quo Scriptura refert : « Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitem, vidente Moyse et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi (*ibid.*). » Magnæ nimirum erat procacitatis et superbiæ, tali in tempore, cum jam dixisset Dominus ad Moysen : « Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulum, » itemque Moyses ad judices Israel : « Occidebat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor (*ibid.*), » et ob istam causam flerent filii Israel ante fores tabernaculi, magnæ, inquam, erat procacitatis, et intolerabilis superbiæ, virum ad scortum ingredi in contemptum iræ cœlestis, videntibus cunctis.

Quo ergo melius nomine dignitas prophetici spiritus fornicatores ejusmodi nuncuparet, quam ossa regis Idumææ. Nunquid filios Israel debuit nuncupare? Et quidem ambobus, scilicet Balaam et Balac commune consilium, et una fuit intentio, incendere filios Israel, sicut in Apocalypsi commemoratur, dicendo, « quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari (*Apoc.* II) ; » sed non ita scandalizare ipsos potuit filios Israel, sicut scandalum mittere coram filiis Israel. Aliud namque est scandalum videre coram se, aliud scandalizari, et ardentis scandalo libidinis inflammari. Unde sicut hi qui ejusmodi scandalo non utuntur, recte membra dicuntur et sunt Christi regis gloriæ, sic econtra illi qui taliter scandalizati vel succensi sunt, membra dicuntur et sunt principis hujus mundi, regis Idumææ. Convenientius autem hic dicuntur ossa quam membra, licet et membra sint vel habeant ossa, quia videlicet ignis genuinus ossibus ac medullis insitus est, qui tunc adhibita foris palea, scilicet filiabus Moab et Madian, illicito flammavit incendio. Tale mirum fecisse incendium **121** scelus est, ea præsertim intentione ut offensus recederet Deus ab Israel, et pro hoc recte redarguitur, ut sceleratus Moab. At vero ut, juxta supradictam Hebræorum opinionem, ossa mortui hominis igne materiali usque ad cinerem incenderet, nescio utrum pro magno haberi potuerit scelere, cum fere apud omnes gentes solemne fuerit, corpora mortuorum usque ad cinerem comburere, cineresque ipsos sepelire. Hinc et sepulcra dicuntur busta, videlicet a combustione, ut combustorum cadaverum continerent reliquias. Rursus ad illam generationem, quæ Dominum crucifixit, propter quod et omnia mala præteritarum generationum venire debuerunt super eam, istud quoque scelus incendii pertinere

non dubium est. Ipsi enim et Moab et Idumæi recte dicuntur et sunt. Moab quippe interpretatur *ex patre*, quo autem ipsi ex patre sint vel fuerint, Dominus ostendit, dicens : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII). » Ipsi incenderunt ossa regis Idumææ, imo et ossa ipsi regis fuerunt Idumeæ, regis omnium filiorum terrenitatis et superbiæ, ossa incensa libidinis igne, testante Isaia, qui generationem illam prospiciens : « Audite, inquit, verbum Domini, principes Sodomorum ; percipite legem Dei mei, populus Gomorrhæ (*Isa.* I). » Idcirco sicut peccati Moab plenitudo, ita et pœnæ ejusdem super generationem illam venit adimpletio. Nam quod dicit, » et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth, » quod nomen erat civitatis in Moab, « et morietur in sonitu Moab, et clangore tubæ, et disperdam judicem de medio ejus, et omnes principes ejus interficiam cum eo, » quis nesciat totum Romano peractum esse excidio ? De tribus sceleribus et de quatuor, et de eo quod dicit non convertam eum, et sæpe dictum et semper repetere fastidiosum est. Sequitur : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum, eo quod abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit. Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt patres eorum. Et mittam ignem in Juda, et devorabit ædes Jerusalem. « Ecce et in isto nulla est distinctio gentilis et Judæi. Sermo divinus, judex æquus, nulli personæ parcit, dum Judam æque ut Syrum, ut allophylum, ut Tyrium, ut Idumæum, ut Ammonitem et Moabitem, librata erit sententia judicii, nec in pœna disjungit quos culpa conjunxit. Quod si subtilitas quæritur rationis, quis dignius debet puniri, quam ille qui non tantum naturalem, ut cæteræ gentes, sed scriptam quoque legem accepit. Unde notandum quod prædictis gentibus non exprobrat abjectionem legis Dei et contemptum mandatorum illius, sed violationem propriorum viscerum, et quod sine affectione absque misericordia cuncta crudelia fecerint, nullum habentes respectum communis humanitatis, nullum saltem attendentes affectum notæ propinquitatis. Judæ autem exprobrat quod abjecerit legem Domini et mandata ejus non custodierit. Quæ quia abjecit atque contempsit ordinem et viam, deceperunt eum idola sua. Quamvis enim dicit, « deceperunt eum idola sua, « nihilominus et illud constat quia non poterat ante ab idolis decipi, nisi legem Domini repulisset, et mandata ejus non fecisset. Hæc sunt idola, post quæ abierunt patres eorum in Ægypto, bovis Ægyptii simulacra fugientes, et adorantes Beelphegor, et colentes Astaroth et Baalim (*Judic.* III). Nec vero leviter decepti fuerunt, sed adeo pro idolis suis insanierunt, ut prophetas occiderent reges eorum, et sanguine innoxio replerent Jerusalem usque ad os. Unde et comminatur Dominus, in Juda se ignem fore missurum, qui devoraret ædes et fundamenta Jerusalem, quod et factum est. Quod si omnia venire debuerunt super generationem illam a sanguine Abel justi, sicut jam sæpe diximus, quanto magis ista, quæ hic Juda fecisse culpatur ? Nempe ita diximus et dicimus omnia venire super generationem illam quæ passi sunt sancti, a sanguine Abel justi, quibuscunque gentibus vel hominis sanguinem justum effundentibus, ut illum maxime sanguinem, quem Juda effudit, illuc redundare non ignoremus. Utrumque namque dixit Dominus. « Væ, inquit, vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum, serpentes, genimina viperarum (*Matth.* XXIII). » Hoc nimirum generationi illi dixit de patribus illis quorum et secundum carnem, et secundum iniquitatem posteri sive hæredes homicidæ Judæi fuerunt, qui ipsum, qui hæc loquebatur, postea Christum occiderunt. Iterum « ut veniat, inquit, super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi (*ibid.*) » et cætera.

Prius nimirum fusus fuit sanguis Abel justi quam fierent patres, quorum de carne genitos se esse glориantur Judæi. Ergo et cæterarum gentium, de quibus jam supradictum est, et Judæ, de quo nunc sermo est, scelera vel mala super generationem illam venire debuerunt. Igitur super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum, id est : Iniquum filiorum cœtum, qui per verticem Carmeli designatur, dereliquam propter scelera patrum, quorum ipsi mensuram impleverunt, factum est, et quod hic in propheta dicit Dominus : « Mittam ignem in Judam, et devorabit ædes in Jerusalem, » et quod per semetipsum ait idem Dominus : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* 23), » et fere nemo est qui hoc factum esse nesciat. Sequitur : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit argento justum, et pauperem pro calceamentis, qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilem declinant, et filius ac pater ejus introierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum, et super vestimentis pigneratis accubuerunt juxta omne altare, et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. » Circa montem Carmeli arduam quasi ascensus viam terimus, toties eundo et redeundo illuc, quoties dicit Dominus, « non convertam eum super tribus et quatuor sceleribus. » Denique ubicunque vel quotiescunque in hoc ordine scelerum sive sceleratorum, « non convertam eum, » audivimus sive legimus, montem Carmeli qui in exordio præscriptus et subintelligimus, per quem et superbiam significari diximus Judaismi carnalis, secundum nomen ipsum Carmeli, quod interpretatur *scientia circumcisionis*, maximeque illam generationem, quæ

Salvatorem crucifixit. Sequentem nos lectorem (si quis est, qui legendo sequi vel sequendo hæc legere velit) fatigatum esse arbitramur, dum toties ad eumdem Carmeli verticem vertitur, velut si alte subvectum et nubibus imminens castrum, in montis vertice toties adire cogatur anhelo spiritu. Verum quisquis ille est, æquanimis ut sit rogamus, jam finis est, circumductione hac vel recursu non fatigabitur ulterius. « Super tribus, inquit, sceleribus Israel et super quatuor non convertam eum. » Memores propositi jam nos esse convenit, quod initio prophetæ hujus præmisimus tunc dicturos esse nos, cur terræmotus fecerit mentionem, **122** quando pro necessitate mystici sensus inveniendi scrutaremur Carmeli verticem, videlicet ubi præmisso, « verba Amos, qui fuit in pastoralibus de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, » subjunxit atque ait, « ante duos annos terræmotus. » Tunc Hebræi terræmotum accidisse memorant, quando Ozias rex Juda indebitum vindicans sibi sacerdotium lepra in fronte percussus est (*II Par.* XXVI). In commemoratione ergo terræmotus, mentionem quoque fecit lepræ illius. Cur hoc? Idcirco videlicet quia frons Oziæ regis, quæ sublimior atque erectior est pars corporis, idem significat quod hic vertex Carmeli, et lepra frontis, id est quod siccatio verticis Carmeli, scilicet abjectionem superbientis, et elatæ generationis, quæ Dominum crucifixit. Sicut in Maria sorore Moysi, quando contra Moysen superbiendo murmuravit, et ob hoc plaga lepræ percussa est (*Num.* XII). Ita et in rege Ozia, qui sacerdotium superbiendo usurpavit, et ob hoc lepra in fronte percussus est, una eademque significatione superbiæ illius generationis. Differt tamen in eisdem significatio pestis ejusdem: Maria namque propter lepræ immunditiam separata septem diebus extra castra, et postea revocata, respiciendam novissime significat Synagogam ab infidelitatis lepra curatam, cum « plenitudo gentium intraverit, » sicut Apostolus ait (*Rom.* XI); Ozias autem leprosus permanens usque ad diem mortis, incurabile significat peccatum ejusdem Synagogæ pro parte illius sæpedictæ generationis et omnium Judæorum, qui nunc interim vita excedunt, lepram habentes perpetuam, « nec in hoc sæculo nec in futuro (*Matth.* XII) » curandam. Et Ozias quidem *fortitudo Domini* interpretatur, sed hoc nomen generationi illi nonnisi per antiphrasim sive per ironiam congruit, quia fallitur quasi fortiter agens, dum blasphemando Christum, Deo sese obsequium præstare promittetur. Filius enim Joathan, quod interpretatur *Domini consummatio* sive *perfectio*, regens domum regis leprosi, juniorem significat ex gentibus populum consummatæ et perfectæ fidei, cui datum est regnum Dei, sicut prædixerat Dominus: « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Nec illud a mysterio vacat, quod illa plaga lepræ in summitate regiæ frontis cum terræ-

A motu accidit. Sic etenim quando infelix generatio tali sese lepra damnavit, dicendo: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII), » Domino postmodum spiritu tradente, terra mota est; et deinde ad excidium gentis ejusdem Romanus orbis commotus est. Interim constat prophetam Synagogæ unam eamdemque abjectionem propter superbiam paucis in verbis, et per lepram regiæ frontis, et per siccitatem denotasse verticis Carmeli. Sunt autem duo montes qui vocantur hoc nomine, alter in quo fuit Nabal Carmelus maritus Abygail (*I Reg.* XXV), ad australem plagam, alter juxta Ptolemaidem mari imminens, in quo Elias propheta flexis genibus pluvias impetravit (*III Reg.* XVIII). Carmelum hunc ubi post siccitatem trium annorum

B et semissis pluvia data est, hic placet intelligi. Nec enim dubitandum est Spiritum sanctum in propheta loquentem, rem gestam respexisse illius miraculi, quod ante annos non valde multos acciderat filiis Israel, nimirum in figura, sicut et cætera fere omnia. Quid enim fuit quod Elias cœlum clausit, nisi quia Christus apostolorum ora Synagogæ peccatrici occlusit et populo, qui illum rejecit et recessit, relicta illis siccitate et fame audiendi sive intelligendi Verbum Dei? Item quid est quod rursum orante Elia in vertice Carmeli, facta est pluvia grandis, nisi quod rursus recipiet Israel rorem fidei pluviamque salutis, cum « plenitudo gentium venerit? » (*Rom.* XI). Tanta nunc interim est infidelitatis siccitas quantam merentur scelera tria et quatuor toties hic

C repetito, quæ cum septem sint, illos arbitramur esse spiritus, de quibus in Evangelio Dominus, præmisso, « cum immundus spiritus exierit ab homine (*Matth.* XII), » ita conclusit: « Et tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi (*ibid.*). » Item pœna propter eamdem infidelitatis siccitatem tanta est, quantam intelligi oportet per septem ignis vindictas in hac lectione ordinatas, pœna universalis, pœna interminabilis, secundum significationem numeri septenarii, numeri insolubilis. Quia videlicet sicut scelera omnium gentium, sic et vindictæ super illam generationem venerunt omnium gentium, quæcunque sanguinem justum fuderunt. Notandum quippe quod tantum hic in octavo loco, cum dicitur, « super tribus sceleribus Israel, » non repetitur vindicta ignis ut, sicut jam

D dictum est, tantummodo septem sint, quo numero solet universitas significari. Simulque sciendum septem tantummodo gentes hic esse nominatas, quia videlicet Juda et Israel gens una est natura, sed schismate divisa, ex quo scidit Jeroboam decem tribus a domo David, et a regia tribu Juda. Ad illam majorem scissionis partem, id est ad decem tribus quæ vocantur Israel, hic propheta remissus erat, et idcirco ultimum posuit Israel, quia de illo vel contra illum plura dicturus est. Septem igitur gentes septem gentium scelera, septemque scelerum vindictas igneas hactenus pro posse transegimus, nunc tandem causas Israel in judicio Domini au-

diamus. Præmisso, ut in cæteris, « super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum, » protinus ait : « Pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis, qui contrivit super pulverem terræ capita gentium, et viam humilium declinant, et filius ac pater ejus introierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum, et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare, et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. » Mirum fortasse cuivis videatur, quod in exordio scelerum Israel, aliud ponere maluit quam illum, quo sordebat tunc temporis Israel, idololatriæ cultum, præsertim, cum præter cætera nimis grave atque irremediabile esset scandalum in vitulis, quos fecit Jeroboam, a quo peccato post illum nullus recessit regnum Israel. At vero pulchrum et valde ordinatum est hoc primum poni quod vendiderit argento justum, quia videlicet primum in illa domo peccatum hoc admissum est, quod filii Jacob, qui et Israel, vendiderunt Joseph fratrem suum (*Gen.* XXXVII). Tunc utique vendiderunt « argento justum. » Et in illa nimirum venditione duplex fuit culpa, quia et frater eorum, et justus erat. Vendiderunt autem eum viginti argenteis, quantum erat hoc tot fratribus pro pretio fratris justi ? Cum enim decem essent ipsi venditores undecimi (Benjamin quippe duodecimus, idemque parvulus, non erat illic) nonnisi duo argentei potuerunt obtingere singulis. Bene ergo, cum dixisset, quia vendiderunt « justum argento, » addidit « et pauperem pro calceamentis, » quia videlicet vix calceos qui valerent comparare sibi potuerunt singuli de pretio tantæ venditionis. Hoc scelus sic inceptum in illa gente, in tantum processit, ut Christum summe justum et Sanctum sanctorum Judæi et venumdari persuaderent, et ipsi emerent triginta argenteis, quo videlicet pretio cum referente Juda recepissent eos, non potuisset saltem Caiphas, pontifex illius anni, satis insigniter calceari. At vero potuerunt omnes exinde **123** discalceari, perdendo locum et gentem et gloriam Templi, qua incedebant nimis superbe calceati. Prosequens propheta : « Qui conterunt, ait, super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant. » Hoc facere nimirum superborum est, præsertim cum manifeste prohibeat lex, pauperem opprimi ; lex, inquam, primum data illis, qui maxime pauperes fuerant, et per misericordiam Dei de Ægypto paupertatis camino exierant (*Exod.* I). Hoc fecerant ipsis Ægypti, subigendo eos operibus duris luti et lateris, et contriverant capita ipsorum super pulverem terræ, id est plus quam pulverem terræ. Illorum videlicet Ægyptiorum fuerat viam humilium declinare, quod pulchre et breviter Scriptura innuit, dicente Joseph : « Cum, inquit, vocaverit vos Pharao, et dixerit, Quod est opus vestrum ? respondebitis : Viri pastores sumus, servi tui, ab infantia nostra usque ad præsens, et nos et Patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen, quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium (*Gen.* XLVI). » Nonne ergo ipsi in Ægyptios conversi sunt, conterendo capita pauperum, et declinando viam humilium? Nempe et illud scelus apud eos in tantum processit, ut Christi pauperis, et singulariter humilis, caput et frontem lingua injuriosissima, nimis contumeliosa, verberarent et contererent. Exempli gratia, cum dicerent : « Unde huic sapientia hæc, et virtutes ? Nonne hic est fabri filius ? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joseph, et Simon et Judas ? et sorores ejus apud nos sunt ? » et his similia. (*Matth.* XIII.) « Et filius, inquit, ac pater ejus introierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum, » et hoc nimirum scelus est, et abominatio detestabilis, damnata per justam sententiam legis, dicentis: « Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos (*Levit.* XX). » Hoc primus in illa gente fecisse legitur Ruben, qui abiit, et dormivit cum Bala concubina patris sui (*Gen.* XXXV). Verum hoc patri quoque imputari non potest, cum dicatur, « et filius ac pater ejus introierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum, » quia solus filius hoc scelus perpetravit, pater autem injuriam passus est, et ipse vindicavit. « Effusus es, inquit, sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus (*Gen.* XLIX). » Porro, scelus hoc ipsum in posteris non dubium est excrevisse, cum prævidens Isaias dixerit illos principes Sodomorum et populum Gomorrhæ. Nempe nihil eorum quæ fecerant Chananæi, prætermiserunt Judæi : alioquin non eos evomuisset terra illa, sicut et Chananæos evomuerat. Deo judice, qui, ubi hoc scelus ut cætera, interdixit, tandem ait : « Custodite leges meas atque judicia, et facite ea, ne vos evomat terra, ad quam intraturi estis et habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas (*Levit,* XVIII). » In hoc scelere violationem asserit esse sancti nominis sui, quia videlicet fœdare patrum fœditate ejusmodi, sicut Absalon quoque fœdavit patrem suum David (*II Reg.* XVI), violare est nomen sanctum ejus, ex quo « omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur (*Ephes.* III). » Et « super vestimentis, inquit, pignoratis accubuerunt juxta omne altare. » Nimirum pignus pauperis saltem retinere, contra legem est. Nam in lege Dominus dicit : « Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo (*Deut.* XXIV). » Quanto magis scelus « super vestimentis pignoratis accubare, » et hoc « juxta omne altare ? » Duplex namque crimen in hoc denotatur, scilicet turpitudo libidinis, et servitus idololatriæ, intelligitur, namque quod passim habentes altaria, fingentes vitulorum simulacra, et adorantes Beelphegor, et

colentes Astaroth et Balim, cæteraque deorum et dearum portenta, funibus tenderent vestimenta pignorata juxta omnium illorum altaria,et facerent parapetasmata, idest velamina, quo fornicantes in templo nullus posset aspicere,et inebriati ac libidini servientes, etiam ipsum vinum quod bibebant,non de proprio labore, sed de calumniis emerent.Unde et protinus ait, « et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. » Hoc faciebant in fano dei sui, ut quos putabant deos, turpitudine ac stupris polluerunt. Hujus quoque sceleris mensuram in vestimentis pauperum detinendis Judæi sic impleverunt, ut Salvatorem tradentes, Scripturam pariter implerent, dicentem : « Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem(*Psal.*xxi). » Tunc vinum quoque damnationis ejus biberunt, juxta quod ipse in psalmo conqueritur,dicens : « Et in me psallebant qui bibebant vinum (*Psal.* LXVIII). » Neque enim dubium est seniores illos et pontifices ebriosos,maximeque illa nocte paschali ebrios, cum Dominum nostrum cepissent, quasi pro victoria lætos, fecundiores sibi invicem propinasse calices, et eo cuique alacrius vinum porrexisse, quos visus fuisset properantior atque promptior minister illorum, pro sacrilega illorum voluntate, ad comprehendendum illum, ad tenendum, ad cohortandum socios, ut caute ducerent illum, ad insultandum illi, ad congratulandum principibus super hoc, quasi victoribus magnis. Sequitur : « Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum,cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus,et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter. Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et eduxi vos in desertum quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi, et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris Nazaræos.Nunquid non ita est, filii Israel,dicit Dominus ? Et propinabitis Nazaræis vinum, et prophetis mandabitis, dicentes, Ne prophetetis. » Mira et terribilis oppositio.Quorsum enim tendit hæc per oppositionem facta exterminationis Amorrhæi, et altitudinis ejus commemoratio, nisi ut ostendat Deus sese ex adverso stare, et repugnantem esse declinantibus viam humilium, et per superbiam conterentibus capita pauperum, quo pro scelere arguit Israelem factum de paupere superbum ? « Ego autem, inquit, exterminavi Amorrhæum. » Utique poterat dicere : Ego autem propter superbiam de cœlo dejeci diabolum. Amorrhæus nam *amaricans* interpretatur, et diabolum significat, qui totus felle odii, et omnis nequitiæ semper et incurabiliter est amarus omnique dulcedini divinitatis omnino contrarius. Hunc talem Amorrhæum nimirum Deus exterminavit, de terminis suis ejecit, et exterminationis ejus immutabilem tenet sententiam, dicens in Psalmo : « Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam (*Psal.* C). » Nam ne dubites, quem dicat Amorrhæum illum, inquit,cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, profecto illum esse dia-

A bolum alius propheta testatur, dicens Pharaoni in sermone Domini : « Cui similis factus es in magnitudine tua ? Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. Et subinde cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquarunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquales frondibus illius. Omne lignum paradisi non est assimilatum illi (*Ezech.* XXXI). » Ergo hic **124** Amorrhæus diabolus est, cujus erat typus ille Amorrhæus quem occidit Israel vivente adhuc Moyse, cujus et Psalmista meminit, dicendo : « Et occidit reges fortes, Seon regem Amorrhæum, et Og regem Basan (*Psal.* CXXXIV). » Isti duo reges fuerunt Amorrhæo-
B rum,quorum Moyses in Deuteronomio reminiscens : « Solus, inquit, Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus,qui est in Rabath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus (*Deut.* III). » Utrorumque reminisci convenit hic in uno Amorrhæi nomine, scilicet et hominis regis superbi, et diaboli omnium regis ac principis, cujus nimirum altitudo quasi cedrorum fuit, imo et cedrus omnibus in paradiso Dei, id est, cunctis angelicis potestatibus altiorem se esse voluit, et fortis ipse quasi quercus, quia videlicet sub Deo flecti, et Creatori suo contempsit esse subditus. Mira igitur, ut jam dictum est, et terribilis oppositio, cum præmisso peccato super-
C biæ Israel declinantis viam humilium. : « Ego, inquit, exterminavi Amorrhæum, » etc. Per hoc enim terribiliter, innuit quod elati in superbiam infelices Judæi, in judicium inciderent diaboli,sicut et Amorrhæus homo qui, ut jam dictum est, typus erat diaboli, quod scilicet auferretur illis regnum Dei, de quo Amorrhæus diabolus excidit, et tolleretur eis locus sive terra, unde Amorrhæus homo, Deo exterminante, disperiit. Cum itaque dicit : « Ergo exterminavi Amorrhæum, » subintelligendum est: Et mutabilis non sum, et ea quæ destruxi, non reædificabo, ita ut qui superbos exterminare consuevi, vobis superbientibus, et viam humilium declinantibus, nunc favere incipiam, pro eo quod secundum carnem filii Abrahæ estis. Non erit ita,sed sicut Amorrhæo, id est, amaricante diabolo,propter
D superbiam dejecto, « multas mansiones in domo Patris mei » suscitandis de terra humilibus reservavi,et sicut percusso homine Amorrhæo et gigante superbo, patribus vestris, cum essent pauperes et humiles, terram eis dedi, ita vobis, quoniam viam humilium declinatis, « regnum Dei auferetur, et dabitur genti humili facienti fructus ejus, et locus quoque vester terrenus, et gens simul auferetur (*Matth.* XXI). » Nomen quoque Amorrhæi,id est amaricantis, nonne Judæo congruit, qui totus in felle positus amaritudinis, sicut ipse Christus ait, et Christum cujus opera vidit et audivit, et Deum patrem ejus odit ? (*Joan.* XV.) Utramque vindictam

unde jam præfati sumus, brevibus verbis per similitudinem altitudinis cedri, sive quercus sese intentare significat, cum subjunxit : « Et contrivi fructus ejus desuper, et radices ejus subter. » Fructus enim Judaici populi desuper, cœlestia fuere dona Dei, et radices ejus subter, terrena fuere bona, quibus cordis radicem fixit, quod facere non debuit, et hunc utrumque fructum Dominus contrivit, quia, sicut jam dictum est, utraque bona perdidit in illo Amorrhæo, cujus terram ad tempus possedit, ita et fructus contritus est pariter, et radix, ut non solum terra ejus tolleretur, sed ipse ferro succideretur, et omnis posteritas ejus deleri jussa est. Porro, et Amorrhæi diaboli hunc fructus desuper contritus est, quando de cœlo in hunc aerem dejectus est, tunc autem radices ejus conterentur subter, quando de isto quoque aere sive mundo, ubi mane fructificat, in perfidorum cordibus penitus evelletur, et in infernum præcipitabitur. Utraque bona, quæ Israeli contulerat, quæ propter superbiam ablaturus erat, hoc modo ingratis commemorat : « Ego sum, inquit, qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et eduxi in desertum quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi. » Hoc namque beneficium terrenum est : « Et suscitavi de filiis vestris prophetas, et de juvenibus vestris Nazarenos. » Hoc beneficium cœleste est : Nazaræos, id est sanctos et prophetas de illa gente Dominus quam multos suscitavit, qui fecerunt fructum regni Dei, quis hoc negare possit ? Utique nemo. Idcirco fidenter interrogat : « Nunquid non ita est, filii Israel, dicit Dominus ? » Sciens quod illi respondere non possunt aliud, nisi quia ita est. Utrumque, sicut supra jam dictum est, perdiderunt, scilicet et cœleste Dei regnum, de quo est multiplicitas prophetarum et Nazaræorum, id est sanctorum, et eum qui fuit Amorrhæi, locum terrenum. Verum illa dona regni Dei, sicut nemo invitus, nemo nisi volens amittit, ita nec illi. Volentes namque amiserunt, volentes repulerunt. Hoc est quod continuo sequitur, « et propinabatis Nazaræis vinum, et prophetis mandabatis, dicentes, Ne prophetetis. » Nazaræis namque habentibus super se continentiæ votum, propinare vinum, et voti reos facere, satis pro argumento est nullum velle habere sanctum, et prophetis mandare ut non prophetarent, hoc nimirum erat, non solum loqui, sed etiam agere contra Spiritum sanctum, qui loquebatur per os prophetarum. Cum autem ita spernerent cœleste Dei regnum, nihilominus tamen semper possidere voluissent locum Amorrhæi terrenum. Profecto supernæ justitiæ non sic erat complacitum. Sed quid ? Continuo sequitur : « Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum feno, et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam, et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam, et robustus corde inter fortes nudus fugiet in die illa, dicit Dominus. » Breviter cum

A dicit : « Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum feno, » illud innuit quod retinere non queant illum jam sæpedictum Amorrhæi locum, sed transmigrare debeant ad alium, quoniam contempserunt illud quod melius est Dei regnum, sicut fenum succisum, plaustroque impositum ad comburendum, eo quod sit aridum, et nullum eum rore cœli jam possit concipere vel reddere florem aut fructum. Porro, plaustrum stridens, eo ipso quod stridet, et longe exululat, semetipsum onere prægravatum esse indicat. Illud ergo per hanc similitudinem significare videtur quod quandocunque Israel succidatur, et de terra sua transferatur, taliter fiat, ut sciant gentes longe per circuitum quia sic ejus promeruit iniquitas. Unde ad Salomonem

B de hujusmodi loquens Dominus : « Omnis, inquit, qui transierit, stupebit, et sibilabit, et dicet : Quare sic fecit Dominus terræ huic, et domui huic ! Et respondebunt : Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos et coluerunt, idcirco induxit super eos Dominus omne malum hoc (*II Par.* VII). » Nimirum hoc est Dominum, quasi plaustrum onustum feno, stridere, et causas excidii vel captivitatis illorum latere non sinere. Et quia plaustrum tardius procedit atque idcirco citius ab insequentibus potest comprehendi, fenumque comprehensum facile est dispergi, aut etiam igne succendi, « peribit, ait, fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam. » Hæc et cætera,

C si ad decem tribuum, quæ tunc imminebat, captivitatem respicimus singula de singulis taliter intelligenda traduntur : « Peribit fuga a veloce, » quem Hebræi Jeroboam filium Naboth intelligunt, qui prius in Ægyptum fugerat. Hic autem non ipsos principes, **125** sed domos eorum et sobolem accipiamus. « Et fortis non obtinebit virtutem suam. » *Fortem* Baasa interpretatur, qui fuit ad bella promptissimus, « et robustus non salvabit animam suam, » hunc Amri sentiunt. « Et tenens arcum, non stabit, de Jehu filio Namsi, qui Joram regem Israel sagitta percussit, dictum putant. « Et velox pedibus suis non salvabitur, » Manahen intelligunt, qui frustra festinans regi Assyriorum dona direxit. « Et ascensor equi non salvabit animam suam. » Hunc

D *Phaceæ filium Romeliæ* interpretantur, qui juncto sibi Syro, sub rege Achaz Judæ, multa vastavit (*IV Reg.* XVII). « Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die dicit Dominus, » solus Osee, qui ultimus rex decem tribuum fuit, et errantem populum ad Dei cultum revocare conatus est, quasi nudus egredietur de incendio. Nudum autem vocat, quia sub ipso decem tribus captæ sunt. Hoc Hebræi autumant, ait beatus Hieronymus. Cæterum si ista quoque referre cupimus ad tempus illud, quod propheta prospiciens in initio dixit : « Dominus de Sion rugiet et de Jerusalem dabit vocem suam (*Ose.* I), » scilicet ad tempus evangelicæ prædicationis, quod extrema subsecuta est captivitas illius popu-

li, cœtus ille Pharisaicus sive Judaicus recte cunctis A denotatur nominibus istis. Ille namque veraciter et pro vera similitudine, peccatis exigentibus meretur fenum dici, falso autem et pro vana suimet æstimatione « velox, fortis, robustus, tenens arcum, velox pedibus suis, ascensor equi, et robustus corde, » ad tempus potuit videri. Unde notandum et consideratione dignum est, quia quoties hic malum eis intentat per enuntiativa verba hæc, « stridebo subter vos, peribit fuga, non obtinebit fortis virtutem, non salvabit robustus, non stabit tenens arcum, non salvabitur velox, non salvabitur ascensor equi, fugiet robustus corde, » totidem vicibus, id est octies : Væ generationi illi, inclamat Dominus noster : « Væ, inquit, vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, oratione longa orantes. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicunque juraverit per templum, nihil est ; qui autem juraverit in auro templi debet. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum (*Matth.* XXIII). » Econtra respiciendum, quia totidem, id est octo vicibus sanctos suos beatificat idem Dominus. « Beati, inquit, pauperes spiritu. Beati mites. Beati qui lugent. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. Beati misericordes. Beati mundo corde. Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V). » Item, damnationis infelicium quot verba sunt superius digesta, « stridebo subter vos, » et cætera totidem, id est octo beatitudinis sanctorum prædicationes sunt, « quoniam ipsorum est regnum cœlorum, quoniam ipsi possidebunt terram, quoniam ipsi consolabuntur, B quoniam ipsi saturabuntur, quoniam ipsi misericordiam consequentur, quoniam ipsi Deum videbunt, quoniam filii Dei vocabuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*ibi l.*) » Nec frustra et hic numerus octonarius in remuneratione piorum et illic in damnatione consideratur ipsorum [*F.* impiorum], quia videlicet utraque pars octava mundi ætate consummabitur, et tunc manifeste scietur, quia « judicia Domini justa et vera (*Psal.* XVIII) » sunt. Nec ex parte, ut nunc, sed integre cognoscetur, quam vero judicio fiat, vel factum sit illud, quod hactenus itidem octo vicibus ait : « Non convertam eum, » quæ summa trium et quatuor scelerum vindicta est.

LIBER SECUNDUS.

126 Magna valde, et nihilominus justa judicia C Domini maximam circa gentem Israeliticam admiranda sunt, quia videlicet gens illa, sicut pro parte electorum cunctis insignior, ita pro parte reproborum, cunctis coram Deo et coram hominibus facta est vilior, damnata tam in præsenti quam in futuro sæculo, et hæc judicia sunt quidem digne admiranda, sed non nimis importune scrutanda. Scriptum est enim : Et qui nimius scrutator est majestatis, opprimetur ab ea (*Prov.* XXV), » quis porro nimius scrutator majestatis est judicandus, nisi qui extra quam debet majestatem scrutatur ? Certus quippe est locus, in quo tantummodo illam scrutari nobis conceditur, qui videlicet locus sancta Scriptura est. In illa et per illam tantummodo licere nobis judicia Domini scrutari, Psalmista testatur, cum dicit :« In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (*Psal.* CVIII) : » addendo namque *oris tui*, contentum se esse indicat auctoritate vel testimonio Scripturæ sacræ, quam utique locutum est os Domini, et quis extra illam judicia Domini scrutatur, nisi qui proprii cordis suspicionem testatur ? Talis utique scrutator majestatis nimius est, unde et oppressus ab ea, diversas et contrarias incurrit hæreses. Contenti igitur competenti loco, mentem benevolam auremque attentam divinæ auctoritatis vocibus accommodemus. Quæ profecto de oraculo sancti Spiritus cum admiranda subtilitate taliter proferuntur.

CAP. III. — « Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel, super omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens : Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis ? Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam ? Nunquid dabit catulus leonis vocem suam de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit. Nunquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe ? Nunquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit ? Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet ? Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit ? Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit Dominus secretum suum ad servos suos prophetas. Leo rugiet, quis non timebit ? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit ? » Dicta hæc vere clarissima et valde splendida sunt, sed splendor et claritas eorum propterea minus lucet, quia nostram caliginem patimur, et a nimia claritate lippientes oculi reverberantur. Quod si sensum eorum, ipso aspirante, cujus dicta sunt, aliquatenus consequi meruimus, profecto judicia Domino non solum humiliter, verum etiam

scienter laudare poterimus. « Audite, inquit, verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel, » Magna dicturus iste, paulo ante Thecuites pastor, et statim cœlestis rhetor, competenter attentum postulat auditorem, et hoc agit cum commemoratione magni et noti beneficii,dum præmisso, « audite verbum, quod locutus est Dominus, » subjungit « super omnem cognationem quam eduxi de terra Ægypti. » Sit namque, quia maxime commemorando beneficium hoc debet effici,ut auditores qui jam poterant esse attenti, sint etiam benevoli. « Locutus est autem Dominus,dicens : Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ ; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.» Jam ad istam Domini locutionem Israel impœnitens, non tamen impunitus sese in sua pœna erigit, et de ipsa pœna, quam dissimulare vel abscondere non potest,culpam adhuc defendit,et gloriabundus dicit: Idcirco nos tantum præ cæteris gentibus a Deo corripimur, ducti in omnes gentes captivi,quia nos præ cæteris gentibus diligit, sicut ipse in propheta dicit : « Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: Idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. » Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter exspectat, ut eas, cum judicii dies venerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita et in nobis statuit,ut peccatis nostris in finem devolutis, tunc demum nos vindicet. Hoc modo semetipsos corpore et anima captivi consolantur adhuc, sed vere frustra, quandiu impœnitentes sunt, neque peccato abrenuntiant, pro quo puniuntur. Quo enim corripiendo Deus, quo visitando iniquitates tendit Dominus, nisi ut flagellis commonitus peccator, peccatum agnoscat veniamque precetur ad meliora conversus? Illic omnino intendit, ut peccator, in quo displicuit Deo,displiceat etiam sibi. Quod si adeo rebellis est et duræ cervicis, ut flagellando id effici non possit, tunc demum non jam ut pater pius, sed ut judex iratus contumacem foras mittit et abjicit, nullo modo convenientem vel consentientem sibi.Hanc intentionem suam Deus notam esse volens,post aliqua in eodem propheta dicit : « Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris,et non estis reversi ad me (*Amos.* IV, et cætera). » Igitur tantis oppressus malis est populus, non est unde se consoletur,dum de pœna nequaquam ad correctionem eruditur. Et quia sibimet in hoc blanditur, quod dicit Dominus, « tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus, » severiori sensu hoc idem in ipsum taliter retorquendum est. Ita « vos cognovi, ait Dominus,ex omnibus cognationibus, » ut cognitionem mei vos habere facerem, dando vobis legem scriptam,quam cæteris non dederam nationibus. Est autem dignum, ut servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digne plagis vapulet multis, ne-
127 sciens autem, plagis vapulet paucis (*Luc.* XII). Igitur « visitabo super vos omnes iniquitates

A vestras » instante judicio, remota misericordia, tanta cum severitate, ut ne saltem commonitorium vobiscum sermonem conferre libeat. Quod si adhuc quæritis, ecce hoc ipsum quam rationabile sit, per hoc simile intimo cuilibet auri audienti. « Nunquid ambulabunt duo pariter,nisi convenerit eis ? » Utique dicetis mihi ; Non. Ad hæc, inquam : Nos duo sumus, ego qui arguo vel corripio Deus, et Israel qui corripitur : Nimirum non convenit nobis, quia me corripientem Deum correptus Israel non audit. In hoc nobis nimium disconvenit, quia ego arguo, ille se defendit. Ecce tot anni sunt, et tot reges fuerunt, ex quo Jeroboam vitulos aureos fecit,misi prophetas, et nullus consensit, nullus enim regnum a peccatis Jeroboam recessit.Item et per memetipsum B veni arguens et corrripiens Deus homo factus.Vos autem justificatis vos coram hominibus,et cum sitis infirmi,dicitis medico : Non es tu nobis necessarius. Igitur non pariter ambulabimus, sed et Israel in Assyrios, et Juda in omnes gentes ductus captivus, nulla per prophetas aut prædicatores aliquos mei confabulatione dignus judicabitur,quia scriptum est: « Ne effundas sermonem ubi non est auditus (*Eccl.* XXXII.) » Quod si et adhuc simile vel exemplum quæritur ecce aliud : « Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam ? » Leonis quippe natura est quandiu prædam non invenerit silere, inventa autem præda, rugire, ut quodcunque illud sit animal, rugitu tremefactum et attonitum concidat, et in prædam fortiori non tam patienter quam impatienter C cedat. Porro, leo per similitudinem Deus fortissimus est,cujus iræ resistere nemo potest. Præda vero ejus est omnis electus, qui ubicunque sit, quoniam ad vitam est prædestinatus, ab ipso Deo requiritur,ut ad vocem ejus, sive per Angelum,sive per prophetam, sive per Scripturas, auditam ille contremiscat, diemque judicii vel pœnam gehennalem pavescens, totus humiliter succumbat,pœnitentiam apprehendat, sicque in partem ejus cedat, et unus cum eo spiritus fiat, bene devoratus, juxta illud : « Macta et manduca (*Act.* X). » Igitur quod ait : « Nunquid rugiet Leo in saltu nisi habuerit prædam ? » Idem est ac si dicat : Nunquid dignum Deo est, illic verba facere, vel illuc prophetam mittere, ubi scit non esse quemquam dignum vitæ æternæ? Ad quod cum ratione exigente responderis: Non. D Consequenter,ut justum est, concedas esse Dei judicium, in eo quod clausit Israeli ora prophetarum, nullumque super eum suæ prædicationis emittit rugitum. Hoc ipsum et in suo adventu attendit Dei Filius. Unde et sequitur : « Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo,nisi aliquid apprehenderit? » Catulus leonis Christus est Filius fortissimus Dei fortissimi, secundum illud patriarchæ Jacob : « Catulus leonis, Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. » Cubile ejus sepulcrum ejus exstitit, de quo idem continuo subjungit:« Requiescens accubuisti ut leo,et quasi leæna.Quis suscitabit eum?» (*Gen.* XLIX.) Vox quam dedit iste catulus leonis de illo cubili,

Evangelii prædicatio est, quam cunctis gentibus auditam fecit, postquam de illo cubili, id est de sepulcro exsilivit, resurgendo ex mortuis. Ait ergo: « Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? » Ac si dicat: Nunquid Evangelium suum in illis gentibus vel in locis prædicabit, aut prædicari jubebit, ubi nullum sciat esse qui ad se pertineat, et suscipere debeat gratiam prædicationis? Non utique, imo tacebit, et prædicatores suos illic vocem dare prohibebit. Hinc enim de ipsis prædicatoribus scriptum est: « Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem Mysiam, tentabant ire Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu (*Act.* xvi). » Ibi ergo vel eo tempore vocem dat iste catulus leonis, ubi vel quando novit inveniendum esse quod apprehendat, id est aliquem qui credendo salvus fiat. Unde iterum ibidem scriptum est: « Cum autem pertransissent Mysiam, ascenderunt Troadem, et visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum dicens: Transiens in Macedoniam adjuva nos. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quia vocasset nos Deus Evangelizare eis (*ibid.*). » Interea notandum est quod præcedenti versiculo cum dicit: « Nunquid rugiet Leo, » signanter addit, « in saltu, » et tunc demum subjungit, « nisi habuerit prædam. » Quod itidem subaudiendum est, in hoc sequenti versiculo cum dicit: « Nunquid dabit catulus leonis vocem suam » videlicet in saltu? Quid enim per saltum intelligi oportet, nisi multiplicitatem generis humani, quæ super numerum crevit, cujus abundantia tota silvestris et sterilis est? Leo quippe sive catulus leonis non saltum, sed in saltu aliquid apprehendere quærit, id est Deus sive Christus Dei Filius non illos, quorum ut nascerentur causa peccatum fuit, sed tantum filios benedictionis per legem sive per Evangelium suum requisivit, et requirit, et ubi vel quando requirere debeat, vel quinam illi sint, ipse novit. Quos autem dicimus filios benedictionis? Nimirum illos, quos creatis primis hominibus benedicendo jussit nasci, sicut scriptum est: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram, et subjicite eam (*Gen.* i). » Solos nimirum electos suos tunc jussit nasci, et nisi peccatum incidisset, soli nati fuissent vel nascerentur electi. Quicunque nascuntur super numerum electorum, ut nascantur, propter peccatum fit, et peccatum causa est multiplicitatis eorum, sive multitudinis, quia videlicet propter peccatum mulieri Dominus dixit: « Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos (*Gen.* iii). » Ista multiplicitas coram leone isto, sive catulo leonis quidem saltus est, in quo devoluti sunt, et dispersi erraverunt omnes electi Dei, ut non potuissent inveniri vel discerni,

A nisi magna vigilantia requisisset eos Deus, vel Filius Dei, tanquam famelicus leo, vel ut esuriens catulus leonis. Igitur tribus his versiculis: « Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis? Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? » tribus, inquam, istis versiculis, si recte intelliguntur, satis excusatum arbitramur Deum, quod non sine præjudicio dixerit toties superius, « non convertam eum, » et quod perditionis aliquorum hominum causa non sit ejus silentium. Non enim propterea quia siluit ipse, aliqui perierunt, sed propterea quia converti non poterant, continuit ab illis vocem suam, « non ignorans, ut ait Sapientia, quoniam iniqua est natio

B eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum: semen enim erat maledictum ab initio (*Sap.* xii). » Sed forte dicet aliquis: Iste idem catulus leonis suo ore dixit: « Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent (*Matth.* xi). » Item, « quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque ad hanc diem (*ibid.*) » Cur ergo saltem **128** illic leo non rugiit, quando quidem erat ibi, quod apprehendere potuit? Verum de hoc jam alibi diximus. Et idcirco non diu immorandum est, breviter tamen repetimus quia Deus de tali illorum pœnitentia non curavit aut curare

C debuit, quæ non ageretur pro æterna salute futuri sæculi, sed pro vitanda adversitate pro retinenda prosperitate vitæ præsentis. Ut ergo verba prophetica prosequamur, sciendum prius est quia sicut ad spiritum propheticum pertinuit justificare Deum, et excusare de his qui pereunt, ita nihilominus ad eumdem pertinuit gratiam Dei commendare in his qui salvi fiunt. Hoc animadverso, videamus quid sequitur: « Nunquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? » O quam vilium similitudines rerum, quam pretiosum prædicant sacramentum! Propheta hic de pastoralibus assumptus, qualia videre vel agere solitus erat in pascuis, talibus contentus est ad commendanda per aliquas similitudines divina mysteria sic incipiendo: « Et luxerunt speciosa pastorum (*Amos.* i), » et deinde dicendo, « Do-

D minus de Sion rugiet (*ibid.*); » et: « Nunquid rugiet leo in saltu, et nunquid cadet avis in laqueum? » et cætera bis similia, quæ cuncta fere pastoralia sunt. Sufficiunt cœlesti magisterio res sive instrumentum non solum piscatorum, verum etiam pastorum, ut per eorum similitudines docti sint et doceant convenienter gloriam rerum cœlestium. « Nunquid cadet, ait, avis in laqueum terræ absque aucupe? » Videlicet respondebitis: Non. Nisi enim auceps arte sua laqueum diligenter tendat, et omni satagat industria, quatenus avem capiat, avis fugitiva semper et vaga prius fauces incurrit accipitris, sive columba sive turtur illa sit, aut certe turdus pinguis, prius,

inquam, accipitri cedet in prædam quam sua sponte A ad regis inclyti devolet mensam; quam ergo gratiam providus auceps habeat illi cum suo illam laqueo ceperit? Utique nullam, sed ejusdem potius industriæ res omnis attribuenda est. Sic profecto dum animam errantem et per vanitates et insanias falsas volitantem, veritas Dei suo laqueo comprehenderit, ita ut consentiat veritati, bene illaqueata verbo salutis, cui contradicere non possit, et idcirco nec etiam velit totum gratiæ Dei attribuendum est, qui boni verbi sui laqueum tendit, ut avicula vaga, scilicet anima, prius deveniat in manum Domini Dei, quam fauces incurrat diaboli. Ergo per hanc similitudinem versiculus iste Dei gratiam, sequens autem Dei potentiæ efficaciam, efficacem Dei commendat potentiam. Ait enim: « Nunquid auferetur B laqueus de terra, antequam quid ceperit? » Hoc enim idem est, ac si dicat: Deus intendens opus bonum, opus perfectum. Nunquid verbum meum redibit ad me vacuum? Non utique; nam etiam in alio propheta dicit ipse: « Et quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti, sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud (*Isa.* LV). » Secundum sensum eumdem dictum hoc accipiamus, ac si dicat propheta: Sic laqueus non auferetur de terra antequam quid capiat, sic verbum meum in vacuum non ibit, sed in eo prosperabitur, ut omnem electorum numerum ad C me reducat. Sed nunquid in collectione electorum, quæ per laquei captionem recte intelligitur, sicut et per laxationem retium piscantium sola operata est, vel operatur sapientiæ ratio, et non etiam fortissimus judicii terror auditus in omni mundo. Sequitur ergo: « Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? » Tuba namque belli signum, revelationem iræ Dei significat venturæ super omnem impium, quæ tunc temporis quidem nuntiabatur vocibus legis et prophetarum, tandem autem revelatur per Christi Evangelium. « Justitia enim Dei, inquit Apostolus, in eo revelatur (*Rom.* I). » Item: « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem in injustitia detinent (*ibid.*). » Ergo quod D ait: « Si clanget tuba in civitate, et populus, non expavescet, » idem esse videtur, ac si dicat: Quamvis verbum vel sapientiam Dei comprehendentem simplices in simplicitate eorum, et sapientes in astutia eorum, per similitudinem laquei significaverunt, nequaquam tamen existimes quod semper suppresse resonare, vel in angulis susurrare, et de humo audiri debeat verbum Dei. Sic enim terribiliter in toto audietur orbe, sicut tuba clangens in civitate quam cum populus audierit, sine dubio expavescet. Porro civitas diaboli contraria civitati Dei, neque per subtilitatem laquei, neque per terrorem tubæ clangentis convertitur, ut resipiscat et effugiat iram Dei, et propter hoc neque in hoc sæculo, neque in futuro, malum deest illi, faciente judicio Dei. Sequitur ergo: « Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit? » Et quidem in civitate illa, id est in hoc mundo, « qui in maligna positus est (*Joan.* V), » malum esse non potest negari, sed quod Dominus malum ipsum faciat, negare contendunt cives ejusdem civitatis, Deo rebelles et increduli. Exempli gratia: malum venit in civitatem Samariæ propter vitulos aureos quos fecit Jeroboam, cujus a peccatis nullus regum Israel recessit, illud videlicet malum quod Israel ab Assyriis captivus ductus est. Malum itidem venit in civitate Jerusalem, ut primum a Babyloniis, et deinde exscinderetur a Romanis. Nonne hujusmodi malum Dominus fecit? Etenim malum quidem, quod est iniquitas, Dominus non fecit, sed malum, quod est affectio propter iniquitatem, Dominus induxit. Unde hoc comprobari poterit? Ait, « quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelarit Dominus secretum suum ad servos suos prophetas. » Nimirum ad comprobandum, quod Dominus fecerit ejusmodi malum, magnum et evidens est argumentum, quod priusquam faciat illud, priusquam veniat ipsum malum, dum adhuc in dispositione Domini latet secretum, revelat illud servis suis prophetis, ut illi pronuntient futurum, ut audientes aliqui metuant, sibique caveant, et fugiant, juxta illud: « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus (*Psal.* LIX). Sic non fecit Dominus Deus diluvium (*Gen.* VI), nisi prius revelaret secretum suum ad Noe servum suum. Sic non pluit ignem et sulphurem super Sodomam et Gomorrham (*Gen.* XVIII) nisi prius revelaret secretum suum ad Abraham amicum suum. Sic non percussit Ægyptum, neque submersit Pharaonem in mari Rubro, totumque ejus exercitum (*Exod.* XXXIV), nisi prius revelaret secretum suum ad Moysen servum suum. Sic et de cæteris omnibus sentiendum, quæcunque acta vel agenda sunt usque ad novissimam tubam, qua personante, ultimum celebrabitur judicium, quia nihil actum vel agendum est ita ut non sit ante revelatum. Itaque non erit malum in civitate quod Dominus non fecit, quod exinde comprobari potest, quia non faciet quidquam Dominus Deus, nisi prius ad servos suos prophetas secretum suum revelaverit. Hæc isto dicente qui pastor fuit, subaudiendum est, ac si dicat, quia malum in Israel faciet Dominus, et antequam hoc faciat, ad me servum et prophetam suum secretum suum revelavit. Item et illud memoriter tenendum est, quia rebellis et contemptor Israel cum regibus suis, silentium indicebat prophetis, sicut superius in persona sua **129** Dominus dixit: « Et propinabatis Nazaræis vinum, et prophetis mandabatis, dicentes, Ne prophetetis. » Et cui ex omnibus prophetis protervius mandaret, quam isti qui pastor fuit. Itaque pecorum quidem pastor, sed regnum imperator forti auctoritate sese accingit, et dicit: « Leo rugiet,

quis non timebit? » Quam similitudinem ut quid arripuerit, sequenti protinus percunctatione aperit, cum dicit : « Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? » Est enim hic sensus : Vos reges et principes, et superbi divites, assueti estis mandare prophetis, et dicere : « Ne prophetetis. » Quis est hic? Ego autem dico vobis, quia loquente Domino et dicente, Vade et propheta, ego ita quasi ad rugitum leonis timeo, et tacere non audeo, et prophetandi necessitatem habeo, quamvis vos reges, et ego sum pastor. Et quid vultis? Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Sed nunquid spectandum erat illi ad arbitrium sive judicium illorum, quibus consuetudo erat mandare et dicere prophetis : « Ne prophetetis? » Nonne secundum velle illorum, non Deo potius quam hominibus, sed hominibus potius quam Deo putaret esse obediendum? (*Act.* v.) Nempe Deum præferre homini regi, rebellionem esse censerent. Hinc enim longe inferius scriptum est, et misit Amasias sacerdotes Bethel ad Jeroboam regem Israel dicens : « Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel, non poterit terra sustinere universos sermones ejus (*Amos* vii). » Recte igitur non exspectata responsione, cum dixisset : « Leo rugiet, quis non timebit? » Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit, confestim ipsum Domini rugitum, ipsam Domini Dei locutionem constanter adjecit : « Auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti, et dicite : Congregamini super omnem montem Samariæ, et videte insanias multas in medio ejus, et calumniam patientes in penetralibus ejus, et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem, et rapinas in ædibus suis. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Tribulabitur et circuietur terra, et detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur ædes tuæ. » Hic est rugitus leonis, hæc est locutio Domini terrentis prophetam, ne tacere audeat, prophetare ne differat, jubetur ut annuntiet Azoto et terræ Ægypti quæ sequuntur : Dicite, inquit, ut congregentur quæ in vicinio sunt, et videant scelera Israel, ne iniquum putent esse judicium. Ac si dicat : Prius videte quæ faciunt, et tunc meam sententiam comprobate. Propter hujusmodi sollicitudinem Moyses sese habere ostendebat, quando irato Domino propter vitulum quem fecit Aaron, et dicente : « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam (*Exod.* xxxii), » stans in confractione, id est in nimia cordis humilitate in conspectu ejus orabat, dicens : « Ne quæso dicant Ægyptii : Callide eduxit eos ut interficeret in montibus et deleret e terra, quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui (*ibid.*). » Igitur quoniam tunc, ut videbatur amico meo Moysi, non expediebat honori meo delere illos, ne tale quid dicerent Ægyptii, quia nondum innotuerant illis causæ propter quas juste deberem contra populum meum irasci, nunc insaniæ, quas faciunt, innotescant et Ægyptiis et Azoto,

A id est, Philistiim, qui Israelis inimici sunt perpetui, et videant magnitudinem insaniæ, imo multas insanias in medio Samariæ, ut pro Deo adorent vitulos, et immolent filios suos, et præterea calumniam faciant in penetralibus suis, ita calumniosi, ita injusti, ut rectum facere nesciant, id est, nullo modo approbent rectitudinem sive justitiam. Denique hoc nescire contemnere est. Secundum hunc modum Pharao non intelligens : « Nescio, inquit, Deum, et Israel non dimittam (*Exod.* v). » Judæi quoque videntes Dominum et opera ejus, qualia nemo alius fecit : « Nos scimus, aiunt, quia Moysi locutus est Dominus, hunc autem nescimus unde sit (*Joan.* ix). » Porro nescire istorum præsenti loco maxime cupiditas, quæ excæcat oculos etiam sapientium, fecisse B innuitur, cum protinus subditur : « Thesaurizantes iniquitatem, et rapinas in ædibus suis. » Quantæ hoc damnationis sit, videlicet thesauros congerere de iniquitate et de rapinis, præsertim in illo populo, qui pauper in Ægypto fuit (*Exod.* xxiii), quem misericordia liberatoris Dei de illo camino paupertatis eduxit, non satis digne potest edici. Superbia hæc maxime detestabilis est in servis illis de paupertate et servitio redemptis. Idcirco pulchre « congregamini, inquit, super omnem montem Samariæ, et videte, » montium nomine magnitudinem volens intelligi superbiæ. Nam provincia quidem Samariæ in montuosis sita est, sed ad cognoscendam die judicii Dei justitiam, plus valet considerare altitudinem Samaritanæ superbiæ, quam terrenos sive locales montes Samariæ. « Propterea tribulabitur, ait, et circuietur C terra, et detrahetur ex te fortitudo Judæ, et diripientur ædes tuæ. » Parum esset dixisse, « tribulabitur et circuietur terra, » nisi addidisset, « et detrahetur ex te fortitudo tua. » Denique et ante tempora illa tribulata fuerat terra, tunc videlicet, quando, sicut in libro Judicum legimus, « tradidit Dominus Israel in manu Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis (*Judic.* iii), » et tunc quando confortavit adversus eos Eglon regem Moab, servieruntque ei octodecim annis, et tunc quando tradidit illos in manus Jabin regis Chanaan, et per viginti annos vehementer oppressit eos, et tunc quando tradidit eos in manus Madian septem annis, et oppressi sunt valde ab eis, et tunc quando tradidit eos in manus Philistiim et D filiorum Ammon, afflictique sunt et vehementer oppressi per annos octodecim. Tot siquidem vicibus, id est quinquies, tribulata fuerat terra, sed nondum ex te, o Israel, detracta fuerat fortitudo tua, nondum enim captivus migraveras de terra tua. Nunc « detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur ædes tuæ, » quia captivus migrabis omni tua supellectili captivantibus Assyriis in prædam cedente. Nam ac si quærat aliquis : Ergone nullæ supererunt reliquiæ, continuo subjungit : « Hæc dicit Dominus : Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli et in grabato

Damasci. » Reliquiæ istæ, videlicet duo crura et A extremum auriculæ cujuscunque pecoris parvæ sunt, sed hoc prosunt erutæ de ore leonis, quod ex eis potest agnosci quale fuerit pecus quod leo devoravit, utrum ovis an vitulus, utrum asellus an pullus equinus. Quamvis quatuor sint crura transeuntium sub virga pastoris, duo tamen crura pro judicio sufficiunt, alterum de anterioribus, alterum de posterioribus. « Sic, inquit, eruentur filii Israel, » id est, magnæ devorationi, multisque mortibus supererunt aliqui, quorum calamitas memorari faciet quid olim fuerint, qualem gratiam pro peccatis suis amiserint. Recordamur nunc illius in psalmo versiculi : « Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei, disperge illos in virtute tua (*Psal.* LVIII). » Neque enim B dictum illud arbitramur tantummodo de illa dispersione Judæorum quæ facta est imperio Vespasiani et Titi, verum etiam de illa captivitate decem tribuum, quæ tunc instabat et facta est capientibus Assyriis. Spiritus prophetiæ captivitatem utramque prævidit, quæ idcirco facta, ut non tantum uno in loco, sed in **130** omni terra fidem gentium confirmaret, et idcirco pars eorum tanquam « duo crura aut extremum auriculæ de ore leonis, » id est, de cæde vastantium eruta est, et vivere permissi sunt, ut etiam eorum testimonio, sive monimento Dei justitia propagetur, et Scripturarum veritas ubique sit, illis circumferentibus, ex quibus Christus Dei Filius testimonium habens, ex lege et prophetis cognoscitur. Miseræ ergo reliquiæ, quæ sic erutæ sunt, quæque aliis et non sibi utiles sunt. Causam tantæ de- C vorationis continuo subjungit dicendo : « Qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, et in grabato Damasci. » Causa magna est, et magni reatus criminis, quam significat verbis hujuscemodi. Illo namque tempore, quo prophetante isto decem tribuum captivitas imminebat, fœderati erant filius Romeliæ rex Israel, et Rasin rex Syriæ, et pariter ascenderunt ad præliandum in Jerusalem. Cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum (*IV Reg.* XVI). Arguuntur ergo filii Israel sive habitatores Samariæ, quod requiescerent in plaga lectuli, et in grabato Damasci, id est, quod fiderent in homine, derelicto auxilio Dei, cum scriptum sit : « Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedat cor ejus (*Jerem.* D XVII). » Et quis vim sensuum verbis valeat digne consequi, cum dicitur : « In plaga lectuli et in grabato Damasci ?» Damascum vult esse in grabatum, imo in grabato jacentem ægrotum, ut vere erat, cum esset rex ejus homo mortalis et obnoxius peccato atque corruptioni, quod mirabiliter significatur per plagam lectuli. Hominis namque sine Deo quæ videtur esse firmitas tanta est infirmitas, ut plaga lectuli, id est, sicut plaga vehementissima propter quam plagatus in lectulo necessario decumbit, et neque sibi subvenire potest neque alii. Nam si nullum in corpore vulnus recepisset Damascus, id est, Damasci rex Rasin, tamen nihilominus ad increpandam stultitiam Israel, qui posuerat carnem brachium suum, ut a Domino recederet cor ejus, pulchre et veraciter auxilium illud dici poterat grabatus, qui est lectulus ægroti. Poterat, inquam, dici plaga lectuli, sive lectulus plagati. At vero Rasin etiam corporaliter plagatus fuit. Mittente namque Achaz nuntios ad regem Assyriorum, et dicente : « Ascende et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel qui consurrexerunt adversum me, ascendit rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam, et transtulit habitatores ejus Cyrenen, Rasin autem interfecit (*IV Reg.* XVI). » Itaque per plagam lectuli plagatum, imo et interfectum intelligimus Rasin. Per grabatum autem Damasci vastationem atque translationem habitatorum ejusdem Damasci, quæ nimirum magna fuit ægritudo, velut in grabato decumbentis. Stultitiæ igitur Israel redarguitur, qui in tali et tanta infirmitate fiduciam habuit, qua, ut dignum erat, frustratus, ipse quoque postmodum captivus discessit, tanquam in devorationem leonis, ita ut quidquid extunc de illo superfuit, totum pro duobus cruribus et pro extremo auriculæ reputetur, ad comparationem priscæ integritatis. Sequitur : « Audite et contestamini in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercituum, quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel, super eum visitabo et super altaria Bethel, et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram, et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva, et peribunt domus eburneæ, et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus. » Mira et justa verba Domini et Spiritus sancti auctoritas, quomodo de ore pastoris non minus quam de ore imperatoris pertonat. Supra dixerat : « auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti, » nunc « audite, inquit, et contestamini in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercituum ; » et deinde tertio dicturus est : « Audite hoc verbum, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ. » Si de pastore jam in regem fuisset assumptus, ut David, quid vellemus addi ad tantam majestatem elocutionis ? Et vide quam pulchre, quam congrue nunc interponit, dicit Dominus Deus exercituum, dum visitationem prænuntiat super altaria Bethel, videlicet ubi colebat Israel similitudinem vituli comedentis fenum. Nonne opportuna commemoratione suum declamat patronum Dominum Deum exercituum, contra illum tunc temporis patronum Israelis, non Dominum aut Deum exercituum, sed vitulum cornutum, non solum brutum, verum etiam sensu carentem, nec solum sensu carentem, verum etiam inanimatum ? « Audite » ergo, inquit, « et contestamini in domo Jacob, » ne quis de ignorantia se excuset, et hoc, non quia dico ego pastor armentarius, vel pastor vitulorum, sed quia hoc « dicit Dominus Deus exercituum, » contra vestrum deum, non saltem vitulum succo vel sanguine plenum, sed inane vituli simulacrum. Et quid dicit : « Quia in

die, cum visitare cœpero prævaricationes Israel?» in die, inquam, id est, in manifesto, ita ut causæ visitationis, scilicet prævaricationes Israel, luce vel die clariores sint, etiam in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti, ut non sit opus dicere quare sic fecit Dominus terræ huic et populo huic, tunc « visitabo » etiam « super altaria Bethel, » ut videlicet memoria vitulorum pereat, quorum unus est in Bethel, quæ debuit esse domus Dei, secundum hoc ipsum nomen, quod dicitur Bethel. Et vide quam magnifice talem Deum, quam eleganter vitulum cornutum percutit, dicendo : « Et amputabuntur cornua altaris, » videlicet propter cornutam, quam colebat Israel, formam vituli, fenum comedentis. Amputata ergo cornua altaris, id est, desolati cultores simulacri cornuti, « cadent, inquit, in terram, » subauditur, non suam, quia captivi ducentur in terram alienam. Quod deinde subjungit, « et percutiam demum hiemalem cum domo æstiva, » simpliciter juxta litteram accipere possumus, tantarum videlicet eos fuisse opum, ut duplices haberent domos, hiemales et æstivales, quarum aliæ versæ essent ad aquilonem, aliæ ad austrum, ut pro varietate temporum frigoris et caloris, cœlique temperiem providerent. Itidem quod ait « et peribunt domus eburneæ, juxta historiam stare potest. Legimus enim Achab regem Israel tantis fluxisse deliciis, ut domum eburneam sibi fecerit (*III Reg.* XXII). Merito contra tales cœlestis iræ severitas, quibus cum idcirco dedisset Dominus regiones gentium et labores populorum in possessionem, ut custodirent justificationes ejus, et legem ejus requirerent, econtrario contra justificationes ejus, et legem ejus modis omnibus incedentes, vitulis quoque aureis nefario cultu applaudebant, juxta illud : « Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum (*Deut.* XXXII). » Propter ejusmodi crassitudinem, sive incrassationem, impinguationem, dilatationem, atque recalcitrationem tam pulchre, quam veraciter, tam juste quam fortiter, invectione mirabili consurgens sermo divinus clamat et dicit:

Cap. IV. — « Audite hoc verbum, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris, Afferte et bibemus. » Hoc ipsum et quod dicit, Audite, jam tertio fragore infelicium auribus illidit. Primo namque dixerat, « Auditum facite in ædibus Azoti. » Deinde quasi propius accedens, audite, inquit, et contestamini in domo **131** Jacob, nunc velut ad summum perveniens, id est ad ipsos sacerdotes, « Audite, inquit, hoc verbum, vaccæ pingues. » Nempe acrius atque animosius dignum erat percuti tales dæmonum sacerdotes, rerum et animarum hominum voratores, qui assumpti de extremis populi, veritatem in mendacio detinebant, tanquam in hoc ipsum pretio conducti. Fecit enim Jeroboam sacerdotes de extremis populi, callide nimirum agens, et sciens quam libenter cum suo favore re- A pentinas homines extremi divitias exciperent. Ecce vaccæ pingues recte dicuntur ejusmodi sacerdotes. Poterant autem dici vituli pingues, satis congruum hoc illis esset ut vituli dicerentur vitulorum cultores, et in vitulorum simulacris confidentes, atque ex eorum commercio pingues. Quare ergo cum essent sexu virili, vaccas feminas quam vitulos masculos eos dicere maluit? Videlicet ob augmentum confusionis, quia vitulis erant subacti miro genere fornicationis, vaccæ debuerunt dici, quia sicut visibiliter adorando substernebant se talibus vitulis, ita et invisibiliter animæ illorum erant prostitutæ tauris, id est spiritibus malignis. Itaque non parvi ponderis habet, quod dicit : « Audite hoc verbum, vaccæ pingues. » Simul namque tria hæc vehementer astruit, B et similitudinem, de qua Psalmista : « Similes, inquit, illis fiant, qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis (*Psal.* CXXXIV), » et fornicationem, qua, deserto Creatore, fornicabantur cum vitulorum simulacris, et turpem ventris impensionem, quam in otio fovebant, affluentibus de cuncto populo divitiis, veraciter incrassati, impinguati, dilatati, et exinde recalcitrantes, utpote pingues vaccæ, non tantum pingues, verum etiam cornupetæ. Nam et superbia pinguium designatur in eo quod ait, « quæ estis in monte Samariæ, et cornupetarum feritas vaccarum in eo quod protinus subjungit : « Qui calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes. » Deinde quod ait, « quæ dicitis dominis vestris : Afferte et bibemus, » quis satis digne admiretur? Quis alius, C nisi Spiritus sanctus taliter per os pastoris loqueretur ? Vaccæ pingues et nimium delicatæ longius a præsepibus, saltem ad adaquandum, non patiuntur educi, sed ad ipsa præsepia jubent sibi limpidas de puro fonte aquas deportari. Et quibus hoc jubent ? dominis suis, Quibus verbis vel qua similitudine magnificentius indignitas rei potuit explicari ? Sacerdotes illi de extremis populi, ut jam dictum est, assumpti, et per illam assumptionem supremi ac divites effecti, atque velut vaccæ pingues otioso ventre dilatati, accumbebant, plenis epularum mensis, satisque agebant pro imperio dicentes dominis suis, regibus suis : Afferte ut bibamus, et de cætero securos vos faciemus. Etenim dummodo sumptus nobis et pocula non desint statuta jugiter regalibus edictis, nostri studii, nostræ erit providentiæ, præ- D occupatos tenere animos hujus populi, ne velit ascendere ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, quod si fieret, interficerent regem suum, et reverteretur regnum ad domum David. De hoc periculo securos vos faciemus, tantummodo videte ne desit quod bibamus. Pocula disertos facient nos, ut, subornatis vitulis aureolis, pulchre et eleganter dicamus in auribus populi : « Ecce dii tui, o Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti, » et non erit qui nobis assertoribus aliud scire possit. « Audite » igitur, inquit : « Juravit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventi-

bus, et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus. » Quis est iste sanctus, in quo juravit Dominus Deus ? Utique non debet esse minor aut inferior, quam ipse Dominus Deus. « Homines enim, inquit Apostolus, per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum (*Hebr.* VI): » Abrahæ promittens Deus quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum. Ergo hic sanctus suus, in quo jurat Deus, suus est Filius, quem utique Sanctum Dei etiam malignus quoque spiritus cum suo tormento, evangelista testante, confitetur : « Erat, inquit, in synagoga homo habens dæmonium immundum, et exclamavit voce magna dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene ? Venisti perdere nos ? Scio te quis sis Sanctus Dei (*Luc.* IV). » Igitur in sancto suo, non in minore aut in majore, sed in coæquali suo juravit Dominus Deus? Quo autem pertinuit, ut tali pro causa juraret Dominus in illo sancto suo ? Videlicet quia certamen erat Domino Deo contra Israel pro illo sancto suo a domo David, ad quem sancti illius facta fuerat repromissio, et illius promissionis veritatem detinere valebant illæ pingues vaccæ in illo quod colebant mendacio, nec erat pars illis in eadem promissione Dei dicentium : « Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai (*III Reg.* XII). » Quid juravit Dominus Deus in illo Sancto suo ? « Quia ecce dies, inquit, venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus, et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon. » Sensus est : Adventura est non longe et post multa sæcula, sed jam imminens dies captivitatis et angustiæ, in quo capiemini prælio, et portabimini atque auferemini jure victoriæ, jamque viæ captivitatis vobis apertæ sunt, et exibitis alter contra alterum ut vestram vicissim et mutuis vultibus conspiciatis miseriam, et projiciemini in locis Armeniæ, quæ vocatur Armon, et in civitatibus Medorum. Mirari autem magis possumus quam eloqui quantum plus habeat decoris, in eo quod metaphoram vaccarum cœptam servavit, ut quas pingues dixerat esse vaccas, earum carnes dicat in contis et in ferventibus ollis esse portandas. Hoc ipsi nonnunquam fieri vidimus, ut præcoctis carnibus fervens et fumans cacabus in contis levaretur, et de loco ad locum, id est de culina longius deferretur ad domum convivantium. Hoc ergo mirabiliter declamat sermo propheticus, quo ferventi captivitatis angustia decocti transferantur illuc, ubi sub dominis hominibus captivi, a malignis quoque spiritibus, quoniam sunt impœnitentes, devorentur. Sequitur : « Venite ad Bethel, et impie agite ad Galgala, et multiplicate prævaricationem, et afferte victimas vestras, tribus diebus decimas vestras, et sacrificate de fermentato laudem, et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate. Sic enim voluistis, filii Israel.» Gravissimus est hic modus locutionis, quo nunc dicit : Venite et facite sic et sic, et eadem illorum facta ipse oderit qui hæc dicit : « Non est volentis, sed relinquentis : non invitantis, sed expellentis : non adhortantis, sed indignantis (*Judic.* III). » Idcirco recte subjunxit et subjungere debuit : « Sic enim voluistis, filii Israel.» Ac si dicat : Propterea dico, venite ad Bethel ubi est Deus vester, vitulus vester quia « sic voluistis, » et hactenus venistis, propterea dico, impie agite, quia impie agitis, et impie agere vultis, dico, « Venite ad Galgala, » ubi etiam longe ante vitulos Jeroboam erant idola (*III Reg.* XII), quia venitis et venire vultis, dico multiplicate prævaricationem, quia multiplicatis et multiplicare vultis, dico, « Afferte mane victimas vestras tribus diebus decimas vestras, » quia offertis et offerre vultis eis quibus non debetis. Trium namque dierum solemnitates adulterastis, de quibus lex dicit, imo de quibus ego in lege dixi : « Tribus vicibus per singulos annos mihi festa **132** celebrabitis, scilicet azymorum, solemnitatem mensis primitivorum, et solemnitatem in exitu anni (*Exod.* XXIII). » Solemnitates istas ita vos adulterastis ut non mihi sed vestris eas vitulis celebraretis, ne quid vulgo deesse videretur divinæ jucunditatis. Siquidem et in mense octavo, quintadecima die mensis, constituit rex vester Jeroboam diem solemnem phanis suis et vitulis in excelsis, in similitudinem solemnitatis quæ celebrabatur in Juda (*III Reg.* XII). Item dico ; « Sacrificate de fermento laudem, » quia sic facitis et facere vultis fermentati « fermento veteri, fermento malitiæ et nequitiæ, » contra omnem sanctæ et spiritualis legis auctoritatem, quæ fermentatum quid in sacrificio prohibet offerre. Diis vestris ita placet, ut sitis fermentati, et sine « azymis sinceritatis et veritatis.» Illis ergo « de fermentato sacrificate laudem, » quia mihi speciosam de ore vestro, cum sitis peccatores, non potestis sacrificare laudationem. Hæc omnia facientes, « vocate voluntarias oblationes et annuntiate ; » quia sic facitis, et sic facere vultis ut sacrificia quæ vestris offertis vitulis, eisdem nominibus honoretis, quibus ea quæ mihi offeruntur, nuncupat auctoritas legis. « Holocaustum et pro peccato (*Psal.* XXXIX), » et pacifica ; et hæc annuntiate « in sono tubæ, citharæ, in tympano et choro, in chordis et organo, et cymbalis clare sonantibus, in cymbalis jubilationis (*Psal.* CL), » ita ut fortius et altius cantasse judicemini, quam tribus Juda vel domus David in templo Domini, quia plures estis. Hæc omnia, sicut jam dictum est, non intentione volentis, sed indignatione dicta sunt derelinquentis, sicut et alia multa quæ reperiuntur. Exempli gratia, ut illud, quod traditori suo dixit idem Dominus: « Quod facis, fac citius (*Joan.* XIII). » Item : « Amice, ad quid venisti ? (*Matth.* XXVI.)» Et in Apocalypsi legimus : « Et qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* XII). » Denique hæc et cætera hujusmodi non sunt dicta jubentis sive voluntarie concedentis, sed permittentis et derelinquentis, eo quod non ignoret, sicut Sa-

pientia dicit, « quoniam iniqua est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non potest immutari cogitatio illorum in perpetuum (*Sap.*XII).» Quid longius petitis Dei justitiam,excusare oportet responsis ? Semetipsum præsenti loco cautius excusat ipse subjunctis. Ait enim : « Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris, et non estis reversi ad me, dicit Dominus. » Nimirum cum dicit, « et non estis reversi ad me, » convincit eos incorrigibiles fuisse, seipsum autem curam competentem ut corrigerentur per flagellum famis, adhibuisse. Magnitudinem flagelli, magnitudinem famis, qua illos corripuit, mirabiliter exprimit, dicendo : « Et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, » subjungendo, « et indigentiam panum in omnibus locis vestris. » Idem enim est, ac si dicat : Quia fames non tam diutina, cibus tam rarus exstitit, ut quidpiam reperiretur qualiscunque cibi, dentes obstupescerent velut re insolita offensi. Legimus quippe, regnante Joram filio Achab super Israel, famem tam magnam factam esse in Samaria, ut « venderetur caput asini octoginta argenteis, quarta pars cadi stercoris columbarum quinque argenteis (*IV. Reg.* VI). » Subsecuta est evestigio fames annorum septem, quam et Elisæus prædixit, loquens ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens : « Surge et vade tu, et domus tua, et peregrinare ubicunque repereris. Vocabit enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis (*IV Reg.* VIII). » Cum tanta esset severitas disciplinæ corripientis, mirum quod nullus regum Israel recessit a peccatis Jeroboam, id est ab aureis vitulis,quod Israel tam pertinaciter rebellis tamque duræ cervicis exstitit, ut ad Dominum Deum suum nequaquam reverteretur. Unde et digne improbans, « et non estis reversi ad me,dicit Dominus. » Sequitur : « Ego quoque prohibui a vobis imbrem,cum adhuc tres menses superessent ad messem, et plui super unam civitatem,et super civitatem alteram non plui. Pars una compluta est, et pars super quam non plui,aruit, et venerunt duæ et tres civitates ad unam civitatem, ut biberent aquam,et non sunt satiatæ, et non redistis ad me, dicit Dominus. » Non solum « stuporem dedi dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris, » sed et prohibui a vobis imbrem cum adhuc superessent tres menses usque ad messem, quæ appellatur pluvia serotina, et agris Palæstinæ arvisque sitientibus,vel maxime necessaria est,utquando herba turgebat in messem, et triticum parturiebat,nimia siccitate marcesceret, et ita pereunte frumento et fame urgente sitis quoque ardorem et bibendi penuriam sustinerent. In illis namque locis, præter parvos fontes omnes cisternarum aquæ sunt. Etsi imbres divina ira suspenderit, majus sitis quam famis periculum est. Et ne forsitan putarent hoc lege naturæ et astrorum cursu ac varietate temporum urbibus ac populis accidisse, super unam urbem et super agros ejus pluere se dicit, et ab altera imbrem suspendere,ut duæ et tres civitates pergant ad aliam civitatem,et tamen non satientur aquarum potibus. Talis dispensatio imbrium satis pro argumento esse poterat ad comprobandum quod non casu, sed cœlestis judicii ratione illa siccitas evenisset. Habebant autem firmiorem propheticum sermonem qui non attenderunt. Propter quod et magis inexcusabiles sunt. Denique et famem illam, sive « stuporem dentium,» de quo supra dictum est, Elisæus propheta prædixit, loquens ad mulierem, cujus vivere fecerat filium,et dicens : « Surge, et vade tu et domus tua et peregrinare ubicunque repereris. Vocabit enim Dominus famem,et veniet super terram septem annis.» Et siccitatem sive prohibitionem imbrium Elias prædixit, et quodammodo fecit, dicens ad Achab : « Vivit Dominus Deus Israel,in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba (*III Reg.* I). » Cui vacabat interea saltem suspicari, quod casu mala illa contingerent,vel dubitare, an cœlesti judicio provenirent. Adde quod iidem prophetæ tanti nominis, tantarumque virtutum, simul cum sermone prophetico cœlestia signa dederunt, per quæ miserabilis Israel, nisi rationem omnino perdidisset, instrui poterat,quod neque vituli Jeroboam, neque Baal, neque portenta quæ pro diis colebant, quidquam essent aut valerent,sed solus esset Deus qui eduxerat illos de Ægypto per Mosen et Aaron. Siquidem Elias, qui oratione oravit ut non plueret,si numeres, octo præclara signa fecit, Elisæus vero sedecim, dupla videlicet quantitate, secundum postulationem qua postulavit, dicente Elia : « Postula quod vis ut faciam tibi antequam tollar a te, et dixit : Obsecro ut fiat duplex spiritus tuus in me (*IV Reg.* II). » Quonam intendebat Elisæus hoc postulans, nisi illo,ut per miraculorum efficaciam erranti populo veri Dei declararet gloriam ? « Et tamen non redistis ad me, dicit Dominus, » quia videlicet per hæc omnia non potuit effici, ut illorum vitulorum miserabilis cultus saltem unius regis tempore, relinqueretur. Sequitur : « Percussi vos in vento urente, et aurugine multitudinem hortorum vestrorum, et vinearum vestrarum, oliveta vestra, et ficeta vestra comedit eruca, et non redistis ad me, dicit Dominus. » Intemperantis erat luxuriæ hortos multiplicare, **133** maxime cum peccato sive ex iniquitate, sicut fecit Achab, qui locutus est Naboth, et dixit : « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, et quia ille dare noluit, occidit, et possedit (*III.Reg.*XXI).» Bene igitur in talibus percussit eos, « vento urente, et aurugine et eruca comedente, » quia non sine magno dolore perire viderent quæcunque tali vel tanta sibi justitia multiplicaverant, sed non profuit eis adhibita correptio: « Non enim redistis ad me, dicit Dominus. » « Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio juvenes vestros usque ad captivitatem equo-

rum vestrorum, et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non redistis ad me, dicit Dominus. » Per omnia flagella et tormenta eruditur Israel. Unde et eo tempore quo ab Ægyptiis auxilia postulabant mittitur in eos mors, et percutiuntur gladio juvenes eorum, et equos quos sibi contra præceptum Dei multiplicaverant, captivitas sæva concludit, ut putredo castrorum viventium nares impleat. Verumtamen hæc via Ægypti potest et altius intelligi, videlicet quæ non sit excursus corporis, sed mentis, juxta quod et in alio propheta Dominus dicit: « Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? » (*Jer.* II.) Ejusmodi viam Ægypti, quæ videlicet, ut jam dictum est, non corporis est, sed mentis Dominus per Moysen interdixit his verbis: « Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, neque reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini (*Deut.* XVII). » Nimirum statim ut constituerunt super se regem Jeroboam filium Naboth, ille equitatur numero sublevatus (super plures enim quam domus David, id est super decem tribus regnavit) populum reduxit in Ægyptum, sed non pedibus eundo in Ægyptum, faciendo vitulos aureos secundum morem Ægyptium.

Igitur et ubi dixit primo, « ego dedi vobis stuporem dentium, » et deinde ubi dixit, « ego quoque prohibui a vobis imbrem, » et cum dicit, « percussi vos in vento urente, » non incongrue subauditur, « in via Ægypti, » quam hic tandem expressit, dicendo, « misi in vos mortem in via Ægypti, » id est propter viam Ægypti, propter peccata Jeroboam, qui peccare fecit Israel, ut eum similem faceret Ægyptiis in colendis vitulis, sicut jam dictum, secundum morem Ægypti. Etenim propter causam illam mala omnia venerunt super eos, quæ hic se fecisse Dominus commemorat, intentione corrigendi. « Et non redistis, inquit, ad me, » nunquam enim vitulos eosdem reliquerunt, cujuslibet mali sive afflictionis oppressi magnitudine. Sequitur: « Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et facti estis quasi torris raptus de incendio, et non redistis ad me, dicit Dominus. Quapropter hoc tibi faciam, Israel. » Ante illa prophetæ hujus tempora nihil tale illi populo evenerat, quare fuit illud quod « Sodomam et Gomorrham subvertit Deus. » Ergo quamvis præterito tempore dicat, « subverti vos, » de futuro intelligendum est ac si dicat, subvertam vos. Hoc enim prophetis non inusitatum est ut præteriti temporis verba annuntient venturas res. Nec vero dubium quin decem tribuum prævidens captivitatem, Judæ quoque sive Jerosolymæ præviderit subversionem, præsertim cum postmodum dicat ipse: « Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ (*Osc.* VI). » Cum ergo dicat, « subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, » simul et decem tribuum captivitatem et Judæorum prænuntiat subversionem, quæ nimirum magis quam decem tribuum captivitas subversioni Sodomæ et Gomorrhæ similis exstitit, quia incendio civitas Jerusalem tam a Babyloniis quam a Romanis conflagrata est. Et quoniam subjungit: « Et facti estis quasi torris raptus de incendio, et non redistis ad me, » magis de ultima quam fecerunt Romani, quam de prima per Babylonios facta placet intelligi subversione. Nam illa Babylonica subversione non adeo cordis duri fuerunt, sed redierunt mente ad Dominum, ita ut per annos septuaginta corpore mererentur redire in locum suum; post istam vero quæ a Romanis facta est in incredulitate et duritia cordis persistunt. Et quis non miretur, quam congrua similitudine devorati sunt. « Facti estis, inquit, quasi torris raptus de incendio. » Etenim sicut torris de incendio raptus manifesto signo demonstrat id quod est, scilicet de incendio se esse raptum, neque dubitari aut dissimulari potest quin arserit, ita Judæi in omnes gentes captivi non sinit eos oblivisci qualiter vel quam ob causam Deus illos subverterit, nec mirum aut injustum quod sicut Sodoma et Gomorrha sunt subversi, quia videlicet iniquitas eorum peccato Sodomæ et Gomorrhæ major exstititit, testante Jeremia, cum dicit: « Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum quæ subversa est in momento (*Thren.* IV). » Nam quod vere major effecta sit iniquitas Judæorum quam Sodomæ peccatum, probat subjungendo, « et non cœperunt in ea manus (*ibid.*). » Quid enim est quod dicit, « et non ceperunt in ea manus? » Legimus quod in ea, dum apud Loth justum hospitaretur Dominus, « vallaverunt domum a puero usque ad senem omnis populus simul, et dixerunt: Educ huc viros, ut cognoscamus eos (*Gen.* XIX). » Magna iniquitas, sed « non ceperunt in ea manus, » id est non usque ad effectum operis progressum est. Iniquitas autem Judæorum quousque progressa est? Cum hospitaretur in Jerusalem, et pascha celebrasset Dominus, vallaverunt eum exeuntes cum gladiis et fustibus, et ceperunt in eo manus, videlicet eum quem in Sodoma non cœperunt manus: ceperunt, inquam, comprehenderunt, illuserunt, flagellaverunt, occiderunt. Igitur jure sicut et Sodoma submersi sunt, nisi quod pars eorum, « quasi torris raptus de incendio, » superfuit, quod in eo valet ut celebrior per totum orbem sit memoria Christi, maxime ex monumento combustionis ejusmodi, cunctis commendata populis, juxta illum jam superius memoratum versiculum psalmi: « Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua (*Psal.* LVIII). » Quod deinde subjungit, « quapropter hoc

faciam tibi, Israel, » ejusdem tantæ subversionis arbitramur esse comminationem, et idcirco utroque illam tempore videlicet præterito et futuro denuntiari, quia nimirum jam tunc quidem factum vel fixum erat in proposito Dei, in re autem nondum factum, sed longe post erat futurum, eo quod perseverarent in malis, sicut toties jam improperavit, scilicet per vices quinque dicendo, « et non redistis ad me. » Sequitur : « Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel ; quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ, Dominus Deus exercituum nomen ejus. » Notandum in primis et vigilanter intuendum quod cum hactenus ad pluralem numerum sermo factus sit, dicendo : « Et ego dedi vobis stuporem dentium, et non estis reversi ad me ; ego quoque prohibui a vobis imbrem, et non redistis ad me ; misi in vos mortem in via Ægypti, et non redistis ad me ; subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et **134** Gomorrham, et non redistis ad me ; » nunc ubi magnæ gratiæ magnam consolationem promittit, vocem suam quodammodo mutat, ita ut omisso plurali numero, ad singularem sermo fiat, dicendo : « Quapropter hæc faciam tibi, postquam hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel. » Ostium nobis aperiente illo,« qui habet clavem David (*Apoc.* III)," primum illud sentimus quod præsenti loco per singularem numerum Israel, ab illis pluralis numeri filiis suis toties percussis, et taliter subversis et non reversis ad Dominum tantum differt quantum bonæ olivæ radix a ramis suis, ramis reprobis, ramis per incredulitatem fractis, sicut Apostolus dicit (*Rom.* XI) : Oportebat autem fractis naturalibus ramis, ramus oleastri sanctæ et bonæ radici ejusdem olivæ inseri, usque ad plenitudinem numeri electorum, id est eorum qui ad vitam sunt præordinati, quod et factum est et fit. Unde idem Apostolus unicuique nostrum qui ex gentilitate venimus, dicit : « Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te (*ibid.*), » etc. Igitur quod ait, « quapropter hæc faciam tibi, Israel, » severitatis est Dei prædicentis, quod ramos naturales propter incredulitatem frangere debeat ; quod vero subjungit : « Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel, » bonitatis est ejusdem Dei promittentis illi bonæ olivæ, scilicet Israeli, qui per fidem meruit ut esset hæres mundi, quod oleastrum inserere debeat ejus radici, tanto bonorum proventu ramorum qui inseruntur, ut nullum sentiat damnum de naturalibus ramis suis, qui fracti sunt. « Præparare » ergo, inquit, « in occursum Dei tui, » id est in tua fide suscipe adventum Christi Filii Dei, Dei tui, Salvatoris tui. Et quasi quæreret Israel, ad quid sibi dictum sit, « in occursum Dei tui, » subjungit, et dicit : « Quia ecce, formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ, Dominus Deus exercituum nomen ejus. » Idcirco dixi, « præparare in occursum Dei tui, » quia ecce subauditur, venit, quia in proximo est talis ac tantus, qualem ac quantum ista descriptio mirabilis postulat intelligi, quem cum susceperis præparatus in paucis, occurrens in apostolis radicem tuam aperiet ferro vel sarculo verbi Evangelici, de qua, quia fracti sunt tot naturales rami, et damna tua restituet secundum admirandam elocutionem ejus, quæ ex verbis præsentibus intelligenda est propheticæ veritatis. Primo illud clare videndum, et cum amore suscipiendum firmiterque tenendum est, quia cum persona altera de altera loquitur, et ipse qui loquitur est Dominus, et illum de quo loquitur, commendans dicit, « Dominus exercituum nomen ejus. » Quid aliud optaremus, nisi ut Dei Filium Jesum Christum æque ut Patrem ejus Deum esse Dominum Deum exercituum, Spiritus sanctus per os Prophetarum testificaretur. Res nimirum quæ prædicantur congruunt tanto nomini ejus, nec enim alius potest eas facere, nisi qui sit Dominus Deus. « Formans, inquit, montes. » Poterat dicere formans lucem et extendens cœlos, sive fundans terram et effundens maria ;nam de Filio prædicari hæc æque ut de Patre, verum est, sed magis ad rem præsentem pertinuit ut diceret, « formans montes. » Quare ? Videlicet quia de Sodoma sermo cœptus est, dicendo, « subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham. » Legimus autem, ubi Sodoma subversa est, dixisse Dominum ad Loth : « Salva animam tuam ; noli respicere post tergum, ne stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. Dixit quoque Loth : Quæso, Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne apprehendat me malum et moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. (*Gen.* XIX.) » Igitur ad illam Scripturam nos mitti arbitramur, dum in ista postquam dictum est, « subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, » subjungitur : « Præparare in occursum Dei tui, Israel, quia ecce formans montes. » Nimirum qui illic dixit, « in monte salvum te fac, » ipse hic dicitur « formans montes, » cum dicit de illo Pater : « Ecce formans montes. » Subvertens namque gentem illam Judaicam « sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, » formavit evangelicæ perfectionis montes, et dixit Loth, id est homini declinanti a malo (Loth enim interpre-

tatur *declinatio*) et dixit, inquam, homini volenti declinare a malo Sodomæ et Gomorrhæ, « in montem salvum te fac, » id est, fruere perfectione Evangelica, ita ut ne saltem uxorem quæras. Et ille quidem in illorum persona qui infirmi sunt, mystica nobis verba formavit dicens, « nec possum in monte salvari, » quod est a nobis dici, non possumus evangelica perfectione frui, ne forte utamur, « et melius est nubere quam uri (*I Cor.* VII). » Verumtamen multi ascenderunt in montes illos quos iste Dominus formavit, id est apprehenderunt propositum evangelicæ et apostolicæ perfectionis, videlicet neque nubentes neque usti, sed in proposito virginali, ita viventes sicut angeli Dei. Mons primus et maximus omnium montium quos in adventu suo formavit iste Dominus Deus exercituum, beata est Virgo Maria, de cujus carne carnem assumpsit Christus Dei Filius absque opere conjugali, secundum visionem propheticam qua visum est, « quod abscissus esset lapis de monte sine manibus,et comminueret omne regnum mundi (*Dan.* II). » Et quidem mirabile est, quod formaverit montem, de quo ipse tanquam lapis abscinderetur,sed nihilominus mirandum est quod de illa sancta civitate Sion cœlesti alia Scriptura dicit : « Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI). » Post istum montem, et alios montes in adventu suo formavit idem Dominus Deus exercituum, scilicet apostolos suos, quorum ad perfectionem quicunque efficaciter tendit, subversionis, qua illam Sodomam, id est perfidiam Judaicam subversam esse constat, periculum magnifice evadit, simulque et securus est a tribulatione carnis, magnum habens refrigerium, quod præsenti loco significatur, dum præmisso, « ecce formans montes, » subjungitur, « et creans ventum. » Quid enim per ventum loco præsenti delectabilius placet intelligi quam bonam temperiem carnis continentis, velut auram dulciter spirantem in illis montibus sanctis? Hæretici ex hoc loco creaturam esse argumentati sunt Spiritum sanctum, videlicet propterea quia verbum Hebraicum Latine interpretatur *spiritus.* At vero et ventus et spiritus eodem verbo appellatur, ait beatus Hieronymus. Cum ergo essent perversæ intentionis, neque ventum, neque saltem spiritum hominis, sed Spiritum sanctum voluerunt intelligi, tam parvo tamque fragili instrumento tam magnam roborare volentes impietatem, quod Spiritus sanctus creatura sit. Quapropter placet magis castæ fidei talis translatio verbi prædicti, et creans verbum, quam et creans spiritum : licet legendo spiritum possemus et deberemus nequaquam Spiritum sanctum, sed spiritum intelligere vel hominis, vel quorumlibet animantium, aut certe nihilominus ventum, juxta illud : « Ignis, **135** grando, nix, glacies, spiritus procellarum (*Psal.* CXLVIII). » Pulchre igitur post Sodomorum

A subversionem atque incendium,quod evadere cupit, dicitur illi,« in monte salvum te fac.» — « Et creans ventum,» id est instruens summos evangelicæ prædicationis viros, et casto illorum proposito dulce præstans refrigerium,ut ne saltem moleste incalescant aliquando carnis ardore usque ad tentationis impatientiam. Montes isti nimirum sancti et pulchri sunt, et possunt suis meritis his qui tentantur auxiliari. Quapropter et Psalmista dicit : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXV). » Et quia posse hæc non a semetipsis habent, sed a Domino, continuo subjunxit : « Auxilium meum a Domino (*ibid.*). » Montibus istis, id est sanctis apostolis et cuilibet homini, qui secundum illorum exemplum tendens ad perfectionem. B Dignum est, accipere « ventum roris flantem (*Dan.* III), » sive contra Babylonicam fornacem,sive contra ardentem Sodomiticum sulphurem, familiarius revelari solet illud quod est in sanctis Scripturis occultum,sicut de illis evangelista narrat,quia « tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). »

Bene ergo cum dixisset, « formans montes, et creans ventos, » subjunxit : « Et annuntians homini eloquium suum. » Idem enim est ac si dicat : « Et ipse est sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperis (*Apoc.* III), et cui vult aperit sensum ut intelligat arcana Scripturarum. » Cui autem angelorum vel hominum, cui, inquam, præter solum et verum Deum prædicatio ista convenit, annuntians C homini eloquium suum ?Denique et angelus sanctus et homo sanctus eloquium sæpe annuntiavit, nunquam autem eloquium suum,sed tantum eloquium Dei annuntiavit aut annuntiare debuit. Nam omnes quotquot venerunt,annuntiando eloquium suum, fures sunt et latrones. Et idcirco non audierunt eos oves (*Joan.* X), neque audire debuerunt, utpote a semetipsis loquentes et cordibus suis prophetantes. Illum qui ejusmodi est contemni, et non timeri, imo et interfici sacra lex jubet. « Propheta, inquit, qui arrogantia depravatus,voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret,aut in nomine deorum alienorum, interficietur (*Deut.* XVIII).» Item, « quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hæc Dominus non locutus D est,sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum (*ibid.*). » De tali modo suum eloquium annuntiandi, vel sermonem suum faciendi, Dominus, ipse apud calumniatores suos excusat se,cum dicit :« Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me (*Joan.* VII). » Quid est enim « mea doctrina non est mea, » nisi ac si diceret : Non est sicut vos existimare vultis a meipso conficta, et nulla rerum veritate subnixa ? Subjungit enim, et dicit : « Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar (*ibid.*).» Item discipulis ejus dicit : « Et sermonem,quem audistis non est meus,

sed ejus qui misit me Patris (*Joan.* XIV). » Igitur cum dixit : « Et annuntians homini eloquium suum, » magnam paucis syllabis auctoritatem divinitatis ejus astruit, quia solus est Deus qui suum eloquium annuntiando verax sit. Cum autem annuntiaturus est, magnam plerumque præire sinit ignorantiam, ut postquam annuntiaverit, sciat quicunque ille cui annuntiavit, quia nihil habet quod non acceperit. Unde cum dixisset : « Et annuntians homini eloquium suum, » pulchre subjunxit, « faciens matutinam nebulam. » Exempli gratia : Huic Amos priusquam annuntiaret eloquium suum, matutinam fecerat nebulam, id est prius pastorem rusticum quam illustrem fecit prophetam. Item, et apostolos prius permisit obcæcatum cor habere, ita ut diceret illis : « Adhuc et vos sine intellectu estis, quomodo nondum intelligitis ? » (*Matth.* XV) quem [*f* priusquam] sensum aperiret eis ut intelligerent Scripturas. Hoc vere magnum est, et in laudem sapientiæ ejus, hic decuit commemorari, quod illis, quibus annuntiando eloquium suum, proposuit ostendere clarum scientiæ solem, prius obducit vel obduci permittit hebetudinem cordis vel ignorantiam quasi matutinam nebulam, ut cum depulsa nebula solem viderint, non glorientur quasi non acceperint. Quod deinde subjungit : « Et gradiens super excelsa terræ, » licet in bonam partem possit intelligi, quod scilicet ista excelsa sint montes, quos ipse, sicut jam dictum est, formavit, tamen quia non dixit : Et habitans in excelsis, sed « gradiens super excelsa terræ, » et excelsa sæpius in malo intelliguntur (solus enim Deus vere dicitur, et est excelsus), possumus hic intelligere iram, quæ consecuta est Hierusalem terrenam generationem excelsam, pro eo quod annuntiatum sibi jam dictum Domini non recepit, sed repulit eloquium. Denique et alius propheta dicit, « quod scelus Jacob ? Nonne Samaria ? Et quæ excelsa Judæ ? Nonne Jerusalem ? » (*Mich.* I.) Super hæc excelsa gradiens dicitur Dominus, sive ascendens, scilicet ad delendum ea, sicut dixit ad Moysen : « Loquere filiis Israel : Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te (*Exod.* XXXIII). » Hoc denique tunc factum est, quando venit desolatio ejusdem populi circumvallentibus Romanis, quam et ipsi Dominus prævidens : « Erit enim, inquit, pressura magna super terram, et ira populo huic (*Luc.* XXI). » Unde cum dixisset, « et gradiens super excelsa terræ, » miro modo subjunxit, « Dominus Deus exercituum nomen ejus. » Nam vere iste est Dominus Deus exercituum, cui non solum in cœlo scientes famulantur legiones angelorum, sed etiam in terra nescientes ei servierunt exercitus Romanorum, et vindicaverunt sanguinem ipsius, sanguinem prophetarum ejus, omnemque sanguinem justum qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, sicut prædixerat ipse Dominus (*Luc.* XI). Sequitur :

CAP. V. — « Audite verbum istud quod ego levo super vos planctum domus Israel. Cecidit, non adjiciet ut resurgat ; virgo Israel projecta est in terra sua, non est qui suscitet eam. » Miro modo, ubi præmiserat, « et gradiens super excelsa terræ, Dominus Deus exercitum nomen ejus, » verba ipsius annuntiantis homini eloquium suum, cum grandi exclamatione pronuntiat : « Audite, inquiens, verbum illud quod levo ego super vos planctum domus Israel. » Nonne sic habemus in Evangelio, quod iste Dominus annuntians eloquium suum, et non auditus, levavit planctum, prædicendo futurum, ut ad subversionem illorum mitteret Romanum exercitum, levavit, inquam, planctum Hierusalem. « Hierusalem, inquiens, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te sunt missi (*Matth.* XXIII), » subjungens : « Ecce relinquetur domus vestra deserta (*ibid.*). » Nonne planctus erat super eos in altum elevatus, cum toties diceret ibidem : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines ; væ vobis, qui comeditis domos viduarum ; væ vobis, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos ; væ vobis, quis dicitis : Quicunque juraverit per templum nihil est ; qui autem juraverit in auro templi, debet ; væ vobis, qui decimatis mentham et anethum et cyminum, væ vobis, qui mundatis quod de foris est calicis et paropsidis ; væ vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis ; væ vobis, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum (*ibid.*) Vere planctus est magnus, et quod **136** majus est, non sine lacrymis. Nam sicut alius evangelista narrat : « Videns civitatem flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu (*Luc.* XIX). » Igitur quod nunc dicit : « Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum domus Israel, » verba esse Domini recte intelligimus formantis « montes, » ut supra dictum est, et creantis « ventum, » et annuntiantis « homini eloquium suum, » facientis » matutinam nebulam, » et gradientis « super excelsa terræ, » quia causam cur levet planctum super domum Israel, plangendo ipse in Evangelio declamat : « Ecce, inquiens, relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). Etenim quod ait : « Cecidit, non adjiciet ut resurgat virgo Israel. Projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam, » de naturalibus ramis olivæ intelligendum est, qui, ut supra meminimus ex Apostolo, propter incredulitatem fracti sunt (*Luc.* XI), nec inseri possunt : Nec enim est qui projectos in terram suscitare possit, sicut apostoli experti sunt, hic jam subaudiendum est illud, quod radici bonæ dictum esse supra tractavimus. Tu tamen « præparare in occursum Dei tui, Israel, ut secundum sensum continuetur littera, quæ protinus sequitur. « Quia hæc dicit Dominus Deus : Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel. » Magna ista consolatio est fideli bonæ radici, quæ in fractura vel excisione ramorum naturalium grande

damnum pertulit, ne propter hæc tristitia magna, et continuus dolor sit cordi ejus, quia inferentur alii, Domino dicente: « Sic urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel. » Quod ut possit utiliter intelligi, meminisse oportet, quod supra dixit: « Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, » et scire quia sicut carnalis domus Israel similis Sodomæ in damnatione facta est, sic e contrario plenitudo gentium (quæ Sodoma erat) spiritualiter domus Israel effecta est. Simulque memoriter recolendum, quia in Sodomis non sunt relicti saltem decem justi, propter quos dimisisset Dominus omni loco, et non delevisset eos. Sic enim Abraham loquens ad Dominum, et incipiens a quinquaginta, numerumque paulatim decerpens atque diminuens, tandem finivit: « Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel. Quid si inventi fuerint decem? Ait: Non delebo propter decem (*Gen.* XVIII). » Hoc animadverso, jam nunc dixit, « subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, » simul illum intendisse non dubitemus, ut diceret illam quæ Sodoma fuerat, scilicet Ecclesiam de gentibus, non subvertam, quam ob causam? Videlicet propter antiquam sententiam. Debeo enim fidelis esse amico meo fideli Abrahæ, ut ubicunque invenero decem justos, non deleam civitatem propter eos. Ecce autem non solum decem in Ecclesia gentium justos inveniam, verum etiam centum, unde prius egrediebantur mille, id est unde nullus ante relinquebatur, sed abibant omnes in vias suas, sine Deo, alieni a salute, qui videlicet omnes intelliguntur per mille. Millenario namque numero universitas significari solet, ut illic: « Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes (*Psal.* CIV). » Porro centenario et denario numero perfectio significari solet, ut illic: « Centuplum accipiet (*Matth.* XIX). » Et in libro Machabæorum legimus: « Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum (*I Mach.* V). » Decimus namque, id est in paterna decem præceptorum lege perfectus. Tales utique, scilicet centesimi et decimi, id est perfecti, in urbe vel Ecclesia gentium relinquentur, unde prius mille egrediebantur, id est universi condemnabantur, et propter eos qui perfecti erunt, cæteri peccatores quidem, sed pœnitentes in die judicii servabuntur et relinquentur in domo Israel, velut oleastri in bonam olivam inserti pro naturalibus ramis, qui fracti sunt (*Luc.* XI). Quantitate quidem plus est centum de mille, quam in decem relinquendis de centum, sed ratione æqualitas in utroque est, quia videlicet sicut centenus milleni, ita decenus centeni, decima pars est. Bene autem per decimam sanctificatio justitiæ sive justorum intelligitur, quia nimirum ex decreto legis, rerum omnium decimatio, pars Domini est (*Levit.* XXVII). Eadem quæ præsenti loco dicimus sive intelligimus, ex alterius prophetæ, scilicet Isaiæ, lectione comprobantur. Cum enim dixisset: « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat et convertatur, et sanem eum; usquequo, Domine? donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra derelinquetur deserta (*Isa.* VI). » Quibus utique verbis frangendos esse ramos naturales, de quibus jam diximus, significabat, continuo subjunxit: « Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ, et adhuc erit in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus et sicut quercus, quæ extendit ramos suos. Semen sanctum erit id quod steterit in ea (*ibid.*). » Nimirum eadem in isto et in illo justorum sanctificatio sive multiplicatio sub sacramento decimationis (quæ pars Domini sive altaris ejus legitima est) recte intelligitur. Et pulchre Israeli bonæ radici inserendorum multiplicitas ramorum de cunctis gentibus, tanquam ex oleastro, sub nomine decimationis repromittitur, quia videlicet ille primus decimas rerum suarum Deo vovisse legitur. « Si fuerit Dominus mecum, ait, et custodierit me in via per quam ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi (*Gen.* XXVIII). » Pulchra vicissitudo, pulchra recompensatio. Israel in domo Dei decimas gentium se relicturum promittit. Cum enim dixisset, « urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea decem, » addidit, « in domo Israel. » Profecto qui tantas illi salutis sive salvandorum copias destinabat, non vane sic præmisit et sic prælocutus est, « præparare in occursum Dei tui, Israel. » Sequitur: « Quia hæc dicit Dominus domui Israel, quærite me, et vivetis, et nolite quærere Bethel, et in Galgala nolite intrare, et in Bersabee non transibitis, quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis. Quærite Dominum et vivite, ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui exstinguat Bethel. » Locus iste per conjunctionem, qua sic incipit, « quia hæc dicit Dominus domui Israel, » ad superiora nos remittit, ubi sic dictum est persona Domini: Venite ad Bethel et impie agite ad Galgala, et multiplicate prævaricationem (*Ose.* IV), » etc., quæ ita finivit, sic enim voluistis, filii Israel. » Et est sensus: Dixi vobis superius, quasi verbo adhortantis: « Venite ad Bethel, et impie agite, » sed non est hoc adhortantis sive volentis, imo indignantis et odientis, quia si voluntas quæritur Domini, hæc potius vult, et hæc pro voluntate sua dicit: « Nolite quærere in Bethel, et in Galgala nolite intrare. » Ibi quærentes non utique vivetis, sed potius moriemini, quia videlicet non ibi sum ego Deus vivus et vivificans, sed ibi est aureus vitulus; non dico mortuus, nec enim aliquando fuit vivus, sive ani-

matus; **137** sed dico, ubi est vitulus vester, Deus vester, neque mortuus, neque vivus, sed tamen mortificans, quia qui quærunt illum, moriuntur? « Nolite ergo quærere in Bethel, et in Galgala nolite intrare, » qui est locus idololatriæ, » et in Bersabee non transibitis, » ubi pertinaci errore idola adorare consuevistis. Notandum deinde, quod cum dicit, « quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis, » de Bersabee tacet; quia videlicet victis decem tribubus urbs nomine Bersabee quæ erat in tribu Juda, illo tempore neque capta neque destructa est. Hæc Domino dicente, statim suam propheta per propriam personam, pro bona voluntate adhortationem subjungit, « quærite, inquiens, Dominum et vivite, ne forte succendantur ut ignis domus Joseph, » quam propter Jeroboam, qui de tribu Ephraim, et de domo fuit Joseph, decem tribus sentire debemus, quæ appellabantur Israel, et ex majore populi parte nomen pristinum possidebant. Duæ autem tribus, quæ regebantur a stirpe David, qui de tribu Juda fuit, vocatæ sunt Judas, et possidebant Jerusalem, in quo erat templum Dei. Cumque succensa fuerit domus Joseph, devorabit, atque consumet Bethel, et non erit qui exstinguat, cum a regibus suis fuerit succensa. Hæc omnia sic dicta sunt, ut cum in superficie litteræ vel vocis propheticæ, temporis tunc instantis captivitatem denuntient, qua decem tribus in Assyrios postmodum transferendæ erant, nihilominus subtiliter inspecta Judæorum captivitate, quæ nunc usque dispersa manet, conveniant. Quod ut intellectui planius fiat, prius dicendum quia Bethel *domus Dei*, Galgala *volutabrum*, Bersabee *puteus juramenti* interpretatur. Quis autem illam nesciat quondam domum Dei, de qua vane gloriabantur Judæi confidentes verbis mendacii et dicentes: « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est (*Jer.* VII). » Porro volutabrum illorum cæremoniæ carnales erant, imo sunt, ex quo Christum crucifixerunt; volutabrum, inquam, ita ut Apostolus pro detrimento illos habeat, « et arbitretur ut stercora (*Philip.* III), » non sine auctoritate prophetica. Nam in Malachia: « Ecce ego, inquit Dominus, projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum (*Malach.* II). » Puteus autem juramenti erat illis profunda cupiditas auri et argenti, et in tantum puteus juramenti, et juramentum in auro nimis præferrent juramento quod juratum esse, in altari, sive in templo, unde Dominus: « Væ vobis, inquit, duces cæci qui dicitis: Quicunque juraverit per templum, nihil est, qui autem juraverit in domo quod est super illud, debet (*Matth.* XXIII). » Igitur « quærite me et vivetis, » ait Christus qui vere vita est, « et nolite quærere in Bethel, » id est in illa domo Dei, quæ cum debuisset esse « domus orationis, facta est spelunca latronum (*Matth.* XXI), » quia sicut per prophetam prædixeram: « Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, facta est mihi hæreditatio mea quasi

A spelunca hyænæ (*Jer.* XII). » Nolite me quærere illic, quia sum ibi ex quo volentibus illis me lapidare, abscondi me et exivi de templo (*Joan.* VIII). « Et in Galgala nolite intrare, » id est volutabrum veterum cæremoniarum contemnite, et habete jam pro stercore, ut ne saltem circumcidamini illa carnis circumcisione, qua Josue populum circumcidit in Galgalis, « quia si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest (*Galat.* V). » — « Et in Bersabee non transibitis, » id est avaritiæ Pharisaicæ profunditatem, quam perjuria consequuntur, non sectabimini. Talia prædicantibus apostolis Christi post passionem ejus, quem illi audire noluerunt, futurum erat quod sequitur: « Quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis, » simulque et quod

B subjungitur, « quærite Dominum et vivite, ne forte comburatur, ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui exstinguat Bethel. » Illa namque Bethel, quæ debuit esse domus Dei sive Christi, cujus typum tenuit Joseph, non solum inutilis facta, verum etiam propter inutilitatem igni combusta est, et devoravit eam ignis, et non fuit qui exstingueret, quin etiam invisibiliter quoque nunc « ardet usque ad inferni novissima, ignis qui in furore Domini succensus est (*Deut.* XXXII), » et illa jam non vere Judæa, sed Galgala supradicto modo dicenda, in omnes gentes captiva ducta est. Sequitur: « Qui convertitis in absinthium judicium, et justitiam relinquitis in terra, et facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem

C nocte mutantem, qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est ejus. Qui subridet vastitatem super robustum, et vastitatem super potentem affert. » Hic subaudiendum est, vobis dico, loquor, « qui convertitis in absinthium judicium. » Grandis culpa, magna damnationis causa, convertere dulcedinem judicii in absinthium sive amaritudinem iniquitatis, et pulchritudinem sive suavitatem justitiæ in horrorem clamoris. Hoc ipsum apud Isaiam verbis aliis per figuram vineæ conqueritur dicens: « Et exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas (*Isa.* V), » et exponens quid diceret: « Et exspectavi, inquit, ut faceret judicium, et ecce iniquitas, et justitiam, et ecce clamor (*ibid.*). » Vere infelices, qui tam longum iniquitatis et clamoris traxerunt funiculum, ut usque

D ad ipsum pervenirent Christum, iniquo judicio et clamore condemnandum, clamando: « Reus est mortis; » clamando: « Crucifige, crucifige; » clamando: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Debemus enim sic illa, quæ præsentia vel instantia tunc erant tempora respicere, ut non dubitemus spiritum propheticum potius futurum tempus prospexisse, quo filii pessimi occidendo Christum, impleturi erant mensuram patrum suorum. Nam et si illa potissima prophetiæ pars in isto et in cæteris prophetis, abscondita sive operta est, propterea nimirum operta est, quia crudeles atque rebelles illi patres, non solummodo prophe-

tantes aut scribentes, occiderunt, quod fecerunt, verumetiam Scripturas incenderent et perderent, si tale sacramentum in obscura littera non fuisset absconditum. Proinde quod sequitur: « Et facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem nocte mutantem, qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus est nomen ejus. » Opportunum de eodem Christo testimonium esse non dubitemus, quia videlicet persona hæc magis quam persona Patris, opus habebat propter nos defendi Scripturarum testimoniis, quod sit factor siderum noctisque et diei, imo et omnium quæ facta sunt, quia « sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » Quare autem cum omnium factor sit, præsenti loco tantummodo dicitur factor Arctus et Orionis, diei et noctis, et pluviæ super terram effundendæ, videlicet ut cum potentia Creatoris, gratiam quoque mystice commendet ejusdem Salvatoris. Arcturus namque qui in cœli axe constitutus, septem stellarum radiis fulget, semper versatur, et nunquam mergitur; imo et dum versatur, erigitur. Orion autem ipso pondere temporis hiemalis, oritur, suoque ortu tempestates excitat, et maria terrasque perturbat. Unde apud beatum Job, ubi dicit: « Qui facit Arcturum et Oriona et Hyadas et interiora austri (*Job.* IV). » Per Arcturum qui, ut jam dictum est, semper versatur, et nunquam mergitur, exponente beato Gregorio, sanctam intelligimus Ecclesiam, quæ septiformi spiritu stabilita, persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad **138** mundi terminum sine defectu perdurat. Per Orionem vero sanctos martyres, qui pondus persequentium molestiamque passuri ad cœli faciem quasi in hieme venerunt. At vero quoniam antiquam novi hominis Christi divinitatem istis vel his similibus testimoniis confirmare et confirmatam esse cupimus, dulcius et delectabilius esse arbitramur, si intra universitatem ejusdem sanctæ Ecclesiæ personas illas quasi digito demonstremus, quarum propter similitudinem competenter hic Arcturum et Orionem fecisse dicantur, qui personis illis posterior est homo natus. Itaque per Arcturum, qui, ut jam dictum est, septem stellis fulget, pristinos intelligamus patres, ex quibus Christus secundum carnem, scilicet Abraham, Isaac et Jacob, eorumque conjuges Saram et Rebeccam, Rachel et Liam. Istæ namque septem personæ, veluti Arcturus septem stellis fulgidus, semper versabuntur et nunquam mergebantur, id est per omnem vitam suam propter fidem Dei peregrinando de loco ad locum proficiscebantur, neque diffidentes inquam in terram pristinæ nativitatis suæ revertabantur. Nunquam Abraham in Chaldæa reversus est, cum tot in locis et interdum fame urgente peregrinaretur, quin etiam ad servum suum: « Cave, inquit, ne quando filium meum reducas illuc (*Gen.* XXIV), » cum de Mesopotamia loqueretur, ubi habitabat cognatio ejus, ex quo tempore Thare pater ejus de Chaldœa fuerat egressus. Quanto magis hoc vetuisset, ne in Chaldæam filius suus reduceretur? Igitur cum dicit, « facientem Arcturum, » perpulchrum est intelligi de Deo et homine Christo, quod antequam nasceretur et in cœlo factor stellarum, et in terrâ factor exstitit patrum et matrum suarum, velut septem stellarum fulgentium Abraham et Saræ, Isaac et Rebeccæ, Jacob et Rachelis atque Liæ. Per Orionem vero Mosen intelligimus, qui nimirum sicut Orion in ortu suo, ut jam dictum est, tempestates excitat, et maria terrasque perturbat, ita ut in adventu suo decem plagarum tempestatibus Ægyptum quassavit maria divisit, et Pharaonem cum curribus et equitibus ejus submersit. Hoc vero multum ad commendandam majestatem divinitatis hominis Jesu Christi, quod talem Orionem fecerit, quem tantopere adversarii ejus præferebant ei, dicentes: « Nos scimus, quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit (*Joan.* IX). » Hoc ipsum quod videlicet illum Orionem fecerit, pulchre et sapienter ipse innuit quando illis dicentibus, in lege autem Moses mandavit nobis hujusmodi lapidari, « inclinans se deorsum digito scribebat in terra (*Joan.* VIII), » significans seipsum esse, cujus digito scriptæ fuissent tabulæ quas Moses accepit, cujus sibi insidiose objiciebatur auctoritas. Post illum Arcturum et Orionem fecit et illud quod mirabiliter significatur, dicendo, « et convertentem in mane tenebras, et diem nocte mutantem. » Etenim quando fecit talem Arcturum et talem Orionem, id est quando condidit patres supradictos, et Mosi dedit legem, gentes tenebræ fuerunt, quia Dei notitiam non habuerunt; sed quando factus est homo, tenebras illas in mane convertit, quia gentes evangelica prædicatione illuminavit. Econtra, diem nocte mutavit, quia Judæam in qua prius notus erat Deus, cujus notitia Deus est, propter perfidiam in cæcitate reliquit. Post hæc etiam et illud mirabile fecit, quod doctores ex gentilitate assumpsit, quorum doctrina mundum omnem replevit. Hoc significat subjungendo, « qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terræ. » Secundum litteram istud fere quotidie est. Aquas enim maris amarissimas, æthereo calore suspensas excolat et eliquat in dulcem pluviarum saporem, instar medicinalis cucurbitæ, quæ caloris superioris gyri humorem et sanguinem sursum trahit. Ex quo discimus unde sint pluviæ. Nimirum juxta hanc similitudinem quam multos de profunditate sæculi, de falsis et amaris gurgitibus gentilitatis litteralibus et philosophicis redundantee studiis, superna gratia vocavit, eorumque aquaticam scientiam in dulcedinem cœlestis sapientiæ convertit, eisque et ore loquentibus et calamo scribentibus, faciem terræ, fidem Ecclesiæ, plurimis libris, tractatibus copiosis, quasi compluendo sufficienter inebriavit. Hinc Psalmista dicit: « Visitasti terram et inebriasti eam (*Psal.* LXIV). » Item: « Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ (*Psal.* LXVII). » Quod dicit voluntariam, hoc est voluntarie nullisque præcedentibus meritis data,

« Dominus, inquit, nomen est ejus. » Constanter, vere et fiducialiter confitendum est coram hominibus, coram regibus et coram ducibus sive judicibus, coram cunctis gentibus et contra Judæos inimicos ejus, quia talis et tantus, talia et tanta faciens « Dominus » est, et hoc « est nomen ejus, » quamvis ad tempus fuerit despectus, quamvis ad horam fuerit crucifixus, et in sepulcro jacuerit mortuus. Sed perseveraverunt negare illum inimici ejus, dicentes : « Nolumus hunc Dominum esse, nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX). » Quid ergo sequitur ? « Qui subridet vastitatem super robustum et depopulationem super potentem affert. » Quis vastitatem et depopulationem non audivit illius populi robusti et potentis ? Robustus namque et potens præsenti loco mirabiliter dicitur, videlicet pro eo quod cum robusto superbia, cum potente audacia contra istum, cujus, ut jam dictum est, nomen est Dominus, populus infelix consurrexit, non ut vere fortis contra infirmum, sed ut vere phreneticus contra medicum, et male robustus ejecit, male potens occidit ; male robustus et male potens post resurrectionem ejus apostolos ejus persecutus est, et ejecit et repulit ipsum quod volebant illis loqui verbum Dei. Idcirco « vastitatem super talem robustum, et depopulationem super talem potentem » attulit, hoc ipsum servientibus Romanis, multo plusquam fecerat famulantibus Assyriis, obsequentibus judicio ejus Babyloniis, ut et decem tribus in Assyrios irrevocabiliter, et Juda, et Babyloniam tempore statuto revocandus transmigraret. Hoc maxime, quod quasi per Romanos passus est, ille robustus et potens fecit, hic Dominus non parcendo aut compatiendo, sed quasi subridendo propter illud quod dixerant tanquam cauti et providi, « ne forte veniant Romani et tollant nostrum et locum et gentem (*Joan.* XI), » subridendo, inquam, juxta quod in persona ejus sapientia dicit : « Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo cum vobis quod timebatis advenerit (*Prov.* I). » Proprie subrisionem possumus appellare, quando quis irascitur, et apertis paululum labiis ridere se simulat, ut iræ magnitudinem ostendat. Talibus verbis circa Dominum, qui nullos motus patitur, idcirco Scriptura utitur, ut satis quantum potest affirmet quod Dominus, quamvis natura sit clemens, nullatenus tamen robusto et potenti, id est in peccato superbienti misereatur. Sed sicut item dicit Scriptura : « Potentes potenter tormenta patientur, exiguo autem concedetur misericordia (*Sap.* VI). » Eum qui talis et tantus est, qui talia et tanta potest, « convertitis, ait, in absinthium, » ut cum sit natura dulcissimus, cunctam suæ naturæ contineat dulcedinem, et totius iræ quasi subridendo super vos effundat amaritudinem. Nunc quasi quæreret aliquis, quomodo vel quid agendo tam dulcem in absinthium sibi convertere potuerint, convertitur ad interrogantem et dicit : « Oderunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abomi-

A minati **139** sunt. » Vigilanter hic animadvertendum est, ut non in incertum vel per conjecturam diffiniamus robustum illum et potentem, cujus vastitatem sive depopulationem juste subrideat dulcis Dominus, conversus in absinthium. Non dicit peccaverunt, sive admiserunt quidpiam quod in porta, id est in judiciis, quæ in porta civitatis agi solebant, esset corripiendum ; neque dixit imperfecte locuti sunt, sed « corripientem, inquit, oderunt, loquentem perfecte abominati sunt. » Hoc est irremissibile peccatum, hoc robustiorum est atque potentum, non per ignorantiam, sive per infirmitatem peccare, sed peccatum superbiæ defendendo, corde impœnitenti corripientem quoque odisse, et abominari illum, qui audeat loqui per-

B fecte, id est non sibi placentia, sed malis actibus repugnantia. Quis autem in porta corripuit, vel quis perfecte locutus est ? Corripuit quidem eos David, et pleraque perfecte locutus est, atque idcirco oderunt illum et abominati sunt, dicentes : « Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai (*III Reg.* XII), » et istum quoque, qui hæc ipsa loquitur, et cæteros prophetas oderunt et abominati sunt. Verumtamen sicut cætera, ita et istud in uno Christo juste corripiente, et perfecte loquente veraciter et indubitanter est adimpletum. Ipse enim loquitur in psalmo : « Adversum me loquebantur qui sedebant in porta (*Psal.* CXVIII). » Item : « Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus ; cum loquebar illis impugnabant me gratis (*Psal.* CXIX). » Unde memor ipse cum abominarentur eum, et propter

C hæc diceret : « qui me oderunt et Patrem meum oderunt (*Joan.* XV), » et deinde : « Nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum, » continuo subjunxit : « Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis (*ibid.*). » Christum ergo præ omnibus etiam hic intelligimus, quem « oderunt corripientem in porta, » id est in aperto sive in publico, quemadmodum ipse dixit : « Ego palam locutus sum mundo et in occulto locutus sum nihil (*Joan.* XVIII). » Et recte taliter « in porta, » id est non in occulto corripiebat, qui semetipsum portam sive ostium dicebat, et eos qui claves portarum scientiæ tulerant, de injustitia redarguebat. Ipsum solum perfecte loquentem veraciter dicamus, « qui peccatum non

D fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isa.* LIII). » Et pro ista quidem parte, pro isto modo perfectionis, quia « non est inventus dolus in ore ejus, » perfecte loquens recte dicatur, sed nihilominus in sapientia sive doctrina solus hic est perfecte locutus, perfecte, inquam, et tam mirabiliter, ut dicerent ministri principum et Pharisæorum, qui missi fuerant ut apprehenderent : « Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo (*Joan.* VII). » Sequitur : « Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis. Vineas amantissimas plantabitis et non bibetis vinum earum,

qui cognovi multa scelera vestra, et fortis peccata vestra. Hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.» Hic manifestius indicat, quod quamvis verbis præteriti temporis utatur, dicendo : « odio habuerunt in porta, corripientem et loquentem perfecte abominati sunt, diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo,» de futuro tamen prophetiam texit, et in verum pauperem Christum tendit, dum subjunxit, « prudens in tempore illo tacebit.» At ille pauper nihil in hoc mundo possedit. Quomodo ergo illum diripuerunt, vel quam prædam electam ab eo tulerunt? Nimirum quando crucifixerunt eum, « diviserunt sibi vestimenta ejus, et super vestem ejus miserunt sortem (*Psal.* XXI), » et hæc quidem præda magna fuit pro quantitate sacrilegii, non pro quantitate supellectilis. Sed altius intuentibus præda illa occurrit, quam per parabolam evangelicam ipse significavit, in qua agricolæ videntes filium patrisfamilias dixerunt intra se : « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus (*Matth.* XXI). » Pauperem ergo illum, de quo in psalmo legitur :« Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (*Psal.* XL). » Itemque : « Et persecutus est hominem inopem et mendicum et compunctum corde mortificare (*Psal.* CVIII). » — « Pauperem, » inquam, id est humilem Christum diripuerunt, « et prædam electam ab eo » tulerunt, quando plebem ab illo averterunt, implentes mensuram patrum suorum regum Israel, quos imitati sunt. Sicut enim illi decem tribus sciderunt a domo David, et a templo Domini, et fecerunt adorare simulacra vituli, quod jam factum fuerat, quando texebatur hæc prophetia, sic isti plebem averterunt a filio David, Filio Dei, et fecerunt eos credere suis mendaciis magis quam veritati Dei, « Idcirco, inquit, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis, vineas amantissimas plantabitis, et non bibetis vinum earum.» Vides quale experimentum hic jam ponit supradictæ conversionis, de qua dixit, « qui convertitis in absinthium judicium?» Nam in lege clemens Dominus, exeuntibus ad bellum audiente exercitu taliter proclamandum esse judicavit : « Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdum eam fecit esse communem, et de qua vesci omnibus liceat? Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius ejus fungatur officio (*Deut.* XX). » Hoc nimirum pro sua dulcedine tunc judicavit, nunc autem converso in absinthium judicio contraria discernit. « Domos, inquiens, quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis : » neque enim captivator tale quid indulgebat, sed et domos diruens atque succendens, et vineas succidens, ædificatores atque plantatores quos gladio non occidet, in captivitatem properare compellet, atque ita neque domos de- A dicabitis, quas pulchras facietis, neque bibetis vinum de vineis amantissimis, quas ordine consitas diligenter coluistis. Quare? Quia « cognovi, inquit, multa scelera vestra, » non solum multa, verum etiam quod pejus est et venia indignum, « fortia cognovi peccata vestra.» Nam peccata vestra non de infirmitate sive de ignorantia, sed de superba fortitudine, de forti prodeunt superbia, juxta illud in psalmo : « Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua : prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (*Psal.* LXXII). » Illam vestram iniquitatem in proximum, impietatem in Deum, quæ non ex infirmitate sed ex adipe prodiit; o male fortes in peccatis, ecce breviter depromo vobis. « Hostes justi, accipientes munus, et pauperes in porta deprimentes. » B Nam cum hostis ab obsistendo dicatur, subjungendo « hostes justi, accipientes munus, et pauperes in porta deprimentes,» non incongruas reddidit causas cur dixerit, « et fortia cognovi peccata vestra.» Vere « hostes justi,» maxime illi, qui mensuram patrum suorum in eo impleverunt, ut non solum munus acciperent adversus pauperes in porta, id est in judicio deprimendos, quod sæpe fecerunt tam ipsi quam patres eorum, verum etiam ut sibi traderetur justus, munus, id est triginta argenteis spoponderunt et dederunt. Ideo, inquit, quia taliter fortes sunt « et hostes justi, prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. » Revera et in isto sermone valde veracem istum prophetam suum justus ac prudens **140** ille fecit, quando coram judicibus iniquis, quia tempus malum erat, C tacuit, sicut evangelica narrat historia. Cum enim dixisset evangelista, quia surgens princeps sacerdotum ait illi : « Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur. Jesus autem, inquit, tacebat (*Matth.* XXVI) ; » et vere tanquam prudens tacebat, sciens, quia quidquid responderet insidiantibus, in calumniam sibi verteretur. Unde et secundum alium evangelistam dixit : « Si vobis dixero, non credetis mihi. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis (*Luc.* XXII). » Porro illa taciturnitas aliam utique significabat, qua nunc tacet illis, « mandando nubibus suis ne pluant super vineam illam imbrem (*Isai.* V), » id est prohibendo suos ut ab illis contineant Evangelii prædicationem, quia tempus malum, juxta quod sapientia D loquitur : « Ne effundas sermonem, ubi non est auditus (*Eccli.* XXXII). » Nam inde malum est ibi tempus, quia non est ibi auditus his dictis de certa condemnatione hostium justi, quia possunt esse inter eos aliqui, licet paucissimi, qui errore peccant et non odio justi, convertitur ad eos sermo propheticus et dicit :« Quærite bonum et non malum ut vivatis, et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis : Odite malum et diligite bonum, et constituite in porta judicium, si forte misereatur Dominus Deus reliquiis Joseph. »

Hujus nimirum adhortationis fructus omnino periit, quia videlicet et tunc temporis aliqui bonum

quæsierunt, ita ut diceret Dominus ad Heliam : « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua coram Baal (*III Reg.* XIX), » et in tempore evangelicæ gratiæ similiter factum est; sic enim, inquit Apostolus : « Et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt(*Rom.* XI). » Pulchre nimirum nunc meminit Joseph, dicendo : « Si forte misereatur Dominus Deus reliquiis Joseph. » Jeroboam namque qui peccare fecit Israel, de tribu fuit Ephraim, qui filius fuit Joseph, cujus vita, sicut in semetipsa laudabilis exstitit, sic in his quæ gessit vel pertulit, typum Domini nostri Jesu Christi prætulit, in quo reliquiæ salvæ factæ sunt. Verum ista pars quam dicit, « et constituite in porta judicium, » non habuit effectum. Nunquam enim vel tunc ex quo vitulos fecit Jeroboam, publicum celebraverunt judicium ut vitulos desererent, et ut redirent ad David regem suum, nunquam hoc tempore quo Christum crucifixerunt, ita constituerunt in porta judicium ut paterentur sibi publica prædicatione demonstrari de Scripturis quodlibet veritatis Christi testimonium. Sequitur : « Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator : In omnibus plateis planctus, et in cunctis quæ foris sunt, dicetur : Væ, væ; et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere, et in omnibus viis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus. » Hoc expositione non indiget, quia res nota et manifesta est. Nam ut de captivitate decem tribuum in Assyrios, de transmigratione Juda taceamus in Babylonios, quibus in plateis planctus, quibus in viis non fuit luctus, et in quibus non fuit dictum : « Væ, væ, » quando illi « hostes justi, » scilicet Christi, Romana circumdati sunt obsidione ? Mirum et illud fuit, et hoc loco non prætereundum videtur, quod priusquam pro re ab omnibus diceretur : « Væ, væ : » mirabili prodigio quidam, ut refert Josephus (*De bello Judaico*), in cunctis plateis, et in omnibus viis clamavit : « Væ, væ. » Jesus, inquit, filius Anai, plebeius et rusticus, quadriennium priusquam bellum gereretur, in summa civitatis pace atque opulentia, cum ad festum diem venisset, repente exclamare cœpit : « Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hierusalem et templum, vox in maritos, novasque nuptas, vox in omnem populum. » Atque hæc interdiu noctuque per omnes civitatis vicos clamitans circuibat. Propter hoc plagis ad ossa usque laceratus, ad singulos ictus respondebat : Væ, væ Jerosolymis. Interroganti præfecto tunc temporis Albino, quis esset vel unde ortus, aut cur ista diceret nihil aliud retulit, sed velut orationem quamdam meditatus, Væ, væ Hierosolymis querebatur. Id per annos septem et quinque menses continue fecit, donec obsidionis tempore palulum requiescens, et deinde supra murum circuiens, iterum : Væ, væ civitati, magna voce clamavit. Cum autem ad extremum addidisset : « Væ etiam mihi, » lapis tormento emissus statim peremit. Quod tandem subjungitur, « quia pertransibo in medio tui dicit Dominus, » iram sonat magnam et desertionem illam, quam in Evangelio significatam esse animadvertimus, ubi cum duxissent illum usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum ædificata, ut præcipitarent eum, « ipse autem, inquit evangelista, transiens per medium illorum ibat (*Luc.* IV). » Sic namque transeundo et eundo significabat facto, illud sine dubio futurum, quod paulo ante in mysterio comminatus fuerat illis dicendo : « In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra et ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus (*ibid.*). » Terribiliter namque quasi eum interpositione juramenti, in veritate innuebat illis, quod nimiam famem verbi Dei forent passuri, quam pertranseundo relinqueret eis, hydria farinæ et lecytho olei, quod est evangelica doctrina et gratia Spiritus sancti, apud gentilitatem quamdam viduam non deficiente, Helia, id est Deo Domino, scilicet Jesu Christo præsente, et quod in lepra peccati sui mortui essent, curato Syro Naaman, id est gentili populo per Helisæi, id est Jesu Christi lavacrum. Helisæus namque *Dei mei salus* interpretatur, quæ videlicet salus nobis est Dominus Jesus Christus. Illud tandem non prætereundum quod in tali pertransitione Domini dicuntur vocare agricolam ad luctum. Arbitramur namque hoc mira cum reprehensione esse dictum. Quid enim? Nunquid agricolæ veraciter sicut oportet, sciunt lugere? Aut quem æstimare debemus esse agricolam, nisi illum qui ita rusticus est, ut lugendi non habeat scientiam. Vere namque scientia lugentes facit. Et idcirco sicut in ordine spiritum, a spiritu timoris Domini (*Isa.* XI) sursum tertius est spiritus scientiæ, in ordine beatitudinum, tertio loco beatitudinem lugentium ponit Dominus : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Stulti igitur qui, pertranseunte Domino, agricolam vocant ad luctum, et non potius urbanum sive ecclesiasticum in sancta scientia bene exercitatum, id est qui temporalium tantummodo et non spiritualium damno bonorum, qui corporum tantummodo, et non potius mortuorum funera lugent animarum. Denique quod cum dixisset, « et vocabunt agricolam ad luctum, » subjunxit, « et ad planctum eos qui sciunt plangere, » non pro suo judicio, sed pro vana illorum dixit æstimatione.

LIBER TERTIUS.

141 « Tota pulchra es, amica mea (*Cant.* IV), » dicit sponsus in Canticis : et notum est, quod sponsus ille Christus, et amica ejus sancta prophetica atque apostolica Ecclesia sit. Quæ autem illius amicæ pulchritudo major esse potest, quam sensus veritatis et scientiæ Dei, quæ in sacris litteris latet? Sicut enim ex collocutione Dei splendida facta est exterior facies Mosi (*Exod.* XXXIV), sic et Mosi et prophetarum et apostolorum fideles animæ interiori facies sancto scientiæ spiritu illustratæ splenduerunt, pulchrum et fulgidum habentes sensum veritatis. Item sicut oportuit Mosen velare faciem suam, quando loquebatur ad populum, videntes enim Aaron et filii ejus claritatem vultus ejus, timuerunt prope accedere, sic et Mosen et prophetas oportuit grossiori subtegere sensus intimi claritatem, quia videlicet illius B temporis homines Judæi sive filii Israel nullatenus sustinerent si sacramenta Christi et Ecclesiæ, quæ noverant, planis et apertis vocibus prædicarent. Quomodo enim tunc sustinerent, quomodo Scripturas salvas esse vellent rebelles et increduli, cum nunc quoque ad videndum vel audiendum quidpiam spirituale nimis impatientes sint? Hæc idcirco dicimus, ne nobis mirum videatur, quod hic Amos et prophetæ cæteri tam obscure locuti sunt, juxta illud psalmi : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII), » id est occulta scientia in prophetis. Nam hoc ipsum quod quasi tenebrose locuti sunt, oculo fecerunt simplici, et nullam habente partem tenebrarum, id est non propter invidentiam, sed propter cautelam, non invidendo legentibus intelligentiam, sed C præcavendo legentium malitiam, quibus non omnia credenda sunt, sicut margaritæ ante porcum mittendæ non sunt (*Matt.* VII). Igitur cum audivimus dilectum dicentem : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te, » et deinde, « surge, propera, amica mea, veni de Libano, veni coronaberis (*Cant.* IV), » arbitremur Christum desiderare ut appareat pulchritudo sanctæ Scripturæ, pulchritudo veritatis propheticæ, pulchritudo columbæ, cujus, ut Psalmista dicit, « pennæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). » Et quia non decet, adducatur sive veniat illa per alios, nisi per illos qui diligunt munditiam cordis, « Veni, inquit, de Libano, veni » quod idem est ac dicat : Illi te tractent, qui secundum nomen Libani, quod D interpretatur *candidatio*, id est mundi essent. Hujusce laboris, si digne fiat, primum breviter exprimit, dicendo, coronaberis. Hoc satis debet esse amatori sapientiæ, quæ pulchritudo est sanctæ Ecclesiæ, quod ipsa videlicet in sapientia coronetur. In quo enim sapientia, nisi in sapiente coronabitur? Proinde sicut in psalmo Dominus: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* CXIII), » ita et nunc

A inclamantes,[1] » non nobis, Domine, non nobis, » sed verbo tuo, sapientiæ tuæ, Scripturis veritatis tuæ, præpara coronam, cœptum peragamus studii cursum. Postquam toties dixit propheta, sive in propheta Dominus : « Quærite me et vivetis, quærite Dominum et vivite, quærite bonum et non malum, ut vivatis, etc., » repente terribiliter inclamat et dicit : « Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ et lux. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et ursus occurrat ei, ingrediatur domum et innitatur manu super parietem, et mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini, et non lux, et caligo, et non splendor in ea? » Magna exclamatio, mira invectio dicentis : « Væ desiderantibus diem Domini. » Non adeo mirum videretur, si ita diceretur : Væ non timentibus diem Domini. Nam non timere, est omnino malorum sive impiorum hominum (*Prov.* XX), desiderare autem potest esse bonorum, adeo ut Apostolus dicat : « Cupio dissolvi et cum Christo esse (*Philipp.* I). » Denique talium quoque desiderium non sine quodam timore est. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Verum timor ille non servilis, sed filialis est, non pœnam habet, quia magna illi in spe consolatio est. Cum ergo dicit : « Væ desirantibus diem Domini, » quid nisi audaciam illorum percutit, qui in se confidunt tanquam justi? Non dubium, quin valde fatigatus illorum insania, qui erant ejusmodi, taliter inclamaverit. Quid enim prophetis resistendo et contradicendo dicere soliti fuerint, qualiter subsannare et irridere, suamque confidentiam ostentare consueverint, ex aliis colligimus Scripturæ locis. Exempli gratia, cum dixisset Isaias : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum, » subjunxit atque ait : « Qui dicitis, Festinet, cito veniat opus ejus, ut videamus et appropiet et veniat consilium sancti Israel, et sciemus illud. » Nimirum hæc dicere est male et proterve desiderantium, male et stulte audientium. Et quis habitum male confidentis, et audacis animi satis in talibus mirari possit, qualium unus Sedecias, percussit Micheam in maxillam, et dixit : « Mene ergo dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi (*III Reg. ult.*). » Sed et illud meminisse nunc ad rem pertinet, quod prophetis insultabant, juxta illud, quod cantantes et ludentes dicunt apud Isaiam : « Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi (*Isa.* XXVIII). » Sic namque cantabant quasi desiderantes, et velut moræ impatientes, tanquam non concedentes veracem debere prophetam videri, eo quod non citiores consequerentur
142 verba prophetantis, sive Domini mandatis, et post verba nimium exspectantis. Sentire ergo possumus, qualiter vel a qualibus defatigatus, sive exa-

speratus iste sic exclamaverit : Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ et non lux » Laborat clamans, clamat laborans, ut illius diei Domini, antequam veniat sentire et effugere possimus angustiam. Nam ibi angustiæ peccatoribus erunt undique, « quomodo si fugiat, inquit, vir a facie leonis, et ursus occurrat ei, ingrediatur domum et innitatur manu super parietem, et mordeat eum coluber. » Multa sunt quæ ex istis similitudinibus conjici possunt. Nam juxta historiam, et secundum Judæorum opinionem iste sensus videtur: Fugientibus a facie Nabuchodonosor leonis, occurret Assuerus, sub quo Esther narratur historia, sive destructo Assyriorum et Chaldæorum imperio, Medi Persique consurgent. Cumque regnante Cyro fueritis reversi, et præcipiente Dario cœperitis ædificare domum Domini, et omnem fiduciam habueritis in templo, ita ut requiescatis in eo, et lassas manus super parietes inclinetis, tunc veniet Alexander rex Macedonum, sive Antiochus cognomento Epiphanes, qui moretur in templo, et vos instar colubri mordeat, nequaquam foris in Babylone et in Susis, sed intra terminos terræ sanctæ. Hæc Hebræorum opinio nimis angusta est et tenuis, nec altitudinem attingit diei Domini, sed neque ad tempora Romani pertingit imperii, sub quo multo magis væ illis fuit quam sub Assyriorum, sive Chaldæorum, Persarum et Medorum atque Macedonum regnis. Referamus ergo cuncta hæc ad diem Domini, ad adventum Domini. Nam terror majestatis ejus leoni et urso non incongrue potest assimilari, præsertim cum Jeremias in Lamentationibus præmittens: « Sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam, conclusit vias meas lapidibus quadris, semitam meam subvertit; » continuo subjunxerat: « Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis (*Thren.* III). » Itaque cum dicit, « quomodo si fugiat vir a facie leonis, et ursus occurrat ei, » in utraque similitudine diem intelligimus Domini, primum et secundum adventum Domini. Nam in primo adventu suo tanquam leo super illos venit. Denique occisus quidem est velut agnus « et non aperuit os suum (*Isa.* LIII). » sed tanquam leo resurrexit, et in omnem terram rugitum dedit, unde et in exordio hic idem propheta dixit : « Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam. » A facie leonis hujus tunc quidem fugerunt, sed non effugerunt, nam fugere volentibus occurrit, sive occurret ursus, id est inevitabilis terror secundi adventus, et merito talis ursus illis occurrit, quoniam fugerunt a facie leonis. Debuerant namque potius ceram illo leone prosterni, id est agere pœnitentiam ad prædicationem Evangelii Christi. Sicut enim leo prostrato parcere dicitur homini, sic parcit Christus peccatori pœnitentiam agenti. Fugerunt ab eo tanquam rebelles et increduli, et fugiendo exierunt de domo Domini, de Ecclesia sanctorum Dei illo insequente, et vindictam exigente ejus qui effusus est super terram, omnis sanguis justi (*Matth.* XXIII), sicut significavit eis, quando facto flagello de funiculis, vendentes et ementes omnes de templo ejecit (*Luc.* XII). Ita fugientes ille leo insecutus est et ursus occurrit, dum et sicut prænuntiaverat dicens: « Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic (*Luc.* XXI), » venientibus Romanis ceciderunt in ore gladii (*Isai.* VIII; *Zach.* XII), et in omnes gentes ducti sunt captivi, et quod futurum est, « videbunt in quem transfixerunt (*Joan.* XIX), » et de angustia avolare non potuerunt. Interea dum ita in leonem et ursum, id est inter iram primi et iram secundi coarctantur adventus, sive diei Domini, ingrediuntur domum et innituntur manu super parietem, confidendo in cæremoniis carnalibus, et patronum se putantes habere Moysen. Nam super illum, quasi super parietem manu innituntur, dum circumcidendo et sabbatizando in Moyse gloriantur, sicut auribus nostris eos jactitantes frequenter audimus. « Hoc sciens Dominus, est qui accuset vos, ait, Moyses, in quo vos speratis (*Joan.* V), » Nimirum spes illa non vera spes, sed diaboli deceptio est; idcirco cum dixisset, « ingrediatur domum et innitatur manu super parietem, addidit, « et mordeat eum coluber. » Ita namque præsumentes et Antichristus hoc sæculo seducet, in futuro diabolus cruciare non desinet. Hic dictis protinus inclamando percunctatur et dicit : « Nunquid non tenebræ dies Domini et non lux et caligo, et non splendor in ea ? » Acriter interrogat, districte percunctatur sciens quia negari non potest quod prædixerat, dies Domini ista tenebræ et non lux. Sciens, inquam, confusionem esse tenebrosam, caliginemque confusam, nullamque splendore consilii lucem, ubi dum leo fugitur, ursus occurrit, et dum uterque declinatur, adest mordens coluber. Et bene percunctationis acrimoniam vimque geminavit verbis paululum diversis, dicendo : « Tenebræ et non lux, caligo et non splendor. » nunc, sicut jam ante diximus, dies Domini non unus, sed duo, sive adventus Domini, non unus tantum sunt, sed duo : alter quo jam venit, alter sine dubio quo venturus est. Uterque Judæis incredulis provenit in judicium damnationis, in damnationem cæcitatis. Nam de primo, « in judicium, inquit, ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant *Joan.* IX). » Et Apostolus : « Cæcitas, ait, contigit in Israel, et dedit illis spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant (*Rom.* XI). » Et in Isaia : « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude (*Isa.* VI). » Item: « Miscuit vobis Dominus spiritum saporis, et claudet oculos vestros, prophetas ac principes vestros, qui vident visiones operiet (*Isa.* XXIX). » Et multa his similia. Porro de secundo adventu post multa dicit : « Et suscipiet sursum, et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio et tenebræ dissolutio, angustiæ et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua (*Isa.* VIII). » Recte igitur non contentus fuit semel dixisse : « Nunquid non tenebræ dies Domini et non lux, » sed repetivit, « et caligo et non splendor in ea, »

quia videlicet in utroque die, sive adventu Domini, A cum exteriori angustia tribulationis, intus habent tenebras confusionis, et in utroque obscurantur oculi eorum ne videant, in utroque sit via illorum tenebræ et lubricum. Sequitur: « Odi et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si attuleritis holocaustomata et munera vestra, non suscipiam, et vota pinguium vestrorum non respiciam. Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam. Et revelabitur quasi aqua judicium et justitia quasi torrens fortis. » Secundum sensum quem a pariete paulo ante habuimus. Ubi dixit, quod innitentem manu mordeat eum coluber, ista satis congrue subjunguntur. Nam, sicut illic diximus, paries cui innituntur, carnales cæremoniæ sunt. Quomodo au- B tem staret, sive innitentem super se portaret paries festivitatum, quas Deus odisset? « Odi » enim, inquit, et non solum odi, verum etiam « projeci festivitates vestras. » Recte ergo non sine magno mysterio Paulus, cum staret in concilio **143** Judæorum pro se rationem reddens, et princeps sacerdotum Ananias præciperet astantibus sibi, percutere os ejus, tunc dixit ad eum: « Percutiet te Deus, paries dealbate (*Act.* XXIII). » Cumque qui astabant dicerent, « summum sacerdotem Dei maledicis? Nesciebam, inquit, fratres, quia princeps sacerdotum est. » Vere enim nesciebat, neque scire volebat aut debebat, quod princeps ille sacerdotum esset, cujus sacerdotium secundum prophetiam hanc odisset et projecisset, eo quod esset paries, C super quem qui inniteretur manu, morderet eum coluber. Necdum vero percussus erat, stabatque adhuc paries illius sacerdotii dealbatus, utpote stante templo pulcherrimo, solitaque religione turbis locum frequentibus atque concelebrantibus, sed postmodum futurum erat, ut per arma Romanorum percuteret atque deleret eum Deus. Ita paries ille percussus ex tunc neque dealbatus, neque superinductus est, ut gloriam pristinam recuperaret. Unde postmodum hic idem propheta dicit: « Hæc ostendit mihi, et ecce Dominus stabat super murum litum, et in manu ejus trulla cementarii. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Amos? Et dixi, trullam cæmentarii. Et dixit Dominus ad me: Ecce ponam trullam in medio populi mei Israel, non adjiciam D ultra superinducere eum (*Amos.* VII). » Cuncta hæc quæ nunc reprobat dicens: « Odi et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum, holocaustomata et munera vestra non suscipiam, et vota pinguium vestrorum non respiciam, aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam; » cuncta, inquam, hæc, dum adhuc starent et celebrarentur, paries superinductus erat et dealbatus, nunc autem palam est, quia projecit ea Deus. Odisse autem, et projicere, et non odorari, humana dicitur similitudine, ut non effectum Dei nostris sermonibus cognoscamus.

Notandum interea qualiter dixit, « quod si obtuleritis mihi holocaustomata vestra et munera vestra, non suscipiam. » Mihi dixit: « Non vitulis, quibus sacrificabant in Bethel et in Dan. » Hoc adversus Judaicam dicimus defensionem, quoniam illi dicunt, idcirco sic Deum loqui et dicere, « odi et projeci festivitates vestras. » et cætera, quia tunc temporis sacrificabant vitulis quos fecerat Jeroboam. Et pulchre dicit: « Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam, » videlicet cantica Levitarum, quibus laudabant Dominum, tumultum vocans, sonitumque confusum, quia non est pulchra laudatio in ore peccatoris.

His dictis, quibus reprobationem manifeste denuntiat illius populi sive carnalis Judaismi, non ab re continuo subjungit, revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis (*Eccli.* XV) Veraciter namque revelatione indiget, nec ab alio intelligi potest profunditas hujus judicii, quo sic judicatum et sic factum est, ut fractis, sicut jam supra diximus, naturalibus ramis, insererentur alii bonæ radici, non, inquam, ab alio potest intelligi, nisi ab illo cui Deus per spiritum suum revelare dignatus sit. Unde Apostolus, cum de hac re diu disputasset, tandem sic exclamavit: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! (*Rom.* XI.) Non ab re ergo, ut jam dictum est. Et revelabitur, inquit, quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis, » quia videlicet sicut aqua latentem quidem habet originem, sed cursum manifestum et conspicabilem, sic profunditas judiciorum Dei incomprehensibilis quidem est, sed ex multis rebus apparentibus cognoscitur, quia judicium ejus omne justum est. Et bene cum dixisset, « revelabitur quasi aqua judicium, addidit, « et justitia quasi torrens fortis, » hæc videlicet innuens, quod justitiæ, sive justo judicio Dei nullus resistere, nullus saltem respondere possit, quemadmodum idem Apostolus de hac ipsa re concertans, cum præmisisset: Dicitis « itaque mihi, quid ergo adhuc quæritur, voluntati enim ejus quis resistit? » Repente justa cum indignatione inclamavit. « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? » (*Rom.* IX.) Recte igitur utrumque dixit: « Et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis, » quia videlicet sanctæ Scripturæ auctoritas, quæ ubique justitiam Dei defendit, et procacem iniquisitorem proterva respondentem fortiter repellit, et humilem auditorem aliquantula revelatione suaviter instruit, quemadmodum idem Apostolus, ubi repulit hominem protervum, dicendo: « O homo, tu quis es qui respondeas Deo? » conversus ad humilem auditorem, blandius loquitur illi dicens: « Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, » etc. Nimirum ad eamdem ju-

dicii vel justitiæ revelationem pertinet id quod sequitur in isto propheta, cum Deus ipse percunctatur et dicit : « Nunquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel ? » Statimque subjungit : « Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum, dixit Dominus Deus exercituum nomen ejus. » Hoc, inquam, ad revelationem pertinet judicii vel justitiæ Dei. Per hæc namque multum excusatur Deus, quod non injusto populum illum projecerit (*Exod.* IX), vel quod non mutabilitate animi usus sit, et novo consilio in eo quod taliter gentem reliquerit, quam olim bonis exigentibus meritis sibi peculiarem elegerit. Nunquam enim cor illorum cum eo rectum fuit, ait psalmus (*Psal.* LXXVII), nec fideles habiti sunt in testamento ejus. Inde illos convicit sub interrogatione dicendo: « Nunquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, » etc. Ergo nobis quoque judicium et justitiam Dei in hac severitate, qua naturalibus, ut superius jam dictum est, ramis non pepercit, recurramus apertis oculis ad illa tempora, ad quæ nos per præsentia dicta remittit. Egressi de terra Ægypti, transito mari Rubro, statim fecerunt caput vituli conflatilis, et ei prius altare fecerunt, quam Deo ; prius holocausta et hostias pacificas illi obtulerunt, quam Domino. Adhuc enim Moyses in monte cum Deo loquens, de tabernaculi constructione, et constituendo sacrificiorum ritu instruebatur, et inter moras illas fecerunt hoc scelus, et tunc quidem Moyses quasi vindictam aliquam fecit, dicendo, ponat vir gladium in femur suum (*Exod.* XXXI), cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum, sed illa non fuit vindicta vel sententia Domini, neque enim Dominus hæc fieri jussit, sed Moyses. Bono zelo districte pius, pie districtus, iram Dei prævenire acceleravit, vindictam Dei penitus avertere conatus est. At ille sciens, quod non cessarent ab hujusmodi peccatis, illa quam fecit Moyses vindicta contentus esse noluit, sed dixit : « Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. » Item : « Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te (*Exod.* XXXIII). » Cum ergo præmisso, « et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia **144** quasi torrens fortis, » subjungit : « Nunquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis ? » Satis excusatum se esse vult, quod non novis pro causis mutato animo novam sententiam quæsierit vel dederit in rejectione illius populi. Et ut competenter sermo sequens conjungatur cum dicit: « Nunquid hostias et sacrificia obtulistis mihi, » subaudiendum est, non, sed vitulo quem fecistis, ac forte legendum : « Sed portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quem fecistis vobis. » Et est sensus : Moses quidem arripiens vitulum quem fecistis, combussit et contrivit, usque ad pulverem ; sed vos

A in cultu idololatriæ perseverastis, et illas vobis figuras proposuistis, quas confringere, vel cœlestes esse negare non posset, id est, sidera cœli. Hoc respiciens Stephanus protomartyr, cum dixisset : « Et vitulum fecerunt in illis diebus, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum, » continuo subjungit : « Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro prophetarum. Nunquid victimas et hostias obtulistis mihi (*Act.* VII), » et cætera. Qualis autem illa conversio fuit, qua Deus illos ita convertit ? Nunquid hæc tota fuit intentio Dei vel Moysi vitulum confringentis, ut non formam vituli, sed potius militiam adorarent vel sidera cœli ? Nam cum dixisset hic, « et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum

B vestrorum, » quæ sit ipsa imago vel idolum, sequenti sermone demonstravit, dicendo, « sidus Dei vestri, » id est Luciferi, quam huc usque venerantur Saraceni. Qualis ergo illa conversio fuit ? Nimirum dolenda et longe diversa ab eo, quod Deus intendebat. Idem enim est, ac si dicat : Deus quidem vel Moyses, confringendo vitulum, hoc intendit, ut potius converterentur ad adorandum sidera cœli, ad portandum non tabernaculum Dei, quod Moyses fecit ex præcepto Dei, sed « tabernaculum Moloch, » id est, regis sui, scilicet Luciferi, quem honorabant ut Deum, nuncupantes eum regem suum. Ex eo tempore omnia quæ fecerunt, non Deo, sed idolis fecisse monstratur. Nam quod postquam vitulum fecerunt, quædam Domino legimus eos obtulisse,

C non voluntate, sed pœnarum metu fecerunt, et eorum interfectione, qui propter idola corruerunt. Revelatum est ergo judicium, videlicet illis, qui attendunt in Scripturis merita rerum præcedentium, et idcirco « migrare, inquit, vos faciam trans Damascum, » id est, in Babylonem ducemini, quæ utique vobis secundum situm terræ est trans Damascum. Hoc dicit Dominus, hæc facere proposuit ac præfinivit Dominus. Quis vel qualis Dominus ? Vultis scire nomen ejus? « Deus exercituum nomen ejus. » Et quam ob causam præsenti loco tali nomine illum nuncupari decuit ? Videlicet quia multos judicio vel justitiæ suæ famulantes habet exercitus, ut suus contra vos sermo compleatur. Habet exercitus Assyriorum atque Chaldæorum, habet exer-

D citus Medorum atque Persarum, habebit exercitus Macedonum et Græcorum, habebit exercitus Romanorum, per quos utique manifestum omni mundo de vobis agetur judicium, et tunc vobis væ. Sequitur enim :

Cap. VI. — « Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. Transite in Chalane et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.

Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris ; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti ; qui canitis ad vocem psalterii, sicut David, putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph. » Manifeste istud væ contra sacerdotes impios declamatur. Illud autem væ superius : « Væ desiderantibus diem Domini, » communiter omnibus contemptoribus judicii Dei declamatum est, cujuscunque ordinis sint. Non præterire libet hoc loco magnum esse miraculum eloquentiæ præpollentis in Scripturis sanctis, quia videlicet cum intellectu interno magna sit majestas mysteriorum cœlestium, nihilominus in superficie pulcherrimum nitet eloquium, tanquam si pretiosam invenias thecam, quæ B extrinsecus argentea, pretiosum intus aurum retineat, juxta illud psalmi : « Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). » Quod idem est, ac si dicat : Sanctæ Scripturæ littera pulchra extrinsecus est et lucida, intrinsecus autem multo pulchriora, multo pretiosiora continet spiritualis intelligentiæ mysteria. Sed nunquid ista res assertione nostra indiget ? A sanctis Patribus magnifice perspectum atque animadversum est, quod nec in isto propheta, qui de pastore assumptus est, defuerit aut desit illa, qua sæculares multum tument, eloquentia, sapientiæ cœlestis comes, Beatus Pater Augustinus (*De doctr. Christ.*, lib. IV, cap. 7), divini sermonis ponderator fidissimus, inter cætera locum hunc pro exemplo tractandum suscipiens : C « Dicendum, inquit, mihi aliquid esse video et de eloquentia prophetarum, ubi per topologiam multa obteguntur, quæ quanto magis translatis verbis videntur operiri, tanto magis, cum fuerint aperta, dulcescunt. » Et ex illius prophetæ libro potissimum hoc faciam, qui pastorem vel armantarium fuisse dicit, atque inde divinitus ablatum, missumque ut Dei populo prophetaret, cum igitur argueret impios superbos, luxuriosos, et ideo fraternæ intelligentissimos charitatis, rusticus vel ex rustico ipse propheta exclamavit dicens : « Væ qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariæ, » et cætera. Nunquidnam isti, qui prophetas nostros, tanquam ineruditos et locutionis ignaros, velut docti disertique contemnunt, D si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluissent ? Quid enim est, quod isto eloquio aures sobriæ plus desiderent ! Primo ipsa invectio quasi sopitis auribus ut evigilarent, quo fremitu illisa est ? « Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. » Deinde ut beneficiis Dei, qui eis ampla spatia regni dedit, ostenderet ingratos, quoniam confidebant in monte Samariæ, ubique utique idola celebantur. « Transite, inquit, in Chalane et videte, et ite in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstino- A rum, et ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. » Simul etiam cum ista dicuntur, locorum nominibus tanquam luminibus ornatur eloquium, quæ sunt Sion, Samariæ, Chalane, Emath magna, et Geth Palæstinorum. Deinde verba, quæ his adjunguntur locis, decentissime variantur. « Opulenti estis, confiditis, transite, ite, descendite. » Consequenter denuntiatur futura sub iniquo rege appropinquare captivitas, cum adjungitur, « qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis » Tunc subjiciuntur merita luxuriæ : « Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris ; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. » Ista **145** septem membra tres bimembres circuitus ediderunt. Non enim ait : Qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Quod si ita diceretur, esse quidem et hoc pulchrum ut ab uno pronomine repetito omnia sex membra decurrerent, et pronuntiantis voce singula finirentur ; sed pulchrius factum est ut eidem pronomini essent bina subnexa, quæ tres sententias explicarent : unam, ad captivitatis prænuntiationem, « qui separati estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis : » alteram, ad libidinem, « qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris ; » ad voracitatem vero tertiam pertinentem, « qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti, » ut in potestate sit pronuntiantis utrum singula finiat et membra sint sex, an primum et tertium et quintum voce suspendat, et secundum primo, quartum tertio, sextum quinto connectendo, tres bimembres circuitus decentissime faciat : unum quo calamitas imminens ; alterum quo lectus impurus ; tertium quo prodiga mensa monstretur. Deinde luxuriosam remordet aurium voluptatem, ubi cum dixisset, « qui canitis ad vocem psalterii » (quoniam potest exerceri sapienter a sapientibus musica) mirabili decore dicendi, invectionis impetu relaxato, et non ad illos, sed de illis loquens, ut nos musicam sapientis a musica luxuriantis distinguere commoneret, non ait : Qui canitis ad vocem psalterii, et sicut David putatis vos habere vasa cantici ; sed, cum ad illos dixisset illud quod luxuriosi audire deberent, « Qui canitis ad vocem psalterii, » imperitiam eorum aliis quoque quodammodo indicavit, adjungens, « sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti. » Tria hæc melius pronuntiatur, si, suspensis duobus prioribus membris circuitus, tertio finiatur. Jam vero, quod hic omnibus adjicitur : « Et nihil patiebantur super contritione Joseph, » miro decore dictum est. Non dixit, nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre Joseph, ut quicunque frater proprio significaretur ejus nomine, cujus ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. »

Hæc de pulchritudine litteræ præsenti loco dicta sint, cum opportuna commemoratione tanti doctoris qui, sanctæ Scripturæ venustatem cognoscens et cognitam esse volens, capitulum hoc proximo exemplo assumpsit, et quodammodo digitis suis lippientes oculos tersit, ut clare videamus quam splendida comitentur eloquia sapientiam Dei loquentem in prophetis, non intenta in eloquientiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia. Nunc ad sensuum mysteria recurramus. « Væ, inquit, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ. » Utrumque excidium sive utramque captivitatem denuntiat, id est et duarum tribuum quarum regia civitas erat Sion, et decem quarum metropolis erat Samaria. Cum autem dicit : « Væ qui opulenti estis in Sion, » non illam arbitremur solummodo denuntiari captivitatem, qua transmigraverunt duæ tribus in Babylonem, rediturae post septuaginta annos, sed multo magis illam, qua nunc dispersi sunt in toto mundo destructa civitate et templo, quo stante sacerdotes impii nimis opulenti erant in Sion, qui et de opulentia superbientes pauperem Christum crucifixerunt propter hoc solum, quia disputabat contra opulentam avaritiam illorum. Illius namque temporis « optimates et capita populorum, » Annas et Caiphas, cæterique principes et seniores, revera separati fuerunt « in diem malum, » et appropinquaverunt « solio iniquitatis, » qui malo tempore mali nati (melius enim illis erat si non fuissent nati) adjudicaverunt morti Filium Dei, quod veraciter fuit appropinquasse se solio iniquitatis. De illo iniquitatis solio furor præcipitem dedit pontificem, quando dicenti : « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Filius Dei ; respondit Jesus : Tu dixisti ; et ille scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit (*Matth.* xxvi), » jamque extunc nec solium illud iniquitatis subsistere, nec pontifex in eo sedere potuit. Non dubitamus quin illi jam præsentes fuerint prophetico spiritu, ita ut videret eos miro modo appropinquantes, imo irruentes et impetum clamoris inordinati facientes, solio iniquitatis, quando sedente Pilato pro tribunali, et dicente : « Ecce rex vester. Tolle, tolle ; clamabant, crucifige eum ; non habemus regem nisi Cæsarem ; si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* xvi). » Illius ergo temporis optimates revera, ut jam dictum est, separati fuerunt « in diem malum, » et appropinquaverunt « solio iniquitatis, » et illis nihilominus sequentia liquet ascribi, « qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti. » Nam et Jacobus apostolus secundum hunc ipsum sensum, cum præmisisset : « Agite nunc, divites ; plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis (*Jac.* v), » postmodum subjunxit : « Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis justum, et non restitit vobis (*ibid.*). » Cætera quæ sequuntur, « qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putaverunt

A se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph, » tam graviter quam veraciter eisdem congruit, quippe de quibus, ut ipse Dominus testatus est (*Matth.* xv), bene prophetavit Isaias : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* xxix). » Et idcirco falso putaverunt se habere vasa cantici, sicut habuit David quamlibet clare vel alte canerent ad vocem psalterii labiis suis. Et quis illos dubitet illa nocte qua Dominum comprehenderunt, bibisse vinum usque ad vomitum, cum esset paschalis vespera illorum ? Idcirco recte et hic redarguuntur dicendo, « bibentes in phialis vinum. » Et in psalmo, cum ex persona ipsius Propheta loquens : « Adversum

B me, inquit, loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum (*Psal.* LXVIII). » Quam maxime autem et illud verum est quod tandem infert, « et nihil patiebantur super contritione Joseph, » siquidem rite perpendas quod ipse pulcherrime censeatur nomine Joseph, cujus typum prætulit, « in servum venundatus est Joseph, et humiliatus in compedibus et afflictus, ita ut ferrum pertransiret animam ejus (*Psal.* CIV). » Et deinde princeps Ægypti factus. Etenim dum contritus in cruce penderet Dominus, nihil patiebantur super contritione ejus. Denique ut taceam, quod pendentem irridebant, quod præter euntes blasphemabant eum, insultantes et moventes capita sua, et dicentes : « Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo illud

C reædificas, salva temetipsum (*Matth.* xxvii). » Ut, inquam, hæc taceam, illud satis indicat quam vere nihil paterentur super contritione ejus, quod eum diceret : « Sitio, spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus (*Joan.* xix). » Quis enim non miretur quam longe a compassione ejus fuerint, qui tali in hora, tanta in angustia, tali in siti, dicentem : « Sitio, » potaverunt aceto? Magna igitur et subtili statera ponderandum est quod dicit, « et nihil patiebantur super contritione Joseph. » Dicat itaque istis impiis dormientibus **146** et lascivientibus, comedentibus et bibentibus, comedendo et bibendo canentibus, et nihil super contritione Joseph patientibus : « Transite in Chalane et videte, et ite in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque

D regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. » Et quidem satis scitis, quod regnorum omnium universitas termino vestro, id est terræ repromissionis, latior sit ; sed aliter scire habetis, sed oculis vestris videbitis inviti et longa ad videndum captivitate detenti. Hæc irrisio talis est, ac si cum quis projicitur in caminum ignis, dicatur ei : Vade et vide utrum caleat. Aut si illi qui in mare projiciendus est, dicatur : Vade et vide utrum profundum sit. « Chalane, » civitatem Persidis ; « et Emath magnam, » quæ nunc Antiochia nominatur, magnam videlicet ad distinctionem minoris Emath, quæ appellatur Epiphania ; « et Geth Palæstinorum,

et optima quæque regna horum, » satis est dixisse pro cunctis gentibus ad quas ducendi erant captivi, de qua videlicet captivitate et protinus subjungit: « Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, et auferetur factio lascivientium. » Quid enim est dicere, « in capite transmigrantium nunc transmigrabunt, » nisi ac si diceret, mirabilius imo miserabilius, et majori cum spectaculo totius orbis migrabunt, quam migraverunt unquam homines alii sive populi, quicunque transmigraverunt sive transmigraturi sunt? Siquidem multi victi, aliis vincentibus, de suis sedibus migraverunt, et captivi ducti sunt; sed isti ita caput fuere et sunt omnium transmigrantium, ut nullius unquam transmigrationis tale fuerit vel esse potuerit miraculum. Quod ipse Josephus perpendens, cum excidium illorum miserabile meritasque illorum miserias describeret, sigillatim quidem, ait, iniquitates eorum narrare non potero, ut autem breviter dicam, neque aliam civitatem unquam talia perpessam esse puto, neque ullam nationem post memoriam hominum malitiæ ferociorem fuisse. Itaque, inquit, « in capite transmigrantium nunc migrabunt, » id est pro qualitate et quantitate transmigrationis, omnium transmigrantium sive captivorum eminentissimi et notissimi erunt. Et quidem, quoniam dicit, « nunc migrabunt, » de captivitate quæ tunc instabat decem tribuum recte intelligitur dictum, sed nihilominus, imo multo amplius de ista postrema captivitate est sentiendum, qua Judæi ducentibus Romanis captivati et dispersi sunt. Neque enim ista latebat spiritum propheticum, cum tota sine dubio propheticæ speculationis intentio maxime spectaret in Christi adventum. « Et auferetur, ait, factio lascivientium. » « Factio, » conjuratio vel consensus est malorum. Conjurasse autem vel consensisse illos in Christnecem notum est, agentibus pontificibus et senioribus, qui turbis persuaserunt, et hoc cum nimia nimisque crudeli lascivia sive lasciva crudelitate, qua illum nocte illa illuserunt, colaphizantes, alapis cædentes, conspuentes, genas illius vellentes, spinis coronantes et ad ultimum crucifigentes. Ergo quod ait, « auferetur factio lascivientium, » magnam denuntiat futuram imbecillitatem illorum qui fecerunt ea quæ jam dicta sunt: videlicet in eo quod, sicut nunc videmus, factiosi esse nequeant, conspirare sive conjurare non valeant, ut quemquam illorum qui invocant Christum interficiat. Et quidem tempore quo Christum interfecerunt, jam ita diminuti capitis erant ut de semetipsis judices non haberent. Unde et Pilato dicente: « Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate. Responderunt: Nobis non licet interficere quemquam (*Joan.* XVIII). » Verumtamen adhuc ita factiosi erant et esse poterant, ut concilium colligerent, et coram Romanæ potestatis præside petendo illum crucifigi, tumultum facere auderent, et deinde quosdam ex illis sapientibus et prophetis, quos post resurrectionem suam misit ad illos, occidere, crucifigere, in synagogis suis flagellare et de civitate in civitatem persequi auderent (*Matth.* XXIII). At vero post annos quadraginta duos migraverunt, sicut jam dictum est, « in capite transmigrantium, » ex tunc sic eorum ablata est factio, ut jam fremere, sive adversus Dominum et adversus Christum ejus palam assistere non audeant, videntes publice contra se et circa se adorari Christum, et esse Dominum, juxta illud: « Dominare in medio inimicorum tuorum (*Psal.* CIX). » Sequitur: « Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum. Detestor ego superbiam Jacob, et domum ejus, odi et tradam civitatem cum habitatoribus suis. » Mirum dictu est quod « juravit Dominus, » et hoc « in anima sua » non quod Deus animam habeat, sed quod humanis loquitur affectibus quod « juravit Dominus Deus in anima sua? » Videlicet quod detestor superbiam Jacob, et domum ejus odio habeat, sicut et in Isaia dicit: « Neomenias et Sabbata vestra, et dies festos odivit anima mea (*Isa.* I), » — « et quod tradat civitatem cum habitatoribus suis. » Quod dixerat, « detestor ego superbiam Jacob, » repetivit, et quæ fuerit superbia Jacob exposuit dicendo, « et domum ejus odi, » — « domum ejus, » id est templum quod singulare tunc erat, superbiam ejus fuisse dicit. Hoc ita esse ex aliis ejusdem Domini Dei verbis apud Ezechielem comprobatur. « Ecce ego, inquit, polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri (*Ezech.* XXIV). » Nimirum hoc vel illud non diceret Dominus Deus, nisi superbiam intolerabilem deprehendisset illos habere propter templum illud. Gloriabantur enim in templo Dei gloriatione perversa, dum non quærerent aut curarent ut in templo suo glorificaretur Deus, et in despectum omnium gentium spiritus illorum erigebatur propter templum illud, propter nomen illud, quod apud illos Deus verus nominaretur, licet non honoraretur. Hanc superbiam detestari se et odisse « juravit Dominus Deus in anima sua, » id est in semetipso, » quoniam neminem, ut ait Apostolus, habuit per quem juraret, majorem. Homines enim per majorem se jurant, et omnes controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum (*Hebr.* VI). » Poterat autem credi verbo ejus, etiamsi non jurasset. « At ipse abundantius voluit ostendere immutabilitatem consilii sui, et idcirco interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri, Deum, fortissimum solatium habeamus (*ibid.*). » Firmissimam igitur fidem teneamus de reprobatione, ut ait Apostolus, præcedendis mandati (*Hebr.* VII), sive sacerdotii vel templi veteris, et de introductione melioris spei, quod videlicet illud Deus cum odio reprobaverit, fidem autem evangelicam cum dilectione approbarit. Sub eodem juramento confirmatur id quod subjungit, « et tradam civitatem cum habitatoribus suis. » Nec utique levis aut parva debuit esse traditio, quam ita comminatus est non sine interpositione juramenti. Sed et cætera quæ sequuntur, sub eodem juramento denuntiantur:

« Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur. Et tollet eum propinquus suus, et comburet eum, ut efferat ossa de domo, et dicet ei qui in penetralibus domus est. Nunquid adhuc est apud te ? Et respondebit : Finis est. Et dicet ei : Tace, et non recorderis nominis Domini. Quia ecce Dominus mandavit, et percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus. » Memoriter tenendum est quod supra dixit, « subverti vos
147 sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et non redistis ad me (*Amos* IV). » Ecce hic in subversione aliquid est severitatis plus quam illic. Ubi enim de facienda subversione Sodomorum sermo erat, cum ad ultimum dixisset Abraham : « Quid si inventi fuerint decem justi ? Non delebo, ait Dominus, propter decem (*Gen.* XVIII). » Nunc autem hic dicit, « quia si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur. « Reliquos hic intelligimus justos, sicut et superius ubi dictum est, « urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem (*Amos* V). » Nimirum verbis istis, cum dicit, « si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur, » hoc denuntiat quod nullam justorum et injustorum discretionem in ira sua foret habiturus, sed justos pariter et injustos Judæos una mortis sententia damnaturus. Hoc ipsum in Ezechiele verbis manifestioribus comprobatur, ubi dicit Dominus Deus : « Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium (*Ezech.* XXI) » Quid igitur ? Num suæ Deus oblitus est justitiæ, cujus illum memorem esse volens Abraham, stetit coram Domino et appropinquans : « Nunquid, ait, perdes justum cum impio (*Gen.* XVIII.) ? » Itemque ait : « Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul, et non parces loco illi propter quinquaginta justos si fuerint in eo ? Absit a te, ut rem hanc facias et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram. Annuit Dominus, et dimittam inquit, omni loco propter quinquaginta, non delebo si invenero ibi quadraginta quinque, non percutiam propter quadraginta, non faciam si invenero ibi triginta, non interficiam propter viginti, non delebo propter decem (*ibid.*). » Num, inquam, tantæ suæ propitiationis oblitus est, cum dicit, « quod si reliqui fuerint decem viri, et ipsi morientur, » non in civitate, sed « in domo una ? » Non utique, sed justi illi nimium sunt injusti. Reliqui illius juste sunt relicti, quia taliter justi sunt, ut suam justitiam statuere volentes justitiæ Dei non sint subjecti, sicut Apostolus dicit : « Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X). » Quænam sit illa justitia Dei manifestans, continuo subjunxit : « Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti (*ibid.*). » Justitiam hanc quam rebelli, quamque pertinaci odio forent concepturi, scilicet Christum, cujus ex fide justificati sunt omnes sancti et justi, miro modo insinuat, cum dicit : « Et tollet eum propinquus suus et comburet eum, ut efferat ossa de domo, et dicet ei, qui in penetralibus domus est : Nunquid adhuc est apud te ? Et respondebit : Finis est. Et dicet ei : Tace, et non recorderis nominis Domini. »

Legat qui vult Historiam Josephi, ubi excidium Jerosolymorum describit, et sciet quam veraciter pro re prædictum fuerit malum illud sermonibus hujuscemodi. « Tollet eum propinquus suus, et comburet, et dicet : Nunquid adhuc est apud te ? Et respondebit : Finis est. » Neque enim modus aut numerus erat intus morientium et fame pereuntium, nec sufficere poterant vivi mortuis efferendis. Cum autem scire possint nec dissimulare valeant, hoc illis accidisse propter sanguinem Jesu Christi, mirum valde est quod indomabili corde et tunc dixerunt, et nunc usque dicunt singuli ad alterum : « Tace et non recorderis nominis Domini, » nominis ejusdem Jesu Christi, quem Deum et Dominum esse publica confessione confitentur Christiani. Malunt damnati esse et damnationem æternam exspectare, quam confiteri vel audire nomen hujus Domini, suffusi mirabiliter felle amaritudinis, odiumque spirantes implacabile contra nomen Domini nostri Jesu Christi, gentiumque invidentes saluti. Attamen justi sibi esse videntur nonnulli ex eis, observando justitias carnis et profitendo præcepta decalogi, quæ sunt : Non habere deos alienos, non facere sculptile, non assumere nomen Domini in vanum, Sabbata custodire, patrem et matrem honorare, non occidere, non mœchari, non furtum facere, non loqui falsum testimonium, non concupiscere (*Deut.* V) Sed qualis est hæc justitia illorum, cum illum oderint, per quem unum et solum justificantur omnes quicunque veraciter justi sunt ? Illum unum quærit Deus ubi sit, vel apud quos commoretur ut parcat illis, et quia non est apud illos, idcirco super eos indignationem suam effudit, quemadmodum apud Ezechielem ipse dicit : « Et quæsivi de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me, propterea ne dissiparem eos, et non inveni ; et effudi super eos indignationem meam, et in igne iræ meæ consumpsi eos (*Ezech.* XXII). » Igitur « morientur, » ait, etiam justi, sive, ut apud eumdem Ezechielem, « et occidam, inquit, in te justum et impium (*Ezech.* XXI), » etiamsi « in domo una reliqui fuerint viri decem. « — « Morientur, » inquam, « quia ecce Dominus mandavit, » id est per prophetas locutus est, et sermonem suum complens, « percutiet domum majorem ruinis et domum minorem scissionibus. » — « Majorem domum » decem tribus, quæ appellabantur tribus Israel ; « domum minorem » duas tribus

dicit, quæ regebantur a stirpe David. Et hoc in percussione domus utriusque notandum quod majorem ruinis, minorem vero scissionibus percutiendam fore dicit. Nam Israel, quia majora peccaverat, feritur ruinis ; domus autem Juda, in qua erat templum et quæ minora peccaverat, non ruinis percutitur, sed scissionibus dum septuaginta annorum captivitate retinetur. Sed econtra potest dici, quia domus Juda majora peccavit. Nam et apud Ezechielem cum præmisisset Dominus : « Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas (*Ezech.* XVI), » deinde inter cætera dicit : « Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis, et justificasti sorores tuas, » Sodomam videlicet et Samariam, « in omnibus abominationibus tuis, quas operata es (*Ibid.*). » Ergo et scissiones domus Juda majores intelligi convenit ruinis domus Israel. Quod ut liquido clarescat, non illam tantum captivitatem septuaginta annorum, sed illam potius attendamus, qua nunc in omnes gentes Judæi Romano excidio dispersi sunt. Tunc namque domus Juda nec scissionibus tantum, nec solummodo ruinis sed et scissionibus et ruinis percussa est ; quia civitas Jerusalem ut rueret, primum in semetipsa scissionibus percussa est. Tito namque, ut refert Josephus, adhuc apud Alexandriam imperium disponente, contigit etiam seditionem quæ apud Jerosolymam erat auctam trifariam dividi, ducibus Eleazaro, Joanne et Simone ; quorum Eleazarus superiora, Simon autem inferiora civitatis loca, Joannes vero media tenebat. His ducibus a seditione nunquam quiescentibus, quam miserabilibus domus Juda scissionibus percussa fuerit qui plenius nosse cupit, narrationem jam dicti legat historiographi. Porro justitiam quoque judicii Dei quæ domum illam tantis scissionibus percussit, scire desideranti prius animadvertendum est, in quo domus hæc minor, id est domus Juda, domum majorem, scilicet domum Israel, peccando superavit, sicut supra diximus, cum testimonio prophetæ dicentis ad Jerusalem : « Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis. » Peccata, **148** sive scelera utriusque confitenda et comparanda sunt, ut appareat quam veraciter dictum sit : « Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit. » Nimirum peccata Samariæ fuerunt, quod decem tribus, quorum Samaria metropolis exstitit, sciderunt sese a domo David, et negaverunt eum, dicentes : « Quæ pars nobis in David, vel quæ hæreditas in filio Isai (*III Reg.* XII); » et sicut David negaverunt, ita Deum quoque relinquentes, vitulos aureos pro Deo coluerunt. At vero peccata Jerusalem ista fuerunt, quod Christum Filium Dei verum David, et secundum carnem filium David, et secundum divinitatem dominum David, Christum, inquam, Deum et hominem, regem

A et salvatorem non solummodo dixerunt, non est « nobis pars » in isto Filio Dei, filio David, sive « non habemus regem nisi Cæsarem, » verum etiam pro illo dimitti sibi petierunt Barabbam seditionis auctorem (*Matth.* XXVII). Ista si rite considerentur, revera « dimidium Samaria non peccavit, » quia videlicet quanto iste Deus et homo filius David major eodem patre David, tanto peccatum quod in eum admissum est majus debet æstimari, præsertim cum Jerusalem non solummodo negaverit hunc, sicut Samaria negavit, verum etiam occiderunt et pro eo Barabbam, sicut jam dictum est, seditionis auctorem dimitti sibi petierit. Idcirco quoniam taliter se scidit regno Jesu Christi filii David, nimirum valde justo judicio

B scissionibus percussa est, ita ut in malum suum sese a regno Romanorum scindendo victores orbis terrarum contra se concitaret, et quod valde mirum fuit, foris obsessa, intus trifariam, ut jam dictum est, scissa magis seditionibus quam obsidione deperiret. Sequitur : « Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis. Quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium. Qui lætamini in nihili, qui dicitis : Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ? » Ad quid istas similitudines equorum et bubalorum induxerit, ipse pene exposuit, dicendo : « Qui lætamini in nihili, qui dicitis : Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ? » Vanitatem atque superbiam miro hic modo per-

C cuti, interrogando de equis et bubalis. Irridet eos sapientia Dei, qui confidunt in curribus et in equis, sicut tempore considerabat Ephraim, et qui superbiæ cornibus arrectis steterunt contra fortitudinem cœli, sicut in psalmo testatur iste Christus per os Prophetæ : « Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me (*Ps.* XXI). » Irrisio gravissima sonat in verbis hujuscemodi. Idem enim est ac si dicat sapientia spiritus prophetici : Vos quidem prædicente me, quod major domus ruinis, et minor scissionibus percutienda sit, nihilominus equitando contenditis esse similes Ægyptiis atque Assyriis ; sed vos bene scitis quod equi non currere possunt in petris. Hoc dixisse satis est ; subaudiri enim potest id

D quod longe superius dixit quia « fuga a veloce peribit (*Amos* II), » et non poteritis effugere, multis adversitatum præpediti, offendiculis, sicut equi vestri non queunt currere in petris. Habetque talis dictio mistum cum severitate jocum, cum dicitur : Lætantibus in equis, vos revera « lætamini in nihili, » quia vestri equi non queunt « currere in petris, » id est fallaces ad salutem erunt vobis in tempore angustiæ, quando ruinis et scissionibus feriemini. Item quod dicit, « aut nunquid arari potest in bubalis, » si respicias quod subsequitur, qui dicitis : « Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus no-

bis cornua, » nihilominus jocum in verbis habet amarum, et ad illum pertinentem risum, de quo Sapientia: « Ego quoque, inquit, in interitu vestro ridebo (*Prov.* I), » idem est ac si dicat: Quoniam estis superbi, quapropter, sicut supra dictum est, juravi in anima mea, dicens: « Detestor ego superbiam Jacob, et domum ejus odi, » quoniam, inquam, in fortitudine vestra cornua vos assumpsisse dicitis, eritis, ergo mihi sicut bubali qui tam indomiti sunt, ut jugum cervicibus non recipiant, et cum silvestres boves sint, nolint propter feritatem vomere scindere terram. Ita vos mihi eritis utique inutiles operi vel regno Dei, vobisque evagantibus atque dispersis, adhibebo mihi boves alios, boves domitos, dicamque illis: « Tollite jugum meum super vos (*Matth.* XI), » et regno Dei fructum operabuntur, juxta illud: « Amen dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI). » Revera dicunt isti bubali: « Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua, » dum « quærentes suam statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X), » et pro hac feritate convertunt sibi « in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium, » quæ herba amarissima est. Nam quia suam, ut jam dictum est, statuere volentes justitiam, projiciunt a semetipsis Christi jugum merito amarum, id est sine misericordia ferunt judicium, et quia dulcedinem justitiæ Dei non quærunt, justitiæ suæ metuunt absinthium, ut nec saltem in isto sæculo requiem habeant, vel in terra sua commanere valeant. Unde et sequitur: « Ecce ego suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti. » Hæc est amaritudo judicii quam biberunt, quod in isto quoque sæculo contriti atque subversi sunt, a principio usque ad finem, a capite usque ad caudam, a terminis terræ suæ, qui solem respiciunt, usque ad torrentem deserti, quod occidentem respicit, id est ab Emath (quæ et Epiphania dicitur ab Antiocho cognomentum Epiphanes nomen sortita est) usque ad Rinocruram, inter quam et Pelusium rivus Nili sive torrens de eremo veniens mare ingreditur. Sicut dictum, ita et factum est, quia de cunctis terminis suis contritus atque subversus est Israel. Primum decem tribus ab Assyriis. Deinde Judam et Benjamin a Chaldæis atque Romanis. Illa cornutorum sive jugum ferre recusantium bubalorum contritio sive subversio, qualiter futura, qualibus vel quantis incrementis ad consummationem perventura foret, sequentia prophetæ dicta præsignant. Ait enim:

CAP. VII. — « Hæc ostendit mihi Dominus Deus. Et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsionem gregis. Et factum est, cum consummasset comedere herbam terræ, et dixi: Domine Deus, propitius esto, obsecro. Quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? Misertus est autem Dominus super hoc; sed et istud non erit, dixit Dominus Deus. Hæc ostendit mihi Dominus Deus, et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus, et devoravit abyssum multam, et comedit sicut partem, et dixi: Domine Deus, quiesce, obsecro. Quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? Misertus est Dominus super hoc; sed et istud non erit, dixit Dominus Deus. Hæc ostendit mihi; ecce Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii, et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus ad me: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel; non adjiciam ultra superinducere eum, et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur. » Tres istæ ostensiones sive visiones agnoscendæ sunt, et idcirco totum præsens capitulum posuimus, ut præsentior sit intellectus rerum quæ futuræ præmonstrabantur, id est trium incrementorum **149** mali, sive contritionis atque subversionis jam dictæ, quæ de sacris historiis nota habentur. Illa nunc incrementa prius commemoranda sunt, et tunc demum præsentis litteræ calcanda vestigia. Primum fuit, quod ascendit rex Assyriorum, et transtulit Israel in Assyrios (*Jer.* LII), nec multo interjecto tempore ascendit ad universas civitates Juda munitas, et usque Jerusalem pervenit, sed non prævaluit, dicente Domino ad Isaiam: « Ponam circulum in naribus tuis, et hamum in labiis tuis, et reducam te in viam per quam venisti. Venit enim angelus Domini in nocte illa et percussit castra Assyriorum CLXXXV millia (*Isa.* XXXVII). » Secundum fuit, quando venit Nabuchodonosor rex Babylonis ipse, et omnis exercitus ejus in Jerusalem et cepit eam, et succendit Nabuzardan princeps exercitus domum Domini, et domum regis, et murum in circitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum. Tertium fuit, cum venerunt Romani, et tulerunt locum et gentem (*Joan.* XLVIII), templum et civitatem, ita ut non relinqueretur lapis super lapidem (*Luc.* XIX). Horum futurorum miræ imagines huic prophetæ tribus istis ostensionibus præmonstratæ sunt. Cum enim dicit: « Hæc ostendit mihi Dominus Deus. Et ecce fictor locustæ, » venturum intelligit et intelligi vult exercitum Assyriorum pro multitudine simul et vanitate brevis et transilientis vitæ locustis comparabilem, nihilominus et pro depopulatione cunctorum nascentium quam facturi erant in morem locustarum. Hujus nimirum locustæ fictor est Dominus, « fictor, » inquam, id est creator est idem qui magnorum, id est sanctorum sive electorum hominum conditor et Deus. Nec vero indigne fictor præsenti loco dicitur, quia videlicet talium exiguitas hominum, qui æternam gloriam non quærentes vanitatem hujus sæculi brevi saltu pertransierunt, talium, inquam, parvitas sive exilitas hoc meretur, ut eorum non conditor, sed fictor dicatur Deus. Hinc apud Isaiam legimus: « Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ (*Isa.* XL). » Et cur vel quam recte hoc dixerit, post

aliqua breviter aperit dicens Israeli, cui prælocutus fuerat : « Et tu, Israel, serve meus Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ. Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos (*Isa.* XLI). » Nam qui levi eventu et in brevi multitudo hominum vanitatem sequentium tollitur, et perit memoria eorum, sicut nonnunquam flante vento locustam arreptam, et in mare, jubente Domino, projectam legimus, recte et Assyrii et quilibet ejusmodi homines locustarum nomine designantur. Quod autem cum dixisset, « ecce fictor locustæ, in principio germinantium serotini imbris, » tempus indicat quo illa locusta venerit, id est quando cuncta virent et parturit omnis ager, et diversarum arborum flores in sui generis poma rumpuntur, cunctarumque abundantiam rerum flores arborum atque herbæ segetum pollicentur. Nimirum illo tempore devastari quasi tonderi est, ut ablata pulchritudine rerum, nuda inopia velut manifestum in fronte pareat calvitium. Idcirco quia post eamdem depopulationem sufficiens ubertas reddita est, sive tunc temporis Dominus Ezechiæ per Isaiam loquens : « Tibi autem, inquit, erit hoc signum ; comede hoc anno, quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere, in anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum eorum (*Isa.* XXXVII). » Idcirco, inquam, cum dixisset, « in principio germinantium serotini imbris, » subjunxit : « Et ecce serotinus post tonsorem gregis, » subauditur Sennacherib. Nam quod dictum est, « in anno autem tertio seminate et metite, » supplementum quidem, sed serotinum fuit, et hoc post tonsuram gregis, id est post devastationem Sennacherib. Hunc tonsorem sive tonsuram Isaias acutam novaculam vocat, quæ pilos omnes et capillo Israelitici corporis raserit. « In die illa, inquit, radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, et reges Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam universam (*Isa.* VII). » Jam cuncta vastaverat, jam universas civitates Juda munitas cœperat, et Jerusalem quæ sola erat residua tonsor ille obsidebat, ut post tonsuram sive rasuram caput quoque præsideret, cum, sicut Scriptura refert, oraverunt Ezechias rex et Isaias filius Amos propheta adversus blasphemias ejus, ac vociferati sunt usque ad cœlum (*IV Reg.* XIX). Hoc est quod protinus ait : « Et factum est cum consummasset comedere herbam terræ, et dixit : Domine Deus, propitius esto, obsecro. » Juxta metaphoram locustæ dixit, « cum consummasset comedere herbam terræ, » id est cum jam omnia devastasset, et terram operiens exercitus multitudine. Quod se dixisse narrat : « Domine Deus, propitius esto, obsecro. » Futurum erat ut diceret Ezechias rex et Isaias filius propheta, orantes, ut jam dictum est, et vociferantes usque ad cœlum. Item, quod hic ait : « Misertus est Dominus super hoc, sed et istud non erit, dixit Dominus, » futurum erat ut fieret, scilicet ut misereretur, et sic loqueretur Dominus. Illic

A etenim ita scriptum est : « Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum : Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam qua venit, revertetur, et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus, protegamque urbem hanc et salvabo eam propter me, et propter David servum meum (*Isa.* XXXVII). » Itaque cum dicit, « sed et istud non erit, » sensus hic est : Erit quidem ut cæteras civitates Juda capiat, et cuncta in circuitu Jerusalem devastet ille tonsor, sive tonsura gregis, id est exercitus Sennacherib, « sed non istud etiam erit, ut urbem hanc ingrediatur. » Porro, quod cum dixisset propheta, « Domine Deus, propitius esto, obsecro, » subjunxit atque ait : « Quis
B suscitabit Jacob quia parvulus est? » quis digne possit exprimere quali discussione Dominum excitet atque percellat, ut memor sit misericordiæ suæ ? Cum enim dicit, « quis suscitabit, » quodammodo consurgeret videtur atque percellere Deum, percunctando ipsum quisnam ille fuerit qui toties Jacob de angustiis et de cæde vastantium liberavit, et utrum ipse a semetipso demutatus sit, oblitusque naturæ suæ, cui proprium fuerat misereri. Subjungit etiam causam, propter quam toties Jacob suscitasset, et adhuc suscitare de periculo deberet, dicendo, « quia parvulus est. » — « Parvulus, » inquam, id est humilis. Quod si humilitas et contritio cordis causa exstitit, propter quam Deus toties illum suscitavit, nimirum et tunc suscitare illum dignum fuit, quia
C semetipsum et suos Ezechias rex coram Domino humiliavit, sicut scriptum est : « Et factum est cum audisset Ezechias verba Rabsacis, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini, et misit Heliachim qui erat super domum, et Sennam scribam, et seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam (*ibid.*). » Nec vero solummodo habitu tunc Jacob parvulum sese ostendit, verum etiam verbis testatus est, secundum hæc verba regis ejusdem dicentis ad Isaiam : « Leva ergo orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt (*ibid.*). » Jam enim decem tribus in Assyrios translatæ fuerant, et idcirco parvulus Jacob non tam gentem, quam reliquias gentis se esse memoravit. Cum deinde dicit : « Hæc ostendit mihi Dominus Deus : **150** Et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus, et devo-
D ravit abyssum multam, et comedit simul partem, » intelligit vel intelligi vult quod Nabuchodonosor regem Babylonis vocaturus foret Dominus, ut veniret contra Judam, et Jerusalem, templumque et Jerusalem igne succenderet, quod erat vocare « judicium ad ignem, » id est judicare usque ad ignem. Non enim sic dicendum erat de Nabuchodonosor, sicut dictum fuerat de Sennacherib, « et urbem hanc non ingredietur. » Justo namque judicio tradenda erat civitas in manus regis Babylonis et servorum ejus ut igni succenderetur. Multa abyssus, id est universitas Judææ sive ipsa civitas quæ propter profundam avaritiam, abyssus multo dicit merebatur, in tantum

ut domum quoque Domini speluncam latronum fecissent, sicut in Jeremia conquestus est Dominus Deus (*Jer.* VII). Cumque subjungit : « Et comedit simul partem, » subaudiendum est Dei, quia videlicet templum istum pars Dei esse debuerat, quod propter profunditatem avaritiæ abyssus multa, sive spelunca latronum esse poterat. Quod deinde sequitur : « Et dixi, Domine Deus, quiesce, obsecro, quis suscitabit Jacob, quia parvulus est, » futurum erat ut dicerent Daniel et socii ejus post illud judicium ignis in Babylone captivi. Exempli gratia : « In anno primo Darii filii Assueri, ego Daniel, inquit, intellexi in libris numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni, et posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare et deprecari in jejuniis, sacco, et cinere (*Dan.* IX), » etc. Orare namque ut solveretur captivitas post prænuntiatos septuaginta annos, hoc erat dicere : « Domine Deus, quiesce, obsecro. » Non hic ita dictum est, ut supra, « Domine Deus, propitius esto, » sed dictum est, « Domine Deus, quiesce, obsecro. » Futurum namque erat, non ut propitio Domino repelleretur Nabuchodonosor, sicut repulsus fuerat Sennacherib, sed ut saltem post vindictam quiesceret cœlestis iræ commotio. De eo quod iterum ait : Quis suscitabit Jacob qui parvulus est, » itidem sentiendum, ut supra diximus, quia videlicet qui præcipitare, et de angustiis liberare consueverat Jacob propter humilitatem ejus, qua dicitur parvulus, ipse consequenter de Babylonica captivitate illum suscitare debuit, quoniam captivi humiliter deprecabantur, exempli gratia, cum in oratione supra memorata diceret Danieli : « Propter peccata enim nostra, et iniquitates patrum nostrorum Jerusalem, et populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum (*ibid.*). » Item : Quia imminuti sumus plusquam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra, et non est in tempore hoc princeps, et propheta, et dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam, sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur (*Dan.* III)). » Sic parvulus Jacob sæpe suscitatus, adhuc suscitandus erat, et idcirco nunc dicit : « Quis suscitabit Jacob pro eo quia est parvulus, » ut respondente Domino, « ego sum qui illum sæpe suscitavi (*Isa.* XLV), » pro causa hujusmodi quodammodo concludantur a dicente : Ergo tu idem de Babylonica captivitate nunc illum suscita, « quia parvulus est, » adhuc id est humilis. Quandiu parvulus et non pœnitens fuerit, tandiu illum suscitare debebis. Cum deinde dicit : « hæc ostendit mihi, et ecce Dominus super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii, » valde notendum est quia percunctationem Domini subinfert, dicentis : « Quid tu vides, Amos ? » Hoc in præmissis ostensionibus dictum vel factum non est. Nam ubi dixit, « hæc ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce fictor locustæ, » non dictum est : « Et dixit Dominus ad me, quid tu vides, Amos?» Item, ubi dixit : « Hæc ostendit mihi Dominus Deus, et ecce vocabit judicium ad ignem, » non dictum est, « et dixit Dominus ad me : Quid tu vides, Amos ? » Gravissima res denuntiatur per trullam cæmentarii ponendam in medio populi. Et idcirco ut attendus sit inspector propheta, dicitur ei : « Quid tu vides, Amos ? » Item, et illud vigilanter animadvertendum quia cum dixisset Dominus : « Ecce ponam trullam in medio populi mei Israel, non adjiciam superinducere eum, et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur, » non fuit ultra spiritus in propheta ut diceret vel sicut primo dixerat, « Domine Deus, propitius esto, obsecro, » vel sicut secundo dixerat, « Domine Deus, quiesce, obsecro. » Hoc, inquam, valde notandum et diligenter animadvertendum est quia nimirum nos abs re taliter demonstratum, et taliter depositum est. Extrema namque et irrecuperabilis destructio hac offensione tertia prophetæ ostensa est, quæ accidit ad ultionem sanguinis Jesu Christi, quæ per manus Romanorum facta est. Quo ex tempore jam non est propheta, qui pro gente illa intercedat, quatenus propitius sit et quiescat, quemadmodum Isaias deplorans: « Non est, ait, qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te (*Isa.* LXIV). » Siquidem et quando Sennacherib rex Assyriorum usque ad Jerusalem venit, tunc et Ezechias rex et Isaias propheta dixerat, « Domine Deus, propitius esto, obsecro. » Et quando in Babyloniam transmigraverant filii Juda, Daniel et socii ejus dixerunt : « Domine Deus, quiesce, obsecro. » Nunc autem pro templo illo ut restituatur, sive pro sacrificiis illis ut iterum celebrentur, non est qui intercedat aut intercedere debeat. Hac igitur observata diversitate tam litteræ quam intelligentiæ, nunc demum cœpta Scripturæ vestigia diligentius percurramus. « Et ecce, inquit, Dominus super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii. » « Murum litum » ita dixi, ac si diceret parietem dealbatum. Quid autem paries dealbatus, sive murus litus significare existimandus sit, Paulus apostolus mirabiliter innuit, dum stans in concilio, principe sacerdotum Anania præcipiente astantibus sibi percutere os ejus, dixit : « Percutiet te Deus, paries dealbate (*Act.* XXIII.) » Igitur murus sive paries dealbatus sacerdotium illud exstitit, quem videlicet murum sive parientem tandiu Dominus induxit sive dealbavit, habens in manu trullam cæmentarii, quandiu carnalem Judaismum permisit gloriosum videri, stante templo et florente religione in carnalibus cæremoniis. Sed « ecce ponam, inquit, trullam in medio populi mei Israel, non adjiciam ultra superinducere eum. Nudus erat Israel, nudus et indecorus atque infirmus, qui solebat a me superinduci et solidari, sicut superinducitur et confirmatur paries cum trulla cæmentarii, et non solum pulchritudine, sed et contra injuriam imbrium et creberrimas tem-

pestates fortitudinem accepit. Et quidem semetipsos arbitrantur esse cæmentarios, suumque parietem proprio superinducere gestiunt ingenio; sed neque superinductio pulchra est, quæ ex Deo non est, neque paries stare potest. Unde et apud Ezechielem, cum de hac ipsa re loqueretur, ait idem Dominus: « Dic ad eos qui liniunt parietem absque temperatura, quod casurus sit. Erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem. Siquidem ecce cecidit paries. Nunquid non dicetur vobis, ubi est litura quam livistis (*Ezech* XIII), » etc. Vere ut ait illic : « Ecce cecidit paries (*ibid.*), » nec adjiciet Dominus « superinducere eum. » Quod illic dicit, **151** « ecce cecidit paries, » hoc idem in isto loquitur : « Et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur. » Et quidem cum in Ezechiele loqueretur, jam non solum in decem tribubus ceciderat paries, verum etiam Juda partem in Babyloniam transmigraverat, et ipse Ezechiel unus de captivis erat, sed adhuc futurum erat, ut iterum in Juda caderet paries irrecuperabiliter, quod post passionem Domini factum est. Idcirco cum præterito tempore dixisset illic « siquidem ecce cecidit paries, » subinde futuri temporis verbis subjunxit: « Propterea erumpere faciam spiritum tempestatum et in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit, et lapides grandes iræ in consummationem, et destruam parietem quem levistis absque temperamento, et adæquabo eum terræ et revelabitur fundamentum ejus. » Ruinam hanc sive destructionem parietis, et desolationem sanctificationum Judaicarum, Danieli loquens angelus Gabriel, luce clarius exprimit his verbis : « Et post hebdomadas sexaginta duas, occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Et deficiet hostia, et sacrificium, et in templo erit desolationis abominatio, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio (*Dan.* IX). » His dictis, quibus utique communia totius gentis mala prænuntiata sunt, confestim propria quarumdam personarum mala terribiliter subjunxit, scilicet Jeroboam regis, et Amasiæ sacerdotis illius temporis. Sequitur : Et consurgam super domum Jeroboam in gladio. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens : Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel, non poterit sustinere terra universos sermones ejus. Hæc enim dicit Amos. In gladio morietur Jeroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et ibi prophetabis, et in Bethel non adjicies ultra ut propheles, quia sanctificatio regis et domus regni est. Et respondit Amos, et dixit ad Amasiam : Non sum propheta, et non sum filius prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros. Et tulit me Dominus Deus, cum sequerer gregem, et dixit ad me Dominus : Vade et propheta ad populum meum Israel. Et nunc audi Verbum Domini. Tu dicis : Non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli, propter hoc hæc dicit Dominus : Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur. Et in terra polluta morieris, et Israel captivus migrabit de terra sua. » Sicut jam dictum est, regis illius temporis, qui erat Jeroboam, et sacerdotis Amasiæ mala propria vaticinatur hæc prophetiæ pars. Et hoc ad laudem judicii Dei considerandum est, quia quisquis eorum tanto major in crimine, tanto amplius percutitur districtione vindicis sententiæ. « Consurgam, inquit, super domum Jeroboam in gladio. » Zacharias filius Jeroboam filii Joas, filii Joham, filii Jehu gladio percutiendus additur, quod et factum est. Conjuravit enim contra illum, videlicet Zachariam, Sellum filius Jabes, percussitque eum palam et interfecit, regnavitque pro eo juxta verbum quod locutus fuerat Dominus ad Jehu : Quia studiose fecisti omnia, quæ erant in corde meo contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel (*IV Reg.* X). » Unde notandum quod non dixerit, consurgam super Jeroboam, sed « super domum Jeroboam in gladio. » Porro, Amasias dum prophetæ rebellionis crimen impingere nititur, accusando illum, doluit purum ejus referre sermonem, sed auxit de suo quidpiam adjiciens, in quo majus videretur crimen. Videlicet parum illi videbatur ad excitandum regis furorem, quod dixerat ex ore Domini, « et consurgam super domum Jeroboam in gladio. » Posset enim hoc intelligi, quod non diceret Jeroboam esse feriendum gladio, sed post mortem ejus posteros, quod et factum est, et idcirco depravavit dictum testis mendax et falsus accusator, dicendo, « rebellavit contra te Amos. » Hæc cum dicit, » in gladio morietur Jeroboam. » Hoc agendo satis indicat quam nequissima intentione ori ejus eatenus insidiatus fuerit, ut inveniret unde accusaret eum sacerdos aurei vituli, et exinde dives, imo vacca pinguis, sicut superius hic idem propheta dixit: « Audite hoc verbum, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ (*Amos* IV). » Sacerdotes intelligi volunt, quorum unus vel maximus erat iste. Tandem invenit unde accusaret eum ubi regem nominavit et, sicut jam dictum est, ne parvum videretur crimen, quod de domo regis propheta dixerat, in ipsam regis personam detorsit, corrumpens puritatem sermonis. Idcirco miranda retributio severitatis vel justitiæ Dei, dum fornicario sacerdoti cum vitulis aureis fornicanti, et in eadem fornicatione populum detinenti dicitur, propter divini vel prophetici sermonis corruptionem, « uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui, et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur, et tu in terra polluta morieris. » Nimirum quia rege ipso major erat in scelere, major etiam esse debuit in ultione, ut videlicet rex Jeroboam non in seipso, sed in

domo vindictam corporalem reciperet, id est in succedente filio, quatenus percuteretur gladio. Hic autem et in semetipso mortem, et in uxore propria fornicationis cladem, et in filiis ac filiabus suis gladii reciperet ultionem. Hæc de prope ventura citoque complenda erant, ut impræsentiarum completa, fidem cæteris facerent, quæ longius erant differenda, ut propheta, quem illi falsum efficere nitebatur, fidelis et verax haberetur ex ipsis adversarii sui malis quæ prophetasset cito comprobatus, quod non ex corde proprio, sed ex ore Domini cuncta esset locutus. Quomodo autem dicit, vel dicere audet: « Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et ibi prophetabis, et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est et domus regni? » Non enim parce loquitur, non leniter se adversus Deum erigit cornutus bubalus, vibrans superbiæ cornu, nec recipiens jugum Domini, juxta veritatem ejusdem supra dicentis: « Nunquid arari potest in bubalis? » Videntem, id est prophetam illum appellat dicendo, « qui vides, » et tamen se potius et regem suum audiri imperat quam Deum, cujus voluntatem videt, et a quo jussus est ut prophetaret. Quid hic econtra? « Non sum, inquit, propheta, nec filius prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros, et tulit me Dominus Deus, cum sequerer gregem, et dixit ad me: Vade et propheta populo meo Israel. » Quid aliud iste loquitur? Nisi illud idem quod apostoli dicentes: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* v). » Quantum putas in corde suo severitatem gerebat juste indignatus homo propheticæ auctoritatis, et sancto nobilitatus spiritu, dum cœlo tonante et imperante ut prophetaret, ranam econtra in limo coaxantem audiret, et dicentem, « non adjicies ultra ut prophetes? » Dignam igitur vilissimi hominis superbiæ pœnam de oraculo pectoris hujus Spiritus sanctus protulit, **152** dicendo illi: « Et nunc audi verbum Domini. Tu dicis: Non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli, » ego autem non solummodo non desinam prophetare super Israel, et stillare super domum idoli, verum etiam prophetabo tibi. Propriam prophetiæ tuam partem nunc audi. « Uxor tua in civitate fornicabitur, » et cætera ut supra. Quod vero hæc dicturus in spiritu fortitudinis præmittit, dicens: « Non sum propheta, et non sum filius prophetæ, sed armentarius ego sum; vellicans sycomoros, et tulit me Dominus Deus cum sequerer gregem. » Et dixit ad me: Vade et propheta populo meo Israel. » Magnum est testimonium sanctæ humilitatis et bene compositæ mentis, quod videlicet non turbato animo vel cum rancore talia prolaturus sit, « uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, » etc. Præmittit humiliter quid fuerit et quid factus sit gratia, non meritis, quod videlicet non hæreditario jure propheticum ministerium assumpserit vel de corde proprio prophetare cœperit, sed necessitatem habens obediendi, gratiam aspirantis, imperiumque mittentis

A Domini exsecutus sit. Revera qui benevolis hunc cæterosque prophetas aspicit oculis, intelligit quam sine præsumptione, quanto in timore prophetaverint, sicut dicit unus ex illis: « Si occidetur in sanctuario Domini propheta et sacerdos (*Thren.* II), » — « formido et laqueus facta est nobis vaticinatio et contritio (*Thren* III). » Quod idem est ac si dicat: Pro eo quod occiduntur prophetæ et sacerdotes corripientes peccata populi, nec saltem in sanctuario Domini queunt esse tuti, non absque formidine vaticinamus sive prophetamus, sed ipsam formidinem mortis sive contritionis superat terror, et imperium Domini, et angustiæ nobis undique sunt, quia si prophetaverimus, occidimur; si non prophetaverimus, væ nobis est, quia dispensatio nobis a Deo B credita est. Cum igitur dicenti sibi idololatræ sacerdoti, « non adjicies ultra ut prophetes in Bethel, quia sanctificatio regis est, et domus regni, respondet: Et nunc audi Verbum Domini, propter hoc uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur, et tu in terra polluta morieris, et Israel captivus migrabit de terra sua, » concedendum veritati et compatiendum est necessitati, quia videlicet non impatientis motus animi, sed judicantis est Verbum Domini, cujus auctoritas necessitatem prophetæ facit, licet voluntas non desit obsequendi. Et in hac severitate quanta justitia sit, ut rite perpendas, considera quis prior ista dixerit, « et Israel captivus migrabit de terra sua. » Si superiora cuncta respicias, nusquam C istud prophetam dixisse reperies ad verbum, licet verba ejus eumdem habeant sensum. Calumniator ejus iste sacerdos, ut contra illum augeret invidiam, proripendio detulit accusationem tota intentione libratam. » Hæc, inquiens, dicit Amos: In gladio morietur Jeroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. » De primæ partis falsitate qua dixit, « in gladio morietur Jeroboam, » jam superius diximus. Porro de hac parte, « et Israel captivus migrabit de terra sua, » dicendum est; quia verum quidem erat, licet non eadem verba dixisset propheta: nam de verbis ejus animadverti poterat, sed in eodem verbo valde notabilis est atque damnabilis accusatoris calumnia. Quid enim? Nunquid non et illud de verbis ejus animadvertere potuisset, quod eamdem captivitatem condolens prædiceret, prædicendo condoleD ret? Nonne de proximo et illud prophetam dicentem audierat: « Et factum est, cum consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus, propitius esto, obsecro. » Itemque: « Domine Deus, quiesce, obsecro. » Vere ergo calumniosus accusator et testis, qui tantum illa, de quibus poterat invidia conflari, detulit et amaris vocibus expressit, quæ autem digne possent mereri gratiam, omnino reticuit. Proinde et in sententia condemnati sacerdotis laudabilis est justitia Dei, et in propheta prædicanda est fortitudo veritatis, qui loquente in se Deo confortatus, et quod senserat confessus est, et non negavit, et quod nondum dixerat superadjecit, meritam dictando iram

impio sacerdoti. In quem quando vel quomodo præscriptæ sententiæ completæ sint, Scriptura non refert, sed in congerie malorum latet. Non enim sanctæ Scripturæ vocavit cuncta denarrare, quæ singulis acciderunt personis vilioribus et obscuris. Sic et illud quod Michæas Sedechiæ percutienti se in maxillam, et dicenti : « Mene ergo dimisit spiritus Domini A et locutus est tibi ? Confestim respondit : Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abscondaris (*III Reg* XXII), » singulari relatione dignum non fuit referre qualiter completum sit, quia, sicut jam dictum est, non ita se deprimit sanctæ Scripturæ majestas, ut cuncta denarret, vilibus abs re immorando personis.

LIBER QUARTUS.

153 Memoriter tenendum est quas vel quales sibi factas ostensiones propheta jam narraverit. Prima est hæc : « Ostendit mihi Dominus Deus, et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsuram gregis, » et cætera, per quem intelligimus Assyrios qui translatis decem tribubus usque Hierusalem adversus Judam erant venturi, et cuncta vastaturi in modum tonsoris, sive novaculæ caput et pilos pedum barbamque universam radentis, sicut Isaias quoque prædixit (*Isa.* VII). Secunda est hæc : « Ostendit mihi Dominus, et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus, » et cætera per quæ intelligimus Babylonios, qui erant venturi, et civitatem Hierusalem pariterque domum Domini igni conflagraturi. Tertia hæc : « Ostendit mihi Dominus, et ecce Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii, » et cætera per quæ intelligimus desolationem ultimam quam fecerunt Romani, quæ nunquam recuperanda sit secundum verba dicentis Domini : « Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel, non adjiciam ultra superinducere eum. » Post istas malorum ostensiones principalem quoque malorum eorumdem causam ostendi dignum erat ostensione sive imagine propria. Hæc autem causa avaritia est, radix omnium malorum, qua infecti maxime Judæi ad omne scelus proventus tandem ad hoc pervenerunt, ut Dominum gloriæ crucifigerent, ob istam maxime causam, qui disputabat contra avaritiam ipsorum, comprobans illius generationis esse homines, qui domum Patris, quæ debuerat esse domus orationis, fecissent speluncam latronum, juxta Jeremiæ vaticinium (*Jer* VII). Sequitur ergo :

« Hæc ostendit mihi Dominus, et ecce uncinus pomorum. Et dixit : Quid tu vides, Amos ? Et dixi : Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me : Venit finis super populum meum Israel, non adjiciam ultra, ut pertranseam eum. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus ; multi morientur, omni loco projicietur silentium. » Nimirum dum ostenso uncino pomorum dicit Dominus, « venit finis super populum meum Israel, » subaudiendum est, propter uncinum istum, sive propter illud quod significat « uncinus iste pomorum » Hanc autem B esse avaritiam, sicut jam dictum est, sequentia declarant. Sequitur enim : « Audite hoc qui conteritis pauperes, et deficere facitis egenos terræ, dicentes, quando transibit messis, et venundabimus merces et Sabbatum. et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calceamentis, et quisquilias frumenti venundemus ? » Itemque post aliqua : « Vidi, inquit, Dominum stantem super altare, et dixit : Percute cardinem, et commoveantur superliminaria. Avaritia enim in capite omnium (*Amos.* IX). » Igitur dum causam malorum quæ ventura erant esse asserit avaritiæ crimen, mira et mirabiliter congrua similitudine illam denotat, C præostendens « uncinum pomorum. » Uncinum, quo arboris rami attrahi solent ad carpenda poma, quæ manu attingi non possunt. Unca profecto est avaritiæ manus, nec unquam nisi ad accipiendum extenditur. Porro homines aliquid habentes, veluti rami sunt, poma candida sive rubicunda visuque pulchra et ad vescendum delectabilia gerentes. Talibus avaritia callide insidiatur, cujuslibet artis uncinum innectens crebroque convolvens silenter dum timet audiri, ut et damnum fiet pomo detracto, et tamen possessor non percipiat, donec jam saturato fure, damnum suum tarde reperiens gemat. Vera et conveniens in hac ostensione similitudo, dum et avaritiæ dolus uncino, et bona temporalia circa quæ laborat avaritia pomis assimilantur. Pomum quippe res levis est, maximeque pueros mulcet ; viris autem, et maxime sanis pro minimo est. Sic nimirum D bona præsentis sæculi levia sunt, et eos quidem qui sensu parvuli sunt, nimis oblectant ; sapientibus autem, qui cœlestia sapiunt, contemptibilia sunt. Quoties autem ecclesiastici viri animam, terreni homines attentaverint ut sibi conformem faciant, recte conquerendo, de te illo dicas Davidicum : « Posuerunt Hiernsalem in pomorum custodiam (*Psal.* LXXVIII). » Et alibi sanctus vir respiciens et enumerans vacuos menses suos : « Dies mei, inquit, velociores fuerunt cursore, fugerunt, et non viderunt bonum, pertransierunt quasi naves poma portantes (*Job.* IX). » Ad summum ut perpendas bona omnia temporalia, quæ sibi uncus avaritiæ sitienter attra-

bit, recte ob utilitatem nomine pomorum denotari, sciendum est, quia primus homo cupiditatis crimen, per quod periit, non per aurum neque per argentum sed per exiguum pomum admisit (*Gen.* III). Nunc cœptam persequamur litteram. « Quid, inquit, tu vides, Amos ? Uncinum pomorum. » Parvam utique rem sed magni vides mali signum. Significat namque, ut jam dictum est, avaritiæ malum, propter quod venturus erat finis super illum populum. Hoc enim protinus ait : « Venit finis super populum meum Israel. » Quis vel qualis finis ? Profecto malus finis, et quam malus vel quali nomine sit censendus, apud Danielem reperimus his verbis : « Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio, et deficiet hostia et sacrificium, et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio (*Dan.* IX). » Recte ergo **154** cum dixisset, « venit fines super populum meum Israel, non adjiciam ultra ut pertranseam eum, » continuo subjunxit : « Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus. » Quis enim non audivit stridorem cardinum illius templi, id est subversionem civitatis et sanctuarii factam vincentibus Romanis ? Porro quod pro illo auditu sive fama tanti excidii stridorem posuit cardinum templi, quid decoris, quantum habet gravitatis ? Quod vero addit, « multi morientur, » quam verum sit testis est Josephus, qui tragœdiam illam describens, mortuorum multitudinem refert pene incredibilem. Deinde quod ait, « in omni loco projicietur silentium, » idem est ac si dicat : Et qui superfuerint ex eis, ducti in omnes gentes captivi, abjecti et silentes erunt, auctoritatem loquendi non habebunt. Christum quem confiteri nolunt, palam blasphemare non audebunt. At vero quod interposuit, « non adjiciam ultra ut pertranseam eum, » videlicet populum meum, breviter satis innuit, nihil jam prodesse illis ritum paschæ sive immolationem paschalis agni, cujus sanguine postes suos signare consueverant. Olim hic idem Dominus ita dixit : « Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, et videbo sanguinem, ac transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti (*Exod.* XII). » Nunc autem dicit super eumdem populum, « non adjiciam ut pertranseam eum. » Etenim ex quo fusus est ab eis sanguis Agni Dei, sanguis Christi Filii Dei, jam non recipitur apud Deum sanguis agni illorum bruti pecoris, sed quæ signatæ sunt signo sanguinis Christi, signaculo crucis Filii Dei, illæ sunt domus Israel. Ille autem populus qui prius dicebatur Israel inter Ægyptios reputatur, quia non habet signum, et propterea « non adjiciam, inquit, ut pertranseam eum, » et subaudiendum est, sed percutiam sicut olim terram Ægypti, ita et nunc omnem animam hominis

A increduli et malum operantis tam Judæi quam Græci, imo prius et durius Judæi quam Græci (*Rom.* II). Hæc intelligens propheta in illo quem viderat uncino pomorum, et in his audierat verbis dicentis, « venit finis super populum meum, » annuntiat protinus et dicit : « Audite hæc, qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, dicentes : Quando transibit messis, et venundabimus merces et Sabbatum, et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum et supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calceamentis, et quisquilias frumenti vendamus ? » Hoc, inquit, audite quod locutus est Dominus ad me, ostendens mihi uncinum pomorum. De vobis enim sermo est qui estis avari, qui hæc talia facitis, qui pauperes diripitis in
B dolo, sicut uncinus ob carpenda poma ramusculos attrahit. Dum enim inhianter desideratis, ut transeunte, id est consumpta messe, quæ pauperibus parvula est, possitis merces charius vendere, dum desideratis Sabbatum adesse, id est septimum annum, quo secundum legem sabbatizat, nec licet seminare aut metere ut tunc demum repositum aperientes frumentum pro libitu vestro vendatis, minuentes mensuram et augentes siclum, id est pretium, compulso paupere per inopiam, ut ipsas quoque frumenti vestri emat quisquilias, et in mercimonio tam infelici stateras quoque supponatis dolosas, dum, inquam, taliter efficitis ut in argento possideatis egenos fratres vestros, vendunt enim sese vobis necessitate compulsi, et pauperes factos possidetis
C pro calceamentis, id est pro pretio modico et levi, quanto vix calceamenta possint comparari, nimirum uncino doloso poma carpitis, et idcirco venit super vos finis, qui dicitur vastitas, sicut Daniel ait : Hæc enim agendo, non cessabitis donec Christum occidatis propter avaritiam vestram, quia contra illam ipse disputabit, et extunc erit super vos finis, extunc, inquam, usque ad consummationem et finem desolatio perseverabit (*Dan* IX). Vos inquam, qui tales estis et talia facitis audite hæc : Quid audiemus ? Nimirum et illud quod jam dixi, « quia mihi uncinum pomorum Dominus ostendit, » in quo sermo est de vobis, et hoc quod protinus dicturus sum. Quid est illud ? « Juravit Dominus in superbia Jacob. Si oblitus fuero usque in finem omnia opera
D eorum. Nunquid super isto non commovebitur terra et lugebit omnis habitator ejus ? Et ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti. Et erit in die illa dicit Dominus ; occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis, et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum, et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium, et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum. Ecce dies veniunt, dicit Dominus et emittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari

usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem circuibunt, quærentes verbum Domini, et non invenient. » Hoc totum audite vos avari et rapaces, non in attractione pomorum, de qualibus jam dictum est, vobismetipsis complacentes, « juravit Dominus. » Hoc jam tertio dixi, quia « juravit Dominus. « Primo dixi, quia « juravit Dominus Deus in Sancto suo. » Secundo dixi, quia « juravit Dominus Deus in anima sua. » Et ecce nunc tertio dico, quia » juravit Dominus in superbia Jacob. » Trina juramenti repetitio, valida vestræ condemnationis est confirmatio. Quale autem est hoc juramentum, « jurare Dominum in superbia Jacob ? » Siquidem « juravit Dominus in Sancto suo, » idem est ac si dicat : « juravit per animam suam, » id est per semetipsum. Porro, quod nunc ait, « juravit Dominus in superbia Jacob. » non recte sic intelligitur, ac si dicat, « juravit per superbiam Jacob. » Quale est enim jurare Deum per cujusquam superbiam ? Denique nec hominem jurare decet, imo nec licet, per causam sive rem indignam et sanctitati contrariam. Est ergo sic intelligendum, « juravit Dominus in superbia Jacob, » ac si diceret, « juravit propter superbiam Jacob. » Sic et in psalmo cum dicit : « Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi, semper hi errant corde, et isti non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea (*Psal.* XCIV). » Intelligendum est ac si diceret, juravi propter iram meam, propterea quia me provocaverunt ad iracundiam, « non intrabunt in requiem meam. » Sic, inquam, præsenti loco cum dicit, « juravit Dominus in superbia Jacob, » si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum, intelligendum est ac si dicat, « juravit Dominus propter superbiam Jacob, » non obliviscar usque in finem omnia opera eorum. Revera namque superbia causa est cur Dominus juret, cur sententiam super peccatorem juramento firmet, cujus simplex sermo veritas est. Exacerbat enim superbiendo peccator Dominum ut juret, juxta illud in psalmo : » Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret (*Psal.* IX). » Quandiu per ignorantiam quis peccat, quandiu per juventutem sive per infirmitatem quis delinquit, ingemiscens eo quod « videat aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, et captivum se ducentem in lege peccati, quæ est in membris suis (*Rom.* VII). » nondum Dominum exacerbavit, **155** nondum Dominus sententiam super illum juramento firmavit. Idcirco Psalmista spem habens, dicit : « Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, Domine (*Psal.* XXIV). » Sola superbia est, cujus delicta Dominus non vult oblivisci, propter quam exacerbatus non quærit « secundum multitudinem iræ suæ, » id est « non requiret (*Psal.* X) » peccatorem, quia multum iratus est illi. Notandum vero qualiter dicat, juravit Dominus in superbia Jacob. Scimus namque quia Jacob ille patriarcha, cujus secundum carnem erant vel sunt isti filii, magnæ fuit humilitatis, superbiam vero non habuit. Alioquin, quomodo putamus illum potuisse cum Deo luctari, et invaluisse cum angelo (*Gen.* XXXII ; *Ose.* XII), nisi per magnæ humilitatis virtutem, quæ vera est fortitudo ? Moyses quoque quomodo Deum tenere potuisset, dicentem : « Dimitte me (*Exod.* XXXII), » nisi, quia virtute humilitatis confortabatur, stans, sicut Psalmista dicit, « in confractione, » id est, in nimia mentis humilitate, « in conspectu ejus ? » (*Psal.* CV) Jacob ergo non superbus, sed humilis fuit, et inde cum Deo valde luctari potuit. Notandus igitur, ut jam dictum est, modus dictionis, dum non dicit : Juravit Dominus in superbia populi, de quo dixerat : « Venit finis super populum meum, » sed « juravit Dominus, inquit, in superbia Jacob. » Breviter namque innuit, valde esse incongruam, magnaque animadversione dignam superbiam in filiis hominis pauperis, qui tota vita sua fuit humilis qui suo fratri Esau longe dissimilis, cum ille foris veneratur, simplex domi habitavit, qui ad imperium patris, et matris, ut uxorem acciperet, peregre profectus in baculo suo Jordanem transivit, qui non in lecto eburneo, sed nuda humo decubans, lapidemque habens suppositum capiti, visionem magnam, scilicet scalam cœlos tangentem, et Dominum scalæ innixum vidit, qui pro uxore semel et iterum servivit annis septenis, et pro mercede de ovibus sumenda, sex annis soceri gregem pavit, quique deinde cum duabus turmis regrediens, civitatemque hic manent non habens, sed futuram inquirens, peregrinus et advena super terram de loco in locum ivit, fixis ac refixis tentoriis, tandemque in Ægyptum cum omni domo sua deveniens, stansque in conspectu Pharaonis, peregrinationem suam confiteri non erubuit, « dies, inquiens, peregrinationis vitæ meæ centum tringinta annorum sunt parvi et mali, et pastores ovium sumus servi tui, et nos et patres nostri (*Gen.* XLVII). » In filiis, inquam, patris ejusmodi, qui tam humiliter vixit, superbia est valde reprehensibilis, imo et exsecrabilis. Et idcirco satis congrue, « juravit Dominus, inquit, in superbia Jacob, » breviter innuens quam graviter Dominus tulerit, quod a patre tam humili tam longe superbiendo degenerassent filii. Et quid juravit ? « Si oblitus fuero, inquit, » id est nullo modo obliviscar, « omnia opera eorum, » subauditur, quæcunque fecerunt ex quo egressi ex Ægypto vitulum formaverunt, et adoraverunt Nam licet tunc Moyses tenuerit Dominum, et placatus fuerit, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum, tamen postmodum dixit : « Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum (*Exod.* XXXII). » Ex tunc omnia quæcunque fecerunt non obliviscar opera eorum, imo et a sanguine Abel justi, omnia venient super impiam generationem eorum (*Matth.* XXIII). Ita juramento præmisso, quasi quæreres qualiter operum illorum memor eris quæ jurasti te non debere oblivisci, adhuc in ipso fervore quo juravit, interrogat, et dicit : « Nunquid super isto non

commovebitur terra, et lugebit omnis habitator ejus ?» Ac si dicat : Nunquid operum illorum recordatio legis est adhibenda? Nunquid huic populo talia facienti parva debetur ira? Nonne merito revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget? Utique sic fiet,quia sic fieri justum est. Juravi, et immutabilis est sententia, ut super isto, vel pro causa ista, quod superbus factus est Jacob, commoveatur terra, commoveatur caput terræ Romanum imperium et adversus eum consurgat, et ita commota terra, ubi movebitur tanti imperii terrena potestas, « lugebit omnis habitator ejus, » videlicet, quia finxit sibi timorem,quod non posset habitare terrarum,nisi unus homo moreretur.Dixerunt enim : « Si dimittimus eum sic, venient Romani,et tollent nostrum et locum et gentem(*Joan.* XI). » Idcirco « lugebit omnis habitator ejus,» subauditur terræ,quod et factum est in illa obsidione, ubi confluxerant multitudine increduli,divino illos ad pœnam judicio trahente. Unde et congrue mox subditur : Et ascendit quasi fluvius universus, et adjicietur et defluet quasi rivus Ægypti. » Mirum namque hoc fuit, quod venturis Romanis ad obsidendum Hierusalem, instante jam solemnitate paschali, tanta in illam multitudo confluxit fiduciam habens in magna firmitate amplæ civitatis,ut recte dicat, « et ascendit quasi fluvius universus, » subauditur, habitator ejus. Abundanter enim quasi fluvius venit, et muros civitatis confluendo implevit. Quia vero futurum erat ut post innumerabilem mortuorum congeriem, ruptis et patefactis muris, reliqui caperentur, et in omnes gentes ducerentur captivi. Recte subjungit : « Et ejicietur et defluet quasi rivus Ægypti ; » ejecti sunt enim residui, sicut jam dictum est, et per totum orbem defluxerunt, qui, quasi fluvius, confluxerant putantes se intus posse tutos contineri. Et quomodo defluxerunt? « Quasi rivus Ægypti, » inquit. Miro modo dictum, mirumque innuit mysterium.Noluit dicere, quasi Jordanis qui fluvius erat terræ illius populi, et obsessis indeque in captivitatem ducendis multo vicinior, quam aliquis rivus terræ Ægypti. Quare ? Videlicet quia noluit ille populus esse, sicut Jordanis,noluit suscipere sacramentum baptismi Christi, qui baptizatus est in fluento Jordanis. Idcirco defluxit sicut rivus Ægypti, nam ecce revera Judæi et apud Deum et apud homines reputantur et sunt sicut Ægypti,imo et vere Ægyptii,id est tenebrosi, quia corde sunt excæcati.Unde et protinus subjungit : « Et erit in die illa, dicit Dominus,occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis. » Quis enim est iste sol, nisi sol justitiæ Christus, sol verus et æternus, qui in ista die, in isto tempore mundum universum illuminavit, et quando cœpit iste dies luminis,nisi quando visitavit nos oriens ex alto sol iste, quem miro modo Maria, id est maris stella peperit ? Nox erat et stella consurgens de spiritu Creatoris sui concepit, cum parvula esset, magnum solem peperit, et ex-

A inde est dies luminis;meridies autem,ex quo idem sol exaltatus est a terra,resurgens a mortuis in cœlum ascendit.In isto meridie sive die luminis, Dominus terram, id est Judæam tenebrescere fecit, ut jam non dicantur aut sint Judæi,sed Ægyptii,id est tenebrosi et cæci,quia sol Christus illis occidit, eo quod non credant quod mortuus resurrexerit. Hujus obscurationis et cæcitatis cordium illorum signum illud fuit,quod meridie, id est hora sexta, dum crucifixissent illum, iste diurnus sive quotidianus sol obscuratus est,et tenebræ super terram factæ sunt. Tantum scelus in festivitate sua, quæ dicitur Phase,id est Pascha,commiserunt.Sequitur ergo,et dicit firmiter sub eodem firmamento secundum justum judicium : « Et convertam festivitates
B vestras in luctum, et omnia **156** cantica vestra in planctum, et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium. » Hoc ita planum et notum est, ut expositione non indigeat, quia festivitates illorum in luctum conversæ sunt, eo quod in paschali festivitate sua Christum occidendo, Christi discipulos et matrem ejus, juxta quod prædixerat Simeon : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II), » lugere fecerunt. Idcirco imminente, ut jam dictum est, paschali festivitate,obsessi lugere cœperunt, cunctasque festivitates annuas lugubres habuerunt,et omnia cantica illorum in planctum conversa sunt,tanta utique tunc miseria fuit ut nunquam meliorem causam habuerint induendi saccum super dorsum
C suum, et decalvandi caput suum,quod facere consuetum erat in luctu, ob magni doloris indicium. Quod deinde subjungit : « Et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum, » insanabilem fore denuntiat dolorem, irrecuperabilem desolationem.Qualis est enim planctus unigeniti?Utique inconsolabilis,quia consolatio non est alterius filii illi cujus unigenitus mortuus fuerit. Unigenitus autem Christus est, non solum Deo Patri, verum etiam Synagogæ cujus de carne carnem assumpsit. Mortuus est illi ; ipsa namque mater crudelis eum occidit, nec vult audire quod resurrexerit, imo nec vult scire quod ille Christus sit unigenitus Dei. Porro Deus alium unigenitum non habet, nec alium mittet, quia ipse unigenitus est. Idcirco luctus Synagogæ, quæ unigenitum occidit,
D in æternum inconsolabilis erit, quemadmodum in Zacharia ipse dixit : « Et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum quasi unigenitum, et dolebunt sicut doleri solent in morte primogeniti (*Zach.* XII). » Et nunc quidem super eum lugere nolunt, sed futurum est in novissimo ut lugeant. Idcirco cum dixisset, « et ponam quasi luctum unigeniti, » continuo subjunxit, « et novissima ejus quasi diem amarum. » Novissima namque sunt ea quæ sequuntur præsens sæculum. In illis novissimis promittit illis luctum, et ea fore quasi diem amarum,id est vere diem amarum, quemadmodum econtra, cum dicent sancti : « Facti sumus sicut

consolati (*Psal.* CXXV), » id est esse constat ac si dicant vere consolati. Etenim ille dies in quo, ut jam dictum est, videbunt in quem confixerunt, sive aspicient ad eum, quem confixerunt, vere illis amarus erit, sicut alius propheta dicit : « Vox diei Domini amara, et tribulabitur ibi fortis (*Soph.* I). » Tunc dissimulare non poterunt luctum unigeniti, quem nunc dissimulant dicentes ad alterutrum in malis suis : « Tace et non recorderis nominis Domini (*Amos* VI). » Interim miseri sunt ubique terrarum, neque ullum merentur reperire consolationis verbum, sicut olim in Ægypto et in Babylonia, vel quoties afflicti sunt, consolationem inveniebant clamantes ad Dominum. Hoc est quod continuo dicit: « Ecce dies venient dicit Dominus. Et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem circuibunt, quærentes verbum Domini, et non invenient. » Hoc mirum est, et miserabile, quod ipsi, quorum de terra panem Scripturarum, nos advenæ messuimus et comedimus, famem patiuntur et siti pereunt, esuriunt et non comedunt sitiunt, et non bibunt. Etenim quod amplius mirandum est, ipsi panem hunc nobis deferunt, et circumferunt, et tamen non inveniunt, sicut in Evangelio mystice significatum est, ubi maxima multitudine veniente ad Dominum, cum vellet illis dare ad manducandum, « erat ibi puer unus, habens quinque panes hordeaceos, et duos pisces (*Joan.* VI). » Habebat et non manducabat, portabat et non esuriebat, sed accepit ab illo Jesus et fregit, deditque illis quos reficere volebat (*ibid.*). Sic denique Judæi, quoniam sunt sensu puerili, nescientes quid ferant, panem ferunt verbum Dei, mente jejuni, et secundum animam aridi, quia Dominus immisit eis famem audiendi verbum Domini. Hoc, inquam, mirum et miserum est, quod onusti verbo Domini circumeunt a mari Atlanteo usque ad mare Britannicum, id est a meridie ad occidentem, et ab aquilone usque ad orientem, quæ orbis terrarum quatuor plagæ sunt, « quærentes verbum Domini et non inveniunt. » Videlicet quia cæci sunt, idcirco idipsum quod portant videre non possunt. Excæcavit enim illos malitia ipsorum. Quomodo autem contingit eis ut quærant et non inveniant, cum Dominus dicat : « Quærite et invenietis (*Matth.* VII) » ; itemque et : « Qui quærit, invenit ? » (*Ibid.*) Quomodo istud convenit, nisi quia non quærunt sicut est quærendum, quia non in illo quærunt in quo est quærendum. In Christo qui quærit, invenit quod comedat ut non esuriat, invenit quod bibat ut non sitiat. Ideo dicit: « Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam (*Joan.* VI). » Item : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat (*Joan.* VII). » At illi Christum oderunt, consortium nullum cum Christo habere volunt. Quomodo ergo invenirent, qui miro modo sine verbo Dei, quod Christus est, verbum Dei quærunt ? Mira quærentium dementia, dum ita

A quærunt verbum Domini, ut velint exsurgere sibi aliquem prophetam, dolentes quod non aliquam habeant in homine gloriam, qui signa faciat, et ventura prædicet, ad satisfaciendum cupiditati ipsorum, ut iterum congregentur, et in illam terrenam Hierusalem redeant non jam lapideam, sed aureolam atque gemmatam, secundum vanam nimisque avaram spem suam. Taliter esurientes nunquam comedent, taliter sitientes, nunquam bibent, taliter quærentes verbum Domini nunquam invenient, sed pro verbo Domini spiritum recipiunt erroris, pro Christo Antichristum sunt recepturi. Sequitur : « In die illa deficient virgines pulchræ et adolescentes in siti, qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt : Vivit Deus tuus Dan, et vivit via Ber-
B sabee, et cadent, et non surgent ultra. » Quamvis paulo ante præmisso, « et emittam famem in terram, » statim subjunxerit, « non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini; » tamen cum dicit, « in illa die deficient virgines pulchræ et adolescentes in siti, » recte utrumque intelligitur, scilicet tam fames panis et sitis aquæ quam fames et siti audiendi verbum Domini. Nam, etsi nunc Judæi, quamvis captivi, panem habent et aquam, tunc utique non habuerunt, quando, sicut jam supra dictum est, ab hostibus circumdati sunt in vindictam sanguinis Christi. Tunc, inquam, corporaliter quoque defecerunt virgines adolescentes in siti, tanta tamque mira defectione, ut mirum sit si quisquam calamitatem illam absque horrore ani-
C mi perlegere possit. Verum, quia fames et sitis corporalis comparatione famis et sitis audiendi verbum Domini, quæ fames vel sitis animæ est, pro levi reputari debet, idcirco cum dixisset: « Et emittam famem in terram, » ne putaretur hanc parvam vindictam famis corporeæ rependere illorum avaritiæ, « non famem, inquit, panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, « ut sit sensus : Non primum famem panis et sitim aquæ immitto illis, sed prima erit vindicta fames audiendi verbum Domini, fames autem panis et sitis aquæ superadjicietur eis. Narrat autem vetus historia, tam Latina quam Græca, et omnium gentium barbarum nihil fame durius, **157** quæ sæpe compellit obsessos humanis vesci carnibus, et in suam sævire naturam, ita ut nec paren-
D tes parcant parvulis liberis, sicut nec illa infelix Maria pepercit, quæ in illa obsidione parvulum suum coxit et comedit. Quid igitur de fame dicendum est animarum, quæ post vitam præsentem procul dubio sentitur, si hoc facit fames corporum? Utraque tunc oppressit populum Judæorum, et nunc usque opprimit illa, quæ deterior est fames et sitis verbi Domini. Quæ vel quales sunt virgines, et qui adolescentes ita deficientes? Ait : « Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt : Vivit deus tuus Dan, et vivit via Bersabee. » In illo tempore, quando hæc prophetabantur, vitulus aureus colebatur in Dan, qui terminus est terræ Judaicæ, et ibant illuc per viam

Bersabee, longo videlicet itinere propter reges Judæ, declinantes eos, quin et idcirco vitulos illos fecerat Hieroboam, ne ascenderent decem tribus ad orandum in Hierusalem (III *Reg.* XII), reputans ne converterentur cor populi ad dominum suum regem Juda. In tantam autem venerationem venerat illis talis factura, scilicet facies vitulina, ut quomodo solitum fuerat jurari, « vivit Dominus Deus, verbi gratia, veluti cum Jonathas dixit: « Vivit Dominus, et vivit anima tua, rex, si novi (I *Reg.* XVII). » Sive Elias: « Vivit Dominus Deus in cujus conspectu sto (III *Reg.* XVII), » ita vulgo jurantes jam dicerent: « Vivit dominus deus Dan, et vivit via Bersabee, » per quam itur in Dan. Aureus erat ille vitulus, et inde facile persuaderi poterat populo quod esset deus. Quare? nimirum quia mentes eorum obtinuerat avaritiæ spiritus, et idcirco apud cogitationes eorum non parva res erat aurum, multoque plus placebat aspectibus eorum tale metallum quam mentibus Deus eorum. Ergo deus illorum erat aurum, deus illorum erat Mammon. Nunquid a tali scelere queunt immunes existimari Scribæ et Pharisæi temporis illius, quo passus est Dominus noster, in quem sanctorum prophetarum tota intentio tendit? Nonne illorum mentes maxime obtinuerat Mammon, et per eumdem deum jurabant, per quem et illi, dicentes: « Vivit Deus tuus Dan? » — « Væ vobis, ait ipse Dominus, duces cæci, qui dicitis: Quicunque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet (*Matth.* XXIII). » Nonne isti Deo præferebant aurum? « Qui enim jurat in templo, inquit, jurat in illo et in eo qui habitat in ipso (*ibid.*). » Ergo sicut templo, ita et illi qui habitat in templo, præferebant aurum, dicendo: « Quicunque juraverit per templum nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet. » Igitur cum dicit, « qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt: Vivit deus tuus Dan, » non omittamus illos qui in auro jurare docebant, quia videlicet multo cupidius isti aurum coluerunt quam illi patres eorum. Illi namque idcirco colebant aurum, ne ascendendo adorare in Hierusalem discerent reverti ad David regem suum. Isti autem, ut licentius possiderent aurum, per quod docebant esse jurandum magis quam per Deum vel per Dei templum, occiderunt verum David filiumque David, Filium Dei regem suum. Talis eorum deus est deus Dan, quod interpretatur *judicium*, traxit enim illos ad judicium æternum. Item talis illorum via est Bersabee, quod interpretatur *puteus juramenti* sive *puteus satietatis*, quia jurabant in auro quo volebant quidem, sed non poterant satiari. Proinde « cadent, inquit, et non surgent ultra, » consumpti fame supradicta, fame audiendi verbum Dei, sicut comperimus ex his qui supersunt ex illis. Denique maxime his convenit, quod sanctus Job dicit: « Egestate et fame sterilis, qui rodebant in solitudine squalentes calamitate et miseria, et mandebant herbas et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum. Qui de convallibus ista rapientes,

A cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant (*Job.* XXX). » Nimirum herbis et ardoribus et radici juniperorum comparari possimus fabulas et genealogias eorum. Quoties cum illis sermonem conferimus, si qua de fabulis ac genealogiis occasio incidit, ibi clamosi atque deserti sunt, et veluti quidpiam herbarum sive corticum aut radicum juniperi de convallibus rapientes, ad singula cum clamore currunt, dum aliquid nugarum retexentes declamant, suoque arbitratu magistri sunt. Porro ad enucleandum Scripturæ sensum, ita egestate et fame steriles, ita squalentes et miseri sunt, et non solum dolere, verum etiam admirari possimus imbecillitatem puerilis sensus eorum. Sequitur:

CAP. IX. — « Vidi Dominum stantem super altare, et dixit: Percute cardinem et commoveantur superliminaria. Avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam. Non erit fuga ejus. Fugiet et non salvabitur ex eis qui fugerit. » Adhuc depromitur, et magis ac magis declaratur sententia vindex contra supradictam superbiam Jacob, cum dicit: « Avaritia enim in capite omnium. » Nam, cum avaritia de superbia quoque tractari testis est sapiens vir, qui cum dixisset: « Avaro nihil est scelestius (*Eccli.* X), » continuo subjunxit: « Quid superbis, terra et cinis? » (*Ibid.*) Divitiarum namque comes superbia est. Idcirco Apostolus: « Divitibus, inquit hujus mundi præcipe non superbe sapere (I *Tim.* VI). » Sed jam admirandæ hujus visionis sacramentum ingredientes, litteræ ordinem prosequamur. » Vidi, inquit, Dominum stantem super altare. » Magna vere visio, et magnæ rei significatio exstitit. Prophetico deinde spiritu vidit, et revera futurum erat, quod illi talis visio præostendit. Quærimus ergo, ubi vel quando factum sit tale quid, cujus in signum stans Dominus super altare videri debuerit. Quærentibus autem in toto Christi Evangelio, vel in omni evangelicæ gratiæ sacramento, nihil tam magnum, nihil tam evidens secundum hujus visionis proprietatem nobis occurrit quam schema vel habitus Domini nostri Jesu Christi crucifixi. Crucifixus namque et sacrificium pro nobis factus, super altare crucis stetit, statione difficili, statione laboriosa sibi. Diligenter animadvertendum, nec unquam oculis mentis nostræ debet abesse stationis illius spectaculum. Pendebat et stabat manibus ad crucis cornua confixis, pedibus ligno suppedaneo per clavorum fixuram cohærentibus in modum stantis. Taliter stans ipse hostia, crux vero altare erat. Propter talem ejus stationem futurum erat ut destrueretur illud Judaicæ superbiæ templum, juste profecto, quia taliter stanti crudeles insultantes dicebant: « Vah, qui destruis templum, et in triduo illud reædificas (*Matth.* XXVII). » Dixit ergo ita stans: « Percute cardinem et commoveantur superliminaria. » Cuicunque dixerit, sive videnti hæc prophetæ, sive angelo, nimirum illa in visione percussio cardinis et commotio superliminarium certissime ad futurum significabat templi exter-

minium tanta percussione, tanta commotione ut hodieque admiretur orbis terrarum. Quam ob causam? « Avaritia enim, inquit, in capite omnium, » cui videlicet avaritiæ crudelissimæ fructus fuit avaris et impiis scelus istud, quod taliter Dominum super altare crucis stare fecerunt. Nam, cum quotidie disputaret contra avaritiam illorum, illud maxime concitaverat eos, quod diutius non ferens pertinaciam avaritiæ, propter quam domum Patris domum orationis, speluncam fecerunt latronum (*Matth.* XXI), Scripturam implevit dicentem : « Zelus domus tuæ
158 comedit me (*Psal.* LXVIII), » mensas nummulariorum cathedrasque vendentium columbas convertens, factoque de resticulis quasi flagello cunctos ejiciens (*Matth.* XXI). Avaritia ergo in capite, id est, in summa intentione omnium, et idcirco percusso cardine et motis superliminaribus, id est, destructo summo sacerdotio, summis Scribarum Pharisæorumque ordinibus, novissimum quoque eorum, id est plebeium, in gladio interficiam. « Non erit fuga eis. » Circumdati namque erunt et coangustati undique. Quod etsi fugerit, « non salvabitur qui fugiet ex eis. « Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: et si ascenderint usque ad cœlum, inde detraham eos : et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos : et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos, et ponam oculos meos super eos in malum. » Mirabiliter Dominus, qui super altare crucis stare habebat, ut jam dictum est, simul cum præostensione stationis illius omnipotentiam suam depromit, mira declamatione asserit quod manus suas nullus inimicorum ejus effugere possit. Nunc ut verba hæc melius perpendere queamus simul recordemur illud quod idem homo factus jamque passurus, sive super aram crucis staturus dixit : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me (*Joan.* XII). » Hoc illis dixit qui jam illum in crucem levare cogitaverant. Et quidem si solius gratiæ attractionem cogites, cum dicit : « Omnia traham ad me, » subaudiendum est utique electa. Si autem hoc attendas, quod per illam in cruce exaltationem Filii hominis judiciariam super vivos et mortuos accepit potestatem, accepit enim secundum humanitatem, cui nihil deerat secundum divinitatem, cum dicat : « Omnia traham ad me, » subintelligendum est actione potentiæ, ut manus meas nullus vestrum possit effugere. Habens enim potestatem judicium facere, sedebo super sedem majestatis meæ, atque omnes gentes congregabuntur ante me, et omnia electa statuam ad dextram, reproba vero ad sinistram meam. Nimirum quod illic idipsum intelligendum est, et hic, videlicet quod nullus effugere possit manus hujus Domini, qui super altare crucis taliter tamque dolendo habitu, pendendo stetit, stando pependit. « Si descenderint, inquit, usque ad infernum. »

A etc. Ista quinque dixit, quorum tria quidem impossibilia erant fieri, unum impossibile non fieri, itemque unum possibile fieri. Etenim ut angustiam fugiens homo vivens, ad infernum descendat, ibique vivat vita incolumi, impossibile est. Attamen dicit: « Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos. » Item, impossibile est ut homo pennas volucres assumat, et in cœlum volet ; attamen dicit : « Et si ascenderint usque ad cœlum, inde detraham eos. » Item, impossibile est ut homo in piscem mutetur, et profundum maris subintret; attamen dicit ; « Et si celaverint se oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos. » Quid igitur per ista quæ impossibilia sunt contendit, nisi quod manus suas homo nusquam effugere possit, cum inde quoque detrahere, vel illuc
B usque persequi posset, quo nullus vivens profugere potest? Unum eorum quæ dixit, possibile est, ut jam diximus, fieri, scilicet ascendere in verticem Carmeli ? Sed vide quanta cum irrisione dicat « si absconditi fuerint in vertice Carmeli. » Valles enim et defossa terrarum potius quam vertices montium captare solet, qui cupit abscondi, civitas autem vel aliud quid in monte positum non potest abscondi (*Matth.* V). Est tamen modus quidam in infernum descendendi, quo possit homo descendere, in fuga vultus Domini, scilicet cum desperans, a Deo, diabolo sese maligno fœdere tradit. Nonnullos fuisse ejusmodi in populo Isaias insinuat, cum dicit: « Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, et cum
C inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio pertracti sumus (*Isa.* XXVIII). » Item, modo quodam quasi in cœlum ascenditur, cum quis superbiæ pennis ultra semetipsum elevatur. Et modo quodam in profundum maris intratur, videlicet sectando curiosa, nimiasque subeundo curas sæculi hujus. Quocunque modo sive illum ad inferna descensum, sive illum ascensum ad cœlum, sive demersionem illam in profundum maris intelligas, illud Davidicum semper decantandum est : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, et tenebit
D me dextera tua (*Psal.* CXXXVIII). » Est etiam quidam abscondendi modus in vertice Carmeli, videlicet secundum nomen ipsum Carmeli, quod interpretatur *scientia circumcisionis*. Cum enim inimici Christi quasi scienter disputant et contendunt de circumcisione carnis, ut videantur rationabiliter repellere a se fidem Evangelii, ecce absconditi sunt in vertice Carmeli, sed inde scrutans aufert eos Christus, dum scrutando Scripturas nos Christiani falsos illos esse convincimus. Ultimum eorum quæ dicta sunt: « Et si abierint in captivitate coram inimicis suis, » impossibile erat non fieri nec enim ipsi dimittere poterant, quin abierint ducti in omnes gentes captivi

« Ibi, inquit, mandabo gladio, et occidet eos. » Hoc sæpe factum est ut ex his qui dispersi sunt Judæis cædes plurima fieret, Domino utique mandante gladio, cujus in arbitrio gladius omnis est, quia « non est potestas, nisi a Deo (*Rom.* XIII). » Quod deinde subjungit, « et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum, » modis duobus jam dictis perficit, dum mandat serpenti, et mordet eos invisibiliter morsu malo, qui æterna mors animæ est, dum mandat gladio, et occidit eos occisione visibili, quæ corporalis mors est. Utrum hoc intelligimus, et in psalmo, cum dicit, « Tradentur in manus gladii » Romanorum, et secundum animam partes vulpium, id est malignorum spirituum, sunt (*Psal.* LXII). Et secundum animam quidem omnes, quoniam impœnitentes sunt, morsu serpentis moriuntur, et partes vulpium sunt, secundum corpus vero non in omnibus gladio mandatum est, ut occidat eos, quia præter hoc quod reliquiæ salvandæ sunt (*Rom.* XI), etiam memoriæ et honori Christi prodest vita et dispersio illorum, quemadmodum ipse dicit in psalmo : « Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua (*Psal.* LVIII). » Multum enim Christum colentibus confert hoc quod Christi inimici Judæi inter eos vivunt. Secum namque libros bajulant, in quibus inveniuntur cuncta, de quibus confirmamus fidem Christianam, nec dicere potest quis, quod nova doctrina sit, dum antiquam proferimus auctoritatem ex libris quos habent illi. Sequitur : « Et Dominus Deus exercituum qui tangit terram, et tabescit, et lugebunt omnes habitantes in ea. Et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit. Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus. » Quia dixerat ibi, « mandabo gladio, et occidet eos », valde **159** convenienter de illo propheta subjunxit, « et Dominus Deus exercituum, » subauditur, ipse est, qui hoc se facturum dicit, quia profecto mandare potest gladio, qui Dominus exercituum est, qui non unum tantum sed multos exercitus habet, quia videlicet Assyriorum atque Chaldæorum, præsertim et Medorum, Græcorum atque Romanorum, et omnium gentium exercitus servierunt et serviunt ei, quamvis nescientes, ut videlicet regnum aliud alio superveniente destruatur, justo ejus judicio, sicut postmodum dicturus est, « ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ. » Cum ergo dicit, « et Dominus Deus exercituum, » subauditur, ipse est, mirari te non vult quod dixerit se gladio mandare, qui quando stetit, ut jam dictum est, super altare, id est patibulum crucis, gladium nullum ostendit, nec saltem Patrem rogare voluit, ut quod facere poterat, plus quam duodecim legiones angelorum exhiberet sibi (*Matth.* XXVI). Quod protinus subjungit, « qui

A tangit terram et tabescit, » in utramque partem, scilicet in bonam et in malam intelligi potest, quia postquam a terra exaltatus est, alii tangentes illum salvi facti sunt, alii perierunt. Siquidem tangentes illi pauci ex Judæis, multi ex gentibus tabescentes et compuncti corde pœnitentiam egerint, itemque multi tam Judæi quam gentiles male tabescentes, et invidentes, Evangelio Christi tangente, id est percutiente illo, tam in anima quam in corpore perierunt et pereunt. Etenim tabescere tam in bona quam in mala significatione poni non est dubium. In bona ut illic, « tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei (*Psal.* CXVIII). » In mala ut alibi : « Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet (*Psal.* CXI). » Item quod

B sequitur, « et lugebunt omnes habitantes in ea, » similiter in utramque partem recte intelligitur. Nam qui compuncti corde pœnitentiam egerunt, bonum luctum habuerunt, juxta illud : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Qui vero pœnitentiam non egerunt, maxime Judæi, malum luctum habuerunt, videlicet de quo superius dictum est : « Et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum (*Amos* VIII). » Item quod sequitur : « Et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti, » in utramque partem dividendum est. Nam ascendere bonum, defluere malum est. In his qui pœnitentiam egerunt, fides Evangelii, gratia Spiritus sancti de fonte Christo procurrens,

C sicut rivus ascendit in his qui impœnitentes fuerunt vel sunt, maxime in Judæis, cuncta carnalium cæremoniarum vanitas et inutilitas defluit, et est ubique contemptibilis, nullusque jam verus Dei cultor illas suscipit. « Defluit, inquam, sicut fluvius Ægypti, » quia videlicet non utcunque contemnuntur cæremoniæ carnalis Judaismi, sed ita ut, quicunque illas exercent, reputentur et sint velut Ægyptii, id est tenebrosi et omnino Rubri maris, quod est baptisma Christi, transitu indigni. In his quoque qui ex gentibus crediderunt iste prophetiæ versiculus sic impletur, ut quod valde timendum est, « multi vocati pauci vero sint electi (*Matth.* XXII). » Nam quia pauci electi sunt recte dicitur, « et ascendet sicut rivus

D omnis, » qui videlicet rivus minor est quam fluvius ; et quia multi sunt vocati qui non pertingunt ad electionis ascensum recte subjungitur, « et defluet sicut fluvius Ægypti. » Ex ipsis qui ascendunt sicut rivus, ut jam dictum est, completum propositum Dei in ædificationem Ecclesiæ Christi, « quod est corpus ejus, plenitudo ejus (*Ephes.* I), » cujus « ipse caput est, » sicut Apostolus dicit (*Coloss.* I). » Recte ergo subjungitur, « qui ædificant in cœlo ascensionem suam. » Ascensio namque rivi omnis, id est electi omnis, spiritualem ex ipso gratiam habentis, ascensio ipsius est. « Quod enim illic ascenderunt tribus

tribus Domini (*Psal.* CXXI), » non ascendentium facultas, sed gratia vocantis agit. « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlis (*Joan.* III). » Et Apostolus cum dixisset : « Qui descendit ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia, et ipse dedit quidem quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alias vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ita sententiam complevit ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*Ephes.* IV). » Pulchre ergo dictum est, « qui ædificat ascensionem suam in cœlo, » quia videlicet ascensus sanctorum, corporis Christi ædificatio est, et quod membra sequuntur ascendendo, gratia capitis est præeuntis, quod solum propria virtute ascendit. « Et fasciculum suum, inquit, super terram fundavit. » Nimirum quando Christus in cœlum ascendit, parvum apostolorum numerum in terra reliquit, et eosdem misso sancto dilectionis Spiritu, quasi in fasciculum ligavit vinculo charitatis et unitate fidei, et ejusmodi « fasciculum fundavit, » id est in fundamento posuit, et super illum Ecclesiam suam ædificavit. Deinde et de gentibus nonnullos tanta implevit ubertate cœlestis gratiæ et verbo doctrinæ, ut secundum apostolorum imitationem possent Ecclesiam Christi instruere. Hinc protinus subjungit. « Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ. » Maris namque nomine interdum gentilitas significatur, ut illic : « Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris (*Psal.* XLV). » Hoc enim hunc habet sensum : Non timebimus tribulationes futuras quæ tunc erunt, quando turbatis et repellentibus Verbum Domini Judæis, quibus primum oportebat prædicari Evangelium, transferentur apostoli in medium gentium. Itaque « qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, » idem est ac si dicat : Qui homines gentiles falsas et insipidas habentes aquas sæcularis scientiæ, sursum vocat et cœlestia facit sapere, constituitque doctores ut tam loquendo quam scribendo compluant terram Ecclesiæ. Quis hæc tanta et talia facit ? « Dominus, inquit, nomen ejus, » quia revera non posset talia facere, non posset de mortuis resurgens in cœlo ascensionem suam ædificare, nisi esset Dominus. Idcirco et David cum dixisset : « Iter facite ei, qui ascendit super occasum (*Psal.* LXVII), » continuo subjunxit, « Dominus nomen illi (*ibid.*). » Hoc Judæi multum graviter tulerunt quod gentiles vocati et recepti sunt, invidentes saluti illorum. Exempli gratia, ita ut Petro dicerent : « Quare introisti ad viros præputium habentes ? » (*Act.* XI.) Et multa his similia. Recte ergo sequitur : « Nunquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi filii Israel, ait Dominus ? Nunquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, et Palæstinos in Cappadocia, et Syros de Cyrene ?

A Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ. » Ac si dicat : Quid gloriamini vos, Judæi, de proprietate Dei, et gentibus derogatis ? « An Judæorum Deus tantum ? nonne et gentium ? imo et gentium (*Rom.* III), » sicut Æthiopes, ita et vos mihi estis nec magis aut minus propinqui, quia sicut Judæos, ita et Æthiopes ego creavi. Quod si in hoc gloriamini, et propter hoc vos potius quam alias gentes ad me pertinere jactatis, quia feci vos ascendere de terra Ægypti. Nunquid propter hoc alterius naturæ sive conditionis, quam cæteri homines estis ? Nempe et Palæstinos de Cappadocia, et Syros ascendere feci de Cyrene. Non ergo erigamini in superbiam, quod **160** vos de Ægypto eduxerim, et B quasi peculiarem populum meum, Pharaoni servire non passus sim, neque arbitremini quod propter hoc solis vobis debeatur regnum Dei, quia videlicet et in hoc sæculo Æthiopes Palæstinos, Syros atque Judæos distantes locis atque corporibus mortalitatis lege sociavi, et pro arbitrio meo servos meos huc illucque committo, et in universas provincias transfero, et in illa cœlesti Sion, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis, similiter omnes sive ex omnibus gentibus quoscunque fides commendaverit, congruis mansionibus collocet, sicut per Psalmistam dicit : « Memor ero Raab et Babylonis, scientium me. Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Ætiopum, hi fuerunt illic (*Psal.* LXXXVI). » Econtra, sicut æquali conditione C omnes sunt facti, ita quicunque peccaverint æquali judicii mei sententia punientur, et omnia absque discretione personarum impia regna subvertam. Nam « ecce, inquit, oculi Domini super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ. » Quod autem vel cujus gentis regnum tantum peccavit quam illius quæ prophetas occidit, et ipsum prophetarum Dominum crucifixit ? Ne ergo in superbiam erecti, peccatores ex gentibus ad fidem venientes, repellendos esse censeatis, quia Judæi non minus quam Græci, imo primum, sive magis quam Græci, iram et indignationem, tribulationem et augustiam sunt recepturi, quicunque non acquiescunt veritati (*Rom.* II), ita ut regnum quoque illorum temporale destruatur, etenim a facie terræ conteram illud. « Verumtamen conterens D non conteram domum Jacob, dicit Dominus : ecce enim mandabo, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutiuntur in cribro, et non cadet lapillus super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, dicunt : Non appropinquabit, et non veniet super nos malum. » Certam, et quæ falli non possit suam Deus commendat providentiam, dum præmisso, « ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ, » subjungit, « verum conterens non conteram domum Jacob. » Idem enim est ac si dicat : Conteram quidem domum Jacob in reprobis, sed non conteram in ele-

ctis. Impossibile namque est, dum conteritur regnum Judaicum contritione Romanæ virtutis, dum occiduntur, dum dispergunt in omnes gentes captivi, perire Deo quemquam ex illis quos præscivit et prædestinavit (*Rom.* VIII). » Non enim regnum vel gentem illam sic contrivit, ut nullum ex illa salvum esse velit. Hinc Apostolus dicit : « Nunquid repulit Deus populum suum ? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abrahæ de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit (*Rom.* XI), » etc. Pulchra valde similitudine ipsum mysterium innuit, de quo Apostolus : « Nolo enim, inquit, vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret (*ibid.*). » Pulchra, inquam, similitudine idipsum prophetatur hic dicendo : Ecce enim mandabo, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro, et non cadet lapillus super terram. » Cuncta tribulatio sive angustia, qua coangustati et contribulati Judæi, in omnes gentes sunt eventilat ac dispersi, velut concussio cribri exstitit, quomodo si pulverulenta collapsi muri cribro congesta concutiantur, ut pulvere in terram cadente soli remaneant lapilli, in opus restaurationis conferendi. Unde præmisso, « in gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt : Non appropinquabit, et non veniet super eos malum, continuo subjungit : « In die illo suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo, et reædificabo eum sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes, eo quod invocatum sit super eos nomen meum, dicit Dominus, faciens hæc. » Quem enim sensum hæc habeant apostoli probant, ubi quæstione suscitata, cur homines ex gentibus Paulus ac Barnabas absque circumcisione et observantia Sabbati suscepissent. Petrus respondit ut debuit. Cujus sententiam probans Jacobus hæc locutus est : « Viri fratres, audite me. » Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitabit sumere ex gentibus populum nomine suo, et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est : Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod cecidit ; et diruta ejus reædificabo, et erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus, faciens hæc. « Notum a sæculo est Domino opus suum (*Act.* XIII). » Igitur domus Israel quæ concutitur in cribro ruinosa domus et collapsum tabernaculum est, quia Dominus stans super altare, id est in ara crucis appensus ab illis, sicut jam superius dictum est, percuti jussit cardinem, ut commoverentur superliminaria, et lapilli residui, quorum nullus cecidit super terram, reliquiæ sunt, de quibus Apostolus cum præmisisset, sed quid dicit Eliæ responsum divinum ? « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo, inquit, et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* XI). » Porro, peccatores ejusdem populi omnes in eo sunt peccatores, « quod dicunt : « Non appropinquabit, et non veniet super nos malum, et idcirco in gladio morientur, » inquit. Ergo non parvi criminis est dicere « non appropinquabit, et non veniet super nos malum, » cum Deus vel Spiritus sanctus dicat per os prophetarum, « appropinquabit et veniet super vos malum. » Veraciter crimen hoc esse magnum antiquo et nimis dolendo exemplo est comprobatum. Nam Deus dixit : « In quocunque die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* III). » Econtra serpens : « Nequaquam, inquit, morte moriemini (*ibid.*). » Itaque qui per serpentem dixit, « nequaquam moriemini, » cum Deus dixisset, « moriemini, » idem spiritus malignus per os pseudoprophetarum dicebat, « non appropinquabit et non veniet, » cum Spiritus sanctus per prophetas suos diceret, « appropinquabit et veniet super vos malum. » Proinde ipsi quidem pseudoprophetæ serpenti similes, et maledictione digni sunt, peccatores autem, qui magis credunt pseudoprophetis quam prophetis Domini, tam juste in gladio moriuntur, quam juste Adam, sive mulier ejus, pro eo quod serpenti magis quam Deo credidit, sententiam excepit, ut de paradiso expelleretur. Gladium autem hic non solum Romanorum intelligimus, quia videlicet eo non omnes peccatores illius populi mortui sunt, sed potius gladium invisibilem, qui percutit interiora omnis impenitentis animæ, quem Psalmista metuens : « De gladio, inquit, maligno erue me (*Psal.* CXLIII). » Ecce in die isto, qui « dies salutis est, et tempus acceptabile (*II Cor.* VI), » suscitatur illud tabernaculum Jacob quod cecidit, quia pro Judæis incredulis ponuntur gentiles creduli tanquam lapides vivi super fundamentum vivorum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II), et hoc modo reædificatur verus David, lapis angularis, sicut in diebus antiquis, id est non ex operibus legis, sive cæremoniis carnis, sed ex fide, per quam Abraham justificatus est per quam Noe complacuit, per quam Abel plurimam Deo hostiam obtulit (*Hebr.* XI), et possident nunc posteri hujus David reliquias Idumææ et omnes **161** nationes, sine acceptione personarum, eo quod invocetur nomen Domini super eos : ubi enim invocatio nominis Domini, nulla est distinctio Judæi et Græci. Et ut scias, quia quidquid audisti stabile et ratum est, nec infectum remanere potest, non alius, sed ipse, « dicit Dominus, faciens hæc. » Quæ sunt hæc ? Quænam nobis ostendis, dicendo : « faciens hæc ? Nimirum stans super altare, et percutiens cardinem, et superliminaria commovens, in gladio interficiens omnes quorum in capite avaritia est, tangens terram ut tabescat, et lugere faciens omnes habitantes in ea, ædificans in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundans, vocans aquas maris, et effundens eas

super faciem terræ, et conterens regnum peccans, et concutiens in omnibus gentibus domum Israel, suscitans tabernaculum David, id est, Ecclesiam suam, ipse est enim verus David, et reliquias Idumææ possidens, id est, de terrenis, et terrene sapientibus hominibus cœlestes faciens, cujus dixisse fecisse est. Sequitur: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt. Et convertam captivitatem populi mei Israel, et ædificabunt civitates desertas, et habitabunt in eis, et plantabunt vineas et bibent vinum earum. Et facient hortos, et comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus. » Ecce finis loquendi in hoc propheta vide qualis sit. Si solum respicias litteræ corticem, vile est et exiguum, quod a glorioso et magno Deo promittitur, quia bonis et malis commune est, et bonis quidem non magnopere curandum, non magna sollicitudine quærendum, malis autem concupiscibile, quorum Deus venter est, de qualibus Apostolus. « Esca, inquit, ventri, et venter escæ, Deus autem et hunc et illam destruet (*I Cor.* VI). » Si autem corticem discutias, quemadmodum hic idem propheta sycomoros vellicabat, et sub utilitate litteræ pretiosum, id est, spiritualem sensum requiras, gloriosum est et præclarum, quod Deus gloriæ promittit in hac sermonis consummatione sperantibus in se, « quod oculus non vidit, quod auris non audivit, quod in cor hominis non ascendit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). » Dicit aliquis: Quæ fuit necessitas, ut maxime in calce sermonis talis promereretur littera, quæ maxime carnales mulceat? Videlicet quia sic expediebat, ut pueros illos apud quos servanda erat sancta Scriptura seduceret seductione bona, propter eos quibus proficere habebant mysteria quæ continentur in prophetis suo tempore revelanda. Est enim seductio bona, qua non solum reprobus, verum etiam probus aliquis, nesciens divinis consiliis obsequium præstat, in tantum, ut Jeremias dicas: « Seduxisti me, Domine, et seductus sum, fortior me fuisti, et invaluisti (*Jerem.* XX). » Idem enim est ac si dicat: Proposueram ego tacere de hujusmodi, tu autem, ut tacere non possem, motum quasi impatientis animi, id est zelum bonum et fortem impegisti. Sequitur namque postmodum et dicit: « Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar in nomine illius. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens (*ibid.*). » Econtra pueris et carnalibus istis dicemus, qui Scripturas sanctas nunquam custodissent, si vim illarum intellixissent: Seduxit vos Dominus et seducti estis fortior vobis fuit et invaluit; si enim ita locutus fuisset in prophetis, ut nihil boni sonare videretur littera vobis pessimis, irasceremini contra spiritum propheticum, quemadmodum iratus est rex vester Achab contra Michæam prophetam, dicens ad Josaphat regem Juda: « Nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum? » (*III Reg. ult.*) Ita irati sanctam Scripturam succenderetis, sicut fecit rex Sedechias, qui, cum legerentur sibi verba Hieremiæ (*Jerem.* XXXVI), lectis jam tribus pagellis aut quatuor, scidit volumen scalpello scribæ, et projecit in ignem qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni qui erat in arula. Benum ergo fuit vos seduci tanquam pueros, et sic repromitti spiritualibus spiritualia, ut putaretis vobis carnalibus promitti carnalia, qualia sunt hæc, ut arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen comprehendat, sicut per bonam temperiem fieri solet, dum statim post messem impletis horreis ad sufficientiam præsentis anni, subsequens arator semen jaciat in spem futuri, nec mora ulla intercedente vindemiæ tempus sit, quam non cinit uvarum maturitas ultra differri. Hæc enim carnaliter intelligentes, vobismetipsis blandimini, dicentes vobisipsis post adversa rursus prospera promitti, cum impœnitentes sitis. Et per hanc quidem occasionem Scriptura sancta penes vos hactenus servata est, et servatur. Vos autem interea captivi et dispersi estis, et in peccato vestro moriemini. Nunc tandem litteram hanc discutientes sensum quæramus qui intrinsecus latet. « Ecce, inquit, dies veniunt, dicit Dominus, et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen. » Isti dies jam venerunt, sicut testatus est ipse Dominus ad discipulos suos loquens et dicens: « Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem: qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam: ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit. Ego misi vos metere quod non seminastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis (*Joan.* IV). » Breviter dicendum quia qui laboraverunt et seminaverunt patriarchæ et prophetæ, qui autem in labores illorum introierunt, apostoli sunt. Patriarchæ namque laborando, id est peregrinando, et « de gente in gentem, et de regno ad populum alterum » pertransiendo (*Psal.* LIV), seminaverunt, id est, promissiones beati seminis futuri, quod est Christus, accipere meruerunt, ipsum autem oculis suis non viderunt, tantummodo spe inhiantes, et per hoc servientes in modum arantium et seminantium. Apostoli autem præsentem Christum eumdem beatis oculis viderunt, et receperunt eum in modum metentium. Propterea dixit illis: « Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ vos audistis, et non audierunt (*Luc.* X). » Igitur quod nunc ait, « et comprehendet arator messorem, » idem est ac si dicat: Patriarchæ simul et apostoli gaudebunt in semine Abrahæ quod est Christus, in quo promissam pariter accipiant benedictionem, « ut, quemadmodum dicit, et qui seminat simul gaudeat et qui metit. » Neque enim sic

apostoli in labores eorum introierunt, ut eos excluderent sed ecce simul gaudent, et alii qui ante adventum ejus seminaverunt, et isti qui in adventu ejus messuerunt. Porro, calcator uvæ qui comprehendit mittentem semen, idem est qui et messor, et mittens semen idem est qui et arator. Nam, sicut dictum est, anteriores Patres sancti, et arantes et mittentes semen fuerunt, apostoli vero et messores et calcatores uvæ sunt, messores quia præsens Christus maturum fuit illis frumentum, calcatores **162** uvæ, quia mustum sancti Spiritus de illo sumpserunt, vel quia passionis ejus præsentialiter communicantes, calicem ejus biberunt. « Et stillabunt, inquit, montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt. » Montes iidem apostoli sunt, propter excellentiam meritorum, qui per totum mundum dulcedinem pacis, et remissionis peccatorum stillaverunt, prædicando in nomine Jesu Christi pœnitentiam et remissionem peccatorum. Isti autem audientes, et audiendo justificati, tanquam colles bene culti, fructum bonum reddiderunt. « Et convertam, ait, captivitatem populi mei Israel, » id est, solvam vincula peccatorum, et diruam erroris et ignorantiæ carcerem, quæ vera captivitas erat, in quæ detinebamur nos, qui nunc dicimur et sumus Israel. Quod deinde subjungit : « Et ædificabunt civitates desertas, et habitabunt in eis, et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, » expositione jam non indiget, cum videamus ubique terrarum per desertum gentilitatis, quæ prius a Deo deserta fuerat, surrexisse Christi Ecclesias, quæ et civitates propter fidei firmitatem, et vineæ propter spei, quæ non confundit (*Rom.* V), hilaritatem, et horti propter charitatis delicias recte dicuntur, in quibus habitant qui verbo illas ædificaverunt, unde bibunt vinum lætitiæ, qui præceptis illas informaverunt, unde comedunt fructus, qui consiliis provexerunt, quia, sicut qui metit, ita et qui ædificat hujusmodi civitates, et qui plantat hujusmodi vineas, et qui facit ejusmodi hortos, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam. Unde et sequitur : « Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis. » Humus namque quam dedit sanctis suis paradisus deliciarum est, in quo primum hominem posuit. Quia ergo in Adam omnes humum sive terram illam perdiderunt, et exsortes facti sunt regni cœlorum, per adventum autem Christi ita recuperaverunt, ut amplius non perdant, recte cum dixisset : « Et plantabo eos super humum suam, » protinus addidit, « Non evellam eos ultra de terra sua quam dedi eis, » vertitque se ad aurem cujuslibet nostrum gratulabundus dicendo, « Dicit Dominus Deus tuus.

PROLOGUS RUPERTI IN ABDIAM PROPHETAM.

163 Quartus in ordine duodecim prophetarum Abdias est. Hic ille esse perhibetur qui in libro Regum loquitur ad Eliam : « Et nunc dicis mihi : Vade, dic domino tuo : Adest Elias. Cumque recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum quem ignoro, et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me. Servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. Nunquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua ? » (III Reg. XVIII.) Dicitur etiam hic fuisse tertius ille princeps quinquagenarius, cui pepercit Elias dicenti : « Homo Dei, noli despicere animam meam, et animam servorum tuorum, qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant ; sed nunc obsecro, ut miserearis animæ meæ (IV Reg. I). » Postmodum relicto Ochoziæ regis ministerio, factus Eliæ discipulus prophetavit, qui etiam morte propria obiit, sepultus cum patribus suis in Sebaste civitate, ubi et Elisæus propheta, et Joannes Baptista venerabiliter requiescunt. Igitur quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, et de duce exercitus dux Ecclesiæ factus est. Unde et recte et probabiliter in Evangelio suo loquitur Dominus noster : « Et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet (Matth. X). » Etenim quam vere dicat, præcedens in isto exemplum probat, qui pro eo quod parvulum prophetarum gregem tunc paverat in Samaria, factus et ipse propheta nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesias. Et hoc notandum, quod sicut in Actibus apostolorum, qui primus martyrio coronandus erat, divino quodam præsagio vocatus est Stephanus, quod interpretatur *coronatus*, ita iste, qui taliter Domino servire talemque servitutis mercedem recipere habebat, vocatus est Abdias, quod interpretatur *servus Domini*. Accedamus ad hunc servum Domini, et audiamus quid per eum dicat ipse qui per sanctos prophetas locutus est spiritus Domini, non dubitantes quod, quamvis versuum supputatione parvulus propheta sit, sensibus tamen sit magnus, id est totus spiritualis.

IN ABDIAM PROPHÆTAM

COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

164 *Visio Abdiæ.* Quæ visio dicitur Abdiæ, visio est Dei, id est quam Deus Abdiæ ostendit. Unde et Ezechiel, *Aperti sunt*, inquit, *cœli, et vidi visiones* (*Ezech.* I). Propterea qui nunc prophetæ dicuntur olim dicebantur videntes, eo quod viderunt Dei visiones. Nam in libro Regum ita legimus : *Olim in*

Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere A *Deum : Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns* (*I Reg.* IX). Visiones autem hæc differunt, quod alibi, monstrante Deo, significativæ videntur imagines, quales maxime viderunt jam dictus Ezechiel et Daniel, alibi sine imaginibus divinæ suo modo videntur et percipiuntur locutiones, quemadmodum hic de semetipso dicit : *Visio Abdiæ*, et tamen nullam se similitudinem sive imaginem narrat vidisse. Et de ista quidem visionis qualitate non dubium est sanctos prophetas certum habuisse visum sive intellectum, Spiritu sancto in ipsis loquente. De illa vero qualitate videndi qua præmonstrabantur imagines illud sciendum, quia non statim intellectus sequebatur visum, sicut de semetipso testatur Daniel. Cum enim vidis- B set quatuor bestias grandes de mari ascendentes, *Accessi*, inquit, *ad unum de assistentibus et veritatem quærebam ab eo de omnibus his* (*Dan.* VII). Item, cum vidisset arietem cornibus ventilantem contra occidentem, et contra aquilonem, et contra meridiem, et adversum currentem hircum, qui habebat cornu insigne inter oculos suos, postmodum subjunxit : *Cum viderem ego Daniel visionem et quærerem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri, et audivi vocem viri inter Ulai et clamavit, et ait : Gabriel, fac intelligere istam visionem* (*Dan.* VIII). *Hæc dicit Dominus Deus ad Edom : Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit : Surgite et consurgamus adversus eum in prælium.* Edom ipse est Esau, qui et alio nomine dici- C tur Seyr. Cur autem vocatus est Edom historia prodit dicens : *Coxit autem Jacob pulmentum. Ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait : Da mihi de coctione hac rufa, quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom* (*Gen.* XXV). Edom quippe interpretatur *rufus*, et est nomen hoc gulæ ejus monimentum, eo quod pro coctione rufa vendiderit primogenita sua. Attamen idem colore quoque rufus erat, sicut scriptum est : *Qui primas egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus* (*ibid.*). Unde notandum quod non naturæ accidens color reprehensibilis judicatus est, ut propter hoc tali vocabulo denotaretur, et diceretur Edom præsertim cum et sanctus David rufus fuerit (*I Reg.* XVI), sed animi vitium et immoderatus rufæ coctionis appe- D titus meruit, ut nominis ejusmodi hæreditatem sortiretur. Quid autem genus illius Edom tunc temporis agebat, vel in quo merebatur, ut contra illum visio tam dura prophetæ, sive sermo Domini demonstraretur ? Valde namque dura est, sicut ex tota serie lectionis hujus manifestum est. Si temporum illorum gesta revolvimus, constat quia fœderatus erat Israeli Edom, in tantum ut cum Joram filio Achab, sub quo iste Abdias paverat prophetias Domini, pergeret ad prælium contra Moab (*III Reg.* XXII). Quid igitur super hoc animadvertendum, nisi quia verba visionis hujus, cum non hominis, sed Spiritus sancti verba sint, spiritualiter pensanda sunt ? Edom quippe, quod interpretatur *rufus*, sive *sanguinolentus*, non solus iste homo fuit Isaac et Rebeccæ filius, sed omnis quicunque vitium ejus imitatur, sectando gulam, et fraternum gerendo odium, sicut ille fecisse non ignoratur. Si hoc ita non esset, Apostolus nequaquam diceret his qui utique secundum carnem, qui ex Esau, qui ex Edom, sed ex Jacob geniti fuerant : *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis rursum germinans impediat et per illam inquinentur multi, ne quis fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primogenita sua* (*Hebr.* XII). Itaque si verba visionis rite perpendas, quæ nulla testatur historia digne, et sicut propheticam condecet tubam, completa esse in illo Edom, itemque recolas qualis fuerit rerum status in Israel, quo tempore prophetavit hic Abdias, dubitare non debes quin sub nomine Edom visio sit contra carnalem Israel. Tunc enim regnante Achab et impia Jezabel cœperunt occidi prophetæ Domini, ita ut diceret Elias : *Domine, dereliquerunt pactum tuum filii Israel. Altaria* **165** *tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et relictus sum ego solus, et quærunt animam meam* (*III Reg.* XIX). Nimirum qui occidebantur, et ipse Elias qui fugiebat, cæterique de quibus ait Dominus : *Reliqui mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal* (*ibid.*), ipsi sunt Jacob et Israelitæ, qui autem occidebant eos, ipsi erant Edom, utpote opere perpetrantes odium quod mente conceperat ille, cujus propter imitationem filii sunt, dicens in corde suo : *Venient dies luctus patris mei, ut occidam Jacob fratrem meum* (*Gen.* XXVII). Alioquin quomodo stabit illud quod in hoc propheta, cum præmissum esset : *Ut intereat vir de monte Esau*, subjectum est ; *Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob ?* Nam ille Esau sive Edom, quem Rebecca peperit, oderat quidem semper Jacob pro benedictione qua benedixerat ei Pater, sed non interfecit eum. Hi autem qui ex Jacob secundum carnem geniti odium imitati sunt Esau, fratres suos interfecerunt, nec destiterunt interficiendo, donec ipsum interficerent Christum. Quod si quæras, quæ fuerit necessitas ut significarentur nomine Edom cum possent manifestius exprimi nominibus aliis, quæ propria viderentur Judaicæ sive Israeliticæ gentis, nos ad hæc dicimus quia nimis incauti et indiscreti fuisset hominis nudo sermone propriisque vocabulis declamare perditionem gentis apud quam solam oportebat interim propheticas visiones et omnes sanctas Scripturas conservari, donec glorificato Jesu, et dato Spiritu, per totum mundum diffunderentur per linguas omnium gentium, et clarescerent aperto credentium sensu ad intelligendum. Nunc jam textum visionis hujus ingrediamur. Præmisso, *Hæc dicit Dominus ad Edom*, statim subjungit : *Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit.* Hæc ex sua cæterorumque prophetarum persona interloquitur, priusquam narrare incipiat quænam sint ea quæ dicit Dominus ad

Edom. Sic Lucas, in Actibus apostolorum, præmisso, *Exsurgens Petrus in medio fratrum dixit* (*Act.* I), priusquam ea narrare incipiat quæ Petrus dixit, ipse ex sua persona interposuit. Erat autem turba hominum simul fere centum viginti, itaque quasi quæreret, quis tu, quomodo vel inde scis quid dicat Dominus ad Edom? *A Domino*, inquit, *audivimus auditum* nos prophetæ, qui fere omnes loquimur contra Edom. Et ipse misit, id est certissime missurus est legatum ad gentes, qui dicat: *Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium.* Legatus iste Christus est, missus ad gentes et desideratus gentibus, sicut in Aggæo scriptum est: *Movebo omnes gentes et veniet desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II). Legatus iste non sic ad gentes missus dicitur, ut per suam ipse personam ad gentes venerit, aut venire debuerit, quippe quia in Judæa consummatus est, et peragendum ad gentes suæ legationis officium suis apostolis imposuit, sicut unus ex eis Paulus dicit: *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (*II Cor.* V). Legati hujus verba sunt hæc: O vos gentes, *surgite et consurgamus adversus* Edom *in prælium.* Nimirum hoc et corporaliter factum est, quando ex Romano imperio consurrexerunt gentes ad exidium Judæorum, ex nunc usque fit, dum credentes ex gentibus contra illos verbo veritatis dimicant, tela sumentes ex armario Scripturarum sanctarum. Hunc *auditum* nos *a Domino audivimus*, qui legatum illum exspectamus et recipimus. Edom autem, qui illum non recipit, imo qui illum occidit, sicut ante et post illum prophetas et sapientes et scribas interfecit, quos ille misit, audiat alia quæ Dominus ad eum dicit: Quæ sunt illa? *Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde.* Quale mitium eorum qui dicunt ad istum Edom: *Parvulum*, inquit, *dedi te in gentibus.* Potest quidem parvulus in bono interdum accipi, sed non hic. Sequitur enim: *Contemptibilis tu es valde.* Ergo parvulum dedi te, id est invidum esse ostendi te, de quo recte dixerit alia Scriptura, *parvulum occidit invidia* (*Job.* V). Invides enim gentibus, quia videlicet comparatione tui magnæ effectæ sunt gentes Christum suscipientes, et ob hoc in fide patris Abrahæ recte gloriantes. Hinc est illud: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam* (*Rom.* X). Æmularis enim et invides gentibus, videns impletum esse in eis illud propheticum: *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant* (*ibid.*). Cum ita sis parvulus, consequenter et recte *comtemptibilis tu es valde*, subauditur, propter interfectionem et propter iniquitatem et fratrem tuum Jacob, quam postmodum dicturus sum quia videlicet invidisti ut parvulus, occidisti ut invidus. Idcirco namque ita contemptibilis es, ut sis veluti Cain vagus et profugus super terram (*Gen.* IV), ejectus a facie Domini, quia sicut ille fratrem suum Abel, sic et tu Christum et prophetas ejus per invidiam occidisti. Idcirco, inquam, *tu contemptibilis es valde*, non solum Deo, verum etiam hominibus, inter quos captivus, et dispersus teneris, notam habens tui sceleris ipsam captivitatem ac dispersionem, quæ tuam iniquitatem latere non sinit. Nimirum ut ita contemptibilis fieres, præcedens culpa superbiæ causa exstitit. Dico ergo: *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde te detraham, dicit Dominus.* Et quidem ille alter Edom, cujus odium tu imitaris, qui secundum carnem diceris Jacob, ita ut littera sonat, in petris habitat. Nam omnis australis regio Idumæorum de Eleutheropoli usque ad petram et Zailam, hæc est enim possessio Esau, in specubus habitat, sed tu qui omnia quæ de Esau dicuntur, in pejus imitaris, in illa petra gloriaris, in alterius petræ habitas scissuris. Quæ est illa petra? Tuus secundum carnem pater Abraham. Hinc namque Isaias: *Attendite*, inquit, *ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua præcisi estis* (*Isa.* LI), Abraham et Saram volens intelligi. Subjungit enim protinus et dicit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos* (*ibid*). In scissuris illius petræ tu habitas, et inde superbia te extulit. Verbi gratia dum dicis, *Semen Abrahæ sumus, pater noster Abraham est* (*Joan.* VIII). Hæc et hujusmodi, superbia te extollente, dicis, scilicet superbiendo contra petram illam, quæ in fundamento posita et Abraham et cæteros omnes sanctos, qui petræ sive lapides vivi propter fidem dici merentur, portat. Nec vero dixi, aut dico, te in petra, sed *in scissuris petræ habitantem* extolli. Scidisti namque petram illam, id est carnem Abrahæ scissuris irreparabilibus, et tunc quando decem tribus scindente Hieroboam, scissæ sunt a domo David, qui possidebat hæreditatem benedictionis, quo post Abraham et Isaac simplex Jacob benedici meruit, ut de semine ejus Christus nasceretur (*Gen.* XXV), et hinc quando negasti filium David Filium Dei dicens: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Sic habitans in scissuris petræ exaltasti solium tuum, magis eligens nominari super te regnum Romanum **166**, sive nomen Cæsareum, quam regnum sive nomen pauperis Christi, cujus regnum non de hoc mundo, sed de cœlo est. Nimirum frustra decipieris, dicens in corde tuo, quis detrahet me in terram. Denique, *si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde te detraham dicit Dominus.* Exaltare nunc ut aquila, et inter sidera pone nidum tuum. Verbi gratia, dicendo: *Nos ex fornicatione non sumus nati; unum Patrem habemus Deum* (*Joan.* VIII), qui volatus animi superbientis nimis est altus; ego vero *inde detraham*, falsum comprobando et convincendo, quod non Deus pater tuus sit, sed ex patre diabolo tu sis, cujus desideria facere voluisti. Sequitur: *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te*

nunquid non saltem racemos reliquissent tibi ? Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus ? Gravissima irrisio, dicere illi, cujus omnia fures scrutati sunt,et abscondita quoque investigaverunt, *si fures introissent ad te, quomodo conticuisses ?* Quisnam ita debet irrideri nisi is qui valde est contemptibilis, ita vanus,ut cum a furibus dormiens omnino spoliatus sit, hoc ipsum adhuc nesciens quia dormivit,jactitet quod providus sit,et furis adventum toto prius mense olfacere possit ? Ut manifestior sit hujusce irrisionis modus, exemplum undecunque sumamus. Ethicus in fabula Terentiana, dum contra fratrem stomachatur eo quod filium perdat, sinendo illum amoribus vacare, taliter a servo irridetur (*Adelph.*, act. III, sc. IV, 31) :

Tu quantus quantus, nihil nisi sapientia es :
Ille futilis omnium : sineres vero illum tu tuum
Facere hæc ?

Ille respondens ait :

. . . . . *Sinerem illum ? An non sex totis mensibus*
Prius olfecissem quum ille quidquam inciperet ?

Et servus pertinaciter deludens inquit :

Vigilantiam tuam tu mihi narras ?

Tanquam diceret : Non opus est ut mihi narres : novi enim quia filius a te vigilanter custoditus est hactenus ne amaret. At ille videlicet filius,quem pater vanus tantopere se custodisse jactitabat, amori cujusdam psaltriæ totus deditus erat,sed amoris famam alius in se transtulerat. Sed omissis jam nugacibus exemplis,veniamus ad rem ac demonstremus qui fures quive latrones ad istum Edom introierunt. In psalmo gentes omnes jussæ prandere *manibus*,et jubilare *Deo in voce exsultationis,elegit nobis*, aiunt, *hæreditatem suam, speciem Jacob quem dilexit* (*Psal.* LXVI). Hæc dicendo Spiritus sanctus ad historiam mittit nos. Sicut enim Esau sive Edom,qui prior natus erat, a Deo reprobatus est et Jacob dilectus, sic Israeliticus populus,qui prius quadam familiaritate Deo acceptus erat, postmodum rejectus est ; gentes vero quæ nullam ejus cognitionem prius habuerant ejus benedictionem receperunt. Nimirum illic Jacob, et hic gentes recte fures dicuntur, non pro suo vitio, sed pro illius sive illorum improperio,quibus in mortifera negligentia dormientibus primitiva sublata sunt. Quis enim,ut inierim secundum historiam dicamus : Rebeccam et Jacob fures in illo facto dicere dubitet,præsertim cum dicat ipse Isaac pater : *Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam* (*Gen.* XXVII) ? Eadem ratione Jacob dicatur fur,qua dicitur fraudulentus. Amplius dicimus,quia Dominus ipse furi sese assimilat, dicendo : *Si ergo non vigilaveris,veniam ad te cito tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te* (*Apoc.* III). Notum utique est, quia sic dicitur, non in reprehensionem venientis, sed in subsannationem dormientis.Itaque et quando,sicut jam dictum est, *venit germanus fraudulenter,et accepit benedictionem*, conscia et cooperante matre Rebecca, tunc fures introierunt ad Edom, et quando

A contingente in Israel cæcitate,subintrans plenitudo gentium(*Rom.* XI)tulit neglectam a Judæis benedictionem, id est Christum,nihilominus,imo per amplius introierunt,imo introire non desinunt ad Edom.Diximus de furibus;de latronibus quid dicemus?Siquidem utrumque dixit,*si fures introissent, ad te, et si latrones per noctem*.Nomen latronis nusquam in Scripturis recolimus similitudinem gerere alicujus boni.Nam furi quidem,ut jam dictum est,Dominus sese assimilavit,latroni autem nunquam vel ipse vel plus aliquis assimilari debuit, cum sit nomen crudelitatis.Ergo gentes in Christum credentes,et credendo incredulum et crudelem Edom, scilicet Judaicum populum supplantes, fures fuerunt, sicut Jacob qui, ut benedictionem acciperet,fraudulenter venit;latrones autem B Scribæ et Pharisæi, qui latrocinando suam exercentes avaritiam,animas trucidaverunt ejusdem populi. Nam revera si latrones non fuissent, nequaquam Dominus præmisso, quia scriptum est : *Domus mea, domus orationis vocabitur*, diceret in eos, *vos autem fecistis eam speluncam latronum* (*Matth.* XII). Nonne illic pro latrocinando in templo et agendo prædam de populo, ad hoc pervenerunt ut animas illorum trucidarent, suadendo ut Christum interficerent ? Nonne hoc suadendo, introierunt latrones, per noctem ? Obduxerunt enim miseris nimiam deceptionis caliginem,ita ut cum essent latrones, viderentur esse consultores. Dixerunt etenim : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Ad hæc unus ex* C *ipsis Caiphas, pontifex illius anni : Vos*, inquit, *nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XI). O suavissimum consultorem,crudelissimum latronem ! Ad hæc conticuit ille Edom,id est acquievit sequens crudele consilium. Nam *ab illo die cogitaverunt ut interficerent Dominum Jesum* (*ibid.*).Recte igitur cum irrisione et joco amarissimo dicetur in eum:*Si fures introissent ad te, si latrones per noctem. quomodo conticuisses* ? Hoc enim amarius dicitur et acerbius sonat, quam si diceretur admirando,dum fures introirent ad te, dum latrones per noctem, quomodo conticuisti ? Item quod sequitur,*nonne furati essent sufficientia sibi*,multo vehementius eumdem Edom percutit,quam si ita diceretur *furati* sunt *sufficientia sibi*. Hoc de gentibus supradictis Judæos D supplantantibus secundum typum,qui in Jacob præcessit. Recte dicat spiritus propheticus,quia *furati* sunt *sufficientia sibi*, id est ea tantum tulerunt Judæis qua ad salutem sufficiant sibi.Neque enim holocaustomata arietum,et adipem pinguium,et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum (*Hebr.* IX), neque neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias, et Kalendas, cæterasque carnales cæremonias fures isti furari dignati sunt,imo respuerunt et arbitrati sunt ut stercora,sufficere sibi credentes fidem et justitiam,secundum quod sancti apostoli scripserunt eis : *Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut*

ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, et ea quæ vobis fieri non vultis, alii ne feceritis. A quibus custodientes vos bene agetis (*Act.* XV). Nimirum tale hoc est, quale est vineam introire, et racemos diligenter colligendo, sola folia relinquere. Idcirco convenienter adhuc proloquens, *si vindemiatores,* inquit *introissent ad te, nunquid non saltem racemum reliquissent tibi?* Denique vineam Domini fuisse Israeliticam gentem. **167** passim Scriptura concinit exempli gratia illud in Isaia : *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto in cornu, filio olei, et sepivit eam, et lapides elegit ex ea, et plantavit eam electam,* et cætera usque, *vinea enim Domini exercituum domus Israel est* (*Isa.* V). Nunquam sic a vindemiatoribus demessa fuit alicujus hominis vinea insensibilis quomodo ista Domini vinea vivens et sensibilis despoliata est ac furibus istis. Vindemiatores quippe, quamvis diligentes sint, nonnunquam saltem racemum inter folia latentem relinquunt. At vero fures isti sæpedicti, scilicet gentiles ad fidem vocati, et vineam legis et prophetarum ingressi, totum rapuerunt, nihilque præter folia litteræ occidentis requirunt illi tacenti et dormienti Edom. Nullum omnino jam habent reliquum vivificantis Spiritus racemum. Inde admirando percunctans, et percunctando admirans dicit : *Quomodo perscrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus,* subauditur, fures isti, qui ad eum introierunt? Quæ autem erant abscondita illius, videlicet Judaici populi, qui, ut sæpe jam dictum est, nomine et operibus præfiguratus est Edom sive Esau? Quæ, inquam, erant illius abscondita, nisi spiritualia legis et prophetarum sacramenta, qualia congrue significari potuerunt vestibus Esau valde bonis, quas apud se Rebecca domi habebat? Multum scrutati sunt, miro modo abscondita Esau fures isti investigaverunt, quando legem et prophetas spiritualiter intelligentes, pelliculis quoque hædorum manus et colli nuda portexerunt, id est priorum operum veterisque superbiæ manifestam confessionem facientes, pœnitentiam egerunt. Ista sunt abscondita Esau, ista sunt valde bona vestimenta ejus quæ Apostolus commemorans, *quorum,* inquit, *adoptatio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). Hæc omnia scrutati sunt, et investigaverunt, et ad semetipsos transtulerunt. Sequitur : *Usque ad terminum emiserunt te omnes viri fæderis tui, illuserunt tibi ; invaluerunt adversum te viri pacis tuæ ; qui comedunt tecum, ponent insidias super te.* Grandis reatus exstitit huic Edom, quod multos fœderatos habuit, grandis offensio carnali Israeli, quod toties cum profanis gentibus fœdus pepigit, prohibente Domino in lege, ac dicente : *Non inibis fædus cum eis* (*Exod.* XXIII), *neque sociabis cum eis conjugia* (*Deut.* VII), quia seducent filium tuum ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis, *irasceturque furor meus, et delebit te cito* (*Exod.* XXXIII), ita factum est. *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum* (*Psal.* CV). Hoc faciendo et perseverando, ad hoc usque pervenerunt, ut Romanæ gentis imperio nimis ultronei se ingerentes atque dicentes : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX), Christum Dei Filium regem suum crucifigerent. Multi per diversa temporum curricula taliter fœderati fuerunt hujus Edom, quibus dum similis esse contendit, prophetas et ipsum Dominum prophetarum occidit. Porro illusores veraciter, falso autem viri pacis, de quibus nunc ait, *illuserunt tibi, invaluerunt adversum te viri pacis tuæ ; qui comedunt tecum ponent insidias super te,* sacerdotes fuerunt, maximeque Annas et Caiphas, qui multo perniciosius illi populo illuserunt, suadendo ut peterent dimitti sibi Barabbam, et crucifigi Christum, quam olim illuserunt Hieroboam et sacerdotes ejus, faciendo vitulos aureos ut illos colerent, et regem suum David derelinquerent, ostendentes vitulorum pulchras effigies, ac dicentes : *Isti sunt dii tui, Israel* (*III Reg.* XII). Comedebant enim cum illo infelici Edom, et suam de illo explebant avaritiam, et ut liceret eis comedere prædamque de populo facere, idcirco sic illuserunt, idcirco insidias super eum posuerunt. Illusorum maximus jam dictus exstitit illusor Caiphas, *expedit,* inquiens, *vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XI). Notanda interim diligenter dictionis hujusce qualitas, quia non dixit, insidias ponent sub te vel contra te, sed *insidias,* inquit, *ponent super te.* Nimirum satis edici non potest, quam nequissima sit illusio, quam pertinaces in illudendo insidiæ, quando is qui suadet ut decipiatur, cum calliditate suasionis magnitudinem quoque habet potestatis, sicut habuit idem Caiphas et principes alii qui suaserunt turbis. Superbia etenim plebe superiores, scelerato populo erant sceleratiores, ad suadendum callidi, et ad provocandum factiosi. Idcirco contra illos spiritus propheticus per Isaiam dicit : *Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est Hierusalem. Dixistis enim : Percussimus fædus cum morte, et cum inferno fecimus pactum* (*Isa.* XXVIII), etc. Hujusmodi fœderati sive viri pacis usque ad terminum emiserunt te. Cujus usque ad rei terminum illum emiserunt? Nimirum usque ad terminum benedictionis, extra terminos promissionis, quæ ad Abraham facta est secundum hæc verba : *In semine tuo benedicentur omnes gentes, et Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXVIII). Extra terminos illius tantæ hæreditatis viri fœderati, viri illusores illam emiserunt, quia videlicet iniqua confœderatio illorum causa exstitit, ut emitteretur extra tantum videlicet bonum, nec reputaretur in semine, quia non erat ex fide. Nonne illum priorem Edom, sive Esau tali causa emisit usque ad terminum, ut non sequeretur benedictionem, ut non remaneret intra terminos

hæreditas, quam illi tanquam primogenito pater Isaac præscribere deliberat? Num, quia fœderatus habere voluit homines sæculi, idcirco exterminatus est extra fines supernæ benedictionis. Sic enim scriptum est : *Esau vero quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beheri Æthei, et Besamath filiam Edom ejusdem loci : quæ ambæ offenderant animum Rebeccæ* (*Gen.* XXVI). Nonne offensus animus Rebeccæ indignum judicavit filium benedictione, qui sicut prius primogenita sua propter escam vendiderat, sic et postmodum uxores ducens alienigenas concupiscentiæ servivit, quia benedictionem seminis Abrahæ contempsit? Nominatus quippe esse et in terra roborari appetens, peccatorum se affinitatibus immersit, super quibus præcavens Abraham, servum fidelem astrinxerat juramento ut *non accipias*, inquiens, *uxorem filio meo de filiabus Chananæorum* (*Gen.* XXVIII), inter quos habito. Sed nec illud prætereundum quod videns idem Esau, quod pater suus benedixisset Jacob, *probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus, fugit ad Ismaelem et duxit uxorem absque his quas prius habebat Malalehel filiam Ismael filii Abraham sororem Nabioth* (*ibid.*). Nimirum hoc erat illi magis ac magis usque ad terminum emitti et foras ejici, quod electu Ismaeli taliter se consociavit. Sic enim Sara locuta fuerat : *Ejice ancillam et filium ejus. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI). et sic factum fuerat. Secundum hanc similitudinem, ut jam diximus, propter fœderatos suos accidisse carnali Israeli Apostolus testis est, qui ad Galatas scribens : *Sed quomodo*, inquit, *tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus : non enim erit hæres ancillæ cum filio liberæ* (*Galat.* IV). **168** Nimirum et Ismael et Esau qui, secundum carnem nati, persecuti sunt Isaac et Jacob qui nati sunt secundum spiritum, typum prætulerunt carnalium Judæorum, qui spiritualem Ismaelem persequi et occidere non destiterunt, donec ipsi emitterentur, ut jam dictum est, *usque ad terminum*. Sequitur : *Non est prudentia in eo. Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes ex Idumæa et prudentiam de monte Esau? Et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de monte Esau propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob operiet te confusio, et peribis in æternum.* Cum ad ipsum Edom fieret sermo propheticus usque ad hunc locum, *qui comedunt tecum, ponent insidias super te*, auditorem quoque attentum esse et in admirationem excitari volens super his quæ dicebantur, repente conversus dicit de eodem Edom : *Non est prudentia in eo.* Vere non est in eo prudentia qui jam dictas super se positas non cavit insidias: sed favit insidiantibus sicut imprudens, sicut improvidus, bona ergo non est in eo prudentia. Cæterum jam dicti insidiatores ejus male prudentes fuerunt, sicut in eosdem per alium prophetam dictum est : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isai.* V). Item : *Sapientes ut faciant mala, bene autem facere nesciunt* (*Jer.* VI). Cum igitur dixisset, *non est prudentia in eo*, quoniam est prudentia sive sapientia quædam non bona, quæ rectius dicitur malitia, continuo subjunxit : *Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes ex Idumæa de monte Esau?* Denique sapientia sive prudentia, quæ merito perdenda judicatur, malitia sive stultitia est. Scriptum est enim : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isai.* XXIX). Hoc apud beatum Job scriptum est, cujus scripturæ cum meminisset Apostolus, continuo dixit : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (*I Cor.* I)? Et in alio loco dicit : *Nam prudentia carnis mors* (*Rom.* VIII). Item : *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo* (*ibid.*). Hæc idcirco dicta sint, quoniam aliam prudentia est quam conqueritur non esse in illo Edom, scilicet bona, et alia quam se proditurum esse dicit de monte, id est de superbia ejus, scilicet mala, quæ vero nomine dicitur malitia. Simul notandum quod cum dicit, *nunquid non in illa die perdam sapientes ex Idumæa*, de futuro tempore sese vaticinari satis indicat, quamvis hactenus verbis præteriti temporis usus fuerit. Ecce videmus, ecce mirantes legimus, legentes miramur in historiis plus quam tragicis, quam terribiliter semetipsos judicio Domini perdiderunt sapientes et prudentes illi, id est malitiosi qui secundum exemplum Esau fratrem suum simplicem Jacob odientes illos, qui vere sapientes erant et prophetæ, persecuti sunt et occiderunt, tandemque ipsum Dominum fratrem suum secundum carnem effectum, diu *tentantes, ut eum caperent in sermone* (*Matth.* XXII), ad ultimum tale consilium sapientiæ suæ repererunt, ut eum suspenderent in ligno, maledictum illum esse volentes propter hoc. Sciebant enim prave sapientes, et perverse prudentes, scriptum esse in lege, *quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno* (*Galat.* III). Verumtamen ubi scriptum hoc est, si vere saperent, si vere prudentes essent, illud quoque sapuissent, quia maledictum non fecit pœna, sed culpa. Proinde ipsam legis sententiam ponere non pigeat: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabis terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem* (*Deut.* XXI). Non tantum dixit, quando *appensus fueris homo in patibulo*, quod pœna est ; sed etiam præmisit culpam, *quando peccaverit homo quod morte plectendum est.* Hoc illi sapientes et prudentes non viderunt aut videre voluerunt, quia nimirum non erat illorum sapientia quæ illuminat, sed malitia quæ excæcat, sicut scriptum est : *Hæc cogitaverunt et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei* (*Sap.* II). *Perdam igitur*, inquit, *in illa die sapientes et prudentiam de monte*

Esau, id est Judæos terrena sapientes, et secundum A similitudinem Esau superbientes condemnabo sicut Esau, ut comprobentur insipientes, non utcunque, sed ita ut ferre non possint lumen sapientiæ. Nam hoc est, quod rursus ad ipsum conversus sermo propheticus *et timebunt fortes tui a meridie ut intereat vir de monte Esau.* Meridies hoc tempus gratia est, ex quo sol justitiæ Christus in altum ascendit, suæque divinitatis radios, id est Spiritus sancti dona diffundens mundum illuminavit et calefecit. Unde Psalmista: *In sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus. Et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII). Ab isto meridie sic timet fortes B hujus Esau, ut præfiguratum est, quando splendida facta facie Moysi *ex consortio sermonis Dei, videntes Aaron et filii ejus, timuerunt prope accedere* (*Exod.* XXXIV). Sic, inquam, timent isti fortes, id est luminis rebelles, de qualibus in psalmo scriptum est: *Et irruerunt in me fortes* (*Psal.* LVIII). Timor eorum malignus est, utpote qui ex invidentia procedit. Invident enim claritati solis hujus æterni, et quidquid de gloria ejus audivit, contra se putant dictum, qui talem exstinguere voluerunt. Inde fit *ut intereat vir de monte hujus Esau*, qui dum lumen refugiunt, eunt in interitum viri in suis viribus confidentes, in monte superbiæ caput attollentes; nec jam dici merentur viri, sed potius mulieres, juxta quod in Esaia dicit idem Dominus, *populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt ejus* (*Isa.* III). C Peccatum hujus Esau manifestius sermo propheticus exprimit, cum protinus dicit, *propter interfectionem et iniquitatem in fratrem suum Jacob, et peribis in æternum.* Si ad illas tantummodo duas respicimus personas, quæ propriis nominibus istis priores nuncupatæ sunt Jacob et Esau, littera non stabit, quia videlicet Esau fratrem suum Jacob odio quidem habuit, sed non etiam interfecit. At vero de carnalibus filiis Israel sive Judæis notum nimis est, quia fratres suos prophetas Domini, et ipsum Dominum secundum carnem fratrem suum interfecerunt, et propter hoc confusio operuit eos, et peremit in æternum. Non tantum quia interfecerunt, sed quia insurgentem credere noluerunt. Valde D quippe notandum est quod non dixit hoc solum *propter interfectionem*, sed addidit, *et propter iniquitatem in fratrem tuum.* Nulli denique nocuisset scelus interfectionis, si non perseverasset et iniquitas incredulitatis. Igitur, ut sæpe dictum est, hoc nomen Esau sive Edom cunctos significat imitatores illius primi, et nomen Jacob cunctos illius sequaces, quem ille odio habuit. Cuncta quæ in istum crudelem Edom hæc prophetia declamat ventura, concedit Psalmista ut fiant, qua justum est dum voce imprecantis dicit: *Memor esto, Domine, filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* CXXXVI).

id est qui semetipsos invicem cohortantes atque inflammantes in odium eorum, quia cœlestia sapiunt, **169** dicunt: Evacuate et auferte illa quæ sunt nobis vel moribus nostris contraria, et hoc usque ad fundamentum, id est usque ad finem, ut omnes cedant in morem nostrum. Hoc est quod illi improperat sermo præsens, cum protinus subditur: *In die cum stares adversum eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Hierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* Regnantibus Achab in Samaria et Josaphat in Hierusalem, quo tempore hic Abdias absconditus prophetas Domini paverat, tale quid fecisse legimus hunc Edom. Congregati namque sunt filii Edom cum filiis Moab, et filiis Ammon, ut pugnarent contra Josaphat. Verumtamen tunc neque ceperunt exercitum ejus ut voluerunt, neque ingressi sunt portas Hierusalem. Namque orante Josaphat ac dicente: *Nunc igitur, Domine, ecce filii Ammon et Moab, et mons Seyr nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis* (*II Par.* XX), factoque sermone Domini super Ihazihel filium Zachariæ levitam dicentem: *O Juda et Hierusalem, nolite timere, cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum* (*ibid.*), filii Ammon et Moab consurrexerunt adversum habitatores mortis Seyr ut interficerent et delerent eos. Cumque hoc opere perpetrassent etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus. Itaque veraciter quidem, quando capiebant alieni exercitum Hierusalem sive capere volebant, alieni, inquam, et extranei, scilicet filii Moab et Ammon. Edom qui et Seyr erat, quasi unus ex eis, sed, sicut jam dictum est, neque ceperunt, neque ingressi sunt portas Hierusalem.

Proinde totam visionem hanc propheticam quoniam spiritualis est, spiritualiter, ut cœptum est, persequamur, quia, sicut sæpe jam dictum est, carnalis Israel spiritualem persequens fratrem suum Israelem, et prophetas Domini occidens, ipse est Edom. Et revera quandocunque ceperunt alieni exercitum eorum, qui veraciter Israelitæ fuerunt vel sunt, quandocunque extranei ingressi portam super Hierusalem mittebant sortem, ipse Israel carnalis erat quasi unus ex eis, imo pejor atque infestior quam unusquilibet ex eis. Primum circa ipsa tempora, quibus iste prophetavit, alieni, id est Syri præliabantur adversus Israel, regibus Benadab et Azabel, sed multo sceleratius agebant intra ipsum Israel ipsi qui spiritualiter dici merentur filii Edom: *Domine*, inquit Helias, *prophetas tuos occiderunt, et altaria tua destruxerunt, et relictus sum ego solus, et quærunt animam meam* (*III Reg.* XIX). Deinde usque ad evangelica tempora, quotiescunque alieni sive extranei ceperunt, sive ingressi sunt portas Hierusalem, videlicet quando venerunt Babylonii et post illos Antiochus, et portas ejus non solum ingressi sunt, verum etiam propter testamentum Dei perseverantes multos occiderunt, viri iniqui ex ipso Israel exstiterunt qui amplius quam gentiles per-

niciosi fratribus fuerunt. Testis est tribulatio Hieremiæ (*Jer.* XXXVIII), quem Babylonii servaverunt, et suæ gentis homines tribulaverunt (*I Mach.* VII; *II Mach.* XIV); testis Machabæorum afflictio, quibus viri iniqui ex Israel, maximeque impius Alchimus, amplius quam Græcorum aliquis nocuerunt. Post hæc tam sacra Evangelia, quam apostolorum Actus testantur, quam verissime dictum sit contra istum Edom, id est carnalem Judæum, tu quoque eras quasi unus ex eis, scilicet alienis sive extraneis gentibus, quibus et Christum tradidit *ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum* (*Matth.* XX), et Christi discipulos ubique odiosos, facere contendit, seditiones concitando, et turbas inflammando quocunque ibant prædicantes Christi Evangelium. Fecerunt etenim hoc Judæi tandiu quandiu licuit eis, quandiu gens et locus eorum stetit. At vero divinitas provida, sicut alibi scriptum est, præcavens in futurum, delevit eos, et exterminavit per excidium Romanorum, et desolatæ sunt civitates eorum absque habitatore, et domus sine homine, et terra derelicta est deserta ut auferretur eis vocandi et sæviendi facultas, quibus esset pertinax et insatiabilis voluntas. Hoc certissimum habens in isto propheta spiritus veritatis, protinus constantissime dicit: *Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis ejus. Et non lætaberis super filios Juda, in die perditionis eorum, et non magnificabis os tuum, in die angustiæ, neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum, neque despicies, et tu in malis eius in die vastitatis illius, et non emitteris adversum exercitum ejus in die vastitatis illius, neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint, et non claudes reliquos ejus in die tribulationis.* Ad illud quod paulo ante dixerat, *propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob; operiet te confusio, et peribis in æternum,* conjungitur, *et non despicies in die fratris tui.* Miro autem modo hæc omnia, quæ nequissima sunt, iste Edom fecisse affirmatur, cum facturus esse negatur. Quid enim nequius, peregrinum non qualemcunque, sed peregrinum fratrem suum despicere in die peregrinationis ejus. Lætari in perditione ejus, magnificare omnes in angustia ejus, ingredi portas ejus subsiliendo in ruinas ejus, despicere eum in malis ejus, stare in exstitibus ut fugientem interficiat, sive claudat reliquos ejus. Cum Sapientiæ sit edictum, super inimicis sine odientis ruina non esse gaudendum (*Prov.* XXIV), quis non videat quam veraciter supra sit dictum, *non est prudentia in eo,* qui talem contra fratrem gerit animum? Igitur versa vice insultet illi is qui in prophetis loquitur Spiritus sanctus, irrideat eum, et subsannet qui habitat in cœlis Dominus, dicens: *Et non despicies, non lætaberis, non magnificabis os tuum,* etc. Quem enim despicere potest hic Edom, id est terrenus, scilicet Judæus, qui tam despicabilis est in toto orbe, sicut eidem supradictum est, *ecce parvulum te dedi in gentibus,* contemptibilis tu es valde (*Jer.* XLIX). Perdidit locum et gentem: quem si non perdidisset, despicere, et os suum magnificare, imo et interficere non desisteret, sed utique captivus est. Nunc diligenter animadvertendum quot vel quantis nominibus, cum dixisset *in die fratris tui,* diem eumdem descripsit et illustravit. Septem quippe dies uni diei subordinavit, dum præmisso, *non despicies in die fratris tui,* subjungit, *in die peregrinationis ejus, in die perditionis, in die angustiæ, in die ruinæ, in die vastitatis,* itemque *in die vastitatis, in die tribulationis.* Nimirum septenario numero multitudinem cunctarum significat miseriarum sive tribulationum, quas sustinet frater ille simplex et lenis, sive mitis et humilis corde, quicunque vivit secundum exemplum Christi, quicunque vivit in hoc die vel tempore peregrinus in præsenti sæculo, quod septem diebus volvitur. Hunc eumdem numerum tribulationum apud beatum Job legimus: *In sex,* inquit, *tribulationibus, liberabit te, et in septima tanget te malum* (*Job.* V). Septenario quippe, ut jam dictum est, numero, tribulationum significatur universitas, quas in hoc sæculo sancti patiuntur, quarum septima, id est eum, ultima cujusque electi tribulatio certam consolationem habet, sicut in conditione sæculi septimus dies vesperam non habet. Diem igitur fratris quem Edom persequitur, septiformiter distinctum legentes, non frustra factum arbitremur, qui *civitatem hic manentem non* habens (*Hebr.* XIII), peregrinatur; *qui animam suam perdidit* propter Deum sive propter Christum ut *inveniat eam* (*Job.* XIII); qui angustiatur spem habens **170** quia stabit *in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt* (*Sap.* V); qui ruinam patiens præsentium bonorum, patienter sustinet propter spem futurorum; qui despicabilis videtur, in vastitate sua, errando *in solitudinibus, in montibus et in speluncis, et in cavernis terræ,* ut testimonio fidei probatus inveniatur; qui item vastitate quadam desertus videtur, dum occiditur, et respiciens ad dextram sive ad sinistram, et non invenit a quo defendatur; qui fugit et non invenit qui occurrat, vel apud quem possit latere securus. Poterat dicere, sed et talis dies fratris tui, dies peregrinationis ejus, dies perditionis, quæ vera tibi videtur perditio, dum *perdit animam suam, ut inveniat eam,* non diu permanebis. Hoc, inquam, dicere poterat, et quamvis non dixerit, tamen subaudiendum est. Sequitur enim: *Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes.* Hic quoque cum dicit *super omnes gentes,* subaudiendum est, et primum super te. Nam protinus sequitur: *Sicut fecisti sic fiet tibi, retributionem tuam convertit in caput tuum.* Ac si dicat: Interim antequam finiatur dies peregrinationis fratris tui, antequam veniat super omnes gentes ille magnus dies Domini, scilicet dies judicii, tu hic in isto sæculo vindictam recipies publicam, audientibus, videntibus atque admirantibus gentibus cunctis, ut despicere jam non possis, imo despicabilis sis, et omni populo Christiano peregrinante et angustiam patiente, licet claudatur et

interficiatur, valde contemptibilior sis. Post hanc privatam atque propriam portionem tuam communem sortieris vindictam cum gentibus cæteris in illa, quæ juxta est, die Domini, die judicii, die amara, *die tribulationis et angustiæ, die calamitatis et miseriæ, die tenebrarum et caliginis, die nebulæ et turbinis, die tubæ et clangoris*, sicut propheta Sophonias dicit (*Soph.* I). Quibus ex enuntiationibus illius diei tam terrificis præcedentem conjungas, qua dicit vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, ecce totidem vicibus, id est septies declamatam habes diem vindicis Domini in consolationem hujus fratris, cujus diem in quo tribulatur, septies ille declamavit. Quapropter quoniam iste de quo loquimur Edom et primum singularem, sive privatam perpessurus erat ultionem a gentibus Romanis, et deinde universalem cum cæteris gentibus in die judicii, pulchre sic dictum est *sicut fecisti, sic fiet tibi*, et deinde repetitum, *tribulationem tuam convertet in caput tuum.* Quid enim est dicere, *sicut fecisti, sic fiet tibi*, nisi secundum merita tua retribuetur tibi? Attamen addidit, *retributionem tuam convertet in caput tuum*, quia videlicet hujus Edom terreni et sanguinolenti, quod Christum et Christi prophetas occidit, duplex est retributio, duplex contritio, secundum et alium prophetam, qui cum dixisset : *Induc super eos formidinem* (*Jer.* XVII), subauditur, qua formidaverunt dicentes, *ne forte veniant Romani, et tollant nostrum et locum et gentem* (*Joan.* XI), ut fiat eis sicut formidaverunt, non contentus hac sola retributione, et æternam adhuc intendens eisdem incredulis atque impœnitentibus, *et duplici*, inquit, *contritione contere eos, Domine Deus meus* (*Jer.* XVII). Hoc dicto ad istum Edom, convertitur ad eos de quibus et propter quos loquebatur, qui primum ab isto et deinde a cæteris gentibus tribulantur, et dicit eis, confirmando quod dixerat in consolatione eorum, *quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes. Quomodo enim bibisti super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter, et bibent, et absorbebunt, et erunt quasi non sint.* Hæc si adhuc ad ipsum Edom dicuntur, hunc sensum habent : Sicut enim super montem sanctum meum Sion bibisti, atque in perditione sive ruina filiorum Juda lætatus es, sic omnes gentes versæ contra te bibent, et de malis tuis satiabuntur. Si autem ad ipsos, qui ut supra dictum est, tribulantur ab impiis in hoc sæculo, in consolationem ipsorum dicta intelligere malumus, sensui nostro succurrit illud ex Isaia : *Elevare, inquit, elevare, consurge, Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, et usque ad fundum calicem soporis bibisti, et potasti usque ad feces* (*Isai.* LI). Et subinde : *Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ. Non adjicies, ut bibas illum ultra, et non ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt* (*ibid.*). Igitur quomodo bibistis vos omnes, quorum de perditione inimici lætati sunt, sive tu frater qui despiceris, qui et diceris Hierusalem : *Hæc est*

A universa *generatio quærentium Dominum* (*Psal.* XXIII), quomodo, inquam, bibisti, permittente Deo affligi, sic bibent omnes gentes persecutrices, æquam, imo duplam computationis vicissitudinem recipientes, sicut in Apocalypsi prænuntiatur contra Babylonem, quæ istarum gentium universitas est : *Reddite illi, sicut ipse reddidit vobis, et duplicate duplicia secundum opera ejus* ; *in poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplum* (*Apoc.* XVIII). Bene ergo cum dixisset hic, *quomodo bibistis super montem sanctum meum*, id est persecutionem passi estis propter nomen meum, *bibent omnes gentes*, addidit *jugiter*, quia videlicet non tam de retributione temporali, quam de æterna sermo est; et hoc ipsum repetitur atque amplificatur, dicendo, *bibent et absorbebunt, et erunt quasi non sint.* Duplum enim, ut jam

B dictum est, miscebitur illis, quia videlicet durum et amarum sanctis poculum miscuerunt, verumtamen tantum corpus occiderunt. Ipsis autem miscebitur, ut et corpus et anima mittantur in gehennam. Ita non quomodocunque bibent, sed totum damnationis judicium (quod est in calice iræ Domini) ore patulo et grandi absorbebunt usque ad fundum. Cum hoc evenerit, tunc *erunt quasi non sint.* Erunt enim per substantiam quidem, sed non erunt per ullam possibilitatem. Nam persequi ultra non poterunt, regno Dei nullum facient scandalum. Econtra, sanctorum vera et felix erit essentia. Unde protinus sequitur : *Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus.* Mons Sion illa gloriosa est civitas Hierusalem cœlestis, de qua David : *Fundamenta ejus*, inquit

C *in montibus sanctis, gloriosa dicta sunt de te civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). In illa Sion *erit salvatio, et erit sanctus*, ipse videlicet Christus, quia est salus et Salvator ejus. Quomodo erit in ea iste Sanctus? Multum bene, multum feliciter, quia permanebit in sempiternum particeps naturæ ejus, qui est conditor sive fundator ejus, sicut in psalmo memorato scriptum est : *Et homo natus est in ea. Et ipse fundavit eam Altissimus* (*ibid.*). Illud est Salvatoris Sion, ejus commutabilitas erit, quia videlicet et de ipsa civitate Sion, sive Hierusalem alibi scriptum est: *Cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI), et ipse Sanctus dicit : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III). Adversa nimirum hæc est oppositio, quia gentes sic erunt quasi non sint. Sanctus autem erit, et salvatio civitas ejus

D erit, tali essentia quæ nullis casus subjacebit, nullum finem habebit : *Et possidebit domus Jacob eos, qui se possederant. Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula, et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.* Mira invectione sermo propheticus nomen Esau, qui et Edom, persequitur. Prius contra illum loquebatur, et paulisper cæterarum quoque pronuntiata damnatione gentium, **171** rursus nunc in illam invehitur. Malæ nimis memoriæ, et in Scripturis sanctis hoc nomen Edom, plus quam alicujus cæterarum gentium. Exempli

gratia, in psalmo cum dicit Davi : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus* (*Psal.* CXXXVI), per Babylonem gentes omnes volens intelligi, quarum in medio omnes sancti cives regni Dei, dum in corpore vivunt, tenentur captivi, quid tibi acerbius sonare videtur, utrum illud quod universaliter de Babylone, an id quod singulariter de Edom conqueruntur? Denique de Babylone, sive ad ipsam Babylonem mitior sermo est: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus.* Itemque : *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis* (*ibid.*). At vero de isto Edom non ita parce aut suaviter conquestio deprompta est. Saucius animus dolorem suum acerrimum non ferens, spiritum de profundo suscitat, vocemque altius in cœlum sublevat ad eum qui solus laborem et dolorem considerat. *Memor esto*, inquiens, *Domine, filiorum Edom in die Hierusalem* (*ibid.*). Acerbius namque fertur vulnus, quod a fratre (unde consolatio contra cæteros sperari debuerat) infligitur. Sic Jacob, quando illum in persona sua persequebatur germanus suus Edom (*Gen.* XXVII) ; sic Joseph, quando a fratribus suis venditus est (*Gen.* XXXVII) ; sic sancti prophetæ et apostoli, quando a contribulibus suis Judæis persecutionem passi, et occisi sunt; sic Christiani catholici, quando ab hæreticis, falsis utique fratribus, tribulantur amarius atque acerbius patiuntur, quam cum ab exteris gentibus cum quibus nullam generis aut professionis habent communionem, infestantur. Hinc est illud : *Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis* (*Psal.* LIV), etc. Nunc ordinem persequamur. *Et possidebit*, inquit, *domus Jacob eos, qui se possederant.* Ita possessio non in bonum intelligitur eorum qui possidentur. Sequitur enim : *Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula, et succendentur in eis, et devorabit eos.* Malo ergo suo possidebuntur, videlicet quomodo stipulam possident ignis et flamma. Talis possidentium eminentia potestas judiciaria est. Denique in judicio persecutores suos fratres falsos consumment sancti omnes, quorum exemplaria prima fuerunt patriarcha Jacob, et filius ejus Joseph, in eo quod alter eorum persecutionem passus est ab ipso fratre, qui nomine et re fuit Esau ; alter vero a fratribus suis, qui non est quidem nomine, sed et re imitatione fuerunt Esau. Quomodo isti possederunt Jacob, id est Dei servos, isti, inquam, scilicet persecutores, falsi fratres, quorum prima, ut jam dictum est, exemplaria fuerunt, ille Rebeccæ primogenitus Esau et illi fratres Joseph ? Videlicet crudeli invasione possederunt eos, suo tempore Judæi, et suo tempore hæretici. Habendo potestatem occidendi, et de civitate in civitatem persequendi eos. *Possidebit* ergo *eos domus Jacob*, id est servorum Dei universitas, possessione condigna, non ut eis utantur, sed ut illi confundantur et ad judicium

A oris eorum ignis perpetuo tradantur. Hoc est enim quod ait: *Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula*, quæ nimirum valde congrua confirmatio est. Nam quia ignis flammam generat, Jacob qui generavit ignis, et Joseph qui ab illo generatus est, flamma dicitur; ipse autem Esau, qui in terra radicatus est, secundum infimam partem benedictionis, dicente patre, in pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua (*Gen.* XXVII), stipulæ comparatur, cujus viror omnis pertransiit, et species emarcuit, et ad nihil utilis est nisi ut tradatur igni. Sicut omnes sancti veteris testamenti recte dicantur ignis, et omnes sancti novi testamenti, ex quo venit Christus cujus figuram Joseph tenuit, recte vocentur flamma : nam perse-
B cutores eorum, similes Esau erunt stipula, *et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.* Ob magnum sententiæ firmamentum ita conclusit, *quia Dominus locutus est*, ut subaudias, cujus locutio vel sermo veritas est, et quod loquitur infectum esse non potest, quemadmodum ait ipse, futurum prænuntians judicium : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV). Sequitur *Et hæreditabunt hi, qui ad austrum montem Esau, et qui in campestribus Philistiim, et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ, et Benjamin possidebit Galaad; et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel omnia Chananæorum usque ad Sarep
tham; et transmigratio exercitus hujus Hierusalem, quæ in Bosphoro est, et possidebit civitates Austri.
C *Et ascendent salvatores in montem Sion, judicare montem Esau, et erit Domino regnum.* Cuncta hæc juxta litteram adimpleta esse, nulla testatur historia, videlicet quod carnalis Israel, sive Judæus post hanc prophetiam possederit montem Esau; sed nec vel istud vel cætera quæ sequuntur tanta esse potuerunt (si tamen unquam acciderunt) ut dignatus fuerit Spiritus sanctus ea prænuntiando, propheticam implere tubam toto orbe audiendam. Maxime de eo quod ait, *et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel possidebit omnia Chananæorum usque Sarephtam*, si simplicem sequamur litteram stare non potest, quia videlicet certum est quod nunquam acciderit neque accidere debuerit, ut captivitas decem tribuum quæ tunc imminebat, quæ in Assyrios
D transmigraverunt, revocaretur, et omnia Chananæorum possideret. Neque enim contrarius sibi esse poterat Spiritus propheticus, ut in isto promitteret quod in alio denegasset, scilicet in Osee dicendo : *Voca nomen ejus absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor* (*Ose.* I), id est filios Juda de Babylonica captivitate post annos septuaginta revocabo. Sed nec transmigrationem Hierusalem in Bosphoro unquam fuisse legimus, quæ regio est maris septentrionalis, ut secundum litteram, *et transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri.* Cuncta ergo, quia spi-

ritualia sunt, spiritualiter examinantes, promissionum istarum primo numerum consideremus, quia septem sunt. Prima est, *et hæreditabunt hi qui ad austrum montem Esau;* secunda *et qui in campestribus Philistiim;* tertia, *et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ,* tertia, *et Benjamin possidebit Galaad;* quinta, *et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel omnia Chananæorum usque ad Sareptham;* sexta, *et transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri;* septima, *et ascendent salvatores in montem Sion, judicare montem Esau.* Istæ septem salutares atque consolatoriæ promissiones laudem Domini complent, dicendo : *Et erit Domino regnum.* Erant autem superius totidem, id est septem dies miseriarum, conscriptæ adversus hunc sæpedictum persecutorem fratris Edom, ubi præmisso, *et non despicies in die fratris tui,* subjuncta est septiformis descriptio diei ejus, dicendo : *In die peregrinationis ejus, in die perditionis, in die angustiæ, in die ruinæ, in die vastitatis, in die tribulationis* ejus, quia videlicet descriptio diei taliter completa est, *quoniam juxta est dies Domini.* Igitur quemadmodum illic **172** in septenaria repetitione diei, id est temporis quo sancti in hoc mundo peregrinantur, universitatem intelligimus malorum quæ patiuntur, ita et hic in septem istis promissionibus universitatem perpendimus consolationum, quibus a Domino inter omnes vel post omnes pressuras consolantur. Et istæ promissiones sunt adversus eumdem Edom, id est Judaicum populum, interfectorem fratris, scilicet Domini et sanctorum prophetarum. Ille namque propter causas multiplices quamvis consimiles, dicitur hic, et Esau et Philistiim, et Ephraim, sive Samaria, et Galaad, et Chanaan. Ipsi autem sancti similiter, propter causas multiplices, id est gratiarum divisiones, et habitare ad austrum dicuntur, et esse in campestribus, et nominantur Benjamin, et exercitus filiorum Israel, et Hierusalem cujus transmigratio sit Bosphoro, et salvatores, quibus pro re nomen suum communicet Jesus Christus, summus et unicus Salvator. Dicamus ergo, et hæreditabit, inquit, qui ad austrum montem Esau verus Jacob, id est supplantator Judaici populi, qui dicitur Edom sive Esau, ad austrum, quem sancti Spiritus gratiam intelligimus, habitat. Ille autem in monte se subrigit, *dum justitiam suam volens statuere justitiæ Dei non est subjectus* (*Rom.* x), secundum similitudinem germanorum illorum, quorum alter, videlicet Jacob, domi cum Rebecca matre habitabat, quæ sancti Spiritus gratiam significat; alter vero, scilicet Esau, in montibus et saltibus se exercebat, *vir gnarus venandi, et homo agricola* (*Gen.* xxv). Quomodo ille cum matre habitans, benedictionem hæreditavit et primogenita fratris, ita Christi discipuli sancti Spiritus securi gratiam, hæreditaverunt ablatum Judæis regnum Dei, ut facerent fructus ejus (*Matth.* xxi), sicut in Evangelio prædixit eis ipse Dominus. Proinde ad austrum habitare dicuntur, id est ad meri-

A diem, per quem sapientiæ clara lux intelligitur. Sequitur : *Et qui in campestribus Philistiim,* subauditur *hæreditabunt.* Ipsi qui in nomine Esau denotantur, ut in monte superbiæ sunt, volendo *justitiam suam statuere* (*Rom.* x), sicut jam diximus, recte et Philistiim dicuntur pro eo quod a gratia exciderunt, dum ex operibus legis et sine fide Christi sese justificari arbitrantur. Philistiim namque *potione cadentes* interpretantur. *Dominus* enim *miscuit illis,* videlicet Judæis, *spiritum vertiginis* (*Isai.* xix), dando illis, ut Apostolus meminit, *spiritum compunctionis, oculos ut non videant et aures ut non audiant* (*Rom.* xi), *et facta est mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem et in scandalum* (*Psal* lxviii).

Porro in campestribus habitantes hi sunt humiB les, quibus pro humilitatis gratia datus est intellectus ut intelligant Scripturas, et spiritualiter intelligendo non de sua, sed de Dei confidant justitia. Isti ex fide justificati obtinent Philistiim secundum mysticam victoriam David, qui Philistæum percussit, mittendo unum de quinque lapidibus in frontem ejus (*I Reg.* xvii), per quem videlicet unum lapidem una fides Jesu Christi figuratur, in qua sola justificamur, quæ et in quinque libris Moysi mystice et figurative prædicatur. *Et possidebunt,* ait, *regionem Ephraim et regionem Samariæ Ephraim,* ex qua tribu Hieroboam scidit Israel a domo David, et vitulos aureos pro Deo colendos instituit. Hoc etiam loco Scribarum et Pharisæorum cœtus recte intelligatur, qui populum adversum verum David Christum C Filium Dei concitaverunt, et mendacium suum contra veritatem evangelicæ fidei excogitare non destiterunt. Similiter *Samaria,* quoniam, ab eodem Hieroboam, in peccatum illud seducta regnum habuit divisum, contra regnum Davidicum, divisum significat a Christo populum Judaicum, sic a senioribus et principibus sacerdotum seductum, quomodo seduxit Samariam ille de tribu Ephraim rex Hieroboam. Regionem igitur Ephraim et regionem Samariæ possidebunt, id est, malitiam tam principum quam populi superabunt habentes sanctum consilii Spiritum, ad destruenda consilia quæ contra Dominum cogitaverunt, et eosdem in die judicii condemnabunt. *Et Benjamin possidebit Galaad. Galaad,* mons ad quem septimo die profectionis e Charis Jacob profugus venit, a quo monte et civitas in ea condita D vocabulum sortita est. In illa maxime idololatria regnabat. Unde et in Osee scriptum est : *Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine, et quasi fauces virorum latronum* (*Ose.* vi). Porro Benjamin interpretatur *filius dextræ.* Igitur *Benjamin possidebit Galaad,* id est habentes spiritum fortitudinis non solum Judaicum perfidiam, sed et cuntos idololatras juste judicabunt, contra quos fortiter usque ad mortem certaverunt. *Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel omnia Chananæorum usque ad Sareptham.* Filii Israel filii promissionis, omnes electi sunt illius prioris populi, quorum Israel patriarcha, qui et Jacob secundum carnem pater exstitit, quo-

rum apostoli fuerunt optimi. Chananæi vero secundum hoc ipsum nomen, quod est Chanaam, et interpretatur *motus eorum*, hi sunt qui moto pede per superbiam ceciderunt, etiamsi ex eadem carne orti sunt, testante Domino cum dicit in propheta : *Pater tuus Amorrhæus et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI). Amorrhæus namque et Cethæus filii Chanaan fuerunt, Judæi autem secundum carnem filii Israel sunt, et tamen Judæo per prophetam illud improperatur. Porro Sareptha oppidum est Sidoniorum, qui et ipsi Chananæi sunt in via publica situm, ubi quondam vidua pavit Eliam. Cujus videlicet viduæ mysterium in schola Ecclesiæ Christi notum est, in eo quod ait : *En colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam panem mihi et filio meo* (III *Reg.* XVII). Itaque *transmigratio*, inquit, *exercitus hujus filiorum Israel*, id est apostoli Christi veraciter filii Israel, populum suum populum Judaicum se repellentem relinquentes et ad gentes transmigrantes, Chananæos qui se dicunt Judæos condemnabunt, et eorum judices erunt; gentibus autem salutem administrabunt, ita ut impleatur per eos illud quod in illa vidua Sarepthana fuit præfiguratum, sicut et Dominus terribiliter innuens, ore proprio locutus est : *In veritate dico vobis multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus et mensibus sex, et ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sareptham Sidoniæ ad mulierem viduam* (*Luc.* IV). Ecce et nunc et usque ad finem sæculi Elias, quod interpretatur *Deus meus*, scilicet Dominus Jesus Christus, apud istam viduam pascitur et pascit hydriam farinæ ejus, id est modicum scientiæ quod per naturam habere poterat gentilitas, multiplicando per spiritum scientiæ spiritualis, et coquendo per mysterium crucis cujus sacramentum meditatur, profecto duo ligna colligit, et vitalem de Scripturis panem facit. *Et transmigratio Hierusalem quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri.* Hierusalem in Scripturis non ignotum est significare Ecclesiam, quæ est

A civitas cœlestis. Hujus nimirum maxima portio fuit a vero sole remota in errore gentilitatis ante adventum Salvatoris, et idcirco recte intelligitur per transmigrationem quæ in Bosphoro est. Bosphorus enim, sicut jam superius dictum est, regio est maris septentrionalis, quo transmigrationem terrenæ Hierusalem fuisse abductam nulla Scriptura meminit. *Possidebit* ergo *civitates Austri*, id est **173** meridiei, quod nunc videmus fieri, dum plenitudinem veri luminis et caloris possident, qui prius erant absque notitia Dei, obscuri et frigidi; quod tale est ac si de septentrione tranferantur homines ad meridiem, civitates lucidas habitaturi, propitio Deo, qui sola gratia et pietate sua gentes visitavit. *Et ascendent salvatores in montem Sion, judicare*

B *montem Esau.* Salvatores recte dicuntur hi, per quorum ministerium conversi peccatores salvantur, juxta quod apostolus Jacobus dicit : *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus a morte* (*Jac.* V). Hoc maxime post Christum apostoli fecerunt, per quorum prædicationem gentes ab errore viæ suæ conversæ sunt. Salvatores igitur sunt, et ipsi ascendent in montem Sion, judicare montem Esau, id est, *sedebunt super sedes duodecim judicantes duodecim tribus, Israel* (*Matth.* XIX), qui videlicet carnalis Israel, ut sæpe diximus, propter hoc ipsum quod infidelis et persecutor est fratris, dicitur et est Esau. Illorum mons, in quem ascendent, Sion dicitur, et eminentia virtutum est. Hujus autem Esau mons superbiæ tumor est. Illius exspectatio judicii plena

C timoris est. *Et erit Domino regnum; Domino*, inquam, cujus hæc omnia dona sunt, quod sancti sic hæreditabunt, sic possidebunt, sic judicabunt, et post judicabunt, et post judicium in regno æternæ mensæ ejus participes erunt juxta illud fidele ejus promissum : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc.* XXII).

PROLOGUS RUPERTI IN JONAM PROPHETAM.

174 Anima quæ Christum quærit, intentionem suam cur illum quærat hac voce depromit : « Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer, et jam me nemo despiciat? » (Cant. VIII.) Magnæ enim despectionis sibi conscia, suoque judicio multum despicabilis, ac despecta per hunc solum se nobilem, et inclytam fieri confidit, si talem dilectum invenire, apprehendere, et deosculari meruerit, non tantum intus in secreto conscientiæ cubiculo, verum etiam foris, id est ita ut ad amicos quoque dilecti illius perveniat, quod illum viderit, quod agnoverit, quod in eum crediderit, quod eum dilexerit. Denique jam tunc despicabilis esse non potest in oculis Dei Patris, in conspectu amicorum, videlicet angelorum et hominum sanctorum. Ubi autem vel illa quærit, aut quærere debet, ubi ille invenitur aut inveniri potest, nisi in Scriptura, maximeque prophetica, quæ utique verbum Domini est? Ibi quæritur et invenitur, quia profecto, qualis sit ille dilectus, prophetæ testantur. Et in aliis quidem citius, in aliis difficilius invenitur. In Jona vero, quem nunc ingredi cupimus; manifestissime claret quod miraculum in illo celebratum fuerit præconium ejus. Ipse enim ore proprio dixit, et totus orbis audivit : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus (Matth. XII). » Igitur et hunc prophetam tanto alacrius ingrediamur, quanto clarius atque pulchrius in eo Christi testimonium novimus, quem in Scripturis legis et prophetarum quærere propositum habemus, obsecrantes ut, qui typus est Salvatoris, et tribus diebus et noctibus in ventre ceti moratus, præfiguravit Domini resurrectionem, nobis quoque fervorem obtineat, sanctique Spiritus gratiam secundum hoc ipsum nomen suum, quod est Jonas, interpretatur enim columba. Et quis nesciat sæpe in

Scripturi- per columbam sancti Spiritus gratiam significari? Maxime quia super Dominum nostrum idem Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit (Luc. III). Cæterum totum hunc prophetam ad intelligentiam referre Salvatoris, quod fugerit, quod navim ascendens naulum dederit, quod dormierit, laboriosum, et ut ante nos dictum est, sudoris est maximi. Verumtamen quanto difficilius, tanto et pulchrius fieri posse speramus, cooperante secundum beneplacitum suum digito Dei. Labor attentus splendida de obscuris mysteria Christi proferre tentabit.

IN JONAM PROPHÆTAM

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

175 CAPUT I. — *Et factum est verbum Domini* A *ad Jonam filium Amathi, dicens: Surge et vade in Niniven civitatem magnam, et prædica in ea, quia ascendit clamor malitiæ ejus coram me.* Mirentur fortasse grammatici quod per conjunctionem sic incipit *et factum est verbum Domini*, cum de littera nihil præcesserit. Nos autem, si causam attendimus cur Jonas ad gentes missus sit prædicare illis, non miramur. Nam non solum bene, verum etiam mirabiliter et gravissime sonat auribus nostris initium hujusmodi. Quæ enim causa exstitit? Illa nimirum, quia filii Israel prophetas Domini non audierunt. Tot prophetæ missi sunt, tot mirabilia facta sunt, toties prænuntiata est illis captivitas propter multitudinem peccatorum, nec unquam pœnitentiam egerunt. Neque enim saltem unius B regis tempore vitulos aureos colere cessaverunt, et ne unus quidem ex omnibus regibus decem tribuum recessit a peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel (*III Reg.* XII). Ut de cæteris taceam, Elias missus in sermone, et spiritu Domini mira multa fecit, et nequaquam effecit, ut relinquerentur vituli illi, licet propter signa tandem hoc obtinuerit, ut sciret populus quod Baal non esset Deus clamaretque: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus* (*III Reg.* XVIII). Successit illi discipulus Elisæus; qui et pro hac intentione ut populum revocaret, plura quam ille fecerat volens signa facere: *Obsecro*, inquit, *ut fiat spiritus tuus duplex in me* (*IV Reg.* II), factumque est quod petivit. Nam si rite numeres, Elias quidem octo, Elisæus vero C sedecim signa fecit, et hoc duplum fuit. Post hæc mortuus est; et sicut ante mortem, ita et post mortem ejus vitulorum cultus in Israel perseveravit. Mirabatur autem Dominus, et tædebat eum super Israel, sciens quod si ad gentes mitteret, multo faciliores ad credendum eas inveniret. Unde ad quemdam illorum taliter locutus est: *Fili hominis, vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi sermonis et difficilis linguæ tu mitteris ad domum Israel, neque ad populos multos, et profundi sermonis, et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te. Domus autem* D *Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me* (*Ezech.* III). Experimento illud comprobari decebat, quod taliter Dominus in vituperationem Israelis gentes de facilitate audiendi et credendi præferebat. Ad hujus experimenti ministerium electus est hic Jonas, cujus post mortem Elisæi, taliter Scriptura libro Regum mentionem fecit. Ipse videlicet Hieroboam filius Joas filii Jehu regis Israel restituit terminos Israel ab introitu Hemath usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi prophetam. Igitur dum per conjunctionem incipit dicendo: *Et factum est verbum Domini ad Jonam*, ad ea nos mittit quæ jam diximus, ut sit sensus: Filii Israel non audierunt quæ præceperat Dominus, mittens ad eos in manu servorum suorum prophetarum, sed induraverunt cervicem suam, et tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, et irritaverunt eum, et idcirco *factum est verbum Domini ad Jonam: Surge*, inquiens, *et vade in Niniven civitatem magnam, et prædica in ea*, quatenus in comparatione gentium damnabilis Israel amplius ostenderetur. Et idcirco judicium Domini tradentis vel tradituri illos in captivitatem irreprehensibile comprobaretur, Ninivitis pœnitentiam agentibus, filiis autem Israel in impœnitentia persistentibus. Hic Jonas dicitur filius Amathi, id est *veritatis.* Tradunt enim Hebræi hunc esse filium viduæ Sareptanæ, quem Elias propheta mortuum suscitavit, matre postea dicente ad eum: *Nunc cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est* (*III Reg.* XVII). Et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum filium Amathi. Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat. Et ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. Porro, quod ait Dominus: *Quia ascendit clamor malitiæ ejus coram me*, hoc ipsum est quod in Genesi dicitur: *Clamor Sodomæ et Gomorrhæ multiplicatus est* (*Gen.* XVIII). Et ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* IV).

176 Nunc jam, quoniam Jonas iste missus ad Niniven typus est Salvatoris mittendi ad gentes, dicendum est, quando, ubi vel quomodo factum sit ad eum verbum Domini, qui utique ipse secundum divinitatem vocatur, et est verbum Domini. Si quæris ubi, nimirum ad fluenta Jordanis; si quæris quando, videlicet prædicante Joanne et baptizante baptismum pœnitentiæ; si quæris quomodo, utique apertis cœlis, et descendente in eum Spiritu sancto

in specie columbæ, simulque personante voce Patris : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Luc.* III). Tunc, inquam, et taliter factum est ad eum verbum Domini, quemadmodum et ipse ore proprio confirmavit : *Veniens* quippe *Nazareth, ubi erat nutritus, intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam, et surrexit legere, et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi erat scriptum* : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et hæc Scriptura*, inquit, *hodie impleta est in auribus vestris* (*Luc.* IV). Unde quod Spiritus sanctus super eum in specie columbæ descendit ; pulchre ipso quoque nomine figuravit eum Jonas. Interpretatur enim *columba*, ut jam dictum est, interpretatur etiam *dolens*. Quæ nimirum interpretatio et ipsa nihilominus ad mysterium pertinet, quia ipse est, quem Isaias virum dolorum prænuntiavit, et scientem infirmitatem subjungens : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII). Ab ipso baptismo pœnitentiæ, quem susceperat, jejunium ingrediens (*Matth.* IV), deinde prædicando, et persecutiones sustinendo pœnitentiam continuans, et pro nobis dolens, et dolores nostros usque ad patibulum crucis portans. Nunquid autem nesciebat quibus pauperibus evangelizare, quibus captivis remissionem mitteretur prædicare ? Nunquid nescire poterat quod ad gentes pertineret suæ prædicationis officium, quod scire et prænuntiare prophetæ potuerint ? Et novissimus ille Simeon, qui dixit eum salutare Domini paratum ante faciem omnium populorum : *Lumen ad revelationem gentium* (*Luc.* II). Attamen ad gentes tunc ire noluit imo et discipulos ne irent prohibuit dicens : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* X). Et mulieri Chananææ clamanti post se non cito respondit (*Matth.* XV), sed tantummodo Judæis prædicavit, excepto quod in Samaria *duos dies mansit* (*Joan.* IV). Sequitur ergo : *Et surrexit Jonas ut fugeret in Tharsis a facie Domini.* Dure quidem sonat, neque Salvatori convenire videtur quod dicitur, *ut fugeret Jonas a facie Domini.* Sed si fugientis intentionem consideres, nec in ipso propheta valde est fuga reprehensibilis, quia non eam fidelitas, sed pietas fecit. Condolebat enim pio affectu suæ, id est Hebrææ genti, eo quod in condemnationem ejus mitteretur ad prædicandum Ninivitis, ut in comparatione Israelis justificarentur Assyrii, et in comparatione Assyriorum condemnatus Israel perpetuæ traderetur captivitati. Non gentium salutem oderat, sed suæ gentis damnationem timebat, atque idcirco fugiens non multum Deo displicebat. Imo propter pietatis magnitudinem valde complacebat. Magis displicere potuisset, si non doleret, sicut Moyses non displicuit dicendo : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII). Nec Apostolus optando esse anathema a

A Christo pro fratribus suis (*Rom.* IX), sic et iste taliter fugiendo non displicuit, quod maxime rerum exitus comprobavit. Quis enim omnium prophetarum tanto glorificatus est miraculo, tam mirabili Christi mortem atque resurrectionem præsignavit exemplo ? Igitur quod illis non valde vituperabiliter fecit fugiendo a facie Domini, Christum Dominum laudabiliter fecisse, aliquo modo res manifesta innuit. Nam hic non quidem per inobedientiam unquam fugit, sed pietatis affectu condemnationem suæ gentis ad tempus refugit. Testes sunt illæ lacrymæ quas fudit, *videns civitatem* et flens *super illam*, atque *dicens* : *Quia si cognovisses et tu* (*Luc.* XIX), et cætera. Testis, inquam, ille est fletus, quam veraciter judicium divinitatis quod suæ genti
B imminebat, refugere voluisset humanitatis affectu. Novit enim et nosse debet Christiana fides, quod in uno eodemque Christo sicut duæ sunt naturæ, altera divinitatis, altera humanitatis, ita et duæ erant voluntates sive operationes. Voluntas divinitatis erat relinquere Judæam, et tradere Hierusalem in manus hostium. Voluntas erat humanitatis, ut liberaretur sua gens vel civitas Hierusalem, et tam miserabile non pateretur excidium. Illa justa, hæc voluntas erat pia. Porro divinitatis voluntatem præcedere, humanitatis autem subsequi conveniebat. Obedienter ergo concedens, cum dixisset : *Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVII), nolens gentem suam propter mortis suæ scelus interire, subjunxit protinus : *Verumtamen*
C *non sicut ego volo, sed sicut tu* (*ibid.*). Et iterum *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (*ibid.*). Igitur Jonas jussus prædicare in Ninive, fugit in Tharsis, id est in mare. Tarsis namque generaliter mare dicitur, ut illic : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis* (*Psal.* XLVII). Christus autem ad hoc natus, et cum Deus esset homo factus, ut esset ipse exspectatio gentium et Salvator eorum, Judæorum fluctibus se tradidit. qui propter crebras seditionum tempestates, amplius quam ulla gens mari similes poterant reputari. Neuter eorum, scilicet neque Jonas, neque Christus salutem gentibus invidit, sed uterque gentis suæ condemnationem imminere condoluit. *Et descendit in Joppen, et invenit navim euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam,*
D *ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini.* Joppen portum esse Judææ in Regum quoque (*III Reg.* II), et Paralipomenon (*II Par.* II), libris legimus ad quem Hyram rex Tyri ligna de Libano ratibus transferebat, quæ Hierusalem terrestri itinere perveherentur. Juxta regionis naturam, de montanis et arduis ad Joppen ad campestria veniens, recte descendisse dicitur, et notanda fugitivi et timidi festinatio. Non locum fugæ otiose elegit, neque enim ad certum fugere cupiebat locum, sed primam arripit occasionem navigandi quolibet ire festinans. Secundum hanc similitudinem Dominus noster Synagogam introiens quondam speciosam :

hoc enim nomen Joppe interpratur *speciosa*, navim sibi, id est evangelicæ prædicationis scholam instituit. Illius naviculæ remiges duodecim apostoli fuerint, quibus et dedit naulum, id est dona gratiarum, scilicet *virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent* (*Luc.* IX), promisitque regnum cœlorum, ut ingressi mare, id est inquietum populum Judæorum, per civitates et castella circumeundo, et evangelizando fortiter remigarent. Illud quoque ad hoc mysterium pulchre alludit, quod plerosque illorum, quibus ejusmodi naulum dedit, de puppibus vocavit. Erant enim piscatores, et ad hoc vocavit eos, ut mutato remigio de piscatoribus piscium faceret piscatores hominum. Igitur passibilis adhuc et infirma caro nondum fortiter obediebat, quia voluntatem divinitatis de repellenda Judæa gentibusque assumendis exsequi tardabat, et sicut jam dictum est, super civitatem ruituram flebat (*Luc.* XIX). Sed *didicit*, ait Apostolus, *ex his quæ passus est obedientiam* (*Hebr.* V). Nam **177** per passionem consummatus, talis effectus est, ut fortiter obediret, nullumque jam dolorem sive compassionem extunc, nisi solis pœnitentibus impendere potest, quippe cum ante passionem suam super impœnitentes fleverit, nunc impios in inferno ardentes siccis oculis videt. Qualia pati, vel qualiter ex his quæ pateretur obedientiam discere haberet, præsens mystice præsignavit historia. *Dominus autem misit ventum magnum in mare, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. Et timuerunt nautæ et clamaverunt ad Deum et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis. Et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi.* Quantum ad historiam, et omnipotentiam Domini, quo adversante nihil securum est, et nautarum timiditas, et prophetæ magnanimitas describitur, qui non tempestate, non periculis conturbatur, eumdem et in tranquillo et imminente naufragio animum gerens. Denique alii clamant ad deos suos, vasa projiciunt, nititur unusquisque quod potest ; iste tam quietus est et securus animique tranquilli, ut ad navis interiora descendens, somno placido perfruatur. Verumtamen quod dormit, non securitatis est, sed mœroris. Nam et apostolos legimus in passione Domini præ tristitiæ magnitudine somno fuisse depressos (*Matth.* XXVI). Porro, juxta cœptum mysterium turbatio maris, sive magnitudo tempestatis, et periclitatio maris, Judaicæ sunt seditiones et persecutiones, et universæ Domini passiones: Timor nautarum, timor est apostolorum, et dormitio Jonæ, magna est transquillitas divinæ in Christo patientiæ, qua semetipsam continens fortitudo majestatis, humanitatem suam suosque discipulos periculis eximere distulit. Quod ut amplius perpendere delectet simul ad memoriam revocandum est quia ipse Dominus Deus noster in sua persona quodam tempore *naviculam* ascendit, et *secuti sunt eum discipuli ejus, et motus magnus factus est in mari*, et timuerunt discipuli,

A *ipse vero dormiebat* (*Matth.* VIII). Et hic et illic motus maris vim persecutionis, et dormitio taciturnitatem patientiæ ejus significavit, quam non ferentes in nostra tribulatione dicimus : *Exsurge, quare obdormis, Domine ?* (*Psal.* XLIII.) Alibi quoque, cum itidem navicula jactaretur fluctibus, legimus cum ad discipulos venisse ambulando supra mare (*Matth.* XIV), quo miraculo significabat, quod potenter superaret easdem passiones suas. Nunc rem secundum ordinem litteræ persequamur.

Dominus, inquit, *misit ventum magnum in mare, et facta est tempestas magna in mari.* Quis ille ventus fuit, qui turbas Judæorum quasi mare turbavit, nisi spiritus seductionis, qui illos in odium Domini nostri concitavit? Ille intus eos perflavit, ut adver-
B sus eum fremerent, et semetipsos seditionibus turbarent. Sed quomodo ejusmodi ventum Dominus misit? Justo videlicet judicio, quia suo illos sancto Spiritui semper restitisse cognovit. Nonne propter eamdem causam ad decipiendum Achab regem Israel misit spiritum mendacii? Dixit enim : *Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba ejuscemodi, et aliter alius. Egressus est igitur spiritus, et stetit coram Domino, et ait : Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus. In quo ? Et ille ait : Egrediatur et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis. Egredere et fac ita* (*III Reg.* XXII). Quomodo tunc misit spiritum mendacii ad decipiendum illum, qui cum uxore sua Jezabel occiderat prophetas Domini, sic spiritum ma-
C lum misit quo concitarentur Judæi, sicut mare vento solet moveri, ut adversus Dominum fremerent, et mensuram Patrum suorum implerent. Dicet aliquis : Ergone Judæos Dominus tam malos esse fecit aut tam malos esse voluit, ut occiderent Christum Filium Dei? Non utique malos illos fecit, aut malos esse voluit, sed cum mali essent, facultatem malitiæ complendæ illis permisit. Sic et de Pharaone oportet intelligi. Non enim illum Deus malum esse fecit, sed, cum malus esset, in regem illum excitavit, ut in ipso ostenderet fortitudinem suam (*Exod.* IX), id est ut de nota persona daret exemplum, quam bene posset dejicere hominum superbiam. Itaque sicut quærenti cur Deus Pharaonem, cum esset malus, excitaverit in regem, recte respondetur: Idcirco
D ut in ipso ostenderet fortitudinem suam. Ita quærenti cur Judæos, cum essent mali, permiserit habere potestatem occidendi Christum, recte respondetur: Ut in illorum scelere terminaret iram suam, ulciscendo super genus humanum in Christo, in quo posuerat *iniquitates omnium nostrum* (*Isa.* LIII). Igitur ventus magnus, quem misit Dominus in illud mare, id est in illum populum amarum et profundæ malitiæ, ille immundus spiritus est, de quo ait Christus eodem loco, ubi tentantibus et signum quærentibus respondens non esse signum illis dandum, nisi signum hujus Jonæ, hæc inter locutus est: *Dum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca*

A *inaquosa quærens requiem et non inveniens dicit* : *Revertar in domum meam unde exivi* (*Luc.* XI). Exierat enim de populo illo, quando in monte Sinai legem accepit(*Exod.*XX), reversus est in eum, quando videns Filium Dei dæmonia ejicientem blasphemavit, dicens : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII). Idcirco tunc dixit : *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, etc. Illa reversio dicentis: *Revertar in domum meam unde exivi.* Talis missio fuit Domini, qualis loco vel tempore supra memorato, quando spiritui mendacii dicenti: *Ego decipiam Achab sic* (III *Reg.* XXII) ; et sic ipse respondit : *Decipies et prævalebis. Egredere et fac ita* (*ibid.*). Eodem, inquam, modo dicenti : *Revertar in domum meam unde exivi*, et faciam *novissima illius pejora prioribus* (*Matth.* XII). Dixerit justus judex B Dominus : Reverteris *et prævalebis*, sive : Revertere, *et fac ita.* Nam eo quod veritatem carnis non receperunt ut salvi fierent, idcirco misit in mare illud ventum ejusmodi, idcirco misit et *mittet illis Deus operationem erroris*, ut Apostolus ait, *ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (II *Thess.* II).

Et facta est, inquit, *tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.* Propter navigationem Jonæ facta est in mari tempestas magna. Propter prædicationem Christi facta est in populo Judæorum commotio magna. Hinc est accusatio illa tumultuantium atque dicentium : *Commovit populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc* (*Luc.* XXIII). *Navis periclitabatur conteri, et nau-* C *tæ timuerunt.* Evangelica doctrina a contradicentibus et blasphemantibus sæpe impetita est, et apostoli in timore fuerunt. Et illi quidem Deum verum adhuc nescientes, ad Deum suum clamaverunt, apostoli autem in ipsa periclitatione inter blasphemias Judæorum Christum Filium Dei confessi sunt. Et interim iidem nautæ mittebant *vasa quæ erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis*, id est omnia quæ in hoc sæculo haberi possunt vel concupiscibilia sunt, negligebant, contemnebant, atque abjiciebant, ut magis essent liberi atque expediti secundum consilium dicentis : *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas habeatis* (*Luc.* X). At ipse *dormiebat*, quia D cum **178** esset omnipotens, suam omnipotentiam continebat, neque Judaicæ tempestatis ulciscebatur injurias. Sequitur ergo : *Et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi.* Quomodo enim in tanta inquietudine quietus dormire potuisset, nisi quia in figura contingebat illi, et Dei nutu agebatur ut dormiret ? Denique futurum erat, ut, sicut jam dictum est, inter tempestates Judaicas Dominus noster cum esset fortissimus Deus valde patienter sese haberet, quod dormire quodammodo est. Ille sopor recte dicitur gravis, quia nimirum grave fuit apostolis, grave est et nobis, illum, qui custos Israel est (*Psal.* XII), dormire in adversis, dum tam blasphemias illatas nomini suo, quam pressuras, quas in hoc mundo habent ejus [discipuli], non citius compescit. *Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei: Quid tu sopore deprimeris ? Surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis et non pereamus.* Gubernator ut naturale est unumquemque in suo periculo de alio plus sperare, cum deberet, vectores timidos consolari, cernens discriminis magnitudinem excitat dormientem, et arguit improvidæ securitatis, commonetque ut ipse quoque pro virili portione deprecetur Deum suum. Hic Petri apostoli typus est. Ille enim dicente Domino: *Quem dicunt homines esse Filium hominis* ? (*Matth.* XVI.) Itemque: *Vos autem quem me esse dicitis?*(*Ibid.*) Respondens ante cæteros, vel primus inter cæteros: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi* (*ibid.*). Et pro hoc merito sic inter cæteros apostolos in Ecclesia quomodo inter cæteros nautas gubernator, sive proreta præeminet in navicula. At ille talis designatus a Domino dicente : *Beatus es, Simon Bar Jona* (*ibid.*), etc. Cum protinus idem Dominus cœpisset *ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Hierosolymam, et multa pati a senioribus et Scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et die tertia resurgere, assumens eum cœpit increpare illum, dicens* : *Absit a te, Domine*, propitius esto tibi, *non erit tibi hoc* (*ibid.*). Hæc nimirum dicens, quasi gubernator Jonam cur dormiret, increpabat, quia Dominum pati prohibebat, suadens ut sua potius virtute tanquam vigilans verteretur, utpote Dei Filius potens et fortissimus. Sequitur: *Et dixit vir ad collegam suum* : *Venite, et mittamus sortes, ut sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam.* Noverant illi naturam maris, et tanto tempore navigantes, sciebant tempestatem ventoremque rationes. Et utique si solitos, et quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, non cum sorte auctorem naufragii quærerent, et per rem incertam certum cuperent devitare discrimen. Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de Actibus apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte Matthias in apostolatum eligitur (*Act.* I), cum privilegia singulorum non possint legem facere communem. At vero juxta cœptam tropologiam, quoties adversus Christi naviculam Christique discipulos mundanorum consurgit tempestas fluctuum, talis sors et taliter mittenda est, ut sciat unusquisque cujus causa malum illud sit, vel quæ sibi causa sit patiendi. Potest enim esse ut, in persecutione Christiani nominis, non tam ipse Christus quam aliud quid in intentione vel conscientia repositum sit. Propter quod patiatur homo qui Christianus dicitur, et undantibus fluctuet adversis. Quod si ita non esset, nequaquam Paulus diceret: *Et si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*(I *Cor.* XIII). Potest etiam evenire ut in Christum credens quis pro suo male facto patiatur quid ab infideli. Hinc Petrus ait: *Melius est benefacientes* (*si velit vo-*

luntas Dei) pati quam malefacientes (*I Petr.* III). A Item : *Nemo vestram patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus aut alienorum appetitor* (*I Petr.* IV). Beata illa conscientia, in qua testimonium habet quis, quod patiatur ut Christianus, quod patiendi vel passionis causa sit ei Christus. Tunc revera cadit sors super Christum, sicut cecidit super Jonam, quod ipse sævientium esset causa fluctuum. Talem conscientiam sancti habent apostoli inter Judæos procellosos. Exempli causa : Quando dixit Thomas ad condiscipulos : *Eamus et nos moriamur cum illo* (*Joan.* XI). *Et dixerunt ad eum : Indica nobis, cujus causa malum istud nobis sit. Quod est opus tuum? Quæ terra tua? Et quo vadis? Vel ex quo populo es tu?* Notanda brevitas, quæ apud insignem poetam placere solet verbis istis. Juvenes quæ causa B subegit ignotas tentare vias : Quo tenditis, inquit. Qui genus ? Unde domo, pacemne huc fertis, an arma ? Interrogatur persona, regio, iter, civitas, ut ex his cognosceretur et causa discriminis. *Indica*, inquiunt, *nobis, cujus causa malum istud sit*, quid operis agis ? De qua terra, de quo populo proficiscaris, quo abire festines ? Porro Dominum nostrum non solum sui nautæ, id est apostoli sui secretis percunctationibus sciscitabantur, ut scirent, verumetiam publicis tumultibus adversarii ejus eadem percunctati sunt, ut viderent quis esset, quid operis ageret, unde esset, quo tenderet. Cum enim diceret eis : *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ei* : *Tu quis es?* (*Joan.* VIII.) Item cum diceret : *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado, ad eum qui misit me. Quæretis me et non* C *invenietis, et ubi sum ego, vos non potestis venire. Dixerunt ad semetipsos ; Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?* (*Joan.* VIII.) Sed et genus ejus proterve quæsierunt, cum, eo dicente : et testimonium perhibet de me qui misit me Pater, dixerunt : *Ubi est pater tuus?* (*Joan.* VIII.) Nihilominus quæsierunt. Quod esset opus ejus, cum eo dicente : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Dixerunt : Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi, quid operaris?* (*Joan.* VI.) Sed et Pilatus audito sermone dicentium : *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit : Ingressus prætorium, iterum dixit ad eum* : *Unde es tu?* (*Joan* XIX.) Attamen D ante interrogaverat et audierat *quod de Herodis potestate*, id est homo, Galilæus *esset* (*Luc.* XXIII). Si ergo illi, quos mystice per tumentes maris fluctus intelligimus, interrogaverunt eum quis esset, quod opus ejus, quæ terra ejus, quo iret, vel quo iturus esset, quanto magis hæc interrogasse constat apostolos familiares et collaborantes illi in remigio sive navigatione Evangelii, quibus, ut Evangelium refert, seorsum loquebatur de regno Dei (*Luc.* XI). Sequitur ergo : *Et dixit ad eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum ego timeo, qui fecit mare et aridam.* Multum quippe ad mysterium pertinet, quod non dixit, Judæus aut Israelita sum ego, quæ nomina scilicet Judæi et Israelitæ discordia diviserat, quæ per Hieroboam scindentem decem tribus a domo David acciderat (*III Reg.* XII), sed dixit : *Hebræus ego sum.* Hebræus *non transitor* interpretatur. Et hoc nomen valde Christo congruit, qui non venit in hunc mundum ad manendum, sive ad regnandum, sed ad pertransendum tanquam viator, non habens hic manentem civitatem aut regnum, ut transiret, et transeundo salutis opus ministraret, quemadmodum de semetipso tanquam de alio dicit, *et transiens ministrabit illis* (*Luc.* XII). Et Evangelista : *Sciens*, inquit, *quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII). Et deinde dicit : Et Dominum Deum cœli **179** timeo ; nihilominus humanitati ejus congruit, quia ipse est de quo propheta prædixit : *Et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isai.* XI). Vere timore sancto timoratus et reverentissimus exstitit, timore qui et vere humilitas debet dici et æstimari. Hujus timoris, id est humilitatis magisterium profitetur ipse dicendo : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI).

Simul notandum in propheta quod non dixerit : *Et Dominum Deum cœli* ego fugio, sed *ego timeo.* Licet enim fugerit a facie Domini, nequaquam tamen Deum fugit aut fugere voluit. Aliud namque est fugere Dominum, aut fugere a facie Domini. Semper malum est velle fugere Dominum, et eorum est maxime qui illum oderunt, licet effugere non possint, sicut scriptum est : *Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt* (*Psal.* XX). Fugere autem a facie Domini, id est refugere sententiam, vel tremendum propositum Dei potest interdum qui Deum diligit, quemadmodum iste, qui refugiebat administrare prophetale officium ad condemnationem suæ gentis. Quo autem pertinuit, tali in articulo dicere, *qui fecit mare et aridam*, præsertim illum qui a facie Domini fugiens, ierat in mare, relinquens aridam, nisi ut ostenderet se certam secundum rationem de omnipotentia Creatoris habere fidem, vel scientiam, quamvis secundum carnis affectum fugitans declinare tentasset impendentem suæ genti pro meritis iram? Sic et Dominus noster sine dubio rationalem habens animam, secundum ipsam rationem sciebat, insitæ sibi divinitatis justam esse sententiam, quæ salvari gentes et derelinqui censebat Judæam, quamvis per humanitatis affectum gentes differens æmularetur Judæam, ita ut fieret super eam (*Luc.* XIX). Et ille quidem fluctibus circumdatus, et illa tempestate correptus, *Dominum Deum*, inquit, *ego timeo.* Ipse autem Christus ex his quæ patiebatur, discens obedientiam (*Hebr.* V), *sicut mandatum dedit mihi Pater*, inquit, *ita facio* (*Joan.* XIV), subjungens protinus : *Surgite, eamus* (*ibid.*), quod idem erat ac si diceret (utpote cœlestibus semper mysteriis intentus) quoniam sic est voluntas Patris, Judæa relicta ad gentes transeamus. *Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? Cognoverunt enim quod a facie Domini fugeret, quia indica-*

verat eis Jonas. Historiæ ordo præposterus est: A Quia enim poterat dici, nulla causa timoris fuit, ex eo quod eis confessus est, dicens: *Hebræus ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam*, statim quod idcirco timuerunt, quia indicaverat eis, se Domini fugere conspectum, et ejus non fecisse præcepta, causantur et dicunt: *Quid hoc fecisti*, id est, si times Dominum, cur fugis? Si tantæ prædicas potentiæ quem colis, quomodo putas te eum posse evadere? Sic et apostoli Christi non ex hoc timere habebant, quia dicebat quisnam ipse esset, nisi etiam dixisset eis, quod venisset *dare animam suam redemptionem pro multis* (*Matth.* xx), quasi qui fugisset a facie Domini, quod ipse quidem in sua persona, nunquam, ut superius jam dictum est, inobedienter, fecit, sed fecerunt illi, quorum B ipse super se peccata tulit, propter quos oportebat eum pati vel mori. *Cum enim audissent Adam et uxor ejus vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, absconderunt se a facie Domini Dei in medio ligni paradisi* (*Gen.* III). *In Adam*, inquit Apostolus, *omnes peccaverunt* (*Rom.* V), et idcirco recte dicas, quia omnes in eodem a facie Domini se absconderunt. Christus autem non quidem in anima peccavit, aut sese abscondit, sed eorum qui in illo peccaverunt, et in illo sese absconderunt a facie Domini, super se, ut jam dictum est, peccata tulit. Hoc apostolis suis indicavit, quod oporteret ipsum mori, et animam suam dare redemptionem pro illis, et idcirco timuerunt, tam propter semetipsos quam propter eum, quia cum essent adhuc infirmi, non erant ad C moriendum pro illo parati. Sequitur ergo: *Et dixerunt ab eum: Quid faciemus tibi et cessabit mare a nobis? Quia mare ibat et intumescebat. Et dixit ad eos: Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis. Scio enim quia propter me tempestas hæc grandis est super vos. Et remigabant viri, ut reverterentur ad aridam et non valebant, quia mare ibat et intumescebat super eos.* Secundum hanc enim similitudinem nautarum, sic timentium et talia dicentium, quis non videat pios egisse aut dixisse apostolos, quando *mare ibat et intumescebat super eos*, id est quando turba implacabiliter seditiosa Dominum quærens circumdabat illos? *Videntes* enim, ait Lucas, *quod futurum erat: Domine*, inquiunt, *si percutimus in gladio? Et percussit unus ex illis servum pontificis, et amputavit auriculam ejus* D *dextram* (*Luc.* XXII), videlicet Petrus, cujus in nauclero similitudinem intelligimus. Respondens autem Jesus ait: *Simile huc usque* (*ibid.*) Et apud alium evangelistam: *Converte*, inquit, *gladium tuum in locum suum: An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ* (*Matth.* XXVI). Sed et paulo ante dixerat: *Ecce veniet hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis* (*Joan.* XVI). Nimirum hæc, et cætera hujusmodi similia sunt sermoni, quem hic Jonas mira magnitudine dixit: *Tollite me, et mittite me in mare, et cessabit mare a vobis. At illi remigabant, ut reverterentur ad aridam*; nam etiam in gladio, sicut jam dictum est, percutere cœperant, ut cum ipso Domino simul evaderent turbam illam, *et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos*. Paucis enim fortiores erant, qui persequebantur eos, præsertim ipso, propter quem tempestas grandis erat, sponte patientiam exhibente, quia necessaria mundo erat ejus passio vel mors. *Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem, quia tu, Domine, quemadmodum voluisti, fecisti. Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare, et stetit mare a fervore suo. Et timuerunt viri timore magno, et immolaverunt hostias Domino, et vota voverunt.* Clamor iste nautarum, dolor sive luctus et fletus est discipulorum, quando necessario tulerunt Jonam, et in mare miserunt, tunc clamaverunt, quia quando consummata sunt omnia, et corpus ejus permissum suscipientes sepelierunt, doloris sui voces emiserunt, primo centurione, sicut Evangelium refert, dicente: *Vere hic homo justus erat, et vere homo hic Filius Dei erat* (*Matth.* XXVII; *Luc.* XXIII), omnesque nauti ejus, qui stabant a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, omnisque turba eorum, qui percutientes pectora sua revertebantur (*Luc.* XXIII), hæc quodammodo dicebant: *Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius*, etc. Sed et in eo, quod *relicto eo, discipuli omnes fugerunt* (*Matth.* XXVI). Dominum in mare miserunt. quia dimiserunt, quia solum reliquerunt. Quod ita dimiserunt infirmitatis, quod autem sepelierunt, fuit officii. Utrolibet modo completum intelligis, congrua similitudo istorum, videlicet apostolorum, in illis navigantibus præcessit, qui laboraverunt quantum potuerunt, remigaverunt quantum valuerunt. Et quia nihil proficiebant, tandem tristes et gementes, prophetam in mare miserunt. *Et mare quidem stetit a fervore suo*, sed *viri timuerunt timore* **180** *magno* id est satiati Judæi, scelere suo, cessaverunt persequi discipulos. At illi propter magistrum et Dominum suum fuerunt in dolore maximo. *Et immolaverunt*, inquit, *hostias Domino, et votum voverunt.* Hostias immolaverunt apostoli, hostias pœnitentiæ, et confessionis cum luctu et lacrimis et ipsi hostiæ sunt facti viventes, præcipueque Petrus, qui illum negaverat, deflendo ipsam negationem. Hostiam immolavit in Evangelio, quod scribitur: *Secundum Hebræos*; Jacobus, frater ipsius Domini quando devovisse fertur se non manducaturum panem, nisi prius videret eum a mortuis resurgentem.

CAP. II. — *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam. Et erat Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus.* Piscis iste sive venter piscis hujus, auctore Domino, cor terræ, id est sepulchum significat. Dixit enim: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus et tribus*

noctibus (*Matth.* XII). Quamvis ergo dicat ipse Jonas in oratione sua: *De ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam.* Sic inde intelligimus, et sic intelligendum est, quod non infernum quo anima descendit, sed sepulcrum quo corpus reconditum est, venter piscis significet. Quod si per cor terræ infernum quis intelligendum esse contendat, eo quod profunda, sive inferiora terræ credantur inferius esse, juxta quod de Dathan et Abiron, quos terra sorbuit, ibidem scriptum est: *Descenderuntque viri in infernum* (*Num.* XVI) operti humo, respondeat: Quomodo anima Domini tribus diebus et tribus noctibus in inferno fuisse credenda sit, cum protinus eadem die, qua de corpore emissa est, confracto inferno, paradisum introierit, juxta quod ipse latroni confitenti dixit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Igitur *præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam*, id est providit, ut Dominicum corpus in terra, quæ grandi ventre morientes cunctos suscipi, homines, paratam haberet sepulturam. Quomodo vel quando præparavit? Equidem inspirando Joseph justum, quatenus eum sepeliret, hoc præparavit. Sed est aliud præclarius, in quo hujus rei præparationem admireris, videlicet decretum, sive auctoritas sanctæ ac mysticæ legis. *Quando*, inquit, *peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem* (*Deut.* XXI). Providentiam Dei taliter decernentis, satis digne non possumus admirari. Per hoc enim legis decretum Scribæ et Pharisæi miro modo decepti sunt in sua malitia, ut Dominum nostrum vere et singulariter benedictum, putarent maledictum fieri pro tali genere mortis, et capti sunt, ut, vellent, nollent, sepultura non careret ipse quem insatiabili odio sunt persecuti. Decepti, inquam, sunt, quia legentes, *maledictus a Deo qui pendet in ligno*, non attenderunt quo præmissum est, *quando peccaverit homo quod morte plectendum est*. Hoc enim præmittendo sacra et justa lex maledictum astruit, non ex pœna esse, sed ex causa sive culpa. Ipsi autem æstimari voluerunt quod maledictum faceret talis pœna. Quæ autem poscebat causa sive utilitas, ut taliter Deus Filio suo Jesu Christo sepulturam provideret? Illa nimirum, ut sicut anima ejus ad inferos descendendo, animas omnium electorum eriperet, ita corpus ejus in terra sepultum, corporibusque per sepulturam sociatum, resurrectionis gratiam illis afferret, resurgendo in primis, ut cætera corpora sequerentur, quod futurum est. Magno itaque et venerando consilio de sepeliendis omnibus crucifixis data est lex, dicendo hæc quæ prædicta sunt, ut dum omnes sepelirentur, unus crucifixus sepultura non careret. *Sed in eadem*, inquit, *die sepelietur*. Quam ob causam? *Quia maledictus*, inquit, *a Deo est, qui pendet in ligno.*

A Dure quidem sonat, enuntiatio maledicti, ut ipse *qui venit benedictus in nomine Domini* (*Matth.* XXI), maledictus dicatur cum præscripto legis. Sed si rite perpendas quod additum est a Deo, magna suavitas latet in verbo aspero. Longe enim aliud est esse maledictum a Deo, et aliud est maledictum a suo peccato. Nam quicumque damnatione maledicti sunt, non a Deo maledicti sunt, licet eos Deus ipse aliquando maledictos esse prænuntiaverit, sicut Cain, cui dixit quidem: *Nunc igitur maledictus eris super terram* (*Genes.* IV), sed non dixit, maledictus es a me, sicut ego maledico te. Talium namque maledictio, peccatum ipsorum est. Peccatum autem non est a Deo. Unus ergo et solus Dominus noster Jesus Christus maledictus a Deo fuit, quia maledicta, id

B est peccata omnium nostrum super se tulit, et hoc a Deo. *Dominus enim*, inquit Isaias, *posuit in eo iniquitaets omnium nostrum* (*Isa.* XXXV). Quare ergo, inquit, in lectione Apostoli sic habemus? *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Gal.* III). Ubi scriptum hoc esse meminit, non habetur *omnis*, et econtrario quod illic habetur *a Deo est*, in Apostolo non invenis. Sed est sciendum quia non secundum Hebraicam veritatem, sed secundum Vulgatam tunc apud Græcos septuaginta Interpretum translationem testimonium posuit, et hoc necessario, quia videlicet nimis importunum fuisset demonstrare, tunc aliquid corrigendum esse Scripturis, quando veritatem Dei Græcis incipiebat commendare de Scripturis, et gratiam

C Christi, qui ut in gentibus benedictionem daret, maledicti opinionem sustinuit apud Judæos, male intelligentes decreta bonæ et sanctæ legis. Igitur, inquit, *in eadem die* sepelies *eum, et contaminabis terram tuam quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.* Quæ est illa terra quam Dominus Deus nobis in possessionem dedit, nisi caro Christi, quam, ut jam dictum est sepeliri sanctæ legis auctor spiritus curavit. Nam terra quam calcamus, quomodo magis sepulto, et in suo sinu suscepto, quam in sepulcro crucifixi cadavere contaminaretur. Illud potius corpus contaminatur, id est pro contaminatione et immunditia sua subjicitur, cui merito contingit, ut non sepeliatur, sicut de quodam pro parte vindictæ dictum est: *Sepultura asini se-*

D *pelietur* (*Jer.* XXII). Hæc idcirco prolixius dicta sunt, ut præparatam legis auctoritate sepulturam Domino nostro monstraremus, secundum illam præparationem mysticam, sive figurativam, de qua sic dictum est: *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut* devoraret *Jonam.* Illa præparatio, id est decretum legis, viam fecit alteri præparationi, cujus Joseph vir justus minister esse meruit, de qua videlicet præparatione sic Evangelia referunt. *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat* (*Joan.* XIX). *Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus.* Hoc quæritur quo-

modo secundum hunc typum tres dies et tres noctes Dominus in corde terræ fuerit,cum hora nona diei Parasceves emisso spiritu sepultus,prima Sabbati media nocte surrexerit. Ad quod dicendum idem est, quod a sanctis Patribus est jam dictum, quia totum a parte intelligimus, ita ut ex eo quod in Parasceve mortuus est, unam diem supputemus **181** et noctem, et Sabbati alteram, tertiam vero noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, ad alterius diei referamus exordium. Nec vero incongrue secundum tropum qui dicitur synecdoche, in tali re totum a parte intelligimus. Dixit enim adhuc mortalis vivens cum mortalibus. *Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo* (*Joan.* XVII.) Quamcunque causam dicas, sive intelligas propter quam veraciter dixerit, quia jam in mundo non erat, propter eamdem causam consequenter intelligis, quia jam in ventre ceti erat. Erat autem jam vespera, sive nox illum diem præcedens qua crucifixus, mortuus et sepultus est. Recte ergo totus ille dies Parasceves cum præeunte nocte sepulturæ deputatur, quia videlicet ab illa vespera sive hora qua factus in agonia, sive cum morte agonizans, traditus et comprehensus est, quidquid de illo vel circa illum actum est, quidquid passus est, descendere fuit in ventre ceti, ire in cor terræ, et quippe eum secundum cor suum de illo facerent, illi qui intendebant non cœlo sed terræ, non cessaturi donec occisus traderetur terræ. De Sabbato et præeunte ipsius nocte, nulla est quæstio quin toto die illo quieverit in sepulcro. Tertii diei media nocte surrexit, sed non fuit creditum quod resurrexisset usque ad vesperam ejusdem tertii diei, quando stans in medio discipulorum suorum, dixit eis: *Pax vobis* (*Joan.* XX). Proinde et ille dies connumeratur duobus cæteris, ut tres dies sint, et verum est quod de semetipsa Veritas dixit: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII). Hic illud quoque non præterire libet, quia si ab hora qua spiritum tradidit computes usque ad horam qua surrexit, id est usque ad medium noctis, invenies quia tam in quantitate horarum quam in quantitate dierum, ternarius fulget numerus sacer et venerabilis. Nona quippe hora spiritum tradidit, et restabant horæ tres ejusdem diei. Quæ conjunctæ noctis et diei sequentis, horis viginti quatuor et illius qua surrexit, noctis medio, id est horis sex, nimirum faciunt triginta tres, qui in numero ambo sunt ternarii, alter decenus, alter vero singularis. Item in annis eodem modo, idem numerus cousiderandus est, quia videlicet in eo quo passus est, annus ejus tricesimus tertius erat, anno ætatis suæ triginta baptizatus est, anno prædicationis suæ tertio passus est. Quid sibi vult talis, vel tanta observatio numeri ternarii, in dispensatione sanctæ ejus humilitatis? Triginta namque annis, qui numerus, ut jam dictum est, ternarius decenus est,

A secretus vixit, et tertio suæ prædicationis anno passus est; triginta tribus horis exanimis jacuit, et tertia die resurrexit. Veneramur temporum observationem, inesse non dubitantes mysterii dignitatem, quod etsi totum, ut est, comprehendere non possumus; illud tamen occurrit quo non minime delectamur, quia videlicet sanctæ Trinitati, Patri, et Filio et Spiritui sancto, quem offendit Adam primus, semetipsum ad satisfaciendum pro nobis offerebat iste Adam secundus. Ille namque factus cooperante simulque quodammodo studium venerabiliter adhibente omnipotentia totius Trinitatis ad gloriam suam, secundum hæc verba: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* III), sic offendit, ut propositam Dei contemneret similitudinem,

B perdendo fidem, amittendo spem, non habendo charitatem. Fidem, quippe perdidit qui serpenti magis quam Deo credidit, serpenti dicenti: *Nequaquam morte moriemini* (*ibid.*), magis attendit quam Deo dicenti: *In quocunque die comederitis ex eo morte moriemini* (*ibid.*). Spem amisit qui peccati conscius ad latebras confugit, ut absconderet se a facie Domini. Charitatem non habuit, qui requirentem se, et arguentem Deum a se superba defensione repulit. Sic ille offendit sanctam Trinitatem, et Dei perdidit similitudinem; hic autem ad hoc venerat, ad hoc homo natus erat ut suscepta a Deo humanitas, homini sanctam placaret trinitatem, et hominibus reformaret similitudinem. Delectat ergo quod satisfaciens divinitati in omnibus supradictis ternarium

C numerum observavit.

Adde quod adhuc pulcherrimum est, quia tribus idem Dominus noster passionibus est consummatus, et flagellis cæsus, crucifixus, lancea transfixus, inter duos latrones ipse tertius pro latrone Barabba commutatus. Merito ergo placata Trinitas suam confestim generi humano faciem cœpit ostendere, eductis omnibus de regione tenebrarum, qui venturi hujus fidem habentes et hac vita migraverant, et prædicari voluit nobis residuis ut baptizaremur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nunc cætera prosequamur. *Et oravit Jonas de ventre piscis ad Dominum Deum suum, et dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum et exaudivit me.* Quod dixit, *et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de utero piscis, et dixit,* intelligimus eum postquam in utero

D piscis sospitem se esse senserit, non desperasse de Domini misericordia, et totum ad obsecrationem esse conversum. Deus enim qui dixerat de justo: *Cum ipso sum in tribulatione* (*Psal.* XC), et cum invocaverit me dicam ad eum: *Adsum* (*Isai.* LVIII), adfuit ei. Et dicere potest, quia exauditus est *in tribulatione dilatasti me* (*Psal.* IV), *et oravit,* inquit, *Jonas.* Si Jonas Domini typus est, et ex eo quod tribus diebus et tribus noctibus in utero ceti fuit, passionem ejus indicat, debet et oratio illius typus esse Dominicæ orationis. Proinde primo secundum ipsius Jonæ, deinde secundum personam Salvatoris hanc orationem pertractemus. *Clamavi de tribulatione mea*

ad Dominum, et exaudivit me. De ventre inferi clamavi et exaudisti vocem meam. Non dixit, clamo,sed *clamavi*; nec de futuro precatur, sed de præterito gratias agit,indicans quod eo tempore quo præcipitatus in mare vidit cetum, et tantam corporis molem, et immanes rictus aperto ore se sorbere, Domini recordatus sit, et clamaverit vel cedentibus aquis, et clamore inveniente locum vel toto cordis affectu,qui utique in auribus Dei clamor est magnus, clamaverit ei qui solus novit corda hominum, qui loquitur ad Moysen: *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV), cum utique nil ante hanc vocem clamasse Moysen Scriptura commemoret. De hujus mundi clamore et Apostolus, *clamantes*, inquit, in cordibus vestris *Abba Pater* (*Rom.* VIII). Ventrem inferi, alvum ceti præ magnitudine ejus dicit: *Et projecisti me in profundum, in cor maris,et flumen circumdedit me.*Conjunctionis per quam sic dicit *et projecisti me*, hic est sensus: Me clamante,exaudisti vocem meam,et cum exaudires,nihilominus projecisti me in profundum,subauditur,ut ad majorem virtutis tuæ gloriam eriperes me, quia *rursus videbo templum sanctum tuum. Projecisti me in profundum,* et non solum in profundum,quod potuisset fieri vel esse prope littora vel non longe ab arida,sed *in cor maris*, id est in medio maris. Nam cor animalis in medio est. Et idcirco per metaphoram cor maris intelligimus medium maris. *Et flumen* **182** ait, *circumdedit me*, id est inundatio maris fluens ac refluens undique vallavit me. Hoc ipsum repetens dicit: *Omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.* Tuos autem gurgites,et tuos fluctus dico non solum quia tu fecisti eos sicut supra dixeram, et Dominum Deum ego timeo, qui fecit mare et aridam, verum etiam qui nec eos movisti propter me, nec intumescere jussisti super me. *Et ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Notandum quod non tunc primum dicere, sed dixisse se asserit,*abjectus sum a conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.*Constat ergo quod, quando in mare mittebatur, in illa tribulatione secundum multitudinem dolorum ejus,et consolationes Domini lætificaverunt animam ejus, prophetica illi gratia sese infundente abundantius atque clementius ut sciret quoniam de tam profunda abjectione adhuc mirabiliter sublevaretur,et adhuc vivens inter viventes veniret ad templum Dominicum hostiis et muneribus, competentes gratias mirabili Deo relaturus.Quod in illa se dixisse asserit confirmat in ventre ceti his verbis: *Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam*; *abyssus vallavit me, pelagus cooperuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum. Et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.*Cunctis istis declamationibus,quibus rem verissimam veraciter astruit. *Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam;abyssus vallavit me,pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me.* Cunctis, inquam,istis declamationibus subjungendo:*Et sublevabis de corruptione vitam meam*,competenter altissimo Deo dat gloriam,plenissime sciens et fideliter astruens,quia quæcunque vult ille *potens est et facere* (*Rom.* IV), et quia possibile est apud eum,quod apud homines impossibile erat in æternum (*Luc.* XVIII). Nam propter impossibilitatem hominum cum dixisset,*et terræ vectes circumdederunt me*,addidit, *in æternum*,et propter impossibilitatem Dei subjunxit: *Et sublevabis de corruptione vitam meam*, pariterque addens cum blandientis affectu: *Domine Deus meus.*Corruptionem de qua sublevari sperat animam suam uterum ceti dicit,in quo naufragia dirigebantur, inter quæ potuisse hominem servare magna est gloria divinæ omnipotentiæ.Quemadmodum est illud, quod tres pueri missi in caminum æstuantis incendii,in tantum illæsi fuerunt,ut ne vestimenta quidem eorum odor ignis attingeret, et multa alia quæ supra naturam a Domino naturæ facta sunt (*Dan.* III). Quam dulce,quam salubre est homini,qui post continentis vitæ tranquillitatem tentationum fluctus incidit,et fortassis pudicitiæ naufragium passus,opus peccati tanquam rictus vel in utrem ceti incidit,propheticæ hujus orationis reminisci,ut eadem fide,simili cordis contritione, tam humili pietatis affectu Domino Deo suo blanditur,qui solus aquas considerat circumdantes et usque ad animam intrantes, aquas passionum carnalium et humani cordis abyssum, pelagus concupiscentiæ, vimque sævientis et bullientis naturæ, et angustias animæ sive conscientiæ,quæ cum infirma sit, per semetipsam non potest evadere ut respiret et resumat auras salubres castitatis et pudicitiæ,cupiditatibus vel pravis amoribus conclusa,velut quibusdam vectibus terræ!Sequitur:*Cum angustiaretur in me anima mea,Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.*

Hoc quod jam supra diximus plane hic astruit, quia videlicet hora vel momento, quo mittebatur in mare, dixerit aspiratus gratia spiritus prophetici, *abjectus sum ab oculis tuis, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.*Hoc namque est,quod nunc ait, *cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum,ut veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.*Et considerandum quod novo genere oratio fiat pro oratione,dum precatur ut oratio sua conscendat ad templum Dei.Et in hoc magnæ fidei firmitas animadvertenda est.Circumdatus aquis,vallatus abysso, coopertus pelago, conclusus vectibus terræ non dubitat aut interrogat utrum orationem suam possit Deus audire,utrum auris ejus hic possit adesse, et de ventre ceti quid sibi dicatur auditu percipere,sed certum habens apud se quia,dum nihil usquam latere potest,orat fideliter ut orationi Deum tantis tamque profundis angustiis ad se erumpere gestienti,viam ipse faciat,venientem ipse suscipiat. Magna hæc fides magnum meritum habet, coram Deo honorabilis est, quia docta sive erudita est san-

ctamque scientiam habet. Quid enim? Nonne oratio fidelis de boni verbi radice procedit? Ubi autem verbum radicatum sive unde natum est, nisi de corde Dei Patris qui, ut fides catholica firmiter tenet, Verbi boni genitor est, Verbi æterni, quod et ipsum Deus est? Ubicunque ergo conclusus homo sive hominis spiritus ubicunque fuerit coangustatus, sive inferni, sive terræ vectibus, si apud se habet verbum fidei, dum orat, non potest nesciri, quin imo ipso fidei verbo viscera Dei, cor Patris altissimi fortiter tangit; unde est origo Verbi boni. Nos ergo ex eo quod ait, *cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum,* hanc eruditionem capiamus ut noverimus eo tempore quo deficit anima nostra et a corporis compage divellitur, nos non debere alio cogitationem vertere, nisi ad eum qui et in corpore et juxta corpus noster est Dominus, quia sic nostra oratio perveniet ad templum sanctum ejus, ad ipsam altitudinem cœli, cujus immensitas magna domus et sanctum est templum ejus. Hoc facere possunt, hanc fidem penes se in illo mortis articulo illi habere vel retinere queunt, qui in corpore viventes veritatem dilexerunt. Econtra qui mendacium diligunt in illa hora magnitudine horroris præfocati, Verbum bonum invenire non possunt. Unde et protinus sequitur: *Qui custodiunt vanitatem, frustra misericordiam suam derelinquunt.* Non dixit, qui faciunt vanitates: *Vanitas* quippe *vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* I), ne damnare videretur universos et cuncto generi humano denegare misericordiam, sed *qui custodiunt vanitates* sive mendacium, *qui transierunt in affectum cordis* (*Psal.* LXXII), qui vanitates non solum faciunt sed ita custodiunt quasi diligant, et putant se invenisse thesaurum. *Misericordiam,* inquit, *suam derelinquunt.* Licet offensa sit misericordia, quam nos ipsum possumus intelligere Deum: *Deus* enim *meus misericordia mea,* inquit Psalmista (*Psal.* LVIII), tamen eos qui custodiunt vanitates non derelinquit, non detestatur; sed exspectat ut redeant. Illi vero stantem misericordiam, et ultro se offerentem sponte propria derelinquunt. *Ego autem cum voce laudis immolabo tibi; quæcumque vovi, reddam pro salute mea Domino.* Sensus iste est: Ego autem etsi vanitatem feci, non custodio illam, sed potius votum voveo tibi, votum corrigendi, votum obediendi et pergendi quocunque jusseris, et hanc obedientiam immolando tibi in voce laudis, hæc vota pro salute mea Domino. Vanitas quippe fuit quod, te præcipiente ut irem in Ninivem civitatem magnam, et **183** prædicarem in ea, præoccupavi ut fugerem a facie tua in Tharsis, metuens ne condemnaretur Israel impœnitens, pœnitentiam agente Ninive, et affectum gentis meæ præferens voluntati tuæ; sed hanc ipsam vanitatem non custodiam, id est in hac intentione non persistam, præsenti vexatione commonitus quod tua voluntas sequenda sit magis quam carnis affectus. Infelix Israel tantis tamque cerebris malis flagellatus, adhuc vanitates custodit pertinaciter colendo vitulos aureos, quos Hieroboam fecit ar-

A tifex vanitatis, nullius quippe regis sui, tempore aliquo a peccatis suis recessit, et hoc agendo misericordiam suam dereliquit. Ego autem adhuc illi condolens, vanum habui consilium, ut a facie tua fugerem; sed nunc in tribulatione hac, vanitatem illam non custodio, intentionem hujusmodi abjicio. Quod si non facerem, *misericordiam* meam *frustra* derelinquerem; *frustra,* inquam; quia nullum exinde fructum consequerer, neque eis, propter quem fugi a facie tua, refuga Dei sui Israel. Igitur misericordia mea consequenter me non derelinquat, quam ego misericordiam non derelinquo, quæ nonnisi derelinquentes se derelinquere consuevit, et nonnisi impœnitentibus unquam se abscondit. *Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.* Magnum hoc B opus et testimonium evidens bonitatis et omnipotentiæ Dei, qui aurem suam illuc usque inclinavit, et quid in ventre ceti ageretur, quid fides loqueretur, quid oratio moliretur audivit et appendit, dixitque et dicere potuit pisci ut evomeret Jonam; et hoc utique non in aquam, ubi periclitaretur, sed in aridam, ubi servaretur. Dixit hoc plane non motis labiis, quæ non habuit, neque voce elementari; sed illo verbo, per quod et cetum et ipsum mare fecit. Illius verbi virtute pressus venter belluæ, prophetam reddidit, quomodo et ubi ipsum verbum voluit. Nunc jam ad Domini nostri Jesu Christi personam juxta propositum revertentes, hanc ipsam orationem secundum ipsum revolvamus; quia, sicut jam diximus, hæc oratio prophetæ, orationis ejus typus est. *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum et exaudivit* C *me.* Apostolum in primis loquentem audiamus: *Qui in diebus,* inquit, *carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit salvum facere a morte, clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* V). Dicat ergo Christus, *clamavi,* quia revera clamore valido cum lacrymis clamavit. Unde clamavit? *De tribulatione mea,* inquit, *de ventre inferi.* Duo dixit, *de tribulatione* et *de ventre inferi.* Tribulatio fuit illi angustia passionis, et de qua clamavit, ita ut evangelista refert, quia *positis genibus, factus in agonia, prolixius oravit, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII), ab illa hora usque dum clamans voce magna spiritum traderet, clamore valido clamavit. Venter inferi, descensus ejus ad inferos fuit totaque D absconsio sive depressio corporis ejus, quamdiu in sepulcro jacuit. Equidem de tribulatione quid clamaverit, ab hominibus præsentialiter auditum est. Dixit enim inter alia quæ audita sunt ex ore clamantis: *Heli, Heli, lamazabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII) Et in consummatione tribulationis clamans dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII). Porro *de ventre inferi* quid clamaverit audiri non potuit a quoquam mortali; sed antequam ipse in hunc mundum veniret, Spiritus ejus sanctus in sancta Scriptura prædixit quid clamaturus esset, sicut et illa quæ, sicut jam diximus, clamans audi-

tus est : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (*Psal.* LXXXVI), *et Pater, in manus tuas commendo spritum meum* (*Psal.* XXX). Denique psalmus ille : *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea* (*Psal.* XV), etc., usque ad finem ejusdem psalmi, verba sunt clamoris ejus *de ventre inferi*, postulantia celebrem glorificationem resurrectionis, quod sine dubio prudens lector advertit. Igitur *de tribulatione mea*, inquit, *clamavi ad Dominum*, subauditur, pro transgressoribus exorans ut non perirent, *et exaudivit me*, ut videlicet propter passionem meam, solveretur peccatum prævaricationis Adæ, et omnia delerentur peccata credentium in me. *De ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam*, subauditur, *ut non derelinqueres in inferno animam meam, nec dares Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* LXXXVIII). *Et projecisti me in profundum in cor maris, et flumen circumdedit me. Omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.* Sensus iste est : Secundum rei veritatem exaudisti me, et secundum æstimationem hominum projecisti me, juxta psalmum præmemoratum : *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum* (*Psal.* LXXXVII), et juxta alterius psalmi versiculum : *Tu vero repulisti, et despexisti, distulisti Christum tuum* (*Psal.* LXXXXIII). Hoc enim videbatur illis, qui insultantes et capita sua moventes dicebant : *Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult* (*Matth.* XXVII). Itaque secundum æstimationem illorum *projecisti me in profundum, in cor maris* id est in omne quod voluerunt de me facere seditiosi Judæi similes mari, *et flumen circumdedit me*, videlicet affluens tribulatio qua non parcentes afflixerunt me. Illi *omnes gurgites tui*, illi *omnes fluctus tui* quos passus sum, *super me transierunt*, id est sine dubio transibunt ; neque enim permanebunt, sed celerem finem habebunt. Tui namque fugerunt gurgites, tui fluctus ; quia videlicet non in ipsorum qui me afflixerunt, sed in tua potestate erat, quousque inundarent super me fluctuantes insaniæ illorum. Et ego dixi : *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Sicut jam dixi, quia *projecisti me in profundum*, ita nunc repetens, *et ego dixi*, inquit, *abjectus sum a conspectu oculorum tuorum*, subauditur; secundum æstimationem illorum vel secundum rei veritatem, *rursus video templum sanctum tuum*, id est ego anima quæ descendi ad inferos, rursus ingrediar et resumam corpus meum, quod est templum sanctum tuum, juxta illud : *Solvite templum hoc, et tribus diebus excitabo illud. Hoc autem*, inquit evangelista, *dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II). Videmus factum, credimus, propter quod et loquimur, adimpletum ; quia gurgites tui Deus, gurgites mortalitatis, et omnium fluctus miseriarum, quascunque induxisti super nos, propter prævaricationis Adæ gentium, super eum transierunt, et finem habent, et ipse *rursus* vidit *templum sanctum tuum*, id est resumpsit corpus, quod principaliter est templum sanctum

A tuum ; et nunc in medio Ecclesiæ est, quæ et ipsa secundarie dicitur ; et est templum sanctum tuum, et nunc in gaudio videt illud templum sanctum tuum. Quemadmodum dixerat : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XVI). Ubi autem vel in quo dixerit, quod nunc se dixisse memorat his verbis : *Et ego dixi* : *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum*, Psalmista jam ante hunc Jonam, in quo idem Christus loquitur, prædixerat in persona ipsius : *Ego autem dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal*, XXX). Nam quod ait, *ego dixi in excessu mentus meæ*, idem est ac si dicat : Ego prævidi in profunditate intellectus, qui excedit intelligentiam omnis creaturæ, subjungens, *ideo exaudisti vocem orationis* **184** *meæ, dum clamarem ad te* (*ibid.*), quod et in isto præmissum

B est, *de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam*, sive *clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me.* Interea considerare perpulchrum est quomodo item in alio dicat ipse : *In die tribulationis meæ clamavi ad te, qui exaudisti me* (*Psal.* LXXXV). Majorem quippe habet vim in sensu talis dictio, *clamavi ad te, quia exaudisti me*, quam si ita dictum esset, *exaudisti me, quia clamavi ad te.* Denique omnes sancti idcirco exauditi sunt, quia clamaverunt. Iste autem Sanctus sanctorum solus est qui veraciter dicat, *clamavi quia exaudisti me.* Ipse est enim electus ex millibus, qui solus idcirco venit in hunc mundum clamare pro omnibus, quia scivit quod pro sua reverentia foret exaudiendus. Hoc ipse in psalmo innuens, per os prophetæ loquitur : *Ho-*

C *locaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi* : *Ecce venio* *Psal.* XXXIX). Et est sensus : Cum ergo intelligerem quod illa de brutis animantibus sacrificia nolles, quod nullus ex omnibus justis de peccato ad plenum satisfaceret, tunc dixi : *Ecce venio*, sciens sine dubio futurum esse quod satisfacientem pro omnibus et clamantem exaudires me. Hinc est quod clamans magna voce ad monumentum Lazari, non orat exaudiri se, sed : *Pater*, inquit, *gratias ago tibi quoniam exaudisti me ; ego autem sciebam, quia semper me amasti, me audis* (*Joan.* XI). Breviter autem concludendum est quia solus iste est, qui dicat, *clamavi ad te, quia exaudisti me ;* sanctus autem quilibet dicat, *quia clamavi ad te, exaudisti me.* Sequitur : *Circumdederunt me aquæ usque ad animam*

D *meam; abyssus vallavit me, et pelagus cooperuit caput meum : ad extrema montium descendi ; terræ vectes concluserunt me in æternum, et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* Quoniam in typo Christi propheta ejus et passus est et precem fudit, perpulchrum est singulas voces istas ostendere prolatas secundum ordinem passionis Christi, sicut actuum passionis ejusdem ordo processit. *Circumdederunt me*, inquit, *aquæ usque ad animam meam.*

Nimirum quando collegerunt pontifices et Pharisæi consilium, dicentes : *Quid facimus quia hic homo multa signa facit*, et cætera, *atque ab illo die cogitaverunt ut interficerent eum ibid.*), tunc circum-

dederunt eum aquæ usque ad animam, quia mortis ejus quasi judiciariam præfinierunt sententiam, *Abyssus*, inquit, *vallavit me*. Judas enim qui tradebat eum, cum accepisset cohortem et a pontificibus et Pharisæis ministros, venit cum lanternis et facibus et armis, tunc utique Dominum nostrum abyssus vallavit, abyssus videlicet iniquitatis, tenebrosum machinans secretum, secundum quod et ipse judicans dicit : *Sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum* (*Luc.* XXII). *Et pelagus cooperuit caput meum*. Profecto quando principe sacerdotum dicente : *Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Respondit : Tu dixisti*. Et propter hoc conclamaverunt, *dicentes* : *Reus est mortis ; et expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, et palmas ei in faciem dederunt* (*Matth.* XXVI), tunc pelagus caput ejus operuit. Ad extrema montium descendi ; veraciter quando ad petitionem dicentium : *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX), et non hunc dimittas nobis sed Barrabam, et inter sceleratos reputatus est, et medius duorum latronum crucifixus est, tunc ad extrema sive novissima montium descendit, ita ut veraciter de illo propheta prædixerit: *Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum et novissimum virorum* (*Isa* LIII). *Terræ vectes concluserunt me in æternum*. Revera quando convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum dicentes : *Jube ergo custodiri sepulcrum ejus usque ad diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum ; et illo dicente : Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis ; illi abeuntes munierunt sepulcrum signantes lapidem cum custodibus* (*Matth.* XXVII), tunc *terræ vectes concluserunt in æternum* secundum æstimationem eorum, qui gavisi sunt super eo, non putantes quod resurgeret, sed quod periret nomen ejus in æternum. Hoc erat falsum gaudium et vana spes illorum. Porro secundum rei veritatem futurum erat, ut non videret caro ejus corruptionem. Ait ergo : *Et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus*, id est conclusum vectibus terræ, oppressum signato lapide resurgere facies me tu, qui es Dominus et Deus meus, cujus ego servus et creatura sum secundum formam servi, secundum humanitatem cujus exanime corpus vectibus terræ concludi potuit. Sequitur : *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum*. Angustiam animæ suæ verbis patentibus ipse indicavit dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Amplius autem sudor ejus angustiam animæ ejus patefecit, qui juxta alium evangelistam, *factus in agonia, dum prolixius oraret*, sudorem emisit, *et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII). Tunc, inquit, *Dominus recordatus sum*, in eo videlicet ut consilio sive proposito divinitatis postponerem sensum, vel effectum carnis dicendo : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (*ibid.*). Quænam illa voluntas erat ? *Ut veniat*, inquit, *ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum*. Hoc volebas tu, ut per passionem meam gentes salvarem, quemadmodum in persona mea Spiritus sanctus per os David prælocutus est, dicens : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). Hoc erat beneplacitum coram te, ut taliter postularem, imo ego ipse et sacrificium, et oratio pro gentibus moriendo fierem. Judæos autem quamvis cognatos, sive contribules meos pro humanitatis affectu illis non præferrem, imo relinquerem. Quare ? Nimirum quia gentibus pœnitentiam agentibus, isti impœnitentes permanent, et hoc est quod continuo sequitur : *Qui custodiunt vanitates frustra misericordiam suam derelinquunt*. Quomodo Judæi vanitates custodierunt ? Vere multo labore et mira obstinatione, cujus cum indicia multa sint, hæc duo tantum pro testimonio commemorare, ad præsentem pertinet locum. Postquam illum occiderunt, solliciti fuerunt munire sepulcrum, *signantes lapidem cum custodibus*, causam istam fingentes, *ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum* (*Matth.* XXVII). Veraciter autem hoc intendentes, quod etsi post tres dies revivisceret, sicut recordebantur eum prædixisse, non posset prodire lapide oppressus, et sicut hic habemus vectibus terræ conclusus. Deinde cum quidam de custodibus venissent in civitatem, et nuntiassent principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant, illi *congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes : Dicite quia discipuli ejus venerunt nocte, et furati sunt eum nobis dormientibus* (*Matth.* XXVIII). Ita laboraverunt custodire vanitatem suam, ut etiam pecuniam darent copiosam, propter vanitatem custodiendam, ut in mendacio detinere possent veritatem Dei. Quæ vanitas magna est, et major, quam ut verbis eam quis possit consequi. Hoc ergo facientes, misericordiam suam reliquerunt, id est **185** gratiam remissionis peccatorum speraverunt. Unde notandum quia non dixit, qui faciunt *vanitates*, *frustra misericordiam suam derelinquent*. Neque enim aditum misericordiæ perdidissent, pro eo quod occidendo Christum, vanitatem fecerunt, nisi etiam permanendo in incredulitate, suamque perfidiam ponendo contra fidem Evangelii vanitates custodissent. Proinde multo melius dictum est, misericordiam suam dereliquerunt, quam si dicas misericordia sua illos dereliquit, quia videlicet misericordia nullum derelinquit, sed eam derelinquunt omnes custodes vanitatis, omnes defensores perpetratæ iniquitatis. Illud quoque non prætereundum quod dicendo : *Derelinquent misericordiam*, addit *suam*, quia videlicet propheticus, ut jam tractavimus de Judæis, sermo est, quorum Christus primum misericordia est. *Eorum enim adoptio est filiorum*, ut ait Apostolus, *et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium et promissa ; quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus*

in sæcula. Amen (*Rom.* IX). Igitur Judæi vanitates custodiendo, idem verbum Dei repellendo, et indignos vitæ æternæ semetipsos judicando, *misericordiam suam dereliquerunt*, et misericordiam non derelinquentem, imo visitantem eos repulerunt, tempus visitationis suæ cognoscere nolentes (*Luc.* XIX), non misericordiam sempiternam, sed gloriam temporalem quærentes. Sed vide adhuc quia dicturus, *misericordiam suam derelinquent*, præmisit *frustra*. Neque enim saltem servare potuerunt, quod occidendo Christum, sibimet reservare putaverunt, scilicet locum et gentem, imo et lucrosum templi vel sacerdotii sui privilegium, pro quo contra omnes gentes spiritu superbiæ nimis elati nomen magnum et grande emolumentum tanquam peculiaris unius Dei populus, capiebant de toto orbe terrarum. Non est factum secundum spem illorum, sed sicut ipsi verbum Dei repellendo, ut jam dictum est, indignos vitæ æternæ semetipsos judicaverunt, ita etiam felicitate præsentis vitæ indigni judicati sunt ut caderent in ore gladii et amisso loco captivi ducerentur in omnes gentes captivi. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque vovi reddam pro salute mea Domino.* Illi autem *misericordiam suam derelinquunt*, sed propter eos misericordiæ laus et gloria minor non erit. Nam *ego in voce laudis immolabo tibi*, linguas alias pro linguis eorum acquiram ut

A cantent tibi, sicut alibi scriptum est: *Propterea confitebor tibi in populis, et psalmum dicam ibi in gentibus* (*Psal.* LVI). *Quæcunque vovi reddam pro salute mea Domino*, id est ita gentes notitia tui nominis instruam, ita tuæ dilectionis igne ascendam ut vota multo plura, quam unquam Judæi voverunt, pro salute sua voveant, et reddant. Hæc ita dicit ut obediens, quippe ut Apostolus ait: *Didicit ex his, quæ passus est obedientiam* (*Hebr.* V). Siquidem passionibus et ipsa morte eruditus est ad impassibilitatem, qui eatenus passibilis pro carnis affectu fleverat super gentem suam, sicque immutatus est cunctis affectibus ejusmodi depositis, ut paratam voluntatem haberet, relinqueret illis domum suam desertam, et converti ad gentes. Ejus taliter eruditi vox illa per Psalmistam deprompta est: *Paratum*
B *cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam in gloria mea* (*Psal* CVII). Nam quod protinus sequitur: *Exsurge gloria mea, exsurge, psalterium et cithara* (*ibid.*), vox est Patris sive divinitatis, carnem de sepulcro suscitans. Unde et in hoc propheta in typum ejus continuo subjunctum est: *Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.* Dixit enim Dominus terræ et morti, et hunc Dominum nostrum Jesum Christum, qui erat mortuus, reddidit ad vitam, *solutis inferni doloribus, juxta quod impossibile erat, teneri illum ab illo* (*Act.* II).

LIBER SECUNDUS.

186 Jam in typum Domini nostri Jesu Christi qui, ut supra memoravimus, secundum Apostolum *didicit ex his quæ passus est obedientiam* (*Hebr.* V), Jonas quoque doctus erat per tribulationis magnitudinem obediendum esse imperio cœlesti, et ad hoc promptam gerebat voluntatem, voto astrictus in ventre ceti, sicut et ipse indicat, dicendo: *Quæcunque vovi, reddam pro salute mea Domino.* Hoc votum prospiciens *dixerat Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.* His enarratis, sequitur Scriptura et dicit:

CAP. III. — *Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo dicens: Surge et vade in Niniven civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem quam ego loquar ad te.* Magna instantia clemens Deus Ninivitarum quærebat pœnitentiam quam utique sciebat, tanquam Deus omnia sciens, audita prædicatione non defuturam. Sed dicet aliquis; Quare Dominus non solum Ninivitarum, sed omnium gentium Deus, magis de Ninivitis quam de cæteris gentibus curavit? Poterat enim fieri ut aliæ quoque gentes converterentur ad pœnitentiam, si prædicatores misisset illis Deus, sicut per semetipsum testatur ipse Dei Filius: *Væ tibi*, inquit, *Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœ-*

C *nitentiam egissent* (*Matth.* XI). Item: *Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in Capharnaum, permansissent forsitan usque in hanc diem* (*ibid.*). Quare ergo Tyro et Sydoni, Sodomis quoque prædicatorem aut prophetam nullum misit, sicut hunc Jonam tantopere ad Ninivitas ire cogit, cum et illas gentes, sicut et Ninivitas ad pœnitentiam converti posse præscierit? Nunquid illos salvos fieri noluit, et idcirco nullum ad eos misit? Videtur namque hoc consequi, quod eos salvos esse noluerit, quoniam testimonium perhibet illis quod pœnitentiam fuissent acturi, si prædicatores misisset eis, quod non fecit. Sed econtra dicit Apostolus, quia *vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II). Formosa quæstio, quæ et nostris quoque temporibus
D sollicitavit quamplurimos, proinde præsenti loco paulisper immorandum est. Primo dicendum quia, cum dicit Dominis de illis, *quia si factæ fuissent virtutes in eis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent*, quibus utique non procuravit ut fierent virtutes ejusmodi, non est consequens ut dicas, quia noluit illos salvos fieri, sed hoc tantum, quia de pœnitentia illorum non curavit. Esset quidem consequens, si omnis pœnitentia ad salutem sufficiens esset; nunc autem non ista est; ille namque solummodo pœnitentiæ tenor ad salutem perducit, cum

idcirco quis pœnitentiam agit, quia judicium universale et cœlorum regnum futurum esse credit, a quo excludendi sunt,et in gehennam mittendi peccatores.Cum ergo quis idcirco pœnitentiam agit,ut mala æterna evadat, et bona consequatur sempiterna,fidelis judicatur,et per fidem agendo pœnitentiam, salvatur. Nulli ex omnibus, quos ad talem pœnitentiam converti posse præscivit,Deus unquam prædicatores mittere seu notitiam veritatis ostendere neglexit.Est alia pœnitentia sive pœnitendi intentio, cum quis idcirco pœnitentiam agit; ut præsentia tantum sive præsentis sæculi mala effugiat,bona retineat, fidem aut curam non habens futurorum atque æternorum bonorum sive malorum.Si exempla requiras,talis pœnitentia fuit Achab,qui solummodo de sanguine Naboth, quem interfecerat ipse et Jezabel uxor sua, pœnitentiam egit, qui pro illo comminatus fuerat illi Dominus per Heliam dicens : *Ecce ego superinducam super te malum, et demetam posteriora tua ; et dabo domum tuam sicut domum Hieroboam filii Naboth filii Achia. Propter hoc scidit vestem suam, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite* (*III Reg.* XXI) : idcirco sic egit, ne regno privaretur temporali. Hujus intentionis pœnitentia si multum studiosa sit,adipisci meretur quod intendit, sicut prædictus Achab, de quo nunc Dominus ad Heliam dixit : *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus,sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus* (*ibid.*). Quod si segnior sit et a summis, ut ita dixerim, labiis proferat : *Peccavi*, nil proficit,quemadmodum *Saul dixit quidem ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini*; *sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum ut adorem Dominum, sed non obtinuit. Ait enim Samuel : Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Israel* (*I Reg.* XV). Porro prior ille et melior pœnitentiæ modus,quo non propter temporalia bona,sed propter ipsum Deum, et futuri sæculi fidem de peccato quis compungitur, interdum absque magno opere sive labore,in prima confessione suscipitur ; exempli gratia, ut *David qui, cum dixisset ad Nathan : Peccavi Domino, statim audivit : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris* (*II Reg.* XII). Igitur cum de Tyro et Sidone, Sodomis quoque dicit Dominus, *quia si factæ fuissent virtutes in illis,olim pœnitentiam egissent in cilicio et cinere*,sive permansissent forsitan usque hodie,ne aliquem suspicio perturbet, quod eos salvari noluerit, et idcirco virtutes in eis non fecerit, sciendum est duplicem esse modum, **187** sive intentionem pœnitendi, id est aliud esse cum pro metu mali temporalis sive præsentis,aliud cum pro fide regni Dei pœnitentiam quis agat. Et injusti quidem sunt vel fuerunt, qui pœnitentiam egissent, nonnisi pro emolumento temporali sicut egissent,ut ait Dominus, Tyrii et Sydonii. Injustissimi autem, qui neque propter temporalia, neque propter æterna mala evitanda pœnitentiam egerunt, quales erant Judæi, quibus et gehennam ignis æterni,et excidium quod facturi erant Romani comminabatur Dominus,et pro neutro ad pœnitentiam convertebantur. Idcirco Tyrii atque Sydonii,Sodomitæ quoque,veraciter quidem injusti,sed comparatione illorum justificantur, ita duntaxat, ut non salventur,sed ut sit eis remissius. Quid tandem de istis,id est de Ninivitis dicemus, quibus hunc prophetam Dominus ad prædicandum tantopere mittere curavit ? Nunquid pro fide regni Dei pœnitentiam erant acturi ? Non utique,sed pro metu temporalis excidii. Unde et in primo tempore ad hanc prædicationem pœnitentiam egerunt,et veniam consecuti sunt.Postea vero mala securitate recepta,in pristinis vitiis perseverantes Dei in se provocaverunt sententiam,et, Astiaxa rege Medorum regnante, apud Judæos Josia, subversi sunt. Quod sciens Tobias ait ad filium suum : *Prope erit interitus Ninivæ, non enim excidet verbum Domini* (*Tob.* XIV), *quod locutus est Jonas propheta*. Et subinde : *Video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei*, (*ibid.*). Proinde excepto mysterio,quo in pœnitentia Ninivitarum recte plurimum delectamur, signum quippe fuit pœnitentiæ gentium secundum Deum,valentis ad consequendum regnum cœlorum. Excepto, inquam, hoc mysterio nihil est in quo cæteris gentibus Ninivitas pœnitentes præferamus,aut præferre debeamus. Nam cæteræ quoque gentes similiter,id est pro temporalium rerum intentione,pœnitentiam agere potuissent, testante Domino, qui de Tyro et Sydone prædictam sententiam locutus est.Quod si quæritur adhuc cur ejusmodi experimentum contra impœnitentem Israel, de Ninivitis potius quam de cæteris gentibus, dare complacitum est Deo, et ostendere quod in comparatione Israelis justificati essent : quippe qui neque pro temporalium, neque pro æternorum metu malorum pœnitentiam ageret, vitulosque aureos desereret,breviter dicendum est : Ninive civitas magna metropolis Assyriorum erat. Intendebat autem Dei justitia tradere Israelem in manus Assyriorum, quod et factum est anno nono Oseæ. Cepit enim Salmanassar rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios. *Translatusque est Israel*, ait Scriptura, *de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc* (*IV Reg.* XVII). Præmonstratum ergo erat comparatione Israelis justificatos esse Assyrios, ne videretur Deus supplantare judicium, trahendo in manus eorum Israelem, qui se profitebatur peculiarem esse Dei populum. Injustum namque calumniatoribus videtur ut Assyriis, in terra sua potenter consistentibus, Israel Dei populus de terra sua transferretur, et in civitatibus Assyriorum perpetua captivitate detineretur. Causa rationabilis data est, quod scilicet Assyrii, saltem pro amore terræ ad pœnitentiam converti possent, quod de Israele diu frustra tentatum fuerat,et hujus causæ experimentum, per ministerium Jonæ quæ-

situm, et inventum est. Porro ad fidem futuri regni Dei suscipiendam tam isti quam illi nimis erant imparati, et idcirco neque manifeste Israeli sive Judæis, neque ullo modo Assyriis cæterisve gentibus tunc illud oportebat prædicari. Nunc ad ordinem prophetiæ revertamur, sacramentum Dominicæ resurrectionis in sequentibus præ oculis habentes, cujus in antecedentibus passionis mysterium spectabamus. *Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens : Surge et vade in Niniven civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem, quam ego loquar ad te.* Non dicitur prophetæ, quare non fecisti, quod tibi fuerat imperatum, sed sufficit ei naufragii et devorationis sola correptio, ut qui imperantem non senserat Deum, intelligeret liberantem. De Domino nostro homine Jesu Christo, in quo cum sit Deus, humanitas laboravit, illud notum esse debet, quia cum post mortis laborem in sepulcro quiesceret, *secundo, verbum Domini* ad eum *factum est,* ut ad prædicandum surgeret. Primo namque, ut superius tractavimus, verbum Domini ad eum factum fuerat, dum baptizaretur a Joanne, quando visus est super eum Spiritus sanctus in specie columbæ (*Matth.* III), et impletum est illud Isaiæ : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus, ad evangelizandum pauperibus misit me* (*Isa.* LXI), etc. Et illud quidem ipse de semetipso testatus est, dicendo : *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris* (*Luc.* IV). Illuc autem quod ad eum in sepulcro quiescentem, factum vel dictum est verbum, non ipse eodem modo recitavit, sed nihilominus notum est ex psalmo jam supra memorato, ubi vox Patris taliter dicit : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara* (*Psal.* CVII), subauditur ad confitendum mihi in populis, ad psallendum mihi in nationibus. Nam protinus persona Filii secundum corpus in sepulcro jacentis respondens, *exsurgam*, inquit, *diluculo*, subjungitque, *confitebor tibi in populis, et psallam tibi in nationibus* (*ibid.*), quod nimirum est prædicare in Ninive civitate magna. Prædicationem quam loquitur Divinitas, antiquum habens consilium de salvandis populis, sive nationibus sanctæ Scripturæ testantur. *Et surrexit Jonas, et abiit ad Niniven civitatem magnam juxta verbum Domini. Et Ninive erat civitas magna, itinere trium dierum. Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius, et clamavit et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* Juxta litteram, *Ninive civitas magna erat*, et tanti ambitus, ut vix *trium dierum* posset *itinere* circumiri. At ille præcepti et superioris naufragii memor, viam trium dierum unius diei festinatione complevit, quam et ita possit intelligi quod in tertia tantum parte urbis prædicaverit, et ad reliquos confestim prædicationis sermo pervenerit. Quod ex eo maxime perpendi potest, quod protinus subjungitur : *Et crediderunt viri Ninivitæ in Domino, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem, et pervenit verbum* A *ad regem Ninive.* Non dixit, et pervenit Jonas, sed *pervenit verbum ad regem Ninive.* Et quis super hoc dubitet quod fama tantæ rei pedibus prophetæ velocior fuerit, præsertim cum ille toto die ingrediens clamaret, et clamando utique paucis in ipso primo introitu innotesceret ? Videtur ergo facilitas Ninivitarum ad pœnitentiam in eo commendari, quod antequam Jonas perveniet ad regem Ninive præveniente fama verbi Domini, ille crediderit. In mysterio quoque amplius sensus iste placebit. *Ninive* quoque *civitas magna itinere trium dierum*, mundus iste est sive orbis novissimarum trium partium, scilicet Asiæ, Europæ, et Africæ. Hunc orbem terrarum trifidum Christus Jesus post passionem et resurrectionem suam, introivit *itinere diei unius*, id est B illustravit illustratione Dei unius, ut gentes, quæ multa falsarum portenta deorum sectabantur, unum Deum cognoscentes, **188** ab errore suo liberarentur. Non quidem in persona sua ad gentes profectus est, sed in apostolis suis in quibus ipse utique loquitur, quos cum mitteret, dicens : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII), hoc quoque dixit : *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*ibid.*). Igitur ipse ad Niniven, id est ad gentes venit, quia veraciter cum illis est, et in ipsis loquitur, quos ipse misit. *Adhuc*, inquit, *quadraginta dies et Ninive subvertetur.* Et est sensus : Adhuc tempus pœnitentiæ vobis gentibus datum est, et hoc tempus in sua poteC state posuit Deus, quod cum impletum fuerit, consummabitur mundus, et per ignem judicabitur. Numerus quippe quadragenarius pœnitentialis est. Nam et Moses quadraginta diebus in monte Syna (*Exod*, XXIV, XXXIV), et Helias fugiens Jezabel, quadraginta diebus jejunavit (IV *Reg.* XIX), et ipse Dominus verus Jonas, missus ad prædicationem mundi quadraginta diebus jejunans (*Matth.* V), hæreditatem nobis jejunii quadragenarii reliqui, ut per singulos annos sacramentum ejus paschale celebraturi, ad esum corporis et potum sanguinis ejus per tot dies præparemur. Itaque *adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*, id est adhuc tempus pœnitentiæ breve datum est gentibus, post quod jam non erit tempus, sicut et Apocalypsi sua Joannes angelum D fortem de cœlo descendentem, qui est Christus, ipse Dei Fillius, dum juramento firmasse testatur : *Et angelus*, inquit, *quem vidi stantem super mare, et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per Viventem in sæcula sæculorum, qui tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos prophetas* (*Apoc.* X). Mysterium Dei consummabitur, *Ninive subvertetur*, mundus per ignem judicabitur, homines impii cum diabolo et angelis ejus in ignem æternum mittentur, tempus pœnitentiæ non erit amplius. Talis vel tantæ rei prædicatio clamor utique est, et fragor omni aures habenti terribilis, ita ut nihil sit ter-

ribilius hoc auditu, quemadmodum et ille senserat, qui ita loquitur : *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei injustitia detinent* (*Rom.* I). Bene ergo et hoc ad mysterium pertinet, quod Jonas introiens civitatem clamasse dicitur quia *Ninive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ in Dominum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majori usque ad minimum. Et pervenit verbum usque ad regem Ninive. Et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere, et clamavit, et dixit : In Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant, et operiantur saccis homines, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a sua via mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non pereamus* ? Res gesta valde memorabilis expositione non indiget, sed hoc semper memoriter tenendum est, quia in condemnationem Israelis hoc provenit, quod Ninivitæ pœnitentiam tam cito tamque studiose egerunt pro metu malorum temporalium, Israel autem toties correptus, per prophetas commonitus, neque pro temporalium, neque pro æternorum timore malorum pœnitentiam egit, ut recederet a peccatis Hieroboam, et aureum cultum desereret vitulorum. Porro in mysterio multo delectabilius est, quod crediderunt viri Ninivitæ in Dominum, id est quod Judæis contradicentibus et blasphemantibus, gentes Christi receperunt Evangelium, et gavisæ sunt, et glorificaverunt Deum. Nam *prædicaverunt* quidem *jejunium, et saccis vestiti sunt*, id est omnimoda humilitatis compositione ad tantam gratiam sese comparaverunt, sed hoc cum gaudio fecerunt, præ oculis habentes jucundum præsentis tristitiæ fructum, scilicet remissionem, et apertum sibi regnum cœlorum. *Et pervenit*, inquit, *verbum ad regem Ninive*. Si totus mundus Ninive, quid nisi Romanum imperium intelligimus per regem Ninive ? Denique Romanum imperium sic terrore et potentia cunctis regnis præeminebat, quomodo ducibus sive satrapis in quolibet regno præeminet regia potestas. Ad hujusmodi regem Ninive verbum priusquam ipse Jonas pervenit, quia videlicet Roma caput mundi, priusquam videret apostolos Christi, Evangelium ejus audivit, et sapienter appendens, fidem, et acceptione dignum sermonem judicavit, magnumque cæteris gentibus fuit exemplum credenti. Neque enim contemnendum putarent quod sapientia Romana rationabile esse sua credulitate comprobasset. Unde gratulatus Apostolus : *Primum quidem, ait, gratias ago Deo meo semper per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo, obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos* (*Rom.* I). Nondum ergo ad eos venerat, sicut adhuc amplius subjungendo manifestat : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc*, (*ibid.*), etc. Præveniente igitur verbo ad ejusmodi regem Ninive, ille *surrexit de solio suo*, etc., ut supra. Usque adeo profecit auditus verbi, et paulatim invaluit, ut de altitudine gloriæ sæcularis demitteret, et subtus se curvaret genu verticemque inclinaret tanti imperii baptizato imperatore Constantino per beatum Sylvestrum pontificem apostolicæ sedis. Nam in illo quantum Evangelio Christi terrena potestas assurrexerit, licet satis notum sit, paulisper tamen commemorandum est ex privilegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod idem Constantinus imperator constituit. In quo inter cætera sic dicit : *Decrevimus quidem et hoc,*
B *ut idem venerabilis Pater noster Sylvester summus pontifex, vel ejus successores omnes pontifices diademate, videlicet corona quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo, et gemmis pretiosis uti debeant, et eorum caput ad laudem Dei et Domini nostri pro honore beati Petri apostoli gestare. Ipse vero beatissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri apostoli omnino ipsa ex auro non est passus uti corona. Phrygium vero candidi nitoris, splendidam resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, et tenentes frenum equi ipsius pro reverentia beati Petri apostoli, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes, eodem phrygio omnes successores ejus singulariter uti in processionibus, ad mirationem imperii nostri. Unde ut non pontificalis*
C *apex vilescat, sed magis amplius quam terreni imperii dignitas et gloria potentiæ decoretur. Ecce tam palatium nostrum ut prælatum est, quamque Romanæ urbis et omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca, et civitates, præfacto beatissimo pontifici patri nostro Sylvestro universali papæ tradentes atque relinquentes ei, et successoribus ipsius pontificatus, a quorum potestate, et ditione per hanc nostram divalem et sacram pragmaticam constitutionem decernimus disponenda atque juri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda. Unde congruum prospeximus* **189** *nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus, et in Byzantii provincia, in optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, et nostrum illic constitui impe-*
D *rium, quoniam ubi principatus sacerdotum, et Christianæ religionis caput, ab imperatore cœlestium constitutum est, justum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem.* Nimirum, cum hæc jam dictus Constantinus dixit, et fecit, nunc rex Ninive *de solio suo surrexit*, tunc Romanum imperium verbo Domini assurexit, *et abjecit vestimentum suum a se*, id est illas quibus involutus fuerat, religiones fanaticas reliquit, suscepta Christiana religione, *et induit saccum, et sedit in cinere*, ut videlicet ordinate post asperitatem pœnitentiæ, circumdaretur delectamento justitiæ, dicens cum Psalmista : *Conscidisti saccum meum et circumdedisti me lætitia* (*Psal.* XXIX). *Re-*

ligiosus namque mos et ordinata est traditio professionis evangelicæ, ut prius de pristinis erroribus pœnitentia suscepta catechizetur quisque sacramento passionis Dominicæ, et deinde Christo consurgat in sacro baptismate, gaudens de prima resurrectione, id est de peccatorum remissione. Hujus sacramenti, et omnis Ecclesiæ religionis lux et ordo multimodis jam antedictæ Romæ munitur ac roboratur decretis, eo quod beati principis apostolorum Petri sedes facta sit, ejusdem et consortis ejus Pauli, sicut prædicatione illustrata, ita et martyrio coronata, cunctis Ecclesiis caput altius extulerit, latiusque denominetur per omnes gentes sacra pontificum ejus lingua, quam dominata fuerit Cæsarum sive Augustorum purpura. Bene ergo et hoc mysterio congruit, quod rex Ninive clamavit, et dixit: *In Ninive ex ore regis et principum ejus dicens: Homines, et jumenta, et boves et pecora non gustent quidquam*, etc. Sicut enim tunc secundum edictum regis Ninive fieri oportuit, ita secundum fidem et traditionem beatorum Petri et Pauli, qui sunt vel esse debent os et lingua Romanæ sedis, ordinem ecclesiasticum oportet observari. Sane homines et jumenta saccis operta, et clamantia ad Deum rationabiles et irrationabiles, sive prudentes ac simplices intelligere debemus ad prædicationem Evangelii pœnitentiam agentes, juxta quod alibi dicitur: *Homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Psal.* XXXV). Dicendo autem: *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus*, ambiguum ponitur et incertum, ut, dum homines dubii sunt de salute, non tamen desperent, imo fortius agant pœnitentiam, et magis Deum provocent ad misericordiam. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitia quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit.* Non tunc primum vidit, quando sic operti sunt, non, inquam, tunc primum vidit saccos eorum, quando se illis vestierunt, sed jamdudum viderat priusquam mitteret illuc prophetam, quando prophetas occidebat Israel prædicentes instantem sibi captivitatem, et non incertus præscierat quod, si longe ad gentes mitteret prophetas, tale quid nuntiando, illi audirent et pœnitentiam agerent. *Vidit* ergo, id est videre fecit, per hoc experimentum, quam damnabilis esset Israel, in comparatione gentium, ut non solum prophetæ, sed et totus orbis terrarum audiens, justum comprobaret esse judicium in eo quod gentibus Deus misereretur, Israeli non misereretur, eo quod converterentur de via sua mala, Israel autem perseveraret absque pœnitentia. Malitiam hic pro afflictione accipimus, id est pro subversione Ninive, quam fuerat locutus, quam per prophetam fuerat comminatus. Nec vero mutabilitatis est, quod quasi pœnitens Deus sæpe dimittit, quod fuerat comminatus, imo maxime stabilitatis et animi est incommutabilis, quia videlicet illa intentione, ut pœnitentiam agant, solet comminari peccatoribus. Proinde et hic cum dicit: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* Et in lege dicit, qui fecerit hoc vel hoc, morte morietur. Sed et in Evangelio cum loquitur: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt* (*Matth.* XXVI), prudens lector subaudire debet, nisi conversus fuerit, nisi pœnitentiam egerit, juxta illud: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit* (*Psal.* XVII), id est qualis pœna vel sententia peccatum consequatur jam præscripsit, quam profecta tunc adimplebit, nisi conversi fueritis.

CAP. IV.—*Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est, et oravit ad Dominum, et dixit: Obsecro, Domine, nunquid non hoc est verbum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus meus clemens, et misericors, patiens et multæ miserationis, ignoscens super malitia. Et nunc, Domine, quæso, tolle animam meam, quia melior est mihi mors quam vita.* Afflictionem et iram prophetæ, sed et verba ejus dicentis, *et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me*, etc., ut rite perpendamus, afflictionem quoque Mosi et iram ejus, et verba ejus præ oculis habere debemus, quia videlicet et ille afflictione magna afflictus est, et iratus fuit, et dolenter locutus, quando peccavit populus. Nam afflictionem suam ipse denarrans: *Cumque vidissem*, ait, *nos peccasse Domino Deo nostro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, procedi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens* (*Deut.* IX), etc. Iram suam in eadem causa foris patefacit, dum stans in porta castrorum, ait: *Si quis est Domini jungatur mihi, congregatisque ad eum omnibus filiis Levi, ponat*, inquit, *vir gladium super femur suum. Ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem et amicum, et proximum suum. Feceruntque ita, cecideruntque in illo die quasi viginti tria millia hominum* (*Exod.* XXXII). Porro verba ejus nimium dolentis et afflicti ista sunt: *Obsecro autem, dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* (*ibid.*). Itaque et hujus afflictionem et iram, et verba dicentis: *Tolle, quæso, animam meam*, eodem sensu ponderemus, quia videlicet inde afflictus est afflictione magna, quod Israel judicio divino cadebat, et in comparatione ejus justificabatur Ninive, Assyriorum civitas, credendo et pœnitentiam agendo, nec refragari poterat quin recta esset sententia, ac justa incumberet suæ genti captivitas. Afflixit se Moses pro populo, ut exaudiretur, afflictus est ille afflictione magna, eo quod non exaudiretur. Iratus est Moses ira justa et zelo bono dicendo: *Ponat vir gladium super femur suum, cecideruntque viginti tria millia*, iste autem iratus quidem est, sed non potuit iram suam actu adimplere, ut averteret iram Domini a populo puniendo, id est auctores sive sacerdotes vitulorum, sicut Elias quoque occiderat sacerdotes Baal, quadringentos quinquaginta viros (*III Reg.* XVIII). Tædio ergo habens vitam suam, non dixit cum conditione, ut Moses. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si*

non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, sed absolute : *Tolle*, inquit, *quæso, animam meam, quia melior est mihi mors quam vita*, subauditur, quia timor, quem timebam, evenit mihi, et quod verebar, accidit; hoc timebam, et hoc verebar, *quia tu Deus clemens et misericors, patiens, et multæ miserationis*, parares ignoscere, et veniam dare pœnitentibus Ninivitis, et in illorum pœnitentia demonstrare quam damnabilis esset impœnitens Israel, et quod **190** damnationem ejus non tua inclementia, sed ipsius faceret impœnitentia. Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis, videlicet non quod veniam Ninivitis, vel pœnitentiam inviderem, sed quod gentem meam quondam præ cæteris gentibus electam, nunc cæteris pejorem, et plus duræ cervicis inveniri timerem. Porro, cum Jonas typus Christi sit, quomodo Christo convenit affligi et irasci, postquam resurrexit a mortuis, sicut Jonas cum sic affligeretur et sic irasceretur, exierat de ventre ceti ? Nam ante resurrectionem suam, afflictus quidem fuisse et iratus de suæ gentis perditione legitur, quando videns civitatem, flevit super illam, et ingressus templum vendentes et ementes in illo terribiliter ejecit (*Luc.* XIX). Sed postquam resurrexit a mortuis, sicut jam non moritur, ita etiam non affligitur. Ergo sicut non per suam personam ad gentes venit, et tamen recte venisse dicitur, videlicet per apostolos suos, in quibus ipse loquitur, sic nihilominus in eisdem affligi recte dicitur, quia afflicti et contristati sunt, licet in sua persona jam non affligatur. Afflictorum unus, in quo sine dubio Christus loquitur, ita dicit Paulus apostolus : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (*Rom.* IX), etc. *Et dixit Dominus ad Jonam : Putasne bene irasceris tu ?* Quod ad unum Jonam dicit Dominus, hoc ad omnes dicit, qui pro officio suo de hominibus curantes irascuntur. In ipsa namque ira sua revocandi sunt intus, ut causam sive intentionem suam respiciant et attenta discretione perpendant utrum bene irascantur an non. Nam si non hominibus, sed hominum peccatis irascuntur, si non homines, sed hominum vitia oderunt, et persequuntur, bene irascuntur, et bonus est in eis zelus. Si autem non peccatis, sed hominibus irascuntur, si non vitia, sed homines oderunt, et persequuntur, male irascuntur, et malus est in ipsis zelus. Hoc igitur vigilanter attendendum et decernendum est omnibus, dum uni dicitur : *Putasne bene irasceris tu ? Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra Orientem civitatis, et fecit sibimet ibi umbraculum, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati, et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum, laboraverat enim. Et lætatus est Jonas super hedera, lætitia magna. Et præparavit Deus vermem ascensione diluculi in crastinum, et percussit hederam, et exaruit. Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti, et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat, et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit melius est mihi mori, quam vivere.* Afflicto et irato prophetæ amplius impenditur, unde magis ac magis affligatur et irascatur, quia videlicet per hanc similitudinem hederæ, tam cito exortæ, et tam cito arefactæ prophetico spiritu intelligere poterat antequam fieret, id quod intelligimus nos quia factum est, videlicet quod non solum tunc instanti tempore decem tribus, Assyriis tanquam justioribus, utpote impœnitentes et pœnitentiam pronis, verum et ipsa Hierusalem et tota gente relicta, quandoque ad gentes transitura foret salus. Et secundum historiam quidem, hæc quæ nunc dicuntur : *Et egressus est Jonas de civitate*, et cætera posteriora sunt præcedentibus; secundum mysterium autem, anteriora sive priora sunt. Nam quod *egressus est Jonas de civitate, et sedit contra Orientem civitatis*, illud mystice nobis insinuat quod Dominus sive verbum Domini, totius mundi gentes in initio reliquit, ut Apostolus ait : *Vias suas ingredi permisit* (*Act.* XIV). *Fecitque sibimet umbraculum*, scilicet Patres Abraham, Isaac, et Jacob assumendo, et genus illorum eligendo, quia requiem sibimet invenit in fide illorum. Hoc est namque quod ait : *Et sedebat subter illud in umbra donec videret, quid accideret civitati.* Sic enim intra generationem eorum sese continuit, donec veniret tempus reconciliationis gentium quod ipse præscivit. Quod subinde subjungitur : *et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum* (*laboraverat enim*), illud mystice intelligimus, quod post suave umbraculum fidei Patrum legem dedit, et religionem sacerdotalem per Mosen instituit, ut sub illa contegeretur verbum Domini, sive spiritus veritatis, adopertus figuris, et utilitate litteræ, quæ congrue significatur per viriditatem levis hederæ, sive, ut quidam volunt, cucurbitæ. Denique cucurbita et hedera hujus naturæ sunt, ut per terram reptent, lata habentes folia, in modum pampini, et absque furcis vel adminiculis, quibus innitantur, altiora non appetant. Sic nimirum littera legis cunctarumque cæremoniarum lata est, et umbra densissima, semetipsam obscurat. Et nisi spiritualis intelligentiæ adminiculis sublevetur, neque alta neque pretiosa est. *Et lætatus est*, ait, *Jonas super hederam lætitia magna*, quia videlicet verbum Domini, quod est Christus, in prophetis et sanctis hominibus habitans, priusquam incarnaretur, sub illa interim servabatur, et honorabatur etiam ab ignorantibus, quibus pro ratione temporis celabatur et celari oportebat quod sub umbraculo litteræ contineretur. Nec vero incongrue *lætitia magna* in ejusmodi *lætatus* post laborem fuisse dicitur, quia nimirum pro parte illorum, qui inter illas cæremonias complacuerunt, lætabatur, qui per fidem suam illum lætificaverunt, imo et ipsius lætitia fuit lætitia ipsorum, quando illi lætabantur in ipso,

exempli gratia, ut *David*, quando reducens arcam Domini, *ludebat coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis*, et subsiliebat, atque *saltabat; et ludam*, inquiens, *et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* (*III Reg.* VI). In ejusmodi noster Jonas, id est Christus sive verbum Domini, necdum incarnatum, revera tunc lætitia magna lætabatur, et requiescebat, *laboraverat enim*, videlicet mores populi illius in deserto sustinendo, nec lætari desiit, donec inde carnem assumeret, et Deus homo fieret. At vero ubi Christus passus est, et resurrexit, prædicari cœpit Ninivitis, id est cunctis gentibus pœnitentia, et remissio omnium peccatorum in nomine ejus. Tunc omne illud umbraculum legis, et cæremoniarum dissipatum est, ita ut et civitas Hierusalem, et ipsum templum omnino destrueretur, sicut toto orbi notum est. Exaruit ergo hedera a verme percussa *in ascensu diluculi*, id est revelatione resurrectionis Domini nostri, qui diluculo resurrexit. Vermis hic recte Romanum imperium intelligitur, sicut et in Johel per erucam, locustam, bruchum atque rubiginem, quatuor principalia regna intelliguntur, quorum ultimum Romanum fuit. Nam primum Babylonicum fuit, secundum Persicum, tertium Macedonicum exstitit, a quibus locus et gens illa diversis temporibus lacerata, tandem a Romano imperio irrecuperabiliter est destructa, quod ad hoc ipsum utique Dominus præparaverat, juxta quod hic dicitur, quia *vermem paravit Dominus*. Itaque sicut per pœnitentiam Ninivitarum conversio gentium, sic per ariditatem hederæ significata est desertio Judæorum. Quod deinde sequitur: *Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti, et percussit sol caput Jonæ, et æstuabat*, illam significat tribulationem, quam in discipulis suis Christus pertulit, ab ipsis Judæis, interim **191** dum parabatur vermis ad percutiendam hederam, id est dum differretur Romanorum adventus ad subvertendam Judæam, etiam priusquam ab hominibus subverteretur, jam coram Deo subversam, et ex quo Christi sanguinem fudit omnino arefactam. Inde fuit illa grandis afflictio et ira Jonæ, de qua supra dictum est, qui afflictione magna afflictus et iratus est. Tristitia namque magna fuit apostolis, cæterisque discipulis ex ea gente, tam ex spiritu charitatis quam ex affectu consanguinitatis, ita ut illis tanquam fratribus afflicto corde condolerent, et tanquam ore severo increparent. Exempli gratia, ut protomartyr Stephanus qui magna charitate compatiens, clamavit dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VI), et magna severitate redarguens: *Dura*, inquit, *cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri* (*ibid.*), etc. *Et dixit Dominus ad Jonam: Putasne bene irasceris tu super hederam? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus quam* CXX *millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram et sinistram suam, et jumenta multa*. Manifeste hic tanquam argumentum a majore factum est ad constringendum prophetam ut consentiat, et consentiendum esse censeat misericordiæ circa pœnitentiam Ninivitarum. Nam sine ulla contradictione majus est homo unus, imo et jumentum unum anima et sensu vigens, quam CXX millia hederarum sive cucurbitarum, quæ et si aliqua qualicunque vita vivunt, nullius tamen habent sensus officium. At ille super ariditate unius hederæ sive cucurbitæ magis irascebatur, quam super eversionem doleret, si venisset secundum suam prophetiam, CXX millium hominum multorumque jumentorum, et qui irascebatur non servari sibi hederam in qua ipse non laboraverat, æquanimiter tulisset, ut subverteret Deus tot homines totque jumenta quæ creaverat. Sed objici potest quia tanquam propheta spiritu præsago prævidebat quid illa præsignaret cucurbitæ ariditas. Ninive servata, scilicet quod sua gens Israelitica in comparatione gentium multo damnabilior esset jumento, et ob hoc irascebatur, et humano affectu propinquitati suæ condolebat. Ad hoc itaque scienter dicendum quia tota illa propinquitas, omnis illa multitudo Israelitica quæ verbum Domini non recipiebat, imo prophetas verbi Domini præcones occidebat, et ob hoc in captivitatem ducenda erat, juste coram oculis Domini reputabatur tanquam hedera sive cucurbita. Nam in alio propheta vocem audivimus dicenti: *Clama. Et illo dicente, quid clamabo? Omnis caro fenum, et omnis gloria eius quasi flos fni, et exsiccatum est fenum, et cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai.* XL). Ergo et Israel quoniam non recipiebat verbum Domini manens in æternum, fenum erat, et idcirco congrua similitudine monstratum est Jonæ, quanti æstimari deberet illa carnalis propinquitas sua, pro qua æmulabatur contra Ninivitas, tanquam si diceret illi Dominus: Israel sic mihi est tanquam hedera sive fenum, quia non manet in eo verbum Domini. Ninivitæ autem qui audierunt et crediderunt, homines sunt, jumenta sunt, id est tanto superant Israelem incredulum, quanto hederam sensu carentem superant jumenta quæ vivunt et sentiunt, sive homines qui vivunt, sentiunt atque discernunt. Adde et hoc, quod tot homines viventes nesciunt quid sit inter dextram et sinistram suam, Israel autem habens legem et prophetas, excusationem habere de ignorantia non potest. Si ergo dolor admittat rationem correptus propheta sine dubio fatetur, zelo hominis justiorem esse Dei clementiam. Ut tandem et hoc ipsum ad Christi personam in mysterio referamus, primum illud reminiscamur, quod agonizans in passione sua: *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Deinde subjungens: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*ibid.*) Contristabatur enim pro futura eversione Hierosolymorum in sanguinis sui vindictam,

unde et antea videns civitatem, fleverat super illam, et illa tristitia sive fletus erat ex carne infirma, nam spiritus promptus erat, sciens non esse curandum de carnalitate, sed de sola justitia divina. Dicat ergo spiritus promptus carnis infirmæ: *Tu doles super hederam in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret*, etc. Denique tota pulchritudo civitatis, et cultus templi speciosi, quasi hedera pro parvo haberi debuit in conspectu Divinitatis, pro qua utique noster Jonas, id est columba sive dolens Christus non laboravit. Neque enim idcirco Deus homo factus est, laboremque subiit passionis, ut in tali templo sive in illis gloriaretur aut requiesceret carnalibus templi cæremoniis, sed idcirco ut salvaret Ninive, ut passione sua redimeret mundum secundum illam Dei Patris propheticam vocem: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). *Sed nec fecisti*, inquit, *ut cresceret herba*, id est nec exegisti ut tibi offerrentur ejusmodi victimæ et holocausta, juxta illud Hieremiæ: *Non sum locutus*, ait, *cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum et victimarum sed hoc præcepi eis dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus* (*Jer.* VII), etc. Ejusmodi hedera sub nocte una nata est, et sub una periit, quia videlicet cito legem populus ille recepit, dicendo: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus et erimus obedientes* (*Exod* XXIV). Cito deseruit, primum sequendo Hieroboam, et di-

A cendo: *Non est pars nobis in David* (*III Reg.* XII), atque serviendo aureis vitulis, et deinde secundum persuasionem pontificum denegando et crucifigendo Christum Filium Dei. Dicat ergo, ut jam præfati sumus, spiritus promptus infirmæ carni. *Tu doles super hederam*, id est super propinqua tua gente Judæa, et ego non parcam Ninive civitati magnæ, non providebo saluti gentium in toto orbe, quæ ignorant, et errant? Multa namque sunt in gentibus millia hominum qui ad simulacra muta prout ducuntur; eunt, non per malitiam, sed per ignorantiam, et sine dubio vias suas corrigerent si haberent veritatis notitiam, si ostensum fuerit illis quid sit inter dextram et sinistram suam, id est inter Dei veritatem et hominum mendacium. Quod quia non-
B dum sciunt, similes sunt puerulis qui præ imbecillitate infantiæ nesciunt quid sit inter dextram, et sinistram suam, id est quæ manus, utrum dextra an sinistra valentior et usui cuilibet aptior sit, quia nondum sunt experti, æqualiter enim adhuc pro tempore, quia nuper de vulva prodierunt, utrumque brachiolum, utraque manus omnino imbecillis est. Talium plus quam CXX millia erant in illa Ninive, utpote civitate magna. Nam, cum esset ampla trium dierum itinere, non incredibile est tantam in ea fuisse multitudinem, solummodo parvulorum et lactantium, qui, sicut jam dictum est, nullum dextræ et sinistræ suæ, quænam amplius valerent, ceperant experimentum.

PROLOGUS RUPERTI IN MICHÆAM PROPHETAM.

192 Michæas sextus in ordine duodecim prophetarum secundum nomen suum, quod interpretatur *humilitas*, in oculis suis fuisse humilis credendus est. Mysterium namque venturi Christi Filii Dei, quod non superbis, sed humilibus ab initio revelatum fuit, juxta quod ipsemet ore proprio pronuntians: « Confiteor, inquit, tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (Matth. XI), » ita huic revelatum est, ut non solum quod venturus vel nasciturus esset, verum etiam locum nativitatis ejus præsciret et prædicaret: Ait enim: « Et tu, Bethleem Ephrata, parvula es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis (Mich. V). » Hoc de dominatore Christo, et de nativitatis ejus loco dictum esse per hunc humilem, nec superbi dubitare potuerunt, qui Herodi sciscitanti ab ipsis ubi Christus nasceretur, respondentes, in Bethleem Judæ debere nasci, testimonio præsenti usi sunt. Hoc plus cæteris prophetis hic accepisse videtur, ut locum quoque designaret nativitatis ejus, præter sanctum David, qui magna cum afflictione et vigiliis atque oratione se hoc ipsum quæsisse et invenisse commemorat, cum dicit: « Memento, Domine David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei. Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (Psal. CXXXI). » His namque verbis juxta litteralem sensum declarat se cum accepisset promissiones Christi de semine suo nascituri, locum quoque scire voluisse ubi nasceretur, et pro hoc desiderio vovisse quod nullam suo corpori requiem indulgeret, nisi prius desideratæ rei notitiam consequeretur. Etenim dum protinus subjungit: « Ecce audivimus eam in Ephrata (ibid.), » oranti sibi revelatum esse clara voce pronuntiat, nativitatem ejus futuram in Bethleem civitate sua, quia videlicet Ephrata ipsa est Bethleem. Quod ergo David tanta cum instantia supplicanti revelatum est, non parva gratia percepit et hic secundum nomen suum humilis natus de Morasthi, quod interpretatur *hæreditas*, et erat viculus haud grandis. Cujus videlicet vocabuli mysterium eidem nihilominus congruit, quemadmodum et cæteris omnibus, quorum hæreditas est verbum Domini, et dicere possunt cum David: « Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt (Psal. CXVIII). » Hic, ut jam dictum est, sextus sit in ordine duodecim prophetarum, nimirum quasi in corde voluminis positus, profunda mysteria continet, et in perscrutando difficultas est. Cum ergo et difficile sit et temerarium possit judicari, post magnorum studia patrum, nos extremos subsequentes aliquid in hujusmodi profunditatibus scrutari, jam cessandum putaremus ab intentione scribendi, sed talis interim mentis nostræ debilitas sese aperit, ut ex ipsius consideratione commoniti, illius recordaremur versiculi: « Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis (Psal. CXXXVIII). » Tædium namque in otio patimur vitæ præsentis, et quasi dormitando viam facimus vanis cogitationum phantasiis, nec est aliud præter hujusmodi studium,

quod animi nostri statum confirmare possit, utpote inopis atque inertis secundum similitudinem servi, qui neque quinque talenta neque duo, sed unum tantum accepit (*Matth.* xxv). Unum talentum est intellectus, quo nostra pravitas sese sentit esse muneratam, et propterea fugiendum est sibi exemplum servi nequam, qui fodiendo in terram talentum abscondit, et nullam saltem alicujus boni sermonis reportavit usuram. Qualitercunque autem alii de nostra intentione judicent, hoc intendere nos profitemur, ut meditando atque scribendo præsentis vitæ revelemus tædium, consolemur exsilium, et hæreditate acquiramus testimonia Christi Filii Dei in æternum. Illum ergo attendentes, qui omnibus servis suis dicit : « Negotiamini dum venio (*Luc.* xix), « lucrum conquiramus etiam de propheta isto.

---

193 IN MICHÆAM PROPHETAM COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

CAPUT I. — *Verbum Domini quod factum est ad Michæam prophetam Morasthiten, in diebus Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, quod vidit super Samariam et Hierusalem.* Verbum Domini quod descendere consuevit ad prophetas, descendit ad Michæam quoque, quod, ut jam dictum est, interpretatur *humilitas*, qui de Morasthi loco, videlicet humili et viculo non grandi, ortus erat, quod nomen in nostra lingua *hæredem* sonat, unde etiam supradictum est. Hujus verbi Domini, verbi prophetici, summa intentio est, sicut et in cæteris prophetis declamare ruinas imminentes Israelitico populo, quas de multitudine gentium instaurari oporteat per adventum Christi. Ruinæ autem ejusdem Israel duplices sunt, dum et interius a gratia Dei, vel vita æterna cadunt, et exterius de terra, quam Dominus dederat possidendam, captivi ducuntur per manus hostium. Utraque hæc mala, tam iste quam cæteri prophetæ, prænuntiantes ingemiscunt, et in Christo venturo, quem annuntiant, consolationem recipiunt. Libet ergo in primis prophetiam hanc per partes suas distinguere, quia, si rite animadvertimus, tertio repetita sunt in hoc propheta, ea quæ diximus, scilicet conquestio sive deploratio cadentium Israelitarum, qui tanquam naturales rami de bona radice producti, per infidelitatem fracti sunt, et consolatio de adventu Christi, per cujus gratiam de gentibus, tanquam de oleastro rami non naturales inserti sunt (*Rom.* xi). Primum in exordio, intentione ad audiendum excitata, quod sic se habet : *Audite, omnes populi, et attendat terra et plenitudo ejus.* Rejectionem illius gentis, et causas rejectionis sic incipit : *In scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israel.* Quod scelus Jacob ? Nonne Hierusalem ? Ita incipiens et declamans usque ad id : *Utinam essem vir non habens spiritum, et mendacium potius loquerer stillabo tibi vinum et ebrietatem, et erit super quem stillatur populus iste* (*Mich.* ii), continuo fidem patrum super carnalium filiorum amissione consolatur in Christo, per quem damna illorum de gentibus recuperantur. Ait enim : *Congregatione congregabo Jacob, totum in unum conducam reliquias Israel, partem ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum tumultuabuntur a multitudine hominum. Ascendet enim pandens iter ante eos, dividet, et transient portam, et egredientur per eam, et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum* (*ibid.*). Deinde secundo repetens ac dicens : *Audite, principes Jacob, et duces domus Israel, nunquid non vestrum est scire judicium,*

A *qui odio habetis Dominum, et diligitis malum*, etc., usque ad id *propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi excelsa silvarum* (*Mich.* iii). Continuo consolationem jam dictam in Christo repromittens dicit : *Et erit in novissimo dierum præparatus mons domus Domini in vertice montium, et sublimis erit super colles, et fluent ad eum populi, et prophetabunt gentes multæ* (*Mich.* iv), etc. Inter quæ locum quoque nativitatis ejusdem Christi prænuntiat his verbis : *Et tu Bethleem Ephrata, parvula es in millibus Judas ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel* (*Mich.* v). Deinde tertio repetens ac dicens : *Audite quæ Dominus loquitur : Surge, contende judicio adversum montes, et audiant colles*
B *vocem tuam*, etc., usque ad id *quia filius contumeliam facit patri, filia consurgit adversus matrem suam, nurus contra socrum suam, inimici hominis domestici ejus* (*Mich.* vi, 7), quibus utique verbis condemnatio Judaicæ sive Israeliticæ gentis propter incredulitatem declamatur, protinus per os ejusdem prophetæ taliter electio gentium semeptisam in Christo consolatur : *Ego autem ad Dominum aspiciam, et exspectabo Deum Salvatorem meum*, etc., usque in hunc finem ; *revertetur et miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis* (*Mich.* vii). His animadversis, tenebras, de quibus in psalmo scriptum est :
C *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* xvii), id est occulta scientia in prophetis, illuminatas esse arbitramur, quia a candelabro isto, quod est Christus, illuminatur propheta, dum ruinas seminis Abrahæ sive gentis Israeliticæ, quæ diversis temporibus variisque casibus occiderunt, et prædicit et deplorat, et restaurationem **194** ex gentibus per Christum futuram providens spiritualiter exsultat. Igitur *verbum Domini* Scriptura hæc, id est prophetica est testificatio de adventu Christi, qui est Verbum Domini. Quod videlicet *verbum factum est ad Michæam Morasthiten in diebus Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda*, eisdem nimirum temporibus, vel sub eisdem regibus, sub quibus prophetaverunt, Oseæ, Esaias, excepto uno Ozia, sub quo iste non prophetavit. Quod vidit super Samariam et Hierusalem,
D plus hic habet in titulo, quam aliquis cæterorum. De nullo namque scriptum est utrumque hoc *super Samariam et Hierusalem*, sed aut super Judam et Hierusalem, aut super Israel, id est super decem

tribus, quæ a diebus Hieroboam scissæ fuerant a domo David, et a Juda, cujus metropolis erat Hierusalem. Hic unus Michæas Morasthites, secundum nomen suum *humilis*, et parvo de viculo natus, hæres verbis illius, quod non in urbe regia, neque in aureo principum lectulo, sed in parvula Bethleem, et in præsepio collocandum erat, de paupercula Virgine incarnatum, magnam de spiritu fortitudinis sortitur auctoritatem, ut videat et sententias detonet super utrumque regnum, imo super utramque unius regni sive gentis divisionem, id est super Samariam et Hierusalem. Hoc ex subsequentibus manifestum est : Exempli gratia, cum dicit : *Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea*, etc. Item : *Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit* (*Mich.* III).

Nunc jam ordinem prophetici sermonis ingrediamur. *Audite, populi omnes, et attendat terra et plenitudo ejus, et sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo, quia ecce Dominus egredietur de loco sancto suo, et descendet et calcabit super excelsa terræ, et consumentur montes subter eum, et colles scindentur sicut cera a facie ignis; sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.* Quid sibi vult tale exordium ? Cur omnes populos excitat ad audiendum ? Cujus rei testem illis optat esse Dominum Deum ? Quærimus et scire desideramus prophetæ sollicitudinem, pro qua re sollicitus sit, unde maxima cura sit illi. Jam profecto persentiscere nos arbitramur pro qua re angatur fidelis, et pius ac divini nominis amator animus. Novit denique levitatem populorum, ignorantiam Dei habentium, et hoc veretur ne hoc apud illos in opprobrium divini nominis redundet, quod Deum facturum ipse prævidit in gente Israelitica, in gente cum qua fædus pepigerat, cujus Deus erat, in qua notus fuerat. Hoc, inquam, veretur, *ne quando dicant gentes ubi est Deus eorum* (*Psal.* CXIII), aut certe ubi est fidelitas, sive potentia Dei eorum ? Hujusmodi sollicitudo veraciter hominem Deo fidelem comprobat, qualem et sanctum Mosen primum habuisse legimus, qui in omni domo ejus fidelis erat. Cum enim iratus Dominus propter vitulum quem fecerant, diceret : *Cerno quod populus iste duræ cervicis sit. Dimitte me, ut irascatur furor meus, contra eos et deleam eos faciamque te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII). Ille orans Dominum Deum suum : *Ne, quæso,* inquit, *dicant Ægyptii : Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret e terra. Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui* (*ibid.*). Item et alibi cum detraxissent terræ, quam exploratores inspexerant, dicente Domino : *Feriam igitur eos, pestilentia atque consumam* (*Num.* XIV). Ille econtra : *Ut audiant*, inquit *Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum, quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant : Non potuit introducere populum istum in terram pro qua juraverat, idcirco occidit eos in solitudine* (*ibid.*).

A Josue quoque dum protinus coram arca Domini cadens clamaret : *Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem* (*Jos.* VII), istud quoque quasi maximum post cætera subjunxit : *Et quid facies magno nomini tuo* (*ibid.*) Itaque et istum hac sollicitudine taliter proclamare sentimus, ut quoniam revocari jam sententia non potest, neque placari ira Domini, quin Israel de terra sua migret, et in captivitatem ducatur, sciant saltem populi causas, et non blasphement nomen Domini. Quia quod Israel relinquitur, non mutabilitatis, sed veritatis Dei est, non infidelitatis, sed judicii, non potentiæ sed justitiæ, et cognoscant omnes quia, quamvis populum illum reliquerit, cui vel pro quo patribus juravit, nihilominus tamen
B *fidelis Dominus est in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* CXLIV). Maxime autem propter Philistæos sollicitus erat, quæ gens et ante omnes inimica exstitit Israel, ab ipso exitu de terra Ægypti, et plus illi molesta fuit jam habitanti in terra promissionis. Et de ipsa gente Philisthiim acerbiores inimici erant Gethæi propter Goliam, cæterosque filios Arapha sive Orpha, qui ceciderant in manu David et servorum ejus, sicut in libro Regum legimus (*I Reg.* XVII). Propterea postmodum dicit : *In Geth nolite nuntiare, lacrymis ne ploretis*, subauditur, quia sine dubio non condolebunt, sed insultabunt vobis et subsannabunt nomen Domini. Igitur, inquit, *audite populi omnes et attendat terra et plenitudo ejus*, videlicet ut sciatis judicium Domini, propter quas causa in hostem sit conversus
C illis, super quos invocatum nomen ejus fuit, quorum patres in amicitiam recepit, quibus et juravit dare terram, de qua nunc filios eorum migrare facit. Malorum istorum causas audite, et sit Dominus Deus vobis in testem, videlicet pro semetipso testificans et semeptisum defendens, quod non ex parte sui, sed ex parte populi irritum factum sit pactum, quod cum eis pepigit. Siquidem malum hoc antequam super eos induceret, ipse per prophetas suos non prædiceret, causasve præscriberet, non mirum, o populi, quod videretur vobis Deus repræhensibilis, nec enim esset unde apud vos judicium vel justitia ejus adeo posset defendi. Cumque aliquando vobis diceretur : Convertimini ad hunc vivum et verum Deum, qui Deus scribitur Hebræorum, et de quo
D psalmus loquitur : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV), forte esset vobis suspectus tanquam Deus non fidelis, qui non fuerit cognitus, et nunc absconderet faciem suam, fieretque incognitus, relinquendo illos quos aliquando suscepit, sine causa et fortuita mutabilitate animi, et idcirco non apponeretis cor ad illum, neque vosmeptisos crederetis illi. Sit ergo vobis in testem ipse Dominus Deus, Dominus de templo sancto suo, scilicet de habitaculo pectorum fidelium prophetarum suorum, qui templum ejus sunt, quos per fidem inhabitat, et per os nostrum pro semeptiso loquatur et de semetipso testificetur quod non sit

suæ voluntatis,quod Hierusalem relinquit,quodque illam non relinqueret,nisi ab illo prior ipse relictus fuisset,et dicat ipse quod contra se populus fecerit, quomodo recesserit, quomodo revocantem audire contempserit, ut necessario facere debuerit ipsi Deus id quod protinus sequitur: Quid est illud? *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendet, et calcabit super excelsa terræ, et consumentur montes subter eum, et colles scindentur sicut cera a facie ignis, sicut aquæ quæ decurrunt in præceps.* Sensus iste est : Quia ecce Dominus recedet, et omne auxilium auferet **195** a populo quondam suo, ubi vel in quo ita notus erat, sicut quilibet in loco suo; inde egredietur, et palam fiet ex ipso malorum eventu ac perpetuæ captivitatis, quod de illo tali loco suo veraciter egressus sit et recesserit.

Quod autem dicitur,*et descendet*,sic accipiendum est ut illud :*Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis; descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita,ut sciam* (*Gen.* XVIII). *Descendet* itaque, subauditur, non bono illorum,sed sicut descendit visitare sive ulcisci peccata Sodomorum,quoniam et isti testante alio propheta: *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt* (*Isa.* III), *et calcabit super excelsa terræ*,propter hoc ipsum quod excelsi sunt, id est quod superbiendo peccant,et peccando superbiunt, et quod valde damnabile est,æstimatione sua extolluntur, cum conditione terra sint. *Quid enim superbit terra et cinis?* (*Eccli.*X) *Calcabit* ergo et conculcabit eos propter superbiam ipsorum, *et consumentur montes*, id est ipsi peccatores superbi apud semetipsos alti, quorum superbia primum in eo manifestum fuit, quod Hieroboam sibi proponentes contempserunt humilem David dicendo : *Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai?* (*III Reg.* XII.) Isti *montes*, id est summi principes, et *colles*, id est mediocres, *consumentur et scindentur sicut cera a facie ignis subter eum*, cujus ira non potest portari, *et sicut aquæ decurrunt in præceps* sursum non revertuntur,sic ipsi per captivitatem in Assyrios semel delapsi non revocabuntur. Etenim Judæ transmigratio in Babylonios ad tempus quidem revocanda,sed postmodum sub Romanis omnino erat dispergenda,decem autem tribuum captivitas in Assyrios facta, nunquam erat vel est reducenda. Cum taliter de loco illo suo Dominus Deus egressus fuerit, nolite existimare, o populi, quod mutabilitate usus sit,vel quod in eo culpa sit. Sed quid? *In scelere Jacob omne istud,et in peccatis domus Israel.*Omnis culpa ex Jacob est,omnis causa ex Israel est. Jacob per omne scelus prævaricatus est, Israel per multa peccata fœdus Domini transgressus est. *Deus autem fidelis,* ait Moses, *et absque ulla iniquitate justus et rectus* (*Deut.* XXXII), ut Psalmista dicit : *Quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (*Psal.* XCI). *Quod scelus Jacob? Nonne Samaria? quæ excelsa Judæ? nonne Hierusalem?* Ac si dicat : Non indiget ostensione scelus Jacob, id est decem tribuum, quia videlicet notum et publicum est.Ipsa Samaria scelus est,quia in omni regno,cujus Samaria metropolis est,vituli aurei publice pro Deo coluntur, et Baal cæteraque portenta deorum,et ibi prophetæ Domini interfecti sunt, quorum plurimos Jezabel interfecit (*III Reg.* XVIII).Similiter Hierusalem metropolis Judæ,et templum illud quondam Domini, quoddam excelsum idolum factum est,maxime ex quo Athalia filia Jezabel regnavit illic,et idololatriæ fluxum illic introduxit vel auxit.*Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea,et detraham in vallem lapidei ejus et fundamenta ejus revelabo,et omnia sculptilia ejus concident, et omnes mercedes ejus comburentur igni, et omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur.*Per conjunctionem, *et ponam Samariam*, paulo ante scriptis continuatur, ubi dixerat : *Et valles scindentur sicut cera a facie ignis, sicut aquæ quæ accurrunt in præceps.* Congrua valde assimilatio est,Samariam poni quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea,quæ videlicet congestio lapidum,nimis est infirma structura, eo quod sine cæmento sit,et lapis lapidi non hæreat. Samaria namque semper dissensiones habuit, maxime in regibus suis toties demutatis,aliis percussis et succedentibus, imo irruentibus aliis, atque ita factum est ut usque ad diem extremæ captivitatis nunquam sibi cohærerent,adversus semetipsos scissi,qui semetipsos sciderant tam a Deo quam a domo David. Porro illa, quæ dicitur vinea, tunc plantabatur,videlicet tot palmitibus quot fuerunt electi homines gentis illius, ex quo de Ægypto translata,et ejectis gentibus plantata est,erantque palmites ejus qui dicit : *ego sum vitis* (*Joan.* XV),videlicet habentes fidem ejus adhuc futuri, sicut et nos credendo quia venit, et manendo in eo palmites sumus ejusdem vitis. Tantum Samaria, tantumque omnis multitudo carnis Israeliticæ scissa et non permanens in ea fide vel promissione, quodammodo differebat jam dicta electione, quantum differt lapidum acervus a vinea quæ plantatur, qui videlicet acervus non est vinea, quamvis propter plantatam vineam congregatur.Conveniens ergo similitudo est, cum dicit : *Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea*, subjungens, *et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo*, quod idem est ac si dicat : Tradam decem tribus in captivitatem,et captivitatis ejusdem causas manifestabo. Quod deinceps subjungit : *Et omnia sculptilia ejus concident, et omnes mercedes ejus comburentur igni, et omnia idola ejus ponam in perditionem*, ad eamdem fundamentorum ejus pertinet revelationem quia videlicet sculptilia sive idola penes se habuisse tale est, ac si domum vitiosis constat innixam fuisse fundamentis, et idcirco stare non potuisse. *Quia de mercedibus*, ait,

meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur. Et est sensus: Quia Samaria tanquam meretrix, quæ de turpi mercimonio corporis sui plurima congerit, ita aurum et argentum sibi congregavit, testante Domino, cum in alio propheta dicit: *Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos, quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, oleum meum et potum meum, et nescivit, quia ego dedi ei frumentum et vinum et oleum et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal* (*Osee.* II), et cætera quæ ita concludit. De quibus dixit:

Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei (*ibid.*). Quamvis ergo Dominus ipse aurum et argentum multiplicaverit illi, de quibus sibi idola fabricata est, tamen quoniam hoc illa nescivit, magisque amatoribus suis reputavit et eorum mercedes esse dixit, recte nunc dicit, *quia de mercedibus meretricis congregata sunt*, statimque subjungit, *et usque ad mercedem meretricis revertentur. Usque ad mercedem meretricis*, idem est ac si dicat, usque ad nihilum, quia merces meretricis pro nihilo æstimatur, testante Scriptura quæ dicit, *quia pretium scorti vix unius panis est* (*Prov.* VI). Et falso quidem illa mercedes amatorum suorum esse dixit, ea quæ Deus dederat illi, sed revera meretrix fuit, quia sicut historia libri Regum testatur, metropolis eadem Samaria quasi per fornicationem nata, id est condita fuerat, et statim ut condita fuit, prostituta est Baal. Siquidem ita scriptum est: *Emitque Amri montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti, et ædificavit eam, et vocavit nomen civitatis quam extruxerat nomine Somer Domini montis Samariæ* (*III Reg.* XVI). Quo post sex annos mortuo, rursus **196** scriptum est: *Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti et duobus annis. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini super omnes qui fuerunt ante eum, nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Hieroboam filii Naboth; insuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal regis Sydoniorum, et abiit et servivit Baal, et adoravit eum, et posuit aram in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, et plantavit lucum* (*ibid.*).

Profecto enim et anima conditoris Amri meretrix fuit, ut cæterorum regum fornicantium cum vitulis aureis, et Jezabel meretrix dæmonum fuit, cum qua et anima viri ejus Achab, et universa novæ civitatis plebs statim cœpit meretricari cum Baal. Vere ergo Samaria meretrix. Hæc omnia sic vaticinatur propheta, ut doleat verum esse et imperfectum remanere non posse, quod loquitur. Unde protinus sequitur: *Super hoc plangam et ululabo, vadam spoliatus et nudus, faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum, quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque Hierusalem.* Hoc sicut littera sonat recte intelligitur, quod videlicet plangens et ululans propter instantem populi sui captivitatem vestimentis quoque spoliatus et nudus incesserit, internum animi dolorem, habitu quoque corporis indicans, sive captivandorum miseriam, quod ad Esaiam quoque fecisse legimus ex præcepto Domini dicentis: *Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamentum tuum tolle de pedibus tuis* (*Isai.* XX), ac deinceps: *Sicut ambulavit servus meus Esaias, nudus et discalceatus trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum, et super Æthiopiam, sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ* (*ibid.*). Quod deinde subjungit, *faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum*, valde dolenter pronuntiat quod luctus et planctus suus pro populo illo nequaquam sit profuturus sive exaudiendus. Quis enim draconibus terribili sibilo personantibus, quando vincuntur, aliqua miseratione compatitur: Quis struthionibus ova sua in pulvere derelinquentibus misereatur, cum ipse sibimet vel naturæ suæ non misereatur? Quod autem populus ille dignus fuerit hujusmodi similitudine, aliæ quoque Scripturæ testantur. Nam Hieremias in lamentationibus: *Filia*, inquit, *populi mei crudelis quasi struthio in deserto* (*Thren.* IV). Et Joannes Baptista. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira* (*Luc.* III). Igitur *faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum*, id est planctum nulla commiseratione dignum, et luctum nulla consolatione deliniendum. Nam etsi dolent dracones, non pium habent gemitum qui compassionem provocet, sed iræ ardentis tumultum et quem caveri oportet. Similiter et si mœrent struthiones, crudelitas innata permanet, nec ad naturalem curam sive diligentiam posteritatis inanis stultitia flecti potest. Quare hoc dicis? *Quia desperata*, ait, *plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Hierusalem.* Idcirco sic loquor, quia spes misericordiæ a Domino, sive solvendæ captivitatis decem tribuum nulla, est, dicente ipso per alium Prophetam. *Quia non addam ultra misereri domui Israel* (*Ose.* I). *Usque ad Judam venit, et tetigit portam populi mei usque ad Hierusalem*, quod factum esse et Regum et Esaiæ libri testantur. Assyrius quippe vastata Samaria, venit etiam in Hierusalem, eo tempore quo Rapsaces missus est insultans (*IV Reg.* XVIII; *Isai.* XXXVI). Et tunc quidem non desperata fuit plaga Juda sive Hierusalem, sicut plaga Israel sive Samariæ. Nam egressus angelus Domini percussit in castris Sennacherib centum octoginta quinque millia, sed postmodum a Chaldeis et Hierusalem subversa, et populus ejus in Babylonem ductus est (*IV Reg.* XIX). Amplius autem posterius in manibus Romanorum plaga ejusdem Hierusalem desperata est, et magis plagati sunt Judæi, ducti in omnes gentes captivi, quoniam decem tribus tunc Assyrius subduxit. Sequitur: *In Geth nolite annuntiare, lacrymis ne ploretis. In domo pulveris pulvere vos conspergite.* Ac si dicat: Hoc ad cumulum miseriarum vobis accidit, quod patientibus nullus compatitur,

cum offenso Deo cunctis quoque gentibus sitis odiosi. Propterea dixi: *Faciam planctum quasi draconum*, quia sicuti quando dracones sive ab elephantis sive ab hominibus vincuntur, et ob hoc ingenti sibilo personant, nullus hominum accurrit ad hoc ut de nece illorum doleat. Habent etenim dracones et homines naturales inter se inimicitias. Ita, dum vos ab hostibus capiemini, nulla ex vicinis gentibus erit quæ condoleat, nulla quin de malis vestris gaudeat. Amplius autem gaudebit Geth Palestine urbs, unde fuit Goliath et fratres ejus, qui ceciderunt in manu David et servorum ejus (*II Reg.* XXI), et idcirco plus cæteris in miseria vestra gaudendo semetipsam consolabitur. Nolite ergo annuntiare in Geth, imo optate quod impossibile est, ne audiat illa vestras clades, neque lacrymis ploretis, quia vester fletus gaudium et risus ejus erit. Dissimulate fletum, nec in singultus dolor erumpat, ne adversarii gratulentur. Nolite foras exire, sed in domo pulveris pulvere vos aspergite. In domo ruente, cinere ruinarum vosmet aspersos tantum vos ipsi conspicite. Hæc quidem tamquam consulendo dicit, verumtamen verba hæc non rationis sunt, sed doloris, qui sæpe rationem non admittit. Nam quantumcunque dissimulent, lacrymasque teneant captivi, impossibile est ut calamitas eorum adversariis maxime vicinis, ut erant Philistiim, ignota sit. Nec moratur judex, scilicet Divinitas, certam de pectore et ore Prophetæ dare sententiam, quæ hoc modo denotat: *Transite vobis habitatio pulchra, confusa ignominia.* Habitationem pulchram Samariam appellat, quippe quæ in pulcherrimo atque uberrimo Judææ loco sita est. Dixit ergo ad eam: O tu quæ habitas in regione uberrima, quæ confusa es ignominia, transi et in captivitatem ducere, judicium portans ignominiæ tuæ; confestimque ad nos convertitur, et dicit: *Non est egressa quæ habitat in exitu.* Quod utrum de eadem habitatione pulchra, id est de Samaria, an certe de Hierusalem dicat, de qua versu sequenti manifeste loquitur, incertum est. Sed si de Samaria dicitur, hic sensus est: *Non est egressa quæ habitat in exitu*, id est ipsis Assyriæ captivitatis foribus sita est. Et statim ut mota fuerit de finibus suis, hostilem terram ingreditur; verum quantumcunque vicina sit, non satis liquet quomodo ipsa quæ transire jubetur et transit, congrue dicitur, quod *non egressa* sit. Si autem de Hierusalem hoc dictum placet intelligi, sensus iste est: Vos transite jam habitatores habitationis pulchræ, scilicet Samariæ, Hierusalem autem hac vice non egreditur, *quæ tamen habitat in exitu*, id est cujus egressio sive transmigratio jampridem paratur, sed paululum differtur, videlicet Ezechia simulque Esaia propheta Deo supplicantibus, suisque precibus eam retinentibus (*IV Reg.* XIX; *Isa.* XXXVII), dictumque est hoc secundum similitudinem alicujus egressuri, jamque in ostio stantis, cujus egressio certa quidem est, sed retardatur aliquibus ex causis. Clarum hoc est respicienti, quod tunc quidem Hierusalem liberata

A **197** est de manu Assyriorum qui decem tribus captivaverant, sed postmodum Chaldæis tradita, et in Babylonem ducta est. De qua videlicet Hierusalem protinus sequitur: *Planctum vicina domus accipiet a vobis quæ stetit sibimet, quia infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus, quia descendit malum a Domino in portam Hierusalem, tumultus quadrigæ stuporis habitantis Lachis.*

Nam illa quæ interim *stetim sibimet* Hierusalem est, *quæ*, ut jam diximus, tunc *egressa non est*, *domus* autem *vicina*, imo cognata Israel erat, id est decem tribus, cujus planctum accepit a vobis, o habitatio pulchra, cui dictum est: *Transite vobis*, id est abite captivi. Accepit, inquam, planctum, et ad suum traxit instrumentum ut infirmaretur, id est
B coram Deo humiliaretur, et idcirco stetit, quia infirmata est in bonum quæ habitat in amaritudinibus. Quam infirmitatem bono ipsius habitam, et has amaritudines ejus scriptura libris Regum sive Esaiæ prophetæ manifeste testantur. Cum enim translatis decem tribubus, Sennacherib rex Assyriorum ascendisset super omnes civitates Juda munitas, et cepisset eas, misissetque Rapsacem de Lachis in Hierusalem ad blasphemandum Deum viventem, et exprobrandum clamosis vocibus (*IV Reg.* XVIII). Audiens Ezechias per nuntios ingredientes ad se scissis vestibus, *scidit et ipse vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini. Et misit Eliachim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Esaiam filium Amos prophetam, et dixerunt ad eum:*
C *Hæc dixit Ezechias: Dies tribulationis et correptionis et blasphemiæ dies hæc, quia venerunt filii usque ad partem, et virtus non est parturienti Isa.* XXXVII; *IV Reg.* XIX), etc. Taliter infirmate est et adeo habitavit in amaritudinibus, ut assimilaretur parienti virtutem in partu non habenti, pro eo quia ascendit malum a Domino in portam ipsius Hierusalem. Et tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis, quæ civitas erat in tribu Juda, quam et ceperat Sennacherib, unde et servos suos misit ad Ezechiam, cujus quadrigæ tam multæ erant ut recte dicantur quadrigæ stuporis. Malum illud a Domino decendisse dicit, quia videlicet non venisset Sennacherib, nisi judicio vel permissione Domini. Quod ipse quoque scire gestiens, eademque scientia ni-
D mium abutens, non parum de suo mendaciter adjecit. *Dixit enim; Nunquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demoliar eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, et demolire eam* (*Isa.* XXXVI). Descendisse autem illud malum in portam Hierusalem congrue dicit, quia nuntii Sennacherib per quos talia mandaverat, venientes Hierusalem steterunt juxta aquæ ductum piscinæ superioris quæ est in via agri fullonis, vocaveruntque regem. *Egressus est autem ad eos Eliachim filius Elchiæ præpositus domus, et Sobnas scriba, et Joæ filius Asaph a commentariis* (*ibid.*). Sed *non est egressa*, inquit hic propheta, *quæ habitat in exitu*,

subauditur, quamvis clamaret Rapsaces : *Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum. Facite mecum quod vobis est utile, facite mecum benedictionem, et egredimini ad me* (*Isa.* XXXVI), etc. *Habitat* quidem *in exitu*, ut jam dictum est, quia vicina erat Babylonia captivitas, sed tunc egressa non est, nec ipse ingredi permissus est, dicente Domino per Esaiam : *Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, non circumdabit eam munitio* (*Isai.* XXXVII), etc. Sequitur : *Principium peccati est filiæ Sion, quia inventa sunt in te scelera Israel. Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth, domum mendacii in deceptionem regibus Israel. Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa, usque Adollam veniet gloria Israel.* Nomina hæc sunt civitatum in tribu Juda, Lachis, Maresa et Adolla. Porro, Geth Palæstinæ, ut jam dictum est, urbis vocabulum est. Verumtamen totus hic locus obscurus est, propterea quia nihil rerum gestarum ex eis Scriptura refert in illo adventu Assyriorum, nisi quod cum cæteris urbibus commune est, quia ascendit rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, et cepit eas, excepto quod de Lachis Rapsacen misisse legitur in Hierusalem ad regem Ezechiam cum manu gravi. Itaque quia nihil suffragatur de Scripturis, quod locum hunc splendidiorem reddere possit, nihil est amplius quod lector exigere possit quam ipsa beati Hieronymi dicta dubie pertractantis (1), et quasi navicula, ut fatetur ipse, inter saxa et acutissimos scopulos pro posse regentis. *Venient igitur*, inquit, *o Lachis urbs, idolis dedita, et ad te quadrigæ et equites Assyriorum, quia et in te inventa sunt scelera Israel, et tu fuisti principium idololatriæ in Juda : per te enim quasi per portam impietas decem tribuum migravit Hierusalem. Non solum autem per Lachis tumultus veniet quadrigæ, sed et super Geth metropolim Palæstinæ, de qua supra dixeram*, in Geth nolite annuntiare. *Mittet enim Assyrios latrunculos suos quos vocat emissarios, et possidebit domum idololatriæ urbemque mendacii, quæ in supplantationem fuit regibus Israel. Quod autem sequitur* : Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa, *pulchre allusit ad nomen. Quia enim Maresa* hæreditas *dicitur, adventum in eam hostium pro hæredibus appellavit, et usque Adollam urbem Judæ veniet Maresa, id est hæreditas quæ gloriosa est in urbibus Israel, ut ubi dicitur*, gloriæ *genitivus casus sit numeri singularis* hujus gloriæ, *et non nominativus pluralis* hæ gloriæ. *Vel certe ita intelligamus : Captivitas Israel quæ evenit Lachis et Geth, et Maresa, usque Adollam quoque veniet, expressiusque legendum est* gloria Israel, *ut per antiphrasin ignominia vel vastitas sentiatur.* Nunc idem quod paulo ante dixerat, *transite vobis, habitatio pulchra, confusa ignominia* verbis aliis rursus edicit : *Decalvare et tondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum sicut*

A *aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.* Et illic *transite*, cum dicit, hoc est sine dubio transibitis ; et hic *decalvare et tondere, et dilata calvitium tuum*, idem est ac si dicat : Decalvaberis et tondeberis, et calvitium tuum dilatabis. Verumtamen cum dicit, *sicut aquila*, breviter alios pro aliis filiis restituendos significat, ut vel ipse propheta vel quilibet alius spiritualiter intelligens, in ipsa pro qua dolere poterat decalvatione et tonsione Israelis, consolatione non careat. Quomodo enim vel ad quid decalvatur, sive calvitium dilatat aquila ? Nimirum certo tempore cum senuerit, veteres pennas amittit et remanet in plumis ; sed novis renascentibus, ipsa juvenescit. Unde et Psalmista : *Renovabitur*, ait, *sicut aquilæ juventus tua.* (*Psal.* CII). Ergo spiritus illud
B propheticus mystice innuit, quod pro filiis deliciarum, id est pro filiis carnalis Israel, qui et a fide exciderunt, et de terra sua captivi mox traducendi erant ; alii non filii carnis, sed filii promissionis et fidei subrogandi forent ; atque ita rursus juvenescens Israel tanquam aquila renovata plumis ac pennis floridis ornata in cœlum volaret, quod nunc fit et usque in finem sæculi fieri non desinit, renascentibus ex omnibus gentibus fidelibus tanquam novis plumis, et carnalibus filiis tanquam veteribus plumis **198** in omnes gentes perpetua captivitate dispersis. Sequitur :

CAP. II. — *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Dominum est manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, domos-*
C *que rapuerunt, et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hæreditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.* Hactenus dixerat quod, propter scelus Jacob et propter peccata domus Israel tradenda esset Samaria, malumque descensurum a Domino in portam Hierusalem, et omnes populos terramque et plenitudinem ejus scire optaverat justitiam Domini, sic in populum quondam suum vindicantis, sed non dixerit modum sceleris sive peccatorum, id est utrum taliter peccassent, ut iram tantam merito sustinere deberent. Ut ergo amplius justitia Dei manifestetur, et ipsi inexcusabiles cognoscantur : *Væ*, inquit, *qui*
D *cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris*; statimque ad auditores conversus, *in luce*, ait, *matutina faciunt illud, quoniam contra Dominum est manus eorum*, etc. Modum peccati illorum in eo maxime exprimit, quod ait : *In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Dominum est manus eorum.* Quid enim est *in luce matutina*, nisi ac si dicat, non in ignorantia ? Et quid est, *quoniam contra Dominum manus eorum*, nisi ac si dicat, non ex infirmitate, sed ex superbia (vel sicut Psalmista dicit) *quasi ex adipe prodiit iniquitas eorum* (*Psal.*

(1) Comment. in Michæam, lib. I, cap. 1, col. 1060-1061, tom. XXV.

LXXII). Hic namque modus peccati est deterrimus, A cum quis non per ignorantiam, non per infirmitatem, sed scienter per superbiam peccare cognoscitur. Denique si per ignorantiam quis peccat, si per infirmitatem derelinquit, adhuc venia proxima est illi. Unde Psalmista firmiter tenens anchoram spei : *Delicta*, inquit, *juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV). Juventutem pro infirmitate posuit, quia videlicet juventus ipsa magna carnis infirmitas est. Porro, *peccator superbus Dominum exacerbat, et Dominus*, sicut ait idem, *secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* X), id est pereuntem non requiret, veniam illi non offert, quia multum iratus est. Væ igitur tibi, o Hieroboam, de cujus peccatis nunc maxime agitur, ubi præmissum est, *in scelere Jacob omne istud et in peccatis domus* B *Israel* (*Mich.* I). Tu enim *peccare fecisti Israel* (*III Reg.* XXI), et idcirco tu solus sufficis ut, exempli gratia, venias ad medium pro omnibus, quibus væ minatur, quia cogitant inutile, et operantur malum in cubilibus suis, *in luce matutina*, id est scienter vel cum consilio et quasi sapienter faciunt illud, *quoniam contra Dominum est manus eorum*. De te namque sic manifeste Scriptura testatur : *Dixitque Hieroboam in corde suo : Nunc revertetur regnum ad domum David ; si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, et convertetur cor populi hujus ad Dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, et revertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit eis : Nolite ultra ascendere in Hierusalem. Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* C (*III Reg.* XII). Hoc *inutile* cogitasti. *Inutile*, inquam, qui non profuit tibi, imo pernoxium, quia plurimum nocuit tibi. Nisi enim istud cogitasses, melius et diutius regnare potuisses ; quia sic per prophetam dixerat Dominus ad te : *Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quam ædificavi David, et tradam tibi Israel* (*III Reg.* XI). Quia vero cogitasti hoc, non solum cogitando et faciendo, non confirmasti regnum tibi, verum etiam nimis infeliciter te et thronum tuum deturbasti, secundum verba ejusdem Domini per eumdem prophetam dicentis : *Quia sic fecisti, ego inducam mala super domum Hieroboam, et percutiam de Hieroboam mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum* D *in Israel ; et mundabo reliquias domus Hieroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. Qui mortui fuerunt de Hieroboam in civitate, comedent eos canes ; qui autem mortui fuerint in agro vorabunt eos aves cœli, quia Dominus locutus est* (*III Reg.* XIV). Ergo nimis inutile fuit quod cogitasti, et idcirco omnium illorum exemplum merito fieri debuisti, qui similiter inutile cogitant, et operantur malum in cubilibus suis. Quinam sunt illi ? Nimirum omnes qui ejusmodi sunt, ut non ab aliquo inducantur, sed proprio de corde malum confingunt et adinveniunt de semetipsis, utpote malitiosi, quod te fecisse Scriptura manifeste redarguit, dum dicit : *Dixitque Hieroboam in corde suo* (*III Reg.* XII), etc. Unde et alius propheta cum de vitulo tuo loqueretur : *Ex Israel*, inquit, *ipse est ; artifex fecit illum* (*Ose.* VIII). Tu es ille artifex notissimus inter omnes artifices, qui malum operantur vel operati sunt in cubilibus suis id est adinvenerunt de cordibus suis, qui *in luce matutina*, id est cum deliberatione, non ignoranter, sed scienter, ut jam dictum est, faciunt illud, quod ex eo maxime probatur, *quoniam contra Dominum est manus eorum*, id est quoniam peccatum suum, dum redarguuntur, fortiter defendunt : quod fecisti tu, qui redargutus per prophetam, extendisti manum tuam contra Dominum, sicut scriptum est : *Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare Bethel, extendit manum suam de altari, dicens : Apprehendite eum, et exaruit manus ejus quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se* (*III Reg.* XIII). Hujusmodi ut contra Dominum, ita contra fratres et proximos quibus prævalent impie fortes, et fortiter impii sunt. Unde et protinus subjungit : *Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, domosque rapuerunt, et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hæreditatem ejus.* Talium quoque quod væ illis sit, unus pro exemplo satis est, videlicet Achab rex Israel, qui concupivit vineam Naboth, et quia noluit eam dare, calumniatus est cum uxore sua virum eumdem et hæreditatem ejus. Calumnia fuit ejusmodi : *Sumite*, inquit, *duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant : Benedixit Naboth Deum et regem, et ducite eum, et lapidate, sicque moriatur (III Reg.* XXI), et ita factum est. Talia fuerunt scelera Jacob, et talia peccata domus Israel, cujus inter reges isti duo Hieroboam et Achab, cum uxore sua Jezabel notissimi in sceleribus sunt, quorum a peccatis neque reges neque populares recesserunt, imo usque adeo tandem in pejus progressi sunt ut contra ipsum Dominum Christum cogitarent inutile et operarentur malum ita ut virum ejusmodi calumniarentur et hæreditatem ejus dicentes cum vidissent eum : *Hic est hæres, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Marc.* XII), Væ igitur illis. Nam idcirco hæc dicit Dominus : *Ecce cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quorum tempus pessimum est.* Videmus ita factum, quia videlicet decem tribus jugum Assyriæ potestatis subierunt, de quo auferre colla sua, nec potuerunt nec possunt ; tribus autem Juda in Babylonem ducta, rursus quidem de illa captivitate collum suum abstulit, sed rursum captivantibus Romanis collum **199** suum jam erigere, vel superbi ambulare non possunt ; sunt enim contemptibiles coram omnibus hominibus tempusque passionum est illis, maxime pro civitate qua sunt excæcati. Sequitur : *In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium ; Depopulatione vastati sumus ; pars populi mei commutata est. Quomodo rece-*

dit a me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat? Propter hoc non erit tibi mittens funiculum fortis in cœtu Domini. Sensum Scripturarum sensum verum quærere et indagare cupientes, silvaticarum venationum recordamur, quarum in usu quinam canes veraciter venatici sint, comprobantur. Nam qui ejus naturæ vel sagacitatis non sunt, ut venationis infatigabili dilectione trahantur, mox ut spinetis, aut paludibus, aut scopulis vel rupibus offensi fuerint, fugientem capream aut hinnulum cervorum segnes obliviscuntur, et ad domestica cubicula vacui revertuntur. Qui autem canes ingenui vel naturaliter sunt venatici, nullius difficultatis offensione superantur; sed eunt perniciter per aspera, per invia, quo semel aspectæ venationis delectabili odore trahantur, quasi morituri nisi capiant, miserabiliter gemebundi nisi apprehendant. Si canes Domini sumus, sensus veritatis in sanctarum Scripturarum silva densissima venatio nobis est. Currimus ut comprehendamus; et tunc læti sumus, tunc coram illo lætari gestimus, si inter omnes litteræ difficultates perseveranter intenti, sensum bonum et utilem, qui lectorem ædificet et velut convivam oblectet, reportamus. Capitulum præsens secundum saltuum jam dictam similitudinem difficile est adeo ut propter difficultatem ejus dicat B. Hieronymus, et studiosus sensuum tractator, et fidelis litteræ interpres (2): *Si quis autem in lege Domini die ac nocte meditatus, majus habuit studium, majus ingenium, otium, gratiamque et potest de præsenti capitulo probabilius aliquid dicere, non sperno, non invideo, quin potius cupio ab eo discere quod ignoro, et libenter me discipulum profitebor dummodo doceat, et non detrahat. Nihil enim tam facile quam otiosum et dormientem de aliorum labore et vigiliis disputare.* Hæc ille pro difficultate dixit præsentis capituli, quo sic per hunc prophetam dictum est: *In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium: Depopulatione vastati sumus*, etc., ut supra. Reddiderat autem hunc sensum: Sicut enim mala operati sunt contra Dominum, sic mala captivitatis perpetua sustinebunt, et in tantam venient angustiam, ut omnia eorum cantica et psalmi vertantur in luctum, nihilque aliud noverit loqui populus, nisi hoc, depopulatione vastati sumus sive miseria miseri facti sumus. Terram quippe repromissionis, quæ prius duabus et semis tribubus forte divisa fuerat trans Jordanem Mosen mittente funiculum (*Num.* XXXII), et postea ab Jesu Nave tribubus reliquis dispertita (*Josue* XIII). Hæc gentibus Romano mensore divisa est. Et nemo fuit qui prohiberet, quin potius cum universas obtineant nationes, nullus est in Judæis qui antiquum pristina libertate possideat statum. Hæc ergo cum dicit, et cum plura similia diversis in locis, hiantem atque latrantem canem auditorem reddit, ut sicut in plerisque sic et in præsenti loco seipsum adhuc subesse sentiens quantumvis fugientem velut capream aut cervorum hinnulum non cesset insequi. Dicimus itaque, quia dies illa sive tempus pessimum, in quo parabolam super illos sumendam, canticumque cum suavitate cantandum prædixit, tempus præsens est. Nunc enim super illo parabolam sumpsimus, videlicet ex quo Apostolus sic præscripsit, ut diceret: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X). Nimirum quod et corpora illorum in deserto prostrata sunt, qui Rubrum mare transierant, et in Mose baptizati fuerant in nube et in mari, et illuc quod decem tribus a domo David scissæ sunt, et in Assyrios captivitate abierunt, et illud quod Hierusalem civitas sancta Chaldaico igne conflagrata est, et Juda in Babylonem transmigravit, parabola magna, parabola super omnes illos sumpta nobis est. Denique secundum horum similitudinem damna Ecclesiæ, quæ de multitudine credentium sive nomine tenus Christianorum frequenter acciderunt mater Ecclesia considerat, et ad correctionem sive ad consolationem filiorum parabolas ejusmodi sæpius recitat, sive cum falsi fratres qui eumdem profiteri fidem videntur, propter malos mores æternæ promissionis terra digni æstimantur, quasi in deserto prosternuntur, sive cum manifeste Hæretici fidei veritatem abdicantes, veraciter sese scindunt a domo David et impiorum dogmatum vitulos fabricantur, quasi aureo fulgore nitidi sermonis, ad simplices decipiendos semper intenti. Quid de Babylonica captivitate dicam? Nunquid solummodo parabola nobis est, et non etiam suave canticum? Denique quoties cantamus: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus dum recordaremur tui, Sion* (*Psal.* CXXXVI), etc. canticum cantatur, super illos sumptum et nobis congruum, qui revelatos in Christo habentes oculos in illa captivitate, quæ tunc per Nabuchodonosor uni populo accidit universalem intelligimus captivitatem humani generis, quæ per diabolum evenit in transgressione primi hominis. Et taliter cantare, est dicere, *depopulatione vastati sumus*; quod verum est, ita ut etiam veraciter dicamus, morte mortui sumus. Nam *in Adam omnes moriuntur* (*I Cor.* XV). Quod autem subjungitur, *pars populi mei commutata est*, proprius ad quempiam de gente illa electum et sanctum, verbi gratia ad Apostolum pertinet, cujus populus secundum carnem Judaicus populus est. Nam illius populi sui quæ pars fuerit exprimit his verbis: *Quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* IX). Dicat ergo sive idem apostolus, sive quilibet alius ex illo populo sanctus et verus, *pars populi mei commutata*, id est tota dignitas Judæis ablata et gentibus data est. Quod dum dicitur, et fit, sumitur super eos etiam in illa parabola, de duobus fratribus, Jacob et Esau (*Gen.* XXV), quia videlicet secundum rem illorum corporaliter gestam,

(2) Comment in Michæam, lib. I, cap. 2, col. 1168, tom. XXV.

fit hoc spirituale mysterium, dum spiritualia primogenita Judæorum commutata, id est supplantatori populo gentium data sunt. Nimirum talis assumptio parabolæ vel cantici, digna est præsenti præconio spiritus prophetici, quia magna est, et ad illam pertinet assumptionem, de qua cum loqueretur Apostolus : *Quæ*, inquit, *assumptio, nisi vita ex mortuis?* (*Rom.* XI.) Dicitur autem hujusmodi parabola *cum suavitate dicentium*. Vere namque suave est hujusmodi canticum, eis duntaxat qui dicunt, et dicere sciunt. Nam econtra illis super quos dicitur, secundum ejusmodi parabolam, nimis amarum est tormentum. Ubi autem dicitur, *commutata est pars populi mei*, ut sequens versiculus cohæreat, subaudiendum est ejulantis atque dicentis : *Quomodo recedet a me, cum revertatur qui regiones nostras dividat?* Sicut enim prædictus Esau, magno clamore irrugiens et ejulatu magno flens : *Juste*, inquit *vocatum est nomen ejus Jacob, supplantavit enim me in* **200** *altera vice; primogenita mea ante tulit, et nunc secundo subripuit benedictionem meam* (*Gen.* XXVII). Sic populus Judaicus credentem ex gentibus populum jam altera vice contra se reversum esse, et non desistere videns dolet et torquetur, dicitque : *Quomodo recedet a me cum revertatur, qui regiones nostras dividat?* Regiones namque Judæorum in eo revertentes dividimus, quod gustata dulcedine primogenitorum quæ ante tulimus, id est prædicatione Evangelii quam suscepimus, iterum succingimur, et omnes Scripturas eorum, legem et prophetas et psalmos invadimus, Christo regiones istas metiente ac dividente, id est sensum nobis aperiente ut intelligamus, optaret nos Judæus recedere saltem contentos primogenitis, id est verbo Evangelii, quod oportebat illum primum loqui, sed non desistimus nisi omnes, ut jam dictum est, Scripturas rapientes spoliatos illos et ab omni veritate nudos esse ostendamus. Cum igitur secundum ejusmodi parabolam populus iste sit Esau, qui ante primogenita, et secundo universas æternæ benedictionis regiones perdidit, recte nox dicitur illi : *Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini.* Et est sensus : Quoniam tu, o popule carnalis, qui te semen Jacob existimas, talis effectus es ut recte de te talis parabola sumpta sit, et canticum quo decantaris, quod sis Esau quod sis multitudo incredula, quæ quamvis mare transierit, prostrata est in deserto, nec terram promissionis intravit; quod sis illa turba quæ scidit se a domo David, et vitulos aureos fecit; propter hoc, nullus de tuo cœtu computabitur inter eos, qui vocati sunt a Domino ut promissionem accipiant æternæ hæreditatis. Sequitur : *Ne loquamini loquentes, non stillabit super istos, non comprehendet eos confusio, dicit Dominus domus Jacob. Nunquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus?*

Ordo verborum est : *O domus Jacob, Dominus dicit : Ne loquamini loquentes, non stillabit super illos, non comprehendet eos confusio. Ne loquamini* A *loquentes*, nunquid abbreviatus est Spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes. Porro qui sensus sit quotidiano experimento fere perdoceri possumus. Quoties namque illis loquimur dicentes condemnari omnem hominem in Christum non credentem, nec Judæum pertinere ad salutem Christo incredulum, juxta illud : *Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet in eo* (*Joan.* III), quanto magis quoque de Scripturis antiquioribus istud comprobari nitimur. Tanto bellicosius scutum contra arripiunt, scutum cordis sibi faciunt magnitudinem patrum suorum, dicentes impossibile esse ut condemnetur genus illorum, et istud quoque dicunt. Nunquid mendax est Deus, aut mutabilis est Deus ?(*Num.* XXIII.) Nunquid sicut homo diversis vo- B luntatibus variatur, ut olim circumcisione, nunc autem baptismum subire debeamus; ut olim firmaverit nobiscum pactum et cum patribus nostris, et nunc ad inimicitias conversus sit? Nimirum sicut nunc de judicio futuro, ita et tunc quando prænuntiabant prophetæ adventum Assyriorum sive Chaldæorum, et in captivitatem iturum esse propter peccata populum illum, totum quod dicebatur repellebant, et incredibile esse volebant, impossibile esse decertabant, taliter derelinqui sanctum populum et sanctam progeniem Patrum sanctorum, locum sanctum, templum pulchrum et gloriosum. Dicebant ergo secundum verba hæc, *non stillabit super istos, et non comprehendet eos confusio. Nunquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus?* dicebant, inquam, mendaces et blasphemos esse pro- C phetas, imo nec prophetas sed audaces dici debere sycophantas, qui auderent dicere quod stillare deberet ira de cœlo super Abrahæ filios, super genus Isaac ac super stirpem Jacob, quod gentem sic magnificatam et honoratam comprehenderet confusio, quod tam brevis diceretur esse spiritus Domini, ut tam cito pœniteret eum super bonis quæ promiserat illis, et quod tales, id est tam mutabiles diceretur habere cogitationes Deus, qui est incommutabilis. Siquidem aiebant : Homines isti non quæsierunt pacem populi hujus, sed malum. Hæc ergo intuens propheta, imo per prophetam Dominus : *Ne*, inquit, *loquamini, loquentes* verba hujuscemodi. Quid enim *Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? Et econtrario populus meus in adversarium con-* D *surrexit.* Ac si dicat : Ut quid talia loquimini, et quasi pro me æmulamini, declamando quod ego sim Deus fidelis, Deus patiens et longanimis : quod non essem, si stillaret a me malum super vos, si comprehenderet vos confusio? Nonne et cum istud vobis fecero, nihilominus verba mea, cum quo esse debent, cum eo sunt bona et prospera. Et quis ille est, nisi is *qui recte graditur?* Nimirum econtrario debent esse dura et adversa cum eo qui non recte graditur, qui in contrarium consurrexit, quod fecit populus meus. Consulite ipsam quam suscepistis legem, et ipsa respondebit vobis quales inter me et vos conditiones fuerint. Exempli gratia : *Custodi ergo*

præcepta, et cæremonias, atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. Si custodieritis et feceritis ea, custodiet Dominus Deus tibi pactum et misericordiam quam juravit patribus tuis (*Deut.* VI). *En*, inquit, *propono in conspectu vestro hodie benedictionem, et maledictionem : benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri*; *maledictionem, si non audieritis mandata Domini Dei vestri* (*Deut.* XI). Ecce autem populus meus mandata mea non custodivit, sed in contrarium consurrexit. Nunc ergo exigere potest aut debet, ut cum eo verba mea bona sint, ut esse debent cum eo qui recte graditur, et non potius maledictionem subire, sicut in conditionalis legis decreto continetur ? Ad hæc tanquam sic quæreret populus in quo mandatis Domini non obedierit, sed potius in adversarium consurrexit, protinus subsequitur, et dicit : *Desuper tunicam pallium subtulistis, et eos qui transibant simpliciter, convertistis in bellum. Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum, a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. Surgite et ite, quia non habetis hic requiem. Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima.* Causas reddidit ex quibus convincitur populus, quod in adversarium consurrexerit. Oportebat autem causas esse universales, id est ad universum populum pertinentes, quoniam non de uno homine, quod in adversarium consurrexerit, sed de universo populo dictum est per apostrophen ad universum populum, *desuper tunicam pallium sustulistis*, et cætera omnia verbis præteriti temporis, quod non videretur adeo esse conveniens, si tantummodo de quotidianis loqueretur injuriis sive rapinis. Igitur ubi, quando et quomodo populus Domini ita in adversarium consurrexerit, *ut desuper tunicam pallium sustulerit*, et cætera hæc faceret, de sanctæ Scripturæ rationibus proferendum est, et nihilominus quis ille fuerit cujus desuper tunicam pallium sustulerunt. Hoc facere cupientes, primum quærimus quid rationis fuerit quod Achaz propheta loquens cum Hieroboam in sermone Domini de regno, pallio novo quo indutus erat, rem **201** ipsam taliter significavit, ut scinderet illud in duodecim partes, *tolle*, inquit, *tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum Salomonis de manu ejus, et dabo tibi decem tribus* (III *Reg.* XI) Profecto per pallium suum regnum Israel satis manifeste significavit, atque idcirco factum illud hic in præsenti loco cum dicitur, *desuper tunicam pallium sustulistis*, nos animadvertere facit, quæ cœlestis gratia puero suo David, quasi pallium super tunicam dederat Israel et Judam, ut super utrumque regnaret. Prius quasi tunica induerat illum quando regnum dedit ei primum super Judam solum. Septem quippe annis regnavit in Hebron super domum Juda, priusquam regnaret super omnem Israel. Quando vero venerunt universæ tribus ad David in Hebron et unxerunt eum regem super se; cum jam septem annis, ut diximus, regnasset super domum Juda tunc Domi-

A nus eidem David, super tunicam pallium quoque addidit (II *Reg.* V). Et congrue sicut per Israelem pallium, sic et per tunicam domus Juda intelligitur, quia videlicet sicut tunica propius hæret corpori quam pallium, sic tribus Juda propinquior quam cæteræ tribus fuit ipsi David : nam ipse ex illa tribu exstitit. Igitur, o popule meus, si quæritis cur dixerim, *et econtrario populus meus in adversarium consurrexit*, ecce dico vobis, quia *desuper tunicam pallium sustulistis*, id est vosmetipsos semini David ademistis, vosipsæ decem tribus ab ipso recessistis, ut a me quoque recederetis, sicut et fecistis. Nam, relicto altari et templo meo, spretis promissionibus seminis, quod est Christus, quæ dictæ sunt ad David, vitulos aureos quos fecit Hieroboam coluistis et colere non destitistis. B Hoc agentes sive agere jamdudum intendentes, *eos qui transibant simpliciter convertistis in bellum.* Quinam erant illi ? Nimirum ipse David et viri ejus, viri fortes, imo fortissimi, et quantum fortes, tantum simplices, id est bona fide et simplici corde cum Deo et hominibus ambulantes. *Illos*, inquam, *convertistis in bellum*, constituentes (super vos regem Absalon adversus patrem suum IV *Reg.* XXIII), et illo mortuo rursus sequentes Seba filium Bochri (II *Reg.* XX). Jam tunc pene *desuper tunicam pallium* modo jam dicto *sustulistis*, quia videlicet buccinante Seba et dicente : *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai* (III *Reg.* XII); separatus est omnis Israel a David, et ita sine pallio parumper remansit in sola tunica, quia soli adhæserunt ei contribules sui viri Juda. C Peccaverat namque in Uriam, et idcirco laborabat, subtrahente Domini ad breve tempus pacem vestram, non tamen auxilii sui gratiam, quia citius illo propitio, ita recepit pallium sicut et tunicam, id est Israelem sicut et Judam. At ubi peccavit filius ejus Salomon, non in unum hominem, sicut ipse David in Uriam, sed in ipsum Deum, colendos deos alienos propter mulierum concupiscentiam, tunc infirmata est domus David, et vos prævaluistis tollere illi pallium : nec enim vobis resistere potuit. Quare? Ante enim, inquit Dominus, factum est verbum hoc, id est judicium hoc, videlicet ut non posset resistere domus David exigentibus peccatis, ut dimitterem vos secundum desideria cordis vestri. Notanda proprietas dictionis, quia sic est dictum, ut D *eos qui transibant simpliciter, convertistis in bellum.* Transire namque sanctorum et electorum est, qui manentem hic civitatem non habent, sed futuram, inquirunt (*Hebr.* XIII), secundum nomen Hebræorum, de quibus David tam fide, quam carne ortus est. Hebræi namque Latine dicuntur transitores. Ejusmodi fuerunt David et Ezechias, et Josias, et cætera domus David fidelis, intra quam et domum Hieroboam, sicut Scriptura refert, semper bellum fuit (III *Reg.* XIX). Juxta quam similitudinem nunc usque semper bellum est, et erit usque in finem sæculi, inter eos qui in præsenti sæculo animum figunt, et eos qui ad æterna futuri sæculi bona trans-

ire satagunt. Igitur et *eos*, inquit, *qui transibant simpliciter convertistis in bellum*, et in illo bello malum obstinuistis triumphum. Quomodo? *Mulieres*, inquit *populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum, et a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.* Quænam erant mulieres populi mei, nisi homines infirmiores in vobis, qui populus meus esse debuistis? Quæ autem erat domus deliciarum ejusmodi mulierum, nisi domus mea in Hierusalem, domus orationis in qua invocabatur nomen meum? De illa domo vos mulieres illas ejecistis, id est infirmiores et pauperes, quibus prævaluistis, sicut mulieribus solent viri prævalere. *Ejecistis*, inquam, videlicet tenendo et teneri cogendo illud edictum Hieroboam. *Nolite ultra ascendere in Hierusalem, sed ite ad adorandum vitulum usque in Dan* (*III Reg.* XII). Ita ejiciendo mulieres a parvulis earum, tulistis laudem meam in perpetuum, id est ignorantem et errantem multitudinem fecistis, in malo perseverare, ut nunquam recederent a peccatis Hieroboam. Notanda hic trina distinctio peccantium, quam in sanctis Scripturis animadvertere solemus, ita ut eorum qui per ignorantiam, et eorum qui per infirmitatem, et eorum qui per superbiam peccant. Nam qui per superbiam peccant, ipsi sunt contra quos maxime invehitur, sic incipiendo, *et econtrario, populus meus in adversarium consurrexit.* Qui autem per infirmitatem peccatis consentiunt, ipsi sequenti loco denotantur dicendo: *Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum.* Porro qui per ignorantiam delinquunt, ipsi sunt de quibus ait: *A parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.* Omnes pariter inexcusabiles sunt, et illi fortes viri simplicium debellatores, qui fortiter despoliaverunt, et illæ mulieres quæ cum viri esse deberent, effeminatos tali in periculo animos habuerunt, timendo homines plus quam Deum, et illi parvuli sensu qui scientiam Dei non habuerunt. et omnes pariter una sententia feriuntur, quam protinus depromit, dicens: *Surgite et ite, quia non habetis hic requiem.* Quod cum dicit, subaudiendum est illud quod notissimum est et esse debet, propter peccata Hieroboam, vel quia *non recessistis a peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel* (*IV Reg.* X), ut sequens versiculus, *propter immunditiam ejus*, neque præsens est nominativus casus quem requirit hoc tertiæ personæ verbum corrumperetur. Non utique accidit hoc per imperitiam sive incuriam eloquentis, sed per naturam et severam indignationem prophetici spiritus infame nomen exsecrantis et superfluum esse judicantis, in libro suo scribere vocabulum, quod toties Historia sacra denotavit, dicendo de singulis regibus Israel, *non recessit a peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel* (*ibid.*). Itaque *propter immunditiam ejus*, subauditur Hieroboam, quem tu, o lector, quomodo ignorare potes; *ejus*, inquam, *qui peccare fecit Israel, putredine pessima corrumpetur*, ipse qui in immunditiam ejus suscepit Israel? Vide ergo, ut sanctæ Scripturæ sis familiaris ac domesticus, et tunc animadvertis,

A quam familiariter ad te conversus spiritus propheticus qui dixerat, *surgite et ite, quia non habetis hic requiem*, dicit tibi, propter immunditiam Hieroboam corrumpetur Israel putredine pessima. Quam propter immunditiam? Nimirum propter vitulorum cultum, qui magna est immunditia ejus qui fecit eos. Si enim de uno vitulo quem fecerant in deserto veraciter dictum est: **202** *Videns ergo Moses populum quod esset nudatus*, spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis (*Exod.* XXXII), quanto magis de duobus recte dicitur *propter immunditiam ejus*, qui illos fecit? Igitur *propter immunditiam ejus*, propter non dominos, sed vitulos ejus, quia factus est immundus, Israel corrumpetur, non qualicumque, sed *pessima putredine*, id est non sola corporum quæ nunc imminet captivitate, sed animarum quoque abjectione et irrecuperabili damnatione, quia pœnitentiam noluerunt agere. His dictis ex imperio Domini, statim ex affectu proprio subjungit: *Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer.* Non enim absque dolore, sine misericordia, sine compassione circa genus suum esse poterat homo Dei, quamvis contra eos inveheretur in sermone Domini zelo tam vehementi, sicut nec Apostolus cum adversus idipsum genus suum vehementer inveheretur, declamando cæcitatem ejus, ita prælocutus est: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo* (*Rom.* IX). Nam quo pondere statim ibidem subjungit, *op-*
C *tabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem meam, qui sunt Israelitæ* (*ibid.*) Eodem et iste, *utinam*, inquit, *non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer.* Nempe qui facit hoc, anathema esto a Deo, utpote pseudopropheta loquens de corde suo, non quod Deus inspirat, sed quod mendacii pater diabolus serpens antiquus insibilat. Ad hæc Dominus respondet: *Stillabo tibi vinum in ebrietatem, et erit, super quem stillatur populus iste.* Ac si dicat: Non erit ita, ut tu nunc optabas; sed tibi stillabo ut nunc usque stillavi; non aquam mendacii, sicut pseudoprophetis, sed vinum veritatis, sicut vatibus sanctis; et hoc usque in ebrietatem, et usquequo tu inebriaberis, et tacere
D non possis, sed loqueris ex abundantia cordis, et super quem stillatur vere prophetiæ pluvia, populus est iste pro quo tu doles, et quantumvis doleas iste est, *iste*, inquam, *putredine pessima*, sicut prophetasti, corrumpi habet. Hujusmodi dolor consolatione Domini dignus est. Sequitur ergo, dicitque et ipsi et per ipsum cæteris humilium servorum suorum consolator Dominus: *Congregatione congregabo Jacob totum te; in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio causarum tumultuabuntur a multitudine hominum. Ascendet enim pandens iter ante eos, divident et transibunt portum, et egredientur per eam,*

et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum. Profecto liquet verba consolatoria hæc esse ut non doleat Jacob sive Israel, id est quicunque de illo patriarcha sancto secundum carnem natus, secundum fidem quoque filius ejus, quemadmodum iste propheta dolens dixerat, *utinam mendacium loquerer*, id est utinam nequaquam secundum prophetiam meam tanta Israeliticæ multitudinis amissio fieret. Utinam cæcitas in Israel non contingeret. In eodem istum spiritus consolatur in quo et Apostolus, qui dum loco supra memorato dixisset, *quia cæcitas ex parte contigit in Israel* (*Rom.* XI), subjunxit, *donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*ibid.*). Illa plenitudo gentium hic dicitur Jacob, id est supplantator, dicendo, *congregatione congregabo Jacob, totum* est : Nam *reliquiæ* Israel, quæ ut idem Apostolus ait, *secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*ibid.*), manifeste hic sequentibus verbis exprimuntur, in unum conducam reliquias Israel. Et est sensus, Jacob : id est supplantatorem ex gentibus populum congregans et reliquias Israel conducens, unum efficiam cœtum, ut in unitate sint habendo unam fidem et unum spiritum, et nulla sit distinctio pro carnis origine, sed omnes tam Judæi quam Græci filii sint Israel, et filii Abrahæ, et indifferenter reputentur in semine. Hoc est, quod adhuc repetens pulchra exornat similitudine. *Pariter*, inquit, *ponam illum quasi gregem in ovili, et quasi pecus in medio caularum*. Idem videtur esse *quasi gregem in ovili, et quasi pecus in medio caularum*, sed non sine causa repetivit, quia videlicet nunc quidem est unus grex et unum ovile, sed aliunde grex Judaici, et aliunde venit grex gentilis populi. Nam ille pastor omnium dixit : *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor* (*Joan.* X). Igitur et reliquias Israel quasi gregem in ovili, et plenitudinem gentium *quasi pecus in medio caularum pariter ponam*, et *pariter*, inquam, id est habentes unam fidem et unum spiritum, ita simpliciter obedientes unicæ regulæ veritatis, sicut mansuetæ oves subditæ sunt pastori. Nec vero parva multitudo erit, *sed tumultuabuntur a multitudine hominum*, quia videlicet oves istæ homines sunt, et homines hi tam multi erunt ut magnum et publicum per orbem terrarum faciant divinæ laudis tumultum, cum magno tumultu cœlum herbidumque pascendo compleant paradisum. Quod cum factum fuerit, nec tu Michæa, nec aliquis prophetarum sive apostolorum dolorem aut tristitiam habebit de amissione filiorum Israel carnalium. Talis vel tanta congregatio, quomodo vel per quem facienda foret exponens : *Ascendit enim*, inquit, *pandens iter ante eos ; divident, transibunt portam, et egredientur per eam, transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum*. Iste *pandens iter*, iste rex et Dominus transiens coram eis ; ipse est, qui loco jam prælibato in Evangelio dicit : *Ego sum pastor bonus* (*ibid.*). Quomodo iste ascendit pandens

A iter ante eos ? *Cum*, inquit, *proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus* (*ibid.*). Quomodo ante eas, nisi patiendo pro illis, relinquens exemplum patiendi, et aperiens aditum paradisi ? Ascendet ergo, inquit, subauditur in crucem et exaltabitur a terra bonus pastor ponendo animam suam pro ovibus suis, ascendet super occasum, id est super mortem, resurgendo mortem quippe calcabit, et ascendet super cœlos cœlorum, et sedebit ad dexteram Patris *pandens iter ante eos*, videlicet ut eo perveniat humilitas gregis, quo præcessit celsitudo pastoris. Sic illo pandente iter extunc *divident et transibunt portam, et egredientur per eam*, illam videlicet portam, de quo Psalmista : *Hæc*, inquit, *porta Domini, justi intrabunt per eam*

B (*Psal.* CXVII). Quænam hæc est porta, nisi ipsa eadem passio Christi, extra quam nulla est porta, nulla est via, qua in vitam quis possit ingredi ? Portam illam quam fecit in latere crucifixi lancea militis inundationem illam sanguinis et aquæ, quæ inde profluxit, *divident*, ait, *et transibunt et egredientur per eam*, nimirum secundum divisionem maris Rubri, per quam transierunt filii Israel, merso Pharaone cum curribus et equitibus suis (*Exod.* XIV). Hanc ita dividere oportet, ut unum eumdemque Christum cujus in morte baptizati sumus, Deum et hominem credentes, et naturam utramque certa discretione dignoscentes, impassibilem quidem ex divinitate, passum autem semel ex humanitate confiteamur firmiterque teneamus. Ita dividentibus et transeuntibus *transibit*, inquit, *rex eorum coram*

C **203** *eis*, quod jam factum est : transivit enim ex hoc mundo ad Patrem, et Dominus in capite eorum, quia videlicet Dominus nomen est illi, et ipse caput, ipsi autem membra sunt : ille rex et isti populus ; ille pastor, et isti oves pascuæ ejus. De isto transitu atque egressu per portam hanc, ipse loco jam dicto loquitur : *Per me si quis introierit, salvabitur ; et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* (*ibid.*). Ingreditur enim quis, dum fidem suscipiendo fit ovis hujus pastoris, et egreditur dum vitam præsentem finit, et tunc pascua invenit vitæ æternæ immarcessibilis. Sed et hoc ibidem dicit : *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones* (*ibid.*). *Item fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* (*ibid.*) Hoc est quod propheta dicturum illum certissime esse sentiens, quasi jam dixerit, protinus ait :

D CAP. III. — Et dixit : *Audite principes Jacob, et duces domus Israel : Nunquid non vestrum est scire judicium, et odio habetis bonum, et diligitis malum ? Qui violenter tulistis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt et conciderunt, sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ.* Postquam decem tribuum peccata declamavit, et detrimentum carnis Jacob, quod contingit in illis tam anima perditis quam corpore in captivitatem irrevocabilem abductis, consolatus est ex promissione

regis et Domini nostri, de quo nobis nunc sermo fuit rursus ab altero exordio incipiens, peccata Judæ et Hierusalem depromit, et pœnam prædicit quam simili fine concludit, sicut sequens Scripturæ series ostendit. Præmisso namque propter hoc causa vestri : *Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit* (*Jer.* XXVI), protinus de Christo subjungit : *Et erit in novissimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium* (*Mich.* IV), etc. Igitur dum præmisso, *pariter ponam illum quasi gregem in ovili, et quasi pecus in medio caularum*, Dominum ascendentem et iter pandentem dixisse, et subjungit : *Audite principes Jacob, et duces domus Israel*, subintelligendum est falso principes et falso duces : nam veraciter fures et latrones. Nam et illud quod sequitur, *nunquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum et diligitis malum*, melius daret quanti vel quam gravissimi sit ponderis, si ad ejusdem sermonis despiciamus initium, quod tale est. *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX). Sic incœpti sermonis causa erat, quod Pharisæi quos ipse interdum duces cæcos appellavit (*Matth.* XV), illum a nativitate cæcum quem ipse illuminaverat, propter testimonium veritatis, foras ejecerant, et extra Synagogam esse fecerant. Cum ergo sic incœpisset, *in judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant*, illis contradicentibus : *Nunquid et nos cæci sumus* (*Joan.* IX), verbis subsequentibus dignos esse illos cæcitate comprobavit, et nondum quidem videri sibimetipsis quod essent cæci, sed mox futurum esse, ut eorum tanquam furum et latronum eruerentur oculi. Sequitur enim : *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (*Joan.* X), etc. Igitur, o falsi principes, et falsi duces domus Israel, veri fures et veri latrones, qui non intrastis *per ostium in ovile ovium*, sed ascendistis *aliunde*; neque enim intrastis per verum verbum Dei sed vestrum mendacium, sectantes turpe lucrum, qui odio habetis bonum et diligitis malum: ejicitis enim videntem et illuminatum, et omne pecus vultis esse cæcum, audite hoc : *Nunquid vestrum est scire judicium*, subauditur, et non misericordiam? Misericordia namque longe facta est a vobis ; judicium autem scietis, judicantis severitatem experiemini, ut videlicet efficiamini quemadmodum dixi, *quia in judicium veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant*. Hoc vestrum est, hæc pars vestra vobisque reposita est. Quare? Quia facitis quod furis est, qui *non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat*. Vos, inquam, hoc facitis quod furis est, nec ad aliud venistis nisi ad hoc ut furemini et mactetis et perdatis ; quippe qui violenter tulistis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum. Hæc dicendo, cœptam servat metaphoram ovium, quas fur idcirco furatur ut mactet, et pellibus detractis, carnes earum devoret.

A Sic enim illi fures et latrones qui sibi videbantur principes et duces, prædam de populo faciebant, et substantias eorum devorabant. Sed parum erat res eorum corrosisse vel sorbuisse avaritia profunda et insatiabili cupidate, nisi seductas quoque animas eorum perpetuæ traderent gehennæ. Itaque quod minus dixerat sequenti versiculo supplet. Conversus ad auditores, ut declamationis atque conquestionis vis acrius sonet : *Qui comederunt*, inquit, *carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt in lebete, et quasi carnem in medio ollæ*. Vere ergo fures, vere latrones. Vere, inquam, fures qui et furati sunt et mactaverunt et perdiderunt. Mactaverunt enim corporaliter eos, qui non consenserunt nolentes audire B vocem alienorum ; et perdiderunt eos qui sibi consenserunt occidentibus pastorem et episcopum animarum suarum. Utrobique fures, utrobique latrones. *Comederunt*, ait, *carnem*, id est peccata populi mei, sicut per prophetam, alium dictum est, *peccata populi mei comedent* (*Ose.* IV). Nam per carnem et sanguinem peccata designari solent, ut illic : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, (*I Cor.* XV). Comederunt autem substantias eorum quibus favebant ad peccandum, non tantum ultro oblatas, verum et per dolum et per vim detractas. Hoc pulchre per ordinem ejusdem metaphoræ cœlestis eloquentia figuravit, dicendo: *Et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt*, videlicet ut fieri solet in mactatione et devoratione C ovium. Primum quippe pelles arte lanistarum desuper excoriantur, deinde ossa ; quia pro sua duritia dentibus et cultro resistunt, confringuntur ut ad medullæ pinguedinem perveniatur, de eo quod medium est, id est de carnibus : illæ namque inter pellem ut ossa sitæ sunt ; novissime dicit : *Et conciderunt sicut in lebete*, vel hoc solum, *quasi carnem in medio ollæ*. Verum, quia non frustra putandus est utrumque dixisse, quærimus utramque concisionem, utrumque pœnalis officinæ instrumentum, lebetem et ollam.

Primum hoc animadvertendum quia lebes et olla in hoc differunt, quod lebes os latum habet superius, olla oris augustias habens, ventre dilatatur. Et de lebete quidem bullliente difficile quid manu educitur ; de olla vero difficilius. Utramque ergo D augustiam infelicium hic intelligimus, quarum causa illis, id est principes et duces exstiterunt, scilicet et eam quam a Romanis ferventissima obsidione, et eam quam a malignis spiritibus perpessuri erant gehennali igne. *Duplici* namque, juxta prophetiam, *contritione conterendi erant*. (*Jer.* XVII). quod et Psalmista clarius distinguens : *Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt* (*Psal.* LXII). Et de Romana quidem obsidione quasi de lebete nonnulli, quamvis difficile superfuerunt, de gehennæ autem **204** augustiis quasi de ollæ interioribus, ut evadant difficilius, imo omnino impossibile est. Multum dissimilia, quinimo et valde contraria sunt.

Hæc suprascriptis illis, quæ a bono pastore, id est Christo, dicta sunt, *pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum.* Qui illa dixit, ipse pascit, qui ista faciunt, ipsi occidunt. De quibus adhuc subjungitur : *Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, et abscondet faciem suam ab eis in illo tempore, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. Tunc,* inquit, quando *ponam illos quasi gregem in ovili, et quasi pecus in medio caularum*; quando *alias oves*, quas habeo, *quæ non sunt ex hoc ovili*, adducam, *quia vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor*, nulla distinctione habita Judæi et Græci, tunc et illi fures et latrones, et isti oves insipientes, imo hædi magis quam oves sive oves errantes, quæ audierunt vocem alienorum, *clamabunt ad Dominum, et non exaudiet* B *eos.* Et non solum *non exaudiet eos*, verum etiam *abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis*, id est, sicut meruerunt non ignoranter, sed nequiter malum operati, non casu vel imprudenter in peccatum lapsi sed ad malum intenti, non ad devitandum sed ad concionandum omne quod iniquum est toto animo dediti et male studiosi, sicut Psalmista cum dixisset : *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt*, addidit, *in studiis suis* (*Psal.* XIII). Et ista profecto superioribus ex adverso respondent, ubi cum dixisset : *Ponam illos quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum*, secutus est, et ait : *Tumultuabuntur a multitudine hominum : ascendit enim pandens iter ante eos, et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum. Illi tumultuabuntur a multitudine hominum, et Dominus ascendet, pandens iter ante eos*; isti *clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos. Coram* illis *transibit rex eorum, et Dominus in capite eorum; coram* istis non solum non transibit Dominus, et non solum in capite eorum non erit, verum etiam *abscondet faciem suam ab eis*, quod procul dubio nunc factum est et fit, posito insuper velamine super cor eorum ut videre non possint, Sequitur : *Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem; et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione. Et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies. Et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini, et operient vultus suos, quia non est responsum Dei.* Inter omnes principes ac duces, de qualibus hactenus dictum est, non prætereundi erant prophetæ illius temporis, prophetæ mordaces et populi seductores, videlicet Annas et Caiphas, quorum *unus qui erat pontifex anni illius prophetavit, quia moriturus erat Jesus pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum. Dixit enim : Vos nescitis quidquam nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XI). Equidem A cum hoc diceret, falsum erat quod animo sentiebat; sed verum erat quod voce sonabat. Sentiebat quippe, vel alios sentire volebat quod nisi moreretur Jesus qui rex et Christus dicebatur, causa fieret Romanis quorum imperio subditi erant, ut venirent locumque et gentem tollerent (*ibid.*). Et hoc falsum erat : neque enim Christus regna Romanorum sive aliarum gentium tollere venerat, sive occasionem dare inimicitiarum, vindicata sibi ulla potestate terrena. Verba autem illius hoc sonabant, quod Jesus pro omnium filiorum Dei redemptione moriturus esset; et hoc verum erat, et veraciter ita factum est. Igitur prophetæ illi, id est pontifices, quorum unus taliter prophetavit, non erant prætereundi, quin aliquid audirent plusquam principes ac duces cæteri. *Hæc ergo dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem.* Non dubium, quin prophetæ illi seduxerint populum plusquam seduxerant unquam prophetæ Baal, quales temporibus Achab et Jezabel exstiterunt. Nam illi seduxerunt populum in tantum ut derelinquerent Dominum, et colerent Baal. Isti in tantum seduxerunt ut crucifigerent Dominum, et eligerent Barabbam. Quod autem subjungit, *qui mordent dentibus suis*, adeo verum est, et juxta Psalmistam : *Dentes eorum arma fuerint et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI). Itaque cum tam mordaces fuerint homicidiæ, quam fictam prædicaverunt pacem, cum multa indicia sint, illud admirationem facit quod C Dominus noster per pacis osculum traditus est illis. Et *si quis*, ait, *non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium.* Brevis quidem sed alta nimis et vehemens declamatio avaritiæ illorum. Et quidem de multitudine valet intelligi, quia de multis verum est, quod eos sibi hostes reputaverint quando non dederunt, et amicos quando dederunt in ore eorum. Sed de Domino nostro præ omnibus intelligendum est, quod idcirco sanctificaverint super eum prælium, quia non dedit quidpiam in ore eorum, imo disputabat contra avaritiam illorum. Denique si talis venisset iste Messias, id est Christus qui per prophetas promissus erat, ut terreno suffultus regno ampliaret domos et augeret divitias eorum, tunc placuisset eis, tunc pacem suam obtulissent ei. Quia vero pauper et contemptor divitia- D rum venit, quia non divites sed pauperes beatos fore prædicavit, et sicut jam dictum est, contra illorum avaritiam disputavit, *sanctificaverunt super eum prælium*, id est quoad potuerunt sanctum videri, et pertinens ad obsequium Dei benedicti, elaboraverunt si interficerent illum. Hoc adeo verum est de prophetis ejusmodi, ut de pluribus quoque certo experimento compertum sit. Quando enim quidpiam dedit in ore eorum, quando de quinque panibus hordeaceis et duobus piscibus saturavit quinque millia hominum, tunc voluerunt eum rapere, et facere regem, sicut scriptum est : *Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, et*

facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus (*Joan.* VI). Ubi autem persenserunt, quod nollet amplius quidpiam vel quomodo vellet dare in ore eorum, dicente illo : *Amen amen dico vobis, quæretis me, non quia vidistis signa ; sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*ibid.*), etc. Cœperunt super eum sanctificare prælium murmurando et dicendo : *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?* (*Ibid.*) Si de popularibus ita est, quid putas de prophetis illis cupidis et profundis amatoribus divitiarum, quando is qui prædicabatur Christus non solum non promittebat eis sicut vellent thesauros orbis terrarum, sed etiam disputabat contra avaritiam eorum? Nimirum desperaverunt de illo dicentes : *Quod non daret quidpiam in ore eorum, et idcirco sanctificaverunt super eum prælium*, sanctum esse judicantes, si crucifigerent eum, tanquam **205** seductorem et magum. Quid dicit Dominus super hujuscemodi prophetas? *Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione. Et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies.* Visio et divinatio hoc differunt, quod divinatio nunquam in Scripturis in bonam partem accipitur. *Non erit*, ait, *augurium in Jacob, neque divinatio in Israel* (*Num.* XXIII). Cumque hoc utcunque tollitur, sive effectum non habere denuntiatur, dicendo : *Nox vobis pro visione erit, et tenebræ pro divinatione*, sic intelligendum est : Vos nescientes sive scire nolentes, aliud esse prophetiam, aliud esse divinationem, videmini vobis esse prophetæ ut vultis, ut æstimemini visiones Dei videre, cum sitis potius quasi augures et divini sive arioli, pro eo quod ubi quid ad mordendum accipitis, ibi pacem prædicatis ; et si quis non dederit in ore vestro quidpiam, super eum prælium sanctificatis. Sed sive visionem velitis nuncupare, quod loquimini, vestra visio nox erit, sive divinationem dicatis ; non ibi lux, sed tenebræ sunt tenebræ falsitatis et nox mendacii, quia videlicet super nos sol occubuit, et dies obtenebratus est. Quis ille sol, nisi de quo scriptum est : *Vobis autem timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ?* (*Malach.* IV.) Et quis ille dies, nisi ipse qui dicit : *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ?* (*Joan.* VIII.)

Videmus ita factum, quia ex quo jam dictus Caiphas sanguineam prophetavit prophetiam propheta crudelis et tendens ad sanguinem : Nihil est ibi visionis aut veritatis. Et sicut regalis dignitas interiit et auctoritas sacerdotii decidit, sic omnis quoque ab illis prophetica gratia decessit. Divinaverunt aliquoties et adhuc divinare nituntur infelices, prospera sibi promittendo post finem malorum quæ nunc patiuntur, dispersi, et captivitatis jugum portantes quasi ipsos quoque Romanos versa vice possessuri sint in servos, juxta illud : *Et possidebit domus Jacob eos qui se possederant* (*Abd.* I). Sed hu-

A jusmodi divinationes tenebræ sunt et non lux, nox et non veræ visionis dies. Contigit enim eis illud, quod per Psalmistam juxta concessionem dictum est : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum, obscurentur oculi eorum ne videant* (*Psal.* LXVIII). Siquidem occubuit super eos, et obtenebratus est ille sol, et in ipso occubitu suo noctem et tenebras, de quibus hic sermo est, per tenebras illas significavit, quæ tunc *factæ sunt super terram universam ab hora sexta usque in horam nonam* (*Matth.* XXVII). Et revera quamvis ille ressurrexerit, recte dicitur, quia *super eos occubuit* ; non enim credunt eum resurrexisse a mortuis, et perinde jugiter in nocte sunt et in tenebris. In eo gloriantur illuminati omnes qui credunt;
B illi autem non credentes confusi sunt, claritatem solis hujus sese ingerentem non ferentes, sicut quondam fere non poterant claritatem vultus Mosi, sed fugiebant vultibus aversis et cordibus (*Exod.* XXXIV ; *II Cor.* III). Hoc innuens hic, *et confundentur*, ait, *qui vident visiones, et confundentur divini; et operient vultus suos omnes, quia non est responsum Dei.* Rebus enim apparentibus convincuntur mendaces, qui videbant, id est qui se vidisset fingebant visiones, quia quidquid loquuntur aut locuti sunt, *non erat responsum Dei*, sed prophetaverunt de cordibus suis, et nunc usque *operient vultus suos*, velamen malitiæ positum habentes super cor. His dictis super prophetas seductores atque mordaces, quorum deterrimi fuerunt Annas et Caiphas,
C ut jam dictum est, continuo de semetipso dicit : *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et veritate, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum.*

Hoc plane non frustra, nec absque rationis pondere opposuit. Poterant enim obviare illi, quibus moris erat prophetas Domini contemnere sive etiam irridere, et fortassis jam rapuerant verbum de ore ejus, ut dicerent : *Quoniam nox*, ut tu dicis, *pro visione et tenebræ pro divinatione* sunt prophetis, jam nec de tua visione curamus, *quia non est responsum Dei*, sed divinatio quam finxisti, sic namque ad Hieremiam dixerunt : *Mendacium tu loqueris. Non misit te Dominus Deus noster dicens : Ne ingrediamini Ægyptum, ut habitetis illic; sed Baruc filius Neriæ incitat te adversum nos* (*Jer.* XLIII). Amplius
D autem ejusmodi prophetæ, de qualibus iste dicebat, *Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ pro divinatione*, non dubium quin adversus istum insanierint, quemadmodum insanierunt adversus alium prophetam ejus nominis, videlicet Michæam filium Jembla. Nam cum ille diceret ad Achab : *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. Accessit Sedechias filius Chanaan, et percussit Michæam in maxillam, et dixit : Mene ergo dimisit Spiritus Domini, et locutus est tibi?* (*III Reg.* XXII). Itaque hic cum dixisset super prophetas ea quæ præmissa sunt, non abs re de semet-

ipso taliter edixit, *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et veritate*, et cætera, ac si diceret : Prophetæ qui prædicant pacem et dicunt : *Pax, pax* (*Jer.* VI), ipsi confundentur, quia responsum eorum non est responsum Dei, sed *ego repletus sum fortitudine spiritus Domini* qui annuntio quod verum est, et facio quod judicantis est. In eo quod annuntio *Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum.* Nec ullus mihi certior post Deum testis est, quam ipsa conscientia Jacob sive Israel, utrum verum dicam an non. Suum enim scelus et suum peccatum est, neque conscientiam ejus latet, et inde cognoscit utrum de corde meo loquor, an fortitudo judicii et veritatis in eo sermone consistat. *Audite hæc principes domus Jacob et judices domus Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis ; qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Hierusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes : Nunquid non Dominus est in medio vestrum ? Non venient super vos mala. Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.* Hoc vere tanquam fortis, velut judex, sicut verax declamavit iste, *repletus fortitudine spiritus Domini*, principibus et judicibus, sacerdotibus et prophetis. Singulis namque scelus peccatum suum annuntiavit principibus quod in muneribus judicarent ; sacerdotibus, quod in mercede docerent ; prophetis quod in pecunia divinarent, quodque muneribus incrassati, mercedibus impinguati, pecunia, dilatati, super Dominum tanquam crassæ boves super præsepe suum requiescent dicentes : In medio sui evidenter esse Dominum, quoniam nihil deesset ventribus eorum, ac si ipsos confortarent adversus prophetas Domini, dicendo : Non venient super vos mala *Dominus bonus est* (*Threm.* III), prophetæ loquuntur falsa. Jam supra dixerat super principes et duces, *tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet.* Dixerat super prophetas, *propterea nox vobis pro visione erit* et licet grandis vindicta sit in utriusque sententiis, nondum tetigerat aures **206** eorum iste fragor ultimus, quem dissimulare non possunt. Propter hoc causa vestri, *Sion quasi ager arabitur, Hierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.* Hoc ita factum est, sicut totus orbis audivit, quia postquam talium principum ac judicum, talium sacerdotum et prophetarum filii mensuram patrum suorum impleverunt, crucifigendo Christum Filium Dei (*Matth.* XXVI), Sion sive Hierusalem deserta facta est, nec remansit civitas aut templi lapis super lapidem qui non destrueretur (*Luc.* XIX). De hac prophetia taliter in Hieremia mentio facta est.

A *Surrexerunt ergo viri de senioribus terræ, et dixerunt ad omnem cætum populi loquentes : Michæas Demosthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, et ait ad omnem populum dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem in acervum lapidum erit, et mons domus in excelsa silvarum. Nunquid morte condemnabit eum Ezechias rex Juda, et omnis Juda? Nunquid non timuerunt Dominum, et deprecati sunt faciem Domini ; et pænituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversus eos ?* (*Jer.* XXV.) Horum idcirco meminerim, quia visum est illis pœnituisse Dominum, eo quod non cito in diebus eorum evenisset, quod fuerat prophetatum. At ille propheta sive spiritus Domini, cujus in fortitudine prophetabat, cujus judicio et veritate repletum se esse sciebat, non præsentia regis Ezechiæ
B tempora, sed nec Babylonicam captivitatem attendebat, quia Sion sive Hierusalem capta quidem, sed non ita funditus eversa, ut non remaneret lapis super lapidem. Tempus illud aspiciebat, quo ille prophetarum Dominus crucifigendus erat a principibus in muneribus judicantibus, a sacerdotibus in mercede docentibus, a prophetis in pecunia divinantibus, qui judicium abominati sunt et omnia recta perverterunt, in tantum ut dicerent : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII), et hoc dixit : *Possum destruere templum Dei, et in tribus diebus reædificare illud* (*Matth.* XXVI), *qui* ita *ædificaverunt Sion in sanguinibus et Hierusalem in iniquitate*, ut merito deberet *venire super eos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a san-*
C *guine Abel justi* (*Matth.* XXIII). Non igitur, ut putaverunt illi, pœnituit Dominum mali quod locutus fuerat adversum eos, quia videlicet sermo Domini vindex sine pœnitentia in veritate fundatus est, sicut alibi scriptum est : *Porro, triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur ; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam* (*I Reg.* XV). Non pepercit, neque pœnitudine flexus est, quia videlicet principes in muneribus judicare, sacerdotes in mercede docere, prophetæ in pecunia divinare non cessaverunt, in tantum ut domum Patris, quæ domus orationis erat, vel esse debebat, facerent speluncam latronum (*Luc.* XIX). Unde animadvertendum, quod qui taliter per istum prædixit, propter hoc Sion causa vestri *quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus la-*
D *pidum erit, et mons templi in excelsa silvarum*, ipse cum flevisset super eamdem civitatem, dicens : *Quia dies venient in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et ad terram prosternent te, et non relinquent in te lapidem super lapidem : protinus ingressus templum, cœpit ejicere vendentes et ementes* (*ibid,*) in illo, per hoc judicans eversionem civitatis et templi, maxime pro culpa sacerdotum futuram, qui in templo illo facti erant principes latronum.

LIBER SECUNDUS.

207 Memoriter tenendum quod jam diximus, summam intentionis prophetarum in hoc esse, ut detrimentum Israeliticæ gentis,quod per infidelitatem contigit, ita declament, quatenus supplementum electionis de plenitudine gentium,per fidem in Christo futuram annuntient.In hoc isto jam secundo insistens cum præmisisset *audite principes Jacob et duces domus Israel, qui odio habetis bonum,et diligitis malum*,et cætera, quæ ita complevit, *propter hoc causa vestri,Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit,et mons templi in excelsa silvarum*, confestim ita subjunxit :

CAP. IV. — *Et erit:in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium,et sublimis super colles, et fluent ad eum populi, et ibunt gentes multæ,et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas,et ibimus in semitis ejus,quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit inter populos multos,et corripiet gentes fortes usque in longinquum. Et concident gladios suos in vomeres,et hastas suas in ligones, non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare, et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat eum, quia os Domini exercituum locutum est, quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui, nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum et ultra.*Manifesta hæc de plenitudine gentium prophetia,quæ nunc intrat, dum *cæcitas contigit in Israel* (*Rom.* XI), dum sicut in isto supra scriptum est ; *nox illis pro visione est, et tenebræ pro divinatione. Et occubuit sol super prophetas, et obtenebratus est super eos dies* (*Mich.* III), et præterea Hierusalem redacta in acervum lapidum,qui ex eis gladio superfuerunt captivi ducti sunt in omnes gentes(*Luc.*XXI) et ipsæ quidem gentes,quarum salus prænuntiatur manifestis nominibus exprimuntur, dicendo, *et fluent ad eum populi,et properabunt gentes multæ*,etc. Christus autem ad quem fluunt populi et properant gentes, non manifesto vel proprio, sed mystico significatur vocabulo, dum dicitur, *mons domus Domini præparatur in vertice montium*.Nam quod Christus nomine montis digne debeat intelligi, cum ex multis Scripturarum locis,tum maxime ex illa claret visione apud Danielem,ubi sic scriptum est : *Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram* (*Dan.* II). Miranda ergo et veneranda diligentia spiritus prophetici, quæ tali in loco Christum nuncupavit montem domus Domini, ubi dixerat, *et erit mons templi in excelsa silvarum*.Quid enim?Nunquid parum offenderat aut offendere poterat rebellionem aurium po- A pularium,id quod dixerat,*et erit mons templi in excelsa silvarum*?Quos ergo exasperavit triste nuntium de monte templi,mitiget eosdem dulce oraculum de monte domus Domini, salubriter errantes in æquivocatione montis, ut putent sermonem utrumque esse de re unius ejusdemque montis,qui error illorum multum profuit, in hoc quod non properaverunt eum percutere tanquam durum medicum fortes phrenetici,et in hoc quod scripturam propheticam servaverunt nec igni tradiderunt,multis deinde profuturam sæculis.Nunc diligenter istas animadvertamus, quas libenter audimus promissiones Spiritus sancti de nobis gentibus.*Et erit*,inquit,*in novissimo dierum*. Quid hic dicit *in novissimo dierum* ? Isaias dicit, *in novissimis diebus* (*Isa.* II). Novissimos autem dies sive novissima tempora illius populi, B contra quem sermo hactenus fuerat,illa recte intelligimus de quibus Salvator in Evangelio,cum dixisset:*Cum immundus spiritus exierit ab homine*(*Matth.* XII),et cætera ita conclusit : *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* (*ibid.*). Ergo non aliud, sed ipsum tempus quo implenda erant illa,quæ ante hæc dixit,et sic fiunt, *et Hierusalem quasi acervus lapidum erit,et mons templi excelsa silvarum*,novissimus est dierum,novissimi dies et novissima tempora pejora prioribus in populo sunt. Cæterum eis qui Christum recipiunt plenitudo temporis est,quemadmodum Apostolus dicit : *At ubi venit plenitudo temporis,misit Deus Filium suum,factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* (*Galat.* IV). Igitur *in novissimo dierum*, id est eodem C tempore quo *Hierusalem quasi acervus lapidum, et mons templi erit in excelsa silvarum,erit mons domus Domini, præparatus in vertice montium, et sublimis super colles*. Quod idem est ac si diceret : Christus tunc in omni mundo innotescet,qui omnium sanctorum altitudo et dignitas est. Nam domus Domini, Ecclesia Domini,mons autem ejusdem domus Christus est.Psalmista utrumque prævidens, scilicet, et domum et montem,cum præmisisset, *rex virtutum, dilecti, dilecti* (*Psal.* LXVIII), protinus ait, *et speciei domus dividere spolia, dum discernit cœlestis reges super eam nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis, mons coagulatas* (*ibid.*). Alta namque et sublimis persona est, quippe qui Deus et homo est rex et pontifex, Rex regum, et pontifex manens D in æternum. *Mons* ergo est *præparatus in vertice montium, et sublimis super colles*, quia patriarchis et prophetis, regibus et sacerdotibus cunctis, et sanctis omnibus præcelsior est, qui et super illam domum Domini,reges,ut in scripto psalmi versiculo dictum est,reges,inquam, et prophetas discernit et ordinat (*ibid.*), quemadmodum et ipsi fatentur, di-

cendo : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Joan.* I). Quousque vero sublimitas ejus **208** pertingit ? Nimirum usque ad dextram Patris, quam nullus montium, id est angelorum, nullus collium, id est hominum sanctorum attingit. Ad quem enim angelorum, ait Apostolus, dixit aliquando : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Hebr.* I). Vere ergo præparatus super verticem montium, et sublimis super colles, dum sedet ad dextram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditavit, dicente Deo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Dicitur etiam, ut jam præmisimus, *rex virtutum dilecti, dilecti* (*Psal.* LVII), id est, rex virtutum suarum, qui singulariter est dilectus Dei Patris dicentis : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III), et rex dividere, id est ad dividendum spolia, speciei domus ad dandum dona hominibus, de illa sede majestatis, quæ videlicet dona sic recte dici possunt spolia, sicut et illæ vestes Esau bonæ, quibus juniorem filium suum Jacob induit Rebecca (*Gen.* XXVII.) Nam secundum typum illum spoliati sunt, qui priores erant Judæi cœlestibus donis, quæ collata sunt speciei domus Domini, id est pulchritudini Ecclesiæ de gentibus per divinam gratiam Spiritus sancti, ex quo, sicut jam dictum est, *præparatus in vertice montium, et sublimis super colles* factus est sedendo ad dextram Patris ; iste *mons domus Domini, mons pinguis, mons coagulatus*, id est Deus homo factus, homo in Deum assumptus, in quo omnes nive dealbabuntur dum remissionem peccatorum accepimus, eo quod ipse sit omnimoda sanctitate candidus, quod per nomen ipsius montis. Selmon illic intelligitur. Ad istam gloriam, ad istam sublimitatem præparatus dicitur, id est ante omnia sæcula paratus, quod et ipse innuens, *si ergo*, inquit, *videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius* (*Joan.* VI). Nam licet secundum humanitatem et omnibus angelis et multis hominibus sive sæculi ætatibus junior sit Christus, profecto secundum divinitatem omnibus et angelis et hominibus, cœloque et terra longe antiquior esse non dubitatur. Cum igitur tantæ sit altitudinis iste mons domus Domini, ut supra illum nihil sit, quomodo fundamentum est domus Domini? Nam in Propheta: *Ecce ego mittam dicit Dominus, in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum* (*Isai.* XXVIII), qui videlicet lapis absque dubio Christus est. Et in Apostolo : *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Si ædificationem vulgarem sive terrenam respicimus, palam est, quia fundamentum totius ædificationis, imum atque infimum est. Ergo in hoc maxime similitudo deficit, quia terrenæ quidem ædificationis fundamentum in imo positum, structuram supra se subrigit, hujus autem spiritualis domus Domini, fundamentum sursum est, ubi Christus *in dextra Dei sedens* (*Hebr.* XII), structura vero

A sic suspensa est eidem fundamento inhærens, ut dicant adhuc in isto sæculo sive mortali corpore commorantes, *nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Quod deinde sequitur, *et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus*, extunc factum est, et fit, et usque ad finem sæculi fieri non desinit. Fluxerunt namque ad illum montem Christum, et fluere non desinunt gentes et populi cum sacro flumine baptismi, ex quo dando regulam baptizandi : *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Illi quibus hoc præsentialiter dixit, videlicet apostoli, et qui per eos
B invitati atque instructi sunt, vel post illos in evangelica fide succrevere, prædicare, et mutuo cohortari non desinunt, et universæ prædicationis sive exhortationis eorum summa hæc est : *Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob*, subauditur, ut ipsius et unicæ Ecclesiæ ejus unicam fidem teneamus, *et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus ;* quia videlicet non sufficit credere, nisi etiam secundum præcepta ejus operemur et per semitas ejus, id est *per arctam et angustam viam quæ ducit ad vitam, intrare contendamus* (*Luc.* XXIV). Idcirco ipse cum dixisset : *Docete omnes gentes, batizantes eos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, addidit, *docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII). Quodque hic adjungit,
C *quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Hierusalem.* Item ipse in Evangelio confirmat, dicens : *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierusalem* (*Luc.* XXIV). *Et judicabit inter populos multos, et corriget gentes fortes usque ad longinquum. Judicabit*, subauditur, verbum Domini, quia videlicet in hoc quoque sæculo sermo Dei verus judex est. Unde Apostolus : *Vivus est enim*, inquit, *sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus* (*Hebr.* IV). Mira efficacia, mira
D vivacitas sermonis Domini judicantis populos et gentes corripientis, qui cogitationes et intentiones cordis latere non sinit. Quocunque accidit, ubicunque prædicatur, tale judicium fit, talisque discretio populorum sive gentium, ut domestici quoque, id est qui in una domo commorantur, contra semetipsos dividantur, fiantque manifesti qui probati et qui improbi sunt, id est qui pertineant et non pertineant ad Deum, Quod intuens ipsum Verbum incarnatum : *Nolite*, inquit, *arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X). Statimque testimonium subjungit fortasse de isto propheta sumptum. *Veni enim*

separare hominem adversus patrem suum, et nurum A *adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* x). Hoc modo jam judicavit, et judicat Verbum Domini inter populos multos, et hoc modo gentes fortes corripit, dum et pater filium et filius patrem, mater filiam, et filia matrem, socrus nurum, et nurus socrum suam redarguendo in fide vel in Evangelio Christi, excusatum sive excusabilem esse non sinit, ne forte quis in futuro universali judicio dicat : Nescivi, non audivi, non fuit nuntiatum mihi. *Gentes* autem, inquit, non qualescunque, sed *fortes* scilicet Græcos et Romanos quoque corripit addens adhuc *usque in longinquum*, id est *a solis ortu usque ad occasum* (*Psal.* XLIX), sicut de hujusmodi in psalmo scriptum est : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Item : *A summo cœlo egressio ejus,* B *et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus* (*ibid.*). Quod nimirum idem est ac si diceret, quia de ignorantia nemo satis erit excusatus. His dictis protinus de illis quos non contradicturos prævidet judicanti et corripiendo Verbo Domini, sed acturos pœnitentiam, acquiescendo veritati, ita subjungit : *Et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent* **209** *ultra belligerare.* Nonne istud coruscante Christi Evangelio passim per populos et gentes factum esse legimus et fieri videmus, dum viri prius inquieti et bellicosi, depositis armis bellicis et ipsos schemate vel habitu immutato, insignia ferunt evangelicæ pacis, alii ad cœnobialem, alii ad ere- C miticam vitam conversi ? Verumtamen de cæteris quomodocunque sit, nonne sacerdotalis cunctusque sacri altaris ministerialis ordo, sic et gladios et lanceas concidit ut ne saltem manibus attrectare licitum sit ? Non sic erat antequam innotuisset iste mons domus Domini. Denique ante adventum Christi sacerdotibus æque ut cætero populo licitum erat armis accingi, et ad prælium exerceri. Quinimo et propter hoc maxime tribus Levitica sacerdotium meruit, quia gladiis utens nec fratribus suis pepercit. Sicut scriptum est : *Si quis est Domini, jungatur mihi, ait Moses. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi, quibus ait : Ponat vir gladium super femur suum. Ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem* D *suum, et amicum et proximum suum. Feceruntque ita, cecideruntque quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moses : Consecrastis manus vestras Domino hodie unusquisque in filio et fratre suo, ut detur vobis benedictio* (*Exod.* XXXII). Item, Phinees Eleazari filius, filii Aaron sacerdotis, pro eo quod ingressus est post virum Israelitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem, idcirco sic de illo Dominus locutus est : *Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi quam semini illius pactum sacerdotii sempiternum* (*Num.* XXV). Nunc ita non est, neque enim sacerdotibus occidere aut de illis qui occiderunt sacerdote fieri licitum est,

ex quo evangelici sacerdotii princeps hic ipse Christus dixit Petro gladium educenti, cum percussisset servum principis sacerdotum, et amputasset auriculam ejus : *Converte gladium tuum in vaginam, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt* (*Matth.* XXVI). Igitur quidquid de aliis fit, qui cum sint laici, voluntaria proposito arma deponunt, sacerdotibus cunctisque altaris Christi ministris decretum est necessario servandum, ut concidant gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones, et non discant ultra belligerare, quod licitum erat prius, ut jam dictum est. Quod deinde sequitur : *Et sedebit vir subtus vineam suam, et non erit qui deterreat eum.* Sic adimpletur ut Apostolus ait : *Habentes victum et vestitum, his contenti sitis* (*I Tim.* IX). Is enim recte dicitur sedere *subtus vineam suam et subtus ficum suam*, qui propriis vel concessis contentus, rem non concupiscit aut invadit alienam. Profecto nec in hac parte antiquus ille populus justificari potest, quia videlicet nisi Dominus vineas et ficus alienas promisisset ac dedisset, nequaquam legem ejus tam facile suscepisset. At vero septem mulieres quæ virum unum apprehenderunt, *panem*, inquiunt, *nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum* (*Isai.* IV), id est universæ gentes de quibus hic sermo est, per septiformem Spiritum ad Christum conversæ, nequaquam pro susceptæ fidei mercede hoc expetunt ut det illis regiones aliorum et labores alienos possideant, sed suis contentæ, quæ ante Christi Evangelium possederant. Hoc tantum expetunt ut invocetur nomen ejus super eas, et remissione percepta, careant opprobrio peccatorum. Et quia non sufficit ad perfectionem quod dixerat, *et sedebit vir subter vineam suam et subter ficum suam*, jungit quod perfectum est, *et non erit qui deterreat eum.* Quod quam verum sit innumera probant millia martyrum quos persecutores deterrere non potueruut, tollendo non solum ficus et vineas, verum etiam et animas, tradentibus illis corpora sua propter Deum ad supplicia. Hæc prophetia vera est. *Quia os Domini exercituum locutum est, quia omnes populi ambulabunt in nomine Domini unusquisque ; nos autem ambulavimus in nomine Domini nostri in æternum et ultra.* Bona et firma ratio confirmans quod non sit qui deterreat ejusmodi, *quia* videlicet *omnes populi*, subauditur, illi duntaxat, qui non confluxerunt ad illum montem Domini, quorum Christus Deus non est, ambulabunt in nomine Dei sui, id est in cura ventris sui, qui videlicet venter eorum Deus est, et idcirco potuerunt deterreri ; nos autem non sic. Nos enim Deum alium habemus, sicut scriptum est : *Non enim est Deus noster, ut Deus eorum* (*I Cor.* VI), quia videlicet transitorius eorum *Deus venter est* (*Philip.* III), secundum quem ambulant temporaliter ; noster autem Deus iste mons domus Domini Christus est, cujus *in nomine ambulavimus in æternum et ultra*, quia nobiscum est, et erit usque ad consummationem sæculi et ultra. Sequitur : *In die illa dicit Do-*

minus : Congregabo claudicantem, et eam quam ejeceram colligam, et quam afflixeram, et ponam claudicantem in reliquias, et eam quæ laboravarat in gentem robustam, et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc usque in sæculum. Quæ hactenus dicta sunt ab eo quod ait : *Et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ,* usque ad præsentem versiculum promissio est tantum de electione gentium ; præsens autem versiculus electionem et societatem prædicat utrorumque, Judæorum scilicet et gentium. Nam *congregabo*, inquit *claudicantem*, subauditur Israeliticam gentem ; *et eam quam ejeceram et afflxeram colligam,* scilicet aliam gentem, imo gentilitatem. Et recte gens Israelitica claudicans et gentilitas ejecta dicitur et afflicta, quia videlicet Israel non penitus ejectus a Deo fuerat, neque omnino cum Deo ambulabat, sed in duas partes claudicabat, partim Dominum Deum, partim Baal colendo, et cætera deorum portenta ; gentilitas autem penitus ejecta, continuo per omnes generationes, errore fuerat afflicta : amplius autem et deterius gens Judaica, *in illa die,* de qua nunc sermo est, claudicans apparuit, secundum typum vel figuram quæ in patre ejus Jacob præcessit, quando cum angelo luctatus est, et vicit, et ille *tetigit nervum femoris ejus* (*Gen.* XXXII). Cujus rei mysterium paulisper nunc attingere libet : Jacob cum Deo luctatus est, et victor benedictionem extorsit, quasi invito et nolenti ac dicenti : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora* (*ibid.*), quia videlicet sic futurum erat ut comminarentur Deus sese a semine ejus recedere, propter peccata gentis ejusdem rebellis et incredulæ. Quod ut primum locutus est ad Mosen his verbis propter vitulum quem fecerant : *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII). ille consurrexit in confractione, id est in nimia mentis humilitate, stans in conspectu ejus, Deumque reluctantem homo collocans tenuit ne hoc faceret. Ex hoc longo reluctamine detentus est Deus, quoties ab illa gente propter peccata est aversus, quia nullo tempore defuerunt fideles in populo illo, in quibus tam secundum fidem quam secundum carnem esset pater Jacob, quorum meritis et precibus vehementissimis fuit obstrictus, nec ante dimissus donec benediceret Jacob, donec impleret benedictiones suas legislator, dando benedictionem illam in qua benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XXII), sicut ad Abraham locutus est ; quæ videlicet benedictio in semine ejus, gratia sancti Spiritus est per passionem **210** Christi effusa in omnes nationes. Tunc enim revera Deus Jacob benedixit in sanctis apostolis omni benedictione spirituali ; nervus autem femoris ejus emarcuit quia quidquid carnaliter agere vel sacrificare solebant, reprobatum est. Omnes etiam genealogiæ pro fabulis extunc reputatæ sunt, quoniam velut hic qui solus texendarum causa fuerat generationum. Sola fides prædicatur, et de carne ejus siletur. Et quia in apostolis et aliis quamlibet pau-

A eis fides comprobata est, tanquam firmus pes ; in multis autem carnis sola gloriatio est, utique tanquam pes infirmus, recte nunc Jacob in posteritate sua claudicare dicitur. Igitur *in die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, et eam quam ejeceram colligam, et quam afflixerum,* id est sic utrumque assumam, ut nullam Judæi et Græci distinctionem faciam.

Et quasi quæreres quomodo congregare se dicat claudicantem, et quomodo colligere ejectam sive afflictam, *ponam*, inquit, *claudicantem in reliquias, et eam quæ laboraverat in gentem robustam.* Ut dictum, ita et factum est ; quia claudicantem Israel : evangelica gratia non plenarie collegit, sed in reliquias posuit, id est de illo reliquias assumpsit, de

B quibus et Apostolus seipsum esse contestatur his verbis : *Nunquid repulit Deus populum suum ? Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin* (*Rom.* XI). Et subinde : Quid dicit Heliæ divinum responsum ? *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*ibid.*). Item : Esaias autem, inquit, clamat pro Israel : *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X).

Itaque *claudicantem* quamvis ex maxima parte claudicando offenderit, *in reliquias ponam*, ait ; illam autem quæ laboraverat non utcunque refocillabo, sed *ponam in gentem robustam*, id est collectam de gentibus Ecclesiam, sic spiritu fortitudinis

C induam ut sicut multitudine fecunda, sic et victoriis sit gloriosa, fiat res admiratione digna, ut dicatur de illa : *Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ?* (*Cant.* VI.) Vere robusta, vere ut castrorum acies ordinata. Nam, ut de cæteris taceam, quorum toto spiritualis est pugna contra hostes invisibiles, et contra carnis vitia. Quis milites ejus, eos duntaxat, quos martyres suos vel Christi nuncupat, dinumerare queat ? Novimus reliquias illas, scimus istam gentem robustam, totum quod sunt, esse gratiæ non debiti, unde et gratias agentes dicunt in Apocalypsi : *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione ; et fecisti nos*

D *Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabunt super terram* (*Apoc.* V). Ergo Dominus, de quo hic tandem dicitur, *et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum.* Veraciter nominatur Rex regum et Dominus dominantium ; quia quorum est rex, ipsi omnes reges et sacerdotes sunt, et in æternum regnabunt. Quod autem hic Dominus regnans super eos in monte Sion, propria sit filii persona, ipse in psalmo testis est, dicens : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion monten sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu* (*Psal.* II). Mons autem Sion non dubium, quin sit cœlestis Ecclesia juxt

dicta Apostoli : *Et accessistis*, inquit, *ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui inscripti sunt in cœlis* (*Hebr.* XII). Nec vero repetere opus est quam utiliter nunc Christus, nunc Christi Ecclesia cœlestis montis Sion, sive montis domus Domini appellatione in præsenti propheta significetur, videlicet propter illud quod præmisum fuerat, *Sion causa vestri, quasi ager arabitur, et mons templi erit in excelsa silvarum* (*Mich.* III), ut offensio vel odium, quod contra prophetas his auditis magis effervescere poterat, sapienter mitigetur, dum de rebus aliis sub eisdem nominibus gloriosa dicuntur. Si tanta et tam gloriosa merito dicuntur de gentibus ad istum montem Domini confluentibus, et de reliquis claudicantis, id est Judaici populi, quæ in idipsum congredandæ prævidebantur, quid de primitis ejusdem populi, id est de primitiva Ecclesia vel ad primitivam Ecclesiam patriarcharum, et prophetarum et omnium electorum diei debuit, qui Christi adventum præcesserunt et exspectaverunt, et non acceptis promissionibus omnes defuncti sunt, ex quibus ipse Christus secundum carnem ? Nam de illa parte sive ad illam partem tam bonam, nihil proprie conveniens præsentis prophetiæ textus hactenus est elocutus, sed nimirum ad illam dicuntur ea quæ continuo sequuntur : *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, usque ad te veniet, et veniet potestas prima regum filiæ Hierusalem. Nunc quare mœrore contraheris ? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem ?* Filia namque Sion, sive filia Hierusalem præsenti loco ipsa est primitiva Ecclesia patriarcharum et prophetarum cæterorumque sanctorum, quæ mœrore contrahebatur, dum ab ea Christus exspectaretur, quasi regem non habens aut consiliarium, cum in promissione et spe teneret eum. Dicitur autem nunc idcirco filia Sion sive filia Hierusalem, quia videlicet dum in hoc sæculo peregrinaretur, mente pendebat ad illam Sion, *civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem, et multorum millium, angelorum frequentiam* (*Hebr.* XII), ut Apostolus ait, quorum ministerio fruens, supernis visionibus et crebris promissionibus, quasi materno lacte filia dulcis lactabatur, nutriebatur et beata spe consolata confortabatur. Tali filiæ tunc dicitur : *Et tu turris gregis nebulosa*, subauditur consolare et habeto claritatem lætitiæ, quia veniet potestas prima usque ad te. Turris idcirco nunc vocatur, quia et visibiliter et invisibiliter tanquam forte præsidium firmaverat illam Deus; visibiliter templo et altari, de quo Esaias ; *Et ædificavit*, inquit, *turrim in medio ejus* (*Isai.* V); invisibiliter autem angelorum agminibus. Sed et in Cantico canticorum ad eam dicitur : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium* (*Cant.* IV). Hoc enim, si rite perpendimus, tam pulchre quam vere ad illam dicitur de

A qua omnem armaturam, id est omnem canonicam Scripturam accepimus, qua armati sumus, sine qua inermes essemus nos omnes quicunque de gentibus ad Christi militiam vocati quidpiam fortiter loquimur aut agimus. Totum quippe Vetus, totum Novum Testamentum ex illa est. Recte ergo dicitur turris, et turris gregis ; quia videlicet nos, qui grex Domini sumus, *nos populus ejus, et oves pascuæ ejus* (*Psal.* XCIX), in illa protegimur et defendimur. Et hæc quidem *turris nebulosa* dicitur, nimirum propter crebras adversitates et propter mœrorem quo contrahebatur, eo quod nondum venisset suus qui federat in eadem turri rex, et propter despectionem qua sæpe ab inimicis insultantibus despecta est ; sed nihilominus lucida erat et est. Nam alibi : *Cum sedero*, inquit, *in tenebris, Dominus*

B **211** *lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, et faciat judicium. Educet me in lucem, videbo justitias ejus* (*Mich.* VII). Sive etiam idcirco nebulosa, quia incredulorum multitudo semper inventa est in illa, sicut præfiguratum est et in templo, quod ab Salomone ædificatum est (III *Reg.* VIII), et in monte Sina, quando lex data est (*Exod.* XX). Nam et illic montem nubes densissima operuit, et illic nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam. Quid tibi dicam, o talis filia Sion ? *Usque ad te veniet et veniet potestas prima, regnum filiæ Hierusalem.* Quia parum videbatur esse quod dixerat, *usque ad te veniet*, subauditur ipse qui regnabit Dominus,

C melioravit bonum nuntium repetendo ac dicendo : *Et veniet potestas, prima* veniet *regnum* tibi primum *filiæ Hierusalem.* Sic namque futurum erat, et sic factum est. Venit enim potestas in adventu regis et Domini, videlicet illa magna et miranda potestas, quam tam brevibus verbis evangelista pulchre exprimit dicendo : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I). Et illud regnum, de quo ait : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Hoc regnum tibi, *filia Hierusalem*; hæc *potestas*, o filia Sion *usque ad te veniet prima*, id est primum tibi danda. Nam licet Apostolus dicat, distinctionem non esse Judæi et Græci, et non esse personarum acceptionem apud Deum, tamen idem dicit,

D *primum Judæo et deinde Græco* (*Rom.* II). Item : *Quid ergo*, inquit, *amplius est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis ? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit ? Absit. Est autem Deus verax* (*Rom.* III), etc. Igitur tibi potestas prima venit, o filia Sion, et primum regnum, quia videlicet vos sancti patriarchæ et prophetæ, vos sancti apostoli et cæteri de illo populo sancti, recte primum in regno et potestate filiorum Dei possidetis locum. Cum ita sit, o filia Sion sive filia Hierusalem, *nunc quare mœrore contraheris* ?

Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus A *periit, quia comprehendit te dolor, sicut parturientem*? Denique tunc temporis, et ex eo quod ad Abraham seminis, quod est Christus, repromissio facta est, ita Sion sive Hierusalem, id est multorum animæ sanctorum patriarcharum et prophetarum, regum et omnium justorum mœrore contrahebantur, cupientes videre promissionis effectum, et *comprehendit* eos *dolor velut parturientium*, sicut mirabili signo significatur in Apocalypsi cum dicit: *Et signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamabat parturiens et cruciabatur ut pariat* (*Apoc.* XII). Illa Sion, hæc ipsa Hierusalem erat; illa *mulier amicta sole, et luna sub pedibus*, id est Christum B habens in promissione, et abundans atque præeminens bonis temporalibus, *et in capite ejus corona stellarum duodecim*, id est in initio gentis filii Jacob, patres tribuum duodecim, et in utero habens, scilicet promissionis fidem et spem in corde retinens clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret, quia videlicet magno desiderio videre desiderabat rem, cujus habebat spem, sicut mulier desiderat videre natum quem portat conceptum. Hunc dolorem miro modo Spiritus sanctus sanctorum omnium consolator et arguit et excitat. Arguit enim dicendo, *nunc quare mœrore contraheris ? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem.* Excitat subjungendo confestim : *Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens.* Sciendum ergo, quia dolentium in partu magna C distantia est. Alicujus enim anima in partu præ dolore egreditur, et si dicatur ei : *Ne timeas quia filium peperisti* (I *Reg.* IV), sive ut alibi legimus : *Noli timere quia et hunc habebis filium* (*Gen.* XXXV), non respondet neque animadvertet. Secundum hujusmodi similitudinem, Spiritus sanctus Ecclesiam venturi Christi matrem dolere noluit. Quamvis enim prius morerentur sancti, quam viderent illum Christum Domini, tamen habere debebant et habebant fidem resurrectionis et futuri sæculi, quod videlicet quamvis exspectantes morerentur, nihilominus tamen illum et extra carnem, et in carne sua postmodum visuri essent. Igitur cum dicit : *Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit dolor sicut parturientem*, ab eodem D hortatur sanctos omnes ut non contristentur *sicut et cæteri qui spem non habent* (I *Thess.* IV). Cum autem protinus subjungit, *dole et satage quasi parturiens.* Ad hoc hortatur, ut contristentur secundum Deum, id est ut in tristitia sive dolore non amittant spei fiduciam, et fidei rationem. Unde notandum, quod non dicit hic tantummodo *quasi parturiens*, sed *dole*, inquit, *et satage*, id est in dolore spem firmam tene, additque *quasi parturiens*; quia videlicet sicut parturiens tandem doloris sui videt fructum, *et jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum* (*Joan.* XVI); ita tu videbis liberantem et redimentem te Dominum, et dolor tuus convertetur in gaudium. Hoc intelligendum est per id quod sequitur. *Quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem, et ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.* Quantum ad exteriorem litteræ textum, istam intelligimus Judæorum captivitatem notissimam qua in Babylonem ducendi, et de qua post annos septuaginta erant reducendi. At vero spiritualiter aliam novimus Babylonem, sicut Sion istam scimus sive Hierusalem, de qua nunc loquitur, viventis Dei civitatem, id est universalem sanctorum et electorum omnium societatem, cujus rex et consiliarius Christus est, qui in præsenti loco per prophetam prænuntiatur. Universalem ergo hujus Sion captivitatem, quæ in Adam accidit, præ oculis habentes, dignius ac locupletius verba hæc intelligimus, dum præmisso : *Dole ac satage, filia Sion, quasi parturiens*, subjungit : *Qui nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem; ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.* Nunc, inquit, id est ante illud novissimum dierum, in quo fiunt illa quæ prædixi, manifestato monte domus Domini, qui Christus est, interim dum moram facit et nondum venit qui venturus est, tu *egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem*, id est præjudicata in Adam, nasceris extra paradisum, unde ille expulsus est, et tu pariter cum illo, cujus in lumbis eras, et manebis in præsentis sæculi captivitate, et post habitationem hujusce regionis venies usque in Babylonem, scilicet moriendo, et per mortem descendendo ad tenebrarum infernalium confusionem, quo et sancti descenderunt patres tui, sicut unus ex maximis illorum dicit : *Descendam ad filium meum lugens in infernum* (*Gen.* XXXVII). *Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.* Descendet enim illuc Deus et Dominus Dei Filius, liberator et Redemptor tuus propter te homo factus, et passus, crucifixus, mortuus et sepultus, et deinde suscitatus a mortuis *solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile* **212** *erat teneri illum ab eo* (*Act.* II). Hoc modo *redimet te de manu inimicorum tuorum*, scilicet malignorum spirituum, pretium dando pro te sanguinem suum ut nihil juris habeant in te propter originale peccatum. Hoc de illa spirituali Babylone, et de invisibilibus inimicis tuis Dominus dixit. Nunc demum de visibilibus inimicis tuis audi quid idem ipse dicat : *Et nunc congregatæ sunt gentes multæ, quæ dicunt : Lapidetur et aspiciat in Sion oculus noster. Ipsi vero non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus, quia congregavit eos quasi fenum areæ. Surge et tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.* Quis hoc nesciat, quod

super istam Sion gentes multæ congregatæ sunt ab initio sæculi, ex quo Cain funestus primum civem civitatis hujus fratrem suum Abel interfecit? (*Gen.* IX.) Pleni sunt sacri libri lacrymabilibus historiis, et passim per omnem fere paginam divinam gemitus hujus Sion audiuntur, dum veniunt gentes et *ponant morticina servorum tuorum Deus escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, dum effundunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, et non est qui sepeliat* (*Psal.* LXXVIII). At illi nulla miseratione gementi Sion compatiuntur, sed pertinaci crudelitate semetipsos cohortantur dicentes: *Lapidetur* ista Sion, id est nullus ei parcat. Et optando dicunt: *Aspiciat in Sion oculus noster.* Quo dicto vehemens innuitur odium et invidia, quæ non leviter exsaturari possit, nisi multarum aspectu miseriarum. Quo cum potiti fuerint, maligno risu solvuntur et crudeli plausu tripudiant dilatantes os suum, sicut scriptum est atque dicentes: *Euge, euge, viderunt oculi nostri* (*Psal.* XXXIV), subauditur mala hujus quæ desideravimus, et hoc bene contigit nobis. *Ipsi autem*, inquit, *non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus, quia congregavit eos quasi fenum areæ.* Et est sensus: Congregatæ sunt gentes super te, et in sua gloriantes multitudine, præsentia tantum et manifesta potuerunt videre, scilicet et tuam calamitatem, et suam in hoc mundo prosperitatem; sed hoc non cognoverunt neque intellexerunt quid in futurum Dominus cogitaverit, et quale super te et super illos consilium inierit. Sed ecce *consilium et cogitationes ejus* dico tibi, *quia congregavit eos quasi fenum areæ*, subauditur, ut congregatis illis dicat tibi: *Surge et tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem Domino Deo, universæ terræ.* Et est sensus: Quamvis fortes et robustos esse arbitrentur, nimirum cum sint caro, sic sunt quasi fenum, quia *omnis caro ut fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos agri* (*Isai.* XL). Et vere fenum est populus. Itaque sicut fenum in agro ad tempus viret, et in tempore suo aridum deportatur ad aream, ibique serris dentatis sive plaustris ferreis trituratur; at tritico recondito, stipula et paleæ projectæ igni traduntur. Sic tu, o Sion, omnes gentes quæ congregatæ sunt, super te superbientes atque luxuriantes, velut viride fenum in judicium Domini triturabis atque comminues, ita duntaxat, ut quicunque ex illis sese in humilitate deposuerint, eos tanquam triticum Domino universæ terræ consecres, interficiendo quidquid in eis vitiosum erat; quicunque autem pertinaci superbiæ vento sese sublevaverint, eos velut stipulam et paleam perpetuo igni trades. Neque enim resistere tibi poterunt cornu ferreum et æreas ungulas habenti, quod videlicet cornu tuum insuperabilis rex et magnificus triumphator Christus est, quæ ungulæ tuæ apostoli de tua carne geniti sunt, fide solidi, verbo tinnuli velut æs, quod metallum valde sonorum est. Nam *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, et non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Psal.* XVIII). Hactenus ad illam quæ vera est Sion et vera Hierusalem sermo est sic incipiens, *et tu turris gregis nebulosa, filia Sion.* Nam de illa Hierusalem terrena quæ occidit prophetas, et lapidavit eos qui ad se missi fuerunt (*Matth.* XXIII), audi quid dicatur:

CAP. V. — *Nunc vastaberis filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel.* Cujus vel quanti judicis? Nimirum ejus qui et magnus Deus est, et humilis apparuit, quod multum caute sicut eo tempore opus erat sequentibus verbis prædicatur: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te enim egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet, reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.* Sicut jam dictum est ad illam, et de illa Hierusalem quæ prophetas occidit, sermo est: *Nunc* inquit, *vastaberis*, o tu, non vere filia Sion, sed vere *filia latronis*, videlicet quæ virum homicidam et latronem Barabbam tibi dimitti petisti, auctorem vero vitæ interfecisti (*Matth.* XXVIII). *Nunc*, inquam, *vastaberis*, nunc *circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te et filios tuos, qui in te sunt* (*Luc.* XIX). Quam ob causam sic vastaberis, et cur prosternentur filii tui? *Obsidionem*, inquit, *posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel*: Super nos prophetas et sapientes et scribas obsidionem posuerunt, id est ex nobis occiderunt et crucifixerunt, et ex nobis flagellaverunt in synagogis suis et de civitate in civitatem persecuti sunt (*Matth.* XXIII). Nam hoc totum fuit obsidionem ponere super nos, quia sic voluerunt claudere ora nostra, ne doceremus in nomine judicis Israel, cujus maxillam in virga percusserunt, *in virga*, inquam, id est in arundine qua percutiebant eum spinis coronatum, sibi potestate concessa, quemadmodum ait, *sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum* (*Luc.* XXIII). Per partem totam, id est per maxillæ percussionem, totam ejus significabat passionem. Pulchre nimirum, quia passionis ejus hoc fuit initium, quod unus assistens ministrorum, dedit illi alapam dicens: *Sic respondes pontifici?* (*Joan.* XVIII.) Proterva crudelitas, crudelis protervia lictoris, et scurræ qui dum adulatur Domino suo pontifici et ei placere vult, assiliens coram percutit in maxillam judicem Israel, nec solius Israel, sed et omnium hominum, *quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum* (*Act.* X). Et ut amplius perhorrescas temeritatem nebulonis, qui percussit, ille judex non tantum homo, sed et Deus est. Hoc enim verbis sequentibus testatur: *Et tu, Bethleem Ephrata, parvu-*

lus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. Quid enim est quod et *egredietur ex te*, o Bethleem, et nihilominus *egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*, nisi quia duæ sunt ejus egressiones, id est nativitates : altera secundum carnem, qua egredietur ex te, o Bethleem, ex semine David ; altera secundum divinitatem, qua non egredietur, sed *egressus ejus,* inquit, jamdudum exactus est, non ex mundo, sed *ab initio*, non in diebus temporalitatis, sed *a diebus æternitatis*. Nam, **213** *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I). Igitur et Deum et hominem testatur hic esse illum judicem Israel, sed hoc taliter edici, ut vulgo intelligeretur, tunc temporis non B expediebat. Quomodo enim audire paterentur, quod qui Deus Israel erat homo futurus, et in maxilla percutiendus esset ? Caute ergo et prudenter propheticus sermo dispensatur, dum a facie filiæ latronis, cui loquebatur dicens, *nunc vastaberis filia latronis*, etc., sese repente avertit, et ad aliam, id est Bethleem sese convertit, et eidem sic loquitur, ut et veritatem utriusque naturæ, scilicet divinæ et humanæ in Christo testificetur, et eamdem testificationem talibus verbis enuntiet, ut non ab illis qui surdi sunt vel erant, et aures audiendi non habebant, tunc temporis facile perciperetur. Quod autem Bethleem et Ephrata unius ejusdemque civitatis David, sive castelli ubi erat David, vocabula sint, habemus ex Scriptura dicente : *Mortua est ergo Rachel*; *et sepulta in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethleem* C (*Gen.* XXXV). Porro cum dicit : *Et tu, Bethleem, Ephrata, parvula es in millibus Juda*, subaudiendum est apud homines, quorum in oculis vix parvus viculus es, qui non cœlestem sed terrenam quantitatem attendunt, sed profecto apud Deum non minima es. Alioquin nisi cum eadem affirmatione qua dicit *parvula es*, et ex opposito ista negatio in prophetæ sensu intelligatur, sed non apud Deum *minima es*, tanquam si dicat : Parvula sive minima videris, sed non minima es, dissonanter testimonium hic in Evangelio sumptum videbitur, ubi principes sacerdotum et Scribæ sciscitanti Herodi sic respondisse narratur : *Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda* (*Matth.* II). Cum D enim hic dicat : *parvula es*, et illic scriptum sit *nequaquam minima es*, perspicue lyra dissonat, sed in sensu clara consonantia est, ut cum propheta dicit, *parvula es*, subaudias in oculis omnium hominum, et cum Evangelium dicit, *nequaquam minima es*, subintelligas apud Deum. Quod deinde subjungitur, *propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet, et reliquæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel*, manifeste completum atque adhuc complendum est. Nam quia tanti judicis Israel maxillam percusserunt, qui secundum carnem de Bethleem ex semine David egressus est, et cujus egressus secundum divinitatem a diebus æternitatis

A est, idcirco dedit eos idem judex, subauditur *in manus gladii*, et in captivitatem in omnes gentes, *et in partes vulpium* (*Psal.* LXII), id est malignorum, spirituum. Usquequo sic dabit eos ? *Usque ad tempus*, inquit, *in quo parturiens pariet. Parturiens* dicitur, non ista filia latronis, id est terrena Hierusalem, quæ Deo sterilis est, sed illa spiritualis Hierusalem sive Sion, cui supra dixerat : *Dolę et satage, filia Sion quasi parturiens.* Illa namque mater pariet, subauditur Judæorum, sive Israelis reliquias, juxta illud : *Si fuerit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eis* (*Isa.* X). Nam hoc est, quod hic protinus subjungit : *Reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.* Cujus ejus ? Nimirum ipsius judicis Israel, quia fratres ejus secundum carnem ipsi Judæi sunt, qui maxillam ejus percusserunt. Tempus quo istud fiat tunc erit, cum plenitudo gentium intraverit. Sequitur : *Et stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos orbis terræ.* Judex Israel, sicut jam dictum est, *propter hoc dabit eos*, quia percusserunt maxillam ejus, et ipse surgens a mortuis stabit, subauditur a dextris Dei fortis et sublimis, juxta quod in Actibus apostolorum scriptum est : *Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : Ecce video cœlos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis Dei* (*Act.* VII). *Stabit* ergo, id est pro suis morientibus pugnabit ipse victor mortis, *et pascet* subauditur populum suum utpote dives et præpotens rex *in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui*, id est, sicut fortis Deus habens nomen sublime, *quod est super omne nomen* (*Phipliv.* II), videlicet quale nomen habet Pater, qui propter assumptam humanitatem dicitur et est Dominus Deus ejus. Nam et ipse loquitur : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* (*Joan.* XXIX). *Et convertentur*, ait, *quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ.* Hoc ipsum quod hic dicit, *et pascet et convertentur*, et cætera, manifestius in psalmo expressum habemus. Ait enim : *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, virent corda eorum in sæculum sæculi. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* XXI). *Pascet* ergo, scilicet *terminos terræ*, quoadusque *magnificabitur*, non qualicunque edulio, sed corporis et sanguinis sui sacramento, quod edentes et bibentes *pauperes saturabuntur* : nam *corda eorum*, id est animæ, *vivent in sæculum sæculi*, quemadmodum ipse dicit : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI). Sequitur :

Et erit iste pax Assyrius cum venerit in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris. In nonnullis codicibus legitur Assyriis, et ordinatior littera videtur. Si enim legendum est Assyrius, cur

præpostere et dicere maluit, *Assyrius cum venerit,* quam dicere *cum Assyrius venerit?* Itaque secundum utramque litteram exponendum est, et primum secundum hanc litteraturam, *et erit iste pax, Assyriu cum venerit in terram nostram.* Quando venerit diabolus, ait beatus Hieronymus, qui dicitur Assur, super terram regionemque credentium, et eorum quos pascet Dominus in fortitudine et in sublimitate nominis Domini Dei sui, et calcaverit eos tribulationibus variis, et domos animarum nostrarum, id est corpora, quasi superbus ascenderit atque depresserit, et tamen nos nihil separaverit a charitate Christi, tunc Christi pax sive ipse Christus erit in nobis, et dicetur de sancto, *Nihil proficiet inimicus in eo* (*Psal.* LXXXVIII). Nunc, ut secundum aliam litteræ structuram dicamus, scilicet ita legendo, *et erit iste pax Assyriis, cum venerit in terram nostram,* primo sciendum quia quod dicitur, *cum venerit in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris,* sive, ut rursus post pauca habemus, *et cum calcaverit in monte nostro,* recte de ipso Domino intelligitur, præsertim cum in exordio sermonis hic idem propheta dixerit: *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendet et decalcabit super excelsa terræ* (*Mich.* I), etc., usque ad id quod ait: *Quæ excelsa Judæ, nonne Jerusalem?* (*Ibid.*) Eritque hic sensus: *Et erit iste,* videlicet Dominus magnificus usque ad terminos terræ, *pax Assyriis,* id est cunctis gentibus, quarum eo tempore potentissimi erant Assyrii, unde et pro cunctis gentibus recte possunt hic accipi. *Erit,* inquam, *iste pax Assyriis,* id est, loquetur pacem gentibus, evangelizabit pacem eis, qui prius erant inimici, *cum venerit in terram nostram,* id est, cum nos visitaverit, et cum *calcaverit in domibus nostris,* subauditur, *eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ* (*Luc.* XIX), o supra dicta *filia latronis.* Nam **214** idcirco *calcabit in domibus nostris,* idcirco conculcabit templum et civitatem, ita ut non remaneat lapis super lapidem. Nam quod Dominus calcet et conculcet, testatur ipse dicens in alio propheta. *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea* (*Isa.* LXIII). Væ ergo tibi, quæ tibi Barabbam latronem donare petisti! et proinde recte diceris *filia latronis,* et cujus seditiones hæreditate possedisti; væ tibi, quia tu conculcaberis quæ diceris Israel, *pax* autem tua *Assyriis,* id est gentibus pœnitentiam agentibus, sicut significatum est, ubi ad prædicationem Jonæ Ninive civitas magna Assyriorum pœnitentiam egit (*Jon.* V). Sequitur: *Et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines, et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemroth in lanceis ejus, et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in monte nostro.* Quorum in persona supra dixerat *obsidionem posuerunt super nos,* eorumdem vox ista est, *et suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines,* vox scilicet prophetarum, sapientium et Scribarum, quos ecce ego mitto ad vos, ait ille judex Israel ad eos, qui maxillam ipsius percus- A serunt. Ipsi loquuntur etiam hæc, *et suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines.* Super quem dicunt, *suscitabimus eum.* Nimirum super eumdem sæpe dictum judicem Israel. Profecto non vile obsequium, non parvam honorificentiæ portionem de studio suo promittunt, ad clarificandum illum tantum judicem, quem filii illius filiæ latronis sic inhonoraverunt ut maxillam ejus percuterent. Quærendum est diligenter quinam sint *septem pastores et octo primates homines,* et deinde, quid sit suscitari illos super hunc judicem Israel, et tunc patebit quia non levis aut incerta hæc pollicitatio est. Septem fide claros et meritis insignes de sanctis Scripturis novimus, similiter et octo primates homines, quos licet hactenus noverimus, B necdum tamen numerum et proprias eorum causas animus adeo perpenderat, priusquam loci præsentis diligentia nos excitasset. Primum ergo *septem pastores,* deinde per ordinem recolamus *octo primates homines.*

Primus pastor fuit Abel, de quo scriptum est: *Fuit autem Abel pastor ovium, et obtulit Domino munera de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum, et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus* (*Gen.* IV). Secundus pastor fuit Abraham. Tertius Isaac. Quartus Jacob, qui stans coram Pharaone cum filiis suis, interrogante illo: *Quid habetis operis?* — *Pastores ovium sumus,* inquit, *servi tui, et nos et patres nostri* (*Gen.* XLVII). Erant autem patres ejus Abraham et Isaac, qui profecto curam habuerunt alendorum gregum, ita ut non posset *eos ca-* C *pere terra* præ multitudine gregum, *unde et facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Loth* (*Gen.* XIII), *et fuit jurgium pastorum Gerare adversus pastores Isaac* (*Gen.* XXV). Verumtamen non pro multitudine vel cura gregum, sed pro eo, quod circa res horum pastorales, divina sese commendavit auctoritas, septem istos pastores excellentissimos numeramus. Igitur, ut dicere jam cœpimus, horum primus fuit Abel, qui *de primogenitis gregum Domino munera obtulit,* quæ suo respectu Dominus digna duxit. Secundus Abraham, qui de armento suo vitulum tenerrimum tollens, et optimum inclytis hospitibus, scilicet tribus angelis venientibus in figura sanctæ Trinitatis, memorabile convivium fecit (*Gen.* XVIII). Tertius Isaac, qui velut D aries ad immolandum ductus est, et pro quo *arietem Abraham inter vepres hærentem cornibus holocaustum obtulit* (*Gen.* XXII). Quartus Jacob, qui de grege duos afferens hædos in cibum patri benedictionem accepit, et deinde soceri greges pascens, auctus est benedictione Domini (*Gen.* XXVII). Quintus fuit Joseph qui cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis, et inde venditus fuerat, factusque princeps Ægypti (*Gen.* XXXVII), professionem istam non erubuit, quamvis detestarentur Ægyptii omnes pastores ovium, dicens ad Patrem et ad fratres suos: *Cum vocaverit vos Pharao, et dixerit: Quod opus est vestrum? repondebi-*

tis : Viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra usque in præsens, et nos, et patres nostri (*Gen.* XLVI). Sextus Moyses, qui *pascebat oves Jetro soceri sui sacerdotis Madian*, et inter pascendum, *cum minasset gregem ad interiora deserti, venit ad monten Dei Oreb, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi* (*Exod.* III). Septimus fuit David, qui de semetipso proloquens ad Saul : *Pascebat*, inquit, *servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo et ursus, tollebatque arietem de medio, et sequebar eos, et percutiebam eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum; et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci, ego servus tuus. Erit ergo et Philistæus hic incircumcisus quasi unus ex eis, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis* (I *Reg.* XVII). Ecce isti sunt septem pastores inclyti quos, Scriptura teste, auctoritas divina commendavit. Porro *octo primates homines* hi sunt. Primus Josue, filius Nun. Secundus Caleph, filius Jephone. Tertius Othoniel, filius Cænez. Quartus Aoth, filius Gera filii Gemini. Quintus Barach, filius Abinoem de Cades Nephtalim. Sextus Gedeon. Septimus Jephte Galaadites. Octavus Sampson. Isti octo idcirco dici merentur primates homines, quia auctoritate divina præeunte et induente illos Spiritu Domini, constituti judices liberaverunt populum suum, unde et meruerunt appellari salvatores Israel. Primus horum Josue et secundus Caleph introduxerunt populum in terram promissionis, dicente Domino ad Moysen : *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus Domini, et pone manum tuam super eum* (*Num.* XXVII), etc. De Caleph vero ait : *Servum meum Caleph, qui plenus alio spiritu, secutus est me, inducam in terram hanc quam circuivit, et semen ejus possidebit eam* (*Num.* XIV). Primatum ejus hoc divinum testimonium commendat, et præter hoc alia, quæ præsenti loco inserere longum est. Tertius Othoniel filius Cænez liberavit Israel de manu Cusamrasathaim regis Mesopotamiæ, cui servierunt octo annis, Scriptura dicente : *Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos Othoniel, videlicet filius Cænez, fuitque in eo Spiritus Domini, et judicavit Israel* (*Judic.* III). Quartus Aoth liberavit Israel de manu Eglon regis Moab, cui servierunt decem et octo annis, Scriptura dicente : *Et clamaverunt filii Israel ad Dominum, et suscitavit eis salvatorem Aoth filium Gera* (*ibid.*), etc. Quintus Barach filius Abinoem liberavit Israel de manu Jabin regis Chanaan, qui per viginti annos vehementer oppresserat eos, et ipse auctoritate divina suscitatus per Debboram propheten uxorem Lapidoth (*Num.* VI). Sextus Gedeon liberavit Israel de manu Madian, cui servierant septem annis, præcipiente angelo, qui apparuit ei (*Num.* VI). Septimus Jephte Galaadites liberavit Israel de manu filiorum Ammon, cui cum Philisthiim vehementer oppresserant eos per decem annos et octo. De isto scriptum est *Factus est super Jephte Spiritus Domini, transivitque ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos. Quos tradidit Dominus in manus ejus, percussitque eos plaga magna nimis, humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel* (*Num.* XI). Octavus Sampson per angelum Domini **215** prænuntiatus est matri sterili : *Et hic erit* inquit, *Nazaræus ab infantia sua et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum* (*Judic.* XIII). Isti sunt octo primates homines, qui miro modo septem pastoribus ita inseruntur, et ita inter sextum pastorem qui est Moses, et septimum qui est David, surrexerunt, ut filios Israel, quos Moses sextus pastor, ut jam dictum est, de Ægypto eduxit, primus hominum primatum Josue cum Caleph introduceret in terram repromissionis, et liberationem de manu Philisthiim, quam octavus primas Sampson incœpit, perficeret septimus pastor David. Habemus igitur et *septem pastor, et octo primates homines* ex propriis causis notos et insignes, quos *suscitabimus*, inquit propheta, *super eum*, videlicet sæpe dictum judicem Israel, cujus maxilla percussa est. Quomodo illos *suscitabimus super eum*? Videlicet eo modo ut quæ per illos corporaliter gesta sunt, doceamus spiritualiter fieri vel impleri per ipsum. Doceamus, inquam, quia quarum rerum in illis præcessit figura, in isto successit veritas. Hoc facientes *suscitabimus* illos *super eum*, nos prophetæ et sapientes et Scribæ, ex quibus ego sum. Nam et si secundum tempus corpore absens Spiritu cum illis præsens sum, quorum spirituali studio fit, ut in lectione talium pastorum et primatuum nihil mortuum remaneat aut otiosum, dum omnia referuntur ad Christum. Itaque et isti cum illo vivent, et illi, qui tunc erunt, ex istis proficient. Unde cum dixisset : *Et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines*, confestim subjunxit : *Et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemroth in lanceis ejus.* Quod est dicere : Et omnes gentes quæ nunc sine Deo sunt, neque verbi Dei pabulum habent ullum, tunc ex mysticis istorum exemplis, legendo proficient, quarum videlicet gentium Assur et Nemrot, id est Assyrii et Babylonii maximi Deoque magis adversi tunc erant. Principium namque regni Nemroth Babylon fuit in terra Sennaar, et de illa terra egressus est Assur, et ædificavit Niniven. Nec vero dubium vel incognitum est quin Assyrii postmodum decem tribus transtulerint, Babylonii vero, pro quibus hic ponitur Nemroth, duas reliquas, Judam et Benjamin. Magnifice ergo reconciliatio gentium promittitur, dum de illis qui tunc erant infestissimi talis prophetia texitur : *Et pascent terram Assur et terram Nemroth*, et hoc non sine armis, sed *in gladio et in lanceis ejus*, id est in sermone Dei, qui *est vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV). Et in sententiis veritatis, quæ sunt lanceæ sive sagittæ ejus, suo gladio et illis lanceis diabolum, qui prius terram obtinuerat, debellabit et liberabit humanum genus. Hoc est quod ait : *Et liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in monte nostro.* Ac si

dicat: Eodem tempore quando veniet in terram secundum præsentem prophetiam, et conculcabit Judæos subversa civitate et templo, liberabit a diabolo gentes, quæ hactenus erant terra Assur et terra Nemroth, quod interpretatur *tentatio*, qui per hoc ipsum quod de illo scriptum est: *Erat robustus venator coram Domino* (*Gen.* x), significat diabolum qui possidebat gentes tanquam *fortis armatus* custodiens *atrium suum* (*Luc.* xi). Sequitur: *Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non exspectant virum, et non præstolantur filios hominum.* Reliquiæ Jacob credentes ex Judæis sunt, quorum unum ex optimis Apostolus cum dixisset: *Nunquid repulit Deus populum suum?* subjungit atque ait: *Absit, Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Benjamin* (*Rom.* xi). Etenim, licet illi qui in futuro tempore credituri sunt, cum plenitudo gentium intraverit, reliquiæ dicantur, nihilominus tamen et hi recte dicuntur reliquiæ, quæ tunc crediderunt pauci, multitudine in incredulitate permanente, testante eodem, cum præmisso exemplo de Helia, cui dixit responsum divinum: *Reliqui mihi septemm illia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (*III Reg.* xviii); *sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* xi). Ergo *reliquiæ Jacob erunt*, inquit, *in medio populorum multorum quasi ros a Domino, quasi stillæ super herbam*, id est, apostoli Christi sive ministeriales judicis ejusdem, de quo hactenus sermo fuit, sanctam et divinam de cœlesti conversione sua sumptam stillabunt vel depluent gentibus scientiam. Ros enim suaviter cadens, et stillæ sensim decidentes super herbam, evangelicam vel apostolicam significant doctrinam a Domino datam, et pro capacitate audientium discrete annuntiatam, et dupliciter valentem nobis, scilicet ad refrigerandum et sanctificandum. Terra quippe nostra calore vitiorum erat exusta et a maligno spiritu quasi vento urente percussa, ita ut cor hominis Babyloniæ fornaci non incongrue posset simile dici. Tunc autem cœpit Dominus mittere *quasi ventum roris flantem* (*Dan.* iii), quando ad amorem cœlestium nos excitavit per apostolorum prædicationem. Item manus nostræ vacantes ab operibus bonis, sic erant quasi herba macra et sterilis, sed nunc *quasi stillæ* a Domino *super herbam* ceciderunt, quando eadem doctrina nos ad dilectionem proximi reflorescere fecit, et in porrigendo eleemosynam facies nostras exhilaravit. Et bene de isto rore et de hujusmodi stillis ait: *Quæ non exspectant virum, et non præstolantur filios hominum*, sed signanter cum dixisset, *quasi ros*, addidit *a Domino*, quia videlicet Evangelium sive doctrina quæ per apostolos administrata est, non per instructionem vel magisterium hominum venit aliquando, sed cœlitus data est, docente illos invisibiliter Spiritu sancto absque mora et momento, ita ut qui fuerant *homines sine litteris et idiotæ* (*Act.* iv), repente fierent litterarum periti, et potentes in omni sermone (*Luc.* xxiv).

Hoc idem de prophetis sentiendum est, et primum de Mose Nam ille quidem humanam scientiam per homines didicit, et erat, ut Stephanus protomartyr, eruditus omni sapientia Ægyptiorum et potens in verbis, sed scientiam rerum divinarum ut Pentateuchum suum conscriberet, non per hominem, sed per solum Deum didicit, qui illo in rubo apparuit. Sed et de David cæterisque prophetis, et de Christi apostolis omnino sciendum est, quos omnes et solos Ecclesia Christi in canonico apice suscipit. Unde et Petrus in Epistola sua dicit: *Hoc primum intelligentes, quod prophetica scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (*II Petr.* i). Et de cæteris quidem apostolis, qui fuerunt illic, ubi Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit, seditque supra singulos eorum (*Act.* ii), certum est quia non ab homine, neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi didicerunt. De Paulo autem qui tunc non erat illic, sed postea vocatus est, dubium volunt esse quidam adversarii ejus pseudoapostoli, dum vellent corrumpere veritatem Evangelii, quam ex ore ejus multi suscipiebant populi, ob hoc derogantes illi et auctoritatem ejus diminuere volentes, quia Domini nostri Jesu Christi, dum adhuc cum hominibus conversaretur, discipulus non fuit, hac pro necessitate plerisque in locis **216** apostolatum suum defendit, maxima autem in Epistola ad Galatas cum dicit: *Notum enim vobis facio Evangelium, fratres, quod evangelizatum est a me, quia non secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* (*Galat.* i). Bene ergo cum dixisset de reliquiis Jacob: *Et erunt in medio populorum multorum quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam*, addidit, *quæ non exspectant virum, et non præstolantur filios hominum.* Ac si dicat: Et erunt apostoli Jesu Christi sapientes et eloquentes, totum salutari doctrina imbuentes mundum, quam videlicet doctrinam non a magistris hominibus accipient, non studii vel ingenii proprii labore acquirent, sed occulta gratiæ cœlestis aspiratione percipient. De reliquiis, inquam, Jacob, id est de apostolis, ita duntaxat æque ut de prophetis qui et carne et fide sunt filii Jacob, hoc dicere verum est. Cæterum de aliis magistris ecclesiarum quicunque ex gentilitate surrexerunt, non eadem sententia est vel esse potest, quia videlicet sunt quidem et ipsi *quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam*, scripturas propheticas atque apostolicas tractando dulciter et exponendo utiliter; sed singuli horum, ut hoc facere possent, exspectaverunt virum, et præstolati sunt filios hominum. Multos enim post Deum cathygetas vel magistros subierunt. Unde quidquid dixerunt, non idcirco ratum habet Ecclesia Christi, quia sic ipsi dixerunt vel senserunt, sed quia dicta vel sensus suos propheticis at-

quo apostolicis testimoniis, vel aliqua probabili ratione confirmare potuerunt. Sequitur : *Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis rugiens in gregibus pecorum, qui cum transierit et conculcaverit et ceperit, non est qui eruat.* Quam diversarum, quam longe dissimilium rerum similitudines eisdem reliquiis Jacob hic ascriptæ sunt ! Dixerat, *et erunt reliquiæ Jacob quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam,* et continuo nunc dicit, *et erunt reliquiæ Jacob quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis rugiens in gregibus pecorum.* Quid magis dissimile quam suavitas roris a feritate leonis ? Quid magis diversum quam lenitas stillarum stillantium super herbam, sævitia vel impetu catuli leonis rugientis in gregibus pecorum? Attamen eisdem reliquiis Jacob, et suavitas roris sive lenitas stillarum, et feritas leonis sive impetus catuli leonis æque per similitudinem ascribitur hic. Quare ? Videlicet, quia magistri populorum sive gentium apostoli Christi et lenes et severi sunt, lenes in docendo sive exhortando, severi in corripiendo et ulsciscendo. Exempli gratia : Paulus ubi docet inter cætera, sic loquitur : *Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (*II Cor.* v). Quid isto rore dilectionis suavius, quid hac stilla veræ et germanæ pietatis lenius ? Cætera quoque usque ad id, *os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (*II Cor.* vi), talia sunt stillicidia vel talis ros, ut nemo, qui dubitet quin sit a Domino Patre misericordiarum et totius consolationis Deo. At vero idem post plurima dicit: *Ecce tertio, hoc venio ad vos. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi enim et prædico ut præsens vobis et nunc absens iis qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* (*II Cor.* xiii.) Ecce severitas magistri tanquam leonis rugitus super jumenta silvarum, et tanquam catuli leonis super gregem pecorum. Nam jumenta silvarum recte illos æstimamus, quos redarguebat super immunditia et fornicatione, et impudicitia quam gesserunt. Nonne super hujusmodi quasi leo fuit ? Ait enim : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit,* id est qui uxorem patris habuit. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens sum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini* (*I Cor.* v). Porro quasi greges pecorum ejusmodi fuerunt, qualibus veluti conterritis ad rugitum catuli leonis gratulatur et dicit : *Quoniam et si contristavi vos in Epistola, non me pœnitet. Et si ad horam vos*

A *contristari, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam, contristati enim estis secundum Deum* (*II Cor.* vii), etc. Hæc vero quasi de austeriori Paulo exempla potuisse putemus, quasi cæteris apostolis hunc amplius sævitiam leonis exercuisse dicamus. Nam, ut plura sermo prætereat, nonne Petrus quoque quasi leo sive catulus leonis in gregibus pecorum rugiit, quando in conventu discipulorum Ananiam primum, et deinde Saphiram uxorem ejus increpavit, et illi ceciderunt et expiraverunt, quia Spiritui sancto fuerant mentiti (*Act.* v). Vere igitur *reliquiæ Jacob, quas catulus leonis, qui cum transierit,* subauditur ad nullius pavens occursum, *et conculcaverit,* videlicet rebellantes, *et ceperit,* subauditur mendaces, ut capti B et deprehensi sunt jam dicti Ananias et Saphira Spiritui sancto mentientes, *non est qui eruat.* His dictis de reliquiis Jacob, protinus ad illum convertitur sermo propheticus judicem Israel, de quo supra dixerat : *In virga percutient maxillam judicis Israel,* et dicit :

Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt. Hostes publici sive inimici Domini illi majestatis adjudicantur, qui non solum peccatores, verum etiam impii sunt odiendo nomen ejus quales maxime illi fuerunt, de quibus ipse in Evangelio loquitur: *Nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum. Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis* (*Joan.* xv). *Super* ejusmodi *hostes exaltabitur,* inquit, *manus* C *tua,* subauditur, ut non videant gloriam tuam, imo ut videant et confundantur, quemadmodum alius propheta, cum sub interrogatione dixisset : *Et non videbit impius gloriam Domini* (*Isa.* xxvi), protinus duplicem responsionem hoc modo ipse reddidit : *Domine, exaltetur manus tua ut non videant, videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret* (*ibid.*). Denique et per justam increpationem dixit : *Domine, exaltetur manus tua, et non videant gloriam tuam,* et subaudiendum est, ita ut in gloria tua partem habeant ullam, et per severam nimisque acerbam concessionem, ait protinus, *videant et confundantur.* Quodque hic dicit, *et omnes inimici tui interibunt,* illic similiter conceditur, ut fiat dicendo, et ignis hostes tuos devoret. Nam ubi exaltabitur manus tua, Domine, quando apparebis sedens in D sede majestatis tuæ rex et judex Israel statutis ovibus ad dexteram, hædis autem ad sinistram tuam, tunc omnes inimici tui interibunt, diabolus videlicet et angeli ejus, tunc hostes tuos videlicet tam diabolum et angelos ejus, quam et homines impios sequaces ejus, ignis devorabit te dicente : **217** *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Hoc nihilominus ad Ecclesiam universam referri potest, cujus caput est ille judex, *exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt,* quia videlicet qui capitis, id est, hostes vel inimici sunt corporis, quod est Ecclesia ejus, et ubi caput ibi ni-

mirum exaltabitur et corpus. Recte ergo et ad ipsam dictum hoc recte intelligitur, præsertim quia et supra illi dicebatur: *Surge et tritura, filia Sion* (*Mich.* IV), etc., et protinus eidem dicitur: *Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, et dispergam quadrigas tuas, et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones, et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te. Et perire faciam sculptilia tua, et statuas de medio tui, et conteram civitates tuas, et faciam in furore et indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.* Magnifice in verbis istis consoletur se Ecclesia Dei, considerando vitæ æternæ statum, qualis futurus sit ex die illa, qua omnes sui interibunt inimici. Siquidem hoc promittitur in his verbis, quod non solum mala omnia, verum etiam ipsa quoque, B quæ in hoc sæculo videntur et sunt quædam bona, quamvis non vera vel sufficientia penitus non erunt illic. Quis enim nescit maleficia, divinationes, sculptilia, et statuas atque adorationes manuum operum, et lucos ad sacrificandum dæmoniis electos sive sacratos, vera esse mala? Quis item neget equos, quadrigas civitates atque munitiones, falsa esse bona? *Fallax equus ad salutem*, ait Psalmista (*Psal.* XXXII), *et hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus* (*Psal.* XIX). Possunt quidem prodesse equi et quadrigæ, imo et necessaria sunt ad subvectionem tardis et infirmis corporibus, vel etiam sanctis ad fugiendum de civitate in civitatem, si urgente persecutore fugiendum est citius, sed cujusmodi usus, non tam verum bonum, C quam veræ infirmitatis est solatium, sæpe nimium habens fallax experimentum quia, sicut jam dictum est, *fallax equus ad salutem*, ad quod succinere possis, sed non fallax ad fatigationem. O quanto melius est, gravia ut nunc sunt corpora, immutari, et velocitate angelorum perfrui, quam gravedinem corporum equis vel quadrigis vectitando fallaciter consolari! Igitur magnæ beatitudinis est promissio in verbis istis cum dicit, *et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, et dispergam quadrigas tuas*, etc. Præmiserat enim, *et omnes inimici tui interibunt.* Ergo idem est ac si dicat: In die illa faciam illud, pro quo nunc clamas ad me dicens: *De necessitatibus meis erue me* (*Psal.* XXIV). Primum est, quod *equos tuos auferam, et quadrigas tuas dispergam*, id est quod terreni corporis D tanta velocitatem efficiam, ut sit quocunque velit, quod fieri non posset cum equis et quadrigis. Tunc enim *homines æquales* erunt *angelis*, ait ipse Dominus, *et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis* (*Luc.* XX). Quod si æquales, nimirum et æque veloces, æque ut angeli erunt, equis et quadrigis non indigentes. Quid porro de civitatibus et munitionibus dicam, cum dicit, *et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones*? Notum est, quia Cain fratrem suum Abel per invidiam occidit, et hic primus *ædificavit civitatem, vocavitque eam ex nomine filii sui Enoch* (*Gen.* IV). Porro et Abel et cæteri

A sancti omnes hic manentem civitatem non habent, sed futuram inquirunt (*Hebr.* XIII). *Perdam* igitur, ait *civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones*, non solum spirituales, verum etiam manufactas et materiales, sine dubio subintelligendum, et omnes civitatum atque munitionum seditiones atque cupiditates, et universas, quas eisdem Cain mortalibus intulit clades, et malas sollicitudines, quarum universitas dicitur et est Babylon, cum qua, ut audimus in Apocalypsi vocem de cœlo dicentem: *Fornicati sunt reges terræ, et in deliciis vixerunt* (*Apoc.* XVII). Et de qua ibidem ita scriptum est: *Et sustulit unus angelus fortis lapidem molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna civitas et illa, et ultra non invenietur* (*Apoc.* XVIII). Magna igitur requies sanctæ Sion, id est Ecclesiæ, in perditione civitatum vel munitionum terræ promittitur, qui videlicet cum perditione illarum, perditio quoque consequenter subintelligitur rerum omnium concupiscibilium, quæ in civitatibus sunt (quarum ex intuitu sancti cives regni Dei peregrinantes in hoc mundo tentati et fatigati sunt), videlicet auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritarum, et byssi, et purpuræ, et serici, et marmoris, et cinnamoni, et amomi, et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et redarum, et mancipiorum, et cæterorum omnium de quibus recte sapiens dicat: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* (*Eccle.* I), quarum cupidi mercatores, nunc divites facti, pauperibus insultant filiis tuis, o sancta Sion. Sed tunc illis flentibus atque lugentibus et dicentibus: *Væ, væ* (*Apoc.* XVIII), isti exsultabunt et libenter videbunt, pariter perire suas quoque munitiones, et quas hic pro necessitate habuerunt, non ut alios impugnarent, sed ut impugnantibus aliis aliquod refrigerium haberarent. *Et auferam*, inquit, *maleficia de manu tua.* Et hic subintelligendum est, ut amplius mali quidquam non facias. Impossibile namque erit ex die illa ut sancta electorum societas mali quidquam faciat nel admittat, et erit firma et incorruptibilis innocentia. Neque enim erit ultra serpenti antiquo facultas sive licentia, ut sibilet quidquam, vel mali aliquid alicui sanctorum suadeat, sicut fecit quando mulieri suasit, ut vetitum comederet, et viro suo porrigeret (*Gen.* III), quo maleficio totum exinde genus humanum venenatum est. Ut breviter dicam, sic auferet Dominus de manu electorum suorum maleficia, ut quibus dedit nunc malefacere nolle, tunc det quod amplius et perfectius est, scilicet malefacere non posse. *Et divinationes non erunt in te.* Divinatio prophetia mendax est. Hæc sine dubio feliciter tunc deerit, quando præsentia vel plena cognitio Dei, præsensque facies veritatis cunctos illustrabit, et nihil incertum vel incognitum erit. Hanc perfectionem in hac vita sancti non valent consequi, sed *ex parte*, inquiunt, *cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigma-*

te, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII). — *Et perire faciam sculptilia tua, et statuas de medio tui, et non adorabis ultra opera manum tuarum.* Hoc etiam ante diem illam providendum est ut opera manuum suarum, scilicet sculptilia et statuas, adoret, quæcunque anima Deum verum colit vel nomen ejus invocat, verumtamen magna pars populi Dei, populi electi unum Deum colentis, perfectionem hujus rei non adjungit, dum corpore vivit. Nam et si manus exterius vacat; ut visibilem sibi statuam non faciat, nonne animus celerrimus artifex formam sibi aliquam persæpe fingit, dum recordatur Creatoris sui, et eum contemplari cupit, cui dicit, in oratione : *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* IV). Velociter namque sibi proponit, aut velociter sibi occurrente delectabiliter excipit, quasi venerabilis formæ senem speciosum et magnum, magno **218** consilio residentem, et fortassis ita putat esse in re, sicut legit vel audit in illa Danielis visione : *Quia throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli ejus quasi lana munda* (*Dan.* VII), etc., quæ quasi localem loquuntur Deum, cum ipse localis non sit. Equidem sic simpliciter errare veniale est, sed errorem eumdem pertinaciter defendere damnabile, quia hæreticum est. Unde et humaniformii dicuntur hæretici, qui Deum forma humana membrisque distinctum asserere conati sunt. Quod igitur nunc dicit : *Et perire faciam sculptilia tua, et statuas de medio tui, et non adorabis ultra opera manuum tuarum*, sic in illa die perfici credendum est, ut circa divinam substantiam nemo taliter erret, videntibus cunctis qualis sit. Unde Joannes : *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Quod deinde sequitur, *et evellam lucos tuos de medio tui, et conteram civitates tuas*; iti-
A dem in die illa perfecte implebitur, quod nunc ex parte impletum est vel implendum est. Non enim jam in hoc perfectio est, quod verum colentes Deum, non lucos frequentant, nec latebras vel tenebras quærunt ad sacrificandum principibus tenebrarum, neque civitates suas claudunt, id est, conscientias non occultant, sed opportune peccata sua confitendo aperiunt, non, inquam, perfectio jam in hoc, sed inchoatio beatitudinis est, quia multa sunt adhuc non solum mala erubescenda, verum etiam bona revelanda quæ abscondunt et abscondere volunt, in his quæ reprehensibilia sunt metuentes verecundiam; in his quæ laudabilia sunt fugientes inanem gloriam. At vero tunc nihil erit quod velint esse occultum; neque invitis illis fiet illud quod Aposto-
B lus ait, quia *veniet Dominus et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV). Nam de malis, ubi certa remissio erit, non habebunt cur erubescant, imo multum habebunt quod gaudeant, scilicet magnam et sine fine magnificandam remissoris gratiam et gloriam. Porro de bonis ut abscondant illa, nequaquam inanem opus erit fugere gloriam, quia talis ventus illic flare non poterit, ubi vera et stabilis gloria Dei super omnes abundans cuncta superabit, universosque et angelorum et hominum ordines in fundamento suæ visionis cum dulci tremore continebit. Igitur et lucorum evulsio, et civitatum contritio tunc ad plenum perfecta erit, quia nullus erit qui occulte quidquam gerere, vel conscientiam suam ne videatur, aliquo modo circumceptam esse velit. Tunc econtra ibunt im-
C pii in supplicium et in opprobrium sempiternum, et hoc est, quod hic in calce sermonis enuntians, *et faciam*, inquit, *in furore et indignatione ultionem in omnibus gentibus quæ non audierunt.*

LIBER TERTIUS.

119 Eorum quæ hactenus in hoc propheta, vel propter hunc prophetam dicta sunt, duo principia vehementer nostris auribus illisa sunt, dicendo videlicet in primo : *Audite, populi omnes, et attendat terra et plenitudo ejus* (*Mich.* I). In secundo autem : *Audite, principes Jacob, et duces domus Israel* (*Mich.* III). Et prima quidem prophetici sermonis invectione Samaria, id est decem tribus condemnantur, eorumque detrimentum recuperandum ex gentibus per Christum his verbis promittitur : *Ascendet enim pandens iter ante eos ; divident et transibunt portam, et egredientur per eam ; et transibit rex eorum coram eis* (*Mich.* II). In secunda Hierusalem, vel tribus Juda severius arguitur, dicendo ad principes ejus, ad sacerdotes ejus et ad prophetas ejus: *Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur; et Hierusalem quasi acervus lapidum erit* (*Mich.* III), quibus verbis illa manifeste desolatio prænuntiatur, quæ facta a Romanis eamdem filiam latronibus vastantibus, eo quod percusserit *maxillam judicis Israel*, sicut manifeste sermonis ejusdem sequentia vaticinantur, itemque detrimentum Judæorum, de salute gentium restaurandum, secundum hæc verba promittitur. *Et*
D *fluent ad montem Domini populi, et properabunt gentes multæ* (*Mich.* IV). Et rursus : *Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam* (*Mich.* V), etc. Ecce nunc tertio sermo propheticus quasi tubam vocem suam exaltans, neque solam Samariam ut prima, neque solam Hierusalem, ut secunda invectione convenerat, sed ambas partes simul conveniens sic inchoat :

CAP. VI. — *Audite quæ Dominus loquitur : Surge, contende judicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam. Audiant montes judicium Domini, et fortia fundamenta terræ, quia judicium Domini cum populo*

suo, et cum Israel dijudicabitur. Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servitutis liberavi te, et misi ante faciem tuam Mosen et Aaron et Mariam. Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Setihn usque ad Galgata, ut cognosceret justitias Domini. Hujusmodi verbis judicium Domini de magnis rebus agi incipit, et sicut jam dictum est, ambæ partes, scilicet Samaria et Hierusalem, pariter conveniunt et quodammodo assistunt, tanquam duo rei, diversas secundum merita judicii atque misericordiæ sententias excepturi. Sunt enim isti dissimiles sibi veluti alter etiam sub judicio rebellans, alter coram judice prostratus et veniam postulans: etenim Samaria, quæ se in perpetuo schismate detinuit a domo David et templo Domini, cujus ex regibus nullus recessit a peccatis Jeroboam, id est, a colendis vitulis, quos ille fecit, nec saltem comminante Deo judice captivitatem instantem, pœnitentiam egit, reus ille est qui etiam in judicio per contumaciam magis ac magis provocat iram judicis: Hierusalem vero, quæ tunc temporis nonnunquam pœnitentiam egit, cujus reges aliqui ad pœnitentiam conversi sunt, ut Manasses (*II Par.* XXXIII), aliqui justi fuerunt et sancti, ut David et Ezechias et Josias: nam præter istos, omnes in idolis peccaverunt; reus ille est qui, coram judice prostratus, fatetur culpam, poscit et meretur veniam. Neque enim de decem tribubus translatis in Assyrios aliquem pœnitentem, et Deo satisfacientem legimus, sed de filiis Juda ductis in Babyloniam multum est quod miremur et compatiamur: dum et Daniel in lacu leonum, et socii ejus in fornace Babylonica prostrati, misericordem judicem Deum deprecantur (*Dan.* VI). Igitur dum proposito judicio ex persona Domini, dicentis: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi,* et cætera repente sese persona offert, dicens: *Quid dignum offeram Domino? curvabo Deo genua excelso?* hanc arbitremur esse Hierusalem, quæ, ut jam dictum est, illo tempore pœnitentiam erat actura. Cætera vero quæ repetito clamore subsequuntur, inter quæ judex proloquens, *et custodisti,* inquit, *præcepta Amri, et omne opus Achab,* contra Samariam dicta esse non dubitemus, quæ veluti reus rebellis veniam a judice nec postulat, nec meretur. Nunc per ordinem dicta sequamur: *Audite,* inquit, *quæ Dominus loquitur.* Hoc in persona sua propheta clamat, videlicet tanquam præco judici sedenti obsequens, ut paret silentium, et ad audiendum attentam faciat multitudinem. Hoc ergo præmisso sequuntur ea quæ Dominus loquitur: *Surge, contende judicio adventum montes, et audient colles vocem tuam.* De montibus et collibus istis, adversum quos judicio contendere jubetur, diversi expositores diversa senserunt. Nam alii angelos intelligunt, quibus rerum humanarum commissa est procuratio, quisque, ut Apostolus ait, *administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem*

A *capiunt* (*Hebr.* I), et inde adversus eos judicio contendi volunt, si non egerint cuncta quæ ad suum pertinebant officium. Alii vero Abraham, Isaac et Jacob, et patriarchas reliquos interpretantur, quibus quasi auditoribus et ad judicium convocatis, populi Israel negotium ventilandum est. Verum neutra sententia liberum habet cursum, aut manifestis Scripturæ vocibus comprobatur, præsertim cum Abraham, Isaac et Jacob sancti atque amici Dei sunt, et sancti angeli præterito jam judicio divisi a malis angelis de salute sua securi, et in beatitudine sint **220** firmati. Quomodo ergo vel adversus istos, vel adversus illos montes et colles libere affirmarim, quod fiat contentio judicii divini? Ut igitur expeditior sit sensus, illud sequamur quo

B manifeste nos præsens littera ducit, dum in initio contentionis statim dicitur: *Popule meus, quid feci tibi?* Denique populus Israel cujus ambas partes, videlicet Samariam et Hierusalem, paulo ante diximus ad judicium convocari, sub nominibus montium et collium corripitur in his verbis. Nec vero incongrue per montes figuratur, qui pars utraque in montibus regnabat et superbiebat, decem tribus in monte Samariæ, et duæ reliquæ Juda et Benjamin in monte Sion. Unde et per alium prophetam idem Dominus: *Væ* igitur *qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ* (*Amos,* VI). Igitur adversus montes, id est adversus Samariam et Hierusalem in montibus habitantibus, et in montibus confidentes, *Surge,* inquit, *et contende judicio, et*

C *colles,* id est urbes minores illarum subappendices *audiant vocem tuam.* Ad hoc edictum Domini judicium proponentis, idem præco, id est propheta qui prælocutus fuerat, dicens: *Audite quæ Dominus loquitur,* rursus pro officio suo magis ac magis attentam volens esse plebis multitudinem sive montium, id est principum altitudinem, clamat, et dicit: *Audiant montes judicium, et fortia fundamenta terræ, quia judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur. Montes,* ut jam dictum est, Samaria et Hierusalem dicuntur, quæ utraque metropolis in monte sita est. Porro *fortia fundamentum terræ,* non incongrue partis utriusque reges intelligimus. Regia namque potestas quodammodo terræ, id est populi fundamentum est. Unde et Græco sermone rex basi-

D leis, id est basis populi dicitur, eo quod regibus suis populi vel cæteræ dignitates innitantur, veluti columnæ basibus. Igitur *et fortia fundamentum terræ* tumidæ, terræ montuosæ, id est reges male fortes, reges in vestris viribus et opibus confidentes, qui subvehitis Samariam et Hierusalem quæ in montibus sitæ sunt, et quod pejus est, in montibus confidunt, *audite,* inquit, *judicium Domini,* quia quod valde timendum est, *judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur.* Vere enim sensato homini hoc valde timendum est ne cum illo Deus dijudicetur: scit enim quia non poterit illi respondere unum pro mille ideoque prostratus postulat dicens: *Non intres in judicium cum servo tuo, Do-*

mine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII). Hæc interlocuto propheta, protinus non ipse propheta cui dictum esse videbatur, *surge et contende judicio*, sed ipse Dominus in sua persona, hoc modo judicio contendere incipit. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? Responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, de domo serventium liberavi te, et misi ante faciem tuam Mosen et Aaron et Mariam.* Quis his loquitur judicio contendens, nisi Dominus? Quis autem dixerat, *surge et judicio contende*, nisi Dominus? Ergone et jubet et obedit una eademque persona, ut unus idemque est, et ille qui dicit, et ille cui dicitur? Hæc idcirco subtiliter percunctamur et quærimus quia valde nobis optabile est, ut etiam hic appareat, qui persæpe in Scripturis Deus Deo, Dominus Domino, Pater Filio loquitur, et multa sunt quæ inter has personas dicta invenimus, quorum dulcissimum atque clarissimum est illud, quod David in spiritu audivit, nobisque retulit dicens: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (*Psal.* CIX). Sit igitur persona Patris quæ dicit: *Surge, contende judicio*; sit persona Filii quæ, dicto obaudiens, judicio contendit et dicit: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi.* Quid enim? Nunquid quia de Virgine Maria nondum natus erat, idcirco de judicio contendere nesciebat? Imo et prædari et spolia detrahere jam poterat. Hinc est enim quod de illo ad alium prophetam dicitur: *Voca nomen ejus, accelera spolia detrahere, festina prædari* (*Isa.* VIII). Quam ob causam? *Quia antequam*, inquit, *sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ* (*ibid.*) quæ videlicet Damascus et Samaria tunc cunctis viribus Judam oppugnabant. Quod est dicere: Idcirco *voca nomen* pueri, quem supra vocandum esse prædixit *Emmanuel* (*Isa.* VII), *accelera spolia detrahere, festina prædicari*, qui priusquam nascatur in mundo patremque habeat et matrem patrem quidem optativum, videlicet Joseph, matrem autem naturalem, scilicet Mariam, liberat, et hactenus liberavit ab hostibus suis Judam et Hierusalem. Mira acceleratio et inaudita festinatio. Nunquam fuit aliquis ita festinus, ut quidpiam faceret antequam nasceretur vel conciperetur, præter istum solum qui prius erat Deus, de Deo Patre genitus, quam fieret homo ipse de muliere natus. Igitur sicut vocari jussus est, *accelera spolia detrahere, festina prædari* ita et secundum præsentem causam vocari potest, accelera judicio, contendere festina cum Israel dijudicari; quia videlicet in quo et toties judicatus est ut traderet hostibus, et toties liberatus est ab hostibus Israel, unum idemque est Verbum Domini, unus idemque Filius Dei, verus Deus judicans juste, antequam fieret homo judicandus injuste. Nunc itaque judicio contendentis, quæstiones et rationes audiamus. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? Responde mihi.* Hac percunctatione præmissa, ne vacet populo molestias referre quas passus est in eo quod toties tradidit eum in manus gentium, et dominati sunt ejus, qui oderunt eum: causam quoque suam istam proponit per quam ostendat sese priorem fuisse in beneficiis, et mala recepisse pro bonis, dum dicit: *Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te; et misi ante faciem tuam Mosen et Aaron et Mariam* (*Num.* II). Nec vero illos tantum qui erant fratres tui, verum etiam alienigenam, videlicet Balam filium Beor, qui non erat de gente tua, misi ante faciem tuam ad benedicendum tibi. Hoc est quod continuo subjungit: *Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Sethim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini.* Et est sensus: Num in eo molestus fui tibi, quod hæc beneficia præstiti tibi? Quod dicit, *de Sethim usque ad Galgalam*, sic intelligitur ac si dicat, de loco ad locum pergens, mutansque loca ut totum exercituum Israel lustrarent oculis, quasi ego non possem cum pergente pergere, et cum transeunte transire. Et hoc feci, ut misericordiæ meæ et justitiæ notæ essent tibi. Cum itaque præmisso *quid feci tibi, aut quid molestus fui*, statim subjunxit, *quia eduxi te de terra Ægypti per Mosen et Aaron*, et deinde meminisse rogat, quomodo Balaam filium Beor a maledicendo cohibuerit, quæ utraque populo non molesta, sed valde fuere jucunda? simul meminisse oportet, qualia populus econtra fecerit, ut causis comparatis appareat in judicio opposito, quam justus Deus, et quam injustus Israel sit. Quid enim Deo populus fecit? Nonne ipse potius molestus fuit? Ubi illum Deus de Ægypto eduxit, ille vitulum conflatilem fecit, eique hostias immolavit, Mosen et Aaron ante faciem populi Deus misit, populus eosdem acerbe affligens, **221** pene lapidavit (*Exod.* XXXII). Ubi Balaam Deus cohibuit ne malediceret populo (*Num.* XXII), populus continuo fornicatus est cum filiabus Madian, et initiatus est Beelphegor (*Num.* XXV). Cætera percurramus, quamvis in præsenti judicio non commemoraverit Dominus, pauca commemorasse contentus, et in omnibus, inquam, ex populo vicissitudinem reperiemus. Ubi Deus populum in terram quam promiserat, introduxit, populus terræ eisdem gentibus pejora fecit, inter quas commistus, deos eorum coluit (*Judic.* II). Dedit Deus populo David regem secundum cor suum, populus a domo David sese rescindens, et a templo Dei, vitulos aureos coluit (*III Reg.* XII). Tandem quod maximum est, Deus homo factus de semine Abrahæ promissiones quas promiserat illi, implevit, et populo se præsentavit, populus illum negans crucem ei paravit, et lancea latus ejus perforavit (*Joan.* XIX). Non vane ergo judicium Domini cum populo suo et cum Israel vult dijudicari, quia magna sunt et multa quæ veniunt in quæstionem ex iniqua parte populi, quorum quædam propheticam hanc præcesserant quædam secutura erant. Nec vero quisquam nostrum ab ejusmodi dijudicatione liberum se putet, quia nos quoque sumus Israel, quos Dominus eduxit de

Ægypto hujus sæculi, id est de ignorantiæ tenebris, et misit ante faciem nostram Mosen et Aaron et Mariam, faciendo nos revelata facie contemplari quæ per illos facta sunt, quia in figura contigerunt, et qualem vicissitudinem quisque nostrum Deo reddiderit, conscientia cujusque novit. Cum igitur audivimus Deum dicentem homini, *quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi*, non sit in nobis cor durum et indomabile, et ferrea cervix, quia ad hoc se taliter apponit, et taliter loquitur altisssimus Deus misero homini, ut saltem propter humilitatem Dei compunctus, dicat homo : *Peccavi Domino* (*I Reg.* VII), secundum exemplum David, cum quo Deus taliter dignatus est dijudicari, cum ille peccasset in Bethsabee. *Ego*, inquit, *unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul et dedi tibi domum Israel et Juda, et si parva sunt ista, adjiciam tibi multa majora* (*III Reg.* XII). Taliter præloquendo mollire studuit, et per pietatem efficere tenerum cor, ut melius et profundius vulnerare posset protinus inferendo : *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo*? etc. (*Ibid.*) Quisquis ille similiter compunctus et in judicio salubriter vinctus loquitur ea quæ protinus hic in propheta sequuntur: *Quid dignum offeram Domino? Curvem genua Deo excelso? Nunquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Ad singula horum præter illud quod ait, *curvem genua Deo excelso*, subaudiendum est, non, quia videlicet Deus holocautomatibus, vitulis anniculis, arietibus et hircis pinguibus non delectatur et, etiamsi talibus delectaretur, non esset condignum pretium vel æquæ redemptio ut pro peccato rationalis animæ brutum pecus tanto judici offerretur. Multo magis offerre primogenitum vel fructum ventris sui pro scelere suo longe a ratione dissentit, præsertim cum hoc ipsum facere scelus sit crudelissimæ gentilitatis, licet Jephte vir fortis immolatione filiæ temerarium votum solverit (*Judic.* XI). In singulis quidem et eorum qui ante nos ad pœnitentiam compuncti fuerunt, unus idemque Spiritus talia tractat, *quid dignum offeram Domino*, et cætera juxta quod Apostolus loquitur : *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus*; *sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII). Verumtamen ut certum ordinem retineamus, et a superioribus non deviemus, ubi Samariam et Hierusalem tanquam duos discrevimus reos, quorum alter etiam sub judicio perseverat in culpa, alter satagit pro venia. Nimirum persona hæc audito judicio dicit : *Quid dignum offeram Domino?* et cætera, Hierusalem est. In illa namque taliter peccata sua confitendo emeruit, ut captivitas sua post annos septuaginta solveretur, detentis in perpetua captivitate decem tribubus, judice Deo per alium quoque prophetam sic prælocuto : *Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Juda miserebor, salvabo eos in Domino Deo suo* (*Ose.* I). Ubi captivum Judam sive vapulantem Hierusalem piam de suo scelere habuisse legimus sollicitudinem, secundum verba hæc : *Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* Nimirum in illa oratione apud Danielem : *Peccavimus, Domine, inique fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis et judiciis* (*Dan.* VI). Et alibi : *Et non est in tempore hoc princeps et propheta, et dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam, sed in anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur sicut in holocaustum arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium* (*Dan.* III) Quid tandem dicit huic divinum responsum? *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus quærat a te : Utique facere judicium, diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Ne ergo sis anxius de holocautomatibus et vitulis anniculis, de millibus agnorum et hircorum pinguium, neque de ullis omnino rebus quæcunque extra te sunt, quia non quærit tua Deus, sed te ipsum, non rem tuam sed spiritum tuum; non arietem vel hircum tuum, sed cor tuum. Illud offer, nam hoc est bonum; offer, inquam, judicium faciendo, misericordiam diligendo, et ambulando sollicite cum Deo tuo. Quid est judicium facere, nisi judicium Dei prævenire? Prævenis autem judicium Dei, si temetipsum prior judicas in conspectu Dei, ne a Deo judiceris. Nam *si nos ipsos judicaremus*, ait Apostolus, *non utique judicaremur* (*I Cor.* XI). Jam quidem hoc interest inter duos reos istos, quorum alter Samaria, alter dicitur Hierusalem, quod Samaria judicio resistit, nunquam recedendo a vitulis suis, et idcirco *Non addam illi*, ait Dominus, *ultra misereri*, Hierusalem autem judicio concedit, veniamque poscit, et idcirco, *sed domui*, inquit, *Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo* (*Ose.* I). Bonum ergo quidem est sequi judicium, optimum autem facere judicium, scilicet priusquam judicando semetipsum. Et deinde diligere, id est diligenter quærere misericordiam, quod est esse misericordem, ut ipse misericordiam consequatur. Exempli gratia, sicut eo tempore fuerunt maxime Daniel et Neemias, quorum alter, videlicet Daniel, completis annis septuaginta desolationis Hierusalem, multum compatiens desolatæ suæ genti, *et posui*, inquit, *faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare et deprecari, in jejuniis, et sacco, et cinere* (*Dan.* IX) : alter, videlicet Neemias, cumque audisset, ait, verba dicentis, *et murus Hierusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni, sedi et flevi, et luxi dies multos, et jejunabam, et orabam ante faciem Dei cœli* (*II Esdr.* I), etc. Quod deinde dicitur hic in propheta, *et sollicitum ambulare cum Deo tuo*, idem est ac si dicat, et deinceps cavere a peccato. Ejusmodi sollicitudo tanta Danieli et sociis

ejus in eadem captivitate exstitit **222** ut ne quidem de mensa regis, et de vino potus ejus pollui paterentur. His dictis ad personam quæ percunctata fuerat, dicendo : *Quid dignum offeram Domino ?* et cætera, confestim quasi quæreret, cum igitur fecero hæc ut indicasti mihi, quid consequetur, subjunxit atque ait : *Vox Domini ad civitatem clamat, erit salus timentibus nomen meum.* Personam expressit manifestius, quam supra diximus esse Hierusalem, veluti reum sub judicio confitentem atque pœnitentem, altero in malis perseverante, scilicet Samariæ, id est decem tribus, contra quas protinus nequaquam remissso clamore taliter invehitur *Audite, tribus. Et quis approbabit illud ? Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. Num justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa, in quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore ipsorum ? Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui. Apprehendes, et non salvabis ; et quos salvaveris, in gladium dabo. Tu seminabis, et non metes ; tu calcabis olivam, et non ungeris oleo, et mustum et non bibes vinum. Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab, et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, et habitantes in ea in sibilum, et opprobrium populi portabitis.* Manifeste divisus est clamor Domini, verba consolatoria denuntians civitati, scilicet Hierusalem, quod sit salus timentibus nomen Domini, filiis ejus de captivitate reversuris. Decem vero tribubus qualia merentur ? *Audite*, inquit, *tribus*, subauditur opus vestrum, quod nunc in judicio Domini arguitur. *Et quis approbabit illud ?* Videlicet nemo probus, nemo nisi improbus, cujus et si cupiditas approbat, ratio tamen improbat. Verumtamen in judicio, dum res ostenditur nuda, mirum est si vel improbus approbare audeat pertinaci impudentia. Quid est illud ? *Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, mensura minor iræ plena.* Quasi unum crimen decem tribuum in judicium adducit, sed per illud unum, cætera quoque simul omnia comprehendit. Et recte, nam *radix omnium malorum* avaritia (*I Tim.* VI). Ipsam avaritiam convenienter nomine ignis denotat. Sunt enim hæc similia. Denique *ignis nunquam dicit : Sufficit*, ait Sapientia (*Prov.* XXX), et *avarus non implebitur pecunia* (*Eccl.* V), igitur *adhuc ignis in domo impii*, id est adhuc avaritia, *quæ est simulacrorum servitus* (*Coloss.* III), adeo regnat in Samaria ut aurum colat tanquam Deum, colit enim aurea simulacra vitulorum. Quod dicit, *adhuc*, longiturnitatem, persevetantiam peccati significat ; quia videlicet ex quo Jeroboam illos fecit vitulos, per tot annos vel tempora, tot succedentibus vel demutatis regibus, tot signis et prodigiis per Eliseum et Eliam exhibitis cultus eorumdem vitulorum perseverat, et nullus omnino regum a peccatis Jeroboam recesserat,

A usque ad ultimum Osee filium Hela, qui regnare cœpit in Samaria anno duodecimo regis Juda Achaz (*IV Reg.* XV), sub quo ipse prophetabat. Igitur *adhuc ignis in domo impii*, nimis diu perseveravit satiabilis avaritia in vobis, o decem tribus, quæ estis domus impii, scilicet Jeroboam qui vos peccare fecit, cui vos tanquam Domino domus ad malum deseruistis, cum deberetis esse domus Domini Dei. Quod nomine ignis, ut jam dictum est, avaritia debeat intelligi, sequens littera satis innuit. Cum enim dixisset, *adhuc ignis in domo impii*, statim subjunxit, *thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. Num justificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa, in quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua* B *eorum fraudulenta in ore ipsorum ? Mensura minor*, quam lex Domini interdicit, et *dolosa*, id est non æqua pondera, dum in alio pondere venduntur, in alio emuntur. Mercimonia profecto avaritiæ instrumenta sunt. Et hic est vere *ignis*, qui et cuncta bona destruit, et *nunquam dicit . Sufficit* (*Prov.* XXX). *Num*, inquit, hæc ego *justificabo ?* Non utique, sed condemnabo. *Minor mensura*, minorem capiens venalem substantiam, majorem capit iram in sinum vestrum refundendum. Siquidem pauperes hoc facerent, poterat inopia scelus necessitate defendere, nunc vero *divites*, ait, *in eis repleti sunt iniquitate*, id est divitiis iniquis, quæ congregantur ex iniquitate, *et habitantes in ea*, subauditur domo impii, *loquuntur*, ait, *mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum*, quia videlicet congregationem C divitiarum sequitur mendacium, et manu assueta thesauros condere fraudulentam linguam possidet. Veritas paupertatem parit. *Et ego ergo*, inquit, *cœpi percutere te perditione super peccatis tuis*, subauditur, et percutere non desinam usque ad consummatam perditionem, quoniam perseveras in peccatis. Ac si dicat : Propterea jam sæpe misi contra regem Assyriorum, et quia tu in peccatis perseveras, mittam illum iterum. Nam, quia iste in diebus Joathan, Achaz et Ezechiæ prophetavit, opportune nunc historiæ series ad memoriam redit pro eo quod ait : *Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.* Denique *anno duodecimo Achaz regnavit Ozee in Samaria super Israel, ascenditque contra eum Salmanasar rex Assyriorum, et factus est* D *ei Ozee servus, reddebatque tributa* (*IV Reg.* XVII). Hæc fuit incœptio percussiouis, de qua nunc dicit : *Et ego ergo cœpi percutere te perditione.* Sequitur autem : *Cum autem deprehendiset rex Assyriorum Ozee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, et vinctum eum misit in carcerem, pervagatusque est omnem terram. Et ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis. Anno autem nono Ozee, cœpit rex Assyriorum Samariam, et transtulit in Assyrios, posuitque eos in Ayla, et in Abor, juxta fluvium Gozam in civitatibus Medorum*, (*ibid.*). Hic annus erat sextus

Ezechiæ, nonus autem ejusdem Ozee, qui regnare cœperat anno duodecimo Achaz. Nam ut illic infra rursus scriptum est, post annos tres anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria, et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios. Igitur cum dicit: *Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis*, statimque subjungit: *Tu comedes et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui; apprehendes et non salvabis, et quos salvaveris in gladium dabo; tu seminabis et non metes, tu calcabis olivam, et non ungeris oleo et mustum et non bibes vinum*. Cum, inquam, et illa de præterito, et ista de futuro tempore dicit, hoc datur intelligi, quod inter utrumque ascensum Assyriorum iste prophetaverit hunc sermonem, qui sic incipit: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi*, et de primo quidem illorum ascensu dixerit Dominus, *et ego cœpi percutere te*, scilicet in eo quod hostibus tributarius es factus; de secundo autem, *tu comedes et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui*, et cætera, videlicet quia et tu, Israel, captivus migrabis, et rex tuus Ozee vinctus mittetur in carcerem. Quod dicit, *et humiliatio tua in medio tui*, quæ videlicet humiliatio tam carcer Ozee regis quam captivitas totius populi valet intelligi, talis dictio **223** est, qualis et illa, *sanguis tuus super caput tuum erit* (III *Reg.* II), id est perditio tua de temetipso erit, nec imputabitur alii rectius quam tibi, dum recipis quod mereris, nec ignorare potes quin justum sit. Quod deinde subjungit, *apprehendes et non salvabis, et quod salvaveris, in gladium dabo*, hoc improperare videtur Ozee regi, quod non potius ad Deum conversus est, sed *misit nuntios*, ut jam supra dictum est, *ad regem Ægypti* (IV *Reg.* XVII), ut apprehenderet eum, quasi paxillum sive baculum cui posset inniti. Hoc facto utique nec suos, nec semetipsum salvabit, subauditur, tributis regis Assyriorum solvendis, imo quos ita salvare putavit, eos Dominus in gladium dedit, quia maxime propter hoc rex Assyriorum iratus ascendit, et cepit eos non sine voluntate et judicio Domini. Dum tandem dicit, *tu seminabis, et non metes, tu calcabis olivam, et non ungeris oleo; et mustum et non bibes vinum*, per singula dicta magnum illi facit tormentum, quorum cor omnino rebus ejusmodi erat deditum. Tanta cupiditate vel avaritia, quanta præcedentia verba denotaverunt. Nam quanto quisque majore laborat morbo avaritiæ, tanto magis cruciatur audiendo vel videndo quod ipse seminavit, ungi oleo, et bibere vinum, quod ipse usque ad calcatorium elaboravit, et in apothecam recondidit. Quod vero per conjunctionem apponit, dicendo: *Et custodisti præcepta Amri*, illi priori versiculo copulatur: *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena*. Fuit autem Amri pater Achab, et hic Samariam ædificavit sicut scriptum est: *Et regnavit Amri super Israel duodecim annis In Chersa regnavit sex annis, emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti et ædificavit eam, et vocavit nomen civitatis quam exstruxerat ex nomine Somer domini montis Samariæ. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini et operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum* (*III Reg.* XVI). In hoc denotantur præcepta ejusdem Amri, quæ custodisti, inquit, quia videlicet præcepta Hieroboam, quæ dederat formatis vitulis, dicens: *Nolite ultra descendere in Hierusalem. Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (III *Reg.* XII), iste confirmavit ædificando aliam metropolim, scilicet Samariam, adversus antiquam et legitimam metropolim Hierusalem civitatem David. Et iste quidem præcepta Jeroboam taliter confirmando, sua præcepta esse fecit, Achab autem filius ejus ampliavit. Idcirco cum dixisset *et custodisti præcepta Amri*, addidit, *et omne opus domus Achab*. Quod enim fuit opus domus Achab? *Regnavit in Samaria viginti et duobus annis; et fecit malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. Nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam, insuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal regis Sydoniorum, et abiit, et servivit Baal in templo, quod ædificaverat in Samaria, et plantavit lucum* (III *Reg.* XVI). Deinde hoc domus ejus, id est ipsius et uxoris ejus Jezabel opus fuit quod occiderunt prophetas Domini, in tantum ut diceret Helias, putans solum se esse relictum: *Domine, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio; derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam* (III *Reg.* XIX). Illorum talia *præcepta* et opera tu *custodisti*. Nunquam enim a peccatis eorum recessisti tu, Israel, sive tu, Ozee, rex Israel, cujus in diebus tecum punitur Israel, *et ambulasti in vanitatibus eorum*, provocans me in tantum, *ut darem te in perditionem*, quod justum est, *et habitantes in ea*, subauditur domo Achab, quæ est Samaria, *in sibilum*, id est in derisum, *et opprobrium populi portabitis*, videlicet vos reges impii, quia vestrum scelus, vestrumque deliramentum est quidquid patitur Israel. Sive ut e converso dictum sit, totum patitur Israel quidquid vos delitastis. Sequitur:

CAP. VII. — *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præmaturas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur ad mortem, malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat, et judex in reddendo est. Et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eum. Qui optimus est in eis quasi paliurus, et qui rectus quasi spina de sepe.* Dicta hæc de fonte pietatis manant, quia perfecto zelus bonus quo sancti sævire videntur, nunquam sine pietate est. Irascuntur peccatis, peccatoribus compatiuntur. Sic Moses contra peccata sæviens, et forti zelo accinctus: *Ponat*, inquit, *vir gladium super femur suum, et ceciderunt in illa die, quasi viginti tria millia* (*Exod.* XXXII), et peccatoribus compatiens ait ad Dominum: *Aut dimitte eis*

hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti (*ibid.*). Sic et cæteri sancti fecisse noscuntur quamplures, quorum exempla percurrere nimis longum est. Ut de isto non prætereamus, quid fortius, quid vehementius invectione quam longe superius ita finierat: *Et omnia idola Samariæ ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedes meretricis revertentur* (*Mich.* I). Quid vero clementius dici potest, quam id quod protinus subjungit: *Super hoc plangam et ululabo; vadam spoliatus et nudus* (*ibid.*). Sic et in præsenti loco cum thesauros iniquitatis et mensuram minorem, stateram impiam et pondera dolosa fortiter coarguisset, et velut adversarius vindicem sententiam ex judicio Domini protulisset, continuo vulneratus vera compassione: *Væ mihi*, inquit, *quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*, etc. Nimirum quid optaret, vera et competenti similitudine melius expressit quam si nudis ipsam rem eloqueretur verbis. *Vinea enim Domini exercituum*, ait ipse Dominus in Isaia, *domus Israel est* (*Isa.* V). Et Psalmista: *Vineam*, inquit, *de Ægypto transtulisti, et ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Psal.* LXXIX). At illa, cum exspectaretur *ut faceret uvas, fecit labruscas* (*Isa.* V). Hoc iste expertus est; neque enim eo prophetante vel cæteris, quos Dominus misit, quisquam ex regibus Israel pœnitentiam egit. Congrua ergo similitudine utens, *factus sum*, ait, *sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*. Statimque subjungit: *non est botrus ad comedendum*, id est qui facit pœnitentiæ fructum. Omnes enim impœnitentes Deum offendunt, sicut uvæ acerbæ quæ comedi non possunt. Pœnitentes vero quasi uvæ vel ficus maturæ, dulces et suaves sunt, quas *desideravit anima mea*, inquit, sed non inveni. Nam hoc est quod sequitur: *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est. De terra*, id est de Samaria, *periit sanctus* qui esset mihi quasi botrus ad comedendum, et *in hominibus*, id est decem tribubus *non est rectus*, qui esset mihi quasi præmatura ficus. Quis enim fuit de cunctis regibus Samariæ vel decem tribuum, de quo scriptum non sit, *fecitque malum in conspectu Domini*? At vero de regibus Hierusalem non est ita, quæ et supra dixit (*Mich.* IV): *Quid dignum offeram Domino*? et postmodum dictura est, *ego autem ad Dominum aspiciam, et exspectabo Deum Salvatorem meum*. Nam et David et Ezechias, et Josias, botri ad comedendum boni, id est homines sancti, fuerunt, et de cæteris nonnulli quamvis in primis acerbi fuerint, postea per pœnitentiam **224** commutati, dulces et recti facti sunt. Audite nunc, reges Samariæ vel decem tribuum, quam acerbi et insuaves fuerint. *Omnes*, inquit, *in sanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur ad mortem*. Profecto dira et longa tragœdia regum Israel brevibus verbis insinuatur. Nam fere omnes post illum vel ab illo, qui primus erat Jeroboam, in sanguine insidiati, et alterutros ad mortem venati sunt. Jam dicto Jeroboam filius suus Nadab successerat,

A et insidiatus ei Baasa, percussitque eum, et regnavit pro eo, et percusit omnem domum Jeroboam (III *Reg.* XV). Eidem Baasa successerat filius suus Hela rebellavitque contra eum servus suus Zambri, et occidit eum, regnavitque pro eo, et percussit omnem domum Baasa. Regnavit idem Zambri septem diebus, et ascendit contra eum Amri, et ille videns quod expugnaretur civitas, succendit secum domum regiam, et mortuus est. Tunc media pars populi sequebatur Tegni, et media pars Amri. Prævaluit autem et regnavit Amri, mortuusque est Tegni. Post hunc, videlicet Amri, regnavit filius ejus Achab, cujus filium Joram interfecit Jehu filius Mansi, et regnavit pro eo, percussit omnes qui erant de domo Achab, et notos ejus universos, et Aaziam regem B Juda, et fratres ejus; erant enim de genere Achab (III *Reg.* XVI). Regnavitque Hieu, et filii ejus usque ad quartam generationem (IV *Reg.* IX). Factumque est post hæc, Sellum filius Jabes percussit Zafariam filium Jeroboam, filii Joas, filii Joachas, filii Hieu, et regnavit pro eo mense uno. Et hunc percussit Manaen de Thersa, et interfecit eum, regnavitque pro eo. (IV *Reg.* XV). Hujus filium Phacæ jam percussit Phaceæ filius Romeliæ et regnavit pro eo (IV *Reg.* XVI). Conjuravit contra hunc, et insidias tetendit iste Ozee filius Hela, et percussit eum, et interfecit, regnavitque pro eo, cujus nono anno Israel captivus ductus est, ubi tanta fuit, tamque cruenta regum divisio, quanta potuit esse regni desolatio, et eorum qui partibus favebant, conturbatio? Non ergo abs re dixit, C *omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur*. Porro, cum omnes ita reprobi fuerunt reges Israel, ut recte dixerit hic: *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est*, tres ex illis magis infames Scriptura denotavit, videlicet priorem Jeroboam qui vitulos fecit, et Amri qui Samariam condidit, et Achab qui Baal coluit et cum uxore sua Jezabel prophetas Domini interfecit, quorum et hic propheta paulo ante meminit, dicendo: *Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab* (*Mich.* VI). Horum trium malam memoriam hic rursus tangere videtur tribus sententiis, quas hoc ordine subnectit: *Malum manuum suarum dicunt bonum, et princeps postulat, et judex in reddendo est, et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eum*. Nam, qui ma- D lum manuum suarum dixit bonum, Hieroboam fuit simulque sacerdotes, quos ipse sibi de extremis populi instituit, quia formatis vitulis dixerunt: *Ecce dii tui, Israel* (III *Reg.* XII), principem, qui postulavit et *judex in reddendo* fuit, intelligimus Amri, qui ut contra Hierusalem metropolim Juda, in qua erat templum Domini, faceret suarum metropolim, emit montem Samariæ a Somer, qui erat dominus montis, quanto pretio voluit, scilicet duobus talentis argenti, pro arbitrio suo judicans de pretio, quia princeps fuit (III *Reg.* XVI). *Magnus* qui *locutus est desiderium animæ suæ*, Achab licet intelligi, quia projiciens se in lectum suum et avertens faciem suam ad parie-

tem, et interrogatus ab Jezabel, *Quare non comedis panem? — Locutus sum*, ait *Naboth Jezrahelitæ, et dixi ei : Da mihi vineam tuam, accepta pecunia ; aut, si tibi placet, dabo tibi vineam aliam pro ea* ; *et ille ait : Non dabo tibi vineam meam* (III *Reg.* xxi. Sic *locutus est magnus* ille *desiderium animæ suæ*, nimietatem cupiditatis suæ. Ut autem magnus vocetur tali in re, mira et iracunda facit irrisio uxoris suæ, quæ ad hæc taliter cum ironia respondit : *Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel ! Surge, et comede ; ego tibi dabo vineam Naboth Jezrahelitæ* (*ibid.*). *Et conturbaverunt eum*, inquit. Qui conturbaverunt, et quem conturbaverunt? Nimirum ipse Achab et uxor sua Jezabel conturbaverunt Naboth, submittendo contra illum falsum testimonium dicentium : *Benedixit Deum et regem, et lapidaverunt eum, sicque mortuus est* (*ibid.*). Bene ergo cum dixisset, *magnus locutus est desiderium animæ suæ*, subjexit, *et conturbaverunt eum*, ponens pronomen relativum ad illum, cujus non posuerat nomen proprium, videlicet volens justum Naboth optime esse notum, ita ut quodammodo necessarium non sit nominatim exprimi illum qui semper debeat esse in memoria omnium, cum sanguis ejus semper clamet, et semper accuset impiorum sacrilegium. Vis adhuc audire, quam reprobi reges illi omnes fuerunt ? Ait : *Qui optimus in eis est, quasi paliurus ; et qui rectus, quasi spina de sepe.* Optimus in regibus Israel fuit Jehu, quippe qui solus ex omnibus illis unctus fuisse legitur in regem per manum Helisæi, fundentis oleum super caput ejus, atque dicentis : *Unxi te in regem super populum Domini Israel, et percuties domum Achab domini tui* (*IV Reg.* ix), et cætera quæ ille strenue implevit. Delevit enim domum Achab, et præcipitavit Jezabel quam et comederunt canes ; et percussit in ore gladii cunctos sacerdotes Baal, et destruxit ædem Baal, et fecit pro eo latrinas, et ita delevit Baal de Israel *IV Reg.* x). Optimus itaque in eis Jehu, videlicet pro hac parte quam diximus. At idem a peccatis Hieroboam non recessit, sicut de illo quoque scriptum est : *Verumtamen a peccatis Hieroboam filii Naboth, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel et in Dan* (*ibid.*). Igitur *optimus* iste revera *quasi paliurus*, videlicet herba spinis armata, pungens ac retinens et vulnerans appropinquantem, et adunco dente comprehendens. Nam in hoc ipso quod delevit domum Achab et Jezabel, jubente Domino, in ultionem sanguinis prophetarum, et sanguinis omnium servorum ejus, non tam dilectioni Dei quam propriæ satisfacere curavit ambitioni, unica cupiditate regnum sibi attrahens, et ob hoc sagittis pungens, gladio vulnerans. Porro rectus in eis Ozee rex ultimus intelligitur, de quo sic scriptum est : *Fecitque malum coram Domino, sed non sicut reges qui ante eum fuerant* (*IV Reg.* xvii). Dicitur enim licentiam dedisse volentibus ascendere, ut facerent sacrificia in domo Domini in Hierusalem, quod anteriores reges non fecerant, perseverantes in peccatis Hieroboam qui prohibuerat, dicens : *Nolite ascendere in Hierusalem* (III *Reg.* xii). Fortassis ut hanc licentiam daret Ozee, deliniabat aliqua gratia regis Juda, cui nimirum non insuave esse poterat illud, quod idem Ozee Phacee filium Romeliæ interfecerat, et pro eo regnabat. Siquidem hostis fuerat Judæ Phacee filius Romeliæ, quippe qui cum Rasin rege Syriæ ascendit in Hierusalem ad præliandum. Unde et necessitate compulsus *Achas misit nuntios ad Teglatfallasar regem Assyriorum, dicens : Ascende, et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me IV Reg.* xvi). Verumtamen quomodocunque, qualicunque pro causa minus fecerit malum, quam reges, qui ante eum fuerunt, constat, quia fecit malum coram Domino, quia Scriptura testis est. Igitur *et qui rectus* est, subauditur Ozee, *quasi* **225** *spina de sepe.* Nam, sicut in spinosa sepe dum putatur auxilium, dolor invehitur ; sic Ozee, dum mittit ad regem Ægypti, et ejus auxilio vult sepire Jerusalem, per hoc ipsum parat Israeli captivitatis occasionem. Idcirco non mirum, quod quæsivit racemos vindemiæ, *et non est botrus ad comedendum*, quod *præmaturas ficus desideravit anima mea*, et non inveni. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo, sive de paliuro vindemiant uvam (*Matth.* 7). Sequitur : *Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit, nunc erit vastitas eorum. Nolite credere amico, nolite confidere in duce ; ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, filia consurgit adversus matrem suam, nurus contra socrum suam, inimici hominis domestici ejus. Ego autem ad Dominum aspiciam, et expectabo Deum Salvatorem meum. Audiet me Dominus Deus meus.* Sive ad Samariam, cui supra dixerat, *custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab, et ambulasti in voluntatibus eorum*, sive ad Jerusalem dicta hæc intelligas, secundum utrumque intellectum res manifesta est. Nam utriusque, scilicet et Samariæ et Jerusalem, captivitas, quæ hic *visitatio* sive *dies speculationis* dicitur, tunc veniebat et prope erat. Melius tamen ad Jerusalem dicta intelligi placet ; quoniam ipsa est quæ respondet et cui respondere convenit : *Ego autem ad Dominum aspiciam, et exspectabo Deum Salvatorem meum*, nimirum eadem et humilitate, qua superius dixit : *Quid dignum offeram Domino?* etc. (*Mich.* vi.) De ipsis quoque contra quos dixerat, *qui optimus in eis est quasi paliurus, et qui rectus quasi spina de sepe*, scilicet de regibus vel principibus Samariæ, sermo ad Jerusalem fieri per hoc maxime intelligitur, quod cum præmisisset, *dies speculationis tuæ, visitatio tua venit*, statim subjunxit, et hæc *nunc erit vastitas eorum.* Quorum enim eorum, nisi hominum in quibus, ut supra conquestus est, rectus non erat, in tantum, ut *qui optimus in eis* erat, esset *quasi paliurus, et qui rectus quasi spina de sepe?* Eorum nimirum tunc instabat vastitas, id est irrevocabilis

decem tribuum captivitas. Judæ autem vel Jerusalem non ita. Nam venturus quidem erit rex Assyriorum usque ad ipsam, unde et postmodum hic dicitur ei, *et usque ad te non veniet Assur,* sed non vastaturus eam, dicente Domino per Isaiam prophetam : *Non ingredietur urbem hanc neque occupabit eam* (*Isa.* XXXVII). Item tradenda quidem erat Babyloniis eadem civitas, sed præfinito tempore restituenda, id est post annos septuaginta (*IV Reg.* XVI).Unde et postmodum dicit ei : *Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ,* subauditur statuta est. Igitur quod deinde sequitur : *Nolite credere amico, et nolite confidere in duce ; ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui,quia filius contumeliam facit patri, filia consurgit adversus matrem suam, nurus contra socrum suam, inimici hominis domestici ejus.* Magnitudinem calamitatis eorum exprimit, de quibus dixerat, et *nunc erit vastitas eorum,* ut recogitet auditor et perpendat quanta fuerit vel esse potuerit inordinatio rerum et confusio hominum popularium sive mediocrium, ubi regnum decem tribuum scissum a domo David, tantis et tam crebris scissuris dividebatur in seipsum, sicut supra perstrinximus, regibus interfectis, et succedentibus eorum interfectoribus. Ibi fictus amicus non defuisse credendus, quem temporis opportunitas et occasio injuriæ manifestum faceret, qualia ante tempora illa regni David fuit Achitophel. Nam, quia insidiis utitur maxime amicus fraudulentus, non immerito pro ejusmodi computentur, et Baasa filius Achia de domo Isachar, et Ozee filius Hela regum Israel ultimus, quorum alter insidiatus est Nadab filio Jeroboam, et percussit eum, regnavitque pro eo (III *Reg.* XV). Item inter eos propter quorum exemplum ait : *Et nolite confidere in duce,* recte computetur Zambri, qui cum esset dux mediæ partis equitum,et servus Ela filii Baasa rebellavit contra eum, percussitque et occidit eum, et regnavit pro eo (III *Reg.* XVI). Sunt itaque isti in exemplum omni mundo, quod non sit omni amico credendum,neque in omni duce confidendum, propheta dicente : *Nolite credere amico,nolite confidere in duce,* id est, nolite spem vestram ponere in hominibus ea consideratione, quia sunt duces, quia dicuntur amici ; multi enim duces infidi, multi amici insidiosi, sicut experimento claruit temporibus istis. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi,* inquit, *claustra oris tui.* Ante tempora illa grande exemplum cavendum in hujusmodi præcessit in Dalila, quæ Samson decepit (*Judic.* XVI), sed multo magis temporibus eisdem in Jezabel, quæ virum suum Achab perdidit, dicendo illi jacenti in lectulo : *Surge et comede panem, et æquo esto animo, ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ* (III *Reg.* XXI). Aperuerat enim illi claustra oris sui, narrando pro qua causa esset tristis, et omnino commiserat ei claves universas animi sui tam in illa re quam in cæteris, testante Scriptura, cum postmodum dicit : *Igitur non fuit talis alter ut Achab qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini ;*

A *concitavit enim eum Jezabel uxor sua, et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola quæ fecerant Amorrhæi,quos consumpserat Dominus a facie filiorum Israel* (*ibid.*). Quamvis autem pauca talium exempla certis ex personis scripta sint,multa tamen tunc evenisse talia nemo est qui ambigat. Similiter et de eo quod protinus sequitur, quia *filius contumeliam facit patri,* quamvis duo tantum exempla scripta sint : alterum ubi *Ruben cubile patris ascendit* (*Gen.* XLIX), alterum ubi *Absalon fædavit patrem suum David* (II *Reg.* XVI), qui ante tempora illa fuerunt : multa tamen eisdem temporibus similia gessisse non dubitandum est, testante alio propheta, cum dicit inter cætera scelera Israel, id est decem tribuum, *et filius ac pater ejus introierunt ad puellam,*
B *ut violarent nomen sanctum meum* (*Amos* II). Feminarum res gestæ conscriptæ in sacris codicibus non sunt, exceptis illis, quæ tanta fecerunt ut absque illarum commemoratione non potuerint conscribi memorabilia gesta virorum. Nam idcirco quæ Jezabel et Athalia filia ejus gesserent mala in Israel et in Juda conscripta sunt, quia maxime fuerunt causæ tempestatum feminæ illæ, in quibus viri naufragaverunt. Itaque de eo quod sequitur, *filia consurgit adversus matrem suam, et nurus contra socrum suam,*superfluum est quærere historiam temporum, cum constet omni tempore feminas esse vel fuisse proniores et ardentiores viris ad omne flagitium. Et quis dubitet in illa tempestate filiam adversus matrem, et nurum contra socrum suam consurrexisse, cum et nunc tanta sint exempla vitæ quotidianæ,ut
C magis lugere quod tanta sint quam quærere debeamus. Similiter quod ait : *Inimici hominis domestici ejus,*ita certum est ut et eisdem temporibus nonnulli quoque regum Juda a conjurantibus servis interfecti esse leguntur, et nunc plura sunt exempla quam ut testimoniis indigeamus. Hæc ultima sententia, *inimici hominis domestici ejus,* cæteras omnes affinitates comprehendit quæ longinquiores sunt, et idcirco in inimicitiis minus habent micaculi, licet non minus periculi,ut sunt nepotes vel consobrini. Quare autem generum prætermisit, qui de nuru non tacuit, dicens : *Et nurus contra socrum suam,* cum gener et nurus in eodem affinitatis gradu sint ? Similiter et Dominus noster in Evangelio cum easdem affinitates ita ut hic adversum se dividendas, **226**
D propter Evangelium prædicens,etiam reciprocaverit hoc modo : *Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos et duo in tres dividentur, pater in filium, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem suam, socrus in nurum, et nurus in socrum suam* (*Matth.* XI) ; *Luc.* XII). Notandum quod de genero tacuit. Quod si dixisset, socer in generum, et gener in socerum suum, non jam tres tantum in duos, et duos in tres, sed quatuor in duos, et duos in quatuor separasset, et nihilominus verum dixisset. Nam sæpe quidem factum est ut contra duos, scilicet contra patrem et matrem,tres dividerentur, videlicet filius et filia et nurus. Sæpius au-

tem accidit, et pene in usu est, ut gener contra socerum, et socer contra generum separetur. Cum ergo de genero tacuit, si quia non adeo mirum vel rarum est, idcirco de genero tacuit, cur de nuru non tacuit, cum etiam nurum socri esse invisam fere usitatum sit in tantum, ut dicas Comicus, quid est hoc?

.....*Omnes socrus oderunt nurus*
(Terent. *Hecyr.*, act. II, sc. I, 5.)

Ad hæc sciendum, quia superbia vel controversia generi non tantum facit vel habet inordinationis, quia videlicet nurus, ne contra socrum consurgeret, viri sui, cui secundum legem subjecta est, metu et reverentia debuit coerceri; gener autem, etsi uxori affectum debet, tamen subjectionem non debet (*Ephes.* V); et idcirco, si contra socerum et socrum tuam conjugis parentes sese erigit, non adeo mirum vel turpe est. Apud Matthæum Dominus ipsis prophetæ hujus verbis, sententiam magis edicit: *Nolite* inquiens, *arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam* (*Matth.* X). — *Et inimici hominis domestici ejus.* Quid igitur? Nunquid Salvator hoc in hominibus facere venit, quod ante adventum suum per prophetam in hominibus reprehendit? Absit hoc. Aliud est homines odio peccati, atque aliud odio hominum separari. Illud odium, quo odimus peccata hominum, bonum, imo perfectum est, quod prædicatur in illo psalmi versiculo: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos* (*Psal.* CXXXVIII). Illius odii gladium et seperationem Salvator mittere vel facere venit, ut qui discipulus ejus esse cupit, neminem aspiciat, quamlibet propinquum adversantem sibi in via Dei. Porro illud odium, quo sanguis quæritur hominum, vel bonis invidetur, homicidarum est. Illius odii separationem per hunc prophetam idem Dominus reprehendit, quia videlicet pro eo quod separaverant se a domo David, traditi fuerant spiritui discordiæ et seditionis, sicut et ante illa tempora contigit, quando constituerunt super se ducem Abimelech filium Jerobaal, qui omnes fratres suos septuaginta viros interfecit. Unde scriptum est: *Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari* (*Judic.* IX). Sequitur: *Ego autem ad Dominum aspiciam, et exspectabo Deum Salvatorem meum. Audiet me Deus meus. Ne læteris, inimica mea, super me quia cecidi, consurgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, et faciat judicium. Educet me in lucem, videbo justitias ejus, et aspiciet inimica mea, et operietur confusione quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam, nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.* Manifeste hæc verba sunt confitentis et sperantis, et prolata sunt per prophetam in persona

A tribus Judæ sive Jerusalem, quæ in Babylonem ducenda erat captiva, translatis prius in Assyrios decem tribubus, contra quas præcedens deprompta est sententia. Meminisse namque oportet judicium esse Domini, et Samariam et Jerusalem dijudicari ab eo loco, quo ait: *Audiant montes judicium Domini, et fortia fundamenta terræ; quia judicium Domini cum populo suo et cum Israel dijudicabitur. Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi* (*Mich.* VI), etc. Sub hoc judicio tanquam duos reos adductos esse diximus, Israelem et Judam, sive Samariam impœnitentem et Jerusalem pœnitentiæ voces emittentem, et supra, ubi sic incœpit: *Quid dignum offeram?* (*Ibid.*) Et hic rursus: *Ego autem ad Dominum*, inquit, *aspiciam*, etc. Sic omnino B futurum erat, et sic factum est ut hæc verba prophetica futurum esse prænuntiabant. Datis namque sententiis et decem tribubus in Assyrios, filii autem Juda in Babylonem ductis, illa captivitas ad Dominum per pœnitentiam non aspexit; hæc autem ad Dominum aspexit, et exspectavit Dominum Salvatorem suum, et audivit eam Deus suus, et dicere potuit contra Babylonem, quæ eam captivaverat: *Ne læteris, inimica mea, super me quia cecidi, consurgam.* Et quid verius eo quod ait: *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est?* Ubi namque filii Juda captivitatis et mœroris tenebras subierunt, humiles et contemptibiles facti in conspectu Babyloniorum, ecce Dominus lux eorum fuit, lux illuminans lucernam per gratiam propheticam quam po- C neret super candelabrum ut luceret omnibus, et regis Nabuchodonosor, et omnibus qui in regno ipsius erant, adversariis quidem eorum ad confusionem et opprobium, ipsis autem ad consolationem et gaudium. Danielem loquimur et socios ejus, quorum illuminationis hoc initium fuit, quod somnium regis et interpretationem ejus ipsis orantibus, Danieli revelavit, quæ prima causa illis exstitit consolationis et honoris, intantum ut *rex Nabuchodonosor* caderet *in faciem suam, et Danielem* adoraret, *qui et hostias et incensum præcepit offerri, ut* sacrificaretur *ei. Tunc in sublime illum extulit, et munera magna et multa dedit ei, et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, et præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. Daniel autem postulavit a rege, et constituit super opera pro-* D *vinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, et Abdenago* (*Dan.* II), qui postmodum missi in fornacem ignis ardentis, et illæsi ambulantes in medio ignis, Nabuchodonosor dicente: *Ecce ego video viros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis est, et species quarti similis est Filio Dei* (*Dan.* III). Profecto aliam divinæ claritatis lucem profuderunt ad consolationem sui met, et concaptivorum fratrum suorum Judæorum. Cætera quoque deinde circa illos maxime per Danielem celebrata mirabilia tanta tamque præclara fuerunt, et visiones quas vidit tam magnæ tamque splendidæ exstiterunt ut dubitare non oporteat illuc pertinere quod ait:

Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea. Quod deinde sequitur: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, et faciat judicium,* confessio est, et magna laus justitiæ Dei, quia revera multum ipsa, cujus hæc verba sunt, Jerusalem peccavit et multis peccatis iram Domini meruit, non minus quam Samaria, tamen hoc excepto quod de regibus quoque Jerusalem nonnulli fuere justi, et pœnitentes aliqui. Debuit ergo portare iram Domini, maxime propter peccata Manasse, licet ille tandem pœnitentiam egerit. Nam de peccatis illius, quod maxime propter illum ira venerit, Scriptura dicit: *Factum est autem hoc* **227** *per Verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se propter peccata Manasse universa quæ fecit, et propter innoxium sanguinem quem effudit, et implevit Hierusalem cruore innocentium, et ob hanc rem noluit Dominus propitiari* (*IV Reg.* XXIV). *Portabo* igitur, inquit, *iram Domini,* consentiens justitiæ, *quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, et faciat judicium.* Quomodo? *Educet me,* ait, *in lucem, videbo justitias ejus, et aspiciet inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Deus tuus.* Hoc jam fieri tunc cœptum est, quando et pueri tres educti sunt de camino ignis, et Daniel de lacu leonum, videntibus gloriam eorum imo Dei per eos, Babyloniis et confusione opertis qui illos accusaverunt (*Dan.* VI). Paractum est autem quando Babylon a Persis et Medis subversa vidit per alios solvi captivitatem et reædificari Hierusalem, quam succenderat igni (*II Par.* XXXVI). Nam subversionem inimicæ illius, scilicet Babylonis, prævidens subjungit adhuc in propheta in persona Hierusalem: *Oculi mei videbunt in eam; nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.* Conculcata enim est a Medis et Persis, videntibus oculis Danielis, qui unus erat ex captivis illis qui de Hierusalem adducti, nondum clauserant oculos suos morte præventi. Nam idem Daniel scripturam quoque vidit oculis suis, quam et interpretatus est Balthasar regi, *Mane, Tezel, Phares,* id est *numeravit et complevit et divisit regnum tuum, et dedit illud Medis et Persis, et eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus, et successit in regem Darius Medus* (*Dan.* V). His dictis protinus subjungitur: *Dies ut ædificentur maceriæ tuæ.* Nimirum ea quæ ex persona Hierusalem spem habentis in Domino dixerat prophetæ persona, imo per prophetam Dominus confirmat, dicendo eidem Hierusalem: *Dies ut ædificentur maceriæ tuæ,* subauditur apud Deum præfiniti sunt. Et per alium prophetam, scilicet per Hieremiam, præscribentur hoc modo: *Et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, omnem iniquitatem eorum* (*Jer.* XXV), et cætera. Etenim post finem annorum illorum suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, et transduxit vocem in universo regno suo, etiam per Scripturam dicens: *Quis est in*

A *vobis de universo populo Domini Dei cœli? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Hierusalem, quæ est in Judæa, et ædificet domum Dei Israel. Ipse est Deus, qui est in Hierusalem* (*I Esdr.* I). Tunc post adversitatis noctem dies illuxit, quia videlicet ædificatio maceriarum civitatis vel templi quod destructum fuerat pro die computari potuit; die, inquam, tam diutina, quandiu reparationis illius lux perduravit. At illi qui deinde suborti sunt Judæi, illa die sua male cœperunt uti, derelinquendo legem Domini, donec iterum fieret desolatio irreparabilis. Sequitur ergo: *In die illa longe fiet lex, in die illa usque ad te veniet Assur, et usque ad civitates munitas, et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte. Erit terra in desolationem* B *propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum* (*I Mach.* I). Hoc denique historiæ temporum testantur, et maxime libri Machabæorum, quod longe facta sit lex in die illa, id est in tempore illo, de quo nunc sermo est: *Exierunt enim de Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus et disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt. Et ædificaverunt gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum, et fecerunt sibi præputia, et decesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus* (*I Machab.* I). Hoc denique erat longe fieri legem decertantibus, et eam retentare volentibus Machabæis fratibus, Juda et Jonatha et Simeone Matathiæ filiis, et post eos Joanne filio Simeonis, qui cognominatus est Hircanus. Omnes decesserunt prosperati quidem aliquoties ad retinendam legem, C sed nihilo minus de die in diem longius atque longius fiebat lex, et non erat rex. Jam dicti Joannis posteri de regno et sacerdotio nimis cruente et impie contenderunt, donec se interposuit Romana potestas regemque imposuit, non de gente illa, videlicet Herodem natum patre Idumæo et matre Arabica. Facta sunt igitur et longe lex, et contra legem alienigena rex, et deinde desolatio successit gentis quæ nunc usque permanet, de qua hic subjungit: *In die illa et usque ad te veniet Assur,* videlicet nomine Assur universas consignificans nationes, per quas illa et gentis ejusdem metropolis Hierusalem destructa est. Primus itaque Assur ante Babylonios contra Hierusalem ascendit regnante Ezechia, sub quo iste prophetavit, sed repulsus est, percussis in castris ejus ab D angelo Domini centum octoginta quinque millibus (*IV Reg.* XIX). Recte ergo pro omnibus Assyriis, Babyloniis, Græcis atque Romanis ponitur Assur, quia contra Hierusalem fuit omnium primus. Cum dicitur: *In die illa et usque ad te veniet Assur,* quid autem est, *usque ad te veniet,* nisi ac si dicatur: Nunc quidem repelletur a te Assur sive rex Assyriorum Sennacherib, sed non semper ita repellentur hostes tui. Quod deinde dicit, *et veniet usque ad civitates munitas, et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte,* plenariam atque universalem vehementer exprimit commotionem totius orbis ad destructionem et desolationem

terræ unius, de qua et protinus dicit : *Et erit terra in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum.* Nec mirum in justo propheta tam cito post consolationem, qua dictum erat, *dies ut ædificentur maceriæ tuæ,* tam repente, tam magnam prophetari desolationem ejusdem terræ, cum et apud Danielem similiter cum oraret ille, intelligens in libris numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam prophetam, ut complerentur desolationes Hierusalem septuaginta anni (*Jer.* xxv), taliter ibidem concludatur visio. *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio, et deficiet hostia et sacrificium, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (*Dan.* ix). Quod extunc factum est et fit, iste sequentibus verbis orando prophetat, et prophetando orat : *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solus in saltu. In medio Carmeli pascentur Basan et Galaad, juxta dies antiquos secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti.* Cui enim hoc dicitur, *pasce populum tuum, gregem hæreditatis tuæ,* nisi illi qui hoc ipsum se facere et hujus officii ministerium se esse testatur, dicens : *Ego sum pastor bonus; ego sum ostium ovium; per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* (*Joan* x). *Eratis enim,* inquit Petrus, *aliquando sicut oves errantes* (*I Petr* ii). Nam et quod dicit : *Habitantes solos in saltu,* hoc est errantes et pastorem non habentes, et luporum faucibus expositæ, quia non erat qui requireret, quippe cum et *lex longe facta esset,* ut supra jam dictum est, essentque pravi pastores, pascendo legem non custodientes. Unde et per alium prophetam loquitur contra eos, id ipse cui dicitur in isto, *pasce populum tuum* **228** *in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu : Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor; et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersi sunt, et non erat qui requireret, non erat, inquit, qui requireret* (*Ezech.* xxxiv). Ecce ego ipse requiram oves meas et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum. *Ego pascam oves meas, et ego accubare eas faciam, dicit Dominus* (*ibid.*). Huic ergo, quem tale propositum habere spiritus propheticus non ignorabat, recte et constanter dicitur, ut pascat in virga sua, id est in justitia sua Respondet ille et dicit : *In medio Carmeli pascentur Basan et Galaad, juxta dies antiquos, secundum dies egressionis tuæ de Ægypto. Ostendam ei mirabilia.* Magnum est quod in verbis istis pastor bonus promittit, *in medio Carmeli pascentur Basan et Galaad,* nimirum eodem sensu quo in alio propheta jam prælibato, *et pascam eas,* inquit, *in montibus Israel, in rivis, et in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis erunt pascuæ earum. Ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascen-*

A *tur* (*ibid.*). Carmelum quippe et Basan et Galaad regiones aptas fuisse alendis gregibus Scriptura testatur. De Carmelo unde fuerit Nabal constat illud, quod ibi oves paverit insignis pastor David, typum gerens boni pastoris Christi. Scriptum est enim : *Cum ergo audisset David quod tonderet Nabal gregem suum, ascendite, ait, pueris suis, in Carmelum et venietis ad Nabal* (*I Reg.* xxv). Et post pauca : *Nunquam eis molesti fuimus; nec aliquando defuit eis quidquam de grege omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo* (*ibid.*). Porro Basan et Galaad regiones quam pascuosæ fuerint, illud satis innuit, quod eas petierunt a Mose prece instantissima filii Ruben et Gad, eo quod haberent pecora multa, essetque illis infinita substantia (*Num.* xxxii). Interpretatur autem Carmelus *scientia circumcisionis,*
B Basan *confusio,* Galaad *transmigratio testimonii.* Igitur tam rebus quam vocabulis suis Carmelus et Basan et Galaad, illas significavit pascuas ovium Christi uberrimas, ubi pascuntur et impinguantur, in sacris nunc epulando Scripturis, et postmodum paradisi deliciis, habentes primum scientiam veræ et spiritualis circumcisionis, et deinde salubrem facientes confessionem de peccatis pristinis, et deinde consequens perfectionem fidei taliter, ut eamdem fidem confirmare et defendere valeant legis et prophetarum testimoniis. Quod deinde subjungitur, *juxta dies antiquos, secundum dies egressionis tuæ de Ægypto, ostendam ei mirabilia,* tunc demum recte intelligimus, sed non obliviscimur quod Apostolus respiciens et commemorans illos dies antiquos, il-
C los dies egressionis tuæ, o antiqua Ecclesia de Ægypto, et mirabilia quæ in illis diebus ostendit Dominus. Hæc autem, inquit, omnia in figura facta sunt nostri. Nonne omnis ecclesiasticus ordo legendo et scribendo prædicat atque concinit quod nos populus Domini et oves pascuæ sive grex hæreditatis ejus, secundum illorum similitudinem dierum a spirituali Pharaone, id est a diabolo liberati, et a peccatis in quibus servivimus ei, de Ægypto hujus sæculi, id est de ignorantiæ tenebris exivimus, signatis frontibus nostris signo passionis Christi, qui et agnus verus et pastor bonus est, et transivimus mare baptismi, et ecce spiritualem escam manducavimus, et spiritualem potum bibimus, scilicet corpus et sanguinem ejusdem pastoris et agni ? (*I Cor.* x.)
D Hæc et cætera *mirabilia ostendam ei,* inquit, subauditur omni credenti, sive populo meo gregi hæreditatis meæ, quem pascere proposui in virga mea, id est in justitia mea vel potestate mea quam tunc significabat illa virga Mosi in qua signa fecit. Sequitur : *Videbunt gentes et confundentur super omni fortitudine sua. Ponent manus super os, aures eorum surdæ erunt, lingent pulverem sicut serpens. Velut reptilia terræ perturbabuntur de ædibus suis, Dominum Deum nostrum formidabunt, et timebunt te.* Et hoc *juxta dies antiquos, secundum dies egressionis de Ægypto* futurum erat et factum est. Sicut enim illis diebus viderunt gentes, vel confusæ vel conturbatæ

sunt, *ascenderuntque populi et irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim, et nunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan* (*Exod.* xv); ita pastore isto pascente populum suum, gregem hæreditatis suæ, pro quo mori dignatus est et quem acquisivit sanguine suo, dum ostenderet mirabilia quæ per apostolos et martyres ejus facta sunt innumerabilia, *viderunt gentes* et gentium imperatores, viderunt Judæi atque gentiles, et confusi sunt super omni fortitudine sua, quia videlicet fortitudo illorum quæ putabatur magna legibus et armis suffulta, non poterat evincere virtutes quas faciebat in populo vel grege suo pastor bonus in virga sua, in potentia sua, per infirmos et contemptibiles homines, non solum per grandævas personas, sed sæpe per pueros atque puellas. Confundebatur ergo *super omni fortitudine sua*, quæ solummodo poterat tangere vasa fictilia, thesaurum non valens tollere qui in illis erat. Quid autem dicam de gentium earumdem sapientia? Nihilominus et super ea confusæ sunt. Hoc est quod protinus ait: *Ponent manus super os.* Nam in comparatione cœlestis sapientiæ, quæ per illos locuta est, et linguas eorum fecit disertas, muta fuit et est omnis sæcularis eloquentia, ponitque manum super os suum convictam et confusam se esse suomet testans silentio. Et hoc nimirum factum est *secundum illos dies antiquos, dies egressionis de Ægypto.* Tunc enim dicente Mose: *Obsecro, Domine, non sum eloquens, ab heri et nudiustertius impeditioris et tardioris linguæ sum. Quis, inquit Dominus, fecit os hominis aut quis fabricatus est os surdum et mutum, nonne ego?* (*Exod.* iv.) Et rursum cum diceret ille: *En incircumcisus labiis ego sum, quomodo audiet me Pharao* (*Exod.* vi)? *Ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus* (*Exod.* vii). Quod deinde sequitur, *aures eorum surdæ erunt*, tam de Judæis intelligitur quam de gentibus incredulis, maxime autem de Judæis quorum aures detestabilius surdæ dicuntur et sunt, quia prius illis est annuntiatum, et legem et prophetas acceperunt. Spoliaverunt enim aures suas auditu bono, et hoc *secundum eosdem dies antiquos, dies egressionis de Ægypto*, quando *tulerunt inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum suarum auribus, et attulerunt eas ad Aaron, feceruntque ex eis vitulum conflatilem et adoraverunt* (*Exod.* xxxii). Nam et propter cætera peccata, et maxime propter illud, nunc aures eorum surdæ sunt, dicente Domino: *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*ibid.*). Tunc aures suas spoliaverunt auro ad injuriam Dei, nunc aures eorum spoliatæ sunt obedientia Filii Dei. Deinde *lingent*, ait, *pulverem sicut serpens*, id est terrena tantum cupient, secundum illam similitudinem serpentis, qua dictum est illi: Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ (*Gen.* iii). Per verbum, quod est *lingent*, nimiam nimisque pronam pulchre exprimit **229** terrenarum cupiditatem, juxta Psalmi-

A stam quoque dicentem: *Et inimici ejus terram lingent* (*Psal.* lxxi). Verum nec saltem illud, secure facere potuerunt. Sequitur enim: *Velut reptilia terræ perturbabuntur de ædibus suis*, subauditur tam gentiles quam Judæi. Nam et Judæi de civitate et templo perturbati, quod erat in Hierosolymis, per omnes terras sunt dispersi, et gentiles de fanis suis ac delubris, in quibus sacrificabant dæmoniis. Nimirum et hoc *juxta illos dies antiquos* factum est, quando ad ingressum filiorum Israel gentes Chananæorum, gentes immundæ velut reptilia, de terra illa perturbatæ sunt. Novissimum quod dictum est, *Dominum Deum nostrum formidabunt et timebunt te*, subauditur, o Christe. Repente namque ad illam conversionem fecit cum gratiarum actione tam de B incredulis quam de credentibus Judæis atque gentibus, recte potest intelligi, videlicet secundum magnam distantiam formidinis sive timoris. Nam et increduli accusante conscientia formidant, quidem, sed inutiliter, quemadmodum dæmones, sicut scriptum est: *Et dæmones credunt et contremiscunt* (*Jac.* ii), creduli autem et pii timent utili timore, qui est initium sapientiæ. Sequitur: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ?* Hoc in laudem et admirationem dicitur et dicendum est, inexhaustæ gratiæ quæ nunquam fatigatur, suscipiendo ad se conversos quamlibet multum peccaverint, quamlibet in peccatis diu perseveraverintr. Futurum enim est ut omnis Israel, in quo nunc cæcitas contigit, salvus sit, cum plenitudo gentium introierit (*Rom.* xi). De hoc gratula- C bundus: *Quis*, inquit, *Deus similis tui?* Non enim subjunxit, *qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt* (*Psal.* cxlv), vel *qui eduxisti filios Israel de terra Ægypti* (*Exod.* xii), quod jam factum est, sed *qui aufers*, inquit, *iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ*, quod futurum est. Nec hoc taliter dixisse contentus, quasi quæreres, ad quid dixerit. Sequitur adhuc et dicit: *Non mittet ultra furorem suum quoniam volens misericordiam est. Revertetur et miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Hæc quoque ut superiora dicuntur, et fiunt *juxta dies antiquos secundum dies egressionis de Ægypto.* Nam in illis diebus antiquis, in illa egressione de Ægypto, *videbo sangui-* D *nem, et transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti* (*ibid.*) Secundum illam similitudinem judicaturus Dominus hunc mundum præmittit signa sua, ut reliquiæ Israel salvæ fiant; et transibit peccatum eorum, ne simul cum mundo damnentur. *Volens* enim *est misericordiam*, et idcirco prædicare non desinit pœnitentiam. Quam cum susceperint, *non immittet*, ait, *ultra furorem suum*, subauditur ut hactenus fecit, *excæcando cor populi hujus, et aggravando aures ejus, et claudendo oculos ejus ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat et convertatur* (*Isa.* vi). Item in illis diebus egressionis de Ægypto

percussit omne primogenitum in terra Ægypti (*Exod.* XII), et omnem exercitum Pharaonis cum curribus et equitibus ejus in mari Rubro demersit (*Exod.* XV). Secundum illam similitudinem *deponet*, inquit, *iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris*, id est delebit in baptismo Christi *omnia peccata nostra*. Jam finem loquendi faciens, rursus ad ipsum familiariter convertitur et dicit: *Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis*. Istæ sunt *universæ viæ Domini, misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV), in quibus iste venerabiliter sermonem suum consummavit, loquens ad ipsum, in quo *misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Justitia ipsa est veritas, quam *dabis*, inquit, *Jacob*, videlicet reddendo *unicuique secundum opera sua* (*Psal.* LXI); pax ipsa est misericordia, quam *dabis*, ait, *Abraham*, benedicendo videlicet in semine ejus omnes gentes (*Gen.* XXII), ut accipiant remissionem peccatorum per te eumdem Christum Dei Filium, qui es ipsa veritas, cujus domum misericordia est, *quæ jurasti*, ait, *patribus nostris a diebus antiquis*, ut videlicet quemquam dubitare de adimplendis misericordia et veritate nefarium sit. Porro illud animadvertere pulchrum est, quod in plures misericordia, in pauciores autem danda pronuntiatur veritas, dum non dicit, dabis misericordiam Jacob, veritatem Abraham, sed *veritatem Jacob, misericordiam Abraham*; Jacob quippe unius tantum, id est Israeliticæ gentis, Abraham autem pater multarum gentium prædicatur, dicente Deo: *Ego sum et pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia, patrem multarum gentium posui te* (*Gen.* XVII). Sed et illud non omittendum, qui prius complacuit Deo quam esset cicumcisus. Unde Apostolus: *Quomodo*, inquit, *reputata est Abrahæ fides ad justitiam? In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, et sit pater circumcisionis* (*Rom.* IV). Itaque dum dicitur, *dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham*, in multos quidem veritas, sed in multo plures misericordia redundat, quod nimirum nobis expedire spiritus propheticus bene perpenderat. Nam ut salvemur, non tam veritatem judicis quam misericordiam quærimus Creatoris. Denique et si fuerint ex circumcisione sancti perfecti, quibus ad coronam veritatis Dei abundavit, nobis tamen gentibus misericordiæ est, quod idem Deus impendit. Unde idem

A Apostolus: *Dico enim*, ait, *Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV). Quibus autem patribus juraverit hæc Dominus, ut iste meminit dicens, *quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis*, scire debemus, quia isti sunt præcipue pater Abraham et patriarcha David. *Juravit* enim *Dominus David veritatem, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI), juravit misericordiam Abraham super miseris gentibus, ita ut diceret: *Per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito; benedicam tibi, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (*Gen.* XXII). Et hæc quidem, scilicet veritatem et misericordiam B jam dedit, sed datum hoc in judicio futuro palam cunctis apparebit. Debemus enim hunc sermonem propheticum ita terminare ut memores simus initii quo ita cœpit: *Audiant montes judicium Domini et fortia fundamenta terræ, quia judicium Domini cum populo suo et cum Israel dijudicabitur* (*Mich.* VI). Plane quod de una gente Israelitica diximus, quæ tunc divisa erat in duas partes, id est in Samariam et Hierusalem, idem de universo genere humano sentimus et dicimus. Sicut enim tunc Dominus judicium proponens, sese inter utramque partem exhibuit, Samariam tanquam reum impœnitentem perpetuæ captivitati adjudicans. Hierusalem vero tanquam reum pœnitentem de Babylonica captivitate solvendam esse decernens, sic ab initio sæculi fecit, et facit, et facturus est in fine sæculi. Nam ut de C **230** judicio breviter dicam, inter Cain et Abel, qui ambo, sicut et nos omnes, in Adam peccaverant, taliter se exhibuit ut impœnitentem Cain omnino abjiceret, pœnitentem vero et dignos pœnitentiæ fructus efferentem Abel susciperet (*Gen.* IV). Porro de fine sæculi Evangelium non tacuit, quia gentes omnes in duas divisiones, tanquam in duos reos dividens, alteram partem positam a sinistris veluti reum impœnitentem perpetuo tradet igni, pronuntians quod pœnitentiæ fructum non fecerit, alteram vero partem constitutam a dextris, veluti reum qui dignos pœnitentiæ fructus fecit, ad regnum vocabit (*Matth.* XXV). Et ut sciamus quam constans in tali discretione judex iste sit, in ipso suæ mortis articulo, dum inter duos latrones penderet, alterum impœnitentem D et blasphemantem reliquit, alteri pœnitenti et confitenti paradisi januam aperuit, et continuo Judaicum populum impœnitentem derelinquens, gentium pœnitentiam suscepit (*Luc.* XXIII).

321 PROLOGUS RUPERTI IN SEX POSTERIORES PROPHETAS

Refriguerat in me fervor studii laudabilis, quod est vacare in prophetis, quemadmodum Jesus filius Sirach dicit: « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit (Eccli. XXXIX). » Hoc ferventi studio facere incæperam, et ante hoc biennium duodecim prophetarum volumen ingressus, et ex ipsis sex anteriores, sicut in ordine sunt, quantum potui perscrutatus, quantum se exquirentem admisit sapientia ipsorum, quæ Christus est, quia revera sapientia Dei Christus, sapientia ipsorum est, et in ipsum tendit omnis eorum prophetia, et omnis scriptura divinitus inspirata. Cum ad Naum pervenissem, qui in ordine septimus est, substiti, et velut offensus toto refrigescente studio non ulterius procedere cupivi. Quæ causa properantem animum offenderit, jam nunc dicam tibi, o Ekkenberte, abba venerabilis, qui cœnobio Corbiensi præsi-

dens, eamdem quam prædixi sapientiam antiquorum studiose legendo exquiris. Tu quippe mihi scribere dignatus es et scripto tuo commonere me, ut eodem studio quo, ut tibi visum est, tractaveram sex prophetas anteriores, tractarem et posteriores, utique per hoc significans simplicem te habere oculum, et partem nullam habentem tenebrarum, quales patiantur nonnuli, qui nullam lucernam quamvis clare lucentem videre possint, invidendo aliis quod ipsi assecuti non sunt.

Causa hæc, est cur opus illud intermisi, quia videlicet difficultas quasi de præsumptione redarguens, animum defessum reddidit, et interim Cuno reverendus pater cœnobii Sygebergensis, putans me opus illud usque ad finem perduxisse, idcirco otiari, occasione de mutua accepta: « Scribe, ait, mihi librum de victoria verbi Dei. » Hæc dicens et sæpius repetens non destitit, donec animum quo volebat intendi, et ecce tredecim libellos, Deo adjuvante, consummavi, illud opusculum de victoria verbi Dei vix evaginaveram, vix ad portum consummationis perveneram, et ecce admonitionis tuæ memor diligens animus jam dictus sex posteriores prophetas quos omiseram respexit, et amore illorum incaluit, et sciens vel sperans quod meditatio sapientiæ illorum mercede non carebit. Ipsi namque fundamentum posuerunt, et quicunque « super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos superædificaverit, mercedem propriam accipiet, Apostolus ait (I Cor. III). » Dicet aliquis : Ergone sensus tui aurei sunt, et sermones tui, tua æstimatione, argenti sunt ? Non ego dico, sed tuum facit judicium et multorum, qui, ut tu, benevoli sunt, quibus etiam vix credo quod sensus nostri, sermones nostri, sensibus atque sermonibus illorum similes sint, quibus in psalmo Spiritus sanctus dicit : « Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (Psal. LXVII). » Et est sensus : Si fueritis studentes in libris Veteris ac Novi Testamenti, qui medii sunt, qui communiter de utroque Testamento a fidelibus eliguntur et in auctoritate habentur, et si, inquam, fueritis studentes in illis, si perseveraveritis in illis usque ad dormitionem mortis, tunc apparebit vobis, et per vos innotescet aliis, quod « pennæ columbæ deargentatæ » sint, « et posteriora dorsi ejus in pallore auri, » id est quod sanctæ Scripturæ sermo exterior, qui nescientibus videtur vilis, ipse super omnem eloquentiam sæcularem præclarus sit, « velut argentum igne examinatum (Psal. XI), » et mysticus qui sub verbis latet sensus, sicut sub pennis dorsum ipse præclarior sit velut aurum. Igitur quoniam et tu commones, et spes mercedis in Deo est, iste quoque unus de filiis captivitatis super fundamentum hoc, ut cœpit, superædificet quod potest. Olim sic fuit dictum, subsannando filiis transmigrationis ædificantibus muros Hierusalem : « Ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum (II Esdr. IV) » et illi econtra : « Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui. Converte opprobrium super caput eorum (ibid). » Nunquid juxta opprobrium illorum ascendit vulpes, et transilivit murum, et quod sperantes in Domino ædificaverunt ? Imo conversum est opprobrium in caput eorum « et magna erit gloria civitatis vel domus istius novissimæ, plusquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum (Agg. I). » Unde nobis suo loco plenius erit dicendum : Fere similia contingerunt eis, quicunque fideli studio superædificaverunt quod potuerunt, super fundamentum apostolorum et prophetarum, quia dum viverent, dum ædificarent, opprobria de nullis sustinuerunt, sed de his qui exprobrabant decedentibus, ipsorum permanet ædificium. Quæ hactenus dicta sunt, jam calamus scriptoris usque ad ultimam fere dictiunculam perscripserat, et cum ecce duo fratres Helmuvardes, Busensis cœnobii supervenientes, brevem porrexerunt epistolam quæ vel sola mihi suffragari possit, ne quis scripta mea legens, magis in me accuset præsumptionem nimis ultroneam, quam circa verbum Dei, per quod facti et refecti sumus, studiosam consideret benevolentiam. Ait enim inter cætera scriptor epistolæ, prior ipsorum scriba doctus, et sacrarum Scripturarum fidelis alumnus, nomine Reginhardus, de quo non dubito quod priorum sex prophetarum exemplar a te, cui transmiseram, fuerit consecutus. Sed debes, inquit, adhuc amori, debes honori et obsequio dilecti, per ipsum autem et propter ipsum nostro desiderio, ut verba oris ejus sicut cœpisti usque ad finem aperias, ne si propter difficultatem eorum tepidius forte secuti non fortiter « cucurrerimus in odorem unguentorum ejus (Cant. I), » tibi imputetur, qui introductus in cellaria regis, occultasti divitias sponsi, quas ibi conspexisti. Explanationem dico duodecim prophetarum, cujus partem jandudum tanta perscripsi aviditate, ut viderer nunc primum tali me studio mancipasse. Quanto magis autem in parte delector, tanto vehementius in exspectationem totius exæstuo. Hæc ille quem prædixi. Taceo de illo monitore, et pene præceptore meo Sigebergensi, qui me cunctantem, de solita admonitione parum proficit, gravius quasi ludibundus impulit. Imperio, ait, Spiritus sancti præcipio tibi. Itaque quoniam et ipse dilectus dicit : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam (Cant. VIII) », tibi et cæteris monitoribus tanquam amicis dilecti auscultantibus obtemperans ingrediar, et hanc partem profundi totius navigationis cursum sancto committens Spiritui.

---

232 IN NAUM PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

CAP. I. — *Onus Ninive: liber visionis Naum Helchseæi.* Iram et indignationem, tribulationem et angustiam, quam et apostolus declamat in omnem animam hominis operantis malum (*Rom.* II), denuntiat onus a superna majestate superpositum Ninive. Quam ob A causam ? quibus culpis præcedentibus commeruit Ninive ut iram declamaret super illam spiritus propheticus absque ulla commiseratione ? Nam, si totum onus rite perpendas, si totum textum prophetiæ diligenter consideres, non commiserescens

aut de pœnitentia consulens, imo consultabundus et quasi de certissima vindicta plaudens fere cuncta loquitur, exceptis paucis, quæ interserit in consolationem populi Dei, secundum nomen suum, quod est Naum. Interpretatur enim *consolator*. Exempli gratia : *Vox flagelli et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis et equitis ascendentis, et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ, et finis non est cadaverum* (*Nahum.* III). Item ; *Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ confidunt in sepibus in die frigoris. Sol ortus est, et avolaverunt, et non cognitus locus earum ubi fuerint* (*ibid.*). Pauca hæc pro exemplo posita sunt, quia talis est totus fere prophetiæ textus, ut misericors irridere videtur ipse qui natura misericors est, lo B quens in prophetis Spiritus sanctus. Quam ergo ob causam, vel pro quibus eorum meritis sic in eos invehitur. Agnoscenda est causa ut agnoscatur et Dei justitia, ac proinde magis ipsa pulchritudo prophetiæ præsentis illucescat ? Quod enim obscura videtur et clausa, hoc maxime facit causa nondum intellecta. Dicamus ergo : Ninive civitas magna, metropolis erat Assyriorum. Porro Assyrii tunc præ cæteris gentibus regnabant, easque dominatione premebant, quod primus facere cœpit Ninus rex Assyriorum, a quo et civitas Ninive condita vel denominata est. Propterea per Isaiam sic loquitur Dominus : *Væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse in manu ejus indignatio mea* (*Isa.* X). Nam sicut virga furoris, velut baculus indignationis Domini C gentes cecidit et regna confregit, et jugo suo pressit annis ferme mille trecentis. Super cætera mala illud summum fuit sacrilegium superbiæ et cordis ejus magnifici, quod captivatis decem tribubus, super Judam quoque et Hierusalem inundavit (*IV Reg.* XVII), ubi erat verbum promissionis, unde oportebat salutem venire, id est Christum nasci juxta veritatem Dei, de semine David : inde est ille prophetæ dolor, illa dolentis exclamatio : *Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emanuel* (*Isai.* VIII). Et est sensus : Ad hoc tendet superbia ejus, et ista erit intentio diaboli, cui militat superbia ejus, ut non fiat quod juravit Deus, tuum nobis adventum promittens, *audite*, inquiens *domus David* : *Ecce virgo concipiet, et vocabitur nomen ejus Emanuel* (*Isa.* VII). Num parva ista causa est ? Re- D vocetur ad memoriam signum illud magnum et memorabile de Apocalipsi quod apparuit in cœlo : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero*, inquiens, *habens, et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat*, *et draco magnus rufus habens capita septem, et cornua decem, stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret* (*Apoc.* XII). Mysterium hoc recte perspectum palam facit, quod revera grande onus super se levaverit, magnum super se judicium sumpserit Ninive, id est regnum Assyriorum, etc. regna singula suis temporibus locum et gentem impugnantia, quæ videlicet gens per illam mulierem in utero habentem fi-

A guratur, quia de ipsa Christus erat nasciturus, sicut econtra regna ipsa per septem draconis capita recte intelliguntur. Nam ex quo mulier in utero habere cœpit, id est ex quo ad Abraham factum est verbum promissionis de semine ejus quod est Christus, ut in ipso omnes gentes benedicerentur, extunc septem regna numerantur, per quæ instanter agere conatus est diabolus, ut eadem promissio non impleretur, ut salus non veniret, ut Christus non nasceretur : scilicet regnum Ægyptiorum, quod pueros Hebræorum masculos necari jussit (*Gen.* XXXIV ; *Exod.* I) ; et regnum decem tribuum carnaliumque Judæorum, quod Achab et Jezabel incipientibus prophetas Domini occidit (*III Reg.* XX) ; regnum Assyriorum atque Babyloniorum, qui pro uno capite computantur, quia venientes ab eodem climate, isti decem tribus, isti Judam captivaverunt (*IV Reg.* XVII) ; **233** et deinde regnum Persarum et Medorum, sub quo voluit Aman delere universum genus Judæorum (*Esth.* III) ; deinde regnum Macedonum sive Græcorum, sub quo Machabæi laboraverunt ; deinde regnum Romanorum, sub quo ipse Christus et martyres ejus passi sunt. Caput septimum erit Antichristi regnum. Quomodo iniqui omnes membra diaboli dicuntur et sunt, sic eadem regna draconis jam dicti capita fuerunt, quorum singula suis temporibus contra mulierem in utero habentem, id est contra Ecclesiam in verbo promissionis sperantem, diabolico spiritu exagitata steterunt, plurimumque sanguinem fuderunt. Hinc illud nostrum opusculum est, cujus supra in prologo mentionem feci, quod intitulatur *De victoria Verbi Dei.* Nunc igitur velut ostio sermonis aperto in altissimam prophetiæ hujus seriem ingrediendum est. *Onus Ninive, liber visionis Naum Helchesæi.* Naum, sicut jam dictum est, *consolator* interpretatur. Porro Ninive hoc loco totus mundus est, mundus damnatus, id est reproborum omnium totum corpus, et mundus qui electos Dei persequitur, non solum propter interpretationem nominis, quia Ninive *speciosa* interpretatur, et mundus Græce κόσμος, id est *speciosus* sive *ornatus* dicitur, verum et quia tunc Ninive mundi erat caput, et regnum Assyriorum super cætera regna principatum obtinens, contra Dominum, sicut apud Isaiam legimus gloriabatur (*Isa.* X). Nonne iste igitur cujus nomen, quod est Naum, ita de Hebraico, sicut Paracletus de Græco, vertitur in consolatorem, et nunc, inquam, iste consolator sub nomine Ninive argueus mundum, illius et nomen gerit, et officium agit, de quo Salvator in Evangelio : *Cum* inquit, *venerit Paracletus, ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio* ? (*Joan.* X) et quo *de peccato* jam tunc arguebat mundum nisi de eo quod non solum non speraverunt in te Assyrii quorum, ut jam dictum est, metropolis erat Ninive, verum etiam impugnaverunt te, fuitque *extensio alarum eorum implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel* ? (*Isa.* VIII.) Cujus *de justitia* mundum arguebat, nisi de illa qua exoptabat David justitiam Dei, dicens : *Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis* ? (*Psal.* LVI.) De illa nimirum justitia

jam tunc arguebat Spiritus sanctus, tam in isto quam in cæteris prophetis singula capita draconis hiantia crudeliter, ad perniciem supradictæ mulieris in utero habentis, ne illi nasceretur filius masculus, qui perveniret ad Deum et ad thronum ejus, quemadmodum dicit ipse. *Quia ad patrem vado, et jam non videbitis me* (*Joan.* XVI). In hoc denique est justitia Dei, in hoc justificatus est Deus in sermonibus suis, quia sicut promissit, sic juravit David, ita *de fructu ventris ejus super sedem suam* posuit (*Psal.* CXXXI), et de hac justitia redarguebatur in prophetis, redarguit in Evangelio mundum, quia laborabat ne ita Deus in sermonibus suis justificaretur, quia laboravit amplius coruscante Evangelio, ne ita Deus in sermonibus suis esse justificatus prædicaretur. Porro, *de judicio* quomodo jam tunc mundus arguebatur ? Nondum enim princeps hujus mundi erat judicatus, nondum erat illud judicium mundi, de quo Salvator dicebat : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Quomodo ergo *de judicio* mundum arguebat, nisi quia mundo vidente et admirante singula draconis capita, ita condemnabat ut in quamdam similitudinem judicandi principis mundi Pharaonem obrueret mare, canes comederent Jezabel, Nabuchodonosor quasi bos fieret, Aman in patibulo quod alteri paraverat ipse penderet, Antiochus Epiphanes sine manu intritus interiret. Ita nimirum *de judicio* mundus jam tunc arguebatur, quia videns prodigiosas impiorum vindictas, tamen ab impietate non recedens, secundum exemplum eorum, locum et gentem infestare non desinebat, unde salus ventura erat. Tandem et illud non prætereundum, quia sicut alii sunt, in quibus Spiritus veritatis arguit mundum, et alii quibus ipse est Paracletus, ita titulus iste in aliud atque aliud dividitur *onus Ninive, liber visionis Naum*, quia profecto alii sunt quibus prophetia hæc onus est damnationis, et alii quibus liber est consolatoriæ visionis, non abs re quod in negotio vel officio tam grandi Helchesæum se dicit a viculo Helchelæ admodum parvo, suam nimirum parvitatem humiliter agnoscens, ut in magna gratia perseveraret mentis humilitas, quia *Dominus Deus noster, qui in altis habitat, ipse humilia respicit in cœlo et in terra* (*Psal.* CXII). Oneris pondus sive pressura jam ex initio libri sentiri potest cum dicit: *Deus æmulator, et ulciscens Dominus, et habens furorem. Ulciscens Dominus in adversarios suos, et irascens ipse inimicis suis.* Quod Deus æmulator sit, quodque ejus æmulatio sanctis imitanda sit, noverat ille qui dicit : *Æmulor enim vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro virginem castam exibere Christo* (*II Cor.* XI). Cum multa sint in Scripturis exempla sive documenta æmulationis Dei, magis hoc testimonio libuit uti, quia magis ad nostram intentionem accedit, dum intendimus quoad possibile est demonstrare in quo vel circa quid et contra quem æmulatio Dei sit vel fuerit. Intelligimus quippe circa Ecclesiam æmulationem Dei semper fuisse vel esse, et maxime ex quo Ecclesia verbo promis-

A sionis ex ipso impregnata est, credente Abraham sibi promittenti et hanc fidem genti suæ relinquente, quod in semine ejus, quod est Christus, universæ gentes benedicerentur. In quo circa dilectam ejusmodi extunc fuit æmulatio Dei ? In eo videlicet ut eam virginem castam exhiberet sibi, ut non fornicaretur cum diis alienis, paritura filium sibi, paritura mundo auctorem salutis, contra quem erat hæc talis æmulatio Dei. Nimirum contra hunc supradictum draconem, qui habens capita septem, stetit ante illam mulierem, Verbum promissionis in utero habentem, ut eam aut corrumperet aut interficeret ; id est habens regna septem, quæ supra jam memorata sunt, stetit et egit contra Judaicam gentem, adversus Davidicam stirpem, ut eam aut in anima

B per cultum idololatriæ adulteraret, aut in corpore funditus occideret atque deleret. Igitur *æmulator*, id est vehemens amator Deus, et *ulciscens Dominus*, quia videlicet in ipsa æmulatione peccata gentis ipsius sæpius est ultus. Exempli gratia : Quando gentem illam æmulatus est, in Ægyptiaca servitute diis alienis servientem, et descendit liberare eam in manu potenti et brachio excelso, protinus eorum murmurationem sic ultus est ut omnes qui numerati fuerant a viginti annis et supra, prosternaret in deserto (*Num.* XIV). Deinceps ergo, per succedentia tempora quoties peccaverunt, *tradidit eos in manus gentium, et dominati eorum qui oderunt eos* (*Psal.* CV). Sed et in quibusdam eorum corporali vel temporali ultione non contentus, in anima quoque est ultus. Unde et repetit *ulciscens Dominus*, additque

C *et habens furorem.* De talibus alius propheta divinæ concedens justitiæ dicit : *Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus meus* (*Jer.* XVII). Et in Deuteronomio Dominus dicit : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII). Quæ hactenus dicta fuit, de illo populo constat qui se amicum Dei et populum confitebatur. Sequitur de illis, qui manifeste inimici sunt vel hostes ejus, quos ipse non æmulatur, **234** sciens quod contra ipsum sint, ita ut ne ore quidem ipsum confiteantur, imo et nomen ipsius in confessoribus ejus persequantur. Ulciscens Dominus in hostes suos et irascens ipse inimicis suis. Hoc nempe iste versiculus a præcedente differt, quod in illo et *æmulator et ulciscens*

D *Dominus* dicitur, et in eos qui ex illo populo ejus reprobi fuerunt vel sunt, et ulciscens esse, et furorem habere asseritur, quem Psalmista pavescens : *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me* (*Psal.* VI) ; in isto autem de æmulatione sive æmulatoris nomine omnino tacetur, tantumque *ulciscens, et irascens* dicitur *Dominus*, et in quos ulciscitur quibus irascitur, hostes et inimici manifeste pronuntiantur, qualis erat Pharao, qualis fuit Jezabel, qualis exstitit Nabuchodonosor, quando dixit : *Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea* (*Dan.* III), quales sunt vel fuerunt omnes qui tetenderunt adversus Deum manum suam, et contra omnipotentiam roborati sunt, qui cucurrerunt adversus eum erecto collo

et pingui cervice armati sunt. Non eos æmulatus, imo contra eos æmulatus est *æmulator Deus* semen Abrahæ, quod erat apprehensurus, æmulatus inquam et ultus est *ulciscens Dominus.* Æmulatus defendendo et liberando, ultus virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum visitando. Nec ante desiit pro gente illa æmulari et peccata misericorditer ulcisci, donec ex ipsa carnem assumpsit. Quo facto desiit æmulari, quia gens eadem in contrarium surrexit, futurum hic quasi præteritum in Ezechiele edixit : *Zelus meus recessit a te, et ultra non irascar tibi* (*Ezech.* XVI). Verumtamen in Deum nulla passio cadit, nec more hominis irascitur aut furorem habet, nec ullo modo passibilis est, sed quidquid his vocibus significatur, agit in passibiliter. Unde cum dixisset : *Dominus habens furorem, et irascens ipse inimicis suis*, statim subjunxit*: Dominus patiens et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem.* Cum dicit *Dominus patiens*, talem asserit Dominum qui furoris vel iræ suæ impatientiæ nullam unquam habet passionem. Similiter cum dicit, *magnus fortitudine,* talem illum prædicat qui nulla frangatur doloris infirmitate. Sed dicet aliquis: Quomodo ergo misericors est, aut quomodo qui in ipso vel ex ipso est spiritus pietatis, secundus in ordine septem spirituum, a spiritu timoris Domini? Ad hæc inquam. Nos illam pietatem non dicimus esse passionem, imo virtutem, ut veram charitatem. Passim legimus quatuor passiones animi humani, gaudium et dolorem, timorem et spem. Sed profecto quatuor sunt eorumdem nominum non passiones, sed magnæ virtutes in divinis Scripturis, quas brevibus discernimus vel determinamus differentiis. Etenim gaudium sæculi passio est. Gaudium in Spiritu sancto, vel gaudere in Domino virtus est. Dolor vel tristitia sæculi passio est. Quæ secundum Deum tristitia est et salutem operatur, virtus est. Timor sæculi, timor qui pœnam habet, juxta quem timidus quis dicitur, passio est. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII), juxta quem timoratus, reverens aut religiosus quis dicitur, virtus est. Similiter spes sæculi, dum sperat quis in sæculo sive in principibus sæculi, passio est. Spes quæ in Deo est, æque ut fides et charitas, virtus est. Hæc idcirco dicta sunt, ut dum in Deo negamus quatuor passiones, non negemus in eo quatuor eorumdem nominum virtutes, quas nisi ex Deo, nisi ex spiritu Dei nullus habere potest. Igitur *Dominus patiens*, inquit, id est cum tranquillitate judicans *et magnus fortitudine et mundans non faciet innocentem, et magnus fortitudine et patiens*, idem est ordo sensuum qui et in illo psalmi versiculo : *Deus judex justus, fortis et patiens* (*Psal.* VII). Nam mundando non facere innocentem, hoc est justum esse judicem, *et magnus fortitudine et patiens*, idem est quod fortis et patiens. Hæc tria illi conveniunt sedenti super thronum qui judicat æquitatem, ut sit justus et fortis et patiens. Justus in eo ut *mundans non faciat innocentem*, id est ut quæcunque mala vel nociva sunt auferens nullam accipiat personam, sed solam respiciat causam, et eum quem culpa facit nocentem, et si ille sit, *qui simul secum dulces capiebat cibos, homo unanimis, dux* suus, *et notus* suus (*Psal.* LIV), non per proprium favorem dimittat impunitum velut innocentem. Hæc consideratio velut in multis ejusmodi, quale illud fuit, quod *Dominus videns civitatem* Hierusalem, *flevit super illam* (*Luc.* XIX), et tamen non liberavit eam, ut non circumdarent eam inimici ejus vallo, ut non coangustarent eam undique et filios ejus, qui in ipsa erant, et ad terram prosternerent, ita ut non relinquerent lapidem super lapidem (*ibid.*). Impossibile namque est eum injuste quid agere, injuste misereri vel parcere, nisi præeunte pœnitentiæ humilitate. *Non*, inquit, *possum ego a me ipso facere quidquam* (*Joan.* V), videlicet ut faciunt injusti judices, qui dicunt bonum malum et malum bonum, propriam voluntatem sequentes, non merita rerum, sed sicut audio, judico, et proinde judicium meum verum est. Porro, in eo fortis est quod nocens quis est, ut causa ejus se habet, pœnæ adjudicatus, effugere, vel manui ejus resistere non potest, sicut postmodum hic idem propheta dicit : *Ante faciem indignationis ejus quis stabit, et quis resistet in ira furoris ejus ?* subauditur nullus, neque homo, neque angelus, neque diabolus, neque Antichristus, *quem Dominus Jesus Christus*, ait Apostolus, *interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II), id est tam facile, ut tu sufflando ore tuo pulverem exiguum dispergis. Patiens in eo est quod peccantem ad pœnitentiam exspectat, et antequam judicium proferat ad misericordiam provocat, interdum etiam illum quem impœnitentem esse non ignorat, ut omnis pœnitens id quod salvatur, debere se sciat exspectantis patientiæ, et nullus impœnitens in damnatione sua derogare valeat quasi festinantis impatientiæ. Sequitur : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus.* Viæ Domini sunt supradictæ æmulationes et ultiones ejus. Ultiones, quasi habentes furorem ad tollendos sive puniendos hostes ejus, inimicos ejus. Porro tempestas et turbo maris sive aeris solem subtegunt, præsentemque mortem minantur, et nebulæ terram tegentes prospectum oculorum impediunt, ut in die fere sicut in nocte terra marique progredientibus anceps persæpe fiat periculum. Juxta horum similitudinem supradictæ viæ Domini, oculis vel sensibus hominum dubiæ fuerunt vel sunt, eo quod illæ ultiones Domini justos ut injustos involvunt, sicut figurata locutione per metaphoram protinus subjunctum est*: Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt, et contremuit terra a facie ejus, orbis et habitantes in eo.* Per tam diversas res mare et flumina, Basan et Carmelum, atque Libanum, montes et colles, et terram sive orbem, diversas habitantium in orbe terrarum causas intelligimus, quia propter diversas

eorum causas pene similibus ultionibus ultus est in eos, ut ulciscitur *æmulator Deus, et ulciscens Dominus*. Exempli gratia: Libanus, quo nomine nonnunquam templum unicum Domini, quod erat
235 in Hierosolymis intelligitur, ut illic: *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas* (*Zach.* XI). Libanus, inquam, id est locus et gens, ubi notus erat Deus, ubi magnum erat nomen ejus, nunquid tunc temporis minus adversa pertulit, minus commotus, vel desolatus est cæteris gentibus, quibus non erat notus, a quibus non adorabatur vivus et verus Deus? Imo et severius ultus est in illum locum, *ulciscens et æmulator Deus*, quia pluribus malis obtritus non solum Israel in Assyrios, id est decem tribus, sed et Juda in Babylonem, civitate et templo ignibus dato, captivus est translatus. Ibi, sine dubio *viæ Domini in tempestate et turbine, et nebulæ pulvis pedum ejus*; ibi sicut cæteræ gentes onera sua, ita et locus ille sanctus, imo et severius coercitus suum portabat onus et cum peccatoribus pariter justi captivi ducebantur, quorum fuere notissimi Daniel et socii ejus. Multi peccatores et sine Deo homines pacem habebant, et illi flagellabantur. Sicut in nebula, sicut in tempestate et turbine sol subtegitur et dies obscuratur, ita pulchritudo justitiæ Dei non videbatur, providentia Dei ab infirmis nulla esse putabatur, qualium in persona Psalmista loquitur: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII). Ac deinceps: *Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die* (*ibid.*), etc. Ad summum mare pariter, increpante Domino, exsiccat, id est juxta sententiam Domini propter peccatum Adæ universum genus humanum sub eadem mortis conditione tenetur, justi et injusti omnes moriuntur. Multæ et hac via Domini sunt nebulæ, et multi pene scandalizantur, quodammodo irruente in oculos eorum pulvere pedum ejus. *Moritur doctus*, ait Ecclesiastes, *similiter ut indoctus, et idcirco tæduit me vitæ meæ* (*Eccle.* II). Notandum interea, septem verbis, quo numero plerumque significatur universitas, cunctas præsenti loco æmulatoris Dei, sive ulciscentis Domini ultiones esse declamatas. *Mare*, increpante illo, *exsiccatur, flumina ad desertum* perducuntur, *Basan et Carmelus* infirmantur, *et flos Libani elanguit, montes ab eo sunt commoti, et colles sunt desolati, terra vel orbis contremuit.* Et revera si rite perpendas sicut fuerunt septem capita draconis jam supra memorati, id est septem principalia regna mundi in ligno positi, quæ steterunt contra mulierem in utero habentem, ex quo factum est ad Abraham verbum promissionis, ita fuerunt septem ultiones, singulæ in singula capita ejusdem draconis. Prima fuit ultio ubi, increpante Domino, exsiccatum est medium maris, filiis quidem Israel pervium fuit, Pharaonem autem, et currus exercituum ejus operuit (*Exod.* XIV). Secunda, ubi decem tribus propter cultum vitulorum et neces prophetarum, tanquam flumina defluentia ad captivitatis desertum irrevocabiliter perducta sunt (*IV Reg.* XVII), et Assyriorum qui eos captivaverant, et Judam captivare volebant, centum octoginta quinque millia nocte una cæsa sunt (*IV Reg.* XIX). Tertia ubi, succensa civitate et templo Domini, Nabuchodonosor quasi in bovem demutatus est, et Babylon subversa est a Medis et Persis (*Dan.* IV). Quarta, ubi ille hostis superbissimus Aman et cæteri hostes Judæorum in regno Assueri ita infirmati sunt, ut ipse Aman in patibulo appenderetur, et septuaginta quinque millia occisorum impleretur (*Esth.* IV). Quinta ubi, Machabæis multa jam passis, superbus Antiochus Epiphanes et cæteri montes, id est Syriæ reges, magna, ut legimus, per auxilium Domini commonitione in malum suum commoti sunt (*I Machab.* VI). Sexta, ubi post passionem Domini colles maligni, id est homicidæ Judæi omnino sunt desolati, ita ut *caderent in ore gladii, et in omnes gentes ducerentur captivi* (*Luc.* XXI). Septima quæ futura est, quando interfecto Antichristo et veniente ad judicium Domino, revera contremiscet orbis et contremiscent habitantes in eo, ita ut trepidi resurgant mortui. Cum igitur fortitudine tam magnus sit Dominus, et quid restat nisi ut sub potenti manu ejus humiliemur? Hoc intendens continuo percunctatur: *Ante faciem indignationis ejus quis stabit, et quis resistet in ira furoris ejus? Indignatio ejus effusa est ut ignis et petræ dissolutæ sunt ab eo.* Ante faciem indignationis Domini stare, est de justitia sua quempiam confidere posse, et propter operum abundantiam seu virtutum conscientiam misericordia non indigere. Sed quis in hoc sufficiens est? Ne, inquit Psalmista, *in judicium intres cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Et in Job veraciter dictum est: *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?* (*Job.* IV). Moses quoque, invocans nomen Domini: *Dominator*, inquit, *Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, et scelera, et peccata, nullusque apud te per se innocens est* (*Exod.* XXXIV). Ex abundanti est, nunc astruere quod nulli merita propria sufficientia sint, et quod non salvemur nisi gratia Dei, quia jamdudum hoc ex sanctis declaratum est Scripturis, et vera sententia est Apostoli, *quia omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III). Et recte in causa hujusmodi nominatur indignatio Dei dicendo: *Ante faciem indignationis ejus quis stabit?* quia videlicet ille indignationem meretur, qui de suis confidit operibus, et juste accidit ei ut *cadat, dum se stare existimat* (*I Cor.* X). Porro, resistere Deo est ipsam iniquitatem suam defendere, et in peccato suo superbire, quales illi sunt *qui dixerunt*, ait Psalmista, *linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* (*Psal.* XI.)

Talis erat Pharao cum diceret : *Nescio Dominum et Israel non dimittam* (*Exod.* v). Cui Dominus inter cætera per Mosen : *Usquequo*, ait, *non vis subjici mihi? Dimitte populum meum mihi. Sin autem resistis, et non vis dimittere eum* (*Exod.* x), etc. Contrarii sunt hi duo superbiæ modi, cum alius de justitia sua præsumit, seque in judicio stare cum Deo et justificari confidit, alius autem ipsam injustitiam suam defendit, et ad satisfaciendum Deo non vult subjici. Et ille quidem justitiæ præsumptor, hominibus quidem stare interdum videtur, sed Deo cecidit; iste autem injustitiæ defensor, etsi resistere ad horam dimittitur, non diu pacem habere potest, sed mox ubi ira furoris Domini se exerit, in sua desolatione sentit quam invalidus ad resistendum est. Nam *indignatio ejus effusa est*, inquit, *ut ignis*, subauditur in eum qui præsumit, quod ante faciem ejus tanquam justus stare possit, *et petræ*, id est resistentes dura cervice, et rebelles Deo mentes *dissolutæ sunt ab eo*, videlicet ut ille Pharao cujus cor ut petra induratum, ut cera fluxit ab igne furoris Domini. Restat igitur ut is, qui non tam fortem quam bonum Dominum experiri desiderat, in neutram partem sese erigat, id est sicut defendendo iniquitatem suam non rebellat, ita de justitia sua non præsumat, sed spem suam in Deo ponat, et si in tribulatione est, peccata sua confitens, de Dei misericordia nunquam desperet. Nam sequitur: *Bonus Dominus et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes* **236** *in se, et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ.* Hactenus secundum propositionem quam proposuerat primo dicens : *Onus Ninive*, multa et gravia locutus est de magna æmulatoris Dei fortitudine, nunc secundum nomen suum quod est Naum, consolatur eos qui in hoc mundo sub pressura sunt, et tribulationem patiuntur ab hominibus qui sine Deo sunt, quales erant nonnulli in illis diebus, rege Ezechia, dum Hierusalem obsideret rex Assyriorum (*IV Reg.* xix), quales erant Daniel et socii ejus in Babylone, non obliti Domini patrum suorum (*Dan.* iii). Nam vel ab aliorum experimento claret, quam veraciter dicat iste *bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se*, etc. Nam vere bonus Dominus illis exstitit, et bene confortavit eos in die tribulationis, manifestis et gloriosis probati judiciis, quod sciret sperantes in se, quia misit angelum suum et rore suo refrigeravit Babylonicæ fornacis incendium, misit angelum suum, et conclusit ora leonum ut non contingerent Danielem, quem sciebat sperantem in se. Quod deinde sequitur: *Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus*, de ejusdem temporis experimento comprobatur. Nam *in diluvio* non permanente, sed *prætereunte* corripiet eos, et deinde *consummationem fecit loci ejus*, subauditur diluvii. Quod fuit diluvium illius temporis, et quis locus diluvii, quomodo loci ejus Dominus consummationem fecit? Diluvium illius temporis multitudo Assyriorum atque Babyloniorum fuit, quemadmodum

A Isaias dicit de illis : *Ecce Dominus adducet aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum et omnem gloriam ejus, et ascendet super omnes rivos ejus, et super universas ripas ejus, et ibi per Judam mundans, et transiliens usque ad collum veniet* (*Isa.* viii). Ergo quoddam diluvium inundavit, quando tanta multitudine congregati sunt populi ; sed diluvium illud præterivit, quia multitudo illa disperiit. Porro locus diluvii Ninive exstitit, Assyriorum metropolis ; locus diluvii Babylonia fuit, unde super eamdem terram inundaverunt Chaldæi, utriusque loci consummationem Dominus fecit ; quia, volente Domino, et Ninivem Chaldæi, et Babyloniam subverterunt Persæ et Medi. Et notandum quod nequaquam ut dixerat *in diluvio* prætereundum, ita et dixit *consummationem loci ejus*

B prætereuntem. Nam adversitas quidem, quam propter disciplinam suis Deus electis superinducit, temporalis est et præterit. Ultima autem, qua ulciscitur hostes suos idem Deus æmulator, non præterit ; sed fundata permanet et super eos requiescit, id est hic incipitur, et in æternum non finitur. *A voce enim Domini*, inquit Isaias, *pavebit Assur virga percussus, et transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum* (*Isa.* xxx). Econtra Psalmista de justis dicit : *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas* (*Psal.* cxxiv), id est potestatem, quam permittit peccatoribus super justos propter eorum correctionem sive probationem, non dimittet diuturniorem esse quam possunt ipsi sustinere, et ne afflictionis nimia vis compellat eos

C peccatoribus in quo volunt consentire. Summa fundationis virgæ qua percutitur Assur, constitit in hac brevi dictione quæ protinus in isto subjungitur, *et inimicos ejus persequentur tenebræ.* Hoc sine dubio verum est de cunctis Dei hostibus qui, cum præsentem vitam male finierint, nequam ultiones quibus in eos ulciscitur Dominus, in mortis carne finiuntur, sed persequuntur animas eorum et comprehendunt maligni spiritus, qui tenebræ sunt et non lux. Econtra, de electis vel pro electis quos illi afflixerunt ad tempus, audi quid continuo dicat consolator Spiritus : *Quid cogitatis contra Dominum, quod consummationem ipse faciet? Non consurget duplex tribulatio* Ad eos conversus de quibus loquebatur, acri invectione malignam eorum percutit

D intentionem dicendo. *Quid cogitatis contra Dominum, quod consummationem ipse faciet.* Respiciamus illius statum temporis, et investigemus de Scripturis quam maligne contra Dominum cogitaverint inimici Domini. Nec vere solummodo Assyrios sive Chaldæos ante vel circa hujus prophetiæ tempora fuisse putemus inimicos Domini, et cogitasse cogitationem ejusmodi propter quam sic in eos invehitur Spiritus Domini, verum et Syriam et alias gentes maximeque decem tribus quæ scissæ fuerant a domo David. Quod ut competentibus comprobetur testimoniis, jubente Domino, loquitur Isaias ad Achaz : *Noli timere, et cor tuum formidet a duabus caudis titionum fumigantium*

istorum in ira furoris Rasin, et Syriæ, et filii Romeliæ, eo quod consilium inierit contra te Syria in malum, et Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes: Ascendamus ad Judam, et suscitemus, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel (*Isa.* VII). Interea dictis propheticis confirmabatur domus David quod Deus promiserat et juraverat David, Christum de semine ejus nasci, ut ibidem cum inter cætera dicit: *Audite ergo, domus David, Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emanuel* (*ibid.*). Non dubium esse debet quin inter cæteros hostes maxime decem tribus invidentes fuerint tribui Juda et domui David, eo quod spem habentes in verbo promissionis de domo illa vel tribu adimplendæ, gloriari interdum soliti fuerint, dicendo aliqua hujusmodi ad reges Samariæ, et omnem Israel ut Abia rex Juda quondam dixit: *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel regnum dederit David super Israel in sempiternum, ipse et filii ejus in pactum salis?* (*II Paral.* XIII). Ac deinceps: *Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David* (*ibid.*) Hæc idcirco dicta sint ut non ignitum sit quam magnam et unde magnam invidiam draco diabolus ex cæteris gentibus immiserat contra Judam et domum David, ut ipsorum quoque cognatæ decem tribus maxime inviderint, et, communicato consilio, cum Syriis avellere Judam, et transferre ad se, regemque externum in medio eorum ponere voluerint. Contra ejusmodi consilia vel cogitationes gentibus immissas a diabolo intendente, ut gens illa non subsisteret, ex qua Christus nasciturus esset, gravissima invectione dictum hoc accipiendum est. *Quid cogitas contra Dominum, quia consummationem ipse faciet?* O quam mala consummatio, si sublato Juda, si avulsa domo David, non esset unde impleretur illa beati seminis promissio! Tunc vere super filios David consurrexisset duplex tribulatio. At ille fidelis promissor sic promiserat, sic juraverat: *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum*, scilicet filiorum David, *misericordiam autem meam non dispergam ab eo* (*Psal.* LXXXVIII). Ut dictum ita et factum est. Nam virgam super Hierusalem levare et filios David quandoque verberare potuerunt, ita ut incensa civitate et templo ducerent eos in captivitatem quæ fuit una et simpliciter eademque temporalis tribulatio; sed non consurrexit alia, quam intendebat diabolus, ut fieret duplex tribulatio, et sic omnino exterminaretur gens, quatenus non superesset unde impleretur illa promissio. **237** Omnes qui ejusmodi consummationem desiderabant, qui antequam Christus veniret, et postquam venit, adhuc laboraverunt, ut mentio nominis ejus non esset, nusquam Ecclesia ejus subsisteret, odit Spiritus sanctus, qui in Psalmo loquitur: *Memento, Domine, filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite, usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* CXXXVI). Hierusalem universitas eorum est qui venturum Christum exspectaverunt, et qui venientem susceperunt et suscipiunt. Filii Edom, id est filii terrenitatis, universi sunt vel fuerunt qui illos persequuntur vel persecuti sunt, et exinanitio quam dicunt: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*, ista consummatio est quam, ut propheta iste subrogat, Dominus non fecit, neque faciet. Num parva est ista consolatio quam dicit: *Non consurget duplex tribulatio? Omnes qui pie vivere voluerunt et volunt in Christo*, sive in Deo, *persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III) et passi sunt, ut suo tempore Ezechias, quando Assyrii super Judam et Hierusalem inundaverunt, ut suo tempore Daniel et socii ejus, suo tempore Machabæi, suo tempore omnes Christiani vel Catholici quorum multæ tribulationes in hac vita fuerunt vel sunt, et hæc est una et simplex tribulatio, quamlibet longa vel multiplex unius præsentis vitæ afflictio. Ait autem hic: *Non consurget duplex tribulatio.* Non igitur tribulabuntur in futuro sæculo, et subaudiendum est, ubi sine dubio tribulabuntur qui tribulaverunt vel tribulant eos. Esto nunc, ut illi qui tribulaverunt justos, tribulationem non habuerint vel habeant in præsenti sæculo, quamvis multos, imo innumeros fuisse noverimus qui, post perpetrata in sanctos crudelitatis scelera, præsentem vitam cum amara tribulatione finientes, transierunt ad tribulationem æternam, ut Antiochus Epiphanes, ut impius Herodes, ut Judæi qui Christum occiderunt, et ob hoc circumdati a Romanis duplici juxta prophetam *contritione contriti sunt* (*Jer.* XVII), quia sicut in Psalmista prædixerat, et secundum corpus *traditi sunt in manus gladii* (*Psal.* LXII), et secundum animam *partes vulpium sunt* (*ibid.*), id est malignorum spirituum. Quemlibet ex impiis ejusmodi, qui vitam præsentem in pace sua finierit, confer pio cuilibet qui vitam in tribulatione finierit, quamvis peccator fuerit, de qualium peccatis scriptum est: *Et omnium peccata hominum in tribulatione dimittis* (*Tob.* III). Ecce et hujus simplex, et illius simplex tribulatio est, sed in hoc differunt quod hujus temporalis sive momentanea, illius autem tribulatio sempiterna est. Num igitur ista consolatio per Naum, id est consolatorem deprompta, parva est? imo magna et lætitiæ plena, ut audientes dicant isti quicunque sunt eis benevoli, audientes, inquam, eos dicere sive canere: *Facti sumus sicut consolati* (*Psal.* CXXV), respondeant atque succinant, *magnificavit Dominus facere cum eis* (*ibid.*). Adde ut compararentur ista piorum simplex tribulatio, et multorum impiorum *duplex tribulatio*, qualis fuit supradictus Herodes et omnes qui pœnam sustinentes, et pœnitentiæ spiritum non habentes, abierunt in locum suum (*Act.* I), et de temporali tormento ad tormentum æternum. Qualis ista comparatio est? Res omnino sunt incomparabiles. Dicant ergo isti suam, ipsi suam consolationem admirantes, et dicere non desinent, *magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes* (*Psal.* CXXV). Sequitur: *Quia sicut spinæ sese invicem con-*

plectuntur, sic convivium eorum pariter potantium. Consumentur quasi stipula ariditate plena. Paulo ante dixerat de inimicis Domini loquens, et inimicos ejus persequentur tenebræ, et in medio sermonis non contentus de ipsis verba facere, repente ad eos conversus, etjusto vehementis motu animi in eos invectus exclamaverat : *Quid cogitatis contra Dominum, quod consummationem ipse faciet ? non consurget duplex tribulatio*, subauditur, electis eis, ut vestrum quampluribus, nunc rursus quasi sedato motu animi ad nos conversus, tranquillius de ipsis, de quibus cœperat, perloquitur, causamque reddit cur inimicos Domini tenebræ persequantur, cur triplex tribulatio, dum in sanctis denegatur, ut quosdam impiorum principes surrexisse vel surrecturos esse subaudiatur. Hæc, inquit, est causa, *quia sicut spinæ sese invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.* Quale est ubi *spinæ sese invicem complectuntur* ? Nimirum insuave et intractabile ; quia si manibus attractentur, pungunt, lacerant, scindunt ; et si jactum intra eas ceciderit semen, ubi cœperit oriri, suffocatur, ut ipse Dominus meminit. Tales fuerunt et sunt inimici Domini. Insuaves sunt, et intractabiles sunt ; et si quis eos attrectare voluerit, si quis incesta eorum opera vel rapinas arguerit in sermone Domini, non utcunque pungunt, non utcunque lacerant aut scindunt, sed ferreis interdum armati aculeis sanguinem effundunt, corpora occidunt, animas non possunt, sed unde vivere debent animæ, verbi Dei semen crescere non sinunt. Tales fuerunt inimici Domini *sese invicem complectentes*, id est in malum sibimetipsis complacentes. Et notandum, quia non dixit, *sicut spinæ sese invicem complectuntur*, sic ipsi sunt; sed dixit quod amplius est, *sic convivium eorum pariter potantium.* Nam in conviviis et inter potationes abundantiori loquacitate sese invicem amare, et incitare consueverunt ad necem sanctorum. Exempla quæ sufficere possunt præsto sunt. In convivio et inter potandum Herodes et Herodias vere spinæ et sese invicem complectentes, male adjuncta saltatrice sua Joannem pupugerunt, Joannem decollaverunt (*Matth.* XIV). In convivio et inter potandum Judæorum pontifices jam temulenti, utpote nocte paschali, cohortem et ministros ad comprehendendum Dominum nostrum miserunt, unde et præscius spiritus ejus in psalmo conquerens inter cætera, *et in me*, ait, *psallebant qui bibebant vinum* (*Psal.* LXVIII). Et ne omnino superiora prophetarum tempora sermo prætereat, in captivitate Babylonica, quæ populo Dei tribulatio fuit, jam *temulentus Balthasar præcepit afferri vasa aurea et argentea templi Domini, et bibebant in eis rex et optimates ejus; uxores ejus et concubinæ ejus bibebant vinum, et laudabant deos suos argenteos et aureos, æreos et ferreos, ligneosque et lapideos* (*Dan.* V). In tribulatione qua sub Antiocho Machabei tribulati sunt, *templum luxuria et commessationibus erat plenum et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebant* (*II Mach.* VI). Recte igitur, et ut debuit, dictum, *sic convivium eorum pariter potantium.* Quomodo tandem digna, et ipsis competens tribulatio consurgere habebat? *Consummentur*, ait, *quasi stipula ariditate plena.* Vere digna tribulatio, ut quoniam sicut spinæ ita suffocaverunt, quantum in ipsis fuit, semen bonum, et oderunt frumenti granum; ipsi tales inveniantur ut stipula omni grano vidua, consumentur igni ut stipula ariditate plena. Mire dictum, *ariditate plena.* Quid enim est ariditas, nisi vacuitas ? ergo stipula dicitur hic esse ariditate plena. Non abs re, non absque sensus gravi pondere sic dixit, sciens spiritus, qui mundum arguit, divitum hujus mundi falsam plenitudinem veram esse maciem, et feni ejusmodi virorem (omnis enim caro fenum) veram esse ariditatem. Sequitur : *Ex te exibit* **238** *cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.* Hic familiariter se accommodat et loquitur ad cor Hierusalem, quæ non est intractabilis, ut ejusmodi spinæ fuerunt vel sunt, quæ non repellit arguentem, nec in peccatis assumit excusationem, et insinuat illi unde vel in quo sit justa circa illam severitas Dei, permittens illam tribulari sive ab Assyriis, sive a Chaldæis, sive a quibuscunque hostibus et inimicis Dei. *Ex te* inquit, *exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem*, non unus quilibet homo tantum, sed multitudo hominum prævaricatorum, sicut quodam loco habemus ita scriptum : *In diebus illis exierunt ex Israel viri iniqui, suaserunt multis dicentes : Eamus et disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt ; quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala, et bonus visus est sermo in oculis eorum* (*I Mach.* I), etc. Hoc fuit initium dolorum. Nec vero illo tantum tempore de quo hæc scripta sunt putemus taliter accidisse initium dolorum, sed in omni tribulatione quæ accidit genti illi sive Ecclesiæ Dei, palam comprobari potest hoc fuisse initium, quod *ex ea exivit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.* Ecce prima tribulatio, quod in Ægypto extrema et misera servitute servierunt. Nonne præcesserat ejusmodi causa? Nonne ex te, o Jacob, sive Israel, exierat inimica fraternitas, prævaricans et transgrediens, jus morale jus naturale, et *cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans* quatenus non fieret quod Dominus decreverat, quod Dominus significaverat, id est ut fratri suo Joseph nihil prodessent somnia sua? (*Gen.* XXXVII.) Similiter de omni tribulatione qua domus Jacob sive domus Israel tribulata est, extunc usque ad Christi adventum sentiendum est quia tribulationis hoc fuit initium, quod inde *exivit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.* De singulis certa possemus proferre testimonia, nisi vitanda esset nimia, quæ fastidium solet parire, prolixitas. De tribulatione, qua tribulata est Hierusalem sive Juda circa prophetiæ hujus tempora, id est

de eo quod primo rex Assyriorum superundavit, et deinde Hierusalem obsedit, et deinde rex Babylonis civitatem obsedit, et Judam captivavit, non prætereundum qualiter ut sic eveniret, *exiert ex ea cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.* Nonne fuit hoc exire de gente vel radice sancta, quod reges Juda susceperunt et in templo Domini coluerunt Baal (*IV Reg.* XXI); et quod *post mortem Joiadæ pontificis ingressi sunt principes Juda et adoraverunt regem Joas, et ille delinitus obsequiis eorum, acquievit eis : Et dereliquerunt,* ait, *templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus, et facta est ira contra Judam et Hierusalem, propter hoc peccatum. Nam et Zachariam filium Joiadæ sacerdotis interfecerunt, et non est recordatus rex Joas misericordiæ quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus* (*II Paralip.* XXIV). Post hæc Amasias allatos deos filiorum Seyr statuens sibi deos, et adorans eos, propheta dicente sibi : *Cur adoras illos ? num,* inquit, *consiliarius regis es ? Quiesce, ne interficiam te* (*II Paralip.* XXV). Post hunc Osias qui dum sacerdotale usurpat officium, lepra in fronte percussus est ; et post hunc Joatham (*II Paralip.* XXVII) ; et post hunc Achab *qui ambulavit in viis regum Israel insuper et statuas infudit Baalim* (*II Paralip.* XXVIII) ; post hunc Ezechias, quo regnante venerunt Assyrii in Judam, et civitatem obsederunt, exivitque ad eos Rapsaces (*IV Reg.* XVIII), filius Isaiæ prophetæ, ut Hebræi volunt, de illo dictum existimantes, *exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.* Sed exile videtur hoc sentire de uno, quod manifeste non est ex Scripturis comprobatum, cum nota sit malitia sive prævaricatio regum vel principum fere cunctorum, quia præter David, et hunc Ezechiam et Josiam omnes peccaverunt. Igitur ad cor Hierusalem loquitur et conscientiam ejus convenit, ne nesciat vel non imputet sibi causam tribulationis quæcunque super eam consurrexit, ut tunc quando super eam inundaverunt Assyrii, sed protinus adjungit consolator et dicit : *Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerunt, et ita plures, sic quoque attondentur et pertransibit.* Dictum utique de Assyriis et de rege eorum Sennacherib quod futurum esset, et ita factum est, quia quam facile crines forcipe succiduntur, tam facile nocte una succidente angelo Domini, succisa sunt Assyriorum centum octoginta quinque millia, et Sennacherib mane surgens tanta multitudine prostrata, velut attonsus et abrasus egressus est et abiit recepto sicut egerat ; quia, permittente justo judice Deo, Judam ipse raserat, id est ascenderat super omnes civitates Juda munitas, et ceperat eas (*IV Reg.* XIX). Hinc illud erat dictum contra Acham : *In die illa radet Dominus novacula conducta in his qui trans flumen sunt in rege Assyriorum, caput et pilos pedum et barbam universam* (*Isa.* VII). Quandiu stetit Hierusalem et templum, quantacunque vastaverint in circuitu Assyrii, velut quædam rasura fuit; ubi autem ipsa civitas exusta et templum succensum fuit Chaldaico igni, plus quam rasura fuit, ut congrue per Ezechielem ita prædictæ sint sub nomine Oolibæ meretricis : *Nasum tuum et aures præcident, et qui remanserint gladio concident* (*Ezech.* XXIII). Quid autem sibi vult quod ita præmisit, *si perfecti fuerint, et ita plures,* et tunc demum subjunxit, *sic quoque attondentur et pertransibit.* Quæ est illa perfectio quæ Assyriis cæterisve hominibus, et si adesse potuit, prodesse non potuit ? Potest quidem sic intelligi, ac si diceret, etiamsi perfecte robusti vel in robore perfecti fuerint Assyrii, et fortitudo eorum cunctarum gentium numero aucta fuerit; verumtamen quoniam ita dixerat ad Hierusalem: *Ex te exibit cogitans contra Dominum militiam, mente pertractans prævaricationem,* per quod magna imperfectio justitiæ suæ demonstratur ipsi Hierusalem, non absurde intelligimus, in eo quod ait, *si perfecti fuerint,* quemdam Assyriorum putativæ justitiæ perfectionem. Quod, ne mirum dictu sive novum videatur, scire debemus quod Assyrii sive cæteræ gentes Judæis invidentes bonum Deum, et legem sanctam se habere dicentibus, quoties aliquam ex ipsis audiebant malitiam, multum hostiliter insultabant, seque in comparatione illorum magnifice justificabant, insuper Deum ipsorum blasphemabant. Hinc est quod apud Isaiam legimus : *Dominatores ejus,* subauditur Hierusalem sive populi mei, *inique agunt, dicit Dominus, et jugiter nomen meum blasphematur in gentibus* (*Isai.* LII). *Et ad David,* cum dixisset: *Peccavi Domino,* quia peccaverat in Uriam Æthæum, *dixit Nathan : Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Verumtamen blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc* (*II Reg.* XII), etc. Hæc idcirco diximus, ut liquido constet Ecclesiam Dei tunc ita ut nunc spectaculum fuisse hominibus sæculi, gentesque semper suam impietatem, clausis, imo cæcis, cultorum autem Dei prævaricationes patentibus vidisse oculis. Nonne hodieque videmus quod si quælibet sanctæ professionis persona de prævaricationis cujuspiam crimine diffametur, statim a sæcularibus, non illi tantum personæ, sed toti professioni derogatur, non tamen **239** volunt, ut si quælibet ex eorum conjugibus in adulterio deprehenditur, dicamus nos tales esse alias omnes, qualis illa una convincitur ? Sed ad nostra redeamus. *Ex te* quidem, ait Dominus, *exibit,* et jamdudum exire consuevit *cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem,* et tanta diffamabitur malitia, tanta persæpe prævaricatio declamabit, ut etiam dicant nunquam sic auditum vel visum fuisse inter gentes, et ut Sodoma quoque et Gomorrha putentur fuisse justiores. Videbuntur Assyrii justi, comparatione tui, ut sunt vel videntur esse multi gentiles, secundum quamdam justitiam sæculi justiores multis, qui unius Dei cultum sunt professi, et in domo ejus sub lege ejus educati, parentibus honorem deferendo, non occidendo, non mœchando, non furtum faciendo, non

loquendo contra proximum falsum testimonium, et multa faciendo quæ apud fideles illius justitiæ, quæ ex Deo est, vera insignia sunt. Sed *hæc dicit Dominus:* Quia etiamsi fuerunt Assyriorum aliqui secundum hæc opera perfecti, et ita fuerunt ex eis non pauci, *sed plures perfecti, sic quoque attondentur,* id est simul una nocte percutientur, et percussis centum octoginta quinque millibus, pertransibit Sennacherib tonsus et abrasus; *pertransibit,* inquit, a filiis suis in domo dei sui interfectus, quod utique pertransire est, ita ut non inveniatur locus ejus. Nec vero sola morte corporis detonsi morientur, sed et duplici contritione, id est corporis simul et animæ morte morientur, quantumvis perfecti, quantumvis justificati comparatione sanctorum, qui peccatores mei sunt? Quare, videlicet, quia *passer* non *invenit sibi domum, et turtur nidum ubi reponat pullos suos* (*Psal.* LXXXIII); id est neque cor eorum multa sapienter cogitando subditum est Deo, neque caro illorum bona quælibet operando mercedem ex Deo sperat in futuro, sed sibimet vanitatis congregat in præsenti sæculo. Propterea sicut a Sapiente dictum est: *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier* (*Eccli.* XLII), et juxta sensum qui in hoc dicto latet, multo melius, multo utilius est cum paucis operibus habere fidem quam multa facere opera et non habere fidem. Nam de fide scriptum est, quod *sine* illa *impossibile est placere Deo.* (*Hebr.* XI); de operibus autem quamvis et ipsa necessaria sint, nusquam scriptum est, quod sine illis impossibile sit placere Deo. Sequitur: *Afflixi te, et non affligam te ultra.* Ac si dicat: Te, o Hierusalem, *ex* qua *exivit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem,* impunitam non dimisi, sed afflixi; et sicut supra dictum est, *non consurget duplex tribulatio,* ita nunc dico, *non affligam te ultra.* Afflixi te in præsenti vita, non affligam te in futura. Magna in hoc est inter te et gentes quæ sine Deo sunt, afflictionis distantia, quod et multi ex eis affliguntur in præsenti sæculo, omnes autem affligentur in futuro, et ibi non temporalis, sed æterna erit afflictio. Quid valet quod nonnulli ex eis receperunt bona in vita sua, et usque ad finem vitæ præsentis liceret eis explere voluptates suas? Tunc cruciabuntur quando tu consolaberis, qui similiter mala recepisti in vita tua. Sic absque omni scrupulo recte intelligitur dictum, *afflixi te et non affligam te ultra* ac si diceretur: Afflixi te in præsenti, et non affligam te in futura vita. Sed adhuc parum est consolationis in hoc dicto, propter infirmitates illorum qui adhuc imperfecti et adhuc nutriendi sunt; et si hæc ipsa vitæ præsentis afflictio continua sit, cito deficiunt, et prope in desperationem cadunt. Subjungit ergo et supplet quod minus erat dictum in utroque, et superiori et in præsenti loco ubi dixerat, *non consurget duplex tribulatio,* et ubi dicit, *afflixi te et non affligam te ultra.* Quid subjunxit, et quomodo quod deerat supplet consolator? *Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula disrumpam. Et nunc,* inquit, id est etiam in præ-

A senti, priusquam vitam istam finias, finietur tribulatio ista, ut vivens in corpore ultionem de inimico Sennacherib videas, quia *ponam circulum in naribus ejus, et frenum in labiis ejus, et reducam eum in viam per quam venit* (*IV Reg.* XIX), et amplius non revertetur huc. Notandum quod verba ista, *conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula disrumpam,* ita solutionem sive liberationem civitatis Hierusalem sonant, ut pariter iram in gentem, super hostem propriis et valde congruis vocibus significent. Non enim contentus fuit dicere, virgam confringam, et vincula solvam, sed *virgam,* inquit, *conteram et vincula disrumpam.* Majoris namque indignationis est pedibus conterere quam manibus confringere; majoris itidem animadversionis, repente

B vinculum dirumpere quam paulatim vel aliquo mora dissolvere. Ipse ergo modus locutionis magnitudinem indicat indignationis in eos qui potestate sibi permissa in servos Dei pro arbitrio vel ratione arcani judicii pascuntur eorum suppliciis, et insuper audent contra Deum gloriari, ut ille Assur sive Sennacherib: *In fortitudine,* inquiens, *manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi* (*Isa.* X), et cætera hujusmodi. Quid igitur per hæc dicta consolatoris confectum est, nisi ut dum audis illud supradictum ex ore arguentis, *quid cogitastis contra Dominum, quod consummationem ipse faciet, non consurget duplex tribulatio* jam scias conclamare illi et dicere, imo consurget duplex consolatio. Et revera, sicut verum erat et est quod super nullum electorum Dei *consurget duplex tribulatio,* ita de multis verum

C erat dicere quia consurget duplex consolatio, qualium notissimus nobis est beatus Job, cujus novissimus post tentationem benedixit Dominus magis quam principio ejus, et addidit ad omnia quæ erant illius duplicia in præsenti vita, sine dubio recepturo multo plura multoque meliora in futura vita (*Job.* XLII). Verumtamen quæ ejusmodi sunt ipsi in talibus consolari renuunt, et si hujusmodi consolationes affluunt, cor apponere nolunt, ut ille qui dicebat, cum dives esset et potens et gloriosus in terra: *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI). Et quoniam, si aliquis quæreret ubi vel in quo renuit consolari et in quo consentit consolari anima mea, imo, inquit, res transitoriæ pro consolatione mihi sunt, sed *memor fui Dei, et delectatus sum* (*ibid.*).

D De rege illius temporis Ezechia non prætereundum, quod recte pro consolatione duplici recipere debuit illud, quod ad eum dictum est a Domino per Isaiam prophetam: *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymam tuam. Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu regis eruam te, et civitatem istam, et protegam te* (*Isa.* XXXVIII). Nam præter illam communem consolationem, quæ illi cum omnibus electis in futuro reposita erat sæculo, magna in præsenti ista quoque consolatio, quod adjicit Dominus super dies ejus quindecim annos, quia videlicet per hoc factum est illi ut locum vel nomen haberet in libro generationis Jesu Christi

filii David. Nondum enim filium habuerat, et ad hoc reservatus est ut generaret, et sicut dictum est in serie generationis Christi, pater cum patribus resideret. Econtra nonnullos fuisse vel esse impiorum pessimos, super quos merito consurgeret duplex tribulatio, jam supra dictum est, et hic Sennacherib pro exemplo sufficere potest, in quem continuo conservus **240** sermo propheticus taliter invehitur, durus utique duplicis tribulationis nuntius. *Et præcipiet contra te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius, de domo dei tui disperdam sculptile, et conflatile, ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es.* Quid enim vel cui præcipiet Dominus contra te, nisi angelo percutienti, ut egressus percutiat in castris tuis nocte una centum octoginta quinque millia, et deinde temetipsum adorantem in B templo deum tuum Nesrath, percutiant gladio filii tui Adramalech et Sarasar (*IV Reg.* XIX); sicque fiat quod dicitur, *non seminabitur ex nomine tuo amplius*? De illa tribulatione, quæ magna tibi fuit in præsenti sæculo, translatus es ut tribuleris in alio sæculo, sepultus in inferno. Unde et hic dictum est, *ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es.* Quod Deus ponit, stat immobiliter; mutari vel removeri non potest. Ponit autem sepulcrum tuum, subauditur in inferno, ubi non solum ille dives de Evangelio possidet sepulcrum (*Luc.* X), sed etiam omnes qui similes ejus sunt vel fuerunt; et maxime tu, Assur, de quo apud Ezechielem scriptum est: *Ibi Assur et omnis multitudo ejus in circuitu illius, sepulcra ejus, et omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio, quorum data sunt sepulcra in novissimis laci, et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus, universi interfecti cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium* (*Ezech.* XXXII). Quam ob causam *ponam* illuc *sepulcrum tuum*? *Quia inhonoratus es. Inhonoratus*, id est superbus. Superbia namque inhonoratio est, quantum quisque superbus, tantum est inhonoratus. Unde idem Dominus, cum dixisset ad Edom: *Contemptibilis tu es valde* (*Abd.* I), statim causam hanc subjunxit: *Superbia cordis tui extulit te* (*ibid.*). Igitur iste ex illis est super quos merito consurrexit *duplex tribulatio*, sicut econtra Ezechias ex illis

A quorum ut supra diximus, duplex est consolatio. Quod interpositum est, *de domo dei tui disperdam sculptile et conflatile*, devastationem denuntiat subsecuturam totius Ninive a Chaldæis subvertendæ. Ubi enim non parcitur sculptilibus et conflatilibus, id est deorum simulacris, qualia verebantur et colebant tam Chaldæi quam Assyrii, qualis est casus domorum communium, vel fori totiusque civitatis? Vastata est Ninine, dicturus est hic idem postmodum insultabundus: *Et ego, dicit Dominus exercituum, revelabo pudenda tua in faciem tuam, et ostendam gentibus nuditatem tuam* (*Nahum.* III). Quam ejus nuditatem, jam hic breviter præsignat dum judicium intendit magnæ illius superbiæ, *de domo*, inquit, *dei tui disperdam sculptile et conflatile*, ubi constat nominibus non esse parcendum, dum hostes nec ipsi parcunt reverentiæ deorum, clamando mutua cohortatione: *Diripite aurum, diripite argentum* (*Nahum* II). Et recte insultatur superbiæ, quæ tanta fuit, ut superbiæ diaboli passim assimiletur in sanctis ac propheticis Scripturis. Sane ipsa quidem civitas Ninive mundus, rex autem ejus diabolus in prophetis intelligitur, propter altitudinem magnifici cordis, et oculorum ejus exempli gratia, ut apud Ezechielem Dominus loquitur: *Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi* (*Ezech.* XXXI), etc. Unde autem hoc memoriale Assur meruit ut nomen ejus ita frequentetur in ratione vel judicio C damnationis diaboli. Videlicet ex eo quod inter cætera sive tyrannidis molimina præsumptuosa, quibus gentes afflixit, adjecit et illud, ut delere conaretur Hierusalem, ubi repositum erat verbum promissionis, et domum David unde oportebat Christum nasci, secundum promissionem et juramentum Domini ad ipsum David (*II Reg.* VII). Proinde de angustiis Judææ latius sermonem extendere cupimus, et sic deinceps prophetiam persequi, ut ea potius attendamus, quorum similitudinem sive typum fuisse non debitum sit, in omnibus quæ pro Juda et Hierusalem contra Ninivem propheta vaticinatur.

---

241 LIBER SECUNDUS.

Hostes vos sentiant Madianitæ, ait Dominus ad Mosen, et percutite eos, quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos et decepere insidiis per idolum Phoge, et Cozbi filiam ducis Madian sororem suam (*Num.* XXV). Nunquid quia de solis Madianitis scriptum est, quod contra eos Dominus locutus sit et taliter præceperit, de solis Madianitis putandum est, quod

D jure servos Domini, ut erat Moses, hostes sentire debuerunt? Imo et de cunctis gentibus, quæcunque ut Madian hostiliter egerunt contra Israel, hoc indubitanter sciendum est quod eis et Mosen et cunctos Mosi spiritum habentes, hostes esse voluerit, et ejusmodi ultionem optare de illis, quam ipse impetrans Mosi, *ulciscere prius*, ait, *filios Israel de*

Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum (*Num.* A xxxi). Quam ob causam? Nonne omnes sancti sive perfecti qui non alium, quam illum habent spiritum quem et illi habebant, jubentur cum Petro recondere gladium in vaginam? (*Matth.* xxvi.) Quam igitur ob causam ita jussi tunc gladii sæviebant aut sævire debebant? Nimirum propter Christum eumdem tunc sævire debebant propter quem nunc sævientibus in nos Christi hostibus, inermem debemus habere patientiam. Tunc in periculo erat res, quia possibile erat deleri gentem illam de qua Christus exspectabatur nasciturus, nisi modis omnibus defenderetur contra gentes quibus diabolus ad auferendam spem mundi, quæ Christus est, pertinaciter utebatur. Nunc autem res eadem in tuto est, quia Christus natus est; et si tota generationis re- B ctorum arbor bona corporaliter succidatur, nullum salutis hominum detrimentum est, quia totus arboris bonæ fructus jam in cœlum assumptus est. Hæc idcirco dicta et sæpius dicenda, semperque memoriter tenenda sunt, quatenus justissima cognoscatur melius sanctorum hostilis vehementia, qui et quoad poterant cum auxilio Dei de hostibus suis, hostibus Dei, gentibus impiis, vindictam et a Deo quærebant, et manu exercebant, et habita sive aspecta ultione adhuc hostiliter insultabant, ut iste qui contra Assur, imo contra omnem hominem hostiliter, ut supradictum est, agentem tam lætam contexit prophetiam, ut quodammodo triumphalem persultare videatur cantilenam, ita prosequens:

Cap. II. — *Ecce super montes pedes evangelizantis,* C *et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial, universus interiit. Ascendit qui dispergat in facie tua, custodiens obsidionem. Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde, quoniam sicut reddidit Dominus superbiæ in Jacob, sic reddet superbiæ in Israel, quia vastores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt.* Hæc et cætera quæ sequuntur usque in finem, magnum gaudium, magnum et triumphale resonant tripudium, et totius lætitiæ causa hæc est: *Quoniam sicut reddidit*, inquit, *Dominus superbiæ in Jacob, sic reddet superbiæ in Israel?* Non ergo parva res est quæ sub verbis istis latet, *sicut reddidit Dominus superbiæ in Jacob*, quoniam totius consolationis vel D gaudii causa sive materia in ipsis posita est. Quid igitur est vel quem sensum habet, *quoniam sicut reddidit Dominus superbiæ in Jacob, sic reddet superbiæ in Israel?* Unus namque et idem fuit pater Jacob qui et Israel, unus et idem populus Jacob qui et Israel. Siquidem ita dixisset, *quoniam sicut reddidit Dominus superbiæ* in Judam, *sic reddet superbiæ in Israel*, sensus iste absque impedimento vel scrupulo sese accommodaret: Quod sicut ultus est Dominus Judam et Hierusalem de rege Sennacherib et exercitu ejus, sic ulciscetur decem tribus quæ appellabantur Israel, de Ninive sive Assyriis, quod regna te Salmanassar captivaverat, easdem decem tribus. Nunc autem quamvis et iste sensus rationabilis sit, et pro Juda Jacob convenienter possit accipi, libet adhuc intuitum mentis extendere latius, uti sub istis nominibus Jacob et Israel, omnes tam antiqui quam novi, tam illi qui præcesserunt quam illi qui subsequuntur Christi adventum, electi intelligantur. Jacob namque patrem secundum carnem duodecim filiorum totidemque tribuum Israel, libenter hic accipimus, Christum patrem secundum spiritum duodecim apostolorum, et omnium qui per eos in ipsum crediderunt vel credunt. Erit igitur sensus amplissimus et omnino planus in istis verbis idem qui in illis apostoli, cum de priore loqueretur, *omnia in figura contingebant illis.* Nimirum sicut illa de quibus nominatim mentionem fecerat Apostolus, beneficia Dei *in figura contingebant illis* (*I Cor.* x) et veraciter implentur in Evangelio Christi, sic illa ultio de Assyriis in figura contingit illis, quorum temporibus accidit et veraciter impletur in Evangelio Christi. Magna plane causa et digna, propter quam sic exclamet Spiritus sanctus in propheta: *Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem*, propter quam congratuletur et dicat: *Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua*, propter quam excitet in gaudium atque confidentiam, dicendo: *Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde*, etc. Ut, inquit et hoc facias, et non id solum attendas, quod taliter reddidit Dominus superbiæ Assyriorum quam exercuerunt in Jacob, quod civitatem hanc Sennacherib non introivit, nec ejecit in eam sagittam, nec occupavit eam clypeus, sed occisis ab angelo Domini centum octoginta quinque millibus, reversus est in viam
242 suam, per quam venerat, et occisus est, et Ninive subversa est (*IV Reg.* xix). Non, inquam, hoc solum attendas, sed simul attende quia, *sicut Dominus reddidit superbiæ in Jacob*, ut Assyrii exscinderentur; *sicut reddidit superbiæ in Jacob*, ut Pharao cum curribus et equitibus suis in mari mergeretur; *sicut reddidit superbiæ in Jacob*, ut a Persis et Medis Babylonia subverteretur; *sicut reddidit superbiæ in Jacob*, ut Aman, hostis Judæorum, in patibulo quod Mardochæo paraverat, appenderet; *sicut reddidit superbiæ in Jacob*, ut Antiochus Epiphanes sine manu contereretur. *Sic reddet superbiæ in Israel*, populum novellum evangelica fide renatum, cujus generatio secundum Spiritum de Christo est, patre duodecim apostolorum, cujus in typum præcessit ille Jacob pater secundum carnem duodecim filiorum. Quid reddet superbiæ habitæ contra istum Israel, secundum similitudinem eorum quæ reddidit superbiæ habitæ contra illum Jacob? Nimirum ut princeps hujus mundi diabolus, ausus venire ad istum Israel in quo non habet quidquam, ita sanguine et aqua de latere ejus emanantibus enecetur; sicut ille carneus Pharao cum suis omnibus submersus est in aquis vehementibus, et ita ligno crucis transfigatur, sicut fuit Aman ille transfixus,

et sicut contritus est Antiochus, tandemque ita et ipse diabolus, et omnis illi consentiens mundus extremo judicio damnetur, sicut ille veniens contra Judam et Hierusalem superatus est qui sibi videbatur insuperabilis Assur, et subversa est Ninive caput superbiæ ejus. *Ecce*, o Juda, *super montes*, ecce pedes, id est prædicatores, omnem sæculi altitudinem supergredientes, *pedes evangelizantis et annuntiantis pacem*, prædicatores dantis pœnitentiam et remissionem peccatorum, destructo peccato, consummata justitia, principe hujus mundi jam judicato. Secundum similitudinem plagæ quæ facta est in parte, idem in Assyriis factum est, idem sine dubio fiet in toto, scilicet hoc mundo, et in principe hujus mundi. *Celebra* igitur, *o Juda*, id est confessor propheticæ et evangelicæ fidei, *celebra festivitates tuas et redde vota tua*, id est a malis operibus vaca, et in bonis operibus persevera. Festivitates quæ dudum celebrabantur in figura, nunc in veritate celebra. Exempli gratia, ut agnum quem dudum comedebas in umbra, quem comedendo transitum maris, et demersionem carnei Pharaonis celebrabas, agni Christi signum fuisse scias, cætera festa legis, evangelicæ gloriæ noveris exstitisse exemplaria. Sed quid prodest qualescunque festivitates celebrare deforis, nisi festivitas contemplationis in mente fuerit? Proinde cum dicit: *Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua*; psalmistam interroga, et ipse tibi dicet quomodo facere debeas: *Quoniam*, inquit, *cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Vovete et reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus affertis munera* (*Psal.* LXXIII). Istæ sunt tuæ festivitates, o Juda, ut cogitatio tua Deo confiteatur, et si non omnis cogitatio festiva esse potest et splendida, saltem *reliquiæ cogitationis diem festum agant*, id est saltem aliquando post infestationes malarum cogitationum locum mentis obtineant cogitationes bonæ, juxta illud: *Peccasti, quiesce* (*Sap* XXI). Cum hujuscemodi, festo die *redde vota tua*, quorum videlicet votorum summum vel optimum est, *calicem salutaris*, juxta Psalmistam, accipere (*Psal.* CXIII), id est imitari mortem Salvatoris, qui moriendo pacem inter Deum et homines fecit, ipsamque evangelizavit et annuntiavit pedibus, ut jam dictum est, id est prædicatoribus sive apostolis per mundum universum missis, et super montes incedentibus, id est super omnem altitudinem sæculi. Profecto non vana festivitas ita celebrare, et causam hanc festivitatis habere, *quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial, universus interiit*, videlicet secundum similitudinem Assur sive Sennacherib, qui reversus in via per quam venit, jam ultra in te pertransire non poterit. Ita namque Belial, quod interpretatur *absque jugo*, scilicet diabolus, ab initio rebellis Deo, ex quo tibi, o Juda, Christus moriendo ac resurgendo festivitates tuas dedicavit, ultra jam in te pertransire non poterit. Nam extunc *universus interiit*. Non quod substantia ejus esse desierit, sed

A quod mors generis humani, quæ per invidiam ejus in hunc mundum introivit (*Rom.* V); mors inquam, universa, mors gemina tam animæ quam corporis, omnino interiit. Ubi vel quando iste Belial interiit? Ubi mortua est mors quam intulit, unde et appellatur et ipse mors? Videlicet ubi mortuus est Christus, ibi nostrarum mortua est mors animarum; et ubi resurrexit Christus, ibi nostrorum interiit mors corporum. Celebrando ergo festivitates tuas, o Juda, memento quod ille sit ipsa festivitas tua, de quo dicis, *qui mortem nostram moriendo devicit et vitam resugendo reparavit*, et hinc esse quod dicitur, *non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial, universus interiit*. Nam, si illud solum respicias quod Sennacherib non reversurus abiit, et interiit,
B non est verum proinde dicere: *Belial universus interiit*, quia videlicet post illum plurimus Belial, qualis ille fuit, in te pertransivit qui multo amplius nocuit. Forte dicis, o Juda: Quandiu stat Ninive, quomodo mihi dicis, quia *Belial universus interiit*? Quandiu stat mundus, quomodo consolabor de mortis interitu? Ecce enim Nero sævit, Decius insanit, Maximianus morte armatus vesanit, et præter istos filii Belial multi, quorum Antichristus deterrimus erit. Quomodo ergo jam dicis, quia *Belial universus interiit*? Ad hæc inquam: *Ascendit qui dispergat in facie tua, custodiens obsidionem*. Quis est ille qui ascendit? Ad illam quippe Niniven ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, *in facie tua*, o Juda, qui tunc temporis in mundo eras, id est te præsente vel sciente, dispersit Niniven illam
C circa illam *custodiens obsidionem*, donec illam caperet; sed in hac parva, imo fere nulla consolatio est. Pejor namque tibi Nabuchodonosor postmodum exstitit quam fuerit Sennacherib. Quis igitur ille est qui ascendit, quique in facie tua sic disperget mundum istum, magnam utique Niniven, ut perfectam habeas consolationem? Profecto qui descendit Christus, ipse ascendit; et sicut ascendit, ita veniet (*Act.* I) Niniven dispersurus, id est mundum in facie sua judicaturus. Quod interim facit Nero sive Diocletianus imo ipse diabolus sive Antichristus nihil veritatem diminuit, quin veraciter dicas: *Belial universus interiit*, foras missus est princeps hujus mundi. Non hic agitur nec agi potest quin mors, utraque mors, animæ et corporis absorpta
D sit in victoria istius ascensoris cœli. Quid enim, si adhuc hostis corpus occidit in membris? Denique animam non potest occidere vivificatam capitis, id est Christi morte, et de ipsa morte corporis tam certum est, quod interitura sit in membris, ut veraciter vel secure jam dicas quia interiit, præsertim quia caput Christus resurrexit, et membra nonnulla, id est multi cum eo sancti. Olim hoc intendebat, hoc sperabat draco diabolus, quod efficere posset, ut de illa muliere quæ erat gens illa, quæ secundum carnem quoque dicitur Juda sive Judæa, non nasceretur masculus filius *qui recturus esset gentes in virga ferrea* (*Apoc.* XII), et idcirco illam delere

conabatur 243 septem capitibus armatus, sed hoc jam sperare non potest, quia jam natus est ille Filius et jam raptus est ad Deum et ad thronum ejus. Hoc tantum deinceps intendit per Neronem et quoscunque similes illi, ut non expectetur rediturus ; sed tu firmiter tene, quia sicut ascendit ita rediturus est, ut in facie tua dispergat Niniven, ut te vidente judicet mundum non credentem, teque persequentem, ita custodiens obsidionem, ut *neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus* (*Psal.* XXIV). pateat cuiquam locus effugii, quoniam Deus ipse judex est, qui omnia concludit, cujus de manu nemo est qui eruere possit. Hoc futurum sciens, ad hoc illum rediturum credens, fac quod nunc dico : *Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde.* Hæc, inquam, age, sic vive, quia non hoc aliud est quam quod ipse in Evangelio dixit, antequam ascenderet : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis* (*Luc.* XII). Quidnam aliud est vigilare secundum similitudinem hominum exspectantium Dominum suum quam contemplari viam, cum sollicitudine exspectare illum, qui et venturus est, et ipse via est. Et quid aliud est confortare lumbos, quam succinctos habere lumbos, id est contra libidinem sive luxuriam quæ in lumbis est, castigatum habere corpus et castum cor ? Porro virtutem valde roborare, id sine dubio est lucernas ardentes habere, id est cum honore castitatis opera bona exercere, et in ipsis perseverare. Quomodo autem vel unde virtus ejusmodi valde roboratur? Quod est virtutis hujusce validum robur ? Revera humilitas, id est non fallax, sed omnino verax infirmitatis conscientia. Etenim in ea virtus omnis roboratur : *num virtus*, inquit Apostolus, *in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII). Non hoc dicimus, quod infirmitas ipsa sit humilitas quæ nobis est necessaria, sed quod ad humilitatem proficiat, velut instrumentum quoddam considerata seu propriæ fragilitatis, seu communis conditionis infirmitas. Propriæ fragilitatis, ut in Apostolo dicente : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ* (*ibid.*). Communis conditionis, ut in Job dicente : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me* (*Job* X), etc. Quod si experimentum quæritur de humilitate, quod omnis virtus ex ea valde roboretur, ecce et Jacob cum angelo luctari, et non vinci (*Gen.* XXXVIII) ; et Moses Deum dicentem : *Dimitte me, tenere potuit* (*Exod.* III). Quod utriusque tanta virtus ex humilitate roborata fuerit, evidentibus comprobatur testimoniis. Nam de Jacob in Ozee ubi præmissum est : *Et in fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est* (*Ose.* XII), statim subjunctum est : *Flevit et rogavit eum* (*ibid.*). De Mose vero Psalmista cum diceret, *et dixit*, subauditur Deus, *ut disperderet eos*, statim subjunxit : *Si non Moses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus* (*Psal.* CIII). Quid

A enim est in confractione ? Nisi in nimia mentis humilitate? Jam ita perspecto, quod dicit, *robora virtutem valde*, sensum rationabilem habere potest id quod sequitur, sicut in plerisque codicibus habetur, et a LXX non discrepat Interpretibus. *Quoniam sicut reddidit Dominus superbiæ Jacob, sic reddet superbiæ Israel*, veteres et novos, id est et illos qui sub lege fuerunt, et eos qui in Evangelio credunt, ita intelligimus, ut superius jam dictum est : Quæ fuit superbia Jacob, et quomodo *reddidit Dominus superbiæ Jacob* ? Sine dubio superbia Jacob fuit, ubi Chore, Dathan et Abyron de sacerdotio contendentes, cum omni cœtu suo contra Dominum steterunt et ita reddidit Dominus illi superbiæ, ut disrumperetur terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoraret B Dathan et Abyron cum tabernaculis suis, et universa superbia, descenderentque vivi in infernum operti humo, et perirent de medio multitudinis. Sed et ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum (*Num.* XVI). Item Saul, cum esset Christus Domini, superbivit, et Dominus superbiæ ejus ita reddidit ut mancipare teum maligno spiritui (I *Reg.* XVI). Plura sunt exempla hujusmodi, quam ut compendio cuncta possint ad præsens conscribi. Cum igitur præmisso, robora virtutem valde, id est humilitatem omnibus habe, statim subjungit, *quoniam sicut reddidit Dominus superbiæ Jacob, sic reddet superbiæ Israel*, quæ littera non discrepat a Septuaginta Interpretibus, ut jam dictum est terrorem magnum incuti universo Israel, qui credendo in Christum meruit Israel nuncupari. C *Terribilis* namque est Deus *in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV), atque idcirco tunc unicuique magis cavendum et magis humilitati studendum, cum majora supernæ gratiæ dona percepit, non tantum in eo quod Apostolus præmonuit dicens : *Noli gloriari adversus ramos qui confracti sunt* ; *noli altum sapere, sed time ; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat* (*Rom.* XI) ; verum et omnibus modis, ut nunquam alter contra alterum infletur, nunquam dum vivit se comprehendisse arbitretur. Superbia Israel, id est credentium inter cætera mala fecit et hæreses, et non minus de ipsis qui videbantur intus quam de illis qui foris erant vel sunt gentibus. Verum quod sequitur : *Quia vastatores dissipaverunt eos, et propagenes eorum* D *corruperunt*, tanquam vastatores vinearum Domini, contra quos ipse dilectus dicit in Canticis : *Capite nobis vulpeculas quæ demoliuntur nobis vineas : nam vinea nostra floruit* (*Cant.* II). Hoc pejus egerunt vastatores istis quam vastatores illi, quod illi palam dissipaverunt, id est persecuti sunt ; isti autem et subdole corruperunt, et interdum aperta vi propagines vastaverunt. *Reddet* igitur *Dominus superbiæ* hujusce *Israel, sicut reddidit superbiæ illius Jacob*, videlicet ut apostolico utamur exemplo, sicut reddidit eidem Jacob in eo quod *omnes* quidem *mare transierunt, et omnes in Mose baptizati sunt in nube et in mari et omnes eamdem escam spiritualem man-*

ducaverunt, omnes eumdem potum spiritualem biberunt ; sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo (*I Cor.* x), subauditur ut saltem in illam terram ingrederentur, quæ umbra erat illius terræ viventium, quam in futuro speramus : nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri et cætera; nunc jam sequentia persequamur. *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus ejus in coccineis. Igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, et agitatores consopiti sunt. In itineribus conturbati sunt, quadrigæ collisæ sunt in plateis, aspectus eorum quasi lampades, et quasi fulgura discurrentia.* — *Clypeus*, inquit, *fortium* ejus *ignitus*. Cujus ejus ? Putasne illius Nabuchodonosor, qui ascendit ut disperderet illam localem, quamvis magnam Ninivem ? Fuerit quidem fortium illius clypeus quomodocunque ignitus aut splendidus, et viri exercitus ejus vestiti caligis ac ocreis coccineis, sive alterius cujuslibet coloris pulchri, verumtamen Spiritus sanctus, spiritus propheticus nequaquam ita se demiserit, ut absque respectu mysterii nugas aut vanitates ejusmodi, clypeos et currus, aut curruum habenas et currentes quadrigas, vestitus coccineos et aspectus virorum fulgidos tantopere declamare, et superventuris sæculis, quibus Scripturam propheticam **244** perseverare volebat, notificare dignatus sit. Spiritum igitur quocunque vadit, pro posse sequamur, et quia verba Spiritus sancti sunt, spiritualia potius in verbis mysteria requiramus. Fortium ejus qui, ut supradictum est, ascendit in cœlum, Niniven dispersurus, id est mundum judicaturus *fortium* inquam *ejus clypeus ignitus est*, *et viri exercitus ejus in coccineis*, *et igneæ habenæ currus in die præparationis ejus*. Quæ sit præparatio vel dies præparationis ejus et quid præparetur primo quærendum est, et deinde cætera melius clarescent, quod magnam in se sensum spiritualium contineant majestatem. Quid ergo præparatur, nisi ut mundus judicetur. Et quæ est hujus rei præparatio, nisi Evangelii prædicatio? Et quis est dies præparationis ejus, nisi totum hoc tempus usque ad consummationem sæculi ? Denique quantacunque diuturnitas, quantuscunque numerus annorum sit sicut tempus, ita et dies recte dicitur, testante Domino ipso cum in propheta dicit : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa* XLIX). Apostolus namque succinit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* VI). Igitur unus idemque dies, qui credenti mundo est dies salutis, non credenti mundo est dies præparationis, et intra hunc diem præparationis, invenire debemus, et igneos fortium ejus clypeos, et vestitus virorum ejus coccineos et habenas curruum igneas, et quadrigas in plateis collisas, et aspectus fulgureos, et cætera bellici apparatus insignia, quæ declamando ita inculcat, ut palam sit vel esse debeat quia magna agit seria. Fortes ejus illos hic accipimus, quarum de multitudine duo in initio præparationis hujusce, quando ille ascendit, *cum intuerentur euntem illum in cœlum* apostoli, *steterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Sic, inquam, veniet, dispersus Niniven, id est judicaturus hunc mundum. Fortium illorum de principibus unus est Michael, de quo in Apocalypsi, ubi ascendit, ubi raptus est filius beatæ mulieris ad Deum, et ad thronum ejus, ita scriptum est : *Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone* (*Apoc.* XII), etc. Horum fortium clypeus verbi Dei, Verbum Deus est, et *clypeus* utique *ignitus*, quia scriptum est : *Ignitum eloquium tuum vehementer* (*Psal.* CXVIII) ; itemque ad Salomonem dictum est : *Omnis sermo Dei clypeus ignitus est* (*Prov.* XXX). Contra quos ignitus est talis iste clypeus, nisi contra draconem et angelos ejus. Intolerabilis est illis iste ignitorum clypeorum ignis, unde et exprobratur illi apud Ezechielem, ubi sub nominibus novem lapidum dicitur in eum de novem ordinibus angelorum : *Et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum* (*Ezech.* XXVIII). Porro viros de quibus ait, *viri exercitus ejus in coccineis*, illos intelligimus quia adjuvantibus fortibus sive cooperantibus illis, semper invisibiliter, aliquando autem etiam visibiliter vicerunt illum draconem, sicut ibidem scriptum est : *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni* (*Apoc.* XII), *et laverunt stolas suas in sanguine Agni* (*Apoc.* VII). Deinde igneas habenas currus, prælatos sive rectores Ecclesiarum intelligimus, quia videlicet sicut habenæ regunt currum, ita regulæ sive monita horum illum regunt currum, de quo in psalmo scriptum est : *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium* (*Psal.* LXVII). Sunt autem habenæ igneæ, quia videlicet dicta vel facta, seu omne regnum eorum non est vel esse debet sine magno boni zeli fervore. Illi fortes cum ignitis clypeis, isti *viri exercitus ejus in coccineis*, istæ *igneæ currus habenæ in die præparationis ejus*, subauditur, nunquam deficiunt et omnis actio eorum præparatio est extunc usque in finem sæculi, præparatio dispersionis, qua dispergenda est Ninive, id est judicii quo judicandus est mundus iste. Interim namque per eos Spiritus sanctus *arguit mundum de peccato, et de justitia, et judicio* (*Joan.* XVI) et eo arguente, fugiunt mundum periturum hi qui credunt, et qui credere non vult fit inexcusabilis mundus. Hæc est præparatio ejus. *Et agitatores*, inquit, *consopiti sunt*. *Agitatores* plane non ejus cætera sunt ejus, fortes quorum clypeus est ignitus, dicuntur et sunt ejus, *viri exercitus in coccineis*, dicuntur et sunt ejus, *currus cum igneis habenis*, et tota præparatio dicitur et est ejus ; *agitatores* vero nec dicuntur, nec sunt ejus. *Agitatores* quippe qui sunt, nisi inquieti, infesti, injuriosi et contumeliosi sive superbi ? Tales iste non habet, tales non ex Deo, sed ex maligno sunt, ex mundo damnato, ex mundo in maligno posito. Primus eo

tempore quid egit ille sæpedictus Assur, unde sic notaretur, unde agitator ipse et quique similes illi agitatores recte dicantur. Apud Isaiam, ubi adventus ejus prophetica voce denuntiatur, inter cætera sic de illo dictum est : *Transierunt cursum* (*Isa.* x), scilicet Assyrii contra Hierusalem properantes, et de perditione ejus quasi jam perpetrata, nimis certi nimisque confidentes, *et agitabit*, inquit, *manum suam super montem filiæ Sion, et collem Hierusalem* (*Ibid.*) Quia si hostiliter agitavit manum suam ille Assur sive Sennacherib sibi arridens, loco sancto irridens, in se tumide gliscens, contra Deum improvide ludens, recte nimirum notavit eum Spiritus sanctus, ut agitator ipse et quique similes illi *agitatores* nominarentur. Similes illi *in die præparationis hujusce*, de qua secundum hunc prophetam loquimur, dum præparatur, ut Ninive, id est, mundus judicetur, similes, inquam, agitatores fuere Nero, Diocletianus, Maximianus et cæteri quicunque contra Evangelium præparationis hujus semetipsos agitaverunt, pleni diabolico spiritu, et ecce *consopiti sunt*. Quid est consopiti ? Mortui sunt. Nonne et illi viri pulchri, viri exercitus ascensoris cœli, qui *vicerunt draconem*, ut supradictum est, *propter sanguinem agni* (*Apoc.* xii), et propter verbum testimonii sui, et idcirco sunt *in coccineis ?* Nonne, inquam, et illi sunt mortui ? Sunt quidem mortui, sed non consopiti. Nam etsi mundo mortui sunt, Deo vivunt, et in castris regis sui, regis viventium nunc quoque militant, non minus quam viventes in carne militaverunt. Plane atque indubitanter miro modo cum, deposita carne, sint in alio sæculo, præsentes nobis sunt, et meritis regunt, virtutibus augent residuum exercitum peregrinantem adhuc in hoc sæculo. At illi *agitatores*, et Deo mortui sunt, et huic sæculo jam non vivunt, viventibusque nec obesse nec prodesse possunt aut poterunt ; et idcirco verum est dicere, quia *consopiti sunt*. id est profundo somno mortis sepulti sunt, unde, donec cœlum atteratur, non evigilabunt, nullumque deinceps fortibus illis, viris illis supradictis, currui vel habenis Domini facient obstaculum sive impedimentum. *Consopiti*, inquam, *sunt* inter agendum, sive dum agitur id quod sequitur: *In itineribus conturbati sunt, quadrigæ collisæ sunt in plateis aspectus earum quasi lampades fulgura discurrentia.* Fuerit, ut jam dictum est, exercitus ille Chaldaicus contra Niniven tam velox tam properans, tamque pomposus quadrigis concurrentibus tam multis, ut præ multitudine viam invenire non possent, atque inter se colliderentur **245** in plateis, et aspectus Babyloniorum ita fulgurei, aut nescio quo lumine luminosi, ut ante visu adversarios terrerent quam mucrone prosternerent, nobis tamen exabundanti est, ut huic sensui litterali immoremur, potius spiritum sequamur et post ipsum curramus. In hac die præparationis judicii, quo judicandus mundus est, cujus illa Ninive et pars fuit, et typum gessit, in hac, inquam, die præparationis conturbati sunt

A viri Ninivitæ, diversa conturbatione in itineribus et in plateis, quadrigis collisis. Quibus in itineribus, vel quibus in plateis ? Nimirum in illis, in quibus evangelica voce sapientia clamavit, sicut habemus in parabolis : *Sapientia foris prædicat, in plateis, dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua* (*Prov.* i). Item : *Nunquid sapientia non clamitat, et prudentia dat vocem suam ? In summis excelsisque verticibus super viam in mediis semitis stans juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur dicens : O viri, ad vos clamito* (*Prov.* viii), etc. Ergo non in occulto, sed in itineribus ; non in angulis, sed plateis conturbati sunt, audita sapientiæ voce, audito Evangelio, *in quo revelatur*, ait Apostolus,
B *ira Dei de cœlo, super omnem impietatem, et injustitiam eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent* (*Rom.* i). *Conturbati et commoti sunt, tremor apprehendit eos* (*Psal.* xlvii), audientes aliam et meliorem esse civitatem, quam suam Niniven, aliud sæculum esse quam sæculum præsens, et hoc judicandum esse per ignem. *Ibi dolores ut parturientis* (*ibid.*), *ibi*, inquam, id est in illa conturbatione, in illo tremore, dolor non sine fructu, sicut non sine fructu dolor est parturientis. Multi enim audientes quid præparetur Ninive, id est mundo huic, ita conturbati sunt ut contristarentur ad pœnitentiam, et ita tremuerunt ut cito quærerent quomodo possent fugere a ventura ira, et evadere illud judicium. Alii autem qui increduli fuerunt, ita conturbati sunt et ita commoti sunt ut
C irati seipsos dirigerent et exagitarent, contra hoc magnæ præparationis Evangelium, unde et paulo ante *agitatores* nominati sunt. Quæ porro vel cujus *quadrigæ collisæ sunt in plateis ?* Utique quadrigæ Aminadab, quod interpretatur *spontaneus populi mei*. Iste Aminadab Christus est, et hujus quadrigæ collisæ sunt in plateis, occurrentes occurrentibus sibi quadrigis superbi hujus sæculi, de qualibus in Zacharia dicit : *Ipse pauper, et ascendens super asinam, et pullum filium asinæ ; et dispergam quadrigam ex Ephraim, et equum de Hierusalem, et dissipabitur arcus belli* (*Zach.* ix). Quadrigæ Aminadab quatuor sunt Evangelia, de quibus nobis contra Niniven, quatuor magna prædicantur sacramenta : incarnatio ipsius Aminadab, cujus fa-
D cies, facies est hominis ; passio ejusdem, quæ facies est vituli ; resurrectio ipsius, quæ facies est leonis, ascensio ejusdem, quæ facies est aquilæ volantis. Magna ibi conturbatio, quia magna quadrigarum collisio. Qui bene conturbati sunt, qui ad pœnitentiam contristati sunt, per collisionem quadrigarum confitentur, et satisfaciunt quod in illa collisione fuerunt ; non per malitiam, sed per ignorantiam. Dicit enim quilibet illorum, puta Saulus, sive quispiam alius, prius adversarius, postea correctus et fidelis quadrigarum socius. *Nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab* (*Cant.* vi). Nescivi, et ignorans feci, ignorans in increduli

tate obstiti, cum repente vidissem quadrigas Aminadab; nunc autem, considerata dignitate quadrigarum ejus, conturbavit me anima mea, sive contritiones ejus, o Aminadab. Quam pulchræ quadrigæ! quam splendidæ aurigæ! *Aspectus*, inquit, *eorum quasi lampades, et quasi fulgura discurrentia.* Et apud Ezechielem similiter habes: *Et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens* (*Ezech.* I). Ubi quadrigæ collisæ sunt, ibi facies sive aspectus eorum, scilicet Evangeliorum sive evangelizantium *quasi lampades et quasi fulgura discurrentia.* Lampades illuminant, fulgura terrent. Sic isti habentes virtutes, sive virtutum operationem habentes, sicut in psalmo scriptum est: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtutes multas* (*Psal.* LXVII), dum *prædicant ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI), mentes hominum et de cognitione veritatis illuminant, et de miraculis ad audiendum atque credendum magis excitant, et recte *fulgura* dixit *discurrentia*, quia non in una tantum mundi parte, sed per mundum universum visa, et audita sunt prædicationis evangelicæ miracula. Sequitur:

Recordabitur fortium suorum. Quis recordabitur fortium suorum? Recordabitur Ninive, recordabitur mundus, et verbi gratia, Roma, quæ tunc erat mundi caput, quando primum quadrigarum hujuscemodi collisio, sive collisionis fragor in plateis est auditus. Fortes ejus multi fuerant, ut puta Torquati, Corvini, Cornelii, Scipiones sive Africani, Cæsares sive Augusti. Ejusmodi *fortium recordabitur*, inquit, et sic factum est. Nam in derogationem Christianæ pacis, in contemptum evangelicæ gratiæ quoties commemorati sunt fortium suorum multiplices triumphi, de toto mundo, de Europa, Africa, atque Asia concelebrati, propitiis ut aiebant, diis suis, quorum opitulatione, quoniam florebat religio cultusque in templis, provecta et dilatata est magnitudo Romani imperii. Nunc autem aiebant, et in plateis queruli declamabant, pluvia desit, causa Christiani. Irati sunt dii, propterea insurgunt Britones, sive Dani repugnant, imo impugnant Germani, jussa contemnunt Alani. Ejusmodi recordatione mundus *recordabitur*, ait, *fortium suorum*, quod videlicet fortes fuerunt, non habentes Deum Christum, aut nomen Christianum, et si fuissent hodie fortes illi, non auderet quisquam inferre nomen istud auribus eorum. Sed audi quod sequitur: *Et ruent in itineribus suis.* Vane *recordabitur* eo modo *fortium suorum* mundus; nam quicunque sic recordati fuerint, ruent in retibus suis, ruent ut mendaces et veritate oppressi. Nam econtra *fortium suorum recordabitur* et ipse ascensor cœli, et efficaciter eorum recordabitur, ut eorum recordatio multum prosit. Postquam fortes sui præsenti vita excesserint, postquam occisi

A et in sepulcro convecti fuerint apostoli sive martyres, utique fortes sui, ita recordabitur eorum ut faciat eos viventibus cooperari, et sermonem eorum confirmare sequentibus signis. Ejusmodi recordatio, ut lectorem amplius delectet, fiet secundum mysticum exemplum illius Samson fortissimi. Cum Philistiim vociferantes occurrissent ei, irruente in se Spiritu Domini inventam maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, et cum sitiret valde, aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, quam de manu projecerat, et egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis refocillavit spiritum et vires recepit (*Judic.* XV). Secundum hanc similitudinem recordatus est iste *fortium suorum*, qui et secundum

B carnem infirmi et ignobiles, at secundum spiritum fortes et nobiles fuerunt, et ita fortes in manu Christi fortissimi, ut cum paucis illis ita comminueret fortitudinem sæculi, **246** sicut ille Samson delevit mille viros in mandibula asini. Ubi illos projecit aut projecisse visus est, quia permisit occidi, quasi curam illorum negligeret, tunc valde sitivit ipse, id est Ecclesia quæ est corpus ejus, et timuit incidere in manus inimicorum, id est infidelium, contra quos illi dum viverent, verbo et opere magnum erant firmamentum. Sic aperuit Dominus sepulcra eorum, ut crebra prodirent fluenta miraculorum unde Ecclesia spiritum refocillavit, et vires recepit, ut constanter dicere possit, Christum Deum suum, Deum *non* esse *mortuorum sed vivorum* (*Marc.* XII), et quia fortes sui omnes illi vivunt tunc et me-

C lius, quando mundo mortui sunt. *Ruent* igitur, ait, *in itineribus suis* illi fortium suorum recordati, quia *recordabitur* et iste *fortium suorum* recordatione bona et efficaci, ut probet quod illorum vana fuerit, et istorum vera fortitudo, cum quibus Niniven, id est mundum, ipse judicabit secundum veritatem præeuntis hujus sæpedictæ præparationis. Ita fiet quod sequitur: *Velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. Portæ fluviorum apertæ et templum ad solum dirutum est, et miles captivus abductus est, et ancillæ minabantur, gementes ut columbæ, et murmurantes in cordibus suis.* Litteralis sensus de subversione illius Ninive manifestus est quod velociter muros ejus Chaldæi ascenderint, et propter obsidionem longissimam ad depellendos

D æstus umbracula sibi præparaverint, et quod apertis portis Ninive, quæ instar fluminum habebat civium multitudinem, ingressus hostis, ut forum aut ædes forenses, ita diruerit et templum, et quod miles captivus abductus sit in Babylonem, et quod ancillæ, id est per metaphoram minores urbes, vel certe captivæ mulieres minatæ sunt ante ora victorum, tantusque terror fuerit ut ne in singultus quidem et ulutatum erumperet dolor, sed intra se tacite gemerent, et obscuro murmure devorarent lacrymas in morem muscitantium columbarum. Sed in bello hominum, ut erant Babylonii contra Assyrios, postquam velociter ascenderunt muros, ad quid illis

præparari umbraculum ? Nam qui obsiderent, tandiu necessarium habent ad depellendos æstus umbraculum sibi comparari, donec muros sive ascendendo, sive irruendo invadere possunt. Ergo viri exercitus ascensores cœli, *viri* qui ut supradictum est, eunt *in coccineis*, ipsi sunt qui velociter muros Ninive ascenderunt, et post eos nobis præparatum est umbraculum. Manifestius dicendum martyres sancti, apostoli sancti. Martyres, inquam, sancti, sanctorum apostolorum filii, ipsi sunt qui velociter ascenderunt muros Ninive, quando nondum erant apertæ fluviorum portæ, quod factum est postmodum sicut protinus sequitur : *Portæ fluviorum apertæ sunt.* Clausæ erant portæ fluviorum, portæ populorum, portæ quas posuerant, quas clauserant hujus mundi principes, reges et tyranni, Cæsares atque imperatores, ut fluviis, id est populis ad vias Evangelii quadrigas, quæ collidebantur in plateis, exire non liceret. Edicta pendebant, leges et proscriptiones in tabulis publicis propositæ erant, ut si quis ad evangelicam fidem exiret nomenque Christianum susciperet, capitalem aut aliam quamlibet subiret mortis sententiam. Hæc erat clausura fluviorum, id est populorum, hæ portæ non apertæ, et hi ferrei vectes portarum. Non exspectaverunt viri exercitus Domini, viri nominati et inclyti, ut portæ fluviorum sese aperirent, ut principes populorum confitendi vel annuntiandi Christum licentiam darent. Velociter muros Ninive ascenderunt, constanter principum sæculi leges supergressi sunt, et Christi nomen ultro intulerunt, non ignorantes negotium istud corporibus suis fore periculosum, imo præoptantes cum dispendio corporum facere lucrum animarum. Ascendentes comprehensi sunt, tenti sunt, ante reges et judices adducti steterunt, accusati non negaverunt, interrogati Christum confessi sunt, diversis pœnis afflicti, diversis mortibus addicti, nonnulli etiam assati gratias egerunt (*II Cor.* XI). Magnus ibi solis æstus, sed *et præparabitur*, inquit, *umbraculum.* Compositis namque, ut supra jam dictum est, agitatoribus illis, interdum refrigescebat æstus persecutionis. Exempli gratia, ut contigit Diocletano de regno ejecto, et Maximiano mortuo. Annuntio vobis, ait moriens martyr insignis, pacem Ecclesiæ Christi redditam, Diocletiano de regno ejecto, et Maximiano hodie mortuo. Hoc erat præparari umbraculum, quod non dimittebat eos tentari supra id quod poterant, vel diutius quam poterant, sed faciebat etiam *cum tentatione proventum* ut possent sustinere. Quid multa ? Imperante Spiritu sancto ac dicente : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ* (*Psal.* XXIII), tandem *portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum est. Portæ*, inquam, *fluviorum apertæ sunt*, id est leges principum deletæ sunt, mortuis principum deletæ sunt, mortuis principibus, qui illas contra nomen Christianum scripserunt, et elevatæ

A sunt portæ æternales, portæ bonæ, justæ leges, per quas rex gloriæ Christus introiret, piorum principum leges, Christianorum imperatorum sanctiones. Itaque *templnm ad solum dirutum est*, idololatriæ cultus destructus est. Portis enim apertis, eruperunt fluvii, malis legibus remotis melioribusque datis, quæ non prohiberent, imo prædicarent Christum coli, certatimque ad fidem confluxerunt populi, et ita desertus est adulter Jupiter cum Junone et Venere, et omni sua turpi progenie, et templa destructa aut in Christi Ecclesias conversa sunt. Tunc *miles captivus abductus est* abductione bona, captivitate beata, ut qui liber justitiæ fuerat, et huic Ninivæ, id est huic mundo, imo et diabolo militaverat, servus justitiæ fieret (*Rom.* VI), et Deo

B creatori suo militaret. *Et ancillæ ejus minabantur*, id est humiles sive ignobiles sæculi, ante currum supradictum boni captivatoris Christi ducebantur. De qualibus Apostolus : *Quæ*, inquit, *stulta sunt mundi elegit Deus, et quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret* (*I Cor.* I). Non hoc dicitur, quod ita elegerit ignobiles ut nollet eligere nobiles : nam *et miles captivus abductus est, et ancillæ ejus minabantur*, id est nobiles pariter atque ignobiles absque acceptione personarum victoris Christi servitio subjiciebantur ; sed hoc dicit Apostolus, quod in initio Evangelii non prius nobilia, sed ignobilia Deus elegit (*ibid.*). Cur hoc ? Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, quod utique futurum erat, si nobiles prius vocati, et per eos ignobiles ad Christi fidem fuissent adducti.

C Quod protinus subjungit, *gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis*, tam de milite quam de ancillis, id est tam de nobilibus quam de ignobilibus debet intelligi. Quid autem *gementes*, unde *murmurantes* ? Non utique quod captivi abducti sunt vel quod minentur ante currum triumphatoris hujusmodi, sed inde gementes quod ab isto Domino sibi incognito liberi, et Ninive, hoc est mundi hujus servi fuerunt, et super hoc murmurantes in cordibus suis, id est semetipsos reprehendentes in conscientiis suis. Murmurare namque interdum in bono accipitur, ut illic : *Ipsi dispergentur ad manducandum, si vero non fuerint saturati, et murmurabunt* (*Psal.* LVIII). Quod **247** est dicere : Ipsi qui conversi erunt, *dispergen-*

D *tur ad manducandum*, id est alios prædicatione sua sibi incorporandum, et *si non fuerint saturati*, hoc est si prædicatio eorum non fructificaverit conquerentur et dolebunt. Itaque et hic cum dicit, *gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis*, sic recte intelligitur ac si diceret, conquerentes ac dolentes de peccatis præteritis, et semetipsas, ut dictum est, reprehendentes in conscientiis suis. Nam licet gratia victoris, et triumphatoris ducentis eos, non ignorent se esse salvatos, non tamen obliviscuntur quales fuerint, et super hoc dolere et conqueri non desinunt in cordibus suis, exempli gratia, ut ille qui dixit, imo hodieque confitetur et dicit : *Ego sum minimus*

apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* XV). Item : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus ; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (*I Tim.* I). Pro hujusmodi recte dicuntur gementes, non utcunque sed *gementes ut columbæ*. Columba namque gemitum pro cantu habet, et istis ita gemere valde dulce est, ita ut quando canunt quidpiam in laudem captivatoris sui. Verbi gratia, ut illud : *Ascendisti in altum, cœpisti captivitatem* (*Psal.* LXVII), sive juxta aliam translationem : *Ascendens in altum, captivitatem duxit captivitatem* (*Ephes.* IV). Quando, inquam, tale quid canunt, tunc demum se legitime cecinisse sciant, quando voces canentium singultus animæ volenti nimisque ultronei, crebro intercipiunt, et de oculis B lacrymas eliciunt. Ibi sunt gemitus similes gemitibus columbæ, quæ nescit nisi gemendo canere vel canendo gemere, tamque dulce est hoc et suave, ut Psalmista testatur : *Fuerunt* : inquiens, *mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Ubi talis vel taliter captivitas abducta est, qualis remanet Ninive? Ait : *Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus, ipsi vero fugerunt. State, state, et non est qui revertatur. Diripite aurum, diripite argentum, et non est finis divitiarum præ omnibus vasis desiderabilibus.* Hæc et cætera quæ sequuntur, quæ contra Niniven dicuntur, talia sunt, ut recte dictum intelligas in titulo prophetiæ : *Onus Onus Ninive*, quippe est *Ninive*, id est condemnatio multitudinis universæ, multitudinis innumeræ, cujus quantitatis comparatione pauci C sunt, qui supradicto modo de Ninive exierunt vel exeunt, qui mundum damnatum et extremo judicio damnandum reliquerunt aut relinquunt. Qualis est, qualis remanet, qualis invenienda et judicanda est ista Ninive ? *Quasi piscina aquarum*, inquit. Aquarum nomine quanquam populi solent intelligi, tamen quoniam sequitur, et non est finis divitiarum, commodius intelligitur affluentia rerum. Culpatur Ninive, culpatur mundus, et Ninive cupiditatis arguitur, dum dicitur, *quasi piscina aquarum*, id est insatiabile receptaculum divitiarum, propter quas contempsit Deum. *Aquæ*, inquit, *ejus*. Quid *aquæ ejus* ? Eclipsim, id est defectionem dictionis fecisse videtur. Eclipsim namque dicunt grammatici defectum dictionis, in quo necessaria verba desunt, ut cui pharetra de auro. Deest enim erat. Hæc in divinis D sermonibus non inusitata est, ut in Psalmo : *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus* (*Psal.* LXXIV). Deest enim, patet locus effugii. Et in Evangelio : *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius* (*Joan.* VI), ita et hic, cum dicit, *atque ejus*, necessaria verba desunt, quæ ejusmodi esse debeant, colligitur ex eo quod sequitur : *Ipsi vero fugerunt*, per hoc namque datur intelligi, quod dicere velit, quia aquæ Ninive, id est divitiæ impiorum et gloria sive voluptates eorum, omne quod in mundo est, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, cuncta quæ sub sole sunt

A hic remanent, et non eos morientes sequuntur, juxta illud : *Quoniam cum interierit dives homo, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* XLVIII). Hic, inquam, remanet : *ipsi vero fugerunt*. Quid est, *fugerunt* ? Cito mortui sunt. *Stulte*, inquit Deus, *hac nocte repetunt animam tuam abs te, quæ autem præparasti cujus erunt* (*Luc.* XII) ? Eleganter brevitatem vitæ hominis, sanctus Scripturæ Spiritus fugam nominare consuevit, ut illic : *Qui*, videlicet homo, *quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra* (*Job.* XIV). Item : *Dei mei velociores fuerunt cursores, fugerunt et non viderunt bonum* (*Job* IX). Multum ergo aquæ Ninive infideles sunt, quæ non sequuntur amatorem suum. Econtra de aquis bonis, quæ non piscinarum sive cisternarum, B sed fontium viventes aquæ sunt. Nimirum constat, quia fideles sunt. Siquidem possessorem sive amatorem suum non relinquunt morientem, sed cum eo vadunt et sequuntur eum ad excelsa, et ibi transeuntem. *Iste*, inquit alius propheta *in excelsa habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis eis datus est aquæ ejus fideles sunt* (*Isa.* XXXIII). Miro autem modo quia dixerat, *ipsi vero fugerunt*, id est velociter nudi et nihil secum portantes de hac vita transierunt miro, inquam, modo et cum hostili irrisione inclamat eis dicens : *State, state, diripite aurum, diripite argentum.* Quanta enim et quam hostilis irrisio est taliter fugientibus, quos turbo mortis nimis invitos abripit, inclamare ? *State, state*, et quando acerbius est dicere, *diripite aurum et diripite argentum* quam dicere diripuistis aurum, diripuistis argentum. Licet hoc etiam satis acerbum sit dicere in tali fuga eorum. *State, state*, inquit, statimque subjungit : *Et non est qui revertatur. Diripite*, ait, *aurum, diripite argentum*, statimque adnectit : *Et non est finis divitiarum præ omnibus vasis desiderabilibus*, quibus verbis insatiabilis eorum fuisse avaritia declamatur. Multum vehemens et omne rhetorum sæcularium grandiloquium excedens, est ista redargutio, qua sub nomine Ninive Spiritus sanctus sanctorum Paracletus in isto sui nominis propheta redarguit mundum de peccato, adhuc addens : *Dissipata et scissa et dilacerata, et cor tabescens, et dissolutio genuum, et defectio in cunctis renibus, et facies omnium sicut nigredo ollæ.* Parum erat arguere de solo avaritiæ peccato, nisi et de universitate malorum argueret, quorum utique avaritia radix est. Septem namque dictionibus grandisonis, quo videlicet numero universitas designari solet, mala omnia quæ avaritiam consequuntur, et quorum ipsa radix est, vehementer declamat. Primo dicit eam dissipatam, secundo scissam, tertio dilaceratam, quarto contabescens, quinto dissolutionem genuum, sexto defectionem in cunctis renibus, septimo facies omnium esse sicut nigredinem ollæ. Dissipata enim est in constanti actione, scissa tam sectarum quam odiorum contrarietate, dilacerata rapinarum et cædium mutuarum assiduitate, et cor tabescens mœrore invidiæ, dissoluta habens genua dissolutione

diffidentiæ, defectionem in renibus cunctis, ita ut nulla sit virtus continentiæ. Quantum enim in superbia tumuit,tantum in libidinem fluxit.Quod ultimum posuit,et facies omnium sicut nigredo ollæ, idem est ac si diceret,omnes diabolo similes existere. Nam ad Jeremiam loquitur Dominus : *Quid tu vides?Et dixi*, inquit : *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis. Et dixit Dominus* **248** *ad me : Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ* (*Jer.* I). Olla succensa ab ipso incendio jugem retinet nigredinem, longe nimiumque dissimilis auro vel argento, quod ex incendio majorem et magis lucidam reportat puritatem.Ita diabolus et tota civitas ejus, *totus hic mundus in maligno positus* (*I Joan.* v), de ipsis malis suis pejor efficitur, multum dissimilis civitati Dei, quæ tunc pulchrior apparet,quando excoquitur igne tribulationis instar auri vel argenti, quod, ut jam dictum est,probatum per ignem amplius enitescit. Quis dinumerare possit calamitates mundi miseri, quas isti paucis,id est septem dictionibus declamavit?Sunt historiæ, libri leguntur divini et sæculares, mala hæc recensentes,malorumque causas quatuor animi passiones,dolorem sive tristitiam, timorem, gaudium, spem. Ex istis quatuor passionibus, ut ipsi quoque sæculares sentiunt,mala hujus mundi oriuntur, quas videlicet passiones congruis hic descriptionibus insinuari,dum præmissis malis dicendo,*dissipata et scissa et dilacerata*, subjungit quatuor hæc:*Et cor tabescens, et dissolutio genuum, et defectio in cunctis renibus,et facies omnium sicut nigredo ollæ*. Nam *cor tabescens* quid aliud est quam tristitia sive dolor aut invidia ? Porro *dissolutio genuum*, timor hujus sæculi est,et qui timorem illum habet,sine dubio ad omne opus virtutis genibus dissolutus est.Gaudium sæculi maxime in renibus est, et proinde defectionem *in cunctis renibus* voluptates inexplebiles intelligimus. Spes mundi non mundo, sed in dæmonibus fuit, et dæmonum thecis, id est simulacris, de quibus scriptum est : *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII),recte et hic dictum intelligimus, *et facies omnium sicut nigredo ollæ*,id est similes illi sunt in quo sperant,in quo confidunt diabolo denigrato, et tenebrarum principi. Quis illas legens historias, imo tragedias truces et sanguineas non exhorrescat atque admiretur quomodo mundus subsistat?Adhuc malum quoddam est hujus mundi quod nondum dixit, malum pejus omnibus malis, malum quod reum hunc mundum convicit,et excusationem tollit de omnibus malis. Quod est illud malum?Nimirum quia venientem ad se Salvatorem Filium Dei non recipit.Malum istud enuntiaturus Spiritus sanctus miro modo vocem suam mutat, quia malum istud cæteris malis dissimile est, et idcirco vero mutata, tanquam judiciali actione,cum judiciaria majestate exclamando percunctatur, percunctando exclamat: *Ubi est habitaculum leonum,et pascua catulorum leonum. Ad quem ivit leo,ut ingrederetur illuc catulus*

A *leonis,et non est qui exterreat. Leo cepit sufficienter catulis suis,et necavit leænis suis, et implevit præda speluncas suas,et cubile sum rapina*. Juxta litteram de Ninive dicitur, quod habitaculum regum fuerit aula nobilium,ad quam perrexit leo rex Babylonis, id est Nabuchodonosor, et catulus leonis subreguli quique ejus, et non fuit qui eis resisteret. Secundum anagogen de leone qui ad istum mundum venit,quod sentimus scrupulose dicimus;quia videlicet cum leonem hunc diabolum nostri majores intelexerunt,nos illum leonem,nos illum catulum leonis intelligi præoptamus,de quo patriarcha Jacob:*Catulus*,inquit, *leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti;requiescens accubuisti leo,et quasi leæna. Quis suscitabit eum* (*Gen.* XLIX) ? Nam iste solus revera B ille leo est,quem non est qui exterreat ; et iste *implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina*, quia *ad pacædam*, inquit,*fili mi.ascendisti*,et ipse de semetipso : *Ego,* inquit, *si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum*(*Joan.*XII).Igitur quoniam hactenus sub nomine Ninive arguatur mundus de peccato, dicendo : *Et Ninive quasi piscina aquarum*, et cætera, pulchrum nobis est intelligere quod nox arguatur de justitia dicendo : *Ad quam ivit leo, ut ingrederetur illuc*,ubi subaudiendum est,et a Ninive, id est ab hoc mundo non est susceptus.Nam in hoc est justitia Dei, quod juxta veritatem suæ promissionis quæ ad patres facta est, Christus in hunc mundum venit, quo facto verax Deus justificatus est in sermonibus suis, et de hac justitia mundus arguitur, quod eam non susceperit.Nam per ordi- C nem dicta sequamur. *Ubi est*, inquit, *habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum* ? Cum multa sint vel fuerint habitacula Ninive,id est multæ civitates hujus mundi, quæ et leonum, et catulorum leonum,et ursorum,et pardorum,omniumque ferarum seu bestiarum habitacula sive pascua meruerint dici, unum tamen nominatim libenter hic inquiri intelligimus habitaculum leonum, et unam pascuam catulorum leonum,ita ut et ipsum habitaculum certum sit nominatum,et ipsi leones sive catuli leonum quid egerint,et qui,vel quando fuerint, non sit incognitum. Arbitramur namque quod ipsa fuerit Hierusalem eamdem ob causam recte dicta vel dicenda Ninive, ob quam dicitur Sodoma et Ægyptus,sicut in Apocalypsi habemus : *Et corpora*, D inquit, *eorum ponent in platea civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est* (*Apos.* XI). Eamdem, inquam, ob causam vocatur Ninive;etenim ipsa erat mundus, qui crucifixo Domino est gavisus, quemadmodum dixit discipulis suis : *Quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem ga debit* (*Joan.* XVI). Quando *ivit ad eam leo catulus leonis, ut ingrederetur illuc*?Nimirum qnando descendit de cœlis,et de gente illa incarnatum est Verbum Dei,utique leo et catulus leonis,id est Deus fortissimus, et Filius Dei fortissimi, *ut ingrederetur illuc,* quod videlicet ipsa noluit,unde et ille dicit ei : *Quoties volui con-*

congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti (*Matth.* XXIII). Leonis ejusdem sive catuli leonis quod vere sit vel fuerit fortitudo maga breviter prædicatur, cum dicitur, *et non est qui exterreat*. Solus enim iste dicere potuit : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Quomodo iste *leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis*? Quomodo *implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina*? *Ad prædam*, inquit, *fili mi, ascendisti*, id est exaltatus es in cruce, infernum confregisti et exspoliasti, atque atrium illius fortis armati tu fortior invadens, universa arma ejus in quibus confidebat diripuisti, et spolia distribuisti (*Luc.* XI). *Cepit* igitur *leo sufficienter catulis suis*, id est idem Christus apostolis vel prædicatoribus suis, quibus moriendo et Spiritum sanctum tribuendo virtutem dedit, et viam fecit quatenus per mundum universum ministerium explerent ejusdem direptionis suæ sive exspolationis. *Cepit*, inquam, *sufficienter*, quia nullus eorum defuit aut deerit *qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII), nullus omnino deest, quem eosdem *quos præscivit et prædestinavit conformes fieri sibi* (*ibid.*), vocet, justificet atque magnificet. Quomodo autem *et necavit leænis suis*, vel quibus leænis suis? Nimirum una leæna et multæ ejus leænæ. una est ejus Ecclesia et multæ quæ per orbem particulares sunt Ecclesiæ, quibus quicunque incorporantur, eo modo necantur, quem significans spiritus Petro dicebat: *Surge, Petre, occide, et manduca* (*Act.* X). Hæc est *præda* qua *speluncas suas implevit*, et hæc 249 *rapina* quæ *cubile suum implevit* ; *speluncas*, inquam, *suas*, id est mansiones quæ in domo Patris ejus multæ sunt, *et cubile suum*, id est paradisum deliciarum. Illic prædam suam deposuit, illic rapinam suam collocavit, prædam utique justam, et rapinam cum judicio raptam, quia non aliena prædatus est aut diripuit, sed sua injuste adempta recte sibi restituit. Quis satis ut dignum est, ut sese res habet, acrimoniam percunctationis hujusce persentit, cum propter causam hujusmodi proclamans : *Ubi est*, inquit, *habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum ejus* ? Qua intentione hic dictum putamus, *ubi est* ? Duobus autem modis dicitur *ubi est*. Alias quidem, dum quis requiritur ut arguatur, velut cum Adam requirens Dominus ait : *Ubi es* (*Gen.* III). Alias autem, cum idcirco requiritur, ut jam non esse ostendatur, quemadmodum in Job dicitur : *Si ascenderit usque in cœlum superbia ejus*, videlicet impii, *et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant dicent : Ubi est ? Velut somnium avolans non invenientur* (*Job* XX). Utrolibet horum modo hic dicatur, nunc *ubi est habitaculum leonum*? Multum ad causam quam præmisemus attinet. Verumtamen quoniam jam diximus Naum interpretari consolatorem, et Paracletum Spiritum sanctum in hoc stare, ut *arguat mundum de peccato et de justitia et de judicio*, et delectat magis hoc sentire, quod dicendo, *ubi est*, idcirco requiratur illud *habitaculum leonum et* illa *pascua catulorum leonum*, pro eo quod leonem jam dictum venientem, *ut ingrederetur illuc*, leonem de tribu Juda Christum, cum viderent eum quasi agnum male susceperunt, tanquam leones et catuli leonum. *Susceperunt me*, ait, *sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis* (*Psal.* XVI). Leones illi pontifices, et catuli leonum Pharisæi fuerunt. Habitaculum leonum civitas Hierusalem, pascua leonum templum opulentum. Ibi namque prædam de populo faciebant, et ob eamdem causam ita pascua catulorum leonum, sicut recte dicta est, et erat illa *domus spelunca latronum* (*Luc.* XIX), et revera ubi arguitur mundus, recte ipsa redargutio ab illo tali leonum habitaculo incipitur, quia veniens ad hunc mundum leo, de quo jam diximus, leo de tribu Judæ Christus, suam illi habitaculo præsentiam corporalem exhibuit, ut primum ingrederetur illuc, et deinde in omnes gentes pœnitentia et remissio peccatorum prædicaretur in nomine ejus (*Act.* XIII). Fatui leones et stulti catuli leonum, qui propositum illius avertere putaverunt, occidendo illum : nam ille moriendo *cepit sufficienter catulis suis*, unde jam dictum est et de ipso quoque habitaculo leonum tam sufficienter cepit, ut nullus deesset de omnibus quos habere voluit. Etenim *crediderunt*, inquit Lucas, *quotquot præordinati erant ad vitam æternam* (*ibid.*). Igitur primo, ut jam dictum est, arguendum erat illud habitaculum leonum, et ita, ut perditionis mundi sive judicii, quo mundus judicandus est per ignem, fieret exemplum. Hoc est quod confestim requisito, et quasi astante reo illo leonum habitaculo, talem edidit sententiam : *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et catulos tuos comedet gladius. Exterminabo de terra prædam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.* Sententia hæc jamdudum super illud habitaculum venit, et eventum ejus totus orbis audivit. *Ecce*, inquit, ad te, dicit *Dominus exercituum.* Quis ille Dominus exercituum hæc dicit, nisi ille leo qui, ut jam dictum est, ivit ad eam, cui hæc dicit ? Nam ipse est Dominus exercituum, et competenter nunc seipsum nominavit Dominum exercituum, dum dicit : *Ecce ego ad te*, subauditur, venio cum exercitu Romanorum. Mei namque non solum exercitus angelorum, verum etiam exercitus hominum, exercitus cunctarum gentium mihique militant, etiam dum nesciunt meamque voluntatem faciunt, dum gens in gentem et regnum consurgit adversus regnum, miroque modo justis judiciis meis, non justa, sed valde injusta intentione sua, serviunt. *Ecce ego*, inquam, *ad te*, non jam ut agnus, sicut prius in multitudine misericordiæ, sed tanquam leo cum exercitibus suis, cum exercitibus Romanis, in ira et justo furore. Talis *ecce ego* veniam *ad te, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et catulos tuos comedet gladius.* Hoc ego faciam per

manus exercituum meorum, per manus Romanorum. *Quadrigas tuas*, id est superbiam tuam, civitates tuas, et omnia superbiæ tuæ instrumenta, ipsumque templum, elationis tuæ currum præcipuum *succendam usque ad fumum*, id est non ita ut exstinguatur et remaneat semiustum, ut fieri solet, quando concurrentibus auxiliis, antequam cuncta devoret exstinguitur incendium, sed ita ut omnibus consumptis et materia deficiente morientis ignis, reliquiæ convertantur in favillam et fumum, videlicet secundum Sodomorum exemplum, de quibus ita scriptum est: *Abraham autem consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam et Gomorrham, et universam terram regionis illius; viditque ascendentem favillam de terra, quasi fornacis fumum* (*Gen.* XIX). Sicut nullus fuit qui exstingueret Sodomam, vel propter quem deberet Deus parcere illi regioni, egresso Loth cum suis, ita nullus erit qui me succendente exstinguat te, ad quam ivi et a qua recessi, et usque ad favillam et fumum ardebis, et tunc *catulos tuos*, id est filios qui in te sunt, *comedet gladius*, id est *cadent ore gladii*, et qui superfuerint *captivi ducentur in omnes gentes* (*Luc.* XXI). *Exterminabo de terra prædam tuam.* Quam prædam tuam, nisi domum tuam, domum quondam meam, quam cum deberet vocari vel esse domus orationis, tu speluncam latronum fecisti (*Luc.* XXI). Illam talem prædam tuam ita exterminabo ut non sit, ut non remaneat *lapis*

A *super lapidem, qui non destruatur* (*Luc.* XXI). *Et non audietur*, ait, *ultra vox nuntiorum tuorum.* Nuntios, quos Græce dicimus angelos, sacerdotes intelligimus, juxta illud in Malachia: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II). Ejusmodi nuntiorum sive angelorum quondam vox audiebatur, quia videlicet sacerdotes hostias immolantes pro populo orabant et exaudiebantur; sed *ultra*, inquit, *vox eorum non exauditur*, et neque preces neque sacrificia de manibus eorum suscipientur. Hinc est quod in Isaia loquitur: *Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isa.*
B I). Proinde cum dicit, *vox nuntiorum tuorum*, pariter intelligendum est, et non jam meorum. Olim quippe sacerdotes illi templi, sicut et prophetæ dicebantur et erant nuntii Domini. De sacerdotibus jam ante dictum est exemplum, *labia sacerdotis* (*Malach.* II), etc. Porro de prophetis illud exemplum sive testimonium est: *Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini* (*Agga* I), etc. Olim, inquam, erat, ut dicerentur illius templi sacerdotes sive prophetæ, angeli sive nuntii Domini, sed ex quo civitas vel gens illa Christum negavit ante faciem Pilati, jam non sunt nuntii Domini, et idcirco *vox nuntiorum* signanter *tuorum* dixit, et non jam meorum, debet subintelligi.

LIBER TERTIUS.

250 Evangelio Christi, in quo *revelatur*, ait Apostolus, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem in injustitia detinent* (*Rom.* I), quorum in hoc propheta sub nomine Ninive intelligimus universitatem, magnum et evidens est veritatis testimonium, id quod, sicut in antedictis ostendimus, manifestum ejusdem iræ primi Judæi subierunt judicium. Verax Christus et veridicus Christi Apostolus, in quo Christus jamdudum loquebatur. *His*, inquiens, *qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (*Rom.* II) statimque subjungens, *Judæi primum et Græci* (*ibid.*). Sicut prædixerat, sicut præscripserat, *Judæi primum*, ita factum est, quia cum Judæus et Græcus sive Judæus et gentilis malum operans, ipse sit mundus damnatus et damnandus, primus jam damnationis partem subiit Judæus, ita ut dubium jam non sit vel esse debeat, quin subditus sit et Græcus, quando pariter in fine sæculi ambo judicabuntur. Plurimum hoc valere arbitramur ad elucidationem prophetiæ hujus, ut in cæteris quoque quæ deinceps sequuntur, sine dubio

C prædicantia iram et indignationem, tribulationem et angustiam in omnem animam hominis operantis malum, semper illud memoriter teneamus, *Judæi primum et Græci.* Sequitur:

CAP. III.— *Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena, non recedet a te rapina.* O civitas sanguinum, civitas diaboli, contraria civitati Dei! Omnis anima *hominis operantis malum, Judæi primum et Græci.* Væ tibi propter hoc ipsum quod es civitas sanguinum, quia videlicet sanguinem effudisti, et in sanguinibus ædificatates. Tu primum, o omnis anima Judæi malum operantis, civitas sanguinum es, plus quam omnis anima Græci, ex quo Christum occidendo, patrum tuorum qui prophetas et justos occiderunt, mensuram implevisti, ut
D *veniret super te omnis sanguis justus, qui effusus est a sanguine Abel justi* (*Matth.* XXIII). Væ tibi, quia tu es civitas sanguinum, ut jam dictum est non tantum eo modo qua anima Græci sive gentilis, sed abundantius quia Græcus sive gentilis qui martyrum sanguinem fudit, legem non habuit, promissiones ignoravit. Tu legem habens, promissiones audiens, et prophetas, et ipsum Dominum prophetarum occidisti. Et universa quidem

civitas mendacii dilaceratione plena, sed tu anima Judæi abundantius quam anima Græci, quia Græci quidem anima in pluribus veritatem Dei in injustitia detinuit, sive in mendacium commutavit, et cum cognovisset Deum, non sicut Deum glorificavit aut gratias egit. Tu autem ipsam veritatem de carne tua ortam, et vidisti et odisti, et mendaciis circumdedisti, et mendacii occasione eam contradixisti. Non dico civitas mendacio plena, sed dico, quod plus est, *mendacii dilaceratione plena*, quia neque omnis Græcus uno modo mentitur, si ipsum mendacium in plures apud eum sectas scinditur et dilaceratur, neque omnis Judæus uno modo de sanctis Scripturis mentitur, sed nunc aliud et nunc aliud confingit, ut effugiat, quoties illum quispiam veritatis, quæ Christus est miles strenuus insequitur. Væ tibi, quia *non recedet a te rapina*, id est remittetur tibi rapacitatis vel avaritiæ culpa, quæ tibi malorum omnium radix exstitit, et causa homicidarum, propter quæ tu civitas sanguinum vocaberis et vere es. *Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, equitis ascendentis et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ, et finis non est cadaverum. Tam pulchra*, inquit beatus Hieronymus (3), *juxta Hebraicum et picturæ similis, ad prælium se præparantis exercitus descriptio est ut omnis sermo meus sit vilior.* Qualiscunque fuerit, quantumcunque terribilis exstiterit ille exercitus Babylonis, qui Niniven in tempore illo subvertit, nullum potest habere comparationem ad magnitudinem fortitudinis iræ et indignationis, angustiæ et tribulationis, quæ superveniet universo orbi in die judicii universalis, quo tendentem prophetiæ spiritum, nostri conantur sequi præsentis intentio sermonis. *Vox*, inquit, *flagelli vox impetus rotæ.* Ubi vocem, quam dicit, audierat iste? Nimirum intus audivit, in interiore homine audivit, ubi sunt vel esse debent aures audiendi mysteria regni Dei, quales Dominus requirebat, clamans ad turbas : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII). Sunt autem de victrici parte voces septem. *Vox flagelli et vox impetus rotæ, vox equi frementis, vox quadrigæ ferventis, vox equitis ascendentis, et vox micantis gladii, et vox fulgurantis hastæ.* Nam quod sequitur : *Et multitudinis interfectæ; et gravis ruinæ, et finis cadaverum non est*, afflictæ partis miseriæ sunt. Per hunc septenarium numerum vocum universitatem intelligimus commotionum, quæ magnæ Ninive, id est mundi hujus præcurrent excidium, secundum hæc verba veritatis, quæ transire non possunt : *Et erunt signa in sole, et luna, et stellis*, et cætera usque, *nam virtutes cælorum movebuntur* (*Luc.* XXI). Et quoniam jam diximus secundum Apostolum venturam esse iram, *in omnem animam operantis malum, Judæi primum et Græci* (*Rom.* II) opportune nunc ad memoriam redit, quia sicut Josephus refert ( ), toties voces Judæus audivit, quando accepturus erat primitias damnationis, id est quando excidium Hierosolymorum **251** venturi erant Romani : Jesus, inquit, filius Aman plebeius et rusticus, cum ad festum diem venisset, quadriennium prius quam bellum gereretur, repente exclamare cœpit : Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hierusalem et templum, vox in maritos novos, novasque nuptas, vox in omnem hunc populum. Septima vox erat magis continua, væ væ Hierosolymis. Quocunque spiritu ille attonitus voces illas declamaverit, nos et illarum et istarum septenario numero vocum designatam intelligimus; illis primum Judæo, hic Judæo pariter et Græco, malorum sive miseriarum universitatem, quæ tunc universo orbo supervenient. Non quidem equis et quadrigis, cæterisque rebus bellicis, quæ hic declamantur, ad judicandum hunc mundum Deus utetur : sed, sicut justum est, ut per quas res peccavit hic mundus superbus ac sanguineus, earumdem rerum nominibus terrores illi prædicentur, cum quibus est judicandus. Juxta hunc sensum et illud dictum accipimus : *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt* (*Matth.* XX). Similiter namque dici convenit : Omnes qui abutentes potentia flagellaverint et imperium rotæ, et equum frementem, et quadrigam ferventem, et equitem ascendentem, et micantem gladium, et fulgurantem hastam agitaverint, sive libraverint, maxime super eos qui Domini Dei sunt, et flagello inundante, et rota impetente, et equo fremente, et quadriga fervente, et equite ascendente, et gladio micante, et hasta fulgurante peribunt, et ipsi interfecti et gravi ruina pressi jacebunt; nec erit finis cadaverum, quia in sempiternum cadavera erunt, quia morte sempiterna mortui vera vita, quæ Deus est, sine fine carebunt. Sequitur : *Et corruent in corporibus suis, propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis. Corruent*, inquit, *in corporibus suis*, scilicet in ara tremendi judicis, ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et in infernum corruere, omnes impii cum ipsis, in quibus peccaverunt, corporibus suis. Quam ob causam? *Propter multitudinem*, inquit, *fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia.* Quæ est illa meretrix? Cupiditas. Quæ enim alia meretrix dici potest vel cogitari, cum qua mundus iste a Creatore suo recedens fornicatus sit? Ipsa est, quæ adornata multis et pulchris creaturarum instrumentis, mundum infelicem per concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum multipliciter decepit, ita ut servire faceret cum creaturæ potius quam Creatori. Speciosa namque videtur, et grata est oculis eorum corruptis et animis ambitiosis, qui attendere nolunt vel perpendere

(3) Comment. in Nahum lib , cap. 3.

(4) *De bello Jud.* lib. I, cap· 17.

quanto speciosor esse possit Deus, omnium Creator et Dominus. Habet et maleficia meretrix ista, scilicet immista suæ voluptati malignorum spirituum insidias, verbi gratia, dum auro vel argento quæ pulchra sunt ita sese adhibent spiritus maligni, ut delitescentes in simulacris, dando responsa, mundum opinione repleverint, quod opera manuum hominum, scilicet aurea vel argentea simulacra, dii sunt. Ita *vendidit* ista meretrix *gentes in fornicationibus suis et familias in maleficiis suis*, quia videlicet per ebrietatem cupiditatis accidit, quod animæ hominum, auri et argenti pulchritudine intantum delectatæ sunt ut se prostituerent simulacris. Non tantum *gentes*, verum *et familias vendidit in* ejusmodi *fornicationibus* vel *maleficiis suis*, id est non tantum illos qui ignorabant Deum, neque per scripturam aliquam nomen ejus audierant, verumetiam eos qui legem acceperant, unde et Deo creatori quodammodo familiares erant, sæpissime secum fecit fornicari, sicut passim fere omnes testantur libri divini: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in faciem tuam, et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam; et projiciam super te abominationes tuas, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum, et erit omnis qui viderit te, resiliet a te, et dicet*: *Vastata est Ninive.* Supra dixerat: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas;* et nunc *dicit Dominus*: *Ecce ego ad te, et revelabo pudenda tua in faciem tuam.* Illic superbiam, hic mundi hujus arguit luxuriam, quæ Deo mala sunt præcipua in perversione totius hominis, quia videlicet superbia spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. *Revelabo*, inquit, *pudenda tua in faciem tuam.* Hoc ipsum in psalmo sic dicitur: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX). Nunc enim per mentis superbiam videre dedignaris vel scire, qualem vel quantam habeas turpitudinis maculam, nec pudet te quod insatiabilem luxuriam et libidinem sequaris passivam, et si vides, non tibi est pudori, imo lætaris cum malefeceris, et exsultas in rebus pessimis (*Prov.* II), et peccatum tuum sicut Sodoma prædicas, nec abscondis (*Isai.* III). Tum nimirum, quando tibi præ magnitudine tribulationis et angustiæ sic superbire, sic lætari, et sic exsultare non vacabit, nuda turpitudinis conscientia, melius patebit in facie tua, in oculis tuis, jugi memoria, quasi libro semper aperto, ut semper legere cogaris, quæcunque fecisti, dixisti aut mente tractasti. Nec soli tibi, o quæcunque *anima hominis operantis malum, Judæi sive Græci*, non, inquam, soli tibi *revelabo pudenda tua*, modo quo jam dixi, sed *et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam.* Quibus *gentibus et regnis*, vel ad quid *ostendam* illis *nuditatem et ignominiam tuam*? Nimirum omnibus gentibus, quascunque feci, de quibus Psalmista: *Venient*, inquit, *et adorabunt coram te, et glorificabunt nomen tuum* (*Psal.* LXXXV), ad hoc ostendam, ut videntes damnationis tuæ causam, sciant etiam laudem judicii vel judicantis justitiam, et scientes dicant: *Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justæ et veræ viæ tuæ, rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Quia tu solus pius, quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt* (*Apoc.* XV). Item. *Salus, et gloria et virtus Deo nostro; quia vera et justa judicia ejus sunt, quia judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione magna* (*Apoc.* XIX). Ut hoc dicant, vel dicere sciant, *ostendam illis nuditatem tuam, et projiciam super te abominationes tuas, et contumeliis*, subauditur tuis, *te afficiam, et ponam te in exemplum*, ut videlicet de te capiant divinæ laudis materiam sive documentum; semperque justæ severitatis vel severæ justitiæ Dei in te sciant experimentum. Quomodo autem omnis qui viderit te, resiliet a te et resiliendo dicet: *Vastata est Ninive?* Videlicet eo modo ut magnum chaos firmatum sit inter te et omnem qui non tenebitur tecum in tua perditione, et multum lætus erit, quod poterit resilire a te, nec saltem ad horam capiet transire ad te pro ulla consolatione. Nam cum dixerit: *Vastata est Ninive*, nihil addet amplius loqui aut adjungere se tibi aliquo verbo vel gustu consolantis. Sequitur enim: *Quis commovebit super te caput? Unde quæram consolatorem tibi?* Commoti capitis aliquando pro insultatione, aliquando pro consolatione solet 252 intelligi. Pro insultatione, ut illic: *Opprobrium factus inimicis meis, viderunt me, et moverunt capita sua* (*Psal.* CVIII). Item: *Deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput* (*Psal.* XXI). Hæc namque prædicta de eo sunt, quod crucifixo Domino *prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua* (*Matth.* XXVII). Pro consolatione vero, ut in Job: *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverunt eum prius, et comederunt cum eo, et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum* (*Job* XLII). Circumstantia discernunt commotionem capitis, utrum consolantium an deridentium sit. Cum dixisset hic, *quis commovebit super te caput suum?* Statim subjunxit: *Unde quæram consolatorem tibi?* Ergo quis commovebit super te caput, idem est ac si dicat: Quis tibi compatietur, quis te consolabitur, et subaudiendum est, nullus. Item cum dicit: *Unde quæram consolatorem tibi?* Opportune ad memoriam redit illud, quod Abraham respondit ardenti diviti. Nam quod uni dixit, omnibus dictum debet intelligi. Unde tibi aditum quæram, ut Lazarum mittam, qui refrigeret linguam tuam? (*Luc.* XVI.) In omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Ergo non est *unde quæram consolatorem tibi*, tempus tuæ consolationis omne præteriit. Recepisti bona, recepisti consolationem in vita tua. Sequitur: *Nunquid melior es Alexandria populorum, qui habitant in fluminibus, aqua in circuitu ejus, cu-*

jus divitiæ mare, aquæ muri ejus, Æthiopia fortitudo ejus et Ægyptus, Aphrica et Lybies fortitudo ejus, auxilio tibi fuerunt. Sed et in ipsa transmigratione ducetur in captivitatem. Parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, et super inclytos ejus mittet sortem, et omnes optimantes ejus affligentur compedibus. Quo tempore hæc prophetia scripta est, quæ nunc vocatur Alexandria dicebatur No, et longe post tempore ab Alexandro Magno Macedone nomen accepit, semperque sub nomine primo, id est No Ægypti metropolis fuit, et abundantissima populis. Denique et hi qui res gesta Alexandriæ memoriæ tradiderunt, principem eam fuisse antumant. Dicitur itaque ad Ninive, nunquid populosior es aut potentior Alexandria? Et describitur situs Alexandriæ, quod super Nilum et mare posita, hinc inde aquis et fluminibus ambiatur. Quod autem Æthiopia Ægyptus, et Aphrica in præsidio ejus sint, ipse situs provinciarum et urbis ostendit. Hæc quoque, inquit propheta, capietur a rege Babylonis, et in captivitatem ducetur (*Jer.* XXXVIII). Parvuli ejus allidentur in capite omnium viarum, et inclyti ejus sive nobiles compedibus dividentur sorte victorum. Nunquid tu melior es illa? Non et tu ergo inebriaberis, et eris despecta, et tu quæres auxilium ab inimico, subauditur, æque ut illa justo judicio. Juxta hanc similitudinem Ninive atque Alexandriæ collationem sive comparationem fieri suggerit prophetiæ spiritus, eorum qui manifeste Deo contrarii sunt, quales illo tempore Assyrii fuerunt, et eorum qui cum negotiis sæculi sunt impliciti, quales maxime Alexandrini fuerunt, non tamen professionis voce blasphemant Deum, imo et profitentur se nosse Deum. Et congrue per Alexandriam populi possunt intelligi; qui nec tam impii sunt, ut possint ab Ecclesia judicari, tanquam apud Deum jam condemnati, nec ita religioni quam profitentur intenti, ut Juda sive Hierusalem mereantur nuncupari. Igitur si conqueratur in extremo judicio Ninive, id est mundus damnatus super sententiam suæ damnationis, *nunquid ait, tu melior es Alexandria populorum.* Et sit sensus: Nunquid tu impiorum universitas juste evaderes impunita, cum etiam multitudo quæ nihil egit tecum contra Deum, multitudo sæculariter quidem viventium, verumtamen veritatem Dei per vim non impugnantium, dignum pro meritis portaverit aut portet judicium, pro eo quod fluctuosis sæculi negotiis nimis intendit, secundum similitudinem Alexandriæ, quæ tam negotiosa quam populosa est, habitans in fluminibus, aquas habens in circuitu, quæ sunt pro muris ad munimentum ejus, unde et ab Æthiopia et ab Ægypto, atque ab Aphrica multæ divitiæ commodius ad eam convehuntur, ita ut mare dici possint divitiæ ejus. Hujusmodi intra terminos ejus, quæ dicitur Hierusalem quamplurimi continentur, et quamvis ibi sint vel fuerint pro suis quisque meritis, aliqui temporaliter, aliqui etiam æternaliter puniuntur secundum similitudinem Alexandriæ populorum, quorum parvulos in capite omnium viarum elisos et inclytos sive optimates, ait compedibus esse afflictos. Hinc illud est, et ad hunc sensum pertinet, quod Petrus apostolus cum dixisset: *Quoniam tempus est ut incipiat judicium de domo Dei* (*I Petr.* IV), continuo subjunxit: *Si autem primum a nobis, quis finis illorum, qui non credunt Dei Evangelio?* (*Ibid.*) Cum illo pariter dicamus, secundum præsentem hujus prophetiæ locum. Si judicia Dei persæpe violentia persecutionis super domum Domini incubuit pro eo quod cum deberent spiritualibus esse intenti, magis carnalia sunt secuti et sæculares effecti, et propter nomen fidei, per omnia fere similes Alexandrinis quæstuosis, quis eorum finis, qui omnino non credunt, et tam verbo quam opere contradicent Evangelio Dei, per omnia similes Assyriis superbis et impiis? Et quoniam jam supra meminimus divitis purpurati, et Lazari mendici, qui duo pro exemplo omni humano generi sunt appositi. Si Lazarus ex nomine Deo notus, impunitus non est dimissus, sed recepit mala in vita sua, quis finis tuus debet esse, o dives, qui et Deo per nomen ignotus es, et recepisti bona in vita tua? Nunquid tu Lazaro melior aut justior es, ut Lazarus nunc una et simplici consolatione consoletur, quia dum viveret, non habuit consolationem vitæ illius, tu duplici consolatione consolatus sis, id est ut et tu purpura indutus et bysso epulatus fueris quotidie splendide, et nunc de intincto in aqua digito Lazari capias refrigerium linguæ tuæ? (*Luc.* XVI.) Non sic se habet ordo vel ratio justitiæ judicii Dei. *Ergo et tu inebriaberis.* O Ninive, cujus exemplum est dives ille, et inebriaberis, inquit, absinthio et felle (*Jer.* XXIII). *Et eris despecta, et tu quæres auxilium tuum ab inimico.* Videlicet sicut quæsivit ille auxilium a Lazaro, quem sibi fecerat inimicum. Lazarus primum quæsierat auxilium ab inimico, jacendo ad januam divitis et cupiendo saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, utique inimici, quia vel micas nolebat largiri, versa vice postmodum dives auxilium quæsivit a Lazaro juste non amico, et non obtinuit. Juxta horum exemplum, o Ninive, o mundus qui totus es deditus avaritiæ atque superbiæ, cum multi qui portandi sunt in sinum Abrahæ, persæpe quærunt, et quæsierunt auxilium abs te in aliqua necessitate, et non solum non obtinuerunt auxilium, verumetiam invenerunt apud te supplicium. Et plane constat quia quæsierunt auxilium ab inimico, id est a te qui odisti eos et adversaris Deo. Reddetur tibi vicissitudo, ut et tu quæras auxilium ab inimico, id est ab omni quem inimicum tibi fecisti injuste persequendo, et non obtinebis; sed dicetur tibi: *Recordare quia recepisti bona in vita tua*, et iste vel ille *similiter mala.* **253** *Nunc ergo hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI). *Omnes munitiones tuæ, sicut ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* Si ad illam, quam subvertit Nabuchodonosor, Ninivem respicias, locutio est hyperbolica. Neque

enim munitiones, aut muri sive turres, vel oppida Ninive tam facile cesserunt Babyloniis, ut in casu suo ficis possint comparari primitivis, quæ si concussæ fuerunt levi tactu, in os cadent devorantis. Porro, de toto mundo isto, sicut dicitur vel sicut littera sonat, ita fiet. Facillime et sicut ejusmodi fici fructus levi motu decutitur, et non in terram, ne saltem parvus labor sit comedentium, sed statim in os cadit devorantis, sic in die judicii quando *manifeste veniet Deus noster et non silebit*, quando *ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX), magno terræ motu cadent munitiones totius orbis, quantæcunque vel qualescunque tam spirituales quam materiales possunt intelligi, et illæ quarum primus structor fuit Cain (*Gen.* IV), et illæ quas contra veritatem exstruxit omnis spiritus erroris, cadent in os devorantis inferni, glutientis abyssi, gehennalis incendii. Sequitur : *Ecce populus tuus mulieres in medio tui.* Et hoc ut ipsa sonat littera, veraciter de Assyriis sentiendum est. Cum enim prius fuerint viri fortes atque terribiles, postremo facti sunt quasi mulieres, maximeque Assyriorum reges, quos maxime viros esse oportuisset. Postremus apud eos, ut refert Pompeius Trogus, regnavit Sardanapalus vir muliere corruptior. Ad hunc videndum, quod dum nemini ante eum permissum fuerat, præfectus ipsius, Mœdis præpositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione ægre obtinuisset, invenit eum inter scortorum greges purpuram colentem et cum muliebri habitu, cum mollitia corporis et oculorum lascivia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Hæc prima tunc temporis destructionis imperio Assyriorum causa fuit. *Ecce* ergo, inquit, *populus tuus mulieres in medio tui.* Statimque subjungit : *Inimicis tuis ad apertionem pandentur portæ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.* De mundo hoc probrose constat edici, ex opposito illius laudationis, qua superius ascensoris cœli viros collaudavit. *Clypeus*, inquit, *fortium ejus ignitus, viri exercitus ejus in coccineis, igneæ habenæ currus ejus* (*Nahum.* II). Isti viri sunt, et istis ad apertionem pandentur portæ hujus Ninive, Domino cum senioribus populi sui ad judicium veniente et populi ejus, mulieres in medio ejus capientur, et in æternam captivitatem devolventur. Tunc *devorabit ignis vectes tuos*, o Ninive, quia judicabitur sæculum per ignem, et non poterit resistere. Sequitur : *Aquam propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones, intra in lutum, et calca subigens, tene laterem, ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te bruchus. Congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sunt cœli.* Ad illam Niniven juxta litteram sic intelligendum est. Prope est obsidio. Hauri igitur aquam, et cura ne potus desit obsessæ. Muni turres, lateres confice ut interrupta murorum struas. Et cum hæc omnia feceris, ut a brucho humus, ita gladio devoraberis. Sed cum multiplicata fueris ut bruchus, et ut locusta in unum pariter congregata, et congregaveris sicut astra cœli divitias tuas, sicut locustæ et bruchus et parva genimina locustarum, quæ vocantur atelebus, sole incalescente avolant, nec reperiuntur, sic tu dispergeris, et fugies. Natura enim hæc locustarum est, ut in frigore torpentes per calorem volitent. Porro atelebus parva locusta est, inter locustam et bruchum, et modicis pennis reptans potius quam volans semperque subsistens, et ob quam causam, ubicunque orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit, quia donec crescant pennæ, abire non potest. Hæc hactenus. Ego autem præsens capitulum mente pertractans, et intus prospiciens, primum, fateor, vim dictorum expavesco, sensumque parumper occurrentem præ pondere ipsius ferre vix valeo, ac deinde beatos illos esse dico qui non generaverunt, memor pariter ipsius Domini dicentis : *Quoniam ecce venient dies in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt* (*Luc.* XXIII). Tanta est insania mundi quæ præsenti loco arguitur, tanta gravitas ejus, qui arguit sanctus Spiritus, ut diu sermo cunctetur, nesciens qua erumpet admiratione præventus. Totum ergo capitulum nunc rursus recitare libet. *Aquam*, inquit, *propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones, intra in lutum, et calca subigens, tene laterem, ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te bruchus. Congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cœli.* Unde sermonis erit initium ? Qua ex parte quæremus explanationis aditum ? Libet primum ingredi ab hac parte qua dicit, *plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cœli.* Nam, post partis hujus ingressum, melius cætera patebunt. Quid ergo est, *plures fecisti negotiationes tuas*, o Ninive, o mundus (cujus quasi caput tunc erat Ninive). *quam stellæ cœli*, nisi plures fecisti generationes tuas, quam destinati unquam fuerint, qui vocarentur sancti secundum propositum Dei, qui omnes stellæ sunt cœli. Vere *plures fecisti negotiationes tuas*, negotiationes carnis negotiando negotiatione infelici, unde congregareris *ut bruchus*, multiplicareris *ut locusta*, cujus videlicet bruchi sive locustæ exiguitas non minimum a stellarum cœli dignitate distat. Numerus et ordo tantummodo stellarum cœli sunt in proposito Creatoris benedicentis primis masculo et feminæ atque dicentis: *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam* (*Gen.* I). Congregatio sive multiplicatio, qua congregaris *ut bruchus*, multiplicari *ut locusta*, non de gratia est illius benedictionis, sed de ira et infelicitate peccati; de ira ejusdem Creatoris dicentis ad mulierem post effectum peccati, pro reatu prævaricationis : *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos* (*Gen.* III). Et quid est *multiplicabo*, nisi permittam multiplicari justo judicio ? Tu enim, o Ninive, non mihi generare desiderans, tu, inquam, mundus, non mihi filios facere cupiens, non mihi de carne tua stellas cœli fabricare intendens, sed tuis voluptatibus incumbens et tantum in terra multiplicari ambiens, intras et

pertinaciter atque intemperanter intrabis in lutum, calcas atque calcabis subigens, et tenebis laterem. Fac quod facis, *intra in lutum, et calca subigens, tene laterem.* Dum te impendis ad coitum, veraciter intras in lutum, dum cito turbine libidinis desuper ageris, tuimet impotens, nimirum calcas subigens, dum complexu stringis et stringeris, sine dubio tenes laterem. Hæc est pars tua, pars sordida, magna infelicitas. Cui servis hoc agens? Cui generas, ita faciens? *Ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te bruchus. Comedet te ignis*, qui non exstinguetur, *et peribis gladio*, quo jandudum percussus est diabolus, *devorabit te bruchus*, id est vermis qui non moritur. Bruchus namque vermis est, volatilis quidem interdum sed suo pondere prægravatus, quia pennulis non satis juvatur, detrahitur et lasso in terra cadit volatu. Sunt igitur istæ ejusmodi sententiæ, *intra in lutum, et calca subigens, tene* **254** *laterem*, quales grammatici sive rhetores concessas appellant pulchro locutionis modo, ita se habentes ut et in compulsione prohibeant, et in prohibitione compellant. Quæ tamen ne non intellectæ persuasionis ecce videantur, permista sunt aliqua verba quæ manifeste repugnant, ne quod dicitur, audientes imperari vel persuaderi putent. Ita hic esse manifestum est. Nam cum dixisset *intra in lutum, et calca subigens, tene laterem*, continuo subjunxit: *Ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te bruchus.* Ubi dixit, *congregare*, mox apposuit *ut bruchus*; ubi dixit, *multiplicare*, statim addidit, *ut locusta*. Continuo scientiam vere grandinosam invexit, habentem plurimum vituperationis *plures*, inquiens, *fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cœli.* Nonne hujusmodi in tali re concessio, magna de supernis est irrisio. Est enim in cœlis nonnulla irrisio, dicente Psalmista: *Qui habitat in cœlis irridebit eos* (*Psal.* II). Et quis unquam sensatus rem vidit vel audivit, quæ superna sit irrisione dignior, quam fuit vel est mundi hujus studium in generando, vel unum pro exemplo sive experimento istud accipe. Gentes insanæ, et ipsi qui sibi sapientes videbantur Romani, proletarios decreverunt in urbibus esse, proletarios ab eo dictos, quod nullam habentes occupationem tantummodo sufficiendæ proli vacarent: infelices ac miseri, ad quid sufficiendæ proli? nimirum ad occidendum, ut non deesset diabolo, unde quotidianum fere posset habere sanguinis humani ludibrium, quotidianum spectaculum, quoniam educebantur dietim morituræ legiones in prælium, ubi velut arida stipula cædebantur, ne dicam millia hominum, potius miriades legionum. Quis non audivit, imo quis audire suffecit, cui legere vel audire vacavit a constitutione mundi continuas mortes hominum ferro, fame atque pestilentia pereuntium? Taceo de mortis conditione communi, quam justitia, imo misericordia cœlestis omni generi humano induxit, dicendo, *quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III), ne videlicet in anima mortuus, vita carnis homo in æternum viveret rapiendus ad judicium,

A non interveniente morte, ut dæmones quibus non morientibus judicium æternæ mortis repositum est. Inde nunc sermo est quod homines mortem naturalem non exspectantes, quoties tam multis in præliis, tantis millibus sese collegerunt atque convenerunt, ruentes in ferrum, ut centenaria millium morientium, mirer si quis ex historiis numerare velit, satis admirari possit. Ad hoc negotium inter cæteras insanias, proletarios quoque, ut jam dictum est, sibi in urbibus collocaverunt, ne deessent alii qui, occisis aliis, substituerentur ad occidendum. Nonne igitur vel pro hac stultitia dignum se fecit mundus, ut ille qui habitat in cœlis irrideret eum dicens: *Intra in lutum, et calca subigens, tene laterem*, et cætera, usque ad id, *plures fecisti negotiationes tuas* B *quam stellæ sunt cœli*, id est, sicut jam diximus, plures morti et inferno generasti, quam sint vel esse debeant omnes electi, propter quos ut nascerentur, Deus masculum et feminam fecit, et benedixit eis? At vero ipsæ stellæ cœli id est electi Dei, filii benedictionis sub hac irrisione plorant, et semetipsos deflent, recolentes illud lutum suæ originis initium, de quo hoc dictum intelligimus: *Intra in lutum*, et semetipsos confitentur lutum esse. Et plorantes dicent: *Et nunc, Domine pater noster tu es; nos vero lutum, et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos* (*Isa.* LXIV). Item, et quilibet eorum dicit: *Memento*, quæso, *quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me?* (*Job.* X). Hæc dicendo utique præoccupant, sive præveniunt *faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV). C Nam quasi oblitus Deus sit de quam fragili, quam vili illos materia fecerit, de quibus cœlestem fortitudinem exigit, ut fortes sint et in cœlum fortiter ascendere velint et stationes habere, quarum similitudinem quamdam præferunt visibiles stellæ cœli, de quibus mentionem præsenti loco fecit, dicendo mundo huic: *Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sunt cœli*, reducunt illi, videlicet Creatori sive plasmatori, ad memoriam unde eos fecerit sive plasmaverit. Nunquid ergo his qui ejusmodi sunt, dicere novit Deus tale quiddam *intra in lutum*, et non potius operi manuum suarum porrigere dexteram, ut non intrent in lutum? Sed et si intrat ordinato introitu, id est, secundum legem quam ipse posuit, qui masculum et feminam creavit et bene- D dixit, non pertinet ad eum irrisio hæc ejus, *qui habitat in cœlis* (*Psal.* II). Quare? Videlicet, quia causam non habent eamdem, quam hic præmisit Scriptura, dicens, *propter obsidionem.* Quænam causa est quæ significatur, dicendo *propter obsidionem*, nisi illa propter quam reprobantur a Deo filii hujus sæculi, quia volunt habere hic manentem civitatem? Propter istam causam, quasi necessario, quasi rationabiliter ruebant gentes in libidinem, et uterque sexus quasi aquam fundebat atque hauriebat immoderatam carnis voluptatem.

Unde notandum quod propriis partibus cuique exprobratur sexui. Femineo videlicet, dum dicitur

aquam hauri tibi, virili, dum dicitur *intra in lutum*. Nam quod aquam haurire, hoc sit mulieri, intemperanter virum subire, de illa Sapientis sententia constat, quam dicit : *Sicut viator sitiens ad fontem os suum aperiet, et ab omni aqua proxima bibet* (*Eccli.* XXVI). Itaque hoc modo exstruere munitiones, scilicet muliere hauriente aquam, viro intrante in lutum, hoc est propter causam supra memoratam, certatim morituras supplere legiones. Taceo de illa parte extremo turpitudinis, quam Apostolus merito horrescens terribiliter percutit, quia *feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam, similiter et masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes* (*Rom.* I). Sufficit, ad præsentis Scripturæ intentionem, exprobrare illud quod aliquam habere videbatur rationem, scilicet quod multos facerent filios propter obsidionem, propter vindicandam terræ habitationem, sive quamlibet civitatem. Non, inquam, pertinet ad eos irrisio hæc, dicentis, *intra in lutum*, et cætera neque *ibi*, sive propter illud *comedet eos ignis*, aut *peribunt gladio*, aut *devoravit eos bruchus*; verumtamen hoc tempore beatiores sunt, qui permanent secundum Apostoli consilium, ut videlicet, *qui solutus* est *ab uxore*, nolit *quærere uxorem, et qui habent uxores, tanquam non habentes sint* (*I Cor.* VII), illud quoque inter cæteras tribulationes carnis reputantes, ne forte quod generant, veniat ad numerum stellarum cœli, quoniam hic ita dictum est : *Plures fecisti negotiationes quam stellæ sunt cœli.* Denique et patribus et patriarchis, quorum primo Abrahæ dixerat Deus : *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes* (*Gen.* XV) ; ac deinceps : *Sic*, inquit, *erit semen tuum* (*ibid.*) : ipsis, inquam, patribus contigit *plures facere negotiationes quam stellæ sunt cœli*, id est ut non omnes quos ipsi generaverunt pertinerent ad numerum stellarum ejusmodi. *Nonne frater Esau erat Jacob*, ait Dominus, *et dilexi Jacob, Esau autem odio habui?* (*Malach.* I). Sequitur : *Bruchus expansus est et avolavit. Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ confidunt in*
255 *sepibus in die frigoris. Sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum, ubi fuerint.* Quia dixerat : *congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta*, immoderatam atque superfluam volens intelligi generationem atque conceptuum infelicium abundantiam, quæ veluti pennati vermiculi de carne hujus mundi quotidie nascendo scaturiunt, permanens in metaphora, grande vanitatis eorum ridiculum pandit, sic incipiens ; *Bruchus expansus est, et avolavit.* Quanti enim æstimat exaltationem sive dilatationem filiorum hujus sæculi, comparando illos brucho expanso et avolanti ? Collando in omnibus sancto Spiritui, quia congruam illis similitudinem invenit. Exempli gratia : Alexander Magnus cujus regnum apud prophetam Johel per bruchum intelligimus (*Joel.* I), quando fere usque ad fines terræ sese magnificavit, natus, ut fertur, de incestu ex

A Olympiade uxore Philippi Macedonis, nonne *bruchus* vermis *expansus fuit* ? At ille *expansus avolavit*, id est velociter decessit, scilicet ætatis suæ anno tricesimo primo, regni autem duodecimo. Quid si quis alius aliquot mensibus vel annis sese expandendo diutius duravit, num diuturna expansio cujusquam debet æstimari, quantorumlibet annorum fuerit ? Nimirum qui pluribus annis vivens in hoc sæculo sese dilatavit, brevi expansione sese expandit, et cito decessit. Illum decessisse, bruchum avolasse est et pulchre non dictum est, expansus est et volavit, sed *expansus est et avolavit*, id est, non rediturus recessit. Quam leve est hujus vitæ momentum, quod adhuc ipse *qui habitat in cœlis*, irridens (*Psal.* II) : *Custodes*, inquit, *tui quasi locustæ, et parvuli tui*
B *quasi locustæ locustarum*. Quinam sunt tui, o Ninive, custodes, nisi sæculi principes, non in Deo sed in sæculo potentes ? Isti igitur videntur esse gigantes, sed ecce quasi locustæ sunt. Subsiliant in curribus, volitent in equis, et in tibiis suis glorientur juvenculi : nam interim spectans eos desuper sapientia, ridet et dicit : *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta* (*Eccle.* XII. Quidnam est *impinguabitur locusta*, nisi intumescent et tumore suo gravabuntur, si ad citam senectam pervenerint, quæ nunc saliunt crura juvenilia ? Infelix floritio, misera impinguatio, cum præ ariditate senectutis canities florescit ; et econtra præ humore inutili, crus aut tibia pinguescit. Qui porro sunt parvuli, de quibus dicit : *Et parvuli tui sicut locustæ locustarum*, nisi vulgus exile sive populares aut plebei, quorum æstimatione
C dum adulantur potentioribus, ipsi potentes quasi gigantes sunt? Utique quantumlibet adulando non efficiunt, ut ipsi potentes quasi elephanti, et qui sub eis quasi boves sint, aut quasi bubuli, sed *quasi locustæ locustarum*, id est minimi, portantes imperia parvorum. Quam vero decenter subjungit : *Quæ confidunt in sepibus in die frigoris, sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerunt*, videlicet secundam naturam locustarum, quæ ejusmodi est, ut in frigore torpentes per calorem volitent. Quid per diem frigoris nisi tempus intelligimus adversitatis, quando, causis exigentibus justum est gentem quamlibet aut regnum tribulari ? Tunc effusæ multitudines exercituum tanquam locustæ in urbibus, aut circa urbes considunt, et tam in vicis
D quam in agris cuncta consumunt. Exempli gratia, ut Assyrii tunc temporis ascenderunt ad universas civitates Juda munitas et ceperunt eas, et obsederunt Hierusalem. Dies frigoris erat, id est, afflictionem propter sua merebantur peccata. Sed *ortus est sol, et* locustæ *avolaverunt*, quia propitius factus est Dominus, et una nocte deleta sunt castra Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum (*IV Reg.* XVIII). Nonne velociter *avolaverunt locustæ* ejusmodi, *et non est cognitus locus earum ubi fuerint*? Sic omnis multiplicitas sive congregatio, quam dixerat, *congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta*, velociter transit et pertransibit, permanebunt

autem stellæ cœli fixæ in altitudine firmamenti, de quibus dixit : *Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sunt cœli*, quia multi reprobi, pauci sunt electi (*Matth.* xx). Sequitur : *Dormitaverunt pastores tui, rex Assur, sepelientur principes tui. Dispersus est populus tuus super montes, non est qui congreget, non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te. Quia super quem non transivit malitia tua semper?* Ecce in verbis istis judicium illud audimus, de quo mundum arguit Spiritus sanctus, *quia princeps mundi hujus judicatus est* (*Joan.* xvi). Nam rex Assur ipse est princeps mundi hujus. Hactenus sermo erat contra Niniven, id est contra hunc mundum, et sub nomine Ninive arguebatur mundus *de peccato, et de justitia* (*ibid*), sicut in initio diximus, nunc sub nomine regis Assur, et ipse princeps mundi hujus judicatus esse ostenditur, ita ut ex hoc loco manifestum fieri possit, quod de judicio ejus recte arguat mundum Spiritus Paracletus, qui in isto propheta loquitur, secundum nomen ipsius, quia Naum ex Hebræo *consolator* interpretatur. *Dormitaverunt*, ait, *pastores tui*, *rex Assur*. Pastores regis Assur hi sunt qui, ut supra dictum est, intrando in lutum, calcando et subingendo atque tenendo laterem, id est opus generationis nimis intemperanter exercendo, congregati sunt ut bruchus, multiplicati sunt ut locustæ. In quo sunt vel fuerunt illi pastores regis Assur? In eo videlicet quod paverunt vel pascunt oves regis Assur, oves occisionis, id est hominum multitudinem superfluam, qui, ut canimus in psalmo, *sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos* (*Isa.* xlviii). O pastores infelices, qui generaverunt quos paverunt, paverunt quos generaverunt regi Assur, de quibus infernus impleatur, quos depascendo mors saturaretur! *Pastores* ejusmodi *dormitaverunt*, ait. Quid est *dormitaverunt*? Mortui sunt, et inde laus Deo, quia sic dormitando pascere vel generari regi Assur cessaverunt. Quid enim est nisi sic dormitassent et generare dsiissent? Cum adeo congregatus sit bruchus et intantum multiplicata locusta, in ista pastorum hujusmodi vita, cum hodieque moribundæ carnis tanta superbia, tanta sit luxuria ut multitudines nascentium persæpe pestilentia, fame, bestiis et gladio succidi oportuerit, et præterea quotidie passim demetat eos mors naturalis, et adhuc mundus plenus sit, quid putas fieri potuisset si non dormitassent aut dormitarent isti pastores, id est si non morerentur homines, ex quo facti sunt trangressores regi Assur obtemperantes? Laus igitur Deo quia dixi : *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et vivat in æternum* (*Gen.* iii), quia videlicet si usque ad diem judicii viverent homines, ut vivunt dæmones, et generarent, quod non faciunt dæmones, quam male fuisset, cogitet qui potest. Misericorditer Deus homini mortuo morte animæ mortem carnis imposuit, nec utcunque mortalem, sed brevissimæ vitæ voluit esse hominem. Nam *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus*, id est in valentioribus, qui diutius durant, *octoginta anni, amplius eorum labor et dolor* (*Psal.* lxxxix). Non ita ante diluvium, sed vivebant alii nongentenis, alii octogentenis, vel septingentenis annis. Quia vero propter illam vitæ quantulamcunque diuturnitatem **256** tam superbi, tamque luxuriosi fuerunt homines, ut Scriptura innuit, dicens : *Gigantes autem erant super terram in diebus illis, et videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ* (*Gen.* vi), etc., recte et opportune pro ipsis experimentum voluit Deus notum esse, quod utiliter hominem anima mortuum carne voluerit esse mortalem, confirmando sententiam quam posuerat, dicens : *Ne sumat de ligno vitæ et vivat in æternum*, confirmando, inquam, et dicendo : *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum (ibid.)*. Porro hæc dormitatio, id est carnis per mortem dissolutio, non solis pastoribus regis Assur, verum etiam supradictis stellis cœli id est his qui secundum propositum vocati sunt sancti communiter impositis est. Sed vide quod sequitur : *Sepelientur principes tui*. Ubi sepelientur nisi in inferno? *Mortuus est dives*, ait Dominus, *et sepultus est in inferno* (*Luc.* xvi). Et apud Ezechielem ipse loquitur : *Ibi Assur et omnis multitudo ejus, in circuitu illius sepulcra ejus, omnes interfecti, qui ceciderunt gladio, quorum data sunt sepulcra in novissimis laci* (*Ezech.* xxxii). Hoc plus habent pastores vel principes tui, rex Assur, quod omnes quidem homines tam boni quam mali dormitaverunt dormitione corporeæ mortis, soli autem mali sepelientur in inferno, propter hoc, quia sunt pastores vel principes tui. Et nunquid aliquando inde huc revocandi erunt? *Dispersus est*, ait, *populus tuus super montes, non est qui congreget*. Quod dicit, *dispersus est populus tuus*, hoc est quod supra dixerat, *bruchus expansus est et avolavit, sed ortus est, et locustæ locustarum avolaverunt*. Et quod dicit, *non est qui congreget*, hoc est quod dixerat, *et non est cognitus locus earum ubi fuerunt*. Causa tantæ perditionis et irrevocabilis judicii superbia est ; idcirco cum dixisset : *Dispersus est populus tuus*, addidit, *super montes*. Nam per montes altitudo illa intelligenda est quæ eisdem regi Assur apud Isaiam his verbis exprobratur : *Et erit cum compleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus* (*Isa.* x). Igitur *super montes*, id est, propter superbiam populus tuus dispersus, quia populus tuus filii sunt superbiæ, quorum tu es, rex Assur, sicut ad beatum Job dictum est de te : *Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ* (*Job* xli) : non ita *dispersus est populus tuus*, non ita dispersi sunt pastores vel principes tui, quomodo dispergitur populus dum fugit : sed ita ut fugere non possint, et ut sua quidem invicem sepulcra sulphure et igne ardentia videre queant, sed alter alteri prodesse vel adesse

non valeant. Sane in dispersione populi hujus regis Assur, latere nos non debet dispersio populi Judaici neque oblivisci aut ignorare debemus quod ipse sit populus regis, imo ille populus maxime est populus regis Assur, et interpretatione quoque nominis hujus maxime Judæi denotantur: Assyrii namque *dirigentes* interpretantur. Et qui sunt dirigentes nisi hi qui semetipsos dirigunt? Qui autem homines magis semetipsos dirigunt quam Judæi, qui *suam quærentes statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X). Igitur inter pastores et principes tuos, o rex Assur, in medio populi tui qui super montes, id est propter altitudinem superbiæ, dispersus est, o princeps mundi hujus Maxime isti considerandi sint quorum dispersionem ipse cum antiquo consilio, qui jamdudum antiquus spiritus ejus loquebatur : *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua* (*Psal.* LXXXV) Factum est secundum illius antiquæ ostensionis consilium, quia videlicet primum, illi pastores vel principes tui quos ita denotavit ut diceret, *quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes* (*ibid.*), dormitaverunt et sepulti sunt, circumdati a Romanis mortui sunt, et in inferno sepulti sunt et qui superfuit infelix populus dispersus, et in omnes gentes ductus est captivus, *et non est qui congreget*, quia qui solus congregat, et congregata restaurat Christus illis ablatus, et abiit ad gentes, et stabile fecit esse quod sibi ostensum est. *Nec occidas eos, disperge illos in virtute tua* (*ibid.*), id est ne penitus eos evellas a terra, sed ubique terrarum disperge illos in virtute tua, in potentia tua. Cur hodie ? *Nequando obliviscantur populi mei* (*ibid*). Unde notandum Judæorum dispersionem ideo factam esse, ut non tantum in uno loco, sed in omni terra fidem gentium confirmarent, dum eum a parentibus suis crucifixum fuisse assererent, et Scripturas in quibus nobis prædictus est se habere non denegarent, atque ita dum vivere permitterentur, eorum etiam testimonio fides gentium certior haberetur. Tandem adversum te, o rex Assur, causam dicit Paracletus, cur vel quo *de judicio* mundum arguere debuerit, quia tu judicatus es. *Non est*, ait, *obscura contritio tua* ; *pessima est plaga tua.* Contritio qua contritus es, illa est qua contrivit mulier caput tuum, juxta Domini judicis edictum quod eduxit super te in initio, dicens ad serpentem ? *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* (*Gen.* III). *Insidiaberis calcaneo* beatæ mulieris, beatæ Mariæ virginis, imo et calcaneo seminis ejus, quod est Christus. Quod ipse non ignorans dicebat : *Venit enim princeps mundi hujus, et non habet in me quidquam* (*Joan.* XIII). Propterea hoc ipsum quod tu in illo quidquam non habuisti, et tamen ad eum venisti, quærens quasi debitum peccati, id est exigens pœnam mortis, contritus es calcaneo ejus, victus es fine, id est passione vel morte ejus. Quis istam contritionem tuam

A non audivit ? *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII), scilicet cœlorum qui istam gloriam filii Dei enarraverunt vel annuntiaverunt, quod ipse moriendo contrivisset caput tuum. *Non* igitur *est obscura contritio tua*, quia videlicet clare in omnem terram est enarrata, clare in fines orbis terræ est annuntiata. Proinde Paracletus recte arguit mundum *de judicio*, quia excusare se non potest, quin audierit judicium quo judicatus es, sive contritionem qua contritus es. Quis itidem non audivit, quia *pessima est plaga tua* ? Eodem namque Evangelio quo enarratur vel enuntiatur, jam dicta contritio tua, pariter enarratur pessima plaga tua, quæ in cœlo plagatus es, ita ut caderes vidente Domino te, o Satan, sicut fulgur

B de cœlo cadentem (*Luc.* X). Plaga illa, plaga est gladii, plaga pessima, sed non pessime, imo optime illata. *Plaga pessima est*, quia insanabilis est ; sed optime illata est, quia tu justissime damnatus sive percussus es. Justissime, inquam, quia tu non utcunque, sed superbe peccasti, *homicida ab initio, qui in veritate non stetisti, in quo veritas non est, qui cum loqueris mendacium, ex propriis loqueris, quia mendax es et pater mendacii* (*Joan.* VIII). Ita maligne peccasti, et ob hoc pessimam, id est insanabilem excepisti plagam gladii, et mirum, quod cum plaga tua tam pessima sit, tu adhuc vivis. Non quidem vere vivis, sed vivere te mentiris, et quasi te viventem defendis. Hinc est illa admiratio in Apocalypsi, de bestia quæ habet plagam gladii, et vixit, vel cujus plaga

C mortis sanata est: *Juxta mendacium tuum plaga mortis* **257** *tuæ sanata est* (*Apoc.* XIII), et tu habens plagam gladii vivis ; sed, juxta veritatem Dei, tam pessima est plaga tua ut in æternum insatiabilis sit, et tu ita mortuus es, ut nunquam ullo modo ad vitam respirare possis. Super hoc judicio mundus arguitur, mundus tibi confœderatus, teque in templis vel simulacris, ut Deum et quasi vivum veneratus, quia postquam judicium tuum in Evangelio Christi revelatum est justius arguitur quisquis a te non est separatus. *Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te.* Auditionem audire plus est quam simpliciter quidpiam audire, sicut aures audiendi habere (*Matth.* XI), plus est quam simpliciter aures habere. Ubi namque hujusmodi verba sive vocabula geminantur, duplex audi-

D tus, scilicet corporis et cordis exigitur sive intelligitur. Ergo *omnes qui audierunt auditionem tuam*, id est audientes crediderunt contritionem tuam, sive pessimam plagam tuam, *compresserunt*, ait, *manum supra te*, id est quam devotas egerunt gratias ei qui contrivit te, qui plaga pessima plagavit. Solent enim fideles et devoti homines, cum primum audierint bonum nuntium de operibus sive beneficiis Dei, citato pietatis affectu oculos manusque compressas sublevare, et cum istis fidei signis sedentem super thronum Domini altissimum laudare, et glorificare. Itaque hoc dicto *compresserunt manum super te*, magna significatur abundantia gratulationis et læti-

tuæ, juxta considerationem justi judicii, justæ vindictæ. *Quia super quem non transivit malitia tua semper?* Interrogando *super quem non transivit malitia tua semper*, vehementius affirmat quod super omnes transierit malitia ejus semper, ex quo enim per serpentem malignus et malitiosus mentitus est dicens : *Nequaquam morte moriemini ; comedite, et eritis sicut dii* (*Gen.* III), semper et incessanter, ex uno et per unum in omnes homines malitia ejus pertransiit, quemadmodum Apostolus : *Quia per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors* A *pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V). *Super quem* ergo *malitia ejus non pertransiit?* Quis non in iniquitatibus conceptus est, et quem non in peccatis concepit mater sua ? (*Psal.* I). Igitur causa hæc, causa magna est cur *super te manum compresserint, omnes qui audierunt auditionem tuam ;* quia te quidem cujus malitia super omnes per unum pertransivit, unus homo qui solus sine peccato exivit, damnavit atque contrivit; ipsos autem de malitia liberavit atque justificavit, qui audientes gravisi sunt, et gaudentes atque credentes *super te manum compresserunt.*

PROLOGUS RUPERTI IN JONAM PROPHETAM.

258 Octavum prophetarum Abacuc jamdudum ingredi ardebat animus, dum adhuc in præcedente, scilicet Naum, totus teneretur intentus. Adhuc enim circa fines illius, videlicet Naum, meditatione fere continua versabatur, et jam quasi de propinquo loco aliquo, illa hujus vociferatio grandis audiebatur. « Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies (Habac. I), » vociferebor ad te vim patiens, et non salvabis? Item : « Domine audivi auditionem tuam, et timui (Habac. III). » Fateor quia vim clamoris hujuscemodi, non sine quodam divino horrore audiebat auris interioris hominis. Namque illuc ingredi cupiebat, memor illius versiculi : « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa (Psal. CXVIII). » Sentiebam aliquid de cupiditate hominis negotiatoris, bonas margaritas quærentis, qui tunc demum unam se invenisse pretiosam margaritam, non vane arbitratur, cum fidem vel justitiam, quæ Christus est, invenit in lege et prophetis, per quos sine dubio locutus est Spiritus sanctus. Novit ipse Christus cordis paterni, cordis aurei margarita pretiosa quasi scrutando Scripturas, scrutando prophetas, ipsum quærit, ista scrutantis anima sanctum invocans Spiritum, qui locutus est per prophetas, ut pulchritudinem talis margaritæ, jam hic per hoc speculum, in isto prophetici sermonis ænigmate sic præostendit, quatenus eamdem in futuro sæculo semper possidere, et sicuti est, videre concedat. Dicit autem Apostolus : « Quia gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus (II Cor. I). » Cum hoc exemplo, et illud ad consolationem accedit, quod vos, o viri ecclesiastici et religiosi, benevoli et spirituales amici, quos in prœmio explanationis Naum prænominavi, parvitatem meam bona spe consolamini fructus percipiendi, his et hujuscemodi verbis. Insiste igitur, bone vir et « viriliter age, et confortetur cor tuum (Prov. XXX). » ut deliciis quas in hac peregrinatione summatim prælibas, tandem pleno ore in regno Dei super mensam ejus edens et bibens perfruaris. Non igitur quasi supra modum gravatus detractionem cujusquam ita vereatur fidelis animus, ut a bono studio decidat, et torpeat remissis manibus, imo stellionis memor sit, qui pennas non habens manibus utitur, et moratur in ædibus regum, et galli succincti lumbos et arietis, nec est rex qui resistat eis.

IN HABACUC PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

259 CAP. I. — *Onus quod vidit Abacuc propheta.* Quo tempore fuerit Abacuc, ex Daniele docemur, ad quem in lacu leonum cum prandio missus legitur (*Dan.* XIV), ait B. Hieronymus, quanquam apud Hebræos illa historia non legatur. Sive quis recipit Scripturam illam, sive non recipit, hic tanquam propheta scribit, quæ ventura cognoscit. Et quomodo propheta Naum, quem hic sequitur, vaticinium habuit contra Ninivem et Assyrios qui vastaverunt decem tribus, quæ vocantur Israel, ita iste onus vidit, id est rem gravem et ponderis laborisque plenam, adversus Babylonem et Nabuchodonosor, a quibus Juda et Hierusalem, templumque subversa sunt. *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies ; vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Quare* B *ostendisti mihi iniquitatem et laborem videre, et prædam et injustitiam contra me.* Recte hic propheta nomen Abacuc sortitus, quod interpretatur *amplexio* sive *luctator*, quia videlicet quodammodo in certamen et luctantem et, ut ita dicam, in amplexum more luctantis cum Deo congreditur, ausus eum ad disceptationem justitiæ provocare, et dicere ei, cur in rebus humanis tanta versetur iniquitas, et injustus contra justum prævalet. *Usquequo, Domine,* inquit, *clamabo, et non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis ? Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem videre, prædam et injustitiam contra me ?* Et factum est judicium et contradictio potentior. *Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium, quia impius prævalet*

« adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. » De suorum statu temporum loqui videtur, quia impius Nabuchodonosor prævaluit adversus justum Judam, et hanc esse causam, quod dixerit judicium non pervenisse ad finem, quia iniquum sit et perversum, ut Josias rex justus a rege injusto trucidetur (*II Par.* xxxv), ut Daniel, Ananias, Azarias, Misael serviant (*Dan.* I), et imperet Babylonius imperator, et inter scorta et concubinas suas Balthasar potet in phialis Dei (*Dan.* v). Sed nunquid ad propheticam perfectionem valet, vidisse illa sui temporis mala, quæ alius quivis ignorare non potuit? Ut quid ergo sic in titulo præmisit, onus quod vidit Habacuc propheta? Simul considerandum, quia quod protinus sequitur : « Aspicite in gentibus, et videte ; admiramini et obstupescite, quia opus factum B est in diebus vestris, quod nemo credet, cum enarrabitur », ad evangelica spectare tempora, Paulus intellexit apostolus, imo qui Paulum assumpserat Spiritus sanctus. Nam ubi dixit Spiritus sanctus : « Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus, quo assumpsi eos » (*Act.* XIII), postmodum ita legimus, quia « Paulus et qui cum eo erant venerunt Antiochiam Pisidiæ. Et ingressi synagogam Judæorum die sabbatorum, sederunt. Surgens autem Paulus » (*ibid.*), sermonem exhortationis habuit ad plebem, quem ita conclusit. « Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis. Videte contemptores et respicite, et admiramini et disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis » (*ibid.*). Littera paululum diversa est, C videlicet secundum Septuaginta Interpretes. Quod si illud repugnare videtur, ne ad evangelicæ gratiæ tempora Apostolum sequentes, respiciamus quod protinus sequitur: « Quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram et velocem; » hoc enim non futurum sed jamdudum fuerat factum temporibus apostolorum ; nos similiter dicimus, quia quando hæc scripsit Abacuc, jam fuerat factum, jam suscitaverat Dominus Chaldæos, et gentium tabernacula possidebant, jamque Judam in captivitatem duxerant. Igitur probetiæ textum ingredientes, quantum possumus mysticorum majestatem sensuum magnificemus, et eum quid locutus est per prophetas ducem sequentem Spiritum sanctum, ipsum in isto propheta non dubitemus loqui Christum Jesum crucifixum. « Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies, D vociferabor ad te vim patiens et non salvabis? » Nunquid enim hoc non illi par aut simile est, quod jamdudum apud Psalmistam dicebat: « Deus Deus meus, respice in me ; quare me dereliquisti ? Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies » (*Psal.* XXI). Si revera David illud non in sua sed in Christi dixit persona, cur non et iste in persona ejusdem dicat hæc similia ? Veraciter hoc dignum est, et Spiritum sanctum decet ut verba quæ per prophetas locutus est, illi ascribantur personæ, **260** de qua jure illi cura est, qui vere justus exstitit, quia peccatum non fecit, et idcirco dum pateretur tanquam peccator.

A dum prævaleret adversus eum justus atque clamaret, et non exaudiretur ad tempus, judicium quærere poterat securus, sicut manifeste in præsentibus dictis habemus. Nam, ut erat fortis luctator, Deum vocat in jus et dicit : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies?* Clamabat autem clamore valido, et exauditus est, quamvis et hic in Psalmo dicat : *Clamabo et non exaudies* (*Psal.* XXI). De hoc Apostolus : « Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset salvum illum facere a mortuis, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia » (*Hebr.* VI). Non quasi ignorans quærit, ut discat, usquequo vel quandiu illum oporteat clamare et vociferari, et exauditionem sive salutem ejus differri, quamvis ibidem con- B tinuo dicat Apostolus : « Et quidem cum esset Filius, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam » (*ibid.*). Scibat namque, sed nondum experimento sciebat obedientiæ laborem, et scientiam ejus non latebat, quod oporteret ilum clamare et vociferari usque ad mortem, mortem autem crucis, et ante illam obedientiæ consummationem non debere audiri, non oportere salvari. Delectat valde ita, ut dictum est, hujus calamitatis in propheta personam intelligere. Nec hoc ita dicimus quod ipse propheta clamoris sive vociferationis ejusdem expers fuerit, sed hoc veraciter dicimus quia quidquid iste vel alius dignum auditu Dei clamavit aut vociferatus est, clamor et vociferatio fuit ejus, cujus spiritus in illis, ut loquebatur, ita et clamabat et vociferabatur. C Unde sicut quodam loco vocari jussus est, *accelera spolia detrahere, festina prædari* (*Isai.* VIII), pro eo quod antequam vocare sciret, antequam in sæculo haberet matrem, et adoptivum patrem, sæpe Hierusalem de hostibus liberavit, ita nihil vetat illum vocari, accelera clamare, festina vociferari, quia videlicet antequam nasceretur de matre, et assumpto homine laboraret, ipse clamabat et vociferabatur in sanctis fidem habentibus promissionis et adventus sui, sine cujus fide non decebat quemquam exaudiri. Equidem in multis exauditi sunt propter eum, sed non ita ut consummaretur prævaricatio, et finem acciperet peccatum, et deleretur iniquitas, et adduceretur justitia sempiterna. Non ita Christus habebat exaudiri, donec ipsemet in sua persona consummaret obedientiam « usque ad mortem, mor- D tem autem crucis (*Philip.* II), quæ futura erat consummatio clamoris et vociferationis. Quod dicit *vociferabor vim patiens*, sensum habet venerabilem, si recolas quod alibi dicit, *quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII), id est quam non merui mortem sustinebam. Unde confestim quodammodo quæritur, dicens : *Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me?* Quod dicit, *ostendisti mihi*, hunc sensum habet ac si diceret, imposuisti. *Ostendisti mihi*, ait, *iniquitatem*, sub auditur, non meam; *ostendisti mihi laborem*, id est imposuisti mihi ut laborem propter iniquitatem, non meam, sed alienam. Nam et hinc Isaias

loquitur. *Et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium* A *nostrum, et Dominus voluit conterere eum in infirmitate, et pro eo quod laboravit anima ejus videbit et saturabitur* (*Isai.* LIII). Ostendit etiam *prædam*, sicut protinus apud eumdem Isaiam : *Disperdam ei*, inquit, *plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam* (*ibid.*) Audiendum diligenter est quod cum dixisset, *prædam*, addidit, *et injustitiam contra me*. Nam tu, Deus, prædam illi, prædam justam ostendisti ut fortem armatum, id est diabolum juste prædaretur, qui fuerat injuste prædatus. At ille qui maxime debuisset eum recipere, ut ei cederent in partem prædæ, repulerunt enim nimis injuste. Hoc recte intelligitur, ubi cum dixisset, *ostendisti mihi prædam*, addidit, *et injustitiam contra me*. Quod modo jam dicto ostendit illi B *iniquitatem, et laborem, et prædam*, non fuit contra ipsum, quia sponte in omnibus subiit obedientiam. Hæc autem injustitia qua repulerunt eum, fuit contra ipsum, quia non fuit ex Deo, licet ut hoc facerent, excæcati et aggravati fuerint per justum Dei judicium. Non autem quasi ignorans dicit, quare mihi hæc ostendisti, sicut et illud in psalmo : *Quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI)? sed hujusmodi quæstionem ideo ponit ita, ut solvat sic : *Longe a salute mea, verba delictorum meorum* (*ibid.*), id est quia te a salute mea longe fieri expostulant delicta meorum. Sequitur : *Factum est judicium, et contradictio potentior. Factum est judicium*, subauditur perversum. Sequitur enim : *Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium,* C *quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum*. Et quid est *judicium perversum*, nisi judicium contradicentium? Præmisso namque, *et factum est judicium*, subjunxit, *et contradictio potentior*; et quid est *contradictio*, nisi legis laceratio? Statim namque intulit, *propterea lacerata est lex*, etc. Jam nunc ut ad sensum intimum expeditior aditus pateat, primo notandum est quod non ita dixit, propterea impius prævalet adversus justum, quia lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium, propterea impius prævalet adversus justum, quia egreditur judicium perversum, sed e converso. *propter hoc*, inquit, *lacerata est lex, et non pervenit ad finem judicium, quia impius prævalet adversum justum*. Non enim hic de illo agitur judicium perverso, quo sæpe judices in- D justi pro muneribus justificant impium, condemmnantes justum, sed de illo quo homines ipsum præsumunt judicare Deum, veluti injustum, quoties adversitatibus fatigari justum, et properari viderint impium. Talibus Malachias propheta loquitur : *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis : In quo eum fecimus laborare? In eo cum diceritis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent. Aut certi ubi est Deus judicii* (*Malach.* II), hoc prænotato, jam nunc ad prælibata prophetiæ verba recurramus. *Et factum est*, inquit, *judicium et contradictio potentior*.

Ubi tu, Domine, *ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me*. Ubi ego clamabam, et non exaudiebas, vociferabar ad te vim patiens, et non salvabas; ibi et in similibus eventibus, id est propter similes eventus *factum est judicium*, subauditur perversum, *et contradictio potentior*, subauditur dictione illorum, qui quod verum dicunt, ut puta *justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* CXVIII). *Potentior*, inquam, eorum dictione, de quibus itidem scriptum est : *Quam bonus Israel Deus, iis qui recto sunt corde* (*Psal.* LXXII). *Contradictio* illorum est qui dicunt, *qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent, aut certe ubi est Deus judicii*? Suam namque contradictionem roborant argumentis quasi rerum evidentium, *quia* videlicet *pacem peccatorum vident, quia non est respectus mortui eorum, et in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur*, imo *et abundantes in sæculo divitias obtinuerunt*, et econtra *justi flagellati fuerunt tota die, et castigatio eorum in matutinis* (*ibid.*), et ego qui omnium justissimus eram vel sum, præ omnibus flagellatus **261** et castigatus, derisus sui, et morti turpissimæ addictus, et *omnes qui videbant me, deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput, me clamante, me vociferante, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me* (*Psal.* XXI; *Matth.* XXVII; *Marc.* XV)? Quia sic impius prævalet adversus justum, potentior contradictio est, utpote præsentibus argumentis muniens se, legem lacerans, legisque Deum ac Dominum blasphemans, adversus eos qui recto sunt corde, resistens illis potentius, seque opponens, dicentibus: *Quam bonus Israel Deus* (*Psal.* LXXII). Laceratur hoc modo lex, et non pervenit usque ad finem judicium, id est, non conceditur verum habentibus judicium, Deum esse bonum, Deum esse justum, Deum curare de rebus hominum, imo egreditur judicium perversum, scilicet omnem, qui facit malum, bonum esse in conspectu Domini, et tales ei placere. Sed nunquid impius semper prævalet adversus justum? Nunquid ille impius, scilicet populus Judaicus, qui tunc prævalens adversus justum crucifixit eum, et laceravit eum, movens caput et dicens : *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum* (*Psal.* XXI); sive illud : *Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum* (*Matth.* XXVII), et his similia. Nunquid, inquam, impius semper validus, et justus ille semper invalidus? Non utique, sed quod continuo mutata voce loquitur : *Aspicite in gentibus, et videte, et admiramini, et obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum enarrabitur. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua, horribilis et terribilis est, ex semetipsa judicium, et onus ejus egredietur. Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis, et diffundentur equites ejus*. Quanta vocis mutatio, non mutata persona. Unus idemque quanta prius

loquebatur in infirmitate, et quam magna nunc loquitur in virtute, jam supra prælibavimus, hujus loci meminisse Paulum in Actibus apostolorum, ubi apud Antiochiam ingressus Synagogam Judæorum, habitum sermonem exhortationis ad plebem, ita conclusit: *Videte ergo, ne superveniat vobis, quod dictum est in prophetis. Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarravit vobis.* Horrende dixit, terribiliter pronuntiavit: *Videte ergo, ne superveniat vobis.* Horrendum namque et terribile est, non credere opus, quod ego operor in diebus vestris, ait Dominus, propter illud quod continuo sequitur: *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos*, et cætera. Nisi apostolicum sensum sequamur, et in illis diebus intendamus, de quibus ipse sentit dictum hoc esse in prophetis, quomodo stabit, aut verum erit, quia opus operor, quod non credetis si quis enarraverit vobis, *quia ecce ego suscitabo Chaldæos*? Nunquid illud opus, quod olim suscitavit Chaldæos et regem Nabuchodonosor, ut ambularent super latitudinem terræ, non crediderunt Judæi, aut non crederent, si narraretur eis? Imo quid opus fuit enarrari illis, præsertim captivis in Babylonia succensa civitate et templo Chaldaico igni? Quis enim illorum hoc ignorare potuit? Adde quod, sicut superius dictum est, temporibus apostolorum, imo et tempore quo prophetavit Habacuc, non futurum, sed jam erat factum, id quod littera sonare videtur præsenti loco, *quia ecce ego suscitabo Chaldæos.* Igitur *aspicite in gentibus, et videte, et admiramini*, sive juxta septuaginta Interpretes, *videte contemptores, et admiramini, et disperdimini*, et cætera verba sint, ut vere sunt, non jam judicaturi, sed jam judicantis justi, adversus quem impius Judaicus populus prævaluit, ut diceret: *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis*, sive *Deus meus, ut quid dereliquisti me? Aspicite*, inquit, *videte*, ait, *et admiramini*, o vos contemptores Judæi, et in omnes gentes disperdimini. Quam ob causam? *Quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum enarrabitur.* Quod est illud opus? *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem*, et cætera. Revera hoc opus non crediderunt Judæi, tunc cum enarrarent apostoli, non credunt nunc cum enarrant successores apostolorum Christiani, quod ego ipse qui in cruce moriens, tanquam derelictus clamavi, qui mortuus et sepultus fui, ego ipse, inquam, nunc vivam, nunc resurrexerim, et adhuc, o Deus Pater, tecum sim, et post paucos ex quo mortuus fui annos, suscitem *Chaldæos*, id est *gentem amaram et velocem*, similem Chaldæis, similem, inquam, id est, quæ veram nimisque perfectam iteret similitudinem eorum, quæ olim gesserunt in vos illi homines, gentili nomine Chaldæi, ita ut eodem mense, imo et eodem die anni succensa civitate, succendant et templum vestrum, quo illud olim succenderunt illi Chaldæi. Nam et hoc Josephus, non negligendum, imo admi-

A randum arbitratus, ita scripsit (*De bell. Jud.* lib. VI), c. 14). Titus autem discessit in Antoniam, decreto postridie mane cum omni exercitu aggredi, templumque obsidere. Sed id plane Dei sententia jamdudum igne damnaverat, evolutisque temporibus aderat fatalis dies, qui erat decimus mensis Augusti, quo etiam prius a rege Babyloniorum fuerat concrematum. Item post ejusdem incendii narrationem. Mirabitur autem, ait, quis in eo etiam circumacti temporis fidem. Nam et mensem, ut dictum est, eum, diemque servavit, quo primum a Babyloniis templum erat incensum. Nec vero solummodo propter hujusmodi similitudinem, illud excidium arbitramur congrue dictum esse suscitationem Chaldæorum, verum etiam propter invisibilem impetum, qui

B profecto simul aderant, spirituum malignorum, quibus sine dubio Judæi secundum animam et corpus traditi sunt, et quos Chaldæi nomine et re significaverunt. Nomine, quia Chaldæi *feroces* interpretantur, re autem, quia populum Dei de terra sua captivum duxerunt, sicut operatione malignorum spirituum in Adam sub peccato captivati, omnes electi in hujus mundi exsilium devenerunt. Magna res, magnum malum, et tam grande, ut dignum se dixerit Spiritus sanctus per os Apostoli, *videre contemptores, ne superveniat* (*Act.* XIII). Commonuit eos, sed non profuit eis, quia non viderunt, non sibi providerunt, ne superveniret eis. Oportebat ergo ita fieri, necessarium erat impleri veritatem judicii, et ita factum est. Suscitavit ille, suscitatus a mortuis, alios

C Chaldæos, alteram Babyloniam, id est Romam. Nam *salutat vos*, ait Petrus apostolus, *Ecclesiæ quæ est in Babylone coelecta* (*I Petr.* V), Romam tropice percutiens, id est, ipsam juxta omnem rerum similitudinem volens intelligi Babylonem. Cur non eadem ratione Chaldæos hic intelligimus Romanos? Hoc est *opus, quod nemo*, inquit, *credet, cum enarrabitur.* Credunt quidem Judæi, imo bene sciunt, et nimis bene noverunt quod venerunt Romani, et similia Chaldæis, imo pejora fecerint eis quam Chaldæi, sed non credunt narrantibus, non credunt prædicantibus, quod ille hoc opus fecerit aut facere potuerit, qui ab ipsis crucifixus est, qui mortuus et sepultus **262** est, quod resurrexerit, in cœlos ascenderit, et omnem habens potestatem in cœlo et in terra, hoc illis facere potuerit. Nemo credit, id est, qui credunt

D sunt paucissimi. Nam qui crederent ex Judæis, fuerunt quidem aliqui, sed in comparatione non credentium, fuerunt et sunt paucissimi, ita ut recte dicas, nemo credit, sicut apud Isaiam eadem veritas: Justus, inquit, perit, et nemo recogitat, sive percipit corde, et viri justi tolluntur, et nemo recogitat (*Isa.* LVII). Verumtamen primo spiritus malignos hic intelligimus Chaldæos, secundarie Romanos, hoc solummodo in hoc mysterio differentes, quo ab equis differunt equites, quoniam hoc dictum est: *Leviores pardis equi ejus*, et cætera. Igitur jam ipsa diligentius verba consulamus. *Ecce*, inquit, *ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem*

super latitudinem terræ, ut possideant tabernacula non sua. Hoc est onus quod vidit Habacuc propheta, hæc est illa, quæ passionem Christi Filii Dei secuta est, ira et pressura, quemadmodum ipse dixit : Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic, et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes (*Matth.* XXIV; *Luc.* XXI). Chaldæos feroces, Chaldæos hostes visibiles pariter et invisibiles suscitavit, quando Romanos adduxit, simulque malignis spiritibus impium qui prævaluerat adversus justum, tradidit, et quis gentem illam, gentem nesciat amaram, gentem velocem? Quam amari humano generi sunt spiritus maligni, et quam veloces ad persequendum et consequendum omnem animam, quæcunque hieme vel Sabbato fugit, id est, quæ deprehenditur in frigore infidelitatis, et tunc primum salutis suæ meminit, quando sicut non est tempus operandi, ita non est licentia fugiendi. Quam velociter gens ista consecuta est impium illum sibi traditum ab illo justo, qui hæc loquitur, quoniam injuste prævaluerat adversus eum. Quod deinde dicit *ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua*, et subinde *leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis*, admiratione magis quam expositione indiget, si recolas, quomodo Romana potentia super latitudinem terræ ambulaverit, quanta egerit. Non utique per orbem terrarum tantum fudisset sanguinis, tam sui quam alieni, nisi dorso ejus tanquam equo gens amara et velox insedisset, gens invisibilis, de qua jam dictum est: Quod deinde dicit, *ut possideat tabernacula non sua*, tam equos quam equites culpat, quia videlicet et Romani nimis cupide possederunt aliena, et malignus spiritus, cum in Evangelio dicit : Regna orbis terræ omnia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa, profecto possidere præsumit tabernacula non sua (*Matth.* IV). Verum nos nunc de illis potissimum agimus tabernaculis, in quibus olim *justitia* habitabat, ait Isaias, *nunc autem homicidæ* (*Isa.* I). Civitas Sion, sive Hierusalem et templum, tabernacula erant, quæ gens ista non possidebat, nec erant sua, quandiu justitia in eis habitabat, justitia fidei et spei, quæ illic reposita fuerat, in promissione adventus Christi, in qua credidit Abraham, et est reputatum illi ad justitiam (*Gen.* V). Non, inquam, possidebat, quamvis illa devastaret ad tempus, ut prius illi fecere Chaldæi, quando Nabuchodonosor, concremata civitate et templo, duxit habitatores in Babyloniam captivos. Ex quo de illis tabernaculis mali agricolæ ejecerunt et occiderunt filium, dominum vineæ (*Matth.* II), ex eo gens ista possidet eadem tabernacula, quondam non sua, nec enim ex tunc ulla in ceremoniis illorum tabernaculorum habitat, vel habitare potest justitia. Qualis ista gens? *Horribilis*, ait, *et terribilis est, ex semetipsa judicium et onus ejus egredietur. Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis, et diffundentur equites ejus.* Duo de gente ista prædicavit, horribilis et terribilis, eamque in duo, scilicet in equos et equites distinxit. Equos homines, equites intellige

A dæmones, hominum malos agitatores, et tam equos quam equites, tam homines quam dæmones, nimirum Chaldæos, id est feroces equos, inquam, id est homines terribiles, equites, id est dæmones horribiles. Igitur gens horribilis atque terribilis. Numquid autem Deus hoc fecit, quod est horribilis, quod est terribilis? Non utique, ait ipse Dominus, sed *ex semetipsa judicium, et onus ejus egredietur.* Quid est judicium, nisi damnatio? Et quid onus, nisi proprii cordis induratio sive aggravatio? Nimirum, ut breviter dicam, cum quis scienter peccat, ita ut de illo veraciter dicas quia subversus est et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus, verum est de illo dicere, quia *ex semetipso judicium ejus egredietur.* Et cum quis gladium accipit, non ut minister Dei

B non ut sit vindex in iram ei, qui male agit, sed ut voluntati vel invidiæ propriæ morem gerat, aut etiam ad male agendum compellat, ut fecit Antiochus, et quique similes ejus, verum est dicere, quia *ex semetipso onus ejus egredietur.* Sic est omnis ista gens Chaldæorum universitas malignorum spirituum et impiorum hominum quia, et proprio judicio condemnati sunt, extollendo se contra Creatorem suum, et in omni pressura, quam faciunt feroces atque superbi, invidiæ vel voluntati propriæ serviunt. Inde se justificat et excusat, mali nullius auctor Deus, nullam creaturam malam esse faciens Creator bonus, dum de gente ista dicit : *Ex semetipsa judicium et onus ejus egredietur.* Quomodo ergo gentem ejusmodi suscitare se dicit? Ait enim, *quia* certe *ego suscitabo*

C *Chaldæos gentem amaram*, et cætera. Ad hæc cita responsio patet, quia aliud est gentem amaram facere, aliud gentem amaram suscitare, sive genti amaræ potestatem dare, quod interdum poscit ordo justitiæ. Exempli gratia : Pharaonem Deus malum esse non fecit, sed cum malus esset, in regiam potestatem suscitavit, quia sic expediebat, et interdum expedit populo Dei, ut qui malus est, fiat etiam potens, sitque in manu Dei virga furoris et baculus indignationis et inde commoda illa proveniunt, quæ Salomon loquitur in parabolis : *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit, si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam* (*Prov.* XIX). Igitur *onus* gentis hujus amaræ, gentis horribilis atque terribilis, *ex semetipsa*, inquit, *egredietur*, id est, spontanea cor ejus impietate gravabitur, et totus in malum erit co-

D natus ejus, unde Deus non erit culpandus, velut auctor amaritudinis ejus, imo laudandus, quod amaritudine ejus bene utetur, ut dum pestilentes flagellantur, aliquis stultus ad sapientiam proficiat, eorum exemplo territus, et qui sapientes fuerint, ut olim Daniel et socii ejus, eodem flagello correpti, melius intelligant disciplinam. Qui porro sunt vel fuerunt pardi, et lupi vespertini, quibus leviores et velociores dicuntur equi hujus gentis? Pardos libet Græcos intelligi, quia videlicet apud Danielem per pardum regnum Græcorum constat in visione significari (*Dan.* VII). Lupos vespertinos arbitramur Persas et Medos, videlicet. Aman hostem Judæorum, et complices

ejus, qui utique Persæ et Medi per ursum in eadem A visione intelliguntur. Illi namque tanquam lupi vespertini, lupi famelici, nihil in mane relinquere volebant, sed totum devorare, universum genus **263** Judæorum, unde Christus nasceretur, delere cogitabant. Lupis illis et *pardis* jam dictis *leviores* atque *velociores* fuerunt *equi* Chaldaici, equi Babylonii, sive illam priorem Babyloniam intelligas, ubi regnavit Nabuchodonosor, sive secundam Babyloniam, id est Romam, de qua jam superius dictum est, quia *salutat vos*, ait Petrus apostolus, *Ecclesia quæ est in Babylone collecta* (*I Petr.* v): Babyloniam namque Romam dicit, propter effusionem multiplicis idololatriæ. Tempore enim Claudi Cæsaris Romæ illam Epistolam scripsit, priusquam Alexandriam mitteret Marcum, cujus ibidem meminit, dicendo : B *Et Marcus filius meus* (*ibid.*). In quo tandem *equi* isti *leviores* fuere *pardis* illis, *velociores lupis* illis. In eo videlicet, quod illuc usque pervenerunt quo intenderunt, et quod insequebantur assecuti sunt. Nam utrique Babylonii civitatem et templum succenderunt, et populum captivum duxerunt. Et priores quidem Babylonii populum intra se captivum tenuerunt, quia sic voluerunt ; posteriores autem vendiderunt, et in omnes gentes captivos distraxerunt, quia sic voluerunt. At vero pardi illi, lupi illi, non tam veloces fuerunt, ut assequerentur, quod voluerunt. Nam lupos quidam, scilicet Aman et complices ejus, regina Ester, et Mardochæus (*Esther.* II), velociores sapienter prævenerunt, pardos autem, id est, Græcos cum Antiocho Epiphane, Judas Machabæus et socii ejus fortiter ab incœpto retraxerunt C (*I Mach.* IV). Equos jam dictos nullus prævenit, nullus retro egit, sed, sicut jam dictum est, pervenerunt, quo intenderunt, perfecerunt quod voluerunt, usque ad ignem, usque ad fumum, usque ad civitatis et templi irrecuperabile exterminium. Adde quod sequitur: *Et diffundentur equites ejus.* Equites malignos spiritus, equos autem eorum homines jam diximus. Parum erat ad vindictam, quod ceciderunt in ore gladii corpora hominum, nisi etiam malignis spiritibus in prædam cæderent animæ illorum *Diffundentur* ergo, ait, *equites ejus*, id est, omnia complebunt maligni spiritus, nullis obsistentibus bonis spiritibus, quippe qui jam abierant, dicentes, ut refert Josephus (*De bel. Jud.* lib. VII, c. 17), migremus ex his sedibus. « Festo, inquit, die quem Pentecosten vo- D cant, nocte sacerdotes intimum templum more suo, ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum quemdam strepitumque senserunt, postea vero subitam vocem audierunt, quæ diceret, *migremus hinc.* » Profecto res quæ subsecuta est, satis astruit, migrasse illinc omnem præsidium bonorum spirituum, et in locum destitutum diffusam fuisse multitudinem spirituum malorum, quos hic dicimus equites invisibiles equorum visibilium, id est bellicorum hominum duros agitatores. Unde adhuc sequitur : *Equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens.* Revera de longe venerunt equites ejus, quia videlicet natura sive conditione, longe a quocunque homine sunt maligni spiritus. Proinde gens ejusmodi horribilis supra dicitur, nimirum et ab humano genere natura longe sunt, et contra humanum genus immani odio feruntur. Et quia veloces sunt, utpote spiritus parum fuit dixisse, *venient*, addiditque *volabunt.* Congrue per hoc verbum volabunt, quod est avium, naturalem expressit velocitatem immanium spirituum. Nec vero quomodocunque volabunt, sed sicut *aquila*, inquit, *festinans ad comedendum.* Aquila rex avium, aves tamen ab aviditate comestionis dictæ sunt, sive ab eo quod vias certas certas non habeant, sed per avia quæque discurrant. Simul sciendum, quod aquilæ figura signum erat in vexillo Romanorum. Cum ergo dicit, *quasi aquila festinans ad comedendum*, mira similitudinis aptitudine velocitatem atque aviditatem simulque potestatem, vimque magnam declamat ejusmodi equitum, id est malignorum spirituum, properantium cum illis Chaldæis sive Babyloniis, scilicet hominibus Romanis suis, ut jam dictum est, equis ad permissarum sibi devorationem animarum. *Omnes*, ait, *ad prædam venient, facies eorum ventus urens.* Cum dicit *omnes*, simul equos et equites, id est homines intelligere pariter et dæmones. De equitibus, id est, dæmonibus ex abundanti est dicere, quam avidi ad efferendas animas venerint prædones. De hominibus vero quam intenti ad prædam fuerint, et cupiditatis quam odibilis, cum multa in historiis experimenta sint, unum hic nimis horrendum non præterire libuit. « Quidam, ait Josephus (*Lib.* VII, c. 27), apud Syrios ex transfugis deprehenditur e fimo ventris aureos colligens. Transglutientes enim eos veniebant, qui cunctos seditiosi scrutabantur, et maxima vis auri fuerat in civitate. Hac arte detecta, totis castris fama percrebuit quod auro transfugæ pleni venirent. Arabum enim multitudo et Syri scissos ventres supplicium rimabantur, et hac ego clade, inquit ille, credo sæviorem non contigisse Judæis. Una denique nocte duorum millium patefacta sunt viscera. » Veraciter igitur *omnes*, ait, *ad prædam venient* statimque subjungit : *Facies eorum ventus urens.* Et revera sic accidit, quia completum est quod ad Mosen prædictum fuerat, *ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII). Hostes visibiles ignem succenderunt visibiliter urentem, et ille ignis in furore Domini succensus est, hostes autem invisibiles animarum prædam devexerunt ad ignem invisibilem, ignem inexstinguibiliter urentem, et hic ardet, et ardebit usque ad inferni novissima, id est usque in finem, vel sine fine, quia sicut regni Dei nullus erit finis, ita nulla inferni erunt novissima. Sequitur : *Et congregabit quasi arenam captivitatem. De regibus ipse triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt. Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. Tunc mutabitur spiritus et pertransibit, et corruet.*

Hæc est fortitudo ejus dei sui. In quem hæc dicuntur, A dubium esse non debet, quin ipse sit diabolus rex equorum et equitum, de quibus ante loquebatur rex Chaldæorum, id est ferocium omnium superbiæ filiorum, tam malignorum spirituum, quam impiorum hominum. Cum de equis et de equitibus ejus sermo haberetur, repente ad ipsum transiit, qui est eorum caput. Nam ne dubites, quin de ipso sermo sit, sic illum devoravit, et designavit. *Hæc est fortitudo ejus dei sui.* Non dixit, *hæc est fortitudo dei* ejus, diabolus enim non habet Deum, nec habere vult, sed ita dixit *hæc est fortitudo* ejus, quia ipse suus est deus, factor suus, quod videlicet ipse dicere fuit ausus unde et apud Ezechielem illis verbis sub nomine Pharaonis arguitur : *Ecce ego ad te Pharao, lex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio flumi-* B *num tuorum et dicis, meus est fluvius, et ego feci memetipsum* (*Ezech.* XXIX). Et alibi : *Et dixisti*, ait, *Dominus contra ipsum, Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi* (*ibid.* XXVIII). Non ergo dubium, quin in quem hæc dicuntur, ipse diabolus sit, quæ ita concluduntur : *Hæc est fortitudo ejus dei sui.* Nunc ipsa verba per ordinem sequamur. *Et congregabit quasi arenam captivitatem, de regibus ipse triumphabit*, et cætera. Non ignoro pleraque horum, quæ hic dicuntur, vel ante dicta sunt, super Nabuchodonosor intelligi posse, sed quia Apostolicam semel sequi auctoritatem libuit, **264** siquidem apostolus Paulus, ut supra dictum est, hujus prophetiæ meminit, dicendo Judæis : *Videte ne superveniat vobis, quod dictum est in prophetis* (*Actor.* XIII), et cætera. Fateor, non libenter recurrit animus ad illum car- C neum Nabuchodonosor, præsertim cum iste Habacuc legatur alicubi fuisse Danielis contemporaneus, quo tempore non futura, sed facta erant, quæ de eodem Nabuchodonosor legimus (*Daniel.* XIV). Verumtamen sive ante, sive post, quam Nabuchodonosor ille Judam in captivitatem congregavit, hæc prophetia contexta sit illud nemo est qui nescire debeat illum gessisse typum diaboli, et quod ita sub nomine ejus diabolus in sanctis Scripturis condemnetur, sicut sub nomine Pharaonis, et sub nomine Assur, suis locis vel temporibus. Igitur *et congregabit*, inquit, id est, congregare non cessabit, *quasi arenam captivitatem*, captivator generis humani diabolus, quandiu in hoc sæculo subsistit humanum genus. Congregare cœpit in Adam, et ex eo congregare non D desinit, aut desinet usque in finem sæculi, *quasi arenam captivitatem*, id est innumerabilem captivitatem. Quis enim dinumerare possit captivitatem generis humani, quam congregavit et congregabit, etiam nunc liberatis ad Christi fidem his, *quos præscivit* Deus, *et prædestinavit conformes fieri imaginis* ejusdem *Filii sui*? (*Rom.* VIII). Et si de cætera multitudine hominum minus curandum, attamen prophetæ de sua gente pro humano affectu erat dolendum. Nam et ipse Dominus *videns civitatem, flevit super illam* (*Luc.* XIX), videlicet considerans juste superventuram illi duplicem mortem, duplicem animarum et corporum captivitatem. Similiter et de risu ejus super omnem munitionem, et de eo quod tyranni, inquit, ridiculi ejus erunt, idem sentiendum si rite perpendimus, id quod jam ante dictum est, quia Paulus apostolus contra contemptores Judæos ad præsentem locum respexit, *videte ergo*, inquiens, *ne superveniat vobis, quod dictum est in prophetia*, et cætera. Ita et illum intellexisse, ita Christum qui in eo loquebatur voluisse libenter accipimus, ac si diceret : *Videte ne superveniat vobis*, ut diabolus per manus Chaldæorum, id est Romanorum, quoniam tunc Roma altera erat Babylonia, congreget de vobis *quasi arenam captivitatem ne superveniat vobis ut dum de regibus ipse* triumphat, vestri quoque *tyranni* vestri principes seditiosi, et nequissimi *ridiculi ejus* sunt, ne superveniat vobis, ut super omnem munitionem vestram, super Antoniam, et super Phaselum, et super Mariamnem, et super Hippidicon, super Macheronta et super Masadan, et super cæteras omnes munitiones vestras, super templum, et super civitatem risu suo, risu fellito, et amaro joco rideat, et comportet aggerem, et capiat eam, per omnia reddens, utpote grande et mirum mortis, qua pascitur, spectaculum præ occulis habens, quantum vel quale in nulla gente vel natione habuisse legitur, si cunctas gentium historias sive tragœdias recenseamus. Legamus Josephum (*De bel. Jud.* lib. VII, c. 46) usque ad munitionis ultimæ excidium, quod vocabatur Masada, et manifestum est quia diabolus ibi habuit unde rideret. Illud enim fuit ultimum, quo comportato aggere, dum caperetur, sicarii qui intus erant numero nongenti simul et sexaginta cum mulieribus simul et pueris, consilium secuti sunt principis Eleazari, tanquam beatitudinis æternæ præmium assecuturi, si semetipsos trucidarent potius quam vivos capi sinerent, hoc modo egerunt. Sorte ex numero suo decem lectis omnium percussoribus, cum universi etiam propter conjuges ac liberos prostratos compositi atque amplexi manibus jacuissent, parato animo se mactandos præbebant, infelicissimum illud exhibentibus ministerium. Novissimi percussores ipsi cum essent decem, uni novem se occidendos supposuerunt, isque novissimus circumspecta multitudine mortuorum, ne quis forte in multa cæde superesset, qui suæ manus egeret, ubi cognovit omnes peremptos, ignem quidem immittit regiæ, vehementi vero manu toto per se transacto gladio, juxta suos occubuit. Latuerunt duæ tantum mulieres et quinque pueri per cuniculos, remque ex his ut gesta fuerat Romani cognoscentes admirati sunt. Novissima hæc, sed non sola fuit Judaicæ mortis insania. Quanto putas risu diabolus risit in talibus, et si in cæteris quoque gentibus habuit unde rideret, hoc unicum fuit ludibrium nulli simile, ubi ipse nimirum in Romanis agens comportavit aggerem, et cœpit civitatem illam Hierusalem, atque inde captivam adduxit animarum multitudinem. Nam, ut Josephus quoque testatur, contigit civitatem illam ad summum felicitatis gradum provectam ad ultimos

casus deponi. Denique omnium post sæcula res adversas, si cum Judæorum calamitatibus conferantur, superatum iri non ambigo. Sequitur : *Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit et corruet. Hæc est fortitudo ejus dei sui.* Ne hominem esse putes in quem loquebatur, spiritum appellat eum, sine dubio volens intelligi diabolum. Non enim dixit *tunc mutabitur spiritus* ejus, quod congrue de homine aliquo loqueretur, sed *tunc,* ait, *mutabitur spiritus,* scilicet ille de quo loquor, qui non caro, sed spiritus. Quid est autem dicere, tunc mutabitur spiritus, nisi ac si diceret, tunc non erit deus ille spiritus? Hoc namque præcipue differt falsus Deus ab eo qui solus est verus Deus, quod ille mutabilis est et multis variatur accidentibus, verus autem Deus incommutabilis est et nullis subjacet accidentibus. Pulcherrime ergo per hoc verbum *tunc mutabitur* Deus non denegatur esse ille spiritus. Et quamobrem, vel intuitu Deus esse denegatur, dicendo tunc, id est, illo tempore mutabitur. Nimirum ob rem certam, ob rem magnam, quia videlicet olim spiritus deus esse sua præsumptione existimabatur, unde et hic protinus cum improperio dicitur Deus suus, his verbis : *Hæc est fortitudo ejus Dei sui,* id est, illius qui ipse suus est Deus dicendo : *Ego memetipsum feci* (*Ezech.* XXIX), sicut jam supra cum prophetico testimonio memoravimus. Quando hæc prophetia condebatur, tunc iste spiritus et dæmonia ejus pro eo colebantur, in simulacris adorabantur, et tunc revera stultus sibi erat Deus, imo *et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thes.* II), ait Apostolus. Futurum enim erat, ut statim post risum quo risit super templum illud, super civitatem et munitiones ejus, super Judæam, in qua sola notus eatenus fuerat Deus, dum ipse in gentibus quasi Deus haberetur, statim, inquam, ipse vanitatis arguitur, tantaque mutatio fieret circa ipsum, ut cognosceretur esse non Deus, sed diabolus, suumque ammitteret atrium illud maximum, id est Romanum imperium. Et econtra Deus, sive Dei Filius, Christus, pro uno templo, super quod ille fecit risum juste permissus, et pro una gente Judæa in qua debuerat esse notus, innumera per orbem terrarum haberet templa, et a cunctis coleretur gentibus expulso illo, tam de templis, quam de ipsarum gentium cordibus. Tunc ergo, inquit, mutabitur spiritus, nimirum magna mutatione, ut appareat mutabilis diabolus, qui putabatur esse et volebat videri incommutabilis Deus. Hæc mutatio continget ei secundum similitudinem illius Chaldei, sive regis Chaldaici, qui dum eodem spiritu inflatus, dice-
265 ret : *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei,* statim dematatus est in amentiam bovis? *Fenum,* inquit superna vox, *quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te* (*Daniel* IV). Secundum illam, inquam, similitudinem mutabitur, ait, spiritus, ut videlicet, et ipse fenum ut bos comedet, sicut ad beatum Job de

A ipso dictum est : *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fenum quasi bos comedet* (*Job* XL). Nec vero sic solum mutabitur, verum etiam et *pertransit,* ait, *et corruet.* Ergo non bona mutatio hæc, cujus finis hic est, quod pertransibit et corruet. Perversa mutatio hæc, quoniam non fecit ille, qui solus incommutabilis est. Etenim præter ipsum omne quod est, mutabile est, sed aliorum quidem mutationem ille fecit, aliorum autem non fecit. Mutationem bonorum fecit in bonum, ut puta cœlorum, id est sanctorum, de quibus in psalmo scriptum est : *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI). Hæc mutatio cœlorum bona
B est, et hanc facit immutabilis Deus, qualem et nos speramus, quando mortui resurgent incorrupti. Ait quidam ex ipsis cœlis, Paulus apostolus: *Et nos immutabimur* (*I Cor.* XV), id est impassibiles efficiemur. Hinc est illud in titulo psalmi quadragesimi quarti In finem pro his, qui commutabuntur, subauditur, perfecta commutatione, quæ in futuro erit, quando de tristitia in gaudium, de imperfecta ad perfectum convertentur, quantumcunque despicabiles et contemptibiles in hoc mundo videantur. Non illis improperatur, aut improperabile est, imo promittitur, et in lætitia prædicatur, quia mutabuntur, quorum Dominus Deus est; sed huic, qui suus Deus est improperabitur, quia mutabitur, additurque, et *pertransibit, et corruet.* Quod si quis objicit de cœlis
C jam dictis, quod et ipsi pertransibunt, quia sic dictum est : *Ipsi peribunt, tu autem permanes,* scire debet, quoniam perire illorum, hoc secundum carnem ad tempus interire est. Simulque videat ordinem dictorum, quis spiritus iste primum mutatur, et deinde pertransibit et corruet. Cœli autem illi primum peribunt, et deinde tu, Domine, mutabis eos, et mutabantur. Finis hujus corruere est, quia vitio suo mutatus est, finis illorum mutari est, quia virtus, id est spes eorum in cœlis reposita est. Quousque tandem pertransibit, vel quid pertransibit? Numerum suum pertransibit, quousque expleat suum numerum pertransibit. Habet enim numerum suum, et hic sapientia, est dicitur in Apocalypsi : *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ* (*Apoc.* XIII).
D Numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex. Numerus hominis senarius est, quia sexta die homo factus est. Porro, numerus septenarius quodammodo numerus est Dei, quia die septimo requievit. Omnis hominis numerus, qui ad requiem Domini non pervenit, qualibus juravi, inquit, in ira mea, si introibunt in requiem meam, omnium, inquam, qui creatura Dei vel semetipsis abutuntur, et dilectionem Creatoris non habent, vel qui creaturæ potius quam Creatori serviunt, numerus senarius est. At vero ipsi diabolo numerus iste triplicatus, imo terdecuplatus est, quia numerus sexcenti sexaginta sex. Quam ob causam? Nimirum

quia judicium ejus est triplex, tertio judicatus est, ita ut super illum loqui deceat majestatem supernam. Ter juravi in ira mea, si intrabit in requiem meam (*Isa.* XIV). Olim quippe de cœlo projectus est propter superbiam, quia contra Deum se extulit. Deinde judicium maledictionis accepit in serpente, per quem hominem decepit (*Genes.* III). Tertio judicii sive damnationis incremento feriendus est in illo quem ingressurus est homine peccati, filio perditionis (*II Thess.* II). Illuc usque pertransibit, et tunc demum repleto numero suo, corruet, ait, videlicet sicut ad beatum Job loquitur Dominus, quia *videntibus cunctis præcipitabitur* (*Job* XL). *Hæc est*, inquit, *fortitudo Dei sui*, et hoc exprobrantis elogium est, hæc est fortitudo, id est, talis est fortitudo ejus, utique fallax fortitudo, vana fortitudo. Nunquid enim vera fortitudo est equitare, captivitatem quasi hominum congregare, de regibus triumphare, et tyrannos ei rediculos esse, super omnem munitionem ridere, comportando aggerem, et capiendo eam, et tunc mutari, ac pertransire et corruere. Non est hæc fortitudo vera, imo arrogantia cæsa, non alta omnipotentia, imo tumida impotentia. Attamen ille interim, antequam corruat, vel præcipitetur, ut jam dictum est, *in ignem æternum, qui paratus est ei et angelis ejus* (*Matth.* XXV), fortis sibi videtur, quia quidpiam posse putatur, fortis, inquam, et Deus, extollens se supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur Deus, ut jam supra dictum est, suus, et ut dicit ipse a semetipso factus (II *Thess.* II). Quapropter judex verbum Dei novissima illum dictione irridendo denotavit. Cum enim dixisset: *Hæc est fortitudo ejus,* subjunxit, *Dei sui,* hoc est, qui semetipsum fecit, sicut sibi arrogare præsumpsit. Sed id jam superius ex propheta Ezechiele demonstratum est (*Ezech.* XXIX). Jam ergo his pertractatis, audiamus quid sequatur : *Nunquid non tu, a principio, Domine Deus meus, sancte meus, et non moriemur ? Domine, in judicium posuisti eum, et fortem ut corriperes fundasti eum.* Hæc et cætera usque ad id: *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.* Propheta in suimet persona loquitur, statim quippe subjungit, *et respondit ad me Dominus, et dixit : Scribe visum, et explana eum super tabulas, et percurrat qui legerit eum, qui adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur. Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit.* Hæc ergo, *nunquid non tu a principio, Domine Deus meus, et non moriemur, Domine, in judicium posuisti eum, et fortem ut corriperes, fundasti eum ;* hæc, inquam, reddidit ad ea quæ audierat intus, quæ audierat in spiritu. Audierat personam Christi Filii hominis, Filii Dei, primum ex infirmitate, in qua dereliquit eum Deus, dicentem : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies,* et cætera usque ad id, *tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet. Hæc est fortitudo ejus Dei sui.* Ad illa duo, quorum alterum infirmitatis, hæc duo reddidit propheta fidelis. Nam quod ait : *Nunquid non tu a principio, Domine meus Deus, sancte meus, et non moriemur,* pulchre hic intelligitur, ut si vox fidei et confessionis, vox pietatis et animi compatientis, animi inclinati et proni ad agoniam, Filius fili hominis in passione agonizantis, ubi et apparuit illi angelus de cœlo confortans eum, et prolixius orantem, factusque erat sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Loquitur ergo ad eum taliter, uti quemque nostrum loqui vult ipse qui per eum loquitur Spiritus sanctus, quoties agoniæ sive passionis illius commemorationem facimus, eumque propter nos in cruce pendentem memori mente contemplamur. Est namque in his verbis confessio veritatis, non quomodocunque, sed confessio cum admiratione, admiratio **266** cum confessione. *Nunquid*, ait, *non tu eras a principio, Domine Deus meus, sancte meus ?* Nonne tu es verbum quod eras in principio apud Deum. et Deus Verbum, et Verbum caro factum, et propter hoc quia tu mortuus es fiet nobis, quod non moriemur ? Vere a principio, nam et alia Scriptura dicit, cujus quoque Apostolus ac Hebræos pro tua persona meminit. *Et tu*, inquiens, *in principio Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI ; *Hebr.* I). Confortare igitur, Domine meus, sancte meus, quia non ad insipientiam tibi, quod videtur te dereliquisse Deus, imo ad magnam sapientiam, magnus enim erit mortis tuæ fructus, quia non moriemur, quia et si peribunt cœli, id est sancti morte carnis, tu primus resumpta carne permanebis, eosque veterascentes sicut vestimentum, pro conditione mortalitatis, tu velut amictum mutabis vera resurrectione ejusdem carnis, et mutabuntur, ita ut jam ex eo semper in æternum incorruptibiles et impassibiles sint.

Porro hoc alterum, quod continuo subjungit : *Domine, in judicium posuisti eum, fortem ut corriperes fundasti eum,* viventi ex virtute Dei digne dicit eidem Christo Domino. Cujus infirmitas ex nobis sumpta pertransiit. Nam *in judicium posuisti eum, fortem ut corriperes fundasti eum,* quem putamus, nisi illum risorem diabolum, de quo nunc dicentem, audiebat eumdem Dominum. *De regibus ipse triumphabit et tyranni ridiculi ejus erunt, ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam, tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet, hæc est fortitudo ejus Dei sui ? Eum,* inquit, *Domine in judicium posuisti eum ut corriperes, fortem fundasti,* videlicet secundum similitudinem Pharaonis, cui dixisti : *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra* (*Exod.* IX). Ergo non solum eum, sed maxime eum, Domine, posuisti in judicium, ut ostenderes in eum fortitudinem tuam, et ut co-

gnosceretur nomen tuum, non tantum in omni terra, verum et in omni cœlo et in omni terra. Ubi posuisti, vel in quo fundasti eum? Non enim suspicandum nobis est quod tuum ponere, hoc sit malum facere; quod tuum fundare, hoc sit velle superbum esse. Non ita posuisti eum, non ita fortem fundasti eum, sed nec quempiam malorum sive fortium hominum. Utique non Pharaonem, non Assur, sive Nabuchodonosor, non Aman superbissimum, non Antiochum, sive Herodem fecisti malum, vel voluisti esse superbum, sed cum essent mali atque superbi, posuisti illos in sublimi, et hoc in judicium, fundasti eos fortes, et hoc ad corripiendum. Oportet enim notum esse qui ad hoc corripitur, ut ejus exemplo cæteri corrigantur sive erudiantur. Ubi ergo posuisti eum in judicium, ubi fortem fundasti eum ad corripiendum? In monte sancto Dei, quemadmodum apud Ezechielem ipse dicis: *Tu cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulasti: perfectus in viis tuis, a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te* (*Ezech.* XXVIII). Sciebas qualis esset, et quia sciebas quod corripere volebas, idcirco illuc eum ponebas, ut primum fieret notus, et tunc demum corriperetur, nisi enim fuisset notus, non tam multi exemplo ejus erudirentur, quemadmodum et de Pharaone dici convenit, quia nisi in regnum fuisset elevatus, non hodie neque ipsum, neque correptionem, qua correptus est, tam bene sciremus. Ibi posuisti eum in unum ipsius judicium, ibi fortem fundasti eum, fortem, inquam, quasi cedrum, validum habentem radicis suæ fundamentum. Non solummodo fortem, verum etiam pulchrum et magnum. Nam itidem apud Ezechielem dicis de illo, *Domine Deus, ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini, quoniam speciosum feci eum* (*Ezech.* XXXI). Non igitur reprehendendum, imo laude dignum, quia justum est, quod nunc dicis, *tunc mutabitur Spiritus, et pertransibit, et corruet.* Sed nec illud reprehendere ausim, quod inter

A cætera suæ tyrannidis opera, quæ agendo in hoc mundo tyrannizat, et super omnem munitionem ridet, maxime super munitionem meam, super gentem meam, super templum et civitatem Hierosolymam ridebit et comportabit aggerem, et capiet eam. Nec illud, inquam, reprehendendo, imo hoc dico: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Econtra, immundi sunt oculi judicum perversorum, et idcirco væ illis, quia vident malum et ad iniquitatem respiciunt, dum dicunt malum bonum, et bonum malum (*Isa.* V). Ista ratio vel sola sufficiens est, si quæram ego, si quærat alius quiscur illum tu super munitionem, sive civitatem illam ridere, et eam capere permiseris, cum gens tua sit, et locus tibi dicatus fuerit, cum-
B que tu natura clemens sis, præsertim cum tu videns civitatem illam, et illum diaboli risum perspiciens imminere, fleveris super illam (*Luc.* XIX). Si quis, inquam, quærat cur ita sit, ista ratio sive responsio sufficiens est, vel mihi vel cuilibet alii. Exempli gratia apostolo Paulo dicenti: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ* (*Rom.* IX), et cætera. Rationem hujusmodi debet admittere dolor, ut dicat: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris,* quod est dicere. Non poteris favere facientibus malum, facientibus iniquitatem,
C quamvis cognati tui sint secundum carnem, sicut et nostri cognati sunt cognati prophetarum et apostolorum, tristitiam magnam et dolorem continuum pro illis habentium. Quod dicimus *hoc respicere ad iniquitatem non poteris*, tu confirmas Evangelio, cum dicis: *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio, judico* (*Joan.* V). Præmiseras namque, in judicio tuo nullam esse acceptionem personæ, dicendo: *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V), et subaudic ... est, absque distinctione Judæi et Græci.

LIBER SECUNDUS.

267 Loquentem ad Deum hominem, et volentem ut tanta majestas voluntatem ejus faciat, oportet aliquid veræ fortitudinis habere, id est justitiæ, ut scilicet nihil eorum petat, quæ justo Deo facere non convenit, nec ita velit eum esse misericordiæ memorem, ut obliviscatur judicii. Sic Abraham cum Deo ratiocinari potuit, cum esset ipse, ut fatebatur *pulvis et cinis*, quia videlicet ultra id quod justum erat loqui non addidit, interpellans pro Sodomis. Non enim justum erat apud Deum, illos reservari, si in tanta multitudine non invenirentur saltem de-

D cem justi (*Gen.* XVIII). Sic Jacob cum Deo luctari potuit, et esse vel dici contra Deum fortis, quia luctando nihil injustum extorquere voluit, imo esuriens et sitiens justitiam, benedictionem flagitabat, qua sperabat justificari (*Gen.* XXXII). Sic Moses Deum dicentem: *Dimitte me*, tenere potuit, quia non exigebat ab eo, quod injustum esset, quatenus impunitos dimitteret auctores peccati in reatu vituli, sed ut ita judicaret vel puniret illos, quatenus ipse nihilominus verax permaneret et justus, in eo quod Abrahæ promisit, et repromittendo juravit

(*Exod.* xxxii). Sic et iste secundum nomen Habacuc, quod interpretatur *luctator*, luctari potest cum Deo, et loqui velut arguendo, quia non defendit impios vel injustos super quoscunque videbat risum esse, permissum esse diabolo, sed justum esse concedens super illos judicium, juxta quod novissime dixit : « Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris, » id solum in ratione cum Deo ponit, quod dum in sæculo puniuntur injusti, sicut per manum Romanorum puniti sunt impii Judæi, multa etiam patiuntur justi tanquam injusti, agitante potentes hujus sæculi homines eodem illo spiritu, de quo ipse Dominus supra locutus, hoc ita incipit : « Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se. » Hæc et cætera quæ sequuntur ita tractare ingredimur, ut præ oculis habere velimus illud sanctorum, quorum hic unus est desiderium desiderantium ejus qui venturus est, et cui hic loquitur, adventum secundum, qui cum venerit, jam et iniquo iniqua agere, et impio justiorem se devorare non licebit. Quid enim aliud iste dicit et clamat quam dicunt et clamant subtus altare animæ interfectorum, et propter verbum Dei, et propter testimonium quod habent, clamantes voce magna, et dicentes : « Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra? » (*Apoc.* vi.) Denique id quod dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec impleantur conservi eorum et fratres eorum, nonne simile est ei quod responsum est huic : « Apparebit in finem, et non mentietur ; si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet et non tardabit? » (*Habac.* ii.) Igitur quoniam propheta est, non dubium quin de regibus longe post futuris proloquitur, ad Christi venturi prospiciens tempora, sic istam querelam, « quare non respicis super iniqua agentes, » et cætera perpendere dignum est tanquam ingemiscentis, propter illas quas sancti et justi passi sunt persecutiones sive pressuras, per idem illud bestiale imperium, sub quo et ipse Christus passus est et in vindictam sanguinis ejus accidit famosum illud excidium Hierosolymorum. *Quare*, inquit, « non respicis super iniqua agentes, » subauditur impiorum principes, per totum orbem leges impias et iniquitatis edicta ponentes, *et* quare *taces*, Domine, « devorante impio justiorem se ? Quos enim impius quilibet in hoc mundo princeps, diaboli satelles, ut fuit Nero, et post illum quamplures, quos, inquam, non potuit pietate nudare, sibique conformare, illos secundum corpus proposita morte absorbuit, et hoc fuit impio devorare justiorum se, te tacente, te vindictam differente, cum clamet quotidie eorum sanguis ad te, « Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. » Subaudiendum hic est, quare ita facies, quare ita fieri permittes ? Et quasi quis interroget, in quo fecerit homines « quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem, » continuo subjunxit : « Totum in hamo sublevavit, traxit illum in sagena sua, et congregavit in rete suum. » Et est

A sensus : Quomodo pisces sive reptilia maris principem non habent, ita videntur homines nullam ex te habere provisionem, nec per tuam regi providentiam ; quia, sicut hamus totum sublevat sicut sagena, sicut rete totum circumdat vel congregat, tam illud quod bonum quam illud quod in genere piscium est malum, sic ille impius in suam potestatem totum redigit et quod bonum et quod est in humano genere malum, te tacente, te illum permittente in homines justos desævire, ita ut patentur Deum non habere. Et hoc mirum, cum te habeant et sciant Deum, et quotidie ad te clament, dicentes : « Et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. Ne forte dicant in gentibus : Ubi est Deus eorum ? Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus B est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum ? » (*Psal.* LXXVIII). Tu interim taces, et illi impio totum in hamo sublevare, totum in sagena sua trahere, totum in rete suum contrahere licet, et cum sit impius, super omnes tam justos quam injustos imperium obtinet, et devorandi sive occidendi potestatem habet. « Super hoc lætabitur et exsultabit, et propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. » Non dubium aut ignotum est quin impius in magno imperio multum lætatus fuerit, et sperans in multitudine **268** divitiarum suarum multum exsultaverit, ita ut etiam dedignatus humanam conditionem, deum se appellari maluerit et jusserit, quod exempli gratia, de Gaio dicere possumus, ut Josephus quoque scribit (*Antiq.*, lib. C xxviii, c. 16) : « Procedente, inquit, tempore magnitudine dignitatis elevatus, humanum perdidit intellectum, et sese volebat divinitati videri consimilem, divinitatem quæ vera est inhonorans. Nam simulacrum suum jussit erigi Hierosolymis in templo Dei, renitentibus Judæis, eosque volentes pugna superatos cogi. Igitur *super hoc*, inquit, « lætabitur et exsultabit : » nimirum lætitia inepta, exsultatione fallaci. Equidem non omnis impius ejusmodi sic lætabitur, aut tantum exsultabit ut sibi videatur Deus, aut pro Deo velit haberi, sed faciet quod sequitur : « Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo. » Quid est sagena impii, et quid rete ejus ? Nimirum cum et aliud quid possit intelligi maxime aurum et argentum ejus sagena est et rete ejus. D Nam de nulla re magis impius prævalet, quam si aurum vel argentum copiosum habet. Ejusmodi sagenæ libenter includuntur, et ad hujusmodi rete volentes cupidi homines congregantur, et beatum dicunt impium cujus hæc sunt, et eum ultro sequuntur ejusque imperium subjectis manibus amplectuntur. Hoc sciens quidam ex ejusmodi Antonius ex Cleopatra male famosus, cum Actium sibi ut classem constituerat, advenisset, et prope tertiam partem remigum fame absumptam offendisset, nihil motus : « Remi, inquit, modo salvi sint, nam remiges non deerunt, quoadusque Græcia homines habuerit. » Cœperat enim Artabanen Arme-

niæ regem, quem et argentea catena vinctum ad confessionem thesaurorum regiorum coegerat Quibus ablatis, nimirum quasi sagena grandi et reti magno instructus Orientem pariter et Occidentem, totum denique Romanum imperium includere et ad se trahere properavit, captus ipse sagena diaboli, scilicet amoribus jam dictæ Cleopatræ reginæ Ægypti. Itaque quia et vera est sapientis sententia dicentis : *Pecuniæ obediunt omnia* (*Eccle.* x) ; recte dixerim, quia sagena et rete impii aurum et argentum ipsius est. Porro de auro et de argento, nonne sibi deos fecit ? nonne simulacra operatus est et ipsis sacrificavit ? Imo et subditos sibi populos ad sacrificandum invitavit, adorare coegit, et nolentem hoc facere, solius Creatoris adoratorem occidit, atque ita juxta querelam hujus justiorem se impius devoravit. Igitur revera *sagenæ suæ immolavit, et reti suo sacrificavit.* Quam ob causam ? *Quia in ipso,* inquit, *incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus.* In auro namque et in argento, sicut jam dictum est, omnino speravit, et fecit de hominibus quod voluit, et inter homines gloriam acquisivit, potentiam obtinuit, honorem assecutus est, voluptates suas explevit, quibus rebus affluere, utique fuit partem ejus incrassari. Multos etiam ex eis qui religiosi esse videbantur, eadem sagena sua vel eodem reti suo irretivit sibique conformes fecit, quorum vel qualium respectu nimirum recte nunc dicitur : « Et cibus ejus electus. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non cessat. » Idem videtur repetendo dixisse, *expandit sagenam suam,* quod ante dixerat, *traxit illud in sagena sua.* Verumtamen illud palam constat, quia duas impius habuit vel habet sagenas : alteram, qua volentes cepit populos et gentes, hæc est aurum et argentum, sicut jam dictum est ; alteram, qua invitos quoque constrinxit, et hæc est omne iniquarum legum ejus edictum, quod per totum orbem expandit, præcipiendo cunctos interfici, qui nollent sacrificare *sagenæ et reti* ejus, argento et auro ejus, aureis et argenteis simulacris ejus, ut jam dictum est. Unde protinus sequitur : *Et semper interficere gentes non cessat.* Denique hæc summa est querelæ hujus causa quod justorum sanguinem impius fundendo, justiorem se devorat. Primus ita fecisse legitur Nabuchodonosor. Nam ante illum, et si fuerunt qui auro et argento sacrificarent, nullus tamen fuisse legitur qui taliter expanderet sagenam suam, ut de interficiendis gentibus daret legem qui sacrificare nollent. Ille taliter expandit : « Vobis dicitur populis, tribubus et linguis : In hora qua audieritis sonitum tubæ et fistulæ et citharæ, sambucæ, psalterii et symphoniæ, et universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittatur in fornacem ignis ardentis » (*Dan.* III). Equidem ibi tacere visus est Dominus, *devorante impio justiorem se,* sed non usquequaque. Nam permisit quidem mitti in ignem tres pueros, utique

A justiores illo impio, sed cum tres fuissent immissi, « quatuor deambulabant soluti per medium ignis, et species quarti », ait ipse qui vidit, *similis est Filio Dei* (*Ibid.*) ; sed quanta extunc futura erat, et facta est pro eadem causa devoratio justorum, interfectio gentium ? Proinde non solus iste clamat ad Deum, dicens : « Quare non respicis », et cætera quæ hactenus dicta sunt ; sed et omnes sancti, omnes justi, taliter devorati clamant, et dicunt voce magna : « Usquequo, Domine sanctus verus non judicas et vindictas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra » (*Apoc.* VI). Nec solæ clamant illorum animæ in illo sæculo, verum et cum illis et propter illos ad ipsum clamat Ecclesia viventium in præsenti sæculo, desiderans judicis et Salvatoris adventum, qui justum de omnibus

B facturus est judicium. Sequitur CAP. II : « Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. » Tale quid et Isaias loquitur : « Super speculam Domini ego sum, jugiter stans per diem, et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus » (*Isai.* XXI). Et revera qui ad Deum loquitur et rationem postulat de judiciis ejus, oportet ut supra custodiam suam stet, et gradum figat super munitionem, ne forte labatur in sermone spiritus ejus, aut supra quam expedit quidpiam loquatur. *Ne temere* inquit Ecclesiastes, « quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram ; idcirco sint pauci sermones tui. » (*Eccles.* V). *Stabo* ergo, inquit, « super custodiam meam, et figam

C gradum super munitionem. » Quæ autem illa custodia, vel quid est illa munitio ? Nimirum vera mentis humilitas. Illa namque virtus munitio firma, virtutumque omnium fida est custodia. Nec facile qui locum alium, petramve aliam reperire potuerit, de quo Moses saltem posteriora Dei dignus videre fuerit dicentis sibi : « Ecce est apud me locus, stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ » (*Exod.* XXXIII), etc. Denique locum illum non quidem illic nominatum invenis, sed ejusdem Dei spiritus eum apud Psalmistam pulchre et magnifice nominavit, id est nimiam mentis humilitatem. Ait enim : « Et dixit ut disperderet eos, si non Moses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus » (*Psal.* CV). Nunc talem locum, id est con-

D fractionem, nimiam, ut jam dictum est, mentis humilitatem esse, apud se testatur ipse, dum dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde » (*Matth.* XI). Sciens igitur, et iste tutam esse firmitatem ejusmodi loci, et quod exinde optimum sit cum Deo luctari, *super custodiam,* inquit, *meam* **263** *stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.* Quemadmodum jam dictus Moses eodem loco posteriora Dei contemplatus est, ut videret quid diceretur sibi, et quid responderet ad arguentem se et dicentem, vade, *descende, peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII), et cætera. Denique et iste

contemplatus est fortiter fixo gradu, ne veniret sibi pes superbiæ, et vidit quid diceretur sibi, et quid responderet ad arguentem se, id est timore sancto, timore bono et necessario prementem se. Sequitur enim : « Et respondebit ad me Dominus, et dixit. Scribe visum, et explana eum super tabulas, et percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur, si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit » Hæc et cætera quæ sequuntur, dicta sunt ei, veluti attendebat, dicens : « Et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi. » Post hæc semet invenisse ostendit, quid responderet ad arguentem se. *Domine*, inquiens, « audivi auditionem tuam et timui » (*Habac.* III), et cætera. Igitur quia fortiter stabat, et in exigendo fortis erat, vidit illud, quod ut videret contemplabatur. Ait enim : « Et respondit ad me Dominus, » id est, ostendit mihi, et vidi oculo prophetali, quis finis futurus esset iniqua agentium, et quomodo haberet loqui et judicare ipse, qui nunc videtur tacere, devorante impio justiorem se. Et deinde ut alii quoque sperare scirent, dixit mihi : « Scribe visum, » id est scribe quod vidisti, scribe quod respondi tibi : *scribe*, inquam, *visum*, et non in obscuro sive occulto, sed explana eum super tabulas, id est plano sermone et manifesto, ut percurrat qui legerit eum, nihilo ejus offendente intellectum, hoc modo : « Quia adhuc visus procul, et apparebit in finem et non mentietur, si moram fecerit exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. » Quid enim hic non planum, et apertum ad intelligendum? *Adhuc*, inquit, « procul est visus, » id est non statim veniet ipse in terra visus, et « cum hominibus conversatus, » abiit procul ascendit in cœlum, dicentibus angelis, « sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum » (*Actor.* I). Procul est adhuc, procul abiit, quia acceptus est in cœlum. *Apparebit* autem *in finem, et non mentietur*, subauditur de omnibus quæ locutus est, dum cum hominibus conversaretur. Exempli gratia : *Virtutes*, ait, « cœlorum movebuntur, et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate (*Luc.* XXI), sive et « videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli » (*Matth.* XXVI), et his similia. Ita venientem quisquis eum videre desiderat, et præsentem quoque vitam fastidit, in qua non potest eum videre, dicitque cum Apostolo, « cupio dissolvi et esse cum Christo » (*Philip.* I). Quisquis ille est, et hoc audiat, et hoc sibi dictum esse sciat : « Si morem fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, » id est certissime veniet, et cum venerit, non tanquam tardus aderit, sed totum præteritum tempus videbitur fuisse, ut vera est, nimiæ veritatis. Interim donec appareat in finem, prædicabitur Evangelium omni creaturæ. « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Marc. ult.*). Hoc est, quod continuo sequitur : « Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso ; justus autem in fide sua vivet. » Ecce apparebit, id est cito apparebit, et qui non credit Evangelio ejus, etiam si multum operetur, non erit recta, id est condemnabitur anima ejus, sicut vera et manifesta ratione testatur Apostolus, hoc brevi testimonio taliter : « Justitia enim Dei in eo videlicet » Evangelio « revelatur, ex fide in fidem, sicut scriptum est, justus autem ex fide vivit (*Rom.* I). Et alibi : « Sine fide, impossibile est placere Deo (*Hebr.* II). Et quis est incredulus, nisi superbus ? Superbia namque incredulitatis causa efficiens est. Unde et protinus subditus : « Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur, qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors non adimpletur, et congregrabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. » Ergo superbia magna est ebrietas, et ita mentem subvertit, vimque omnem debilitat sensus atque rationis, ut quod audit discernere non possit. Hoc ipsum Dominus in Evangelio confirmat verbis hujusmodi : « Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis ? » (*Joan.* V.). Qui gloriam ab invicem dixit recipitis, pro eo ut diceret, qui superbi estis. Pulcherrime asperitatem dictionis evitavit, et sensum non præterivit: Unde si quis requisitus, quid sit superbire, respondeat gloriam ab invicem accipere, nimirum vera et pulchra atque irrefragabili usus est diffinitione. Porro sensus dicti hujus, quod est gloriam accipere, verbis amplificatur præsentibus, « qui dilatavit quasi infernus animam suam, » videlicet semper majora ambiens, « et ipse quasi mors non adimpletur, » subauditur pecuniis, « et congregrabit ad se omnes gentes, et concervabit ad se omnes populos, ut fecit suo tempore Nabuchodonosor, suo tempore Magnus Alexander, suo tempore Roma ; quæ, ut superius dictum est, altera fuit Babylonia. Omnes regnorum illorum cupidi et ambitiosi homines, nonne gloriam ab invicem accipiebant, et pro acceptione gloriæ, ut alter alteri gloriam raperet, in invicem ruebant ? Revera « quomodo vinum potantem decipit, » sic ejusmodi homines spiritu superbiæ decepti fuerunt et sunt, nec ornamento fidei decorati sunt, sed nudi sunt, humilitatem crucis abhorrentes, utpote contrariam spiritui superbiæ quo inebriati vel decepti sunt. Quid erit de illis, quando iste in finem apparebit? Imo ut singulari numero propositum sequamur capitulum, quomodo judicabitur vir superbus, et quomodo non decorabitur ? Ait: « Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus ? Et dicetur : Væ ei qui multiplicat non sua usquequo, et aggravat contra se densum lutum. Nunquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabunt te, lacerantes te, et eris in rapinem eis ? Quia tu spoliasti gentes multas, et spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint ex populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ civitatis et omnium habitantium in ea. » Interrogando acrius affirmat dum dicit : *Nunquid non omnes isti*, subauditur populi sive reliqui de omnibus populis, super eum parabolam sument, et cætera. Solet au-

tem Scriptura sacra reliquos sive residuos appellare justos sive electos, ut illic: « Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem » (*Isai.* XL). Et alibi: « Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est de Israel, radicem deorsum faciet, et fructum faciet sursum, quia de Hierusalem exibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion » (*Isa.* XXXVII). Ergo et hic omnes istos, de quibus dicit, « quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, » recte sanctos vel justos intelligimus, qui superfuerunt vel supersunt, quos supradictus vir superbus, dilatatam habens animam suam quasi infernum, et quasi mortem devorare, id est ad consensum animæ vel voluntatis suæ **270** pertrahere non potuit, quamvis igne, ferro, fame, bestiis et omnium tormentorum genere ad hoc certaverit et laboraverit, quod, ut superius jam dictum, primus ille Nabuchodonosor inchoavit, quando populis, tribubus et linguis, quas ad se congregaverat, atque coacervaverat, pœnam edixit. « Si quis, » inquiens, « non prostratus adoraverit statuam, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis » (*Daniel.* III). Quanta similia, imo majora fecit, major utique alterius Babylonis, id est Romæ potentia? Quomodo gentes omnes ad se congregavit, et populos omnes ad se coacervavit, et quantis mortibus propositis exterminare voluit hunc visum, de memoria hominum, de quo nunc dicitur: *Et apparebit in finem, et non mentietur*? Equidem vir superbus, ut puta Nero, sive Decius, aut certe ipse diabolus, qui per eos ministerium iniquitatis operabatur, quasi mors et quasi infernus dilatatus, omnes omnino gentes, quantum in se fuit, devoravit, sed reliqui sunt et erunt aliqui, qui et admirantes eventus sui felicitatem, evasionis suæ beatitudinem, et respicientes unde evaserint, exclamant, et dicunt universi: « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Cum exsurgerent homines in nos, forsitan vivos deglutissent nos » (*Psal.* CXXIII), et cætera. Nunquid non omnes isti super eum, scilicet virum superbum, imo super ipsum diabolum, et super universitatem omnium, quorum caput est superbiæ filiorum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus? *Judicabunt* enim sancti *nationes, et dominabuntur populis* (*Sapient.* III), sive ut alibi scriptum est: « Stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum » (*ibid.* V). Quomodo isti sument parabolam, et dominabuntur populis, sive ut quid est ista parabola, et quid ænigma ejus? Parabola sancta prophetica, sive legalis Scriptura est, quia videlicet tota fere, vel maxima parte parabolicis et ænigmaticis locutionibus plena est. Parabola namque comparatio est ex rebus dissimilibus. Verbi gratia, cum sermo Dei vel sententia judicialis gladio materiali comparatur, ut in psalmo, cum de istis reliquis, id est de omnibus sanctis canimus: « Exsultationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipi-

A tes in manibus eorum » (*Psal.* CXLIX), et cætera, usque: *Ut faciant in eis judicium conscriptum.* Porro, ænigma propositio est obscura, quæ non facile intelligitur, nisi aperiatur, ut est illud: « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo » (*Judic.* XIV). Et hujusmodi locutiones passim in Scripturis inveniuntur, et valent non solum ad occultandas porcis margaritas, verum et ad hoc, ut in eorum difficultatibus bona exerceantur ingenia. « Audiens » enim « sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit » (*Prov.* I). Animadvertet parabolam, et interpretationem, verba sapientium, et ænigmata eorum. « Igitur sument super eum » ait, « parabolam et loquelam ænigmatum ejus, » id est adimplebunt Scripturam, et manifestas facient obscuritates ejus, quæ

B difficile et a paucis vix intelliguntur, nisi prius eveniant ea quæ in ipsis significantur, atque ita rerum eventu dicta quæ obscura erant aperiantur. Ac si quæreres, cujusmodi sit illa locutio, quam parabolam vocet, statim subjungit. « Et dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua usquequo, et aggravat contra se densum lutum. » Hoc namque parabolicum est, quod multiplicatas divitias *densum lutum* appellavit. Itidem et illud, quod subjungit: « Nunquid non repente consurgent, qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis, » parabolica sive ænigmatica sunt, quia videlicet isti reliqui, de quibus nunc sermo, scilicet omnes sancti vel justi, nequaquam ut littera sonat, dentibus mordere aut lacerare, ac manibus rapere consueverunt. Sciendum quoque, quia dicetur quidem tunc, sed non incipiet dici,

C tunc tale quid, quando apparebit in finem, quando veniens veniet judicaturus, qui hinc abiit judicatus. Jam enim dici cœptum est, ex quo ille abiit, jubens Evangelium omni creaturæ prædicari. Dici cœptum est: « Væ ei qui multiplicat non sua usquequo aggravat contra se densum lutum » ab initio prædicationis Evangelii, in quo revelabitur, ait Apostolus, ira Dei de cœlo « super omnem impietatem et injustitiam hominum » (*Rom.* I), dicetur tunc in finem eidem væ, taliter ut eat in ignem æternum. Itidem fieri cœptum est per Evangelium, ut repente isti reliqui consurgerent, et morderent impium, et suscitarentur lacerantes eum, essetque eis in rapinam, taliter ut multos ab illo separarent, quod est mordere et manducare, juxta quod Petro dictum est: « Macta et man-

D duca » (*Act.* X). Fiet autem in finem taliter, ut gladius exeat de ore illorum, ut sint « gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam in eo vindictam » (*Psal.* CXLIX), sive judicium conscriptum. Nam quod multos ab impietate convertere, hic sit corpus impii mordere et lacerare, ex eo quoque comprobatur, quod ad beatum Job Dominus loquitur: « Concident eum amici, divident illum negotiatores, et nunquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius » (*Job* XL)? subauditur, ut ego. Hoc fit nunc in bonum illorum, quos dentes isti, quales demonstrantur in Canticis, dicendo ad amicam, scilicet Ecclesiam: « Dentes tui, sicut grex tonsarum,

quæ ascenderunt de lavacro » (*Cant.* IV), quos, inquam, A dentes, id est apostoli sive prædicatores, qui hic reliqui dicuntur, quasi manducando in corpus suum traducunt, tunc autem id quod sequitur, fiet in malum ejusdem impii, qui malo suo repulit appetitum dentium istorum. « Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis. » Cum spoliationes multis fiant, ille modus omnium pessimus est, quo gens aut populus, sive homo quilibet unius Dei Creatoris sui honore spoliatur, et tunc vere est nudus. Hinc est illud in Exodo : « Videns ergo Moses populum, quod esset nudatus, spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat » (*Exod.* XXXII), ignominiam sordis reatum dicit vituli quem fecerant, et quo facto, auxilio et gratia Dei nudati erant. Hoc B modo quot gentes, quot populos spoliavit hic impius, in quem hæc dicuntur? Igitur « quia spoliasti gentes multas, » id est tam iniquis persuasionibus separasti a Creatoris gratia, spoliabunt te isti reliqui ex eis judicando, ut tu, sicut tuo Creatore ornare noluisti, ita nec in ipsa, quam præoptasti ulterius gloriari possis creatura Dei. Additurque adhuc : « Propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ civitatis, et omnium habitantium in ea. » Sanguis hominis homicidium est, et hoc profecto iniquitas est. Terra vero, cui possit iniquitas imputari, nimirum non aliud quam homo est. Civitatis quoque non aliud est, quam habitantium in ea, quia videlicet non murorum, aut ædificiorum, sive lapidum civitatis, sed hominum habitantium in civitate est vel esse potest iniquitas. Videtur ergo hic esse tropus, qui a C grammaticis Græce *tautologia*, Latine quoque *eloquium* dicitur, dum res una plurimis verbis significatur, ad hoc ut veritas sive magnitudo rei splendidius producatur. Verumtamen et illud sciendum, quia cum omne homicidium sit vel fuerit iniquitas hujus impii, maxime sanguis civitatis ad Dei iniquitatem reputetur ei. Civitas, inquam, Dei, quod olim erat illa Hierusalem, in qua sola erat templum 271 Domini, et nunc est Ecclesia catholica per orbem terrarum, de qua Psalmista dicit : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei » (*Psal.* XLV). Illius civitatis sanguinem fudit impius Nabuchodonosor rex primæ Babylonis. Istius autem fundere cœpit impius Nero imperator alterius Babylonis, de qua Petrus in Epistola sua : « Salutat vos, » inquit, « Ecclesia quæ D est in Babylone electa » (*I Petr.* V). Una ex utraque secundum fidem et electionem civitatis facta est, et sanguis hujus civitatis Dei, iniquitas est terræ Babylonicæ civitatis diaboli. Inter omnem sanguinem summa causa est sanguis hominis unius Jesu Christi, quem recte hic intelligimus, dum dicit, *propter sanguinem hominis*, et Judæi, qui fuderunt illum, pars fuerunt et sunt corporis impii, cui dicitur, *spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis.* Denique et isti maxime sunt spoliati et spoliandi, maxime, inquam, et in primis quemadmodum et Apostolus dicit : « Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum » (*Rom.* II). Judæi primum et Græci ; in quo primum isti jam spoliati sunt? Nimirum in eo, quod perdiderunt non solum *locum et gentem*, verum etiam *adoptionem filiorum* (*ibid.* VIII), et gloriam, et testamenta, et legislationem, et obsequium, et promissa quæ ipsorum erant, et ipsum Christum, qui ex ipsis est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula : Amen. Omnibus bonis jam spoliaverunt eos, omnes qui reliqui sunt de populis, secundum speciem Jacob, quem Deus dilexit, qui primogenitum Esau spoliatum vestibus valde bonis, quas Rebecca apud se domi habebat, et induit eos (*Gen.* XXVII). Sic juste spoliati sunt, qui pars, ut jam dictum est, fuerunt et sunt corporis impii, qui gentes multas spoliavit, maxime cultu vel cognitione Creatoris, et isti quantum in ipsis fuit, multo nequius spoliaverunt, quia Christum, exspectationem gentium, ut periret nomen ejus, et neque ipsi, neque gentes eum haberent, interfecerunt. Igitur quoniam et hoc Apostolus dicit: *Scimus* quia *quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur* (*Rom.* III). Præmiserat autem testimonium non de Mose, sed de Psalmis, non dubitemus, et ista, quæ hic loquitur *lex*, id est, Scriptura sacra, *his qui in lege sunt*, eam loqui, et declamare in omnem animam hominis operantis malum, primum Judæi, deinde Græci, sive gentilis. « Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. » Quisnam ille est, qui *congregat*, vel congregavit *avaritiam malam domui suæ,* magis quam populus Judaicus, cœtus Pharisaicus? *Omnes* inquit Apostolus, *declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (*Psal.* XIII), de psalmo testimonium hoc assumens, statimque subjungit, id quod ante diximus: « Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. » Igitur et istud primum ei, qui in lege est vel erat, dictum hoc non dubitemus. « Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus. » Nam vere hoc fecit Judæus. Equidem omnis impius avaritiam congregavit, et ob hoc væ ei, et Judæus autem avaritiam, non qualemcunque, sed avaritiam malam congregavit, et idcirco primum væ ei. Nam quid rogo est, quod dicit : *avaritiam malam*? Quis unquam audivit in Scripturis, avaritiam bonam, ut ex illius oppositi hic oportuerit dari vel apponi differentiam hujuscemodi, dicendo *avaritiam malam*? Qualis ergo avaritia fuit, vel est Judæi, ut recte dicatur mala, et adjectio non sit superflua? Nimirum talis, ut totus orbis audivit, quia domum Dei, quæ domus erat vel esse debebat orationis fecit speluncam latronum (*Matth.* XXI; *Joan.* II), et ipsum propterea, quia disputabat contra avaritiam illorum eamdem, interfecit domus Dominum. Quam mala fuit hæc avaritia, præsertim eorum qui erant filii peregrinorum, qui pauperes spiritu patres habuerunt. Equidem avaritia nusquam bona, sed ibi excellenter et nimis mala. Et cui vel quasi *domui suæ* congregavit *avaritiam* tam *malam*? Nimirum quæ

fuerat domus Domini, quia per congregationem avaritiæ malæ suam fecit illam domum, imo speluncam suam, speluncam latronum, et superbiæ suæ malum, quam denotavit protinus, subjungendo, *ut sit nidus ejus in excelso.* Avaritia namque sine superbia non est. Unde Sapientia cum dixisset : « Avaro nihil esse scelestius, » statim subjungit: « Quid superbis, terra et cinis? » (*Eccles.* x.) Bene ergo dixit, « ut si in excelso nidus ejus, » domum superbientis subsannans, ut nidum volucris, « et liberari, » inquit, « se putat de manu mali; » subauditur, pro altitudine illius nidi excelsi. Quod propheta alius prospiciens: « Nolite, » ait, « confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum est Domini » (*Jer.* vii), etc. Itemque alius cum dixisset: « Principes ejus, » videlicet Sion, sive Hierusalem, « in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, » protinus addidit: « Et super Dominum requiescebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala » (*Mich.* iii). Hoc nimirum idem est quod hic ait: « Et liberari se putat de manu mali. » Mox conversus ad eum, de quo loquebatur, taliter in eum invehitur: « Cogitasti domui tuæ confusionem, concidisti populos multos, et peccavit anima tua, quia lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter juncturas est ædificiorum, respondebit. » Revera omnis avarus cogitavit, id est cogitando avaritiam, acquisivit domui suæ confusionem, quæ confusio quanta sit, manifeste supra memorato Sapientiæ loco datur intelligi, ubi cum dixisset: « Avaro nihil esse scelestius, quid superbis, terra et cinis? » Ita demum intulit: « Cum enim morietur homo hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes » (*Eccles.* x). Porro Judæus, qui, ut jam dictum est, avaritiam tam malam congregavit, dupliciter domui suæ confusionem cogitavit, id est acquisivit. Primo illam, quam apud prophetam alium, scilicet Michæam audire potuerat. Ille enim cum dixisset id quod ante memoravimus, et super Dominum requiescebant, dicentes: « Nunquid non Dominus in medio nostrum, non venient super nos mala, » statim intulit : « Propter hoc causa vestri Sion quasi arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum » (*Mich.* iii). Profecto hujusmodi confusionem illi domui maxime Caiphas ille cogitavit, qui prophetavit, dicens: « Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat » (*Joan.* xi). Hoc namque dicendo, timore ibi trepidavit, ubi non erat timor, sociorumque callide adauxit pavorem, imo pavoris fictionem dicentium: « Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. » Ita cogitando, concidisti, ait, populos multos, id est, causa fuisti, ut conciderentur populi multi. Occisorum namque, ut refert Josephus (*lib.* vii, *c.* 25), per omne tempus occisionis, fueri undecies centum millia, et horum, ait, plerique gentiles fuerunt, sed non indigenæ. A totis enim regionibus ad azymorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt, ut primo quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citius fames. « Concidisti » ergo, ait, « populos multos, et peccavit anima tua, » id est nequam intentio tua. Nam peccatum **272** tuum non ex ignorantia, sed ex cogitationis tuæ venit malitiæ. Væ tibi, « quia lapis de parietate clamabit, et lignum, quod inter juncturas est ædificiorum, respondebit. Quis enim iste est lapis, nisi ille, qui seipsum per parabolam vineæ significans (*Matth.* xxi), extra portam civitatis ejiciendum esse, et crucifigendum, ubi parabolam eduxit, et judicium a Pharisæis audivit, de malis agricolis, qui erant ipsi. Nunquam, ait, legistis in Scripturis: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? » (*Psal.* cvii.) Et quod est « lignum inter juncturas ædificiorum, » nisi lignum crucis, per quod ædificia duo prius conjuncta erant, quandiu erant inimicitiæ inter homines et Deum, Dominumque angelorum, sed per crucem pacificata vel conjuncta sunt? (*Coloss.* i.) Ita recte intelligitur dictum lignum, quod est « inter juncturas ædificiorum, » sive hominum, quod in terris vel de terra est ædificiorum, de duobus parietibus constat, qui sunt antiqua ante Christi adventum synagoga, et nova post ejus adventum Ecclesia, quos videlicet parietes, quia conjungit in semetipso, lapis angularis dicitur et est. Hinc alibi idem Apostolus : « Ipse est enim pax nostra qui fecit utraque unum » (*Ephes.* ii), etc. « Lapis » igitur « de pariete, » inquit, « clamabit, » subauditur contra te, « et lignum, quod inter juncturas est ædificiorum, respondebit, » nimirum adversum te. Quid lapis clamabit aut quid lignum respondebit ? Nimirum id quod sequitur: « Væ qui ædificat civitatem, in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate. » Ne dubium sit, cui væ istud inclamat lapis ille, aut lignum illud, alius propheta, scilicet Michæas dicit: « Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Hierusalem in iniquitate » (*Mich.* iii). Ergo cui « væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate, » populus est Judaicus, cœtus est Pharisaicus, qui implevit mensuras patres suorum, quia patres quidem ejus prophetas occiderunt, ipse autem prophetarum Dominum, ut veniret super eum omnis sanguis justus, qui effusus est super terram. Nunquid autem revera taliter civitatem ædificavit, aut in tanta iniquitate urbem præparavit? Nequaquam, sed stultissimus ita putavit. Dixit enim: « Occidamus eum, et nostra erit hæreditas » (*Matth.* xxiii). Idcirco locum et gentem perdidit, quia sanguinem fundere, hoc putavit esse ædificationem civitatis, et iniquitatem perpetrare, hoc putavit fore sibi præparationem semper possidendæ urbis. Alias autem et vere civitatem ædificavit in sanguinibus, et veraciter præparavit urbem in iniquitate, non sibi, sed Deo viventi, non illam urbem aut civitatem terrenam Hierusalem, sed civitatem Dei viventis cœlestem

Hierusalem. Quantos enim prophetas occidit, quot sapientes et scribas interfecit, crucifixit, flagellavit in synagogis suis, et persecutus est de civitate in civitatem, tot lapides vivos quadravit, de qualibus recte concinas magno architecto sancto Spiritui, qui tonsionibus et pressuris expoliti suis coaptantur locis, per manum artificis disponuntur, permansuri sacris ædificiis. Hoc quidem rite perpendens ubi martyrem insignem pictoris arte, fustibus atque plumbatis subigi conspexit, hujusmodi distichon expressit:

Cuditur æternæ lapis urbis, gemmaque Christe,
Hæc tua splendidius, pœna famulante politur.

In hujusmodi officio sive ædificio populus Judaicus, et primus est et notissimus. « Lapis, » inquit « de pariete clamabit, et lignum quod inter juncturas est ædificiorum, » unde jam dictum est, « respondebit: Væ » illi, « qui civitatem « sic « ædificat, » qui « urbem » sic « præparat, » quia bonus quidem effectus, sed intentio est maligna. Quando vel ubi secundum veritatem hujus prophetiæ lapis ille, lapis angularis, *væ* istud clamavit? Nimirum quando vel ubi dixit: « Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, » etc., usque: « Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. » Statim namque gravissime intulit: « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt » (*Matth.* XXIII). Quod ibi subaudiendum est, nisi væ tibi? Præmiserat namque, septies væ, sicut, o prudens lector, ibidem, scilicet apud Matthæum, enumerare poteris: væ vobis, Scribæ et Pharisæi, væ vobis, Scribæ et Pharisæi; væ vobis, duces cæci; væ vobis, Scribæ et Pharisæi; væ vobis, Scribæ et Pharisæi; væ vobis, Scribæ et Pharisæi; væ vobis, Scribæ et Pharisæi, ad singulas exclamationes causis subjunctis, quarum novissima et septima hæc est: « Qui ædificatis sepulcra prophetarum, » usque, « et vos implete mensuram patrum vestrorum, » ideo « ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, » etc. Nonne iste impius, iste populus, væ septemplici damnatus, ille est Cain, cujus typum est dictum in illum unum hominem hujus nominis septuplum ultio dabitur de Cain (*Genes.* IV), qui numerus, quia insolubilis est, peccatum irremissibile significat? Plura hinc dici poterant, sed legentis fastidium vitantes, cætera persequamur. Ait: « Nunquid non hæc a Domino sunt exercituum? » Puta quod dixerit: « Nunquid non a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? » (*Psal.* CXVI). Quid est istud, nisi quod « lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, » et hic « lapis de pariete clamabit, et, ut jam dictum est, « lignum » crucis ejus, « quod inter juncturas est ædificiorum respondebit? Nunquid, » inquam, « non hæc a Domino sunt exercituum? » Nunquid non « a Domino factum est istud? » Plane a Domino exercituum sunt hæc, plane a Domino factum est istud; unde probabimus. Sequitur:

« Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum ut deficiant. » Cum hoc dicto prophetico, recordamur illius in Actibus apostolorum: Et nunc, ait, Gamaliel, dico vobis, « viri Israelitæ, discedite ab hominibus istis, sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poterimus dissolvere eos, ne forte et Deo repugnare inveniamur » (*Act.* V). Hæc ille sapienter elocutus est. In isto autem Spiritus sanctus prædixerat: « Laborabunt enim populi in multo igne, et tes in vacuum ut deficiant, » et sic factum est. *In multo igne*, subauditur, invidiæ laboraverunt, id est, Judæi, laboraverunt gentes, id est gentiles, ut dissolverent consilium et opus quod de isto angulari lapide prædicatur, sed laboraverunt in vacuum et defecerunt, quis dissolvere non potuerunt, imo et accedentes ad istum lapidem, ad quem accedere bonus cassi laboris defectus est, et ipsi tanquam lapides vivi superædificati sunt. « Nunquid igitur non hæc a Domino sunt exercituum? » Nunquid non « a Domino factum est istud? » Si enim non fuisset a Domino consilium hoc vel opus, profecto jam dissolutum esset, tot gentibus et populis ad dissolvendum laborantibus, et quæ causa labores illorum evacuavit? Ait: « Quia replebitur terra, ut cognoscat gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. » Quid isto dicto verius, constantius atque perfectius? « Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum » (*Sap.* VIII; *Actor.* IV), et eo replente repleta est terra, ut cognosceret gloriam Domini, ut fierent sapientes atque eloquentes, qui erant idiotæ et sine litteris, ut fierent cœlestes qui erant terreni, imo qui terra fuerant, fierent cœli, cognoscentes gloriam Domini, enarrantes gloriam Dei, non quomodocunque, sed *quasi aquæ operientes mare.* Quid est hoc dicere? Quam **273** magnæ deberent esse aquæ, quæ multitudinis sui operirent mare, vel quarum ad comparationem mare nihil videretur esse. Mirum illud esset, et non minus miraculi habet, quod mare, id est sapientia omnium superavit, data simplicibus abundantia cœlestis sapientiæ. Hæc est illuminatio credentium Evangelio Christi, qui dicunt: A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Econtra cæteri excæcati sunt, videlicet illi, qui ut jam dictum est, consilium hoc vel opus dissolvere cupiebant, de quibus hic ait: « Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum ut deficiant, quam ob causam excæcati sunt. » Sequitur:

« Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut respiciat nuditatem ejus. Repletus est ignominia pro gloria. Bibe tu quoque, et consopire, circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam. » Hunc locum istud de psalmo manifestiorem facit: « Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto » (*Psal.* LXII.) Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Miro itaque modo cum dixisset quia replebitur terra, ut cognoscat gloriam Domini, quæ gentium illuminatio est, causam contraposuit cæcitatis

quæ in Israel contigit, dicendo : « Væ qui potum dat amico suo. » Cæcitas ipsa est væ, causa vero quia potum dedit amico suo. Ipse est enim amicus, qui dicit in psalmo : « Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. » In tantum amicus, ut frater sit effectus, et nostræ naturæ consanguineus, quippe qui cum Deus esset, homo factus est, ac de illo populo incarnatus est. Huic amico suo potum dedit, mittens fel suum, et inebriavit eum amaritudine, ut aspiceret nuditatem ejus, id est,ut comprobaret, quod esset a Deo derelictus. Dixerunt enim impii : Promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominavit. Videamus si sermones illius veri sint, si enim est verus Filius Dei, liberabit eum de manu contrariorum, contumelia et tormento interrogemus eum, et probemus patientiam ejus. Morte turpissima condemnemus eum. Hanc eorum nequissimam curiositatem, et quasi nuditatis explorationem, psalmus declamat ex persona ipsius : « Et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus reliquit eum, persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat eum. » Exploravit, invenit, aut aspexisse sibi visus est impius nuditatem ejus, audivit enim cum dicere: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? » *Matth.*, XXVII), hoc profecto statim, ne quid deesset sui fellis ad inebriandum illum, cui totus calix passionis potus erat amaritudinis, obtulit ejus ori et acetum (*Joan.* XIX). Væ igitur illi, quia taliter potum dedit amico suo et fratri consanguineo suo, ut aspiceret nuditatem ejus, infirmitatem ejus, ad faciendum sive capiendum experimentum, quod non esset Dei Filius, imo quod esset a Deo derelictus. Hoc foris annuntiat, et blasphemat tanquam maledictus Cham, qui foris annuntiavit nuditatem paternam, sed quanto ista res illa similitudine major est ! Ille namque Cham non dedit potum patri suo, non inquam, dedit poculum vini delectabilis, ut eum inebriaret, et nuditatem ejus aspiceret (*Genes.* IX), sed iste impius amico suo dedit potum amaritudinis, misit fel suum et inebriavit eum, ut aspiceret nuditatem ejus, et sicut per Mosen prædixerat spiritus propheticus : « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile » (*Deut.* XXXII). « Repletus, ait, ignominia pro gloria » (*ibid.*). Quis repletus est ignominia, pro gloria? Ille ne, qui amico suo dedit, an ipse amicus, cui datus est potus fellis ? Nimirum ipse amicus repletus est ignominia, id est passus est ignominiam, sustinuit mortem, mortem autem crucis, quam pro summa ignominia miscuit impius illi, *morte*, inquiens, *turpissima condemnemus eum* (*Sap.* II). Tanta ignominia repletus passus est pro gloria, videlicet, sciens inde sibi proventurum, ut jam ex eo sederet a dextris virtutis in gloria Dei Patris. Nam propter hoc, ait Apostolus, et « Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris » (*Philipp.* II). Quomodo autem et quam vehementer, conversus in eum invehitur, qui potum suum dedit, qui fel suum misit, qui inebriavit, et dormire fecit amicum suum somno mortis, et eo modo nuditatem ejus aspexit, id est nudum, et a Deo derelictum esse voluit. *Bibe*, inquit, *tu quoque et consopire*, et quid bibes ? « Circumdabit te calix dextræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam. Calix dexteræ Domini, » id est ira omnipotentis Domini, ita te circumdabit, ut sicut in ipso scriptum est: « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum » (*Psal.* LXVIII). Quænam est mensa tua, nisi lex tua, Scriptura sacra tibi credita, primum tibi ad edendum et bibendum proposita? Ibi calix dexteræ Domini, idem ipsa mensa tua, ipsa lex vel Scriptura tua te circumdabit, quomodo laqueus circumdare consuevit, laqueus enim ipse tibi erit habenti spiritum erroris, sorbenti sive haurienti retributionem fellis tui, quem amico tuo in potum dedisti. Istud bibe tu, et consopire, ita ut nunc obscurentur oculi tui, ne videas, et postmodum consopiaris, non quomodo ille amicus tuus qui evacuato felle tuo, « ego dormivi, inquit, et soporatus sum, et exsurrexi » (*Psal.* III), sed ita ut in æterna morte sepultus jaceas, quod vere est consopiri. Quam autem diversum est, id quod sequitur, « et vomitus ignominiæ super gloriam tuam, ab eo quod ante dixerat, repletus est ignominia pro gloria. » Ignominia qua ille amicus tuus repletus est pro gloria, et ignominia cujus vomitu pollueris super gloriam tuam, non eamdem habent rationem. Illi namque ignominia qua repletus est de foris accessit. nec enim propter sua, sed propter aliorum peccata male tractatus est, et pro futura gloria sustinuit ; vomitus autem ignominiæ tuæ de intus venit, de teipso processit, sicut vomitus ejus, qui seipsum commovit, quia tu temetipsum de corde tuo mendacia vomendo inhonorasti, et ille vomitus super tuam præteritam gloriam erumpit. In hoc quoque magna distantia est, quod ille prius ignominiam sustinuit, et deinde gloria successit, ut debuit, tu autem prius gloriatus es festinanter gloriam accipiendo ab invicem (*Joan.* V), sicut ille tibi quodam loco exprobravit, et deinde vomitus ignominiæ successit. Iste ordo notus est supernæ dispositionis, ut impius quidem prius gloriose exaltetur, et deinde ignominiose humilietur, pius autem propter hoc ipsum quod pie vivit, prius humilietur, et ignominiam patiatur, ac deinde cornu ejus in gloria exaltetur. Sequitur. *Quia iniquitas Libani operiet te.* Hoc ad illud conjungitur quod præmisit, *Væ qui potum dat amico suo*, etc. Væ tibi, inquit, *quia iniquitas Libani operiet te*, id est hypocrisis tua condemnabit te. Libanus namque *candidatio* interpretatur **274**, et interdum sub hoc nomine templum intelligitur, ut in Zacharia : *Aperi, Libane, portas tuas, comedat ignis cedros tuos* (*Zach.* XII). Ergo iniquitas Libani, bi-

est iniquitas templi, ipsa pulchritudo religionis, A cujus omnis candor tua est hypocrisis, potissimum operiet te, maximum condemnabit te. Nam quod magna fuerit religionis illius hypocrisis, ipse Dominus satis acerbe innuit, toties sub uno ductu semonis dicendo : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ » (*Matth.* XXIII), loco apud Matthæum, quem supra memoravimus, ubi cum septies væ super illos detonuerit, per singulas vices hypocritæ dixit, excepta una duntaxat vice, ubi taliter dixit, væ vobis, duces cæci. Paulus quoque non ignorans iniquitatem hujusce dealbationis, cum staret in medio concilii, et princeps sacerdotum Ananias os ejus jussisset percuti, dixit ad eum: «Percutiet te Deus, paries dealbate » (*Act.* XXIII), et quid aliud erat hoc dicere, quam *iniquitas Libani operiet te*? Et revera B quod uni dixit, omnibus dixit, universo illi sacerdotio et populo dixit : Factumque est quod dixit, et percussionem illlam totus orbis audivit. Protinus ab illo, inquam, invehebatur populo impio, conversus ad auditores sermo propheticus, ita loquitur: « Et vastitas animalium deterrebit eos, de sanguinibus hominis, et iniquitate terræ et civitatis et omnium habitantium in ea. » Ut dictum, ita et factum est. Venerunt enim animalia de silva, de quibus Psalmista: *Exterminavit, eam*, inquit, scilicet vineam tuam, *aper de silva, et singularis ferus depastus est eam* (*Psal.* LXXIX), nimirum propter scelus, quo cum debuit facere uvas et afferre vinum, supradicto amico suo, Domino vel possessori, imo et plantatori suo misit fel suum, et amaritudine mortis inebriavit eum. C Venit aper, scilicet Vespasianus, et singularis ferus, videlicet Titus, filius ejus, de silva, id est de urbe Roma, ubi erat multiplicitas errorum, et feri homines habitabant, sicut feræ in silva. Horum vastitas animalium deterruit eos de sanguinibus hominis et iniquitate terræ, civitatis et omnium habitantium in ea. Ex tunc enim perdiderunt audaciam, qua primi ex omnibus gentibus ausi fuerunt ad se missos prophetas et sapientes et Scribas occidere et crucifigere, flagellare in synagogis suis, et de civitate in civitatem persequi (*Matth.* XXIII). Nonne ab hujusmodi crudelitate audaci, audacia crudeli, ex eo tempore sunt deterriti? Neminem quippe jam audent occidere, aut saltem flagellare in synagogis suis, præsertim ubique terrarum captivi, et scabellum pedum Domini sedentis a dextris Domini, et in D medio inimicorum suorum dominantis, qui videlicet inimici ejus sunt ipsi. Et si aliis gentibus licuit, ipsis omnino tale quid ipsa captivitatis eorum lex non concedit. Sequitur: « Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile et imaginem falsam, quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta ? Væ qui dicit ligno, expergiscere, surge, lapidi tacenti. Nunquid ipse docere poterit ? Ecce ipse coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus : Dominus autem in templo sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra.» Istud væ jam quintum, sicut et præcedentia scire debemus esse iram illam, quæ, ut superius jam meminimus, revelatur, ait Apostolus, de cœlo in Evangelio Dei in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci (*Rom.* XXV). Denique in animam Judæi primum et deinde Græci sive gentilis. Ira hæc pro necessitate temporis dicta est in prophetis obscurius, in Evangelio autem ita revelatur, ut veraciter dicas, sicut audivimus, ita et vidimus (*Psal.* XLVII) : Dicto namque væ quater, in animam hominis Judæi operantis malum, quod ita terminatum est, « et vastitas animalium deterrebit eos de sanguine hominis, » dum quinto loco jam dicit « Væ qui dicit ligno expergiscere, surge, lapidi tacenti, » etc. Nonne istud est, quod ita vidimus, sicut audivimus? Deterritis namque Judæis, ut non audeant Evangelii prædicatores occidere, aut persequi, quod factum est per vastitatem animalium, id est, per excidium vel per manus Romanorum gentilium, liberius jam adversus idololatriam per idem Evangelium declamatum est, et prædicatum væ per totum orbem terrarum, in omnem animam hominis Græci sive gentilis, ligno et lapidi sive auro et argento sese incurvantis. Et notanda series litteræ præsentis. Non enim initio dicit, « væ qui dicit ligno, expergiscere, surge, lapidi tacenti. » Sed prius suaviter alloquitur, et percunctando excitat hominem ad intuitum rationis. « Quid prodest, inquit, sculptile? » Vult intelligi, et responderi, nihil, et rationem ostendit cur prodesse nihil possit. « Quia sculpsit, ait, illud fictor suus, » nimirum talis, qui figmento suo spiritum vel vitam dare non possit. Fecit « conflatile et imaginem, » cujus rei voluit, aut hominis corruptibilis, aut volucrum, aut quadrupedum, aut serpentium, *imaginem* utique *falsam*, id est, omni veritate substantiæ cujus videtur similitudo fraudatam, et idcirco sculpsit illud, « quia speravit in figmento fictor ejus, » ita deceptus, qui homo rationalis erat, ut faceret « simulacra muta, » quæ « os habent et non loquentur, oculos habent, et non videbunt, aures habent et non audient, nares habent, et non odorabunt » (*Psal.* CXIII), neque enim est spiritus in ore ipsorum. Hoc rationabiliter præmonstrato, qui non credit Evangelio verum Deum prædicanti, profecto est inexcusabilis, quia ratio est irrefragabilis. Itaque nunc demum inclamat inclamatione terribili : « Væ qui dicit ligno, expergiscere, surge, lapidi tacenti, » æquipollenter ita potest dici : Væ cognoscentibus Deum, sive audientibus Dei Evangelium, et non sicut Deum glorificantibus eum, quia sponte « mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. » Nunquid ipse docere poterit cui dicit, *expergiscere, surge*, cum lapis aut lignum sit? Ecce ipse, subauditur, deus ejus, coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus, omnis, inquam, sive hominis, sive volucris, sive quadrupedis, sive serpentis, cujuscunque imago in ligno aut lapide, in auro sive argento simulata sit. Itaque fictor *imaginem falsam* sculpsit. Ipse autem, quem prædicamus, Deus et « Dominus in templo sancto suo, » in templo

corporis sui est, quod solutum ab impiis,ipse post triduum suscitavit. *Sileat a facie ejus omnis terra*, videlicet in eo, ut blasphemare sive alium extra ipsum nominare Deum non audeat,et in hoc silentii reverentiam illi exhibeat,ut ab ipsos gratiam,id est remissionem peccatorum,suppliciter deposcat. Nam super hac re nunquid ullum ratio aut Scriptura veritatis silentium concedit? (*Isa.* LXII.) Imo dicitur nobis: Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei. Breviter diffiniendum est, quia a facie Domini tacere, hoc est Dominum timere. Quod et si nondum fit,multi enim contradicunt ei, fiet profecto in die judicii, sicut Psalmista vehementer astruit,cum id,quod sine dubio futurum est,quasi jam præteritum taliter edicit: *De cœlo auditum fecisti judicium,terram tremuit et quievit* (*Psal.* LXXV).

LIBER TERTIUS.

275 Conscius temeritatis fere in omnibus tanquam temerarium redargui me vereor ab omnibus, eo quod præclara sanctorum atque orthodoxorum Patrum studia latitudinem ingredi sum ausus agri pleni, cui benedixit Dominus, id est sanctæ Scripturæ, in qua vel ex qua est omnis benedictionis odor suavis et fructus: et quid respondebo arguentibus? Ruth Moabitiden, Ruth festinantem me in spiritu, pavida intentione imitari credant dicentem ad socrum suam: *Vadam in agrum et colligam spicas quæ metentium fugerint manus, ubicunque clementis in me patris familias reperero gratiam* (*Ruth.* II). Sicut mandavit Booz pro illa pueris suis,ut nemo illi esset molestus, ita putent omnes qui hæc viderint, quod mandet eis Christus ex illa humilitate progenitus, ne mihi quasi pro præsumptione indignentur. Quod et si quis indignari voluerit,paupercula nihilominus anima pro semetipsa sollicita,famemque venturam præcavens,de qua Psalmista loquitur: Quia immaculati, quorum dies novit Dominus, *non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur* (*Psal.* XXXVI), cœpto in opere persistet, et ibi ante faciem suam, ut operetur cibum, qui permanet in vitam æternam (*Joan.* VI).

ORATIO PRO IGNORATIONIBUS.

Titulus iste aureus est,et magni ponderis verbum, de quo veraciter a sapiente dicitur: *Verba sapientis quasi statera ponderabuntur* (*Eccl.* XXI). Quid est enim oratio prophetæ pro ignorationibus, aut quid sibi vult quod orat propheta pro ignorationibus? Si est propheta,imo cum sit propheta, quomodo se in ignorationibus esse profitetur? Siquidem ante prophetasset, sive antequam quidquam propheticum scripsisset,iste titulus prævenisset,putaremus eum sanctum prophetiæ spiritum velle invocare, et hoc intendere, ut sortiri mereretur vocabulum sive officium prophetale.Nunc autem non ita est, sed jam prophetaverat, jam prophetica mysteria conscripserat. Ergone prius aut minus est prophetare, propheticamque scientiam habere, posterius autem atque profectius pro ignorationibus orare? Plane ita est. Verumtamen non istud quis æstimet, quod paria sint hæc, ignorantiam Dei habere, et pro ignorationibus orare. Nam,exempli gratia,Paulus ignorantiam Dei habens,*blasphemus et persecutor et contumeliosus* fuerat (I *Tim.* I), et Ecclesiam Dei persequebatur,orans autem pro ignorationibus,magnus jam erat Apostolus, vas electionis,sapientia plenus dum exclamans ita loqueretur: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus,et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* II)! Quid multis moror? Omnino perfectorum est et eorum cum quibus Deus loquitur,orare pro ignorationibus, sive hoc ipsum videre, quod sint in ignorationibus. *Obsecro. Domine,* ait Moyses, *non sum eloquens ab heri et nudiustertius, ex quo locutus es ad servum tuum,impeditioris et tardioris linguæ sum* (*Exod.* IV). Isaias quoque clamat: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito,et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis* (*Isaiæ* IX). Sed quid opus est singularibus exemplis? Denique de universis ejusmodi Sapientia dicit: *Visio quam locutus est vir, cum quo est Dominus, et qui Deo secum morante confortatus ait*: *Stultissimus sum virorum,et sapientia hominum non est mecum.Non didici sapientiam, et non novi sanctorum scientiam* (*Prov.* III). Longe hic est ab illo, qui sibi sapiens videtur aut visus est, et propterea cum improperio dicitur apud Ezechielem: *Cherub extentus et protegens* *Ezech.* XXVIII). Igitur ipse titulus hoc indicat, quod iste sit vir, cum quo erat Dominus, et qui Deo secum morante confortatus est. Proinde quod vidit, quod audivit iste confortatus et luctator fortis Abacuc jamdudum Christi Ecclesia miratur,et nos admirationem ejus audientes, utinam intelligere,et digne cum ipso admirari queamus, et ipsi nos orare pro ignorationibus. *Domine, audivi auditionem tuam, et timui.Domine,opus tuum in medio annorum vivificat illud. In medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Quam vel qualem Domini auditionem iste audivit,et timuit? Illam nimirum quam ipse postmodum edicit: *Deus,* inquiens, *ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus*,etc. Veraciter hujusmodi auditionem audiendo, timere sive expavescere fidelis et sapientis animi est, Quantum enim hoc est,quod veniens in hunc mundum Deus et Dominus,omnium majestas altissime cunctis virtutibus cœlorum timenda et adoranda

carne assumpta manibus confixis ad crucis cornua pependit, et ut hoc pateretur, ut tam male tractaretur tantus Dominus, contumacium culpa servorum causa exstitit? Quisquis eorumdem servorum hanc auditionem audit, id est, sentit vel intelligit, hoc enim est auditionem audire, quod audivit auris corporis, etiam cordis aure percipere. Quisquis, inquam, eorumdem servorum istud audivit, et consideravit, quomodo non timuit, quomodo non expavit? Puta quod attonitus dixerit: Heu! quid erit de nobis servis malis, quorum propter scelus talem tantumque Dominum tam male tractare oportuit? Novi quemdam, Deo teste, qui per visam, elevatis sursum oculis, aspicere se putavit altitudinem summæ et incircumscriptæ magnitudinis, et miro atque ineffabili modo, **276** vim sentire illius divinæ virtutis, et quasi in medio ejusdem altitudinis, magnitudinis, immensitatis videre stantem, minis excelsum et ineffabiliter altissimum illum Filium hominis, qui crucifixus est pro nobis. Cumque visus ejusdem magno quidem, sed suavi, ultra quam dici potest pondere premeretur, hæc, quam dixi, cogitatio illi in mentem venit. Heu! quid erit de nobis servis malis, quorum propter scelus, talem tantumque Dominum tam male tractare oportuit? Statimque cogitationi huic, alia cogitatio, quasi desuper ab ipso Filio hominis emissa, suavissime respondit: Nec ego tantus nunc Dominus existerem, nisi propter servorum causam tam male tractatus fuissem, et quæ mihi fuit causa passionis, eadem est gloriæ et honoris. Qualiacunque sint hæc, illud recte dixerim, quia opus hoc tam magnum, tamque incomprehensibile est, ut quisquis dignus fuit audire auditionem ejus, recte timeat, et oret pro ignorationibus. Nam ignorantiam quidem hujus rei nullus habere debet, sed ignorantiam in consideratione ejus, qui non habeat, nullus est, quia nullus ad plenum considerare vel æstimare potest. Non tamen timor hujusmodi, timor est servilis aut pœnalis, sed timor est sanctus, permanens in sæculum sæculi, quem charitas non foras mittit, sed intus adducit, in quo majestatem æterni Dei laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Hoc ex ipsa re satis manifestum est. Nam ubi dixit, *audivi auditionem tuam, et timui*, non licet subaudiri, ne fieret quod futurum esse audivi, cum dicat protinus: *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud*, hoc ipsum citius fieri optavit, et oravit, quod futurum esse audiens timuit. Ergo bonus timor, sanctus timor, de quo alibi Psalmista: *Adorabo*, inquit, *ad templum sanctum tuum in timore tuo* (*Psal.* v). *Domine*, inquit, *opus tuum in medio annorum vivifica illud.* Miro modo iste non timidus, sed timoratus et orat et prophetat: Quid enim est in medio annorum? Qui sunt anni, quorum in medio fieri orat, quod audiens futurum esse timuit? Annos istos libenter intelligimus annos vitæ hominis, quos Psalmista computatos habens: *Dies*, inquit, *annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni* (*Psal.* LXXXIX). Equidem numerum hunc excesserunt potentiores magisque durabiles aliqui, sed *si in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor* (*ibid.*), ergo anni vitæ hominis septuaginta sunt. Futurum autem erat, ut in medio hujus numeri annorum vivificaret Dominus opus suum, opus mortificatum, opus quod est genus humanum. Equidem cœli et terra et mare, et omnia quæ in eis sunt, opera sunt Domini, sed homo quoddam opus speciale est Domini, opus manuum Domini. Nam dixit Deus de cæteris, et facta sunt; ut autem hominem faceret, assumpsit lutum et plasmavit et fecit opus manuum. Hinc Isaias: *Et nunc*, inquit, *Domine pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos* (*Isa.* LIV). Et sanctus Job: *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu* (*Job.* X). Ergo et si cætera Dominus operatus est, homo tamen proprium quoddam opus manuum Domini est, quod diabolus per serpentem mortificavit morte animæ, subsequente ex juxta Dei sententia corporis morte. Hoc opus ita mortificatum vivificaturus erat in medio annorum vitæ hominis annorum septuaginta. Et ita factum est. Cum enim esset ipse Dominus homo factus, paulo minus quam in medio septuaginta annorum, scilicet ætatem habens annorum triginta trium, ipse moriendo atque resurgendo vivificavit opus suum genus humanum. Moriendo, mortem destruxit animarum nostrarum; resurgendo, vitam reparavit corporum nostrorum. Igitur miro modo iste timuit, qui in isto timore hoc ipsum quod timebat, prophetando oravit ut citius fieret, orando prophetavit quod citius faciendum esset. Iterum ait: *In annorum medio notum facies.* Quid notum facies in altero medio annorum? Diximus enim, quia in medio annorum vitæ hominis opus tuum vivificasti, id est, templum tuum, templum non manufactum corporis tui, Judaica impietate solutum suscitasti, et cum ipso generis humani vitam reparasti. Quid facies notum in altero dimidio annorum, nisi hoc ipsum quod revera vivificaveris jam dictum opus tuum. Cum enim completi fuerint quadraginta anni, ex quo illud opus tuum, illud templum tuum ædificasti de corpore Virginis matris, jam tunc notum factum erit, quid operatus sis venientibus Romanis, et veritatem tuam implentibus in destructione templi manufacti, super quo calumniam sustinuisti a dicentibus. Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud (*Matth.* XXVI). Item: Vah, qui destruxit templum Dei, et post triduum illud reædificat (*Matth.* XXVII). Non enim remanebit lapis super lapidem qui non destruatur. Mira et pavenda celeritas operis tui, Domine, quia in medio annorum nostrorum, annorum quadraginta, qui vitæ nostræ anni sunt, vivificabis illud, sicut jam dictum est, et in altero eorumdem annorum medio sic notum facies, quid egeris, ut ejusdem operis tui gloriam æmulatio templi Judaici, templi manufacti, occultare sive obscurare non possit, quia destructum erit, magna ira; magna tunc pressura

erit populo huic. Sed quid? « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. » Non erimus sicut Sodoma, non efficiemur quasi Gomorrha, sed reliquiæ salvæ fient ex nobis. Hinc Isaias dicit : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus » (*Isa.* I), et est sensus : Nisi Dominus præordinasset, ut reliquiæ salvæ fiant ex nobis, et omnis Israel salvus sit, cum plenitudo gentium subintraverit, ita tota gens nostra consumpta fuisset absque ullis reliquiis, sicut Sodomiæ omnes igne et sulphure sunt consumpti, excepto Lot, qui non erat ex illis (*Rom.* XI ; *Genes.* XIX). Quod apud septuaginta Interpretes ita legitur, « in medio duorum animalium cognosceris, » non præterire libet, maxime, quia in cœtu sive in conventu Ecclesiæ usitatum est. Simplex quidem B interpretatio et opinatio vulgi, ait B. Hieronymus, de Salvatore intelligit, quod inter duos latrones crucifixus, agnitus sit. Qui autem melius hoc dicunt, qui in prima Ecclesia, quæ de circumcisione fuit et de præputio congregata, duobus populis se hincinde cingentibus, intellectus sit Salvator, et creditus. Sunt qui duo animalia, duo intelligant Testamenta, Novum et Vetus quæ vere animantia sunt, atque vitalia, quæ spirent, et in quorum medio Dominus cognoscatur. Sequitur : « Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan. » Semper hactenus admirando exclamaverat, nunc rem ipsam latius eloqui incipit, super cujus magnitudine attonitus, exclamationem præmiserat. *Deus*, inquit, *veniet*, et sanctus veniet. Unde veniet? « Ab austro de monte Pharan. » Quod de Christo Dei Filio scimus vel credimus, propter quod et loquimur, libenter in istis C prophetæ verbis intelligimus, quia a Deo exivit, et in hunc mundum venit, homo factus, secundum operationem Spiritus sancti. Spiritus enim sanctus, sicut in multis Scripturarum locis, ita et hic recte per austrum intelligitur, quia ventus est calidus, et regione calida aquiloni appositus, quo significari solet spiritus malignus Spiritui sancto contrarius. Ipsa autem Dei Patris persona **277** per montem Pharan, sive secundum Septuaginta interpretes, per montem umbrosum et condensum congrue significatur, *quia* videlicet « incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus, et immensa est altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei » (*Rom.* XI), quod innuit, ut supra D diximus, titulus ipse, oratio Abacuc prophetæ pro ignorationibus. Porro Deus et sanctus ipse est Christus Dei Filius, utique Deus verus, homo sanctus, nequaquam in iniquitatibus conceptus, et qui peccatum non fecit, « nec inventus est dolus in ore ejus » (*Isa.* LIII). Iste igitur, inquit, *ab austro veniet*, id est ut veniat iste, hoc Spiritus sanctus efficiet. Nam propter charitatem suam magnam veniet, propter charitatem suam magnam mittet eum Deus Pater (*I Petr.* XII). Charitas autem Patris mittentis, et Filii qui missus est, quid est aliud nisi Spiritus sanctus? Ergo a Spiritu sancto veniet, id est ut veniat, sicut

A jam diximus, Spiritus sanctus efficiet, et Spiritus sancti erit operatio, quod eum virgo incorrupta concipiet verum Deum, verumque hominem pariet. Secundum tres istas, unius veræ et summæ deitatis personas, tribus distinctionibus canticum hoc propheticum subdistinguit. Distinctionum earumdem signum est semper, quod Hebraice *sela*, et a Græcis translatoribus interpretatum est *diapsalma*, de quo sciendum, quod nonnisi in psalterio, et in præsenti loco sit positum : « Et puto, ait Beatus Hieronymus, musici cujusdam soni esse signaculum aut certe perpetuitatem eorum quæ prædicta sunt judicari, et ubicunque sela, hoc est diapsalma sive semper apponitur, ibi sciamus non tantum ad præsens tempus, verum ad æternum vel quæ sequantur vel quæ præcesserunt pertinere. » Prima distinctio ab hoc versu incipit : « Operuit cœlos gloria ejus. » Secunda : « Fluvios scindens terræ. » Tertia : « Maledixisti sceptris ejus. » Et prima quidem distinctio spectat ad Deum Dei Filium, de quo dixerat Deus, *ab austro veniet*; nam *cornua*, inquit, « in manibus ejus ; ibi abscondita est fortitudo ejus, » etc. Secunda distinctione manifestum est quod alii personæ loquatur : nam *egressus es*, inquit, « in salutem populi tui, in salutem cum Christo ; » et illa persona recte intelligitur Spiritus sanctus, quem per austrum significari accipimus, qui visibilia præsentia suæ signa præbuit, egrediens cum Christo suo in salutem populi sui, quod suo loco planius dicendum erit. Tertia distinctione alia persona est cui loquitur, « maledixisti sceptris ejus. » Postmodum dicens : « Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo, » et illam personam cui loquens, hoc de Domino Jesu suo confitetur, partem gratanter accipimus. Nunc ipsam dictorum seriem persequamur. *Operuit* « cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. » Sic loquitur. Hæc et cætera quæ sequuntur, tanquam timor plenus, et alio auditu in interiore homine attonitus, quem præmisit : *Domine*, inquiens, « audivi auditionem tuam et timui. » Dixerat : « Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan, » sive de monte umbroso et condenso. Jam quasi quæreres quasi vel quantus Deus, quantæ sanctitatis sanctus? *Operuit*, ait, « cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. » Cum dicit, « operuit cœlos gloria ejus, » quid nisi hoc intimare vult quod æque umbrosus et condensus sit, ut ipse mons, id est, ipse Pater de quo venit idem Deus? Denique valde umbrosum et condensum, valde incomprehensibilem illum esse testatur, cum dicit, *operuit cœlos gloria ejus*, quod idem est ac si dicat : Incomprehensibilis est divinitas ejus, etiam cœlis, id est cunctis spiritibus angelicis. Tantus tamque gloriosus et iste Deus. Quam sanctus sit si quæras, *et laudis ejus*, ait, *plena est terra*. Pulchre distinguit gloriam Dei, laudem Dei. Nam inde gloriosus, quia Deus ; inde laudabilis, quia sanctus. Et sicut gloria divinitatis ejus cœlos, ut jam dictum est, operuit, ita laude sanctitatis, laude sanctæ humanitatis ejus terra plena est. Nec cœli, id est angeli, gloriam divinæ claritatis ejus ad finem perspicere possunt, nec

homines in terra sanctitatem et humilitatem humanitatis ejus, quantum est dignum, laudare sufficiunt. Non habet finem Deus magnus et excelsus, non habet æstimationem Deus homo factus sanctus et bonus. Quid ergo, si gloria ejus cœlos operuit? Unde cognoscetur, si est umbrosus atque condensus. Ait: « Splendor ejus ut lux erit. » Ac si dicat: Non ita est umbrosus et condensus ut non possit videri; non ita est incomprehensibilis ut non possit agnosci. Splendebit enim, « et splendor ejus ut lux erit, » id est creaturam satis illuminabit. Habet quidem lucem inaccessibilem, sed tolerabilem novit emittere splendorem. In ipsum lucis profundum accedere vel penetrare creatura non potest, sed ad creaturam lux ipsa temperativo splendore procedere potest. Splenduit gloria ejus ipsis cœlis quos operuit, et terræ splenduit, ubi homo factus, homines latuit. Splendor ejus mirabilium est operum effectus, in cœlo et in terra mirabilia fecit, et quoties mirabilia fecit, toties splendorem emisit, et hujusmodi splendor ejus, ut lux est et ut lux erit, quia creaturam suam angelicam sive humanam ad cognoscendum seipsum sufficienter illuminat et illuminabit. Quid tandem umbrosius, quid condensius eo quod sequitur: *Cornua, in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus*? Cornua namque vexilla dicit, et tropæa crucis, cujus brachiis confixæ fuerant manus ejus. « Cum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Philip.* II). In cruce ergo paulisper abscondita est fortitudo ejus, quando dicebat ad Patrem: « Tristis est anima mea usque ad mortem » (*Matth.* XXVI); et: « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste » (*ibid.*), et in ipsa cruce: « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum » (*Luc.* XXIII). Quid tam umbrosum, tam condensum? Nam *nos*, inquit Apostolus, « prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam » (*I Cor.* I). Quomodo autem vel ad quid « ibi sbscondita est fortitudo ejus? » Nimirum sicut in carne absconditur hamus, id est ferri aculeus, ad hoc ut piscis capiatur. Nam hoc est quod de Behemot sive Leviathan ad B. Job Dominus loquitur: « An extrahere poteris Leviathan hamo »? (*Job* XL.). Subauditur ut ego. Proinde cum dicit, *cornua in manibus ejus*, non id solum nos attendere vult quod cornibus sive brachiis patibuli confixæ fuerint manus ejus, alioquin magis proprie dixisset, manus ejus in cornibus; sicut non sic dicere solemus, crux in Christo, sed Christum in cruce fixus, hoc magis non perpendere vult quod propter confixionem qua cruci confixus vel in cruce exaltatus est, omnis potestas sive omne regnum quod per cornu significari solet, datum est in manibus sive in manu ejus, sicut ipse prædixerat: « Si exaltatus fuero a terra, » omnia traham *ad meipsum* (*Joan.* XII), et sicut ait postea: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra » *Matth.* XXVIII). Ipse propheta protinus enuntiat quid eventurum esset inde, quod *ibi*

A *abscondita est fortitudo ejus*. Ait enim: « Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus. » Quid enim est hoc nisi ac si diceret, illo quasi hamo Leviathan **278** capietur. Sicut enim piscis hamo captus ante pedes capientis hamumque trahentis de flumine sive de mari egredietur, ita « diabolus egredietur, » ait, *ante pedes ejus*, hoc est veniet in potestatem ejus, « et foras idem princeps mundi ejicietur » (*Joan.* XII). Duo dixit, « ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus, » et hæc sunt quæ nos credimus et loquimur, et credentes speramus; quia ante conspectum ejus mors fugit. Resurrexit enim, et nobis resurrectionis gloriam donavit, diabolumque auctorem peccati et mortis ad prædicationem Evangelii sui fecit foras egredi et ante pedes,
B id est ante prædicatores suos conculcari. Sequitur: « Stetit et mensus est terram. Aspexit et dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi. Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. » Ipse qui in cruce mortuus fuit, ubi « abscondita erat fortitudo ejus, » resurgens a mortuis, nimirum jam non abscondita vel abscondenda, sed deinceps manifesta fortitudine stetit, subauditur, a dextris virtutis Dei, ad expugnandas reliquias peccati, ad debellandos hostes Evangelii sui. Nam *ecce video cœlos apertos*, ait Stephanus protomartyr, « et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei » (*Act.* V). Et Isaias jamdudum fuerat prælocutus: « Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos » (*Isa.* III). *Stetit* ergo « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio » (*Psal.* XXIII), diabolum victum habens ante pedes
C suos. « Et mensus est terram. » Quomodo *mensus est*, nisi tanquam judex vivorum et mortuorum? Nempe quod de David scriptum fuerat, « quia percussit Philistiim, et percussit Moab, et mensus est funiculo coæquans terræ, mensus est autem duos, unum ad occidendum et unum ad vivificandum » (*II Reg.* VIII); hoc de isto a manu forti venerabiliter est sentiendum, quia *mensus est terram*, mensus duos funiculos, unum funiculum misericordiæ et unum funiculum judicii; funiculum misericordiæ ad vivificandum, funiculum judicii ad occidendum. Ita metiendo terram *aspexit gentes*, miseratus est gentes, funiculum misericordiæ ad vivificandum mensus est super gentes. Porro judicii funiculum ad occidendum mensus est super Judæos, ut excæcati « caderent in
D ore gladii, et captivi ducerentur in omnes gentes » (*Luc.* XXI). Idipsum quod dicimus de aspectu misericordiæ quo aspexit gentes, pulchre innuit hoc dictum, « et dissolvit gentes, » et quod subjungit, « et contriti sunt montes sæculi et incurvati sunt colles mundi. » Quid enim est *dissolvit*, nisi ad pœnitentiam emollivit? Econtra de impio dicitur, quia « cor ejus induravit » (*Joan.* XII). Et quid est, « contriti sunt montes sæculi et incurvati sunt colles mundi, » nisi ad pœnitentiam contristati sunt principes sæculi, majores qui intelliguntur per montes, et minores qui significantur per colles? « Commota est et contremuit terra, » ait Psalmista, « et fundamenta montium conturbata et

commota sunt, quoniam iratus est eis » (*Psal.* XVII). Bona contritio, quæ fit ab itineribus æternitatis ejus: nam hoc est « contritum et humiliatum, » quod non despicit Deus (*Psal.* L), hoc totum fuit vel est metiri funiculum unum, funiculum misericordiæ ad vivificandum. Porro quod continuo sequitur : « Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. » Mensio est funiculi alterius, funiculi judicii ad occidendum. Nam de illo Æthiope hic sermo est, qui non mutabit pellem suam, et de illo Madian, qui semper et pertinaciter declinant judicium, secundum hoc ipsum nomen quod est Madian (*Jer.* XIII). Madian quippe interpretatur « declinans judicium, » et significat eos qui non credunt futurum judicium. Igitur ipse qui « aspexit et dissolvit gentes » aspectu misericordiæ, ipse « pro iniquitate vidit, » id est iniquitatem judicavit omnem incredulum, « omnem animam hominis increduli et malum operantis, Judæi primum et Græci » (*Rom.* II). Siquidem tabernaculum Æthiopiæ est omnis anima Judæi malum operantis, potius quam tabernaculum Libani, id est templum ipsum de cujus candore sive religione solebat gloriari, et dicere : « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est » (*Jer.* VII). Verum dicere licet, quia ex quo Salvatore crucifixo tenebræ circa meridiem factæ sunt, et secundum illud præsagium, « cæcitas contigit in Israel » (*Rom.* XI), et obscurati sunt oculi eorum, et ipsum templum, et omnia sacra Judæorum, tabernacula Æthiopiæ facta sunt. Sicut enim Æthiopes ex vicino splendidi solis calore denigrati sunt, ita Judæi miro modo de præsentia Salvatoris per invidiam suam deteriores facti sunt, et per odium lucis obscurati sunt oculi eorum. Igitur « pro iniquitate vidit tentoria Æthiopiæ, » id est, veram et consummatam iniquitatem, judicavit atque damnavit cuncta quæ prius sibimet habitacula fuerant, festa vel cæremonias religionis Judaicæ. Denique « turbabuntur », ait, « pelles terræ Madian. » Et iste et alius propheta, videlicet Isaias, qui cum dixisset, « jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti » (*Isai.* IX), statim addidit, « sicut in die Madian » (*ibid.*), ad illum nos mittunt sacræ historiæ locum, ubi Gedeon dux Israel, miro modo turbavit castra Madian. Omnis Madian et Amalech, et orientales populi congregati fuerant simul, et Gedeon quæsierat signum in vellere, scire volens si salvum faceret Dominus per manum ejus Israelem, sicut locutus est. Divisitque trecentos viros, quos de omni Israel secum retinuerat, in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampadas in medio lagenarum. « Cumque omnes, » secundum ducis edictum atque exemplum, « per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampadas et dextris sonantes tubas, clamaverunt : Gladius Domini et Gedeonis. Omnia itaque castra turbata sunt, et fugientes mutua se cæde truncabant » (*Jud.* VII). Secundum illius rei gestæ similitudinem *turbabuntur*, ait, *pelles terræ Madian*,

A id est omnia sacra vel secreta gentilium declinantium judicium, non credentium futurum esse judicium. Quod Gedeon Christi pertulerit typum secundum sui nominis interpretationem, Gedeon namque interpretatur « circuiens uterum, » et quod viri ejus trecenti martyres Christi significaverint, certantes atque morientes pro fide sanctæ Trinitatis, et quod confractio hydriarum mortes fragilium corporum, fulgur autem lampadarum gratiam significaverit miraculorum, quæ post martyrum cædes splenduerunt, unde superata atque confusa sunt cuncta fanatica gentilium, sancti Patres latius tractaverunt, quæ quoniam suis in locis inveniuntur, hic non præscribimus vitantes legentis fastidium. Igitur « turbabuntur, » ait, « pelles terræ Madian, » id est vanitates B et insaniæ falsæ illorum, qui non credent secundum Evangelii prædicationem futurum esse judicium, superabuntur atque destruentur per mira et inaudita prælia martyrum sua corpora ad supplicia tradentium et moriendo vincentium. Sequitur : « Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua? » Hujusmodi interrogationes interdum facere potuerunt et cæteri prophetæ et fecerunt, excepto quod iste cum majori interrogat admiratione. Exempli gratia : Ubi Daniel vidit in visione quod « quatuor venti cœli pugnabant in mari rubro, et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se ; et deinde throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit » **279** (*Dan.* VII) et interfecta est judicio ejus bestia illa magna, aliarum quoque bestiarum potestas ablata, C admirari poterat ipse Daniel, et eodem modo interrogare. Nunquid in leonibus iratus es, Domine, aut pardis aut ursis furor tuus, et in ventis atque in mari indignatio tua ? Nunquid de talibus tibi est cura, ut propter hæc in judicio sedeas ? Et ratione ipsa respondente, non consequebatur ut per illas imagines significarentur quædam alia majora, quæ scire volens ille, « accessi, » inquit, « ad unum de assistentibus, et veritatem quærebam ab eo de omnibus his » (*ibid.*) Simili modo et Zacharias de multis quærit, et dicit: « Quid sunt hæc, Domine mi? » (*Zach.* I.) Iste autem magis attonitus et majori admiratione citatus, videbat enim et audiebat aure vel oculo prophetali unde timeret, sicut præmisit, « Domine, audivi auditionem tuam, et timui, » interrogat et di- D cit : « Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua ? » Et sine dubio responsum est ei, nonnullam quippe iram elementa inanimata meruerunt, et sicut Danieli (*Dan.* II), sicut Zachariæ interrogantibus, ita et huic dictum est, quid essent vel quid significarent ea quæ videbantur. Nulla tamen ita expositum est aliquod ejusmodi mysterium, ut concederetur ei scribere manifeste ad intelligendum, imo sic præcipiebatur : Tu autem claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. Quid iste viderit ut diceret: « Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, » etc. Sequentia manifestius sonant, cum dicit: « Vide-

runt te » aquæ Deus, « et doluerunt montes, gurges aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam, » etc. Itaque sicut in legalibus dictis: Non alligabis os bovi trituranti (*Deut.* xxv), cum audimus Apostolum dicentem : Nunquid de bobus cura est Deo (*I Cor.* ix), scimus respondere : Non, sed de prædicatoribus hoc dixit lex spiritualis. Ita in his visionibus propheticis, dum dicit : « Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, » ipse videns, sive propheta, et nos videntis sensum habere cupientes, respondere sciamus: Non, et sub nominibus montium atque collium, equorum atque quadrigarum, fluminum sive aquarum, sagittarum fulgentium, et fulgurantis hastæ, cæterarumque rerum, de quibus æque ut de bobus cura Deo non est, res illas intelligamus, de quibus Deo sine dubio cura est, flumina illa nobis in intellectu sint, illa, quorum voces auditæ sunt, vel audire potuerunt aquæ illæ et mare illud, et flumina, de quibus in psalmo scriptum est : « Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam. Elevaverunt flumina fluctus suos a voce aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus» (*Psal.* xcii). Flumina enim quæ elevaverunt vocem suam, sacra catholicæ fidei dogmata sunt, Domino dicente : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ » (*Joan.* vii). Porro flumina alia, flumina contraria, quæ « elevaverunt fluctus suos a vocibus aquarum multarum », illa sunt, de quibus gloriatur draco magnus, ut apud Ezechielem Dominus loquitur: « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius » (*Ezech.* xxix), populi mei sunt, inquieti et impetuosi, qui elevaverunt fluctus suos, fluctus persecutionis atque seditionum a vocibus aquarum multarum, id est propter voces Christi discipulorum habentium abundantiam cœlestium gratiarum. Illud mare totus mundus est, mundus impiorum et incredulorum, cujus tanquam maris elationes mirabiles fuerunt, mirabilis autem in altis Dominus, qui elationes illas compescuit. Qualiacunque vocabula sint, tam in his, quam in cæteris, quæ sequuntur, illas debemus intelligere res, quibus Dominum summe sapientem, et summe justum irasci vel indignari a ratione non discordet. Sequitur : « Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus, quæ locutus es. » Quia semel interrogavit, « nunquid in fluminibus iratus es, Domine? » Et interrogando, interrogationis atque responsionis viam nobis aperuit, interrogemus etiam de his : Nunquid super equos quadrupedes, Domine, ascendisti, aut ascendes, et quadrigis vectaberis, ut reges vel consules ? Nunquid arcum intendes, et sagittarius fies, et scapulas hominum transfiges, et percuties inter pulmonem et stomachum, aut egredietur sagitta per carneum cor eorum ? Et respondebimus : Non. Nam ascendes quidem equos tuos, sed equi tui homines sunt, sponte subeuntes obedientiæ tuæ frenum. Ascendes quidem quadrigas tuas, sed quadrigæ tuæ quatuor Evangelia tua, sive Evangelii tui quatuor sunt sacramenta, per totum mundum currentia, scilicet incarnatio tua, passio tua, resurrectio tua, ascensio tua, quæ sine dubio sunt salvatio nostra, quorum sine fide nulla est salvatio nostra. Cum istis equis et quadrigis tuis, *suscitans*, ait, « suscitabis arcum tuum, » id est prædicans prædicabis futurum judicium tuum te, ad judicandum vivos et mortuos, venturum quemadmodum illi testes resurrectionis et ascensionis tuæ te viderunt euntem in cœlum. Illud namque prædicare judicium quodammodo tale est, ut si quis intendat arcum suum, quia sicut arcus de longe ferit, ita de longinquo venit dies judicii, ita ut, antequam feriat, prævideri non possit. « Suscitabis juramenta tribubus quæ locutus es. » Quæ sunt illa juramenta ? Duobus quidem hominibus juramenta locutus es, scilicet Abrahæ et David, dicens Abrhaæ: « Per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc » (*Genes.* xxii). Et jurans David, sicut Scriptura dicit : « Juravit Dominus David veritatem » (*Psal.* cxxxi). Verumtamen et omnia dicta tua, propter firmam et insolubilem veritatem dici possunt juramenta. Tu es enim ille Angelus de quo in Apocalypsi scriptum est : « Et Angelus quem vidi supra mare stantem, levavit manum suam in cœlo, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt, et terram, et ea quæ in ea sunt, et mare, et ea quæ in eo sunt, quia tempus amplius non erit » (*Apoc.* x), etc. Quodcunque locutus es, tam firma tamque vera sunt, ac si juraveris per temetipsum, sive per beatam Trinitatem, viventem in sæcula sæculorum. « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non » transibunt (*Matth.* xxiv). Ascendendo super equos et quadrigas tuas, et suscitando arcum tuum implebis omnia, quæ tanquam juramenta locutus es, quorum finis erit, dare tribubus tuis terram veraciter fluentem lac et mel. *Semper.* Jam supradictum est, quod a versiculo illo, « Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan, » sive « umbroso et condenso » quo sanctam intelligimus Trinitatem, trina distinctione distinctum sit hoc canticum, et singularum distinctionum signum sit, semper pro quo in Græco diapsalma, et in Hebraico sela scriptum est, et ubicunque apponitur ibi, vel quæ sequantur, vel quæ præcesserint, non tantum ad præsens tempus pertinere sciamus. Ea quæ jam dicta sunt, manifestum est ad personam pertinere Dei, et sancti, qui ab austro et de monte umbroso, et condenso, id est, a Spiritu sancto, et a Patre Deo venturus erat, et nunc interposito, semper, quæ sequuntur ad personam dicuntur Spiritus sancti, quod maxime ex illo liquet versiculo : « Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. » Ait itaque « Fluvios scindens terræ, viderunt te aquæ et doluerunt **280** montes, gurges aquarum transiit. » Ne fluvios et aquas, sive aquarum gurgites hic intelligamus vulgariter, vetuit nos interrogatio præmissa, dicentis : « Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari

indignatio tua?» Ergo fluvios terræ, id est, omnes sapientes, sive omnes loquacitates philosophiæ mundanæ, tu auster bone, tu Spiritus sapientiæ scindes, tu qui flumen Dei, id est doctrinam evangelicam, absque scissura currere facies sequentibus signis. Ad quid illos fluvios scindes? Nimirum ut minus aut nihil valeant, per scissuras comminuti atque attenuati, et transeant per eos calceati. Nam hoc est quod apud Isaiam taliter dictum est: « Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et elevabit manum suam super flumen, in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati » (*Isa.* XI). Lingua namque maris Ægypti, loquacitas est sapientium sæculi. quam Spiritus sanctus stultam fecit, quam dum scissa et contra semetipsam divisa est, facilius transierunt per eam, quicunque fuerunt vel sunt « calceati pedes in præparatione Evangelii pacis » (*Ephes.* VI). Hoc facto viderunt te, ait, aquæ, et doluerunt montes, id est, cognoverunt te populi, et doluerunt principes, aliqui dolore pœnitentiæ, aliqui dolore invidiæ, et intumescent quidem populi multi, quomodo interdum aquæ intumescunt, sed tumoris eorum finis erit, hoc est, quod nunc ait, *gurges aquarum transiit.* Sequitur: « Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levabit. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. » Ubi gurges aquarum, hoc est, omnis eorum impetus, et persecutio transiit, qui vexabant tunc populum tuum, tunc abyssus, id est, inferi laudaverunt te, tunc etiam superi, id est angeli in plausum] suis manibus concrepuerunt, et victorem veluti gestu quodam et tripudio elevatarum manuum demonstrant. Sol tuus et luna, et omnis splendor, qui prius illuxerat populo, et postea malorum pondere, et tenebrarum horrore universa fuerant cooperta, receperunt lumen suum, et pristinum habuerunt fulgorem. Sagittæ tuæ, et fulgurans hasta tua, id est plagæ tuæ et eruditio tua, lumen populo tuo præbuerunt. Denique in luce sagittarum tuarum, et in splendore hastæ tuæ, quæ eos ad hoc corripuit, ut emendaret, ambulavit populus tuus, te timens, te diligens, et magnam tui admirationem habens. Hic protinus sequitur: « In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum usque ad collum. » Procedere et properare volens animus, adhuc ad ante jam dicta revocatur. Minus enim, quem cupit ipse, sibimet dixisse videtur. Siquidem de temporibus verborum tacuit omnino, tanquam casu, et absque ulla ratione, variata sint in his verbis propheticis. Futuro tempore propheta dixerat: *Fluvios scindes terræ,* et repente verbis agere rem cœpit præteriti temporis. « Viderunt te » aquæ, « et doluerunt montes, gurges aquarum transiit, » et subinde iterum secundum tempus futurum. « In luce, » ait, « sagittarum tuarum ibunt, in fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes, » statimque rursus tempore præterito: « Egressus es, » inquit, « in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, » etc. Nunquid casu, et absque ullius rationis intuitu, ita in prophetis suorum tempora verborum variare] consuevit Spiritus sanctus? Non utique absque ratione est, quæ si nobis non omnino patet, tamen inde persentire aliquid, dulce et jucundum est. Attendenti diligenter illud occurrit, quia sermo propheticus, ea quæ quodam certe tempore ventura vel facienda essent, magis præteriti temporis verbis edixit. Illa vero, quæ fieri non desinerent, omnibus diebus usque ad finem sæculi, verbis futuri temporis enuntiavit. Siquidem ut prædicatores suos in mundo haberet Dominus, et futurum prædicaret judicium usque ad finem sæculi, non erat defuturum, et idcirco verbis futuri temporis edixit. « Ascendes super equos tuos suscitans suscitabis arcum tuum. » Ut autem in infirmitate passionis lateret virtus divinitatis ejus, certo quodam et brevi tempore futurum erat, et idcirco præterito tempore dixit: « Ibi abscondita est fortitudo ejus. » Discretio hæc eadem, illic evidentius apparet, ibi de passione sua loquens, præterito tempore ait: « Foderunt manus meas et pedes meos » (*Psal.* XXI), quod sed semel oportebat fieri. Futuro autem: « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te » (*ibid.*), quod fit et fiet usque in finem sæculi. Quapropter quod ait, ab eo, *fluvios scindes terræ,* repetere libet, verumtamen prius egressum illum, de quo ait: « Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, » considerare ad rem præsentem nonnihil attinet. *Egressus es,* ait, id est præsentiæ tuæ, vel adventus tui ad homines, signa visibilia dedisti, Deus invisibilis. Ita *egressus es cum Christo tuo.* Ergo cui hæc dicuntur, alia est persona quam ipse Christus. Nec vero persona Patris hic intelligenda est, quia videlicet personam illam ex nomine, nulla Scripturæ auctoritas refert taliter apparuisse hominibus ut visibilia præsentiæ suæ signa præberet. Filius Dei, Deus invisibilis, homo visibilis factus est, et cum ipso taliter egresso, Spiritus sanctus ita egressus est in salutem populi sui, ut visibile daret signum adventus sui. Nam et super ipsum Christum suum descendit corporali specie, sicut columba (*Matth.* III). Et supra discipulos Christi sui apparuit, tanquam ignis, et supra singulos eorum sedit (*Actor.* II). Ita egressus est in salutem populi sui, cum Christo suo, id est ut salvaret populum suum, cum Christo suo Salvatore nostro. Primo egressu visus est ad aquas Jordanis, ubi baptizabatur Christus ejus. Pulchre ergo ab aquarum similitudine incipit opus ejusdem salutis, in laudem ejus qui egressus est in salutem populi sui. *Fluvios,* ait, *scindes terræ, viderunt te* aquæ, etc. Verbum scindere, satius est, et plus significat, quam si dixisset, emittes sive aperies. Uno namque hoc verbo, et malorum desolationem et bonorum significat fluviorum diffusionem. De malis vel contrariis jam supra positum est exemplum. « Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti,

et elevabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati » (*Isa.* XI). De bonis alibi dictum est, quia « scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine, et quæ erat arida in stagnum, et sitiens in fontes aquarum » (*Isa.* XXXV), et mali quidem fluvii sunt fluvii terræ, boni autem fluvii non sunt ejusdem terræ, sed scissæ, id est per divisam gratiam dati sunt terræ. Utrumque fieri cœptum est ab aquis Jordanicis, ab ipso egressu, quo in specie columbæ Spiritus sanctus ad aquas Jordanis egressus cum Christo suo in salutem populi sui. Exinde namque cœpit Jesus Christus eis prædicare publica prædicatione, et in digito Dei dæmonia ejicere. Taliter egressum viderunt te, inquit, aquæ, et doluerunt montes, id est cognoverunt te populi, et inviderunt principes. Nam turbæ equidem admirabantur, Pharisæi autem dicebant : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia » (*Matth.* IX). Viderunt, inquam, te aquæ, et doluerunt montes, **281** quia exierunt Christo tuo obviam turbæ cum ramis palmarum, pium hosanna conclamantes, et inviderunt principes sacerdotum, mortem illi machinantes (*Matth.* XXI). « Videtis, quia nihil proficimus ? Ecce mundus totus post eum abiit » (*Joan.* XII). De talium quolibet in psalmo dictum est : « Concepit dolorem et peperit iniquitatem » (*Psal.* VII), et montes pariter viderunt te, quod scilicet tu cum illo Christo tuo esses, et quod ille non in Beelzebub (*Luc.* XI), sed in te, multa signa faceret, sed aquæ et viderunt te, et laudaverunt, montes autem viderunt et inviderunt ; deinde gurges aquarum, inquit, transiit (*Psal.* CXIII). Quid ibi fuit gurges aquarum, nisi profunda et seditiosa malitia Judæorum ? Denique sicut turbas illas quæ viderunt et laudaverunt, nomine aquarum, et sicut pontifices et Pharisæos nomine montium, ita concilium quod illi collegerunt, et habitatores Hierusalem, recte intelligimus nomine gurgitis aquarum. Nam hinc est, quod idem Christus tuus jamdudum per Psalmistam dicebat, orans : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam » (*Psal.* LXVIII). Illic « gurges aquarum transiit, » subauditur, super Christum tuum. Transiit, inquam, id est venit quidem, sed non diu mansit super eum. Intravit usque ad animam ejus, id est tandiu donec ille moreretur. Sed quid protinus ? « Dedit, » inquit, « abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit ; sol et luna steterunt in habitaculo suo. » Post gurgitem aquarum transeuntem, statim dedit abyssus vocem suam. Quia statim ubi dixit : *Consummatum est, et emisit spiritum*, statim inferna concremuerunt, et qui in illa tali abysso erat sanctorum populus dedit vocem suam et vocem lacrymabilem, quam nos per fidem tam bene intelleximus, ac si præsentes ibi fuissemus. Illa vox hujusmodi fuit : Advenisti, desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris. Post talem abyssi vocem altitudo quoque manus suas levavit : Resur-

A rexit enim ille a mortuis, et hoc videns omnis multitudo cœlorum, plena felici admiratione plausum fecit, et tripudiando exsultavit. Nec mora, deinde sol et luna steterunt in habitaculo suo, nam tuus idem Christus ascendit in cœlum, et stetit, vel sedit a dextris virtutis Dei, et Ecclesia ejus sublata de inferis, ipsa quoque a dextris stetit, sicut psalmus prædixit : *Astitit regina a dextris tuis* (*Psal.* XLIV). Exinde cœpit fieri, et fit, et fiet usque ad consummationem sæculi, id quod protinus sequitur : Temporibus mutatis, id est facto transitu de tempore præterito, ad verba temporis futuri. « In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ, in fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. » Illuminati namque sunt apostoli, et prædicando emittere cœperunt lucida verba

B veritatis. Illa denique verba sagittæ sunt, tuæ sagittæ lucentes, luce sua viam vitæ demonstrantes, et acumine suo corda populorum ad pœnitentiam compungentes. Hinc videlicet in psalmo : « Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corde inimicorum regis » (*ibid.*). Et est sensus : Verba prædicationis tuæ acuta sunt, usque ad animam pertingentia, et non homines, sed vitia hominum interimentia, quibus confixi populi in corde inimicorum regis, id est in corde suo. Qui prius inimicabantur regi Deo, vel regno Dei, cadent sub te, id est adorabunt te, sub tuum imperium redacti. Nec sola erunt prædicationis verba, sed sequentur et signa terribilia. Bene ergo cum dixisset : « In luce sagittarum tuarum, » addidit : « In splendore fulgurantis hastæ tuæ. » Fulgu-

C rans hasta faciendorum est signorum potentia. In hujus splendore, et « in illarum sagittarum luce » ibunt, ait, subauditur, tam prædicatores quam auditores Evangelii, et ita factum est, et fit, et fiet usque ad finem sæculi. Et sagittarum lux, et splendor hastæ fulgurantis eo usque processit, ut Christiana fides obtineret principatum mundi, et super gentes exercet in fortitudine zeli boni severitatem magisterii religiosi. Dicit ergo sagittarum ejusmodi, talisque hastæ Domino Spiritu sancto : « In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. » Ubi enim super mores hominum terrena sapientium, magisterium exercetur, ibi terra conculcatur in fremitu, et ubi gentiliter viventes, pro modo peccati puniuntur, verbi gratia, cum traduntur *Satanæ in interi-*

D *tum carnis* (*I Cor.* V), ibi gentes per justum furorem stupore afficiuntur. Nunc demum diligentius considerandum est quod dixit hoc modo : « Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. » Nec enim vacare putanda est ista repetitio, *in salutem cum Christo tuo*. Denique unus quidem est Spiritus, et una est salus populi ejus, sed duo leguntur in Evangelio Christi egressus ejusdem, et geminum est ejusdem salutis opus. Primus egressus est in specie columbæ ad aquas Jordanis (*Matth.* III). Secundus egressus in cœnaculo super apostolos, in igne, et linguis dispertitis (*Actor.* II). Hoc jam supradictum est. Porro de gemino, salutis opere, iti-

A

dem sciendum est, quia primum est opus, remissio peccatorum, secundum divisio gratiarum. Remissionem peccatorum, opus primum et maxime necessarium, a passione Christi sui cœpit operari. Ille enim resurgens a mortuis, et stans in medio discipulorum insufflavit et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx), et subaudiendum est in remissionem peccatorum. Sequitur enim, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Divisionem gratiarum, secundum salutis opus erat quidem in quibusdam ex parte effectum, ante Christi passionem, ut haberent aliqui sermonem sapientiæ et sermonem scientiæ, fidem, prophetiam, operationem virtutum, discretionem spirituum, et post passionem ejus, die Pentecostes abundantius peractum est, datis insuper generibus linguarum, ut exinde salus eadem cun-

B

ctis gentibus innotesceret. Singillatim cuique credentium hoc opus perficitur, dum primum ex aqua et Spiritu sancto renascitur (*Joan.* III), et deinde per manuum impositionem (*Act.* XIX), chrismatis unctionem confirmatur. Ita « in salutem egressus percussisti, » ait, « caput de domo impii, denudasti fundamentum usque ad collum. » Semper impius diabolus est, et domus ejus mundus, sive « omne quod in mundo est, » scilicet « concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ » (*I Joan.* II). Quid ergo intelligimus caput ejusdem domus, nisi aut ipsum diabolum principem mundi, aut originale peccatum, quod regni vel domus ejus caput et principium fuit ? Hoc caput percussisti percussione lapidis, id est passione Christi, et proinde recte di-

C

ctum est quia *egressus es in salutem populi tui*. Deinde domus ejusdem *denudasti fundamentum usque ad collum*, id est quidquid errorum, quidquid vitiorum erat in mundo, non dimisisti inconcussum, tam illud quod latebat, sicut latet domus fundamentum, quam illud quod patebat, sicut patet corporis collum. Illis namque linguis igneis quas foris ostendisti, intus fervidi et foris sapientes facti et eloquentes, non cessaverunt, donec propalarent mundi hujus sapientia, quanta esset stultitia ; quæ dicebantur in templis gentium sacra, quanta essent sacrilegia. Tertium est, hoc semper, de quo quid sit, jam semel et secundo dictum est. Sequitur : « Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum

282 ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum

D

me. Exsultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. » Quoniam distinctione trina distinctum est hoc canticum, cujus videlicet distinctionis signum est, semper, sive diapsalma, tertio jam appositum, et in antedictis clare discernuntur duæ personæ Filii et Spiritus sancti, delectat hanc tertiam partem cantici referre ad propriam personam Patris, ut sit canticum sive laus totius Trinitatis. *Maledixisti*, inquit, *sceptris ejus*, etc. Ac si dicat : Non hac vice solum, non hac vice primum percussus est impius, quando passus est Christus, sed jamdudum damnatus fuerat, et triplex est judicium damnationis ejus. Primum est, quod *maledixisti sceptris ejus* ; secundum quod *maledixisti capiti bellatorum ejus* ; tertium, quod *maledixisti* cunctis bellatoribus ejus, *venientibus ut turbo ad dispergendum me*. Tunc *maledixisti sceptris ejus*, quando in cœlo damnasti superbiam ejus, volentis tenere sceptra cœli divinumque imperium, et seipsum facere altissimum. Dicebat enim in corde suo : *similis ero Altissimo* (*Isa.* XIX). Illis autem *sceptris maledixisti*, id est propter illam præsumptionem irrecuperabiliter illum damnasti. Tunc vero *maledixisti capiti bellatorum ejus*, quando dixisti ad serpentem per quem deceperat hominem, quod fuit initium belli ejus contra humanum genus, unde et idem serpens recte dicitur caput bellatorum ejus : « Quia fecisti hæc, maledictus eris inter omnia animantia, et bestias terræ » (*Genes.* III), etc. In serpente ipse maledicebatur, et ex eo vocabulum sumpsit, ut vocetur serpens antiquus. Maledicis nunc usque cunctis bellatoribus ejus, *venientibus ut turbo ad dispergendum me*, et cunctos similes mei, timentes te. Illorum primus fuit Pharao rex Ægyptius, novissimus erit Antichristus. Ille namque, videlicet Pharao, primus post verbum promissionis, velut quidam turbo dispergere me voluit, id est auferre mihi effectum juramenti quod ad Abraham jurasti in repromissione beati seminis, id est Christi, quia ut nullum veniret semen, masculos omnes necari præcepit (*Exod.* I). Sed quid illi et cæteris provenerit, quis nescit ? « Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. » Cumque ille persequens ausus fuisset post eos ingredi, submersus est cum exercitu suo in mari, et ibi dejecisti eum, et periit cum curribus et equitibus suis. Illi primi fuerunt omnium persecutione manifesta, persequentium nomen tuum, cæteri omnes, sicut similes sunt, vel fuerunt, ita similem damnationem acquisierunt et acquirunt, et juste maledicti sunt bellatores ejusmodi, quia in hoc ipso exsultant, quod vacat eis occidere, et persequi quod est assimilari diabolo sive Antichristo. Hoc est quod ait : « Exsultatio ejus, sicut qui devorat pauperem in abscondito » (*Psal.* IX). Quis enim est ille, qui devorat pauperem in abscondito, nisi ille qui dum insidiatur, ut rapiat pauperem, et rapit quantum potest, dicit in corde suo : *Deus non requiret ?* Et quidem illud magnum et gloriosum fuit, quod illum carneum Pharaonem, et currus exercituum ejus mare operuit, tuis autem equis sive hominibus in eodem mari viam fecisti, sed magis multoque gloriosius est, quod eadem aqua per Christi sacramentum credentes in eum transmittit ad regnum æternum, omnia operiens peccata, quæ spiritualium sunt castra Ægyptiorum, et quod in mari hujus sæculi, ubi erat lutum aquarum multarum, id est nimium carnalis et turbida conversatio gentium, viam fecisti equis tuis, de quibus supra dixi, qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio « Audivi et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea. » Versiculus iste idem sonat, eamdemque animi ra-

tionem renovat, quam in initio præmisit : *Domine*, inquiens, *audivi auditionem tuam et timui.* Exposuit quid audiens timuisset, et tunc demum quasi per illam bene ordinatæ orationis partem, quam rhetores complexionem vocant, ad primam propositionem rediens, « audivi, » inquit, « et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea. » Conturbatio hæc, sive tremor iste optabilis est, quia vilis est, magnumque divini respectus emolumentum habet. Ait enim : « Ad quam autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? » (*Isa.* LXVI.) Conturbato ergo ventre, et a voce quam intus audierat contremiscentibus labiis, optat eamdem conturbationem, sive tremorem sibi adaugeri, et optando dicit : « Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis et ascendam ad populum accinctum nostrum. » Gratulor, inquit, quod dicere jam potui, *conturbatus est venter meus*, quod dicere ille non meretur, qui non habet teneritudinem ventris, imo duritiam cordis tanquam duritiam lapidis, cujus Deus cor non emollivit, qualium Pharao rex Ægyptius notissimus habetur in sanctis Scripturis, gratulor, inquam, quod opera tua, Domine, considerans intremui per spiritum humilitatis, opto autem ut mihi adaugeas humilitatem cordis, vel loquens ad te Dominum meum, magis ac magis agnoscam quia sum pulvis et cinis, moxque futurus putredo et vermis. *Putredo* illa, id est putredinis illius memoria, qua postmodum putrescam, « ingrediatur in ossibus meis, et subter me scateat, » id est humiliet totum quidquid est in me virtutis aut boni operis, et in radice cordis in profundo conscientia magis ac magis accrescat. Taliter enim fiet, ut requiescam in die tribulationis, quod sciens Christus tuus, ubi dixit: « Et discite a me quia mitis sum et humilis corde, » statim hoc addidit, « et invenietis requiem animabus vestris » (*Matth.* XII). Et quis est ille dies tribulationis ? Non longe quæratur, jam hoc tempus, in quo sumus, in quo vivimus, dies tribulationis est. Sive singulariter diem, sive pluraliter dies dixeris, dies tribulationis est, dies mali sunt, quia pleni sunt adversis, pleni peccatis. « Beatus homo, » inquit Psalmista, « quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis » (*Psal.* XCII). Hanc intendens mitigationem jam dictus Christus tuus, loco memorato, ita incœpit : « Venite ad me omnes, qui laboratis et operati estis, et ego reficiam vos. » Quid enim aliud est, « et ego reficiam vos, quoniam ego a diebus malis mitigabo vos. Et ostendens in quo, « tollite, » ait, « jugum meum super vos, et discite quia mitis sum et humilis corde, » ac demum intulit, « et invenietis requiem animabus vestris. » Ergo putredinem in ossibus admittere, et subter se scatentem habere, id est propter conscientiam putredinis, quod tu homo mox futurus es, mitem esse et humilem corde ; hoc est jam requiescere, non solum in futuro, verum etiam in præsenti sæculo. Quid autem sibi vult quod cum dixisset, « ut requiescam in die tribulationis, » addidit, et « ascendam ad populum

A accinctum nostrum. » Quid nisi quod mitem et humilem esse corde, ut veraciter amictum esse, et ad populum accinctum ascendere, populum a quo regnum cœlorum vim patitur, et violenter diripitur? Qua enim alia cinctura, nisi humilitatis spiritu Mosen accinctum esse putas (*Num.* X), ut fortissimum spirituum Deum universæ carnis teneret, dicentem : *Dimitte me* (*Exod.* XXXII), et ad suam voluntatem inflecteret. Indubitanter sciendum est, quia absque hac cinctura nulla usquam fortitudo justitiæ est.
283 Quamvis multorum quispiam sit operum, absque isto justitiæ præsidio nullus est, nec ille populus accinctus populus ejus est qui, accinctis renibus, carnes agni comedit, per mare ascendit, sicut hic nunc dixerat, « viam fecisti in mari equis tuis, » vane
B Synagoga de omnibus confidit, quia impossibile est eos justificari, « qui suam volentes statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti » (*Rom.* X). Hoc est quod continuo per metaphoram aptissime dicit : « Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus. » Sub isto senario numero, universa reprobat opera legis, quæ sex diebus operari concedit, et idcirco reprobat quia Judæus operarius legis non intendit, ut celebret Sabbatum Domini, non habet fidem et humilitatem, quam commendans *invenietis*, ait, *requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Ficus et vinea, nec non et oliva præsenti loco Synagoga est, et arva non afferentia cibum, Judaicæ cæremoniæ sunt.
C Pecus et armentum minores et majores Judæi, sive populus et sacerdotes sunt. Eorum omnium fidem et humilitatem, Christi non habentium opera cuncta reprobantur, et dicendo, *ficus enim non florebit*, etc. Ac si dicat : Idcirco humilitatis gratiam tantopere desidero, quia in operibus legis nullus est justitiæ fructus, nullum germen justitiæ, nullum opus justitiæ, nullus omnino vitalis cibus animæ. In quo pecus abscissum est de ovili, et armentum a præsepibus fugit? In eo quod Judæus non credit, quod justitiæ Dei non vult subjici, et non audire vocem Domini sive pastoris boni. Hinc ille dicit : « Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis » (*Joan.* X). Item : « Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis » (*Joan.* VIII). « Ego autem in Domino gaudebo,
D et exsultabo in Deo Jesu meo, Deus Dominus fortitudo mea. » Quod dicit, hoc est, idcirco Israel sectando justitiæ legem, in legem justitiæ non pervenit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Ego autem non quasi ex operibus, sed ex fide credam in Patrem, et Filium et Spiritum sanctum. Nam dicendo : « in Domino gaudebo, » confitetur Patrem; dicendo: « exsultabo in Domino Jesu meo, » confitetur Filium ; dicendo: « Deus Dominus fortitudo mea, » confitetur Spiritum sanctum. « Et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem. » Sicut enim pedes cervorum agiles sunt ad dumeta transilienda et alta petenda, sic per hanc fidem agilis ero, ut in legem justitiæ perveniam et

in lapidem offensionis non offendam (*Rom.* IX), et deducet me hæc justitia fidei *super excelsa mea*, id est super justitiam operum, *deducet*, inquam, *me victor*, Deus unus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, *in psalmis canentem* victoriam cursus mei, non operibus meis, sed gratiæ ejus ascribentem, et pro hoc gratias sempiternas agentem.

PROLOGUS RUPERTI IN SOPHONIAM PROPHETAM.

284 Promissum tuum verum est, Jesu Christe, testis fidelis, promissum tuum verum et fidele est, quo Spiritum Paracletum promittens inter cætera dixisti : « Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (*Joan.* XVI). » Omne quod locuti sunt prophetæ, omne quod scriptum est in lege et prophetis et psalmis, tuum est ; et « omnia, quæcunque habet Pater, tua sunt (*ibid.*). » Proinde in Scripturis aliud quam te nihil quæro, tu scis, vel in hac parte similis cupio esse « homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamenta supra petram (Luc. VI). » Ubi major difficultas occurrit te inveniendi, ibi plerumque teipsum melius inveni, et tunc demum in singulis prophetarum libris me pervenisse arbitratus sum ad petram supra quam fundamenta ponerem, quando per meditationis instantiam, sub obscuritate litteræ tuam inveni gloriam desiderabilem. Non enim ignoro causam fuisse prophetis, propter quam necessario debuerint tuæ claritatis sacramenta, verbis obtegere condensis, quam videlicet causam, in capite hujus operis pro posse latius exposui. Jam igitur nonum in ordine duodecim prophetarum Sophoniam te quærendo promptus ingredi sanctum invoco Spiritum quem dedisti, qui Scripturas quæ testimonium perhibent de te aperiendo, hactenus te clarificavit, et clarificare non desinit, ut de isto quoque tuo accipiat, et annuntiet mihi gloriam tuam quærenti, solummodo in fide et cognitione tui, spem vitæ æternæ habenti.

IN SOPHONIAM PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

285 Cap. I. — « Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Amon regis Juda. » Præter hunc et Johel, qui in ordine prophetarum secundus est, et Zacharias qui undecimus est, nullus eorum in titulo paternum nomen habet. Tradunt autem Hebræi, ait beatus Hieronymus, cujuscunque prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque prophetas fuisse. Hoc si verum est, inquit, Sophonias propheta generatione, ut ita dicam, prophetica et gloriosa majorum suorum stirpe generatus est. Habuit enim patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam, et talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit. Verum qualiscunque illa traditio sit, illud magis delectat, quod secundum sequentis prophetiæ modum, nomina congrua sunt, et secundum interpretationem nominum sese habet qualitas rerum vel sensuum, qui ab ipso vel per ipsum conscripti sunt. Denique secundum nomen Chusi, quod interpretatur *humilitas*, sive « Æthiops meus, » dicturus est in isto Dominus : « ultra flumina Æthiopiæ inde supplices mei » (*Soph.* III), et secundum nomen Godoliæ, quod interpretatur *magnitudo* Domini, nomenque Ezechiæ, quod sonat *fortitudinem Domini*, magnifice et fortiter dicturus est : « Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis, vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, » et secundum nomen Amariæ, quod vertitur in *sermonem Domini*, post acerrimam exclamationem magnitudinis atque fortitudinis, habiturus est sermonem exhortationis, sic incipiens : *Convertite* [Vulg., *Convenite*], « congregamini, gens non amabilis, antequam veniat super vos ira furoris Domini » (*Soph.* II). Porro secundum nomen suum Sophoniam, quod alii *speculam*, alii *arcanum Domini* transtulerunt, revera speculatorem magnæ rei, scilicet judicii Domini, quod utique grande arcanum est, quia de illa die et hora præter Deum nemo scit, hic ita incipit : « Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus, congregans hominem et pecus, congregans volatile cœli et pisces maris. » Profecto Dominus qui hæc loquitur, Dei Filius est, Deus ipse et Dominus, quod ex eo vel maxime liquet quia longe inferius ita dicturus est : « Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ, in futurum » (*Soph.* III), etc. Non enim quævis, sed quædam ex tribus personis beatæ Trinitatis, certa persona diem resurrectionis habitura erat, quæ non est alia quam Dei Filius Deus et Dominus, tunc quidem homo futurus, passurus, moriturus atque resurrecturus ; nunc autem jam homo factus, passus, mortuus, sepultus atque a mortuis resuscitatus, et adhuc in futurum diem resurrectionis habens universalis, quem nos, ut ipse jubet, exspectamus. Igitur ipse qui in isto loquitur : « Congregans congregabo omnia a facie terræ, congregans hominem et pecus, congregans volatile cœli et pisces maris, » ipse est qui in Evangelio suo dicit : « Et ego,

si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum » (*Joan.* XII). Et de quo Psalmista ad Deum Patrem : *Minuisti,* inquit, « eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris » (*Psal.* VIII). ***Nunquid** de bobus* et ovibus, de avibus et piscibus cura est Deo ? (*I Cor.* IX.) An non potius hic intelliguntur aut intelligi debent de omni populo et natione, de omnium tribuum et linguarum diversitate, de cunctis hominibus sive gentibus, quorum ita mores divisi, studia tam diversa sunt ut alii bobus, alii ovibus, alii avibus, alii piscibus similes recte dicantur? Hæc omnia traxit ad seipsum. Hæc, inquam, *omnia*, Domine, inquit Psalmista « subjecisti sub pedibus ejus. » Futurum, ut Apostolus, de quo loquitur : « Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei, » subauditur, « quia multi contradicunt ei » (*Hebr.* IX). Verum jam factum est, quod ait : « Et constituisti eum super opera manuum tuarum. » Jam enim propter passionem mortis « gloria et honore » coronatus est. « Et data est mihi, » ait, « omnis potestas in cœlo et in terra » (*Matth.* XXVIII) Quomodo tandem vel in quo subjicientur ei, qui pertinaciter inimici ejus sunt, et contradicunt **286** ei ? Nimirum ita, vel in eo quod protinus sequitur : « Et ruinæ impiorum erunt, et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus. » Hæc evangelista Matthæus et Joannes nobis luce clariora fecerunt. Nam quod hic ait : « Congregans congregabo omnia a facie terræ, et ruinæ impiorum erunt, » hoc apud Matthæum ita dicit Dominus omnium : « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, » etc., usque : « Et ibunt hi in supplicium æternum, » justi autem (*Matth.* XXV), etc. Apud Joannem autem hoc modo : « Amen dico vobis, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii » (*Joan.* V). Non igitur dubium vel obscurum est hoc dictum propheticum : « Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus. Congregans hominem et pecus, congregans volatile cœli et pisces maris, et ruinæ impiorum erunt, et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus ; » quia videlicet et hoc et illud, quod postmodum propheta loquitur : « Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis, vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ dies illa, » etc., de illo magno et universali judicio loquitur quod futurum esse in novissimo die omnes audivimus. Porro post istud initium, antequam illud dicat : « Juxta est dies Domini magnus, » duo judicia prænuntiantur, quæ tunc futura vel facienda erant super Judam et super Hierusalem : alterum, propter sanguinem prophetarum, quem patres fuderunt ; alterum, propter sanguinem ipsius Domini, quem fundendo implere habebant filii mensuram patrum suo-

A rum. Libet hic litteram præscribere utriusque vindictæ sive judicii, quod, ut jam dictum est, venturum erat super civitatem illam, et jam venit. Sequitur. « Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitatores Hierusalem, et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina æditorum cum sacerdotibus, et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom, et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. » Hoc ut dictum, ita et factum est postmodum per regem Nabuchodonosor, per exercitum Chaldæorum. Sequitur de eo quod faciendum erat per manus Romanorum : « Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini, quia præparavit hostiam, sanctificavit vocatos suos, » etc., usque, « et ædificabunt

B domos, et non habitabunt, et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum, » post quæ statim subjungitur de illo die magno universalis judicii : « Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis, » etc., usque « quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » Nunc per ordinem dicta tractemus. *Et extendam*, inquit, « manum meam super Judam, et super omnes habitatores Hierusalem. » Hoc ita præcedentibus continuatur, ut ubi dixit, « et ruinæ impiorum erunt, » subaudias, ***Judæi** primum et Græci* (*Rom.* II), juxta sensum Apostoli. Prior namque Judæus quam gentilis mala quæ merebatur recepit, etiam temporibus suis. Hoc et historiæ tradunt, et prophetiæ testantur per divinam providentiam fuisse ordinatum. *Sume*, ait Dominus ad

C Hieremiam, « calicem vini furoris hujus de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et accepi, » inquit, ille, « calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus, Hierusalem, et cunctis civitatibus Juda, et regibus ejus, et principibus ejus » (*Jer.* XXV), et deinde *Pharaoni*, inquit, « regi Ægypti, et regibus terræ Philisthiim, regibus Tyri, et regibus Sidonis, et regibus terræ insularum, et regibus Arabiæ, et regibus Occidentis, et regibus Zambri, et regibus Helani, et regibus Medorum, et cunctis regibus aquilonis, et cunctis principibus eorum, et omnibus regnis terræ, quæ super faciem ejus sunt. Bibentes autem bibetis. Quia ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum, ego incipio affligere, et vos quasi

D innocentes immunes eritis ? » (*Ibid.*) Igitur *ruinæ*, inquit, *impiorum erunt*, et subaudiendum est, *primum* impii *Judæi*, et deinde impii *Græci* sive gentilis. Nam et in istis particularibus vindictis, quæ temporaliter fiunt, gente in gentem, et regno surgente adversus regnum, quod per meum fit judicium, in primis « extendam manum meam super Judam et super omnes habitatores Hierusalem, » videlicet propter sanguinem prophetarum quem fuderunt, maximeque propter Manassen in quem magis hæc scelera redundabant, quem continuo propheticus sermo denotat, dicens : « Et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina æditorum cum sacerdotibus, et eos qui adorant, et jurant Domino, et jurant

in Melchom, et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum.» In tantam denique venerant impietatem ut in templo Dei, juxta quod scribit Ezechiel, et Regum liber quartus indicat, statuam Baal, quam imaginem zeli Dominus vocat, statuerint, et in eodem sanctuario idola pariter et Deum venerati sunt (*Ezech.* XIV). Unde signanter idolorum sacerdotes, non sacerdotes, sed æditos appellavit, et æditos ergo et sacerdotes quondam Dei, et eos qui super tecta ritu gentilium adorant militiam cœli, scilicet solem et lunam, et astra reliqna, et qui jurant in nomine Domini, simul et in nomine idoli Ammonitarum Melchom. *Disperdam*, inquit, *de loco hoc*, maxime, ut jam dictum est, propter peccata Manassen, qui amplius in hujusmodi Dominum irritavit, et implevit Hierusalem sanguine innoxio usque ad os(*IV Reg.* XXI). Etenim cum de Josia rege Scriptura narrasset: « Verumtamen,» inquit, « non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam, propter irritationes quibus provocaverat eum Manasses » (*IV Reg.* XXIII). Septem sunt enuntiationes, quo numero plerumque universitas significari solet, quarum prima est. « Et disperdam de loco hoc reliquias Baal.» Septima: « Nec investigaverunt Dominum. » Et si reciprocato ordine considerentur, sive numerentur, hoc modo: « Non investigaverunt Dominum, et non quæsierunt eum, et avertentur de post tergum Domini, et jurant in Domino, et in Melchom, et adorant super tecta militiam cœli, et nomina habent æditorum, et colunt Baal,» semper malo præcedenti, id quod sequitur deterius est. Nam non investigasse Dominum, malum quidem est, non quæsisse autem dum inveniri possit, pejus, averti de post tergum Domini, id est Dominum contemnere, et voluntatem ejus nolle intelligere, profecto pessimum est in religione. Porro contra religionem jurare in Domino, et jurare in Melchom, quod interpretatur « rex eorum, » quod nomen simplicibus haud impium videri poterat, malum erat. Adorare autem super tecta militiam cœli, quod et ipsum rustica simplicitate fieri poterat, pejus erat; æditos vero esse, vel sacerdotes in templo Domini, quandiu illic erat Baal, profecto pessimum erat. Summus omnium cumulus malorum, erat ipse Baal. Septem igitur enuntiationibus malorum omnium, majorum atque minorum declamata **287** est universitas atque diversitas, propter quæ tunc iram Juda et Jerusalem commeruit, ut super habitatores ejus manum suam extenderet Dominus qui hæc dicit: Erat autem ille, qui necdum sciebat vocare patrem aut matrem, quia videlicet necdum natus erat, quod postea factum est, ea nativitate, qua didicit et scivit vocare patrem aut matrem, patrem utique adoptivum sive nutritium, aut matrem virginem. Recte igitur vocari poterat nomen ejus, accelera manum tuam extendere, festina peccatores de loco suo disperdere, et captivos in Babyloniam mittere, sicut apud alium prophetam vocari jussus est: « Accelera spolia detrahere, festina prædari »(*Isa.* VIII), pro eo quod antequam sciret puer vocare patrem suum et matrem suam, auferenda erat fortitudo Damasci et spolia Samariæ, ipso agente. Sequitur:

« Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini, quia præparavit hostiam, sanctificavit vocatos suos, et erit in die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina, et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo.» Quid est, quod dicit, vel quos intuens dicit: « Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini? » Jam ante dictum est, eum qui sic incipit, « congregans congregabo omnia a facie terræ, » Christum Dei Filium esse, qui exaltatus a terra, deberet omnia trahere ad se, et judicare vivos et mortuos in novissimo die, de quo postmodum dicit: « Juxta est dies Domini» magnus, juxta est, et velox nimis, et quod ante illud ultimum judicium duo judicia facturus erat, super illam terrenam Jerusalem, quæ jam fecit, alterum per Nabuchodonosor et exercitum Chaldæorum, propter sanguinem prophetarum quem effuderunt, alterum per manus Romanorum, propter ipsum prophetarum Dominum quem occiderunt. De primo, quod faciendum erat per manus Chaldæorum, dixerat: « Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitatores Jerusalem, » etc. Nunc, de illo dicturus quod per manus Romanorum faciendum erat, sic incipit: « Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini.» Ad quid ergo, vel quos taliter intuens edicit? Nimirum nihil hic libenter intellexerim, quam illos petulcos insanos, et nocte illa paschali crapulatos et ebrios, qui audientes hunc Dominum adjuratum a pontifice, ut diceret si ipse esset Christus Filius Dei, respondentem « tu dixisti,» « et» amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli, » exclamaverunt: « Reus est mortis,» et « tunc exspuerunt in faciem ejus,» et velaverunt faciem ejus, « et colaphis eum ceciderunt,» et « palmas ei in faciem dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, qui est qui te percussit?»(*Matth.* XXXI.) Et aliis multis modis faciem ejus conviciati sunt. Quale erat in judicio, sancti Spiritus per ora prophetarum loquebatur? O igitur irreverentes et indisciplinati, male nati et male educati, quid est quod facitis: « Silete a facie Domini Dei, » continete os vestrum « a facie Domini Dei, » hominis pro sua reverentia tremendi etiam cunctis virtutibus cœli. Quomodo vos eum inhonorastis? « Silete, quia juxta est dies Domini. » Et, sicut Moyses dixerat, » juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora » (*Deut.* XXXII). Væ vobis in illa die hujus Domini, et vos silebitis. Silebitis, inquam, etenim ille dies Domini vobis erit dies perditionis, quia præparavit hostiam, sanctificavit vocatos suos, præparavit, inquam, hostiam, id est, semetipsum, et præparatione ipsa talis hostiæ sanctificavit vocatos suos, videlicet quos ante sæcula præscivit et prædestinavit suos fieri, et tem-

poribus suis vocavit per cuncta retro sæcula,usque in diem illam qua faciem ejus conspuistis, velastis atque exalapastis, et contra eamdem faciem ejus movistis capita vestra, dicentes : Vah ! hoc totum quod ipse sustinuit, hostiæ præparatio fuit, et in illa hostia corporis sui,sanguinis sui, sanctificavit vocatos suos sanctificatione, quæ est omnium peccatorum remissio (*Rom.* VII). Quid ulterius jam restat,nisi ut relinquatur vobis domus vestra deserta? Nimirum nulla est causa propter quam districtionis vestræ judicium differat, quoniam assumptio jam facta est,quoniam miro modo de vobis mortuis vita est assumpta.«Juxta est» illa «dies Domini,» qua istud fiat.Hoc ex persona sua propheta inclamavit: «Silete,» inquiens,«a facie Domini Dei,quia juxta est dies Domini,» et non dixit magnus, juxta et velox nimis. Proinde expeditior currit explanatio, quia nihil observantiæ nostræ refragatur,qua secundum propheticæ hujus Scripturæ textum, vel ordinem judiciorum Domini, tempora distinximus. Sequitur ex persona Domini,qui anterius loquebatur : « Et erit » inquit,« in die hostiæ Domini, visitabo super principes,et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina,et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa,et qui complent domum Domini sui iniquitate et dolo.» Dies hostiæ Domini,tempus est a passione Domini, quo videlicet tempore,post quadraginta annos,facta est visitatio hæc quam nunc dicit,sicut totus orbis audivit.Illa visitatio talis maxime ex principum sacerdotum provenit.Unde recte primo loco, *visitabo super principes*, ait.Qui autem erant filii regis, nisi tam ipsi,quam cæteri Judæi,gloriantes quasi de singulari nobilitate generis?Gloriati sunt namque nimis insolenter,quodam loco dicentes: « Semen Abrahæ sumus et nemini servivimus unquam » (*Joan.* VIII). Item:« Nos ex fornicatione nati non sumus, unum patrem habemus Deum » (*Ibidem*). Propter hujusmodi superbiam appellavit eos ipse filios regni,ubi taliter locutus est: « Dico vobis quod ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores »(*Matth.* VIII). Quos illic filios regni,hic recte intelligimus filios regis,id est,superbos,et contra omne genus humanum sese extollentes, de nobilitate singulari, tanquam filios regis Dei,maxime quia contra verum et unicum Dei Filium cogitantes homicidium, inter cætera dixerunt:*Unum Patrem habemus Deum.*Quid autem in eo propheticus sermo denotat,dicendo,« Et super omnes qui induti sunt veste peregrina?»Putasne hypocrisis vestis est peregrina ? Utique nimium peregrina. Quid enim in vestibus magis peregrinum, quam sunt lupis rapacibus vestimenta ovium?Quid, inquam, magis peregrinum quam ei qui intus est plenus iniquitate,foris hominibus justum apparere? Quid magis peregrinum, quam dilatatio phylacteriorum et magnificatio fimbriarum,et sessio super cathedram Moysi,præsertis in illis,quorum secundum opera non est faciendum. Tales erant Scribæ et Pharisæi,nimirum propter quod hypocritæ septies uno brevi sermone, apud Matthæum, væ illis inclamat visitator iste(*Matth.* XXIII), qui secundum veritatem hujus prophetiæ,jam debebat super illos visitare.Deinde,et visitabo, ait, super omnem, qui arroganter ingreditur super lumen in die illa, qui « complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo.» Et quis est de quo verius dicas, quod arroganter ingreditur super limen, quam ille qui non exspectat,ut ostiarius illi aperiat,sed violenter **288** intrat in ovile ovium(*Joan.* X). Tale et hoc tempore multi sunt,et illo tempore Annas et Caiphas pontifices fuerunt,qui infelici commercio coemptum lacerabant summum sacerdotium alternatim, per annuas vices inter se dividendo pontificium.Et quis de illis dubitet hoc dictum,quod compleverint *domum Dei sui iniquitate et dolo*, quod ipse Dominus Deus ore proprio redarguens:Vos,inquit, Patris mei domum,quæ debuit esse domus orationis,fecistis speluncam latronum (*Matth.* XXI). Hæc dicens nonne etiam facto significavit visitationem,quæ in his sonat verbis propheticis? Fecit enim quasi flagellum de funiculis, et omnes ejecit de templo, per hoc terribiliter innuens,eos de regno Dei fore protinus ejiciendos,imo nihil habere in illo templo vel regno, cujus se gloriabantur esse filios.« Et erit in die illa dicit Dominus,vox clamoris a porta Piscium,et ululatus a secunda,et contritio magna a collibus.»Portam Piscium vocabant eam quæ vicinior mari erat inter cunctas vias Jerusalem, de qua et Esdras refert:« Portam vero Piscium ædificaverunt filii Asanaa,ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus et seras et vectes »(*II Esd.* III).Quod autem ait,«et ululatus a secunda,» et secundi muri in eodem climate portam significat,de qua in libro Regum scriptum est:« Ierunt itaque Helcias sacerdos, et Maican, et Achobor, et Saphan, et Asaza ad Oldam propheten uxorem Sellum filii Tecuæ,filii Araas custodis vestium quæ habitabat in secunda » (*IV Reg.* XXII). Contritionem autem magnam a collibus, de monte Sion et excelsiore urbis parte loquitur quia cum altiora et arx civitatis fuerit occupata, facilior est in prona descensus.Unde quibus ex rebus gestus omnino gerendis, sensum propheta concepit, ut exclamationem ita trifariam divideret, scilicet in vocem clamoris a porta Piscium,et vocem ululatus a secunda,et vocem contritionis magnæ a collibus. Mirum dictu et horrendum sensibus,sive intellectibus,quomodo secundum istam vocum districtionem contigisse constat, in illo famosissimo excidio miseræ Jerusalem.Nam et antequam Romano exercitu cingeretur, et toto tempore obsidionis intus triplici seditione nimis atrociter,nimis horribiliter,et supra quam dici vel credi potest, scindebantur, lacerabantur, conscindebantur in suis visceribus. Tres erant principes seditionum, Joannes, Eleazarus et Simon. Eleazarus cum suis superiora urbis et templum occupaverunt, et inferiora Simon, media Jo-

annes obtinebat (*Joseph.*, *De bel Jud.*, lib. VI. c. 1). Quis unquam audivit similia his quæ intrinsecus facta sunt ? Vere tanta fuerunt,ut prophetica explanatione recte digna existimentur, et veraciter tunc fuit vox clamoris a porta Piscium, id est ab inferioris urbis parte, ubi tyrannizabat Simon,et ululatus a secunda, id est, a media,ubi bestia Joannes sæviebat, et contritio magna a collibus, id est, a templo et arce civitatis, ubi Eleazarus tali erat dominus,qui aram ipsam templi sanguine imbueret, et mortuis indigenis per atria divina stagnum faceret diversorum cadaverum sanguinis. Quid tantum passa es, o miserrima civitas a Romanis,quantum a tuis et indigenis ? Imo quæ unquam civitas vel gens talia pertulit ab extraneis, qualia tu a propriis ? Sed cesset omnis commiseratio,cum tu proprio sis condemnata judicio. Dixisti enim : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros » (*Matth.* XXVII). Sequitur ergo tam dura quam justa contritio. « Ululate,habitatores pilæ. » Pila hoc loco, non per brevem syllabam legenda est, sed per productam, ut de pila sciamus dici, in qua frumenta tunduntur, vas concavum et medicorum aptum usui, in quo proprie typsanæ fieri solent.Et pulchre dictum est, qui habitatis in pila, quod scilicet sicut frumenta feriente desuper vecte tunduntur,ita de porta Piscium et de secunda, et de collibus proruens in populum decurrat exercitus.Qui calamitates illius obsidionis et angustias compressæ civitatis vult attendere (*Ezech.* XVI), nimirum ipse perpendit quam congrua similitudine usus sit dicendo,*habitatores pilæ* ; sicut enim frumenta in pilam ad hoc congeruntur, ut feriente desuper vecte desilire non valentia tundantur, ita de cunctis Judææ civitatibus vel regionibus confluens populus, repentina est obsidione arctatus, et prædictorum principum seditionis immani crudelitate deintus magis quam de foris ab hostibus, gladio, fame et peste inenarrabiliter discruciatus, mirando circumseptus Dei judicio, ut qui ad hostes pro remedio vellet effugere, non posset.Sequitur: « Conticuit omnis populus Chanaan,disperierunt omnes involuti argento.» Quis est iste Chanaan ? Nimirum populus Judaicus, in quem dicit alius propheta : « Pater tuus Amorrhæus,et mater tua Cæthea, » et Daniel ad presbyterum senem loquitur: « Semen Chanan et non Judæ, species decepit te. » Quare autem præsenti loco nomen hoc assumpsit, et populus Chanaan, quam populus Judæorum dicere maluit? Nimirum propter rerum vel meritorum veram qualitatem, et propter formidinem. Nam et alius propheta, *formido*,inquit, « et laqueus,facta est nobis vaticinatio et contritio » (*Thren.* III). Occiditur enim in sanctuario Domini propheta et sacerdos. Oportebat falli populum fallacem,quatenus dum de aliis putaret tale quid, et aliquos prophetarum vivere sineret, et Scripturam venturis sæculis profuturam reservaret. Igitur *omnis populus Chanaan*, quod interpretatur *motus eorum*, id est, populus Judæorum, qui contra Dominum caput moverunt, motis jam pedibus, quia in veritate non steterunt, *conticuit*, subauditur a facie Domini.Debemus enim meminisse quod supra incipiens ita dixit : « Silete a facie Domini Dei,quia juxta est dies. » Ille populus, ille impiorum cœtus, qui tunc insultavit, qui tunc non siluit, qui non solum non reveritus est,verum et ore et manibus inhonoravit faciem Domini,ecce conticuit, ecce auctoritatem loquendi amisit,et sicut de quodam illorum notissimo dictum est, « et episcopatum ejus accipiat alter, » sic de omni populo illo certum est quia magisterium jam non habet, et sicut hic in pejus nomen illi commutatum est ; non enim dixit propheta,continuit omnis populus Juda, sed omnis populus Chanaan,sic et honorem amiserunt,et omnem vocem in ultimam venundati servitutem, et captivi non utcunque, non ut olim in Babylone, sed ipsa captivitate dispersi in totum orbem : Malorum omnium totius perditionis causa illis fuit avaritia,usque ad pretium sanguinis dilatata.Sequitur ergo : « Disperierunt omnes involuti argento. » Causæ hujus exemplum omni populo Chananæo fuit ille Judas proditor.Sicut enim ille cupiditate argenti involutus,triginta argenteis sanguinem Domini vendidit illis, et idcirco male periit, sic omnis ille populus maxime in eo fuit intractabilis,quia retibus erat involutus argenti, et maxime propter hoc ipsum Dominum oderunt,quia disputabat contra avaritiam eorum.Secundum numerum argenteorum quibus et ille vendidit, et illi sanguinem Domini emerunt, triginta maledictionibus, tam venditor,quam emptores involuti sunt,quarum in psalmo centesimo octavo prima est : constitue super eum peccatorem ; ultima est : et operiantur sicut diploide confusione sua.Imo dictionis vis est, quia non dixit, disperierunt omnes habentes argentum, sed disperierunt omnes involuti argento. Longe aliud est habere argentum quam argento esse involutum. **289** Siquidem et Abraham et David, multique alii sancti et justi argentum habuerunt,in auro et argento divites fuerunt, et tamen non disperierunt, quare ? Videlicet quia pecunias tanquam domini possiderunt, non tanquam servi pecuniæ in pecuniis argenti speraverunt.Qui in argento sperant vel confidunt, ipsi argento involuti sunt, et tales omnes dispereunt.Discretione hac opus est, ubi Dominus loquitur discipulis suis: « Quam difficile, qui pecunias habent introibunt in regnum Dei.» (*Luc.* XVIII.).Poterant enim obstupescere,discipuli,et *obstupescebant*, ait evangelista Marcus, « in verbis ejus. At Jesus,rursus respondens,ait illis:Filioli,quam difficile est confidentes in pecuniis introire in regnum Dei,» et tunc demum ita dixit: « Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem introire in regnum Dei» (*Marc.* X).Igitur illos excepit divites,qui quamvis habeant pecunias, non tamen sunt confidentes in pecuniis et eos tantum divites illa sententia premit, qui per hoc quod confidunt in pecuniis, sunt etiam, et ab hoc propheta dicuntur argento involuti,et eadem involutione ita grossefacti,ut nimis difficile sit

eos introire in regnum Dei. Sequitur: « Et erit in tempore illo, scrutabor Hierusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fœcibus suis qui dicunt in cordibus suis, non faciet Dominus bene, et non faciet male. » Quam ultronea Spiritus sanctus dignatione occurrit, ne vel propheta vel alius quis sollicitaretur ea sollicitudine quam beatus senex Abraham sollicitus, audito, quod Dominus de Sodomis, ait : « Nunquid perdes justum cum impio ? Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram » (*Genes.* XVIII). Concessit illi Dominus, concedit et huic quod non sit suum occidere cum impio justum. Justus autem quodam modo dici poterat, quisquis in ipsum Dominum ignoranter peccaverat, et audita vel cognita veritate, pœnitentiam acturus erat, sicut fecerunt ad prædicationem Petri, una die ex ipsis tria millia (*Act.* II). Justus, inquam, utcunque jam dici poterat, quisquis ejusmodi erat, sicut de semetipso Abimelech : *Domine*, inquit, *num gentem ignorantem interficies ?* (*Genes.* XX.) Tulerat namque uxorem Abrahæ ignoranter. Igitur et in isto Dominus ab ejusmodi sollicitudine, vel ipsum prophetam, vel quemlibet alium liberat, cum dicit : « Et erit in tempore illo, scrutabor Hierusalem in lucernis, » etc. Ac si dicat : Antequam perveniat ille die visitationis, dies clamoris, et ululatus, et magnæ contritionis, faciam quod mulier sapiens facit, quæ, cum « perdiderit drachmam unam, accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat » (*Luc.* XIII). Non tantum unam, sed plures lucernas ego accendam, id est, apostolos, Spiritu sancto et virtute ex alto induam (*Luc.* XXIV), ut sint mihi testes usque ad ultimum terræ, incipientibus ab Hierusalem et ab omni Judæa et Samaria (*Act.* I). Nimirum hoc erit scrutari Hierusalem in lucernis, ut ubicunque fuerit drachma, quæ perdita est, latere non poterit, id est quicunque ex Deo erit, dignusque Hierusalem civitate cœlesti, in culpa perfidiæ non remanebit. Sicut enim drachma perdita, drachma aurea, dum quæritur cum lucernis, ad lumen lucernarum relucet de tenebris, et invenitur, sic omnes ignorantes et justi, qualem se Abimelech jam dictus, fuisse testabatur, audita veritate dictorum, et visa claritate signorum, erumpente in vocem confessionis, compuncti corde, atque dicentes, « Quid faciemus, viri fratres » (*Act.* II)? et pœnitentia suscepta baptizati salvabuntur, ita scrutando Hierusalem, tandiu donec credant quotquot præordinati sunt ad vitam æternam, tunc demum « visitabo super viros defixos in fœcibus suis, non faciet Dominus bene, et non faciet male. » Erunt namque proprio judicio condemnati, odientes lucernas meas, et amando feces suas, et sicut illi qui volutantur in fecibus libidinis, dum in occulto scortantur, dum polluunt et polluuntur, nolunt se requiri cum lucernis, imo oderunt lucernas et abhorrent eas, ita illi nequam et invidum contra veritatem habentes oculum, odientes et me et Patrem meum, amantes sua peccata, et odientes justitiam, habentes amorem præsentis sæculi, odium futuri, non cupient audire verba Dei, quæ proferentur cum signorum testimoniis, imo ex eis quos mittam ad eos, prophetis, et sapientibus, et scribis, occident et crucifigent, et flagellabunt, et persequentur de civitate in civitatem (*Matth.* XXIII), et dicent falsum et quod dicunt isti. Non faciet Dominus bene bonis, et non faciet male malis, id est, non erit dies judicii, aut certe iste quem dicunt Dominum, quem crucifiximus, nullus est, non talis fuit aut erit, ut nobis bene vel male facere possit : Idcirco visitabo super eos ita ut veniat super eos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi. Dicamque eis : Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, hoc est quod continuo sequitur : « Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum, et ædificabunt domos et non habitabunt, et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. » Quid horum effectu manifestius? *Fortitudo eorum*, qua primo contra Deum, deinde contra homines male fortes fuerunt, facta est in direptionem. Quomodo fortes fuerunt contra Dominum? Nimirum sicut phreneticus contra medicum. Non enim vera erat, aut vera est fortitudo illorum, justitiam suam statuere volentium, sed falsa est omnino et fallax, sicut fortitudo phrenetici, cum percutit medicum. Deinde mirum, et miro Dei judicio factum, quod contra homines ita de fortitudine præsumpserunt, ut bellum implacabile susciperent contra Romanos, victores omnium gentium. Talis direptio non est audita usquam gentium, qualis fuerit direptio fortitudinis eorum. Domus eorum quomodo facta est in desertum? Nimirum ita ut desereretur templum illud ab omni præsidio cœlestium spirituum dicentium : Transmigremus ex his sedibus, quod Josephus palam auditum fuisse testatur. Ædificium domus illius, id est, templi, valde fuerat recentiori tempore auctum, turribusque atque porticibus valde venustatum. Ipsa civitas domibus pulchris ornata opibusque referta, regio undique vinetis arboribusque diversi generis, mire consita atque uberrima. Sed cuncta excisa, cuncta diruta et igni concremata, in desertum redacti sunt, et qui gladio superfuerunt ex eis, in omnes gentes captivi ducti sunt, et hoc modo veritas apparuit dicentis: « et ædificabunt domos et non habitabunt, et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. » His præmissis quid protinus clamet, quid continuo de excelsa specula dicat, et annuntiet speculator iste, attonitis auribus audiamus, qui nos dormire non patitur. Ait : « Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris, super civitates munitas, et super angulos excelsos. Et tribulabo homines, et ambula

« bunt ut cæci, qui Domino peccaverunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. Sed et argentum eorum et aurum non poterit eos liberare in die iræ Domini. In igne zeli ejus **292** devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » O quantus clamor et exclamatio, quam vehemens omni homini, nisi ei qui surdus est, qui non habet aures audiendi! Quid erat quod videbat, quia ita clamabat? Qualis erat visio mentis, cujus tanta est acrimonia vocis? Beatus papa Gregorius recte ad vim clamoris hujus attonitus: « Pensate, » inquit, « fratres charissimi, ad conspectum tanti judicis, quis in illo die terror erit, quando jam pœnæ remedium non erit: quæ illa confusio, cui reatu suo exigente contingit in conventu omnium hominum B angelorumque erubescere; qui pavor eum, quem tranquillum mens humana capere non valet, et iratum videre! Quem diem propheta intuens, ait: « Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. » Pensate ergo, fratres, extremi judicii diem, super corda reproborum, qua asperitate propheta vidit amarescere quem tot appellationibus non valet explicare. » Quid opportunius observare potuit de officio boni oratoris juxta considerationem rei quam hoc, ut attentus fieret auditor, in exordio sermonis, imo declamationis? Quo autem verbo, quali dicto attentionem speculator melius excitaret, quam dicendo, « juxta est. » Comtemplatus est diligenter, multo et claro intuitu vidit, quia juxta est id quod lippis et cæcutientibus longe esse videtur, et dicunt, in tempora longa fiet istud. Nec semel contentus dixisse, « juxta est dies Domini, » repetivit « juxta est, et velox nimis, » et vere secundum magnitudinem periculi, « juxta » ac « velox nimis, » et hoc non vane videtur homini habenti quidpiam de sensu Dei, cujus « ante oculos mille anni » sic sunt, « tanquam dies hesterna quæ præteriit, » aut certe, quod brevius et tanquam « custodia in nocte, » id est, una de quatuor vigiliis unius noctis. Imo « quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt, » id est, inter ea reputabuntur, (*Psal.* LXXXIX). Ille dies erit magnus, quantus, ex quo dies esse cœperunt, non fuit, nec erit amplius. Quam autem vocem attendit continuo dicens, « vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, » quam aliam putamus, nisi illam: « Ita maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus » (*Matth.* XXV). Vere amara vox: Ibi, inquit, id est, in illa voce, tribulabitur fortis, et quis fortis, nisi superbus, fortis diabolus, fortes angeli ejus, fortes homines sequaces ejus ibi tribulabuntur, in illa voce tribulabuntur. Ergone veraciter fortis, qui in voce tribulabitur. Imo falso fortis, vere invalidus. Fortis enim dicitur, non quod ita sit, sed quod ita videatur. Tunc autem non ita sibi videbitur, sed nec negare poterit quod sit invalidus, quando una voce fortis ille fortium rex, « videntibus cunctis, præcipitabitur » (*Job.* XL). Quando impetu, quam magno spiritu illius dici ma- A gnitudinem describere gestiens, *dies*, inquit, « iræ, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. » Diem unam eamdemque sex vicibus cum adjectionibus terrificis declamavit, et septimam vicem non addidit. Cur hoc? Existimo nimirum quia de septima die nihil ibi erit, nihil de Sabbato Domini, sed sine requie, sine ulla requietionis spe tribulabitur ibi fortis. Nam hoc totum quod tantis nominibus declamavit, erit « super civitates munitas, et super angulos excelsos, » id est, super homines impios, et super angelos superbos. Nam civitates cum dicit, « munitas, » subaudiendum est, citra Dominum, et angelos cum dicit « excelsos, » intelligenda est celsitudo principum, contra verum et solum excelsum Dominum sese extollentium. Itæ sunt civitates munitæ, et isti sunt excelsi angeli quos Apostolus manifestius exprimit, ut in Evangelio fieri debuit, in quo revelatur hæc ira sive dies iræ Dei. Nam præmisso, « revelatur enim ira Dei de cœlo, » secutus est dicens, « super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent, » (*Rom.* X). etc. Nonne talibus congruit, et justo judicio repositum est id quod continuo post verba prophetæ ex sua persona Dominus judex dicit? « Et tribulabo, » ait, « homines et ambulabunt ut cœci. » Et propheta statim comprobans judicium causam reddit, quia Domino peccaverunt. Recte etenim illic « ambulabunt ut cæci, » qui hic oculos voluntarie contra veritatem clauserunt, « quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum C glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et » voluntarie « obscuratum est insipiens cor eorum, » et « dicentes se esse sapientes, » et revera plerique illorum, « invisibilia » Dei « a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, » conspicientes, nihilominus, imo et amplius « stulti facti sunt, » et immutaverunt « gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum. » Vere igitur causa est, « quia Domino peccaverunt. » Quia vero propter hoc ipsum, et « tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, et tradidit illos in passiones ignominiæ, » ut tam feminæ quam viri immutarent « naturalem D usum in eum usum qui est contra naturam, » et « tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniant » (*ibid.*). Recta et justa est sententia hæc, abjectionis eorum plenissima, « et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. » Quod deinde subjungit, « sed et argentum eorum et aurum non poterit liberare eos in die iræ Domini, » hoc jam in isto tempore assertione non indiget, imo et notum et certum est quia nec aurum nec argentum cum eis qui possederunt ad illud veniet, quippe cum scriptum sit alibi, quia « cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus » (*Psal.* XLVIII). Amplius vero id quod sequitur: Omne destruit auxilium auri et argenti, in

igne, inquit, zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Si enim illo igne, quo judicabitur sæculum, devorabitur omnis terra, quod verum est, sicut alibi dicit, « cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt » (*Matth.* XXIV), aurum et argentum ubi parebit, quod utique terra est? Sed et si placeret, nunquid eorum esse deberet? Nihil intulerunt in hunc mundum (*I Tim.* VI), et propterea peccatores nihil præter peccata tunc habebunt, et idcirco justus ille ignis justissimi zeli Domini consummationem faciet festinanter, cunctis eis habitantibus terram, propter hoc ipsum, quod cœlum desperantes, tota mente habitaverunt terram. Sequitur :

CAP. II. — « Convenite, congregamini gens non amabilis, priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini. » Hoc officium et hic mos est speculatoris fidei, legati fidelis, ut non contentus sit clamasse quod viderit, vel nuntiasse cui rei legationem susceperit, verumetiam superintendat spontaneum quidpiam sermonis hortatorii, per quod auditorem faciendo benevolum ad cautelam necessariam properet excitare, quæ magna pars est boni adjutorii. Hoc Apostolus de semetipso pulchre ostendit, cum præmisso ad Corinthios, quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, et **291** « posuit in nobis verbum reconciliationis pro Christo, pro quo legatione fungimur » (*II Cor.* V), deinde subjungit : « Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis (*II Cor.* VI). Sic iste, ubi speculatoris more prophetico ore clamavit quæ vidisset mala ventura, primum in partibus, deinde in universitate mundi, quasi demissa paululum declamationis vehementia, suavius incipit, et hortatur his verbis : « Convenite, congregamini, subauditur, conventu, congregatione, qua Deo Creatori conjungi possumus et conjungi debemus, quod quicunque non faciunt, ipsi sunt « tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ » (*Psal.* I). Hinc est quod dicit: « Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini. » Nam inde pulvis mobilis est, et ventus dum flaverit, dispergit eum et « projicit a facie terræ, » quia non convenit, non congregatus est in unum rore suscepto, per quem poterat sibimet cohærere. Cum autem ventus illum projecerit, ubi parebit, aut unde convenire vel congregari rursus poterit? Ita nimirum inde Omnipotentis jussio pariet super impios et incredulos diem transeuntem, et eos transire facientem, quasi pulverem, quia non convenerunt, non congregati sunt ad Deum et Dominum per gratiæ ejus rorem salutiferum, per aquam et spiritum, per quem omnes quicunque non pereunt unum cum illo capite corpus effecti sunt. Hoc Petrus sciens, eodem sensu quo et ipse dicebat; « Salvamini a generatione ista prava » (*Act.* II). Sciebat enim quia super generationem illam primo paritura foret « jussio, quasi pulverem transeuntem diem, » ut captivi dispergerentur in

A omnes gentes, et deinde communiter cum cæteris gentibus impiis, ventura esset super eos « ira furoris Domini, » die universalis judicii. Verbum hujusmodi « priusquam pariat jussio, » pro re satis congruit illi qui apud alium prophetam dicit: « Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar » (*Isa.* XLII). Illam namque iram furoris sui diu continuit et distulit, sed tandem tanto durius declarabit quanto patientius sustinuit, sicut in utero habens, diu quidem vocem continet et continere potest, sed cum venerit hora, non sine clamore et gemitu depromit, quod apud se nonnihil habuerit. Talis quoque compellatio, « gens non amabilis, » sensum eumdem habet, licet minus aspere sonet, quam illud dictum a Joanne Baptista: « Genimina viperarum, quis ostendit vobis
B fugere a ventura ira? » (*Matth.* III.) Sed et ipse Dominus: « Generatio, » inquit, « prava et perversa signum quærit » (*Matth.* XII), et Petrus, ut jam supra dictum est, « salvamini » ait, « a generatione ista prava » (*Act.* I). Neque hic neque illic dictum est ita sine judicio legis. Primus namque Moyses dixit: « Generatio prava atque perversa, hæccine reddis Domino » (*Deut.* XXXII), et: « De vinea Sodomorum vinea eorum, » etc. (*ibid.*). Sequitur: « Quærite Dominum Deum nostrum omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati. Quærite justum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini, quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. » Sicut ubi revelari per Evangelium cœpit ira Dei de cœlo super omnem im-
C pietatem hominum (*Rom.* I), primum oportebat Judæis loqui verbum Dei, et deinde converti ad gentes (*Act.* XIII), sic in isto spiritus propheticus ubi prænuntiavit iram sive diem iræ et furoris Domini juxta esse, et velocem nimis, primo gentem non amabilem, gentem Judaicam exhortando compellavit, dicens: « Convenite et congregamini, et » deinde omnes gentes alloquitur, dicendo: « Quærite Dominum Deum nostrum omnes mansueti terræ, » et hoc ipsum verbum, *quærite*, tertio repetit, « quærite Dominum Deum nostrum, quærite justum, quærite mansuetum, » quod non aliud esse arbitror, quam credite in Patrem, credite in Filium, credite in Spiritum sanctum. Qui hujusmodi adhortationem receperunt vel recipiunt, recte dicuntur mansueti et operati judicium Dei, si-
D cut econtra Judæi qui repulerunt verbum, et indignos se judicaverunt æternæ vitæ (*I Cor.* XI), dicuntur gens non amabilis. Et revera omnes mansueti, per hoc ipsum quod sunt mansueti et tractabiles verbo Dei, judicium operati sunt et operantur Domini, judicando semetipsos, ut non judicentur, cujus videlicet judicii principium est semetipsos ut peccatores et reos mortis addicere patibulo Domini, id est baptizari in morte ejus, et consepeliri in illo per baptismum in mortem perfectio autem ejusdem judicii vel justitiæ est, ita de cætero in novitate ambulare, quomodo ille surrexit a mortuis per gloriam Patris (*Rom.* VI). Mirum quod talibus dicit, « si quomodo abscondamini in die furoris Domini. » Ergone et

ipsi vix abscondentur in die furoris Domini? An non et hoc Petrus apostolus dicit? Ait enim: « Si autem primum a nobis,quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus vix salvabitur,impius et peccator ubi parebunt? » (*1 Petr.* IV.) Igitur quamvis mansuetus quis,quamvis judicium sit operatus Domini, semper sibimet suspectus sit,nec se comprehendisse arbitretur, quia nec justus quispiam salvari poterit, si absque misericordia judicetur. Impius et peccator omnis,sub nominibus recte intelligitur urbium Philistiim, Gazæ, et Ascalon, Azoti et Accaron, duplicem,ut reor,ob causam. Prima causa est quia gens Philisthiim primo loco denotatur inter omnes gentes quæ inviderunt gloriæ Domini, et mansuetis terræ, scilicet Moysi, et cæteris ascendentibus de terra Ægypti. *Ascenderunt* enim,ait,« populi et irati sunt,dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim,tunc conturbati sunt principes Edom,»et cætera (*Exod.* XV). Primos nominavit *habitatores Philisthiim*, quia primi doluerunt, et primi ad impugnandum ascendentem Israelem fuere præparati. Scriptum est enim:«Igitur cum emisisset Pharao populum,non eos eduxit Dominus per viam terræ Philistinorum, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum,si videret adversum se bella consurgere »(*Exod.* XIII). Alia causa est, quia sub interpretationibus eorumdem nominum omnium illorum perversitas denotatur qui secundum similitudinem Phislithiim pios omnes ad eum fugientes, et hoc sæculum nequam relinquentes, odio habent et persequuntur. Gaza namque *fortitudo ejus*, Ascalon *ponderata*, vel *ignis homicida*, Azotus *ignis generationis*, Accaron *eradicatio* vel *sterilitas* interpretatur. Et est sensus : Omnes qui sibi applaudunt in fortitudine corporis,et in potentia sæculari, et dicunt cum diabolo : « In fortitudine manus meæ feci » (*Isa.* V), diripientur,et ad nihilum redigentur in die iræ Domini. Similiter qui arsit ad effundendum sanguinem, et multas scandalizavit animas, sceleris sui mensuram recipiet, et eodem quo operatus est pondere deprimetur,et implebitur in eo : « Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus »(*Psal.* V), dum gehennæ ignibus cum diabolo cremabitur. Itidem qui arsit libidine et generationis incendio debacchatus est : *Omnes* enim « adulterantes,quasi clibanus » corda eorum(*Osee* VII), non in tenebris, non in occulto judicio, sed in meridie, hoc est, quando sancti plenam recipient claritatem, projicietur in tenebras,et sanctorum consortium non habebit. Item qui non solum nullos fructus habuit, sed perversitate doctrinæ suæ plurimos eradicavit,ipse quoque eradicabitur. Proinde, « quærite Dominum,omnes mansueti terræ,» et ne sitis sicut Gaza, id est sicut male **292** fortes, et non mansueti,qui « suam quærentes statuere justitiam,justitiæ Dei non sunt subjecti » (*Rom.* X), quia talis Gaza destructa erit.«Quærite,Dominum omnes mansueti,» et ne sitis sicut Accaron, id est ardentes igne homicidii, quorum manus sanguine plenæ sunt,quia deserta erit talis Accaron, sicut dixit Veritas : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta »(*Matth.* XXIII). «Quærite Dominum,omnes mansueti,»et nolite esse sicut Azotus,id est sicut hi qui genuinam voluptatem ultro exasperantes,verterunt in furorem, et conflaverunt sibi ignem urentem,quia talis Azotus in meridie ejicitur, id est manifesto judicio condemnabitur, talis, inquam Azotus, judicium portabit Sodomorum et Gomorrhæ, juxta Prophetam alium dicentem: « Audite verbum Domini,principes Sodomorum ; percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ » (*Isa.* I). *Quærite Dominum*, et ne sitis sicut Accaron,id est sicut sterilis vinea Domini Sabaoth, domus Israel,quæ cum debuisset facere uvas judicii et justitiæ, « fecit labruscas »(*Isa.* V) iniquitatis et clamoris, quia talis Accaron,talis sterilitas eradicabitur. Omnibus quidem reposita est ira furoris Domini gentibus incredulis, sed maxime et præ omnibus genti illi quæ prima restitit,et persecutionem excitavit Evangelio Christi, vel sacramento baptismatis, secundum similitudinem Philisthiim,quæ gens, ut supra dictum est,prima invidit,et obsistere bellumque inferre prompta fuit Israeli ascendenti de terra Ægypti in transitu maris Rubri. Sequitur ergo:«Væ qui habitatis funiculum maris,gens perditorum.»Gens habitans funiculum maris, id est vicina baptismo Christi,sicut gens Philisthiim vicina erat mari per quod Israel transivit. Quam enim vicina fuit illi sacramento æternæ salutis, apud quam idem sacramentum Christus moriens condidit, apud quam aquam et sanguinem de suo latere fudit,apud quam dato Spiritu sancto claruit multis signis et prodigiis, quod dux esset ipse Dominus in misericordia populo quem redemit, gradientibus in fronte, in transitu maris Rubri tribus millibus hominum,quia ipsa die Pentecostes « baptizati sunt in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti » (*Act.* II). « Væ tibi, gens perditorum,» væ tibi taliter habitanti « funiculum maris,» quia cum posses trahere ad te funiculum ejusmodi, funiculum distributionis,in qua sorte dividitur terra regni Dei, non solum non attraxisti, verum etiam subeuntibus et trahentibus invidisti. « Verbum Domini super vos Chanaan terra Philistinorum,et disperdam te ita ut non sit habitator. » Quod terra Philisthiim terra sit Chanaan, nulli dubium est, et quod præsenti loco Chanaan Judæus sit jam dictum est, et multis Scripturarum testimoniis comprobari solet. Itaque super vos,o Chanaan, et,o terra Philisthiim ; super vos, o non Judæi,sed Chananæi ; o non terra Hierosolymorum,sed terra Philisthinorum,id est potione cadentium, verbum Domini super vos est, quod ego loquor non in bono sed in malo, non in gratia sed in ira, non in misericordia sed in vindicta. Sequitur enim: « Et disperdam te ita ut non sit habitator. Et erit funiculus maris, requies pastorum, et caulæ ovium, et erit funiculus eis qui remanserint in domo Juda, ibi pascentur in domibus Ascalonis, ad vesperam requiescent, quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum. » Utrum ita factum sit,ut littera sonat,quod terra Philisthinorum

deserta et absque ullo habitatore fuerit, Deus viderit. « Disperdam te, » inquit, « ita ut nullus sit habitator, » et in tantam venies vastitatem ut omnes tuæ urbes munitissimæ sint in ovilia pastorum. Quomodocunque terræ illi quæ proprie dicta est terra Philisthinorum contigerit, et terræ Moab, et terræ filiorum Ammon, de quibus postmodum dicturus est: Nos quis scimus signatum fuisse librum (*Dan.* XII), et clausas visiones prophetarum, sicut nonnullis eorum legimus imperatum, dubitare non debemus sacramenta rerum spiritualium sub rerum corporalium recondita esse nominibus, et cuncta ad Christum applicanda, « habentem clavim, » ut in Apocalypsi legimus, « qui et aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit » (*Apoc.* III), quia cuncta in eo reserantur. Igitur super vos, o terra Chanaan, terra Philisthinorum, id est super vos, o Judæi, verbum Domini est; quia jam semen Chanaan et non Judæ terra estis Philisthinorum, id est potione cadentium, ex quo Christo Dei Filio « dedistis in escam suam fel, et in siti sua potastis eum aceto » (*Psal.* LXVIII), unde et facta est coram vobis *mensa* vestra « in laqueum, et in retributionem, et in scandalum » (*ibid.*). *Te*, o terra ejusmodi, *disperdam*, ait, « ita ut non sit habitator. » Juxta quod et Psalmista: *Fiat*, inquit, « habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet » (*ibid.*). Ita namque factum est: Non est ex vobis, qui habitet in illa terra vestra, vel dominetur in ea. Quid porro fiet de funiculo maris de quo paulo ante dictum est: « Væ qui habitatis funiculum maris? Requies erit pastorum, et caulæ pecorum. » Qui sunt pastores, et quæ pecora sive oves? Nimirum pastores illi, quorum princeps ille « bonus pastor est, qui posuit animam suam pro ovibus suis » (*Joan.* X). Et illæ oves sunt, de quibus idem ait: « Et alias oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor » (*ibid.*) Funiculus maris, quem vos habitatis, o Judæi, id est omne quod habere vel quod vicini videbamini esse sacramento baptismatis Christi, quod inimicos nostros Pharaonem spiritualem, et exercitum ejus operuit, scilicet lex et prophetæ, cuncta quæ credita sunt vobis eloquia Dei, requies erunt pastoribus istis, et erunt caulæ pecorum sicut ovium quam Dominus adduxit. Nonne ita est, o Judæi, imo Chananæi, sive Philisthiim? Oves istæ et pastores earum, id est Christiani et doctores eorum in illo tali funiculo quondam vestro nunc requiescunt, quia legem et prophetas vestros scienter legunt. Ille vester funiculus Hebraico quidem sermone consertus, deinde in Græcum ductus et in Latinum reductus, ampla fecit spatia cunctis gentibus, et ecce in spatiis ejus requiescimus, et caulæ pecorum, id est lectiones sive meditationes nostræ sunt. Mirum quod vos ipsi caulas nobis ovibus Christi, ne veterascant aut vertustate infirmentur et labescant, jugiter confirmatis, et ad confirmandum nobis materiam validam ubique terrarum subministratis, dum captivi in omnes gentes liberos vestros, imo jam nostros circumfertis, ut quidquid de Christo prædicatur, Græcis et Latinis sive barbaris, præsentes vos cum scriptis vestris palam testificemini quod non sit novum sive confictum quidquid auribus eorum quasi nova refert vox evangelicæ prædicationis. Quod deinde subjungitur, « et erit funiculus eis, qui remanserint de domo Juda, » cum præcedenti dicto bene perspectum, conjunctionem satius evidenter indicat aliarum, et aliarum ovium in ovile unum. Qui enim sunt, « qui remanserunt de domo Juda, » vel quid est remanere de domo Juda? Nimirum remanere de domo Juda, hoc est, salvari de eadem gente perditorum, gente Judaica, et qui hoc modo remanserunt vel remanebunt, primi apostoli fuerunt, et qui post ipsos vel per ipsos crediderunt, et illæ erunt reliquiæ, quæ salvæ fient, postquam subintraverit plenitudo gentium (*Rom.* XI). **293** Pulchre ergo ita distinctum, et erit funiculus maris requies pastorum et caulæ pecorum, quod recte intelligitur de pastoribus et pecoribus plenitudinis gentium. Ac demum: « Et erit funiculus eis qui remanserint de domo Juda » quod nihilominus recte intelligitur de illis reliquiis quæ supersunt et supererunt de Israel, in quo contigit cæcitas (*Rom.* XI). Simul de utrisque, de ovibus sive pastoribus partium utrarumque illud intelligendum, quod subjunctum est: « Ibi pascentur in domibus Ascalonis, ad vesperam requiescent. » Quid est *ibi pascentur*, nisi in funiculo illo possidebunt? Funiculus namque possessio est, juxta illud: « Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus » (*Deut.* XXXIII). Aut certe funiculus dimensio possessionis est, juxta illud: « Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis » (*Psal.* LXXVII). Quolibet modo accipias, sensus totius summa est. « Ibi pascentur in domibus Ascalonis, ad vesperam requiescent, » ac si diceret: In sorte Domini computabuntur, in sinubus Abrahæ, Isaac et Jacob collocabuntur, in cœlestibus mansionibus quas Ascalon, id est ignis homicida, scilicet Judaica impietas suas esse domos gloriatur. At illi « filii regni ejicientur in tenebras exteriores, » isti autem venientes ab oriente et occidente, recumbent, in sinubus Abrahæ, Isaac et Jacob (*Matth.* VIII). Unde hoc? *Quia visitabit*, inquit, « eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum. » Quis ille Dominus qui *visitabit*, nisi ipse qui dixit de his, et de semetipso: « Et fiet unum ovile et unus pastor? » Ipse namque de visitatione hac dicit in alio propheta: « Ecce ego requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum » (*Joan.* X) « in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum » (*Ezech.* XXXIV), etc. usque: « Ecce ego judico inter pecus, et pecus arietem et hircum, inter pecus pingue et pecus macilentum » (*ibid*). Duo dicta sunt in illo. *Visitabo oves meas*, et, « judicabo inter pecus et pecus, » duo nihilominus in isto, quia « visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum. Visitabit, » subauditur, primo adventu suo, ut sit ipse pastor, et ovem perditam ad gregem suo

reportat humero (*Luc.* xv). Avertet captivitatem eorum, secundo adventu suo, quando *judicabit* utique *inter pecus et pecus* (*Ezech.* xxxiv), et separabit oves ab hædis, dicetque ovibus a dextris: « Venite, benedicti, Patris mei, possidete paratum vobis regnum, » et hædis a sinistris: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum » (*Matth.* xxv).

LIBER SECUNDUS.

294 Adversariorum, seu veritati contradicentium universitas trifariam divisa est. Alia divisio Judæorum et alia hæreticorum, alia paganorum. Super omnes divisiones istas verbum Domini est, eo ordine quo nunc a nobis nominatæ sunt. Siquidem super Judæos jam prolatum est verbum, et ipsi designati sunt sub nominibus Chanaan et terræ Philistinorum, dicendo: « Verbum Domini super vos Chanaan terra Philistinorum; » hæretici protinus distinguuntur sub nominibus Moab et filiorum Ammon, dicendo: « Audivi opprobrium Moab et blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum. » Subinde paganorum impietas sub nomine condemnatur Æthiopum, cum dicit: « Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis. » Protinus et ipse, qui est omnium inimicorum caput, diabolus perditus atque perdendus designatur sub nomine Assur, dicendo: « Extendet manum suam super Aquilonem, et perdet Assur. » Denique sub istis nominibus debere hujusmodi sensus suscipi satis probabile est, præsertim quia præceptum fuisse scimus prophetis, non omnia manifeste loqui, imo claudere sermonem et signare librum, et ligare testimonium, et signare legem discipulis Domini, cum pollicitatione: « Quia pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia » (*Dan.* xii). Præterea et illud nobiscum facit, quia nec rerum præsentium, nec historiarum quæ de rebus gestis conscriptæ sunt aliquod suffragatur experimentum sive testimonium ei, qui simpliciter, et ut vulgo nota sunt, accipit hæc nomina Chanaan sive Philistinorum, Moab et filiorum Ammon atque Æthiopum. Nam et si non immunes fuere malorum quæ in mundo facta sunt vel fiunt, nihil tamen usquam legitur tale vel tam magnum, ut præsentis prophetiæ littera sonat, simpliciter audientibus, verbi gratia, cum protinus ita loquitur: « Vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon, quasi Gomorrha, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum. » Similiter de terra Philisthinorum. Quando enim factum est, quod dicit: « Et erit requies pastorum et caulæ pecorum? » Quando nullus in ea fuit habitator, et in tantam venit vastitatem, quæ lætabatur in eversione Judææ, ut omnes urbes ejus munitissimæ essent in ovilia pastorum, atque ita inculta et sic vepribus atque urticis operta ut pastores de reliquiis Judæorum in Ascalone post meridiem requiescerent, et in urbe quondam nobili greges suos accubare facerent. Proinde cœptum iter securi pergamus, et Spiritus sancti verba spiritualiter intellexisse contenti simus. « Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobaverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum et acervi salis, et desertum usque in æternum. Reliquiæ populi mei diripient eos, et residui gentis meæ possidebunt illos. Hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt et magnificati sunt supra populum Domini exercituum. » Causa pro posse dicenda est, cur his nominibus hæretici designati sint, vel ob quam similitudinem vocentur Moab et filii Ammon. De Judæis supra dictum est quod recte vocentur Philistiim, videlicet, quia sicut ubi accesserunt filii Israel de terra Ægypti per mare rubrum, Philistiim qui vicini erant mari primi doluerunt, et primi bellum inferre parati fuerunt, ita ubi conditum est baptismi sacramentum, Judæi, penes quos conditum est, primi viderunt et inviderunt et primi contra fidem evangelicam persecutionem exercuerunt, mala potione, scilicet spiritu erroris inebriati et insanientes secundum nomen Philistiim, quod interpretatur, *potione cadentes.* De hæreticis nunc dicendum quod recte vocentur Moab et filii Ammon, quia sicut Moab et filii Ammon de consanguinitate Abrahæ descenderunt, et tamen genus Abrahæ semper oderunt, ita hæretici in Christum se credere dicunt, et tamen Christianorum catholicam fidem subvertere semper conati sunt. Et quis hoc nesciat, quod de consanguinitate Abrahæ per incestum nati sunt Moab et filii Ammon? Dormierunt enim filiæ Loth nepotis Abrahæ cum patre suo, et major quidem filia Moab, minor autem peperit Ammon (*Gen.* xix). Et Moab quidem *ex patre*, Ammon *populus turbidus* intrepretatur. Quis autem populus magis turbidus quam hæreticorum cœtus, qui alios turbida et cœnulenta potant doctrina, velut turbida aqua: sunt etiam hæretici ex patre diabolo æque ut Judæi, quibus ipse Dominus: *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis* (*Joan.* viii, *num.* xxv). Igitur ut Philistiim ita Moab et filii Ammon, id est sicut Judæi, ita et hæretici in desertum erunt usque in æternum; quippe qui deserentes Deum et a Deo deserti, absque dubio peribunt in sempiternum. *Audivi* enim, ait, *Moab opprobrium et blasphemias filiorum Ammon*, scilicet hæreticorum. qui nimirum exprobraverunt populo meo, populo

Christiano secundum exemplum Moab, et magnificati super terminos eorum secundum exemplum filiorum Ammon. Quod fuit exemplum Moab? Illud nimirum, quod fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ secundum suggestionem Balaam vocaverunt eos ad sacrificia sua, et comederunt, et adoraverunt deos earum, initiatusque est Israel Beelphegor. Magnum fuit illud opprobrium Moab, et usque in præsentem diem, ait Phinees, macula hujus sceleris in nobis **295** permanet, multique de populo corruerunt. Secundum illius opprobrii vel maculæ exemplum fuit et est opprobrium hæreticorum sive hæresiarcharum, quales Marcion, Cherinthus, Ebion et Arius, aliique quamplures exstiterunt. In quo? In eo videlicet quod non per ignorantiam erraverunt, sed sicut ille Moab scienter et præeunte consilio, quatenus auxilio Dei destitutum redderet Hierusalem effecit ut initiaretur Beelphegor, ita et isti scienter, quatenus populum ecclesiasticum omni veritatis honore nudarent, et in perditionem traherent, turpia et probrosa singuli suorum dogmatum simulacra propalaverunt. Quod autem vel quale fuit exemplum filiorum Ammon? In quo illi priores super terminos Israel magnificati sunt? Tulit Israel, ait rex filiorum Ammon, terram meam, quando ascendit de Ægypto. Econtra Jephte dux Israel: « Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon; sed Dominus Deus subvertit Amorrhæum, pugnans contra illum, pro populo suo Israel, et tu nunc vis possidere terram ejus? Nonne ea quæ possedit Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit in nostram cedent possessionem » (*Judic.* XI). Disceptatio tunc fuit vehemens contra filios Ammon, eo modo significantes se super terminos Israel. Sed et ante hoc copulati regi Moab percusserant Israel, atque possederant urbem palmarum (*Judic.* III). Secundum illius disceptationis exemplum jugem atque pertinacem hæretici contra catholicam Ecclesiæ disceptationem habuerunt, et super terminos ejus magnificati sunt, super terminos fidei, quos patres nostri prophetæ et apostoli posuerunt, adjiciendo aliquid super positionem, vel diminuendo quidpiam de positione illorum, non timentes illud quod in Apocalypsi scriptum est: « Si quis adjecerit supra hæc, adjiciet Deus supra illum plagas, quæ scriptæ sunt in libro hoc; et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de ligno vitæ, et de civitate sancta » (*Apoc.* XXII). Nonne et in psalmo scriptum est: « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ? » (*Psal.* II). At illi cum essent in partibus terræ, alii in Asia, alii in Europa, alii in Africa contra semetipsos divisi et contra catholicam Ecclesiam conjuncti, singuli suas partes construe pro catholica Ecclesia contendentes, non parum Ecclesiæ terminos, quantum in ipsis fuit diminuerunt, claudere volentes in parte possessionem Christi præfinitam usque ad terminos terræ.

A Ita super terminos populi Domini magnificati sunt, et exprobraverunt et blasphemaverunt. « Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha. » Quid erit Moab ut Sodoma, et quid erunt filii Ammon quasi Gomorrha? « Siccitas spinarum et acervi salis, et desertum usque in æternum. » Ad quid valet *siccitas spinarum* nisi ut mittantur in ignem vel submittatur eis ignis ut ardeant? Et ad quid valet *acervus salis*, præsertim infatuati, « nisi ut mittatur foras et conculcetur? » (*Matth.* V) Igitur quod dicit, hoc est, quoniam ipsi sunt spinæ, de quibus non colliguntur ficus, et rubus de quo non vindemiatur uva (*Matth.* VII), tradentur igni ut Sodoma et quasi Gomorrha, imo tolerabilius erit terræ Sodomorum et B Gomorrhæorum in die judicii, quam illius « qui non receperunt vos, » ait Dominus, *neque audierunt sermones vestros* (*Matth.* X). Quod si illis ita erit, qui non recipiunt neque audiunt, quanto magis hæreticis qui insidiose recipiunt et insidiose audiunt, ut dum profitentur partem, possint subvertere totum. Juste igitur *et desertum*, inquit, « erunt usque in æternum, » id est peccatum eorum « non remittetur eis, neque in hoc sæculo, neque in futuro » (*Matth.* XII), quod vere est esse desertum, quia videlicet extra domum Dei, quæ est Ecclesia Dei, unde ipsi exierunt, nihil est nisi desertum. An et lex hoc ipsum non dicit? « Ammonites, » inquit, « et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum » (*Deut.* XXIII). Quod et si quid aliquando sapidum locuti sunt aut scripserunt, quoniam « et acervi C satis » fore dicti sunt, *reliquiæ* inquit, « populi mei diripient illos, et residui gentis meæ possidebunt eos » (*Gen.* XIX). Nec mirum, si inter mortuorum et morientium hæreticorum monimenta quidpiam reperitur, quo velut sale viri catholici bene utantur, dum in typum illorum uxor Loth, quæ avia fuit istorum filiorum Moab et filiorum Ammon, ita mortua fuerit, ut mortua verteretur in statuam salis. Est quidem salis natura ad omnem escam necessaria, pulmentis enim saporem dat, aviditatem excitat. Quin etiam pecudes, armenta et jumenta sale maxime provocantur ad pastum, multo largiores lacte, multoque gratiores casei dote. Sed et illa versa in statuam salis, pecudibus, armentis, sive jumentis liguentibus eo modo proficere potuit, nunquid et sibimet D sapuit? Sic nimirum, quid sive utilium historiarum, sive moralium doctrinarum, sive allegoricarum expositionum scripserunt, nihil eis proderit, sed reliquiæ populi Domini diripient codices illos, residui, id est non perditi pueri, gentis Domini, viri ecclesiastici lectores et auditores catholici possidebunt eos, legent eos, ut legunt Judæi cujuspiam opus grande vel parvum, ut puta Josephi, vel cujuslibet cæterorum. *Hoc*, inquit, « eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini exercituum. » Cum multa sint peccata, quoddam peccatum certum, propter quod hæretici desertum fuerunt, ut supra jam dictum est in æter-

num. Hoc est superbire, et non per ignorantiam, sed per superbiam seu per invidiam contra veritatem Dei verba proferre. Nam « omne peccatum, ait Dominus, et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro » (*Matth.* XII). Tanti hujus peccati reus ille addicitur, qui sciens veritatem Dei, totis ingenii viribus econtra nititur, et tunc demum verbum dicere contra Spiritum sanctum convincitur, quando verba Scripturæ quæ utique verba sunt Spiritus sancti intelligens, imo intelligere nolens, contraria loquitur. Quid igitur aliud astruit hic sermo propheticus dicendo : « Hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt, » nisi quod in Evangelio suo confirmat ipsum Verbum incarnatum? Sequitur: « Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium. » Vere infelices, super quos Dominus horribilis est. Unde enim hoc? Nonne Deus natura dulcis et suavis est, et ad vivendum serenus et desiderabilis? utpote « in quem desiderant angeli prospicere » (*I Petr.* XII), miro atque ineffabili modo semper prospicientes et semper prospicere desiderantes. Ergo infelices nimis, quibus pro conscientia contigit horrere faciem pietatis, et sic perire « a facie Dei, sicut fluit cera a faci ignis » (*Psal.* LXVII). Jam in ista vita miseri horrorem illum sentiunt, et nescio quam in consolationem doloris sui negant esse quod esse sciunt, tanquam hoc destruat vel destruere possit veritatem, quod eam ipsi in mendacio detinent. « Et attenuabit, » inquit, « omnes deos terræ. » Hic subaudiendum vel subintelligendum, qui semetipsos deos fecerunt. Sicut enim dii terræ, super quos non **296** est horribilis, et quos non attenuabit Dominus, videlicet illi de quibus Psalmista cum dixisset: « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham » (*Psal.* XLVI), subjunxit, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt » (*ibid.*). Et est sensus : quoniam prædicatores, qui in primis erant terra, facti dii et filii Excelsi, facti fortes per fidem et per bona opera, vehementer elevati sunt per miracula, et ita factum est ut multi ad fidem generentur, multi in principibus quoque, id est regibus aliisque pontificibus cum Deo Abraham credendo congregarentur. Igitur de illis solummodo hic agitur, qui semetipsos deos fecerunt, quia præmissum est de superbia eorum, et magnificati sunt super populum Domini exercituum, et eodem modo hic dicuntur dii, quo in Canticis canticorum sodales Dei, et Domini nostri Jesu Christi: « Indica mihi quem diligit anima mea ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum » (*Cant.* I). Isti dii, isti sodales Domini, qui nisi hæretici sunt, de quibus hic sermo est sub nominibus Moab et filiorum Ammon. Super eos plane horribilis Dominus, et attenuavit magnificentiam illorum, quia et si in brevi magnificati sunt super populum Domini exercituum, quasi sterquilinium in fine perditi sunt, et talium cujusque messem, si qua fuit, comedit famelicus, et ipsum rapuit armatus Illis attenuatis, « adorabunt, » inquit, « Dominum viri, de loco suo omnes insulæ gentium. » Dictum hoc et dicendum cum subsannatione adversus ejusmodi deos, qui jam non habent locum suum, imo quos jam non intuebitur locus eorum vel cognoscet amplius, sicut per beatum Job dicitur, « quia sicut consumitur nubes et pertransiit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus » (*Job.* VII). Viri isti, qui non deseruerunt locum suum, omnes insulæ gentium, id est omnes Ecclesiæ quæ consistunt in medio gentium sicut insulæ quamvis marinis fluctibus undique tondantur, stant et locum suum non deserunt, adorabunt de loco suo Dominum, et hunc crucifixum, Deum et hominem Jesum Christum. Locus eorum apud ipsum Deum est, sicut ipse ad Mosen : « Ecce, inquit, est locus apud me, et stabit supra petram » (*Exod.* XXXIII), etc. Locus ille humilitas est sicut Psalmista testatur, dicens : « Si non Moses electus ejus stetisset in confractione » (*Psal.* CV), id est in nimia mentis humilitate in conspectu ejus. Locum hunc hæretici non invenisse arguuntur, quibus *hoc*, quod hactenus dictum est, « eveniet, inquit, pro superbia sua, quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini exercituum. » Sequitur: « Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis. » Jam superius dictum est, triplices esse Ecclesiæ hostes, scilicet Judæos, hæreticos atque paganos, et Judæos sub nominibus Chanaan et Philistinorum, hæreticos autem sub nominibus Moab et filiorum Ammon, paganos vero hic designari sub nomine Æthiopum. Cur paganos sub nomine Æthiopum? Quia videlicet sicut pellis Æthiopica magis quam cæterarum gentium nigra est, ita paganorum magis quam Judæorum aut hæreticorum impietas nota est. Si quidem Judæi atque hæretici quodam divini nominis candore, utcunque se palliaverunt, pagani non unum Deum, sed multa dæmonia publico errore coluerunt. Igitur non soli Chanaan et Philistiim, et Moab, et filii Ammon, « sed vos, » inquit, « Æthiopes, interfecti gladio meo eritis, » id est non soli Judæi atque hæretici qui legem acceperunt, sed et vos pagani sive gentiles, ejusmodi legem non habentes, judicio meo condemnabimini. « Non enim est distinctio apud Deum. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur » (*Rom.* II). Sequitur adhuc :

« Extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur. » Notum est, in sanctis propheticis Scripturis, nomine aquilonis et nomine Assur diabolum significari. Ipse autem, scilicet diabolus, inimicorum caput est; et sicut caput membris, ita cunctis præeminet inimicis, super quos evaginatus est gladius Domini, de quo et nunc hic dictum est: « Et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis, » statimque subjun-

cium: « Extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur. » Et in cantico Deuteronomii præmisso: « Si acuero ut fulgur gladium meum et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes » (*Deut.* XXXII), ita demum subditum est, « de cruore occisorum et de manu inimicorum capitis » (*ibid.*); ita hic et illic, verbis quidem diversis, sed eodem sensu omnium impiorum et ipsius diaboli damnatio certa et inevitabilis denuntiatur. Fuerit quidem carneus Assur, id genus Assyriorum, quæ circa hujus prophetiæ tempora solutum est imperium, et Ninive metropolis ejusdem imperii, quam subverterunt Chaldæi, de qua et protinus dicit: « Et ponet speciosam in solitudinem et in invium quasi desertum, et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium, et onocrotalus, et ericius in liminibus ejus morabuntur. Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam sibilabit et movebit manum suam. » Fuerit, inquam, et ille carneus Assur, et civitas Ninive, quæ hic appellatur speciosa, et facta a Babyloniis tanta ejus vastitas, ut ex istis verbis datur intelligi, « onocrotalus et ericius in liminibus ejus morabuntur, vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, » quæ indicia sunt solitudinis. Verumtamen res quæ in parte gesta est intelligentiam eorum quæ in toto futura sunt non destruit, imo magis astruit, cum per experimenta magnarum urbium quæ destructæ sunt, compellitur audiens credere evangelicæ veritati, « quia præterit figura hujus mundi » (*I Cor.* VII), et quia secundum similitudinem, scilicet Ninive et Babylonis, totum quoque mundum Dominus in fine judicabit. Jam quia de subversione Ninive, quod fuerint exempla totius mundi perituri, alias dictum et a sanctis doctoribus affatim est declamatum. Nos ad cætera properantes, illud tantum dicere libet quid sit huic speciosæ dicere in corde suo: « Ego sum, et extra me non est alia amplius, et quomodo omnis qui transit per eam sibilabit, et movebit manum suam. » Nimirum hoc dicere, « ego sum et extra me non est alia amplius, » superbire est, et tantummodo in præsentibus confidere, nullamque post hanc aliam vitam credere vel sperare. Impiorum est ita existimare qui ut Sapientia perhibet dixerunt apud se, cogitantes non recte: « Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est, qui agnitus sit reversus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam si non fuerimus. Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors » (*Sap.* II). Cum hæc et his similia dicit in corde suo impiorum universitas, quis nisi speciosa ista civitas Assur, uni-

A versa cupiditas mundi hujus loquitur: « Ego sum, et **297** extra me non est alia amplius. » At vero omnis qui transit per eam, qui cum Abraham, et Isaac et Jacob patribus sanctis confitetur, quod peregrinus sit et advena super terram, et non vult hic habere manentem civitatem, sed futuram inquirit (*Hecr.* XIII), cum viderit quod onocrotalus, ericius et corvus possidebunt speciosam hanc, non jam speciosam ut nunc videtur, sed desertam, « ubi præterierit figura hujus mundi (*I Cor.* VII), sibilabit et movebit manum suam, » id est ne collocutione, ne dicam consolatione dignam judicans, solo nutu vel gestu oris et manus suæ despiciet, et subsannabit eam. Sequitur:

CAP. III.— « Væ provocatrix, et redempta civitas. Columba non audivit vocem, et non suscepit discipli- B nam, in Domino non est confisa. Ad Dominum Deum suum non appropinquavit. Principes ejus in medio ejus, quasi leones rugientes. Judices ejus quasi lupi vespere, non relinquebant in mane. Prophetæ ejus vesani, viri infideles. Sacerdotes ejus polluerunt Sanctum, injuste egerunt contra legem. » Super quam cœpit intentio judicii dicendo: « Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitatores Hierusalem » (*Soph.* I), super eamdem civitatem et consummatur dicendo: *Væ provocatrix, et redempta civitas.* Quæ enim alia civitas a Deo provocatrix, quam passim et fere ubique sancta Scriptura Dominum provocasse arguit? Ipsa provocatrix, ipsa redempta, et tanto damnabilior provocatrix, quanto pluribus redempta beneficiis. Provocationes ejus magna cum admiratione hic denarrantur, cum in primis columba C ipsa nominatur, et deinde leonum sævitiam, luporum ferocitatem vel habuisse vel habere declamatur. *Columba*, inquit, *non audivit vocem, et non suscepit disciplinam*, hoc dicere est, mansueta quondam civitas vel gens rebellis facta est, incorrigibilis perseverat. Quid enim mansuetius Abraham, Isaac et Jacob, cæterisque patribus, Mose et David, cæterisque sanctis et prophetis vel justis hominibus? Si illos et universam illius gentis vel civitatis electionem consideres, recte nimirum civitas columba dicta est. Econtra si illos attendas qui propheta et justo homines occiderunt, qui Dominum dereliquerunt, et Baal, cæteraque porenta coluerunt, at alia sacrilegia commiserunt, veraciter dicas, quia *non audivit vocem, et non suscepit disciplinam, in Domino non est confisa,* D *et ad Dominum Deum suum non appropinquavit*: etenim si attendas qualiter in ipsum Dominum eadem civitas egerit, quomodo generatio mala et adultera illum ocidendo mensuram patrum suorum impleverit, recte dictum animadvertis: « Principes ejus in medio ejus, quasi leones rugientes; judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane; prophetæ ejus vesani, viri infideles, sacerdotes ejus polluerunt Sanctum, injuste egerunt contra legem. » Quis non miretur hæc de ea quæ fuit vel esse debuit columba? Quomodo leones columba genuit? Quomodo lupos enutrivit? Quomodo vesanos fovit? Quomodo infideles educavit? Quomodo de pullis suis tales sacerdotes

edidit,qui polluerent Sanctum,qui quasi secundum legem maledictum facerent Sanctum sanctorum? Dixerunt enim: « Ecce lex dicit, quia maledictus a Deo est omnis qui pendet in ligno » (*Deut.* XXI),Hic autem dicitur quod sit Sanctus, quod sit ipse benedictus, de quo Psalmus dicit: « Benedictus qui venit in nomine Domini » (*Psal.* CXVII). Appendamus ergo eum in patibulo,et erit non benedictus, sed maledictus; erit non sanctus,sed pollutus tanquam leprosus. Hoc modo *polluerunt Sanctum*,et ita polluentes Sanctum, nimirum *injuste contra legem egerunt*. Lex enim ita dixit,ita præmisit: « Quando peccaverit homo,quod morte plectendum est » (*Deut.* XXI), demum ita subjunxit,« et adjudicatus morti suspensus fuerit in patibulo » (*ibid.*). At ille homo non peccaverat, *quod morte plectendum* esset,imo sanctus erat,et sanctus est. Ergo polluendo Sanctum, suo judicio constituendo maledictum,quem constat esse benedictum, « injuste egerunt contra legem » dum volunt impietatis suæ patronam facere legem. « Dominus justus in medio ejus, non faciet iniquitatem. Mane mane judicium suum dabit in luce,et non abscondetur. » Illi nimis injuste egerunt, illo modo polluentes Sanctum, et eum qui benedictus est volentes constanter esse maledictum,sed « Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem, » neque enim injustus est aut esse potest, vel injustam dare aut scribere legem. Nonne esset iniquitas, si maledictum esse concederet hominem ex sui patibuli pœna, non præcedente patibuli causa? Non faciet, nec fecit hoc; non sequetur tale sacerdotum judicium, neque dedit sacerdotibus tale legis decretum. Præmisit causam,« quando peccaverit homo,quod morte plectendum est, » et deinde subjunxit, « et adjudicatus morti suspensus fuerit in patibulo,» quod a justitia vel æquitate non discrepat, et deinde quod miserationis est: «Non,» inquit, « permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur » (*Ibid.*), semper quippe morituris sepeliri vel sepultura non carere optabile fuit,miramque causam hujus censuræ subdidit,« quia maledictus a Deo est omnis qui pendet in ligno,et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem » (*ibid.*). Miro modo, o sacerdotes, dum Sanctum polluere tentatis,lex contra quam injuste egistis, vos in astutia sua comprehendit, ita ut et illum facere maledictum non possetis, nec insepultum relinquendo contaminare terram corporis Sancti, imo et omni mundo,vobis nescientibus, per vos provisum fuit,sepeliendo resurrecturum et principem et auctorem resurrectionis. *Non* igitur *faciet iniquitatem Dominus justus*, non consentiet vobis lex Domini justi, non erit vestri similis, sicut vos existimastis iniqui.Sed quid? « Mane mane judicium suum dabit in luce, et non abscondetur. » Vos judicium vestrum dedistis in nocte super Sanctum, clamando quod esset *reus mortis* (*Matth.* XXVI), pro eo quod non negavit se esse Sanctum Dei, quod vobis interrogantibus confessus est se esse Christum Filium Dei benedicti; Dominus autem mane dabit, mane manifestum faciet judicium suum, de illo Sancto quale sit, et hoc in luce, ita ut non abscondatur. Dicet enim illi: « Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara (*Psal.* CVII);atque ille respondebit: «Exsurgam diluculo» (*Ibid.*), et ita fiet. Ita « judicium suum dabit mane, et dabit in luce, et non abscondetur, » imo « in omnem terram exivit sonus,et in fines orbis terræ » (*Psal.* XVIII),audietur, quod longe aliter et dissimiliter a vobis injustis,de illo Sancto suo judicet Dominus justus, in medio vestrum vobis videntibus et audientibus, et pro injusto judicio pœnas exsolventibus. « Nescivit autem iniquus confusionem.» Et hoc admirative dictum est, et revera miranda est impudentia non erubescere vel confundi, manifesto in tam clara luce judicio Dei de causa illius Sancti,juxta quod cecinit Psalmista: « Judica me,Deus,et discerne causam de gente non sancta » (*Psal.* XLII). Eodem modo hic dictum est, *nescivit iniquus confusionem*, cui apud Hieremiam Dominus ait: « Frons mulieris meretricis facta est tibi,erubescere noluisti » (*Jer.* III).Jam ac si quæras quomodo vel quid agendo « Deus dedisti in luce judicium tuum,» ita subjungit: « Disperdidi gentes,et dissipati sunt angeli eorum.Desertas feci vias ejus, eo quod non sit qui transeat.Desolatæ sunt civitates eorum, non remanente **298** viro nec ullo habitatore. » Hoc,inquit,est judicium meum propter Sanctum quem polluerunt,et ita manifestum,ut jam nemo sit qui interroget, scientibus et videntibus cunctis quia disperdidi illos qui tam injuste egerunt; et non paucos, sed tanta multitudine, ut recte dixerim gentes,quia primum civitates omnes et subjectos pagos, tribus omnes, diversa confinia, tandemque ipsam metropolim Hierusalem disperdidi. Hoc est quod ait, « disperdidi gentes, et dissipati sunt anguli, » id est principes eorum, imo leones earum, lupi earum,sicut jam dictum est.Olim celeberrima civitas et templum, quo nihil erat in toto mundo augustius, quomodo frequentabantur, quomodo viæ ejus confluentibus turbis populorum stipabantur? At nunc *desertas fecit illas*,eo quod non sit *qui transeat*, et sicut in vero judicio dixi: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta » (*Matth.* XXIII), ita in vero judicio feci quod « desolatæ sunt civitates,non remanente viro nec ullo habitatore. » Nunquid autem hoc nimis properanter egi,et patientiam nullam exhibui? Imo « tacui,diu silui, patiens fui » (*Isai.* XLII). « Dixi: Attamen timebis me,suscipies disciplinam,et non peribit habitaculum ejus propter omnia in quibus visitavi eam. Verumtamen diluculo surgentes, corruperunt omnes cogitationes suas. » Sensus hic est: Misi prophetas meos consurgens diluculo, et ad pœnitentiam provocans, dixique: Feci quidem tibi hæc omnia, Hierusalem; sed feci ut timeres me, et susciperes disciplinam, et non periret habitaculum tuum, hoc est, templum, propter omnia scelera quæ gesseras. At econtrario habitatores Hierusalem, me eos ad pœnitentiam provocante,

quasi de industria et ex contentione diluculo surrexerunt, ut festinatione qua ad me redire debuerant, complerent omnes cogitationes suas et opere demonstrarent quod mente conceperant. Itaque quod ait, « dixi : Attamen timebis me, suscipies disciplinam, » quoniam non est factum quod dixit, cum significatione dubitantis intelligendum est, ac si diceret : Dixi : Forsitan *timebis me*, forsitan *suscipies disciplinam*, mandavi prophetis meis, dicens : Loquimini ad eum verba mea, forsitan audiet et timebit vel quiescet *et non peribit habitaculum ejus*, quod futurum est nisi timuerit me, nisi susceperit disciplinam. Solet enim Deus interdum loqui cum significatione dubitantis, cum apud eum nihil dubium sit. *Fili hominis*, ait ipse ad Ezechielem, « dices ad filios Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Si forte vel ipsi audiant, vel si forte quesciant, quoniam domus exasperans est » (*Ezech.* II) ; item : « Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant et timeant vel quiescant, quoniam irritatores sunt » (*Ibid.*). Quod autem ita, quasi dubius loquitur, condescensio est ad vel propter eos qui dubii sunt vel esse possunt nisi experiantur, nec judicia Dei justa venerantur nisi experimento didicerint, incorrigibiles eos fuisse quos sprevit aut judicavit Deus. Sequitur : « Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die tribulationis meæ in futurum, quia judicium meum, ut congregem gentes, et colligam regna. Et effundam super eos indignationem meam, et omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis labium electum ut invocent omnes nomen Domini et serviant ei humero uno. » Postquam supra impios et peccatores et illam quæ provocatrix merebatur dici Hierusalem severitatem justi judicii declamavit ; nunc tandem ad eam convertitur quæ habet aurem fidei, et ea quæ sunt gratiæ, quæ sunt misericordiæ, familiariter insinuat illi, quam vocat et filiam Sion, nuncupat Israel, nominat filiam Hierusalem, *lauda*, inquiens, « filiæ Sion, jubila Israel, lætare et exsulta in omni corde, filia Hierusalem, » et cætera usque in finem quæ ita concludit, « dabo enim vos in laudem, et in nomen omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus. Quapropter, » inquit, quoniam sicut in initio dixi, « congregans congregabo omnia a facie terræ, » id est « omnia traham ad meipsum » (*Joan.* XII), scilicet in die resurrectionis meæ, *postquam fuero exaltatus a terra* (*Ibid.*), et hæc omnia quæ dicta sunt faciam super eos qui me non exspectant, qui in me non credunt ; tu exspecta me, tu crede et spera in me, in die resurrectionis meæ in futurum, id est ex qua die resurgam a mortuis usque in diem novissimum, quia tunc faciam judicium, et hoc erit judicium meum, « ut congregem gentes, et colligam regna. Tunc enim sedebit Filius hominis in sede majestatis suæ, et venient omnes angeli cum eo, et congregabuntur ante eum omnes gentes » (*Matth* XXV). « Exspecta me in die resurrectionis meæ, » illuminatos habens oculos clara A et certa fide resurrectionis meæ, quam qui non credit, non est in die, sed in nocte. Exspecta me, memor illius dicti angelorum testium meorum, « sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum » (*Act.* I). Cum dicit, « ut congregem gentes, et colligam regna, » subauditur, a sinistris. Sequitur enim : « Et effundam super eos indignationem meam, et omnem iram furoris mei, » videlicet dum dicam eis : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus » (*Matth.* XXV). « In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra, » id est omnes impii qui cœlum non respicientes, cuncta terrena gesserunt opera, tam qui *sine lege* quam qui « in lege peccaverunt. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et quicunque in lege peccaverunt, per legem B judicabuntur » (*Rom.* II). Tu autem a dextris eris, cum hoc auditu : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi » (*Matth.* XXV), et tu eris tunc illa regina de qua dicebatur mihi : « Astitit regina a dextris tuis » (*Psal.* XLIV). « Quia tunc reddam populis labium electum, » tunc retribuam populis fructum labiorum nomini meo confitentium, quia videlicet nomini meo confiteri, hoc est, habere labium electum, labium mundum vitæ æternæ et cantici sempiterni, retributione dignum. In quo reddam illis ? In eo « ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei humero uno. » Num parva est ista redditio ? Aut nunquid parum est, illic invocare nomen Domini et servire Domino ? Imo magnum atque magnificum et omne exsuperans desiderium, illic est invocationis et servitii bonum. C Hoc Psalmista sciens cum dixisset : « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel » (*Psal.* CXXI), hoc subjunxit, *ad confitendum nomini Domini* (*Ibid.*), et magnificentius dicere non potuit, et in Apocalypsi unus de senioribus dicit Joanni : « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni ; ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus » (*Apoc.* VII). Igitur non ut ibidem littera sonat, regnum illud vel civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem Christianus vel spiritualis homo existimet aut existimare debet auro stratam gemmisque aut margaritis prostratam, quia videlicet non in auro aut lapidibus pretiosis, sed in confessione nominis Domini et in servitio ejus est D regnum Dei. Servitur autem illic servitio perfecto, quod mira brevitate propheta hic innuit, cum dicit, *humero uno*. Quidnam est *humero uno*, nisi corde indiviso ? Non ita hic in isto exsilio, ubi dispositi sumus ad serviendum eidem Domino. Multæ namque sunt hujus mundi varietates, et 299 animus mortalium, quamvis justorum atque perfectorum, vix una hora secum totus est. Non ergo aut esse potest hic, quod promittitur illic. Sciendum est autem et manifestius dicendum quæ causa faciat, ut possit illic serviri *humero uno*, humero indiviso. Quænam illa est ? Videlicet, quia civitatis illius, regni illius, rex et Dominus, unus et so-

lus est, unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus est indivisus et inseparabilis imperii rex, et hic idem ipse est, idem permanet incommutabilis substantiæ, et invariabilis animi est, et una semper trium personarum unius Dei voluntas est. Hinc indivisum imperium habet, quia indivisus et invariabilis ipse est, juxta illud ab ipso dictum : « Ego sum qui sum » (*Exod.* III). Proinde quod hic dicit, « ut invocent omnes nomen Domini, et servient ei humero uno, » nihil aliud esse arbitror quam quod fuerat in psalmo dictum, commutato duntaxat ordine sententiarum : « Cujus participatio ejus id idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini » (*Psal.* CXXI). Nam invocare nomen Domini, quid aliud est nisi confiteri nomini Domini. Et huic Domino *humero uno* servire, quid aliud est nisi « participatio ejus in idipsum ? » Sequitur : « Ultra flumina Æthiopiæ inde supplices mei filii dispersorum meorum deferent munus mihi. » Si ita dixisset : *Quia tunc reddam* populo meo *labium electum, ut* invocet *nomen Domini,* putaret ut contenderet Judæus de se tantummodo esse dictum, ut contendere solet, quasi Judæorum sit Deus tantum, et non etiam gentium. Nunc autem cum dicit, *reddam populis*, negare non potest quin et de aliis cura Deo sit, quod etiam aliunde jamdudum providerit sibi Deus confessores nominis sui, et ita est : nam *ultra* inquit, *flumina Æthiopiæ*, id est *in fines orbis terræ*, subauditur, exibit *sonus* prædicationis evangelicæ (*Psal.* XVIII), et inde, o filia, cui loquor, cui dico exspecta me, et cui protinus dicturus sum : « Lauda, filia Sion ; lætare et exsulta in omni corde, filia Hierusalem ; » deinde, inquam, de finibus terræ supplices mei, scilicet apostoli, deferent mihi munus dispersorum meorum, id est dispersos meos congregabunt in unum, quod mihi utique erit munus magnum. Hoc sciens evangelista, *cum esset*, inquit, « Caiphas pontifex anni illius prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum » (*Joan.* XI). Hoc tibi, o filia, pro magna consolatione dictum est : Quia si ex te exierunt, qui tui esse debuerunt, filii scelerati, semen nequam (*Isai.* I), nihilominus multiplicaberis, et in filiis lætaberis, qui profecto venient de longe, quod magnifice significatur, dicendo : *Ultra flumina Æthiopiæ*, non quod de sola debeant Æthiopia venire, cum per alium prophetam dixerim : « Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi » (*Isai.* XLIX), sed quo universitas gentium propter tenebras, in quibus erant, ignorantiæ, et propter persecutionem principum vel tyrannorum recte significetur, per impetus fluminum, et per nigredinem Æthiopiæ. Simul et plurimum laudis dat supplicibus suis quod transmeare debeant flumina Æthiopiæ, et deinde sibi *dispersorum suorum munus* deferre, id est omnium persequentium tyrannorum sævitiam exsuperare, et Ecclesiam sibi de gentibus adducere, secundum typum qui in eo

A præcessit, quod regina Saba venit a finibus terræ, audire sapientiam Salomonis (*III Reg.* X). Nunquid autem, o filia, semper nigri erunt illi Æthiopes supplices mei, aut tu semper Æthiopissa eris, ut sit semper unde erubescere possis? Imo audi quod sequitur : « In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me, quia nunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ, tuæ et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo. » Magna promissio, magna consolatio. Nunc interim antequam veniat dies ille, dies resurrectionis meæ, confunderis et non absque re, cum dicis et confiteris veraci confessione quidpiam tale, ut est illud Isaiæ : « Sicut pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ » (*Isai* LXIV). At vero in illa die ita non

B erit, præsertim ut fiet, quod nunc promitto tibi in prophetis et in Psalmis, quia « erit fons patens domui David, et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ » (*Zach.* XIII). Unde et David bona spe exsultans Spiritu sancto : *Asperges me*, inquit, « hyssopo, et mundabor ; lavabis me, et super nivem dealbabor » (*Psal.* L). Equidem, quamvis et alibi dicat : « Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur » (*Psal.* XXXVIII), tamen in præsenti vita, quamvis utitur mortali conditione, et nondum plenus est in te dies ille resurrectionis meæ, erubescis modo quodam, juxta illud : « Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus erubescitis nunc » (*Rom.* VI) ; sed ista confusio gloriam adducit, et ipsa omnino succedente gloria pertransibit. Cum enim venerit plenitudo illius diei, plenitudo meæ

C resurrectionis ; cum resurrexerint membra, sicut caput resurrexit, nunquid recordatio præteritæ nigredinis quidquam afferet confusionis. Imo locupletissima erit materia cantationis ipsa miseriarum recordatio, juxta illud : « Misericordias Domini in æternum cantabo » (*Psal.* LXXXIII). Nunquid vel alius quis improbrare poterit tibi, quod tu Æthiopissa fueris, vel mihi quod Æthiopissam uxorem duxerim ? Jam Mariam operuit candens lepra tanquam nix, et extra castra manet septem diebus, pro eo quod murmuravit contra Mosen, propter uxorem ejus Æthiopissam (*Num.* XII). Et, ut manifestius dicam, jam Synagogam immunditia suæ iniquitatis omni sæculo notam fecit, projectam non solum secundum animam de regno Dei, verum etiam se-

D cundum corpus de civitate et templo quondam Dei, et foris manet, mente et corpore dispersa secundum illud : *Disperge illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII), et donec pertranseant septem dies, id est donec plenitudo gentium subintroeat, non revocabitur in castra hæc, pro eo quod improperat tibi vel supplicibus tuis, quod Æthiopes fuerint, et mihi de talibus ego Ecclesiam conjunxerim. Quanto magis in plenitudine illius diei, in resurrectione universali, omne os obstructum erit ? Prædico tibi, « quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, » scilicet istos qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt in Synagoga Satanæ vere magniloqui et

superbi, in eo maxime, quod « suam quærentes statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti » (*Rom.* x), quæ videlicet superbia, sic tua superbia dicitur esse, quomodo illi dicuntur esse filii tui vel filii Abrahæ, et se unum patrem Deum dicunt habere (*Joan.* VIII) Hoc facto, « non adjicies altari amplius in monte sancto meo, » sed stabis in magno et æterno sanctæ humilitatis firmamento, sciens et perfecte cognoscens quod nunc *ex parte cognoscis*, (*I Cor.* XIII), et veraciter confiteris, quia de suis operibus nullus unquam potuit vel poterit in conspectu Dei justificari (*Psal.* CXLII). Imo « omnes peccaverunt, et egent gloria Dei » (*Rom.* III), et quod tunc probatione non indigebit, quia res manifesta erit. Auferentur magniloqui, et qui relinquentur ibi? Ait: « Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini reliquiæ Israel. » Sic magniloqui veraciter dicuntur et sunt, qui in semetipsis tanquam justi confidunt, et de operibus legis præsumunt, ita pauperes et egeni recte dicuntur et sunt, qui se peccatores esse cognoscunt, et nonnisi **300** per fidem Jesu Christi justificari se sentiunt. Talem populum ita pauperem, ita egenum, pauperem spiritu, scientem se egere vel eguisse gloria Dei, quæ est justificari gratis per fidem Jesu Christi (*Ibid.*), *derelinquam*, ait, *in medio tui*, ut venientes ab oriente et occidente recumbant in sinu Abrahæ, magniloquis illis filiis regni in tenebras exteriores ejectis (*Matth.* VIII). Fiet tamen quandoque ut sperent in nomine Domini *reliquiæ Israel*, scilicet *cum plenitudo gentium sub introierit* (*Rom.* XI). Quid erit illis sperare in nomine Domini, nisi deponere pertinaciam, qua se justificari arbitrantur ex operibus suis, et omnem justificationem credere in solo nomine Domini, in fide Jesu Christi? Sequitur: « Non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non invenietur in ore ejus lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur, et accubabunt et non erit qui exterreat. » Felix ille dies resurrectionis, in cujus plenitudine nec verbo nec opere quisquam peccabit. Magna et beata remuneratio omni animæ vel omni homini, qui nunc et si iniquitatem fecit, et mendacium locutus est, jam ulterius iniquitatem facere et mendacium loqui non vult. Magna, inquam, et beata remuneratio, quia nunc accipiet stabilitatem hanc, ut iniquitatem facere, ut mendacium loqui jam non possit; quippe ubi jam malam voluntatem habere non poterit beata anima Deo Creatori suo sociata vel conjuncta inseparabiliter per spiritum amoris æterni. « Lauda, filia Sion; jubila, Israel; lætare et exsulta in omni corde filia Hierusalem, » subauditur, hanc promissionem habens. Lauda Deum Patrem, et jubila Deo Filio, lætare et exsulta in Deo Spiritu sancto, quæ sancta Trinitas unus Deus est, unde accepisti quod es filia Sion, quod es Israel, quod es filia Hierusalem. Filia Sion per fidem, Israel per spem, filia Hierusalem per charitatem. « Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. » Vere pulchra, sed admodum occulta prædicatio sanctæ et individuæ Trinitatis. Dominus Deus Pater « judicium tuum abstulit; » rex Israel Dei Filius *inimicos tuos avertit*; Dominus Spiritus sanctus *in medio tui est*, et idcirco « non timebis malum ultra, » quia « quem nunc vides per speculum in ænigmate, tunc videbis facie ad faciem » (*I Cor.* XIII), « et mors ultra non erit » (*Apoc.* XXI), quæ fuit judicium tuum super omne genus humanum Adam peccante prolatum. « Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra quæ prima abierunt » (*Ibid.*). « In illa die dicetur Hierusalem. Noli timere, Sion; non dissolvantur manus tuæ; Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit. Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, exsultabit super te in laude. » Quam lætus Trinitatis amator animus hoc attendit, quod hic Spiritus sanctus per os prophetæ indubitabili veritate loquens, quasi tinnulam fidei tripudiat cantilenam, et jucunditatis suos modulos triplicat ut excitata audientis anima, jam per hæc verba meditando gustare, ut speculari incipiat, quod Deus suus sancta sit Trinitas, quam videlicet Trinitatem, quia tunc mundus nomen ejus, quod est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, portare non poterat: idcirco quærendum non est hic cur non ita propheta distinxit, sicut ipse in Evangelio suo Dominus deprompsit, dicendo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Ecce quatuor modis opus decantavit, quod circa nos agit, vel actura est indivisa unitas Trinitatis. Primo modo ita sonat, *vox exsultationis*, et revera *sonus epulantis. Lauda, filia* « Sion; jubila, Israel; lætare et exsulta in omni corde, filia Hierusalem. » Secundo autem sic: « Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos rex Israel, Dominus in medio tui. » Tertio vero ita: « In die illa dicetur Hierusalem: Noli timere, Sion; non dissolvantur manus tuæ, Dominus Deus in medio tui fortis ipse salvabit. » Quarto autem sic: « Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, exsultabit super te in laude. » Quam pulchre quatuor his modis variatur vox unius ejusdem laudis, trinis per singulos modos distincta clausulis. Quam pulchre, inquam, si consideres quia quatuor sunt, quæ in uno Christo pro maximo propter nos operata est unitas Trinitatis, quæ nescire non licet ulli animæ, quæ et Sion, et Israel, et Hierusalem sit digna nuncupari. Quæ sunt illa? Incarnatio, passio, resurrectio et ascensio. Incarnatio Trinitatis opus est, quia ut incarnaretur Filius, Pater illum misit. Ipse virginis uterum ingressus est, Spiritus sanctus illi verum corpus, veram carnem de carne virginis condidit, et cum anima rationabili carnem nostram verum hominem ut indueret, ipse effecit. Passio Trinitatis opus est, quia calicem illum, quem Pater dedit, Filius bibit, et *per Spiritum sanctum*, ait Apostolus, « sese hostiam obtulit, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis » (*Hebr.* IX). Resurrectio Trinitatis opus est, quia Pater, « exsur-

ge,gloria mea,» dixit;Filius « Exsurgam diluculo » (*Psal.* LVI) respondit;Spiritus sanctus, eadem die ex ore ejus in remissionem peccatorum processit insufflantis et dicentis:« Accipite Spiritum sanctum;quorum remiseritis peccata,remittuntur eis »(*Joan.*xx). Ascensio Trinitatis opus est,quia dixit Pater:«Sede a dextris meis » (*Psal.* CIX),Filius ascendit et sedit, Spiritus sanctus de illo consessu super discipulos veniens, « divisiones gratiarum » illis distribuit (*I Cor.*XII) Itaque pro eo,quia Deus homo factus est. « Lauda.Sion,jubila,Israel,lætare et exsulta in omni corde,filia Hierusalem,» quia inde tu, filia Sion, quod sicut Deus patribus promisit,ita Filium suum misit;inde tu,Israel,quia natura tua cum Dei Filio, Dei Verbo in unam personam assumpta, revera cum Deo directa est secundum nomen Israel ; inde tu,filia Hierusalem,quia per eamdem divinæ et humanæ naturæ conjunctionem,tu quæ de terra eras, cœlestibus in pace sociata es, et jam quidem per hoc ipsum,quod propter te passus est,judicium tuum judicium mortis abstulit, inimicos tuos avertit, scilicet malignos spiritus et ipsum principem mundi,quem foras misit,et illo foras misso,Dominus in medio est tui,et malum illud prævaricationis antiquæ,transgressionis paternæ,non timebis. Verumtamen est adhuc aliquid quod times,dum in corpore vivis,scilicet mors carnis et passiones corporis.Sed certum tibi est et esse debet, quia in illa die resurrectionis universalis dicetur tibi:« Noli timere,» videlicet,quia« mors ultra non erit »(*Apoc.*XXI),« non dissolvantur manus tuæ,» quia immutata et impassibilis facta eris.Porro gaudium quo gaudebit super te in lætitia,silentium quo silebit in dilectione tua, exsultatio qua exsultabit super te(*Isa.* LXI) in laude Trinitatis sancta,« oculus non vidit,auris non audivit,et in cor hominis non ascendit »(*I Cor.*II).Sequitur:« Nugas qui a lege recesserant,congrego,quia ex te erant,ut non ultra habeas super eos opprobrium.» Nugas dixit nugaces homines,videlicet, qui Dominum ipsum, de quo hic sermo est, sicut Sapientia testatur,calumniantur,dicentes:« Quoniam dissimilis est aliis vita illius,et immutatæ sunt viæ illius » (*Sap.*II).Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo,et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis. Ejusmodi « nugas,» inquit,illos nugaces,« qui a lege recesserant,» dicentes « adversus Dominum, et adversus Christum ejus:Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum »(*Psal.*II). **301** « Congregabo,quia ex te erant,» id est «in fasciculos ad comburendum alligabo»,*Matth.*XIII),et manus judicium portabunt propter hoc ipsum, *quia ex te erant*,quia legem acceperant, quia semen Abrahæ erant,quia Israelitæ erant,quia ministri Christi erant, unde et opprobrio tibi fuerunt,et propter eos blasphematum est nomen meum. *Congregabo*, eos, *ut non ultra habeas super eis opprobrium*,ut non ultra in comparatione tui justificet se Sodoma(*Ezech.* XVI)sive Gomorrha, neque dicat mare, ut Sidon erubescat (*Isa.* XXIII),quod nimirum dicit, quoties manifesta gentilitas tibi propter aliquos,qui in te gentiliter vivunt,insultant.« Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo. » Non eos tantum qui « ex te erant » et ex te exierunt,imo ex te non erant, sicut quidam tuorum dicit:« Ex nobis exierunt,sed non erant ex nobis » (*I Joan.*II).Non, inquam, illos tantum,sed et « omnes qui te afflixerunt,» sive in lege,sive sine lege peccantes,» interficiam in tempore illo,» eos « qui in lege peccaverunt » (*Rom.*II), per legem judicando, et«eos qui sine lege peccaverunt » (*ibid.*),sine lege perditione dando. «Et salvabo claudicantem,et eam quæ ejecta erat,congregabo,et ponam eos in laudem et in nomen,in omni terra confusionis eorum in tempore illo quo adducam vos,et in tempore quo congregabo vos.» Magna dignatio,quam omnes novimus,excelsi Domini,qui juxta illud Psalmistæ : « Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit,et alta a longe cognoscit,et fecit, » et facit (*Psal.*CXXXVII). Nam « videte, » inquit,« vocationem vestram,fratres,quia non multi sapientes secundum carnem,non multi potentes ; sed quæ stulta sunt mundi,elegit Deus,ut confundat sapientes,et infirma mundi elegit Deus,ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et quæ non sunt,ut ea quæ sunt destrueret » (*I Cor.* I). » Quia aliud hic placet,dum dicit:«Et salvabo claudicantem, et eam quæ ejecta erat congregabo?« Nam per claudicantem et ejectam cuncta infirma sive impotentia,cuncta stulta,et ignobilia,et contemptibilia,recte propheticus sermo designat.« Salvabo,» inquit,«et congregabo » hujusmodi,«et ponam eos in laudem, et in nomen, et in omni terra confusionis eorum, » id est faciam eos laudabiles atque nominatos illic, ubi erant sine nomine, ut videbantur illaudabiles, videlicet confundendo per ipsos, et destruendo sapientes,fortes atque potentes illos, quorum in oculis habebantur ignobiles, et videbantur contemptibiles.Hoc,inquam,faciam « in tempore illo,quo adducam vos,et in tempore quo congregabo vos, » id est non solum in futuro, verum etiam in præsenti sæculo faciam nominatos,et inclytos illos de humilitate vocatos principes vestros,ita ut sicut ad Moysen dixit:« Ecce constitui te deum Pharaonis, ita et isti dii terræ dicantur » (*Exod.*VII), et sint, juxta illud Davidicum:« Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham,quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt » (*Psal.* XLVI).» Dabo enim vos in nomen,et in laudem omnibus populis terræ,cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris,dicit Dominus. » Omnes populos terræ hic intelligimus electos de omnibus populis terræ,qui dicunt in Apocalypsi,« et redemisti nos Deo, et omni tribu, et lingua,et populo,et natione »(*Apoc.*V). Quos istos vel quod ob meritum, daturum se promittit *eos in nomen et in laudem*, cum converterit captivitatem ipsorum coram oculis eorum ? Nimirum illos, quos jam diximus *principes populorum*, quorum labore et industria, cooperante eis Dei gratia, factum est et fit hoc ipsum quod convertitur et convertetur captivitas eorum coram oculis eorum,

quæ videlicet conversio captivitatis nunc inchoata, tunc perfecta erit, « quando resurgent mortui, » et constituentur a dextris, mox percepturi « regnum quod paratum est eis ab origine mundi » (*Matth.* xxv). Magnum conversæ captivitatis spectaculum ipsorum quondam captivorum et magna præsentis admiratio felicitatis apud ipsos recolentes magnitudinem transactæ miseriæ præteritæ captivitatis. Proinde cum dixisset, « cum convertero captivitatem vestram, » magnifice addit, « coram oculis vestris. » Tunc isti principes, vel patres, sive apostoli, et quicunque convertendæ hujus captivitatis adjutores fuerunt vel sunt, *in nomen et in laudem*, id est nominati et laudabiles eisdem erunt quos audierunt, ut converteretur captivitas eorum, et valde justo ordine principes vel patres, imo et salvatores post Deum illos se habere gaudebunt. Hæc omnia « dicit Dominus, » subauditur, qui non mentitur, et cujus omnia dicta necessario implebuntur. « Cœlum enim, » inquit, « et terra transibunt, verba autem mea non transibunt » (*Matth.* xxiv).

PROLOGUS RUPERTI IN AGGÆUM PROPHETAM

302 Aggæus decimus est in ordine duodecim prophetarum. Spiritus sanctus qui per os prophetarum loquebatur præsagio signari voluit nomine, ut vocaretur Aggæus, videlicet, secundum negotium, de quo per os ejus erat locuturus. Hoc namque nomen Aggæus interpretatur *festivus*, et magnam utique festivitatem prospiciebat ejus oculus, dum ista loqueretur quæ nunc habemus in manibus, dum diceret per eum Dominus : « Populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ (Agg. i), » et dum jubente Domino interrogaret sacerdotes, dicens : « Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur ? Et si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminatur ? » (Agg. ii.) Hæc et cætera hujusmodi dicta sive interrogata, qui intelligit, cur scribi digna fuerint, profecto magnam et dignam sentit causam hujus quoque nominis Aggæi, id est *festivi*, nec dubitat quin tale vocabulum sortitus ille fuerit nutu Dei qui « quos præscivit sanctos, et prædestinavit illos et vocavit, justificavit, et magnificavit (Rom. viii) » Nunquid enim festivitatis alia non erat in corde prophetali, nisi lætitia qualem habebat vel habere poterat cum plebe, de illa reædificatione templi manufacti, iterum contaminandi, iterum irrecuperabiliter arsuri ? Equidem fuerit ejusdem templi reædificatio, quam præsens videbat, materia magnæ festivitatis, verumtamen non secundum se sed propter omnium sanctorum et angelorum, et hominum festivitatem Christum, quia futurum erat, et reædificato templo, muri quoque civitatis post modum reædificarentur, et rursus civitas habitaretur, et, reædificata civitate, rursus coalescere in terra populus, unde Christus servata veritate promissionis, quæ ad Abraham et ad David facta et juramento firmata fuerat, nasceretur. Igitur omnia, quæ hic loquitur Aggæus, sic, adjuvante Spiritu sancto, suscipimus, ut eum omnino in Christum tendere non dubitemus. Et tunc demum nos quoque Aggæi, id est *festivi*, quodammodo dici vel esse poterimus, videlicet contemplando idipsum, quod iste contemplaturus, divino utique præsagio vocatus est Aggæus.

IN AGGÆUM PROPHETAM
COMMENTARIORUM LIBER UNUS

303 Cap. I. — « In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, et Jesum filium Josedech sacerdotem magnum dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicentis : Nunquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ita deserta ? » Primo illud operæ pretium est quod, sicut Nabuchodonosor in sanctis propheticis scripturis diabolo assimilatur vel similis demonstratur, ob eam causam qua populum Dei captivum de Hierusalem in Babylonem adduxit secundum similitudinem diaboli, qui genus humanum in primis parentibus de paradiso in hunc modum captivavit; ita Zorobabel et Jesus filius Josedech, et cæteri filii transmigrationis, qui ascendentes de Babylone templum et civitatem Dei reædificaverunt, illos significaverunt patres, sive patriarchas et populum, nec solum significaverunt, verum etiam pars eorum fuerunt, qui de hoc mundo tendentes ad Deum, hoc meruerunt, ut de carne ipsorum nasceretur Christus, templumque non manufactum. Nam sicut templum illud a filiis captivitatis ædificatum est, ita Christus de patribus confitentibus quod « peregrini et hospites » essent « super terram » (*Hebr.* xi), natus est. Unde et corpus suum templum ipse nuncupavit. « Solvite, » inquiens, « templum hoc, et post triduum excitabo illud » (*Joan.* ii). Nam hoc « dicebat, » ait evangelista, « de templo corporis sui » (*ibid.*). Cum igitur hic ita dicit : « Factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ ad Zo-

robabel filium Salathiel ducem Juda, et Jesum filium Josedech sacerdotem magnum, dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, » et, hoc dicto, nihil amplius addit nisi rursus præmisso, *et factum est verbum Domini in manu Aggæi*, profecto hoc ipsum, « populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. » Tale oportet intelligi quale non potuisset sciri, nisi per verbum Domini, quale Aggæus scire non posset, nisi propheta esset, nisi ad eum vel in manu ejus verbum Domini factum fuisset. Et quod illud est, nisi quod hodieque audiemus et videmus? Nam populus iste notabilis, et publica captivitate notatus et notus, populus Judaicus dicit, quia Messias nondum venit, *tempus ædificandæ domus Dei nondum venit*. Nos autem dicimus, credimus, propter quod et loquimur, quia tempus jamdudum venit, jamdudum templum hoc ædificatum est, et *in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II), et hoc de carne Mariæ virginis ædificatum est. Non, inquiunt, ille fuit Messias nec est, qui de Maria natus est, veniet alius, eum exspectamus adhuc. Dum hoc *populus iste dicit*, nonne sacrilegium facit? Mendacem quippe facit patriarcham et patrem suum dicentem : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est » (*Gen.* XLIX). Si verum ille dixit, imo quia verum dixit, ubi ablatum est sceptrum de Juda, regnante Herode alienigena, qui patre Idumæo, et matre ortus erat Arabica. Jam tunc erat adventus Messiæ, quod *tempus*, ut jam dictum est, *erat domus Domini ædificandæ*, de qua et in parabolis dictum est : « Sapientia ædificavit sibi domum, scidit columnas septem » (*Prov.* IX). Hoc animadverso constat profecto quia non vane, quia non absque propheticæ auctoritatis dignitate præmissus est, « factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ. Hæc ait Dominus exercituum, dicens; » et tunc demum brevis iste sermo subjunctus est : « Populus iste dicit. Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ » In paucis quippe verbis magnum istius populi malum signabatur, quod videlicet viventem Christum non suscepturus, aliumque foret exspectaturus. Unde et ipse loquitur : « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis » (*Joan.* V). Ecce aliud : « Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: Nunquid tempus est vobis ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? » Et hoc nimirum quod ait : « Nunquid vobis tempus est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta, » **304** tam magnum est, et ita magnifice intelligi debet ut dignum sit verbo Domini et ore prophetali, quoniam edictum est præmissa tali enuntiatione, « et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ. » Et revera magnum et magnæ est stultitiæ mendacium, quod *populus iste*, cum *dicit nondum* venisse *tempus ædificandæ domus Domini*, contendit nihilominus *tempus* sibi esse *ut habitet in domibus laqueatis*, id est cum Christum neget venisse, nihilominus asserat

A paradisi vel regni Dei mansiones jam a patribus possideri, et sibi hæreditatem illam omnino deberi. Veritas enim ita se habet, quod nulli regni cœlorum aditus patere potuisset nisi per adventum Christi, et quod « non sit in alio aliquo salus, aut aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (*Act.* IV). Interroga Judæum, in quo vel unde confidat salvari vel paradisum ingredi, si Christus non venit. Et respondet tibi, quod per Abraham vel per justitiam suam factus sit aptus regno Dei. Ergo, inquit propheta, *domus ista deserta*, id est adventus Christi nulla est gratia, nulla est utilitas. Utquid enim Christus promissus fuit aut venire debuit, si absque adventu ejus homo per justitiam salvari potuit ? Igitur unde apud prophetam arguitur po-
B pulus iste, dicendo : « Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas quæ non valent aquam continere » (*Jer.* II). Inde et hic arguitur ænigmatice, dicendo : « Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, » et « nunquid vobis tempus est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta ? » Unum quippe malum est, negare Christum venisse ; aliud, domos sive mansiones regni Dei sibi vel patribus suis arrogare, et ad hoc, ut in illas mansiones inducerentur sancti, adventum Christi non necessarium reputare. Sciendum autem, propter istam domum non manufactum, propter incarnationem Verbi Dei Filii Dei futuram, reædificationem illius manufactæ domus fuisse necessariam. Si enim domus illa et ci-
C vitas reædificata, et gens restituta non fuisset, unde promissio vel adventus Christi, vel propositum ejus adimpleretur, præsertim cum per alios prophetas dixisset: « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem » (*Isai.* II). Unde et si tunc temporis non intelligebantur quæ nunc in istis prophetæ verbis intelligimus, attamen nonnihil conferebat ipse carnis sensus, quo eadem verba intelligentes, ad ædificandam domum illam accendebantur. Unde et in libro Esdræ scriptum est: « Et non fiebat opus usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum. Prophetaverunt autem Aggæus propheta, et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Hierusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedech, et cœperunt ædificare templum Dei in Hierusa-
D lem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos » (*I Esdr.* V). Verumtamen quod populus ille tunc temporis dixerit, « nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, » ex eadem Scriptura Esdræ non comprobatur, imo *omnis*, inquit « populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini » (*I Esdr.* III). Hoc tamen quibusdam eorum displicebat et fletum incutiebat, quod minus fiebat quam fuerat. Siquidem ut Josephus (*De antiq.*, lib. XV, c. 11) quoque meminit, cum fuisset altitudinis cubitorum centum viginti, reædificatum est in altitudine cubitorum sexaginta ex præcepto Darii, quod tandem Herodes in antiquam magnitudinem

reformavit. *Plurimi*, inquit Esdras, « de sacerdotibus et levitis, et principes patrum et seniores, qui viderant templum priusquam fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna, et multi vociferantes in lætitia elevabant vocem, nec poterat quisqam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi » (*I Esdr.* III) Unde ergo secundum litteram dictum esse constabit : « « Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. » Igitur quomodocunque tunc res sese habuerit, nos ut cœpimus, sic intelligere curemus, tanquam verbum Domini, tanquam prophetiam tendentem quo omnes prophetæ intendunt in tempora vel sacramenta Christi. Sequitur : « Et nunc hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum. Comedistis et non estis satiati. Bibistis et non estis inebriati. Operuistis vos, et non estis calefacti. Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. » Et hæc ut littera sonat, non facile probantur ex historiis; quia videlicet, quod intermissum est opus, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii, « hoc egerunt hostes Judæ et Benjamin, » quia « conduxerunt adversum eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum » (*I Esdr.* IV). Si invito populo Dei opus intermissum est, quomodo illa intermissio pro crimine reputatur ei, et vindicatur in eum sterilitate terræ, et defectu potus atque ciborum, et calefactionis, sive vestium? Itaque, sicut jam dictum, quomodocunque tunc se res habuerit, spiritualiter, ut cœptum est, intelligere curemus verba Spiritus sancti. O Judæi, qui in utroque peccatis, et in eo quod dicitis, *nondum est tempus domus Domini ædificandæ*, quod est dicere, nondum est tempus adventus Christi (*Joan.* IV) et in eo quod habitare præsumitis *in domibus laqueatis, domus* autem *ista deserta*, quod est confidere in operibus legis, tanquam Christi gratia vobis ad salutem non sit necessaria. *Ponite corda vestra super vias vestras* ; considerate diligenter operationes sive actiones vestras. Denique hoc pacto vobis contigit, sicut illi qui seminavit multum et intulit parum, et sicut illi qui comedit et non est saturatus, sicut illi qui bibit et non est inebriatus, sicut illi qui operuit se et non est calefactus, sicut illi « qui mercedes congregavit et misit eas in sacculum pertusum. » Seminastis quippe multam salutem. Nam *salus ex Judæis est* (*Joan.* IV), sed *intulistis parum*, quia videlicet quidquid ex patribus habere potuistis, parum est, imo nihil confert non suscipientibus semen benedictionis Christum. *Comedistis, et non estis satiati* ; quia videlicet paleam sectantes litteræ occidentis, non attigistis granum spiritus vivificantis (*II Cor.* III), « Bibistis, et non estis inebriati ; » quia legentes non intellexistis, nolentes interesse nuptiis Dominicæ incarnationis, ubi de aqua vinum fit « Operuistis vos, et non estis calefacti. » id est præclaris nominibus patrum, et sacerdotio legis adornati, et exteriori religione vestiti, nihilominus quam gentes frigidi permansistis non habentes dilectionem Dei in vobis. Et *qui* ex vobis

A *mercedes congregavit*, id est qui aliqua operatus est secundum præcepta legis, sic perdidit, quomodo *qui mercedes misit in sacculum pertusum*, quia profecto absque fide Christi nihil opera possunt. « Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate lignum, et ædificate domum, et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. » Cum jam domus ista, quam dicimus domus vel templum corporis, « in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis » (*Coloss.* II), ædificatum sit, quomodo adhuc dicitur vel dicendum est populo isti ex imperio Domini exercituum, « ascendite in montem, portate **305** lignum, et ædificate domum? » Quomodo, inquam, nisi ac si dicatur, credite venisse Christum, credite in crucifixum, credite illum resurrexisse, et ascendisse in cœlum. Denique illi quidem

B primi ædificaverunt hanc domum, qui promissiones acceperunt, « et ex quibus ipse Christus est secundum carnem » (*Rom.* IX), sed non quoque posteriores, quotiescunque prædicamus, vel recitamus librum generationis ejusdem Jesu Christi filii David, filii Abraham, et in summo ejusdem generationis vertice Jesum qui de Maria natus est, testificamur esse Christum, profecto ascendimus in montem qui juxta visionem Danielis implevit orbem terrarum (*Dan.* II), et in quantum vel ipsi credendo, vel aliis prædicando credentium facimus crescere numerum, in tantum portamus lignum, ædificamus domum, et hujusmodi ædificatio sive domus « acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, et

C ecce factum est minus, et intulistis in domum, et exsufflavi illud. » Non facitis, o Judæi, quod mandavi vobis, ut optetis justificari per fidem Jesu Christi, sed *respexistis ad amplius*, id est, voluistis justificari ex operibus, quasi opus vestrum sit amplius quam fides ejus, *et ecce factum est minus*, quod ex eo satis patet, quia quidquid operum *intulistis in domum, exsuflavi illud*, et dispersum est, sicut exsufflante aliquo dispergitur pulvis exiguus, et vos quoque cum operibus vestris eadem exsufflatione in omnes gentes dispersi estis « Quam ob causam dicit Dominus exercituum ? Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam, propter hoc prohibiti sunt super vos cœli, ne darent rorem, et terra prohibita est, ne daret germen suum, et vocavi

D siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcunque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum. » Hæc, ut supra diximus, secundum litteram accidisse, difficile ex historiis comprobatur, videlicet quod populis dixerit, *nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*, et quod idcirco *prohibiti* sint *cœli ne darent rorem, et terra ne daret germen suum.* Nam ut Esdras memorat et diligenter enarrat, cum alacritate magna opus faciebant simul laudantes Dominum, et concinentes in hymnis et confessione : « Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel,

donec per accusationem hostium Judæ et Benjamin actum est, ut opus intermitteretur, ut jam supra meminimus (*I Esd.* III). Non ergo causa manifesta est, cur ex die, qua opus intermissum est, sterilitas terræ, vel siccitas juste illis accidere debuerit, nisi quod satis credibile est, quia prohibiti ædificare domum Domini, nimis cito prohibentibus acquieverunt, et circa ædificationem domus Domini negligentes atque socordes effecti sunt, gaudentes quod per hanc occasionem vacaret cuique suam domum ædificare ad habitandum. Cæterum quomodocunque tunc actum sit, nos Aggæum prophetam esse scimus unum de prophetis, per quos utique locutus est Spiritus sanctus, et idcirco sub verbis, quibus præsentes excitabantur et confortabantur, mysteria futurorum prophetico more illum signasse non dubitamus. Cœpto igitur modo persequamur. « Quam ab causam, dicit Dominus exercituum, » vobis respicientibus ad amplius, « ecce factum est minus, » et cum hoc ipsum inferretis in domum, « exsufflavi illud. » Quam ob causam odi et projeci festivitates vestras? (*Isai.* I.) Videlicet « quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam, » id est, quia vos non quæritis justificari per Christum, cujus solum corpus justitiæ domus est, et totius Divinitatis templum, et ejus justitiæ non subjecti, festinatis unusquisque statuere justitiam (*Coloss.* II; *Rom.* x). « Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, » prohibiti sunt apostoli apud vos perdere sermonem, *et terra*, scilicet Ecclesia, per orbem terrarum diffusa *prohibita est* dare *germen suum*, prohibita est vobis ingerere Evangelium, non quod debeat salutem vestram cupere, sed quod non valeat nolentibus vobis ad salutem proficere, *et vocavi siccitatem.* Et sicut per alium dicit prophetam: Nubibus mandavi, ne super vos quondam vineam meam pluant imbrem (*Isa.* v). Sequitur: « Et audivit Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedech sacerdos magnus, et omnes reliqui populi vocem Domini Dei sui, et verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus vocem eorum ad ipsos, et timuit populus a facie Domini. Et dixit Aggæus nuntius Domini, de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum, dicit Dominus. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel ducis Juda, et spiritum Jesu filii Josedech sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo, et ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui, in die vicesima quarta et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis. » Manifestis non est immorandum. Verumtamen hic non prætereundum, duos homines Zorobabel et Jesum sacerdotem magnum, qui templum illud manufactum reædificaverunt quoddam exemplar exstitisse omnibus, qui templi non manufacti, scilicet corporis Christi fidem susceperunt, suscipiunt et suscepturi sunt. Denique alter illorum, videlicet *Zorobabel filius Salathiel*, qui filius Jechoniæ fuit, de tribu erat regali. *Jesus* vero *filius Josedech sacerdos* de stirpe sacerdotali. Nonne et omnes, qui ad spirituale tendunt vel pertingunt, templi non manufacturi corporis Christi, et sacerdotis et regis, sacerdotes et reges sunt? « Vos autem, » inquit Petrus, « genus electum, regale sacerdotium » (*I Petr.* II): Et in Apocalypsi gratiarum actionis ipsorum vox ista est: « Fecisti » enim « nos Deo nostro regnum et sacerdotes » (*Apoc.* v). Sed et hoc quod in sexto mense ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini, pro ipsa perfectione numeri senarii reminisci nos facit quod angelus ad Mariam dixit, ubi ingrediebatur in uterum Virginis Verbum Deus, sapientia Dei, domum de carne ejus mox ædificatura sibi. « Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis » (*Luc.* I). Forte et hic mensis sextus anni secundi Darii, quo ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini, et illic mensis sextus a conceptione Joannis, quo concipiente Virgine de Spiritu sancto, inchoatum est templum corporis Dominici, lectorem delectat propter perfectionem; ut jam dictum est, numeri senarii qui constat ex partibus suis. Est enim dimidium ejus ternarius, tertia pars binarius, sexta unitas, quæ videlicet partes simul junctæ senarium perficiunt. Ejusmodi numeros, qui valde rari sunt, arithmetici perfectos dicunt. Ex ipso igitur numero commoniti, libenter hic quoque prædicamus, quia perfectius inter cuncta opera mundi nihil templo corporis Christi, quod ædificatum est in absolutione captivitatis generis humani secundum typum templi illius manufacti, quod ædificatum est in absolutione captivitatis populi Dei qui de Babylone rediit.

Cap. II.— Sequitur: « In septimo mense, vicesima et prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, et ad Jesum filium Josedech sacerdotem magnum, et ad reliquos populi dicens: Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? **306** Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, et confortare Jesu filii Josedech, sacerdos magne, et confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum. Verbum quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti, et spiritus meus erit in medio vestrum. Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. » Totum hoc capitulum simul posuimus, ut quo nam per se satis patet litteralis sensus, totius ad delectationem latentis in ea mysterii diligens pertingat animus. Nimirum quando, ut supra jam dictum, monuimus, fundatum est templum Domini. « Plurimi, » inquit Esdras, « etiam de sacerdotibus et levitis, et principes patrum, et seniores, qui viderant

templum » antequam « fundatum esset, et hoc in oculis eorum, flebant voce magna, et multi vociferantes, in lætitia elevabant vocem » suam, « nec poterat quisquam agnoscere vocem, clamoris lætantium, et vocem fletus populi » (*I Esdr.* III). Causa hæc fuit, ut diceret Dominus. « Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quis vos videtis hanc nunc? Nunquid non ista est, quasi non sit in oculis vestris? » Fiebat enim fere templum dimidio minus quam fuerat prius. Hoc prospiciens sive intendens, « magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, » id est peccatorum remissionem, « dicit Dominus exercituum. » Equidem Herodes templum illud, quoniam erat priore minus, deposuit, et in antiquam magnitudinem reformavit, multis et magnis ædificiis decoravit, sed hoc nunquam Dominus exercituum pro gloria reputare sit dignatus, quod homo funestus, rex impius operatus est exæquari vel etiam præferri contendens regi magnæ opinionis, et sapientissimo Salomoni (JOSEPH. *Antiq.* lib. XV, cap. fin.). Gloria illa gloria vera fuit loco vel templo illi, quod in eo Deus homo factus, offerri est dignatus secundum consuetudinem legis dicentis: « Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur » (*Luc.* II), et quod in illo loco, in civitate illa, ante portas urbis pro omni mundo crucifixus, pacem, id est, peccatorum remissionem dedit credentibus, et his qui prope erant Judæis, et his qui longe erant gentibus (*Ephes.* II). Nunc illud dicere libet, quia quorum in oculis domus quæ fundabatur, sic erat quasi non esset, qui viderant illam in gloria sua prima, *flebant voce magna*, vociferantibus in lætitia junioribus, qui priorem illam non viderant, nonnullam similitudinem prætulerunt eorum, qui tempore evangelicæ prædicationis credentes, ex circumcisione grandem excitaverunt tumultum, et eos qui crediderunt ex gentibus, turbaverunt, sicut habemus in Actibus apostolorum (*Act.* XII, XIV). Domus quippe novissima sic erat, quasi non esset in oculis eorum, in comparatione ejus, quam prius viderunt, id est fides Christi, et ritus sacrificii novi, veri sacrificii, cujus ipse Christus auctor, est « sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech » (*Psal.* CIX), non valere ad salutem illis visus est, nisi circumciderentur, et omnem observarent morem, quem tradidit Moses (*Act.* XV). Sed quid dicit sermo propheticus? « Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, et confortare Jesu fili Josedech sacerdos magne, et confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum, et facite quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum. » Sicut dixit, ita factum, est, quoniam confortatus est omnis in quo erat Dominus exercituum Spiritus paracletus, etenim discipuli gaudio et consolatione sancti Spiritus replebantur, et in eo quod quotidie crescebat et augebatur credentium numerus, fiebat quotidie, et fit, et fiet usque in finem sæculi, quod dictum est: « magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ. » Ejusdem gloriæ summum erit illud quod ait: « Adhuc unum modicum, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus. » Magna erit illa motio, gloriosa erit illius desiderati visio. Hinc ipse dicit: « Et erunt signa in sole et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate » (*Luc.* XXI). Et tunc sine dubio plena et perfecta erit gloria domus hujus novissimæ Christi et Ecclesiæ. Proinde cum dixisset, « et veniet desideratus cunctis gentibus » ita subjunxit, « et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. » Interim gloria nondum perfecta est, quia *gloriamur*, inquit Apostolus, nondum in re, sed *in spe gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* V). Ibi erit plenus fidei fructus, quia spiritualiter egressi sumus de terra Ægypti, credentes in Christum, et Spiritu sancto in baptismate signati, hoc ipse promittens, « verbum, » inquit, « quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti, et spiritus meus erit in medio vestrum. » Videbitis sicut est (*I Joan.* III), videbitis *facie ad faciem*, evacuato *quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Quod toties repetit, *dicit Dominus exercituum*, nullum legenti vel audienti parere debet fastidium, imo facere attentum, docilem, et benevolum auditorem, ut sentiat magnam esse quam audit, et dignam promissore Deo remunerationem. « In vicesima et quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens: « Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt: Contaminabitur. Et respondit Aggæus, et dixit: Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum, et omnia quæ obtulerunt ei, contaminata erunt. » Ecce hic tertio factum est ad Aggæum verbum Domini, pulchrum et delectabile fidei mysterium, sua interrogatione innuit, quod nonnisi fidelis et evangelicæ gratia studiosus animadvertere possit. Denique prima responsione, qua interroganti Domino, sive prophetæ, « si tulerit homo carnem sanctificatam, in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? » Respondent sacerdotes, dicentes: *Non.* Convincuntur et judicantur ex ore suo Judæi cum sacerdotibus suis, quod ex lege non possunt justificari. Quis enim fuit homo, qui sanctificatam carnem absconditam, et calligatam tulit in ora vestimenti sui, nisi Moses, qui sacrosanctæ carnis et

passionis Christi sacramenta sub velamine legis abscondit? **307** Hoc denique est quod in sancta Ecclesia ubique prædicatur, quod in omnibus Ecclesiis Apostolus et omnis docet discipulorum Christi chorus, quia quidquid cæremoniarum in immolatione agni paschalis, et in cæteris Moses tradidit, aut scripsit, typus fuit salutiferæ passionis Christi. Itaque dare legem ejusmodi, sine dubio *carnem sanctificatam* fuit ferre *in ora vestimenti*, et ejusdem legis littera populum in cibis et potibus instruere. Hoc fuit « de summitate vestimenti panem aut pulmentum, aut vinum, aut oleum aut omnem cibum » tangere. Sed nunquid sanctificabitur quidpiam, talium tactum *de summitate vestimenti*, cujus in ora caro sanctificata portatur? Non, inquiunt, sacerdotes legem scientes, et quod, dicunt verum est. Igitur nec vos, o Judæi, nec patres vestri de lege sanctificati estis, quia quid est lex, nisi vestimentum aut pannus, cujus in ora caro sanctificata, caro Christi portatur, id est figuratur? Secunda responsione, qua interroganti Domino, « si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his nunquid contaminabitur? » respondent sacerdotes et dicunt: *contaminabitur*, sine dubio convincuntur et judicantur ex ore suo Judæi cum sacerdotibus suis, quod tam immundi sint, ut contaminetur omnis homo, quicunque communicat eorum cæremoniis. Quis enim est pollutus in anima, id est in morte hominis, nisi Judaicus populus, qui mediatorem Dei et hominum Jesum Christum (*I Tim.* II) occidit, et eumdem nunc iste blasphemare non desinit? Igitur « sic, » inquit, « populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, » subauditur, non est sanctificatus ex lege quam Moses dedit. Sicut non sanctificatur panis aut pulmentum tactum de summitate vestimenti, cujus « in ora carnem sanctificatam homo tulerit, et sic omne opus manuum eorum, et omnia quæ » obtulerint ibi videlicet in Synagoga vel cœtu suo, ubi in anima, id est, in morte polluentur Christi, « contaminata erunt, » sicut jamdudum per Isaiam dixi: « Ne afferatis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi: Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea » (*Isa.* I). Sequitur: « Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini cum accederetis ad acervum viginti modiorum et fierent decem, intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fierent viginti. Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum, et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus. » Et ad hoc, ut littera sonat, ex historiis demonstrare non possumus, quod propter dilationem sive intermissionem operis, domus Domini sic evenerit, quemadmodum dicit: « Percussi vos vento urente, et aurigine, et grandine, omnia opera manuum vestrarum, » et quod tunc temporis ita duri, et in malo pertinaces fuerint, ut inde loquatur tanta conquestione, « et non fuit in vobis qui reverteretur ad me. » Ergo potius huc respiciamus, quo nos mittit, dicendo ante hæc, « et sic omne opus manuum eorum, et omnia quæ obtulerint, ibi contaminata erunt. » Quo enim mittit nos dicendo, *ibi*, nisi ad hæc tempora, ubi sine dubio pollutus est Judæus in anima, sicut jam dictum est, in morte Christi Jesu, quem occidendo factus est homicida, et idcirco cuncta quæ offert, sunt contaminata? Ibidem prophetiæ spiritum ista quoque non dubitemus dicere, et in hoc dicto perseverare usque hodie. « Et nunc, » inquit, « ponite corda vestra a die hac et supra antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. » Dies antequam ponatur lapis super lapidem in templo Domini, omne tempus est quod nunc præterit antequam velint Judæi superædificari, « tanquam lapides vivi » (*I Petr.* II), in domo vel templo, quod est Ecclesia Christi, quod futurum est, cum plenitudo gentium subintraverit (*Rom.* XI), vel superædificata fuerit. Culpa incredulitatis eorum, propter quam omnia quæ offerunt contaminata sunt, et erunt quandiu fuerint ibi, scilicet in pollutione, qua in anima ejus quem occiderunt sunt polluti; culpa, inquam, incredulitatis eorum pulchre et subtiliter innuitur his verbis mysticis: « Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem, intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas et fierent viginti. » Quando enim Judæi accesserunt *ad acervum*, et *ad torcular* intraverunt, nisi quando Christum de semetipsis primogenitum, prædicantem audierunt, moriendo viderunt? Ipse est enim acervus *modiorum viginti*, qui numerius binarius decennus est, quia videlicet non unius tantum, sed geminæ substantiæ est, non homo tantum, sed Deus et homo est, et Ecclesia quoque ejus acervus est, sicut eidem dicit ipse in Canticis: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis* (*Cant.* VII). Sed non dicit, quod acervus ille viginti modiorum sit. Iste solus viginti modiorum acervus est, quia, sicut jam diximus, geminæ substantiæ est, Deus et homo est. Sed vos, Judæi, cum intraretis ad acervum hujusmodi, acervum modiorum viginti facti sunt decem modii, dimidiumque vobis periit, quia non Deum et hominem, sed tantum hominem attendistis. Item mors vel passio ejus torcular exstitit, unde et propheta alius prospiciens eum, ait: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? (*Isa* LXIII.) Et ipse respondens: *Torcular*, inquit, *calcavi solus*. Hoc torcular *quinquaginta lagenas*, id est, peccatorum remissionem facit. Numerus namque iste, scilicet quinquagesimus, remissionem significat secundum legem, quæ anno quinquagesimo remissionem sacravit, unde annus jubilæus (*Levit.* XXV), id est, dimittens dicitur. Sed vos, o Judæi, cum intraretis ad torcular ejusmodi, torcular lagenarum quinquagenarum factæ sunt vobis lagenæ viginti, qui numerus longe est a numero quinquagesimo, numero remissionis plus quam dimidium vobis defecit. Nam totius quod erat reponendum, tres vobis partes desunt, et tantummodo duæ susceptæ sunt. Quinque partes suscipi debuerunt, quæ ita totum perficiunt sicut quin-

que decades in quinquaginta surgunt et sacratum faciunt jubilæum. Quænam sunt duæ partes quas suscepistis? Videbat natum ex Maria, passumque vel mortuum, quamvis perverso corde non ignoratis. Quæ sunt tres partes, quas omisistis? Nimirum resurrexisse, in cœlum ascendisse atque ad judicandum vivos et mortuos venturum esse, non creditis. Non igitur ignoretis, aut scire vos dissimuletis cur Dominus dixerit, quod omne opus manuum vestrarum, et omnia quæ offertis contaminata sint, sicut secundum legem contaminatur omne quod pollutus in anima tangit. Nam ista causa est quod vos accessistis ad acervum viginti modiorum, et decem fecistis, id est, Christum et Deum hominem præsentem habuistis, et hominem videntes, Deum ex operibus cognoscere noluistis, quodque intrastis ad torcular, et de quinquaginta lagenis viginti fecistis tribus partibus de toto relictis, tantumque duabus susceptis, id est verum hominem, et vere mortuum experti, victorem esse mortis, ascensorem esse cœli, judicem esse venturum sæculi, non accipitis. Quod deinde subjungit: « Percussi vos vento urente, et aurugine et grandine, omnia opera manuum vestrarum, et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, » hoc est **308** quod nunc usque videmus, quia miserabile passi excidium, cum ceciderunt in ore gladii, civitate et templo flagratis, et qui superfuerunt captivi ducti in omnes gentes, veracem ipsum esse sciunt qui prædixit, fere nullus est, qui ad eum reverti velit, dura cervice, et corde indomabili. Sequitur: « Ponite corda vestra ex die ista, et in futurum, a die vicesima et quarta noni mensis, a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini ponite super cor vestrum. » Quamvis dixerit, et verum dixerit, « et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, » tamen quia futurum est ut reliquiæ convertantur ex eis, videlicet cum plenitudo gentium subintroierit (*Rom.* XI), adhuc hortatur et dicit: « Ponite corda vestra, » etc. Porro in eo quod ita dicit, « ex die ista, et in futurum a die vicesima et quarta noni mensis, a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum, » nullum diem libentius intellexerim, quam diem nativitatis ejus, de quo agitur, Domini nostri Jesu Christi, templi utique Domini, templi non manufacti. Nam de *vicesima et quarta noni mensis*, scilicet Decembris, ille enim Romanis quidem a Martio decimus est, sed Judæis nonus ab Aprili, qui secundum legem (*Exod.* XII) primus illis in mensibus anni est; *die*, inquam, *vicesima et quarta noni mensis*, id est Decembris, Christus de Virgine natus est, scilicet octavo Kalendas Januarii. Media nocte natus est, et illa nox erat præteritæ diei, quia non ita ut nunc a resurrectione ejusdem Domini nox tunc præcedebat diem, sed dies noctem. Igitur diem quam hic dicit diem nativitatis illius libentissime intellexerim, quæ videlicet dies apud Romanos quidem per omnes annos vicesima quarta est mensis Decembris, apud ipsos autem Judæos, quia secundum lunam computant menses, non per omnes annos, sed tertio decimo duntaxat anno lunaris cycli, itidem vicesima quarta est ejusdem mensis. *Ex die ista*, inquit, *et in futurum*, quo Christo nascente *fundamenta* utique *jacta sunt templi*. Corporis ejus sacrosancti, et inde per succedentes dies et annos ædificatum est, proficiendo sapientia, ætate, et gratia apud Deum et homines (*Luc.* II). *Ponite corda vestra*, considerate quæ et quanta facta sint magnalia, quanta vobis non credentibus mala, quanta credentibus provenerint bona. Quæ sint illa bona, si quasi nescientes quæretis, jam dicam: « Nunquid jam semen in germine est et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit? Ex die ista benedicam. » Interrogando vehementius affirmat illud, unde nemo dubitat, quia videlicet mense nono, mense Decembri, qui, ut jam dictum est, ab Aprili nonus est Hebræis, semen in germine non est, nec enim hoc temporis natura fert, nec vinea, nec ficus, nec malogranatum, nec lignum olivæ florescit. Sic nimirum, quando natus est Christus, fere nusquam erat semen in germine justitiæ aut flos sanctitatis, ita ut in vinea vel ficu, et malogranato, et ligno olivæ, per quæ intelligimus justos homines, posset parere. Quomodo illo tempore anni, quo et Christus natus est, intrinsecus latet, quidquid viroris est in germine, vinea, ficu, et malogranato, seu ligno olivæ, frigore cuncta constringente, ita quidquid in paucis hominibus erat justitiæ, supprimebatur, Herode impio regnante (*Matth.* II), propter quem vel maxime non erat tutum, vel jam sciretur quod de Spiritu sancto impregnata fuisset virginitas Mariæ, quippe cum nec loqui quisquam auderet manifeste de Messia, id est Christo, quod tempus adventus ejus existeret, eo quod regnante alienigena sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus ablatus esset (*Gen.* XLIX). Igitur prophetali intuitu in illius diei vel temporis consideratione positus, *Nunquid*, ait, *jam semen in germine est*, aut lignum floruit? Subauditur non, statimque subjunxit: *Ex die ista benedicam. Ponite corda vestra*, iterum dico, ponite cor vestrum, et videte quia ita est. Nam ex illa die me benedicite, semen in germine apparuit, vinea, ficus, et malogranatum, et lignum olivæ floruit, id est, omni justitiæ fructus et decus crescere et proficere cœpit. Primo in parvis innocentibus, quos funestus Herodes occidit, quomodo pietas germinavit? Quomodo lignum olivæ floruit? Per totum orbem quidam paradisus spiritualis, liliis castitatis et rosis cœpit vernare martyrii, tantumque fructum exuberavit usque nunc, et exuberabit usque in finem sæculi, ut bene decuerit dicere Dominum Deum ad gloriam suam, *ex die ista benedicam*. Sequitur: « Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vicesima et quarta noni mensis, dicens: Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens: Ego movebo cœlum pariter et terram, et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium, et subvertam quadrigam et ascensorem ejus, et descendent equi et ascensores eorum, vir in

gladio fratris sui. Zorobabel dux filiorum Juda, qui A templum reædificavit nomine et opere, et in ipso principatu suo similitudinem gessit Domini nostri Jesu Christi, sicut et multi justorum vel prophetarum, quemadmodum ipse dicit : « Et in manu prophetarum meorum assimilatus sum » (*Ose.* XXI). Nomine, quia Zorobabel interpretatur *natus in Babylone.* Et quis in Babylone tam insigniter est natus quam ille « qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, » veniens in hunc mundum qui vere est Babylon « in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo » (*Phil.* II), ob hujusmodi causam ut solveret captivitatem nostram, ut sicut Psalmista cecinerat. « Ascendens in altum captivam duceret captivitatem » (*Psal.* LXVII). Opere, quia manu ejus fundaverunt domum illam manufactam, et manus B ejus perfecerunt eam. Et quis alius, nisi ipse Jesus Christus fundavit templum non manufactum corporis sui (*Marc.* XIV), et nunc usque Ecclesiam, quæ est corpus ejus (*Ephes.* I), plenitudo ejus de vivis et electis lapidibus perfecit? (*I Petr.* II.) Principatu suo, quia princeps et dux fuit filiorum Juda? (*Hebr.* III.) Et quid est Juda, quod interpretatur *confessio,* nisi universitas confitentium Domino? Et quis nesciat principem confessionis nostræ esse Jesum? Cum igitur audimus factum esse verbum Domini ad Aggæum, ut loqueretur ad Zorobabel, videlicet pulchre intelligimus, quia totius salutis nostræ festivitas et omnis prophetiæ veritas a Christo nascente de Maria virgine celebranda atque implenda, suscepta et in ipsum directa est. Quid autem sibi volunt quatuor dicta hæc quæ promisso : C *Ego movebo cœlum et terram,* ita continuat : « Et convertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium, et subvertam quadrigam et ascensorem ejus, descendent equi et ascensores eorum ? » Idem enim videtur toties repetisse, et hoc est, subvertam solium regnorum, quod est, et conteram fortitudinem regni gentium, et cætera similiter. Sed revocemus ad memoriam illam Danielis visionem, in qua quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari : *Prima quasi leæna* ; secunda *similis urso* ; tertia *quasi pardus* ; quarta « terribilis atque mirabilis, et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus conculcans, » et deinde *antiquus dierum* thronis positis *sedit,* et venit « cum nubibus cœli quasi Filius hominis, » atque D *pervenit usque ad antiquum dierum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum,* interfecta bestia, aliarum quoque bestiarum potestate ablata (*Dan.* VII). **309** Quod enim apud illum, videlicet Danielem, talibus est imaginibus præsignatum, hoc ipsum in isto est verbis repromissum. Iste Zorobabel propter nos, ut jam dictum est, in Babylone natus, ad quem quatuor ista dicuntur, ille Filius hominis est, quibus quatuor bestiis interfectis sive sublatis, potestas, honor, et regnum solidatur quod non corrumpetur. Denique, quia quatuor regna fuerunt, quæ ex istorum prophetarum tempore contra Deum sese extulerunt, et per quæ nisus est diabolus destruere locum et gentem, unde salutem mundi Christum nasci oportebat, secundum quod juravit Deus Abraham, idcirco quatuor hic dicta sunt, *et subvertam solium regnorum,* scilicet solium Babyloniorum « et conteram fortitudinem regni gentium, » videlicet, Persarum et Medorum, « et subvertam quadrigam et ascensorem ejus, » nimirum regnum Græcorum, et eum qui in illo regno contra Deum ejus magnificatus est impium Antiochum, qui *Epiphanes* sive *illustris* dictus est (*I Mach.* I). Et recte illud regnum quadrigam nominavit, quia post mortem Alexandri Magni in quatuor regna divisum est, sicut significatum fuerat Danieli, quia « hircus caprarum factus est magnus nimis, cumque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt cornua quatuor subter illud per quatuor ventos cœli » (*Dan.* VIII). « Et descendent equi et ascensores eorum, » scilicet Romanum imperium, cujus equi multi, et equorum ascensores plurimi fuerunt. Quo descendent? Nimirum illuc ubi Daniel vult intelligi dicendo, « et vidi, quoniam interfecta esset bestia, et periisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni » (*Dan.* VII), et de hoc regno maxime notandum, quia cum dixisset, « et descendent, et ascensores eorum, » addidit, *vir in gladio fratris sui,* quia quod fere nulli incognitum est, Romanum imperium civilibus bellis semetipsum persæpe laceravit. Et jam quidem particulatim et paulatim subversa et contrita sunt, et subvertentur, et descendent regna hæc, tunc autem, quando faciet quod præmisit Dominus, dicens : « Ego movebo cœlum pariter et terram, » de quo videlicet motu omnes Scripturæ loquuntur, quo et « virtutes cœlorum movebuntur » (*Luc.* XXI), tunc omnia simul subvertentur, et descendent, videlicet in infernum, quia propter hoc, inquit Isaias, « dilatavit infernus animam suam, et descendent sublimes ejus, gloriosique ejus ad eum » (*Isa.* V). Sequitur : « In die illo, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel serve meus, dicit Dominus, ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum. » Quomodo assumam te in illo die? Videlicet, ostendam quod assumpserim te, et quod regnum tuum sit legitimum, rapina vero fuerit omne solium regnorum, omne regnum gentium, quia regnaverunt non ex me, principes exstiterunt, et ego antiquus dierum non cognovi, et injuria facta est mihi in republica mea, quia non respexerunt ad canitiem sive antiquitatem meam, et jus meum quantum in ipsis fuit, infringere fuerunt ausi. Nemo quippe in regno meo, in mundo quod totum est et esse debet juris mei ; quia mundum ego feci, nullus, nisi ex me, regnare debuit. Quidquid homines egerunt novi et hesterni, ego Antiquus dierum faciam quod est meum, ordinabo regnum meum, statuam ex me regem meum, assumendo *te, o Zorobabel serve meus,* qui unde Zorobabel, inde servus meus es, quia *formam servi accipiens* (*Philipp.* II), in Babylone, id est in mundo natus es, filius Salathiel, id est filius petitionis Dei, filius

quem longo et magno desiderio sanctorum vel justorum universitas a me Deo suo, ut te mitterem, petivit. Te assumam, dando tibi potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus, ac linguæ servient tibi, et potestas tua, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum tuum quod non corrumpetur. *Assumam te,* inquit, *et ponam te quasi signaculum,* quod videlicet signaculum Pater signavit, ait ipse de semetipso, et sanctificavit (*Joan.* VI). Apostolus quoque ipse est, inquit, *imago Dei invisibilis, et figura substantiæ ejus* (*Colos.* I; *Hebr.* I). Dicendo *quasi signaculum,* non minuit veritatem signaculi, sicut in psalmo dicendo: *Facti sumus sicut consolati* (*Psal.* CXXV), non diminuitur veritas consolationis. Nos quoque vulgari sermone sic dicere solemus, fecisti quasi fidelis, sicut amicus, et ita dicendo, vere fidelem, vere amicum præclare pronuntiamus. Itaque sicut signaculum, id est vere si- A gnaculum, quo sicut annulo, sive imagine regis cera subjecta, ita signatur et similitudine decoratur credens et fidelis anima. Ubi ponam te? Nimirum in conspectu meo, ad dextram meam, in gloria mea, in omnipotentia mea, ut habeas omnem potestatem in cœlo et in terra, quia te elegi, o forma servi, unam esse personam cum forma Dei. In tam brevi versiculo tertio repetitum esse, *dicit Dominus exercituum,* non debet nobis videri tædiosum aut superfluum, sed delectabile et operosum, qui revera forma servi; hoc dulcissimæ promissionis eloquium, Dominus Pater dixit, Dominus Verbum dicit, Dominus Spiritus sanctus dicit, et hoc opus totius est Trinitatis, quod illa forma sedet a dextris Dei, tatis, ut sponsa ejus gratuletur, et dicat: » Dile- B ctus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus » (*Cant.* v).

210 PROLOGUS RUPERTI IN ZACHARIAM PROPHÆTAM.

A longe spectatum, (*o*) diligens anima, Zachariam nunc ingrederis, qui undecimus est in ordine duodecim prophetarum Quis nisi verus et sanctus « qui habet clavem David, » aperiet intelligentiæ ostium, dabitque sermonem rectum, et bene sonantem in os tuum (Apoc. III). Quid est quod mente retractas, assistens jam, et pulsans ad hujus prophetæ, imo propemodum pulcherrimi evangelistæ ostium. « Vidi per noctem, ait, et ecce vir ascendens super equum rufum Zac. VIII). » atque hoc dicens, reminisci me facit, quod nescio qualiter sapiens quis accepturus sit, « quia vidi per noctem, » et ecce immensitas lucis, et patria liminis dulce rubentis, et rubicundo sereno lucentis, ultra quam dici possit, et in ea cantus multitudinis jugiter canentis, et absque interuptione consonam laudem personantis. Illuc appropinquanti accesserunt exinde obviam quidam pusioli, et applaudentes lætabundi. Iste, inquiunt, ille est qui de Domino nostro sic et sic loquitur: Hæc et talia dicit. Interim illius patriæ quædam suavitas ineffabilis inundabat secretiora ventris, et dicebat Spiritus animæ intelligenti quod illi concentui deberet consociari. Nonne hæc infantilia sunt? Sed tu, Domine Deus noster, *cujus* admirabile est nomen in universa terra: « Ex ore infantium et lacentium et lactentium perfectsti laudem (*Psal.* VIII). » Igitur quicunque hæc audit, sive infantem, sive virum accipere velit, tendenda chorda ingenii, percutienda est cythara pectoris, tuam, Christe, fidem spirantis, ac rogandus est spiritus tuæ charitatis, quatenus ipse componat promptæ modulamina laudis, qui jamdudum hoc inspiravit, ut de prophetarum thesauris nihil aliud sperem, nihil aliud cupiam consequi, quam testimonia tua, testimonia fidelia Evangelii tui quod evangelizatum est nobis, quia istæ sunt Scripturæ quæ testimonium perhibent de te, sicut dixisti Judæis, « Scrutamini Scripturas, quia in ipsis vos putatis vitam habere, et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me (*Joan.* V). » Ecce in introitu assistens hujus Scripturæ, illud quod verum est, decanto, et sedula mente rumino, quia « testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda præceptum Domini lucidum illuminans oculos (*Psal.* XVIII). » Fat mihi secundum illud quod dixisti, tu Deus noster et Dominus, « dilata os tuum, et implebo illud (*Psal.* LXXX). »

IN ZACHARIAM PROPHETAM
COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

211 « In mense octava, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo prophetam, dicens: Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. » Aggæus iste et Zacharias contemporales fuerunt simulque sub Dario, secundo regni ejus anno prophetarunt, adjuvantes Judæos et confortantes, sicut in Esdra scriptum est: « Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel et Josue filius Josedech, et cœperunt ædificare templum Dei in Hierusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos » (*I Esdr.* v). Duobus mensibus Aggæus C prior quam Zacharias Prophetare cœpit. Siquidem ad istum in mense octavo, ad illum autem in mense sexto ejusdem anni, qui erat secundus Darii regis, factum est Verbum Domini. Idcirco sicut prophetæ tempore, ita et Scripturæ istum ille præcedit ordine. Porro Darius, cujus anno secundo prophetaverunt, filius Hydaspis quarto loco post Cyrum, Medis et Persis imperavit. Denique Cyro filius ejus Cambyses, et Cambyse duo fratres Magi successerunt, eisque interfectis, Darius iste rex constitutus est. A primo anno Cyri regis, qui templum Domini reædi-

ficari jusssit in Hierusalem, et quinquaginta ferme A millia captivorum remisit in Judæam, quadraginta computantur anni in quibus altare tantum exstructum fuerat, et jacta templi fundamenta, vicinis nationibus eos ex præcepto Cambyse regis, ne templum vel civitatem ædificarent prohibentibus. Secundum magnitudinem gratiæ vel meriti, quo dignus exstitit in libro vitæ conscribi. Nomen quoque apud homines iste sortitus est, ut vocaretur Zacharias, quod interpretetur «memoria Domini,» et filius Barachiæ, id est« Filius benedictionis Domini, » et filius Addo, id est « filius testimonii Domini. » Magnæ gratiæ filius prædicatur nominibus istis, et ipsa gratia cognoscenda est, ex ipso quod ad eum factum est Verbum Domini, cujus in ingressus nunc adsumus, quod sic incipit : «Iratus est Dominus super patres vestros ira- B cundia. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum. Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.» Sicut in fine Aggæi, ita et in hujus initio trina refulget repetitio nominis Domini. Nunquid casu vel sine intuitu rationis putamus ita dictum: «Hæc dicit Dominus exercituum. Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum ?» Non utique casu, non sine rationis intuitu, sed quia propheta erat, et prophetali oculo in illud tempus acceptabile, in illum diem salutis totus tendebat, quo dicendum erat : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti » (*Matth.* XXVIII), et ut ablueren tur peccata illa per sanguinem Christi, C propter quæ Dominus iracundia super patres vestros iratus fuerat. Quos namque super patres, et quali fuerat iratus iracundia ? Nimis angustam facimus sanctam Scripturam, si nulla intelligimus aliam iracundiam, quam captivitatem unius generationis, quæ suo tempore ducta est in illam Babyloniam, quamdam mundi hujus particulam, nullosque patres alios, nisi Judæos qui in Babylone defuncti sunt patres Judæorum, qui inde reversi sunt. Sed profecto non valde magna erat iracundia, pertransisse de gente in gentem et de regno ad populum alterum. Non, inquam, valde magna illi, qui majorem considerat, cujus ista quædam similitudo tenuisque fuit umbra, per quam velut imaginem, puerilis hominum sensus, magnam iracundiam, veramque captivitatem, in quam decidit per Adam et de qua liberatus D est per Christum, paulatim introductus, agnoscat igitur, «iratus est,» inquit, «Dominus super patres vestros iracundia, » subauditur, quam iracundiam portastis et vos, sicut et alius propheta confitens loquitur: « Patres nostri peccaverunt, et non sunt, nos autem iniquitatem eorum portavimus» (*Thren.* V). Non potest illa iracundia sedari, non potest ille paries inimicitiarum solvi, nisi per fidem Jesu Christi (*Ephes.* II), nisi signari properetis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *Dices* ergo, inquit, «ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum Pater, et Dominus exercituum Filius, dicit Dominus exercituum Spiritus sanctus. Convertimini ad me, **312** et convertar ad vos, » id est credite in me, et iracundia remota in reconciliationem suscipiam vos. « Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum. Converti mini de viis malis, et cogitationibus vestris pessimis, et non audiverunt neque attenderunt ad me dicit Dominus. » Hoc simile est illi, quod Spiritus sanctus dicit in David: «Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea,» (*Psal.* XCIV), etc. Quod hic dicit : « Ne sitis sicut patres vestri,» hoc est in illo,« nolite obdurare corda vestra» sicut in illa exacerbatione» ubi tentaverunt me patres vestri. » Et quod hic dicit: «Et non audierunt neque attenderunt ad me,» hoc est in illo : Ipsi vero «non cognoverunt vias meas.» Igitur ad quem diem nos ducit Apostolus in verbis illis: « Hodie si vocem ejus audieritis» *Hebr.* IV), ad ipsum respicere pulchrum est, in isto dicente:« Ne sitis sicut patres vestri.—Quoniam ergo,» inquit idem Apostolus,«superest, quosdam intrare in illam requiem, et hi, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quemdam in David, dicendo post tantum temporis: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si Jesus eis requiem præstitisset, nunquam de alio loqueretur posthac die » (*ibid.*). Et revera hodie, hoc tempore salutis gratiæ, qui mundo illuxit, a Christi passione et resurrectione dicitur non solis Judæis,« ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, et non audierunt, neque attenderunt,» ne obduretis corda vestra, sicut patres vestri qui me tentaverunt, et in deserto prostrati sunt, nec in illam requiem introierunt, sed et nobis cunctis hominibus quacunque sint ex gente vel natione, dicitur : « Ne sitis sicut patres vestri» Adam et Eva, qui in illam requiem, id est in paradisum introierant, et eadem requie sese indignos fecerunt. Verumtamen et hoc sciendum, quia quicunque murmuratores aut rebelles in professione Christianitatis sunt, quacunque ex gente vel natione sint, patres eorum recte dicuntur illi, qui transito mari Rubro, quamvis Ægyptum reliquisse viderentur, in illam repromissionis terram non introierunt, sed in deserto prostrati sunt (*Num.* XIV), et illi qui deinceps missos ad se prophetas non audierunt, cuncti murmuratores universi rebelles illorum filii sunt, videlicet per imitationem, et proinde non minus Græcus quam Judæus, si dictum intelligat, «ne sitis sicut patres vestri, »etc. Sequitur:«Patres vestri et prophetæ ubi sunt? Nunquid in sempiternum vivent? Verumtamen verba mea et legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis, nunquid non comprehenderunt patres vestros?» Ac si dicat : Saltem vexatio tunc intellectum det auditui (*Isa.* XXVIII), quoniam cum in pace habitaretis, prophetis quos mittebam, credere noluistis, potius vestris attendentes pseudoprophetis. *Ubi* nunc illi

«patres vestri et prophetæ sunt? » Illos namque prophetas mendaces insultabunda requirit veritas, de qualibus Hieremias : *Nolite*, inquit, «audire verba prophetarum dicentium vobis : Non servietis regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquuntur vobis, quia non misi eos, ait Dominus, et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter» (*Jer.* XXVII). *Nunquid*, ait, ejusmodi prophetæ vestri «in sempiternum vivent?» Imo illi citius mortui sunt, exempli gratia, ut ille Ananias, qui contra Hieremiam imo contra Dominum falso prophetaverat : « Non misit te Dominus,» ait Hieremias, «et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hoc anno morieris, dicit Dominus, adversus enim Dominum locutus es. Et mortuus est in anno illo mense septimo » (*Jer.* XXVIII). *Nunquid* ergo «in sempiternum vivent?» Nequaquam, sed « verba mea et legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis,» illa vivunt, et illa patres vestros comprehenderunt. «Et conversi sunt, et dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras fecit nobis.» Non bona conversio nec suavis videtur dictio, imo murmurosa divinæ severitatis reprehensio, in eo quod dicunt, « sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis,» ita *fecit*. Quanto melius atque suavius Daniel et socii ejus :«Domine Deus magne et terribilis, peccavimus, » inique fecimus, omnia quæ induxisti super nos, et universa quæ fecisti nobis, vero judicio fecisti, tibi justitia, «nobis autem confusio faciei, » et cætera his similia (*Dan.* IX) Recta conversio et amabilis dictio talium, ubi semetipso sic accusant, ut justificent Deum. Non ita patres vestri, inquit, sed «conversi sunt, et dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras fecit nobis.» Ita dicendo semetipsos non justificant, quia non possunt, justitiam autem Dei non prædicant, quia nolunt. Videas usque hodie Judæos nimirum patrum ejusmodi, patrum malorum filios pessimos, ita permanere perversos, ut si quæras, cur captivi sunt? nihil aliud dicant, nisi istud : «Sicut cogitavit Dominus,» sicut placuit Domino, « secundum vias nostras fecit nobis, » et nunquam causam confiteri vel nosse velint, propter quam Dominus ita cogitaverit vel cogitare facere debuerit. Dicunt quidem :«Secundum vias nostras fecit nobis,» sed dicere nolunt, quænam illæ viæ fuerint. Perseverat nihilominus sermo divinus, sermo propheticus. *Ne sitis*, inquiens, «sicut patres vestri,» et illi factis reclamant, imo erimus sicut patres nostri, unde fit, ut inexcusabiles sint. «In die vicessima et quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo prophetam, dicens : Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo, et post eum equi rufi, varii et albi, et dixi : Qui sunt isti, Domine mi ? Et dixit ad me angelus Domini, qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi quid sint hæc. Et

A respondit vir, qui stabat inter myrteta, et dixit : Isti sunt, quos misit Dominus ut perambulent terram. Et responderunt Angelo Domini qui stabat inter myrteta, et dixerunt : Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit. » Visio pergrandis et admirabilis, unius Dei, scilicet vicesimæ quartæ undecimi mensis in anno secundo Darii, cujus mense octavo primum fuerat factum ad hunc Zachariam Verbum Domini ; visio, inquam, pergrandis, et valde clarior est, quam ut pati queant nostri cæcutientes oculi claritate nimia reverberati. Incipit a viro ascendente « super equum rufum, et » stantem «inter myrteta, quæ erant in profundo, » et terminatur illic ubi coronatur Jesus filius Josedech sacerdos magnus, coronis Helīræ, et Dobiæ, et Hidajæ, et Hen filii Sophoniæ.

B Qua voce, qualibus verbis pulchritudinem atque majestatem eloquar tantæ visionis? Adsit auctor ipse et ordinator visionum propheticarum Spiritus Domini, quia prophetica quædam historia quædam pistorica prophetica est exspectationis et adventus tui, Christe Fili Dei, passionis, et gloriosæ resurrectionis sive clarificationis tuæ, Christe Fili hominis, et secundi adventus tui, quo in novissimo Dei gloria et honore coronatus, **313** et coronarum tuarum nullus est terminus, regni tui nullus erit finis. Talem tamque amabilem tuæ laudis historiam, se utcunque contemplari gaudet animus fidelis, optat eloqui lingua tuo devota nomini. *Vidi*, inquit, «per noctem, et ecce vir ascen-

C dens super equum rufum, et ipsi stabat inter myrteto, quæ erant in profundo.» Præmiserat ita : «Factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo prophetam, dicens,» et antequam ipsa Domini dicta, quæ sibi erant optabilia, subjungit : «Zelatus sum Hierusalem et Sion zelo magno, » et cætera. Sic et Lucas in Actibus apostolorum cum præmisisset : «Stans Petrus in medio fratrum, dixit» (*Act.* I), breviorem licet quam hic digressionem fecit, subjungens: « Erat autem turba hominum similiter fere centum viginti»(*Ibid*). Itaque per anticipationem intelligendum quod præmisit, «factum est ad me verbum Domini, dicens,» plus enim narrabit ordinem gestæ rei, demumque ipsa ordietur gratiosa dicta Domini : *Vidi* inquit, *per noctem*. Recte *per noctem*, ut ipsum tempus visionis tristitiæ et mærori congrueret, in

D qua ipsa erat, videlicet propter diuturnam gentis et loci desolationem. Ob eamdem causam et Daniel in nocte vidit: «Et aspiciebam ,» inquit, «in visu noctis» (*Dan.* VII. Longa nox et frigida, nec minus erat obscura. Erat enim «vicesima quarta undecimi mensis Sabath,» qui apud nos Februarius dicitur. Vicesima quarta die, luna prope est in defectu. Igitur et prolixitas noctis, et asperitas frigoris, et defectu luminis, seu lunæ sublustris, tristitiæ congruebant, in qua nimirum propheta consolatione indigebat supernæ visitationis et allocutionis, quæ hujusmodi fuit: «Ecce vir» qui «ascendens super equum rufum.» Ad quid ascendens «super equum rufum,» nisi ut face-

ret, quod postmodum dicit: « Revertar ad Hierusalem in misericordiis? » Vir enim ille ipse est Dominus, et propterea super equum ascendere videbatur, quia tempus erat, ut ad illam civitatem suam reverteretur, quia tempus venerat miserendi ejus. Quid erat ille equus, nisi humana natura ipsius? Nondum quidem erat homo factus, sed hoc ut fieret parabatur, et quod in re futurum erat, præsenti visione significabatur. Ob hoc pulchre super equum ascendere videbatur, ad Hierusalem in misericordiis reversurus, quia videlicet Hierusalem illam reædificari causa ista exigebat, ut esset, unde juxta promissiones, quæ ad patres factæ sunt, ipse homo factus nasceretur. Equum autem vidit, vel dixit rufum propter ipsius sanguinem rubicundum. Eumdem equum Joannes in Apocalypsi vidit album. *Vidi*, inquit, « cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, et Verax et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum » (*Apoc.* xix). Unus idemque equus, et ille propter suam innocentiam visus est albus, et hic propter passionis suæ sanguinem rufus. Quid illud intendit Ecclesia, dum dicit in Canticis: « Dilectus meus candidus et rubicundus? » (*Cant.* v.) « Et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo. » Myrtus temperativæ naturæ est, et hanc arborem medicorum libri aptam asserunt curandis infirmitatibus, et maxime mulierum necessitatibus plurimis. Dicitur autem myrtus a mari, eo quod maris littoribus soleat innasci. Unde est illud Virgilii.

Littora myrtetis lætissima . . . .

Et:

. . . . *Amantes littora myrtæ.*

Quid ergo significat myrteta, nisi sanctas et vere salubres legis et prophetarum atque psalmorum Scripturas? Et iste vir de quo loquimur, nonne jam tunc stabat inter hujusmodi myrteta? Etenim *scrutamini*, inquit, « Scripturas, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me » (*Joan.* v). Plane ab omnibus sanctis Scripturis testimonium habere, hoc est inter myrteta stare. Et *myrteta*, inquit, *erant in profundo*. Nam revera sanctarum Scripturarum magnum est profundum. Unde Psalmista: « Abyssus, » inquit, « abyssum invocat » (*Psal.* xli), id est, unius Scripturæ profunditatem ut penetrare valeas, alterius Scripturæ admota profunditas plurimum juvat. Illic stabat vir, et illic potest inveniri atque inde cognosci, si quæritur, non autem invenitur ab eo qui quærere non vult, veluti stans aliquis inter myrteta, nec ita in propatulo est, ut cito videatur a negligenter prætereuntibus, nec ita latet, ut non possit inveniri a diligenter quærentibus. Ex quo Moyses in typum ejus agnum in Ægypto immolavit, et postes domorum ejus sanguine signavit (*Exod.* xii), imo et ex quo pater Abraham unigenitum filium Isaac sacrificaturus super aram imposuit (*Gen.* xxii), et ex eo ac deinceps rufus cœpit videri equus, super quem vir iste ascendit. Etenim quocunque te verteris inter myrteta hujusmodi, ingerit se oculis tuis sacramen-

A tum passionis hujus viri præfiguratum, tam factis quam dictis patriarcharum et prophetarum mystici. *Et post eum*, inquit, « equi rufi, varii et albi: Post eum, » inquam, et non ante eum, nam ipse ante omnes, et primogenitus in multis fratribus, et omnes sancti fratres ejus, equi utique Domini alii martyrio rufi, alii candore virginitatis albi, alii diversorum charismatum donatione varii sequuntur eum, sicut supra ex Apocalypsi dictum est, « et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum » (*Apoc.* xix). Omnes equi hujusmodi sessorem unum habent Deum, et idcirco concordem faciunt exercitum. Et dixi: « Qui sunt, Domine mi? » Cui dixerit, vel quem interrogaverit, utrum virum ipsum, qui *stabat inter myrteta*, angelum suum, id est, sibi deputatum, qui loquebatur in eo, non facile dinoscitur, sed hoc palam

B est, qui utrumque respondet. Nam primo subjungitur, « et dixit ad me angelus Domini, qui loquebatur in me: ego ostendam tibi quid sint hæc, » ac deinde: « et respondit vir qui stabat inter myrteta, et dixit: Isti sunt quos misit Dominus, ut perambularent terram. » Nisi esset propheta is cui sic responsum est, non esset responsio, sive demonstratio sufficiens, « isti sunt quos misit Dominus, ut perambularent terram. » Sed quia propheta erat, jamque spiritualem habebat intelligentiam, intelligere potuit unde et ultra non quæsivit. Quærimus autem nos quomodo miserit Dominus illos quos diximus equos suos, « ut perambularent terram, » et quid intendentes respondeant; et dicant ei, « perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitabitur et quiescit. » Ut inveniamus primum,

C adjungendum est, quod sequitur: « Et respondit angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequo non misereberis Hierusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est. » Igitur equi Domini, scilicet homines sancti, quales fuerunt Abraham, Isaac et Jacob, et cæteri magnam deprompserunt querelam, dicendo « perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitabitur et quiescit. » Ac si dicerent: Tu, Domine, misisti, ut perambularemus terram, et jussu tuo facti sumus instabiles, fuimusque peregrini et hospites super terram, et hoc confitentes, significabamus nos patriam inquirere atque exspectare fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor tu es Deus (*Hebr.* xi). Siquidem illius meminissemus, ha-

D bebamus utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetivimus, id est cœlestem. Porro, illius cœlestis præparatio nobis esse debuit ista Hierusalem terrestris, quia videlicet non est nobis invenire civitatem cœlestem, quam appetivimus, nisi hinc promissio impleatur, fiatque quod scriptum est: **314** « et homo natus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* lxxxvi). Perambulavimus terram, » pertransivimus de gente in gentem, et de regno ad populum alterum, aliqui sponte, jussu tuo de terra sua egressi, aliqui captivi non sponte abducti, « et ecce omnis terra habitatur et quiescit. » Hierusalem autem et terra Juda non habitatur, neque quiescit,

terra cujus habitatio, cujus quies sola est neccessaria nostræ spei, nostræ exspectationi, nostræ saluti, ut faciat quod promissum est nobis, « ut justificeris, Deus, in sermonibus tuis » (*Psal.* CIV), ut nascaris, o Christe, de semine Abrahæ, de semine David (*Genes.* XII), ut de Sion exeat lex, et Verbum Domini de Hierusalem (*Isa.* XXV). Ad ista vere magnam, et valde opportunam talium equorum Domini querelam respondens seque adjungens angelus Domini dicit: « Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Hierusalem, et urbium Juda, quibus iratus est? Iste jam septuagesimus annus est. » Hic angelus Domini respondens, recte intelligitur non ipse « vir, qui stabat inter myrteta, » cui et loquebantur, dicens: *Perambulavimus terram.* Ipse quidem ante angelus Domini dictus est, ita et responderunt angelo « qui stabat inter myrteta, » sed non ipse est qui dicit, « Domine exercituum, usquequo tu non misereberis, » et cætera. Sequitur enim : « Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. » Qui loquebatur in propheta solummodo angelus est, *qui* autem « stabat inter myrteta vir, » sive angelus, ipse est Dominus exercituum. Sed dicet aliquis : Si *vir* ille, angelus ille « qui stabat inter myrteta, » ut jam dictum est, Dominus ipse exercituum est, quomodo dicit vel dicere convenit illi, « isti sunt quos misit Dominus ? » Hoc profecto superflue quæritur, cum Domini vel Dei non tantum persona sit, et una de duabus, et alia de aliqua loquatur, ut illic: « Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus » (*Isa.* XLVIII), et alibi : « Dominus mecum est tanquam bellator fortis » (*Jer.* XX). Sequitur : « Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Clama, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Hierusalem et Sion zelo magno, et ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi vero addiderunt in malum. Propterea hæc dicit Dominus : Revertar ad Hierusalem in misericordiis, domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum, et perpendiculum extendetur super Hierusalem. » Angelus qui loquebatur in propheta, jam hic facit quod paulo ante promisit. Dicenti namque: « Quid sunt isti, Domine mi ? » Ita respondit : « Ego ostendam tibi quid sint hæc, clama, » inquit, « dicens: Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Hierusalem, » etc. Ac si dicat : Quæris de viro stante inter myrteta, cur ascendat super equum, ecce dico tibi quia magnum est signum Domini exercituum, valde irati super gentes, quæ Judam et Hierusalem afflixerunt. Super equum ascendit, et contra eas vadit. Quam ob causam ? Videlicet quia ego, inquit, tanquam Pater, sive tanquam vir conjugem amans, « zelatus sum Hierusalem, et Sion zelo magno, » zelo bono, visitando in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum, quæ videlicet virga nunc fuit potestas Babyloniorum, quæ verbera sunt captivitas, et templi vel civitatis incendium. At vero gentes, quibus tradidi filios in hoc ipsum, « addiderunt » sive adjuverunt « in malum ». Quid addiderunt ?
A Illud nimirum efficere voluerunt, quod si fuisset effectum, jam non virgam, sive verbera tantum, sed plus quam virgam, plus quam verbera subirent quidpiam, scilicet mortis additamentum. Hoc enim agere, et ad hoc illos impellere voluerunt, ut me derelinquerent Deum suum, et nolentibus consentire, dira supplicia mortesque diversas intulerunt. « Propterea hæc dicit Dominus : Revertar ad Hierusalem in misericordiis, » hoc quod nunc vidisti virum ascendentem super equum rufum, et post eum equos rufos, varios et dixisti, « qui sunt isti, Domine mi, equi rufi, varii et albi, » exercitus Domini sunt, et hic ipse dicitur, et est Dominus exercituum, quia tot equi, et multo plures quam vidisti, vadunt post eum, ut tu videns, non timeas gentes opulentas, et
B recte dicas, ut quidam alius ad puerum suum dixit : « Noli timere, quia plures nobiscum sunt quam cum illis » (*IV Reg.* IV). Quod eo dicente et orante, aperuit Dominus oculos pueri, et vidit, et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in conspectu Elisæi. Ecce tu quoque vidisti equos Domini, et ipsum ascendentem super equum suum rufum, cum his verbis, « revertar ad Hierusalem in misericordiis, domus mea ædificabitur in ea, et perpendiculum extendetur super Hierusalem. » Istud clama et contestare filiis transmigrationis, ut confortentur scientes Dominum ad ipsos reverti in misericordiis, et dicito quia ascendentem vidi. « Adhuc clama dicens, hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc affluent civitates meæ bonis, et consolabitur Dominus adhuc Sion, et eliget adhuc Hierusalem. » Non, inquit, hoc
C tantum clames, quod « domus mea ædificabitur, et perpendiculum super Hierusalem extendetur, » sed sicut interpellatus est ipse Dominus a me dicente: « Domine exercituum, usquequo tu non miserebis Hierusalem, » et urbium Juda, quibus prius iratus es, ita responsum accipe meum, et de Hierusalem et de cæteris urbibus Juda, quia *adhuc*, inquit, « affluent civitates meæ bonis, » subauditur temporalibus, et propterea consolatione sempiterna « consolabitur Dominus adhuc Sion, et » electione perfecta « eliget adhuc Hierusalem, » ita videlicet, ut sicut apud alium prophetam dicit : Vocetur *civitas justi*, mater civitatum, « urbs fidelis » (*Isa.* I), et fiat quod apud eumdem locutus est dicens, « quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem » (*Isai.* II). « Et levavit oculos
D meos, et vidi, et ecce quatuor cornua, et dixit ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam et Hierusalem, et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, et dixi : Quid isti veniunt facere ? Qui ait, dicens : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum, et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium quæ levaverunt cornu super terram Juda, ut dispergerent eam. » Ecce secundum quamdam similitudinem exercituum ad bella et diverso procedentium, hinc apparuit Dominus exercituum, « ascendens super equum rufum, et equi rufi, varii et albi post

eum, atque inde quatuor cornua, scilicet exercitus sive reges exercituum, id est gentium quæ disperserunt, ait Judam et Israel, et Hierusalem. Nam quatuor gentes quæ in regibus utique superbiæ cornibus divinum nomen impugnaverunt, et Dei populum obtriverunt, Babylonios, Medos atque Persas, Macedones ac Romanos esse et nunc angelus interrogatus a propheta exponit, et Daniel plenissime replicat, qui in visione statuæ, quæ habebat aureum caput et pectus argenteum, et sub umbilico æreum, et crura ac pedes ferreos ac fictiles has quatuor gentes interpretatus est (*Dan.* II). Et rursum in alia visione quatuor bestias, leænam, et ursum, et pardum, et quartam terribilem bestiam, cui nomen non posuit (*ibid.* II), easdem gentes sub alia figura monstravit, Medos et Persas unum esse regnum post victoriam Cyri, non **315** ambigit, qui et sæculares, et sacras litteras legit. Quid Babylonii, quid Medi atque Persæ, quid Græci, id est Macedones fecerint, quomodo Judam, et Israel, et Hierusalem, quasi cornibus ventilaverunt, quomodo cornu Romani imperii non solum Hierusalem illam quæ jam non erat Hierusalem, sed spiritualiter Sodoma et Ægyptus (*Apoc.* II), ubi Dominus noster crucifixus est, verum et Christi Ecclesiam, verum Judam, verum Israel, veramque Hierusalem eliserit atque dissipaverit missis per orbem terrarum, sive ubique gentium crudelibus edictis legibusque publicis, quis nescit, quis non audivit? Et ejusmodi cornua simul quidem prophetica visione demonstrata sunt verum Dei populum non pariter oppresserunt, sed sibi invicem successerunt Babylonii, Medi et Persæ. Persarum regno regnum Macedonum, regno Macedonum imperium Romanorum. Similiter de fabris sciendum quod simul quidem prophetæ ostensi sunt, venientes ad deterrenda cornua regnorum illorum, sed non uno eodemque tempore detriverunt, neque omnes omnia, sed singuli singula certis temporibus deterrentes confregerunt, et invicem contrarii fuerunt, et alter alteri restiterunt. Quinam sunt vel fuerunt quatuor isti fabri? Nimirum non absurde intelligitur, quod fuerint principes, id est angeli illi, qui singulis præerant regnis, sicut apud Danielem declaratur his verbis: *Ego*, inquit, « angelus veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi, viginti et uno diebus. » Et infra: *Nunquid*, ait, « scis quare venerim ad te? Et nunc revertar, ut prælier adversus principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens » (*Dan.* X). Sicut principem Persarum, et principem legimus Græcorum, ita principem quemlibet Babyloniorum, et principem aliquem fuisse non dubitamus Romanorum, scilicet angelis qui singulis regnis præfuerunt, malos utique angelos, malos principes, maligni, in quo mundus positus erat, sicut manifeste testantur acta principatus eorum, acta crudelia, gesta sanguinea, quorum narrationibus horrisonis libri tam sæculares quam divini pleni sunt. Unus Dei populus bonum angelum bonum habebat principem, scilicet Michaelem, ut ibidem angelus qui Danieli loquebatur: « Verumtamen, » inquit, « annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis, et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester » (*ibid.*). Primus istorum quos prophetæ Dominus ostendit, primus fabrorum ejusmodi scilicet angelus qui præerat Babyloniis detrivit *cornua*, gentium, « quæ ventilaverunt Judam et Israel, et Hierusalem, » in eo videlicet quod permittente vel disponente justo judice Deo, caput regni Assyriorum Niniven subverterunt, multasque gentes per circuitum, non valente aliquo resistere principi Babyloniorum. Non quidem ille, neque alii fabri, id est principes mali, quorum secundus princeps Persarum Babilonici regni cornu contrivit, tertius princeps regni Græcorum, qui Persas cornu suo mutilavit, quartus princeps Romanorum, qui cornu Græcorum citissime confregit non, inquam, isti propterea sic et sic egerunt? Non proterea irati sunt, quia regna illa populum Dei vexaverunt, sed cum semper avidi sint sanguinis humani, et videre hominum cædes eorum luxuria sit, permisso Dei libenter usi sunt, quod videlicet permissum, cum sit justum et bonum, ipse semper illo injuste ac male utuntur, sicut econtra Deus malis eorum semper bene utitur. Unde notandum quod cum dixisset propheta, « quid isti fabri veniunt facere, » repetivit angelus quod jam dixerat. « Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam, » et adjecit, quod non dixerat, per singulos viros, « et nemo eorum levavit caput suum, » et tunc demum de fabris ait, « et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda, ut disperderent eam, » et est sensus: Cornua quæ ventilaverunt Judam, id est reges vel regna, quæ captivaverunt vel obtriverunt Judæam, singula suis temporibus nimis grandia nimisque fortia fuerunt, ita ut dum *ventilarent Judam* per singulos viros, nemo eorum levaret, aut levare deberet caput suum, verum dum alterum contra alterum consurgit, et alteram fortitudinem, quasi manu fabrili et ferreo malleo contundit atque confringit, sive deterit, datur inde occasio levandi caput suum, et resistendi jam detritis cornibus gentium. Verbi gratia: Cornu magnum de quatuor cornibus unum fuit regnum Græcorum, sed divisum est contra semetipsum, quia de regno uno regna quatuor facta sunt, quando, Alexandro mortuo, obtinuerunt pueri ejus regnum unusquisque in loco suo. Attende nunc: Si regnum illud [integrum permansisset et unum, nunquid contra illud Judas Machabæus levasset caput suum? (*I Mach.* I.) Equidem potuisset hoc fieri per Dei auxilium, sed placuit Deo tali ordine fieri hoc ipsum, scilicet et regnum divisum infirmius existeret, et præterea faber ille magnus Romani imperii principatus, eidem superveniret, suoque illud malleo tunderet ac deterreret. Recensitæ historiæ hoc testantur, quod Epiphanes ille Antiochus, contra quem recte et juste caput suum levavit Judas Machabæus, jamdudum

crescentis et invalescentis ejusdem Romani imperii viribus terebatur, et legati Romanorum jussu Israel Ægypto, inquam, regno suo voluerat adjungere, unde fuerat inhoneste reversus (JOSEPH., *De Ant.*, lib. XII, c. 6). Laudabilis in istis quoque providentia Dei, quia sicut quando primum Israel ex Ægypto ascendit Rubrum mare, ut transirent, divisit illi in divisiones, ita extunc regna gentium, quorum in medio peregrinatur omnis qui ad Deum tendit, verus Israel contra semetipsa divisit, ita ut illorum dissensio sanctis et electis occasio salutis existeret.

CAP. II. — « Et levavi oculos meos et vidi, et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum, et dixi : Quo tu vadis ? Et dixit ad me : Ut metiar Hierusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum, et jumentorum in medio ejus, et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus. » Magnum gaudium angelorum, magnum in his verbis istis pro re quæ accidit cœlestibus spiritibus et terrenis hominibus, lætitiæ tripudium. Nam quia prævaluit Dominus exercituum, et detritis cornibus regnorum gentium, propositum Dei ad effectum pervenit ut ædificaretur Hierusalem, et in ea templum nomini Domini (*II Esdr.* VI). Gaudent angeli, et homines volunt esse participes gaudii sui. Vere magna gaudendi ratio, sed attendas non solum templum illud manufactum quod Zorobabel fundavit et perfecit, nec solum civitatem illam, cujus muros Nehemias construxit, detrito duntaxat uno cornu regni Babylonici per fabrum regni Persici sed templum non manufactum et civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem quæ detritis cunctis quatuor cornibus illis, nunc usque ædificatur ut civitas ait Psalmista, « cujus participatio ejus in idipsum » (*Psal.* CXXI), cujus templum jamdudum ædificatum est, imo et Judaica impietate solutum fuit, et post triduum **316** excitatus est. Templum aliud civitas non habet, « nam templum, » ait Joannes, « non vidi in ea, Dominus omnipotens templum illius est, et agnus » (*Apoc.* XXI). Hinc sine dubio tendit hæc prophetica visio, et inde gaudent angeli, quod tale cum hominibus templum semper sint habituri, talem cum hominibus civitatem semper sint habituri. Quare autem maxime tunc temporis visio pro hac re demonstari debuit angelicæ congratulationis, nisi quia, civitas illa terrena et templum illud manufactum, quæ tunc reædificari incipiebant, quædam erant instrumenta sive initia cœlestis illius civitatis. Nam, ut ante jam dictum est de loco et civitate vel gente illa, juxta promissiones Dei Christum nasci oportebat, et inde jam tunc gaudium, quia reædificato templo et civitate illa, sanctorum spes non peribat, et promissio permanebat. Unde quomodo nunc gaudere gestiunt. *Ecce*, inquit, « vir, et in manu ejus funiculus mensorum, » et funiculus ille alacriter quid ageretur significabat, et ut amplius inquireretur, videntem excitabat. Nec ille moratus : *Quo*, inquit, « tu vadis ? Ut metiar, » ait, « Hierusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo illius. » Breviter asseruit quod ædificatio non in incerto esset, aut deberet differri. Nunquid autem vir ille cujus est funiculum in manu habere, nondum sciebat quantæ longitudinis Hierusalem, et quantæ deberet latitudinis esse ? Si de civitate illa terrena sive manufacta quaritur, non magnum erat illi viro scire vel videre, sed nec ullus prophetarum dignum duxit scripto, ad nostram notitiam transmittere, quanta fuerit latitudo vel longitudo ejus. Porro de civitate cœlesti, cujus illa civitas quoddam exemplar fuit, haud dubium est quin longitudinis et latitudinis mensor ille sit vir cujus in manu funiculus est, qui omnis divisionis gratiarum cum Patre et æqualem Spiritu sancto potestatem habet, et hujusmodi dimensiones ita videt, ut videre faciat, nec quemquam lateat quanta debeat esse longitudo illius, quæ est fides, scilicet usque ad mortem, et quanta latitudo, quæ est dilectio, scilicet usque ad mortem. Nam esto, inquit, fidelis usque ad mortem (*Apoc.* II). Et « majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat » quis « pro amicis suis » (*Joan.* XV), et tanta quidem longitudo, tanta latitudo, tam in isto sæculo habenda, ubi pro fide mori quis potest, pro dilectione animam suam ponere potest. Sed in illo sæculo quo cum pervenerit, neque mors, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra (*Apoc.* XXI), quid erit longitudo et quid latitudo, nisi longitudinis et latitudinis hujusce remuneratio ? Hoc illi vero videre, perfectionem erat ostendere atque promittere. Ad hoc dictum illius viri, *ecce*, inquit, « angelus qui loquebatur in me, » egrediebatur, forte dimensiones illas inspecturus. Docendus autem erat propheta, ne humano sensu acciperet in quod de latitudine et longitudine audierat. *Alius* ergo, inquit, « angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem. Qua causa, putas, prophetam hic angelus puerum appellat, nisi quia, sicut jam dictum est, docendus erat ? Est enim quædam sensus pueritia, quæ in isto quidem nondum reprehensibilis erat, quia nondum audiendo vel videndo talia, multum tempus habebat. Reprehenduntur autem in his, qui propter tempus esse deberent, et non sunt perfecti sive magistri, qualibus Apostolus : « Quoniam, » inquit, « imbecilles facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo » (*Hebr.* V). Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus. Hæc Apostoli sententia præsenti quoque exemplo clarior fit. Videbat hic oculis elevatis virum, cujus in manu *funiculus mensorum*, et audierat eum dicentem, « ut metiar Hierusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo illius. » Si nondum aliud quid

intelligebat in visu illo, nisi terrenæ illius civitatis dimensiones, profecto puer erat, puerilem sensum habebat, et interim visio quam videbat, quia de terreno tantum ædificio gaudebat non solidus ille cibus, sed quædam erat lactis alimonia. Recte igitur puer dictus est, sed cito in virum proficere habebat præsenti magisterio cœlestium spirituum dicentium : *Absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus, et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus.* Est enim sensus, Hierusalem quæ per nos ædificatur, quam per semetipsum vir iste metitur, muro manufacto non circumdatur, sed tota spiritualis est ædificatio ejus. Dominus ipse murus ejus, *murus ignis in circuitu*, per quod civitas illa quam firma sit, satis innuitur. Cum enim scriptum sit, *sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal.* LXVII). Quis ibi hostem timebit, quis de inimico sollicitus erit ? Ergo quod in Psalmo de hac ipsa Hierusalem dictum est : *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui* (*Psal.* CXXIV), magnifice præsens locus illustrat ei, qui sensum excessit pueri. Quod deinde ubi dixerat : Ego *Dominus murus ignis in circuitu*, subjunxit, *et in gloria ero in medio ejus.* Itidem longe supra sensum pueri est, quia videlicet non sicut homo localis et terrenus in medio hominum localium terrenorum, sed sicut Deus Creator spirituum in medio erit angelorum et hominum in templis cordium, in domibus quæ ipsa corpora sanctorum et animarum præcordia sunt, quod quale est vel erit *oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit* (*Isai.* LXIV). Pueri quidam qui nunquam proficiunt, pueri centum annorum, istud quod hic dictum est, *absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus*, putant carnaliter esse venturum, videlicet quod Hierusalem tantam beatitudinem habitura sit, ut præ multitudine hominum et jumentorum omnium, murum habere non possit, sed Domini defensio murus sit ipsius, et illius in medio habitantis gloria perfruatur. Ad puerum hujusmodi, puerum centum annorum, qui moritur est maledictum, populus enim Judaicus est, non currit neque mittitur angelus ut ad eum loquatur (*Isai.* LXV), nec enim audire aut secundum sensum senum intelligere vult. Nos autem cum isto puero, qui audiendo et intelligendo proficit in virum, sic intelligimus quod dictum est *præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus, absque muro habitabitur*, ut nunc manifeste oculis apertis videmus. Quis enim regum aut imperatorum tam magnum sive tam amplum potuisset facere murum, qui concluderet orbem terrarum ? Nisi autem concluderet orbem terrarum, non posset ambire Hierusalem istam, scilicet Ecclesiam, quia videlicet in toto diffusa est orbe terrarum in ea dicuntur homines, qui spiritualia sapiunt, jumenta vero qui simpliciter sapiunt, juvant autem eos qui, cum sint spirituales, sua spiri-

A tualia seminant illis, et eorum carnalia metunt (*Rom.* IX). Et hic quidem in præsenti sæculo talis Hierusalem peregrina pars cœlestis Hierusalem, idcirco *absque muro habitabitur*, quia non uno in loco, non in una gente continetur, sed, ut jam dictum est, per orbem terrarum diffunditur. In illo autem sæculo, **317** quo hinc quotidie transfertur, multo maxime nec est, nec esse debet aut potest murus in circuitu ejus, nisi Dominus, qui et in gloria erit in medio ejus. Sequitur : *O, o, fugite de terra aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis, quia hæc dicit Dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos. Qui enim tetigerit vos, tanget,* B *pupillam oculi mei. Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebat sibi, et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.* Quam opportune, quam sapienter Spiritus sanctus dum senibus loquatur et senili auditoris animo delectetur, interim puero blanditur, qualis vero totus tunc erat populus, qui de Babylonica captivitate revertebatur, cujus sensum supergredi volebat istum, quem appellabat angelus puerum, dicens : *Curre et loquere ad puerum istum* (*Isa.* LXV). Nam puero centenario, de quo jam dictum est, nequaquam blanditur, sed dicit ei quia morietur. Quomodo, vel ad quid blanditur illi puero, id est simplici populo ? Videlicet ita loquendo, ut sentiat talis puer sese divina invitatione revocari de Babylone ad reædificandam civitatem vel templum, cujus reædificatio, sic- C ut jam dictum est, præparatio erat salutis humanæ. Puer erat, quisquis nihil aliud præter restitutionem loci et gentis sperare sciebat, quemque saltem hoc exiguum delectabat. Vir autem imo et senex erat, quisquis loci illius restitutionem non propter ipsum locum, sed propter eum, qui inde venturus erat, scilicet Christum desiderabat. Vocativum casum congeminans, *o, o, fugite*, inquit, *de terra aquilonis*, itemque tertio, *o Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. Fugite de terra Aquilonis*, idem est quod *fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.* Plagæ namque orbis, quas Græci appellant, *climata*, juxta situm Hierusalem intelliguntur et templi et juxta situm illius Babylon, apud quam captivus erat Dei populus, in parte est aquilonari. D Hoc ergo quod dicitur, *o, o, fugite, o Sion, fuge*, sic intelligitur, sensu quidem puerili, sed non inutili. Ecce quomodo pœnitet Dominum mali quod fecit nobis, quomodo dolet super civitate inclyta et templo nobili, in qua sola civitate glorificabatur, in quo templo unico nomen ejus invocabatur. Nec mirum, magnum enim illic erat nomen ejus, magnus honor impendebatur nomini ejus. Cyrus nos illuc redire non compulit, sed tantummodo redeundi licentiam dedit. *Quis est in vobis*, ait, *de universo populo* Domini *cœli ? Sit Deus illius cum ipso, et ascendat Hierusalem, quæ est in Judæa, et ædificent domum Domini Dei sui Israel* (*1 Esdr.* I). Quantopere

nos invitat, ut properanter velimus exire de terra ista, terra Babylonis immunda, dum dicit, *o, o, fugite de terra aquilonis, o Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis*, et quantum pœnitet eum de his quæ passi sumus; *qui enim deinceps tetigerit* nos, tanget *pupillam oculi* ejus et prædæ nobis erunt hi, quibus serviebamus, id est captivos ducemus eos, qui captivos duxerunt nos. Iste sensus, ut jam dictum est, puerilis quidem est, sed utilis, quia quomodocunque factum sit, factum est ut restitueretur locus et gens, unde salutem mundi Christum oportebat nasci. Sensus tanto utilior, quanto solidus cibus lacte melior existit, in discipulis Christi est. Primo ipsa quæ hic loquitur persona cognoscenda est. Unde cognoscetur? Nimirum ex eo quod ait: *Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos*, itemque et cognoscetis, *quia Dominus exercituum* misit me, *lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus.* Quis ait iste *Dominus exercituum*, quem post gloriam misit Dominus exercituum? Quis, inquam, nisi Dominus Filius Domini Patris? Filium namque Dominum et Deum, quod juste credimus, et fideliter confitemur misit in hunc mundum post gloriam Pater Deus et Dominus. Quam post gloriam? Nimirum post gloriam Divinitatis longe et infinite, postquam erat in forma Dei, quod non est aliud, quam in gloria Dei. Hinc Apostolus dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip.* II), etc. Itaque dictum hoc propheticum gratum et gratiosum nobis sit, quia fidele est testimonium Domini nostri Jesu Christi non solum quidem, sed de multis unum pulcherrimum atque clarissimum. Igitur ab isto loco illuc se intendat animus, quo post detrita, ut jam dictum est, cornua gentium, victor propositi Deus promissum suum implevit, *et jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis* (*Luc.* I), mittendo in hunc mundum Filium suæ charitatis propter nimiam charitatem qua Deus mundum dilexit (*Ephes.* II). Hic pulcherrimus est ordo prophetiæ, quatenus post reversionem ejus ad Hierusalem in misericordiis, quibus domus ejus ædificata est in ea, et post detritionem regnorum quatuor, quæ per quatuor cornua significata sunt, et per quæ sibi succedentia, draco diabolus insectando populum illum, promissionis effectum avertere nitebatur venisse, qui promissus fuerat consideretur, et dicta hæc: *O, o, fugite de terra aquilonis*, et cætera, tanquam præsentis ejus voces audiant. Quid enim est aliud, *fugite de terra Aquilonis*, sive *fuge, Sion, quæ habitas apud filiam Babylonis*, quam hoc initium ejus Evangelicæ prædicationis: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Dei* (*Matth.* IV). Denique incredulum esse et cordis impœnitentis, hoc est, permanere *in terra Aquilonis*, venti utique frigidi, per quem diabolus solet in Scripturis figurari, et econtra, fugere *de terra Aquilonis*, hoc est credere et pœnitentiam agere cum spe perveniendi ad regnum Dei. Item, habitare *apud filiam Babylonis*, hoc est, servire vitiis et concupiscentiis, et econtra, fugere de habitatione Babylonis, hoc est, cessare ab eisdem vitiis et concupiscentiis. Duæ causæ quas hic posuit, *quoniam in quatuor ventis cœli dispersi vos*, quia *post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos*, unam rationem faciunt, et illius unius continet sensum, quam evangelista scripsit, quia Jesus moriturus erat, ut filios Dei, qui dispersi erant congregaret in unum (*Joan.* II). Ratio hæc sic in isto divisa est, ut omni habenti aures audiendi, prima parte timorem incutere, sequente dilectionem insinuare velit. Dum enim præmisso, *fugite de terra aquilonis*, quod est dicere, nolite cordis esse impœnitentis, subjungit, *quoniam in quatuor ventis cœli dispersi vos*, opportuno timore concutitur attentus auditor, si tamen intelligit, quomodo vel ob quam causam facta sit illa dispersio, qua sparsim mixtimque inter malos et reprobos electi nascuntur in hoc mundo, qui simul esse et soli nasci debuissent in paradiso. Cum item præmisso: *O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis*, subjungit, quia *post gloriam misit me ad gentes.* Magna dilectionis Dei offertur occasio, consideranti quod veraciter dictum sit, *quam bonus Israel Deus.* Quia videlicet *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III). Et quam bonus sit **318.** idem unigenitus *qui cum in forma Dei esset* (*Philip.* II), propter nos accepit formam servi, atque post gloriam claritatis quam habuit ad Deum priusquam mundus fieret, saturatus est opprobriis, dans percutienti maxillam (*Thren.* III), *et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). et qui misit, et qui missus est, Dominus exercituum est, testatur præsens locus Scripturæ veritatis. Nam ne forte quis non audierit, non contentus fuit semel dixisse de isto, qui post gloriam missus est, quod Dominus sit, sed tertio repetivit, *dicit Dominus*, pauculis dictionibus interjectis, et de illo qui misit secundo asseruit quod *Dominus exercituum* sit. Jam quippe semel dixit iste Dominus qui missus est, et cognoscetis, quia *Dominus exercituum misit me*, et paucis interjectis, iterum dicturus est filiæ Sion, *et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Interea vide quam sapienter, quam mira arte sapientiæ puerum illum supradictum capit, scilicet populum illius temporis, qui separare nesciebat tale quid, qui non posset vesci tam solido cibo tantæ promissionis, et idcirco oportebat eum lactari lacte litterali, quod est hujusmodi, cum dixisset: *Post gloriam misit me ad gentes*, addidit, *quæ spoliaverunt vos*, et subjunxit, *qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi* ejus, sive *oculi mei, quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi*, hoc enim littera sonat, quod talis deberet rerum mutatio fieri, ut reversi de Babylonica captivitate, multiplicati atque roborati, præsente cum eis Domino

irent super Babylonios et cæteras gentes a quibus fuerant spoliati, et versa vice spoliarent eos, cederentque sibi in prædam hi, quibus servierant ipsi, eodem genere vel modo prædæ sive servitii. Bonus nobis error pueri, sive sensus puerilis, et cunctis profuturus sæculis, quia videlicet tali spe alacriores effecti, reversi sunt et ædificaverunt, et Scripturam, quæ utique pro nobis gentibus facit, quasi contra nos agentem nobisque contraria promittentem, majore cum favore susceperunt et custodierunt tanquam Scripturam ut vere est divinæ auctoritatis. Deus autem quomodo cogitavit, ita et fecit, levavit *manum suam super gentes, quæ spoliaverunt* Judæos ornatu civitatis et templi et quibus servierunt et serviunt Judæi, quarum gentium maxime fuere Romani, et ecce ipsi sunt prædæ Judæis, scilicet apostolis, qui utique sunt ex Judæis. Quomodo gentes sive Romani prædæ sunt apostolis? Nimirum eo modo quo piscatoribus pisciculi. Sic enim quibusdam eorum quando vocavit eos, dixit : *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* (*Marc.* IV). Isti sunt et quique similes illis, quos qui *tetigerit, tanget pupillam oculi mei*, non ut ego cæcus fiam, sed ut cæci sint ipsi qui tetigerunt, et ego abscondam faciem meam ab eis, quomodo abscondit et avertit quis, ictum vitans adversarii insidiantis, pupillam oculi sui. Sequitur : *Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce venio et habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Et possedit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata, et elegit adhuc Hierusalem. Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* Sicut jam ante prælibavimus, bis ab ista persona *Domini exercituum*, quæ hic loquitur, dictum est : *Dominus exercituum, misit me*, quia dicturus, *lauda et lætare, filia Sion*, sic præcedentia finierat, *et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me*, et ecce iterum præmisso, *et habitabo in medio tui*, subjungit, *et scies quia Dominus exercituum misit me ad te*. Pulchrum hoc et consideratione dignum est, quia profecto Filium, qui revera *Dominus exercituum* est, misit Pater sine dubio *Dominus exercituum*, misit Spiritus sanctus veraciter *Dominus exercituum*. Duæ personæ Patris, et Spiritus sancti, unam personam Filii miserunt, sic apud Isaiam ipse loquitur: *Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus* (*Isa.* XLVIII). Nimirum quando B. virgo Maria, nuntiante angelo, concepit nunc Filium *Dominum exercituum*, et Pater *Dominus exercituum* misit, et Spiritus sanctus *Dominus exercituum* misit eum in uterum ejusdem virginis. Pater, quemadmodum ipse dicit : *Eructavit cor meum Verbum bonum* (*Psal.* XLIV). Spiritus sanctus, quemadmodum angelus ad Mariam : *Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I). Et ad Joseph : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto natum* (*Matth.* I). Super hoc *lauda*

A *et lætare, filia Sion*, ait Dominus, ipse qui missus est, Deus ex Dei Patris generatione, et homo ex sancti Spiritus operatione, *quia ecce ego venio et habitabo in medio tui*. Quid est in medio tui, nisi in communione naturæ tuæ, cum substantia veræ carnis. *Nam Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Ergo *in medio tui*, hoc est, præter peccatum omnia suscipiens, quæ sunt tuæ conditionis, primo novem mensibus habitans in hospitio ventris feminei, deinde in cunabulis, imo in præsepi involutus pannis, circumcisus, et ad templum deportatus, cum hostia legali, et per annos triginta patiens omnia quæ sunt humanæ fragilitatis, præter peccatum, ut jam dictum est, modis omnibus inventus est homo, et mortis quoque experimento. Vere magna

B materia laudationis et lætitiæ talis adventus, et talis Domini cohabitatio. Quamobrem et ita præmisit, *lauda et lætare, filia Sion*. Omnis anima quæ tantum bonum per fidem speculando mereris dici, et esse Sion, anima Joannis vere filia Sion, prima lætata est post illam lætitiæ matrem, cujus in medio, cujus in utero jam hic Dominus habitabat. Unde et laudabat in lætitia, lætabatur in laude dicendo : *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (*Luc.* I). Post eam prima laudavit, et lætata est anima Joannis. *Ecce enim*, ait Elisabeth, *ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* (*Joan.* III). Ubi tempus loquendi adfuit, illius lætitiæ causam pulchra cum laude taliter deprompsit : *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus*

C *autem sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem ejus* (*II Cor.* VI). Hoc ergo gaudium meum impletum est, quod deinde dicit Dominus: *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum*, manifestum atque perspicuum est, quia videlicet ex quo dies ista illuxit, vel tempus advenit, de quo in Isaia Dominus : *In tempore placito*, inquit, *exaudivi te, et in die salutis adjuvi te*. Apostolus autem succinit :*Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI), et ex eo gentes multæ applicantur ad Dominum, et sunt ei in populum. Porro ante diem hanc, *notus tantum in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* XXV), et recte aliæ quoque gentes applicantur ad Dominum, et sunt ei in populum licet invideant

D et indignentur Judæi, quis sibi videntur soli esse filia Sion, et non pertinent ad filiam Sion. Quid enim, an Judæorum Deus tantum, nonne et gentium, imo et gentium? (*Joan.* III). *Et habitabo*, inquit, *in medio tui*, scilicet secundo adventu, non quomodo primo adventu venio, sicut jam dixi, ut habitem *in medio tui*. Primo **319** namque passibilis atque mortalis atque judicandus. Secundo impassibilis atque immortalis Deus judicii Dominus *habitabo in medio tui*. Primæ habitationis in medio tui fructus hic est, ut applicentur *gentes multæ ad Dominum*, sequentis habitationis erit effectus, quem Joannes dicit: *Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus*

eum sicuti est (*I Joan.* III). Illud videre, perfectum A erit scire, de quo hic ait, *et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Quid porro sibi vult, quod cum dixisset, *et applicabuntur gentes multæ ad Dominum et erunt mihi in populum*, subjungit, atque ait, *et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata, et eliget adhuc Hierusalem?* Nimirum quia faciendum, et huic erat, quod prophetis aliis jubetur, scilicet claudere sermonem (*Dan.* XII), ligare testimonium, quia videlicet sic expediebat, nec enim portare potuissent homines, si manifeste diceret illis Deus id quod intendebat. Ecce illud quod dixerat, *et applicabuntur gentes multæ ad Dominum*, subtegit, dicendo: *Et possidebit Dominus Judam partem suam*, quo nomine, quoniam Juda interpretatur *confessio*, cum significentur omnes B gentes Christum confitentes, putare poterat ille populus Judæ, qui hæc audiebat, quod qualicunque modo applicandæ forent ad Dominum multæ gentes, tamen ipse solus Domini pars esse deberet, quæ existimatio nihil proposito Dei nocuit aut nocet, imo prodest: quia dum illi benevoli fuerunt, Scriptura nobis custodita est. Sensus hic est: *Judam partem suam*, id est eos qui præordinati sunt ad vitam, qui *secundum propositum vocati sunt sancti, quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*Hebr.* XII), qui omnis Juda, idem credentes atque confitentes sunt, et pars Domini sunt, *possidebit Dominus in terra sanctificata*, in terra viventium, ubi quod est, totum sanctum est, et ita possidebit ut nullus desit de numero eorum, et quia non sufficiunt, qui de ista terrena Hierusalem illic ascendunt, adhuc eliget de aliis quoque gentibus, assumet qui sint Hierusalem. Nonne in his quæ dicta sunt, merito confortentur manus dissolutæ, et genua debilia roborentur? Nonne merito dicant, *pusillanimis, confortamini, et nolite timere?* (*Isai.* XXXV.) Sequitur ergo: *Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* Ac si dicat: Sileant quatuor cornua quæ ventilaverunt Judam, et Israel, et Hierusalem; sileant omnes qui regnare præsumpserunt, Domino nesciente, Domino non probante; quia caro sunt Assyrii cum Babyloniis, Persæ cum Mædis, Macedones sive Græci, Romani terribiles et, ut videbatur, ferrei. *Sileant*, inquit, *a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo*, quia throni ejus positi sunt, et judicium sedit, et judicatum est interfici bestias cornutas (*Dan.* VII), et auferri potestatem eorum, et dari potestatem et honorem et regnum Filio hominis venienti in nubibus cœli, ut suscipiant regnum sancti Dei altissimi, quibus insultabant regnantes bestiæ, tanquam peregrinis atque captivis, et obtineant regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum.

LIBER SECUNDUS.

320 *Habemus*, inquit apostolus Petrus, *firmiorem* C *propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I). Dulce est auditu, dulcius experimento quod propheticus sermo lucerna ardens et lucens sit, quam utique Spiritus sanctus Christo suo paravit. Unde videri possit ille in hac nocte *per speculum in ænigmate*, donec illucescat ille dies, in quo videndus est *facie ad faciem* æterna visione (*I Cor.* XIII). Hæc intentio nostra sit, ut in lumine hujus lucernæ, non ad horam, sed æternam ejusdem Christi gloriam exsultare velimus, cujus exsultationis hoc initium est ut prophetica testimonia meditantes, *ex parte sciamus*, et nos quoque *ex parte prophetemus* (*ibid.*), donec veniat quod perfectum est, et quod ex parte D est evacuetur. Cum hac simplicitate oculi, nunc usque progressi, lucidum persequamur ordinem hujus prophetiæ, revera lucentis lucernæ, cujus in lumine corde et ore dignum sit exsultare omni animæ, quæ Christi claritatem non ficta diligit charitate, et spes nostra hæc sit, quam sapientia promittit, quia *de fructu oris sui homo satiabitur bonis* (*Prov.* XIII). Magnæ et pulcherrimæ visionis pars aliquanta decursa est, videlicet ab eo quod ait: *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum*, usque ad id: *Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo*, in qua videlicet parte illud considerandum est, quia frustrata sunt pugnantia contra Deum regna mundi, et illis prætermissis, nascente Christo venit regnum Dei. Post hæc sequitur:

CAP. III. — *Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, et increpet Dominus in te, qui elegit Hierusalem. Nunquid non iste torris est erutus de igne? Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo, et dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis, et dixit: Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus. Et angelus Domini stabat, et contestabatur angelus Domini Jesum, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi de his ambu-*

lantes, qui nunc hic assistunt, audi, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adduco servum meum orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego celabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die una. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum, subter vineam et subter ficum. In præcedentibus dicendo, *post gloriam misit me ad gentes, et ecce venio, et habitabo in medio tui*, etc. Dominicæ Incarnationis significatur mysterium; in præsentibus tentationum, et passionis ejus subrutilat sacramentum; in sequentibus vero resurrectionis ejus triumphale gaudium, ubi post hæc propheta mox dicturus est: *Vidi et ecce candelabrum aureum totum* (*Zach.* IV), etc. *Et ostendit mihi,* inquit, *Jesum sacerdotem magnum.* Hebræi, inquit B. Hieronymus, Jesum sacerdotem magnum filium Josedech intelligi volunt, qui cum Zorobabel populo præfuit, cujus adversarius a dextris stabat et non a sinistris; quia vera erat accusatio, eo quod ipse cum cæteris alienigenam accepisset uxorem, quod in Esdra et Malachia, qui hunc prophetam sequitur, plenissime scriptum est. *Nostri* autem, ait, *ita disserunt sacerdotem esse magnum* (*I Esdr.* X; *Malach.* II), ad quem dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX), qui quoniam per se videri non potest, a Domino prophetæ ostenditur, stans coram angelo Domini, quem volunt magni consilii esse angelum (*Isai.* IX), non quod alter et alter sit, ut duas personas recipiamus in Filio, sed quod unus atque idem et quasi homo sordidatus ostenditur, et quasi angelus mediator Dei et hominum apparere dicatur. Juxta hunc sensum, hoc, ait, videtur esse difficile, quod Jesu ab angelo dicitur, si ambulaverit in viis Domini, et ejus præcepta servaverit, ipse quoque judicet domum ejus et custodiat atria illius, et det ei Dominus ambulantes de his qui assistant ei. Nos vero postremi non abs re miramur, si inter doctores scrupulosa unquam fuit concertatio pro re ejusmodi, cum visio sit noctis, quia sic incœpit: *Vidi per noctem* (*Zach.* I), etc. In visionibus namque non ipsa persona sive substantia cujuscunque, sed similitudo sive imago personæ, vel substantiæ solet apparere, sive hominis, sive alterius cujuslibet rei, præter spirituales substantias, ut sunt angeli. Itaque sicut in hac ipsa visione quatuor cornua, et sicut in visione Danielis quatuor bestiæ, non ipsa quatuor regna, sed quatuor regnorum quædam imagines fuere (*Dan.* VII); ita hic Jesus, neque substantia Domini nostri Jesu Christi, qui secundum hominem mundum existebat, neque ille Jesus filius Josedech illius temporis pontifex erat, qui, cum homo esset et corpus, quomodo in visu noctis apparere poterat? Imago erat hominis, quæ videbatur, quædam similitudo duntaxat sufficiens ministerio prophetico, ad significanda

A illa, quæ de Domino nostro Jesu Christo jam **321** tunc significari tempus vel ratio postulabat. Quod si quærat quis, cur in ea similitudine potius quam in alia significari placuerit? Scire debet quia cunctos fere sanctos et probos antiquorum temporum viros, qui venturo regno Dei proprio labore aliquid contulerunt, Spiritus sanctus ejusdem regni Dei mysteriis sic honoravit, ut aliquem qualemcunque singuli proferrent similitudinem regis, regni Dei Domini nostri Jesu Christi. Hinc est quod in illis hominibus sanctis, tanta conquisita et inventa sunt a sanctis doctoribus gesta vel dicta in typum ejusdem Domini, qualium de præcipuis fuere Isaac, Joseph, et David, et Salomon, quandiu in sapientia vigilavit. Isti duo Zorobabel filius Salathiel, et Jesu filius Josedech, multum in hac parte

B omni mundo profuerunt, sive contulerunt, quia videlicet in reversione de Babylonia principes exstiterunt, templumque fundaverunt et perfecerunt, loco vel genti recuperandæ studentes unde salus veniret, quia salus ex Judæis est (*Joan.* IV). Honoravit igitur eos Spiritus sanctus, ut in nominibus vel figuris eorum, venturi Christi mysteria significarentur, pro eo quod ejus adventu, vel regno labor et opus eorum famulabatur. His autem præmissis, nunc præsentia visionis dicta vel acta ordine persequamur. *Et ostendisti mihi Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei.* Quid illud significaverit, in eadem visione innuitur his verbis: *Audi, Jesu sacerdos magne, tu et amici qui habitant co-*

C *ram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adduco servum meum orientem,* etc. Itaque Jesus ille, quem vel citius speciem sive imaginem videbat in nocte, stantem coram angelo Domini, portentum fuit servi Dei, servi, inquam, illius nomine orientis qui, *cum in forma Dei esset,* propter nos *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,* unde et recte dicitur servus Domini, quia propter nos servivit, *et obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis.* In illa forma servi stare habebat sacerdos magnus coram angelo Domini: *Minuisti enim,* ait, *eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII). Minoritatem illam hæc dictio pulchre innuit, stantem coram angelo Domini, pulchrius autem et venerabilius illud in Evangelio, quod cum factus in agonia prolixius

D oraret et sudaret sudorem sanguineum, apparuit illi angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* XXII), major utique minorem, utpote nunquam moriturus, continuo moriturum. Quod in illo visu *Satan stabat a dextris* Jesu *ut adversaretur ei*, hoc est, quod talis iste servus de semetipso dixit: *Venit enim princeps mundi hujus* (*Joan.* XIV), subauditur, quærens in me suum aliquid. *Stabat ut adversaretur*, nec tamen dictum est, quod adversatus sit ei, vel adversari potuerit, quia videlicet sic futurum erat ut ad ipsum quidem veniret *princeps mundi*, sed *in me*, inquit, *non habet quidquam* (*ibid.*). *Stabat*, non a sinistris, sed *a dextris*, quia videlicet sic futurum erat

ut in isto nihil sinistrum, sed totum dextrum, id est, nihil malum, sed totum esse bonum. Itaque *stabat a dextris*, quia nulla erant sinistra, videlicet hoc intendens, ut de dextris faceret sinistra, ut perverteret quæ dixerat, quæ fecerat bona, sicut narrat evangelica veritatis ejus Scriptura(*Matth.* XII, XXVII). Accusabatur enim tanquam malefactor, cum esset benefactor. Sic olim idem *Satan stabat a dextris* Job, ut perverteret ejus bona, cum, diceret: *Nunquid frustra Job timet Deum* (*Job.* I), etc. *Et dixit Dominus ad Satan, increpet Dominus in te Satan, et increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem.* Cur non dixit, vade, Satan, sive desine adversari, Satan? Videlicet, quia multum profuturus erat, sic adversando Satan. non solum ut exemplum patientiæ esset nobis, ad quod informamur, dicente Jacobo apostolo: Patientiam *Job audistis, et finem Domini vidistis* (*Jac.* V), verum etiam ut mundum redimeret illa patientia Salvatoris, illa passio Redemptoris. Igitur *increpet*, ait Dominus, *in te Satan*, id est, assistat quidem, sed non usque ad plenam voluntatem tuam. Nimirum et illud erat increpare, quod dixit pro beato Job: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illi serva* (*Job.* II). Similiter pro isto dictum sit ab omni potentia, caro in manu adversariorum sit, quos tu inflammas, verumtamen animam illius in inferno non detineas, caro in sepulcro corruptionem non videat, hoc dixit Dominus, increpet Dominus, et increpet Dominus, sicque ab una persana, duæ personæ Domini ad increpandum invitantur, quia videlicet victoriam Dominicæ passionis, quæ magna est increpatio diaboli, Trinitas operata est unus Deus. Pater namque calicem illum Filio dedit, et Filius per Spiritum sanctum, ait Apostolus, semetipsum obtulit (*Hebr.* IX). *Nunquid non iste est torris erutus de igne? Et Jesus erat indutus vestibus sordidis.* Et secundum hanc illius visionis similitudinem Dominus Jesus *torris erutus de igne* fuit, sive quia in mundo hoc, magno utique camino et grandi officina peccati peccatum evasit, peccatum non fecit, neque ex conceptione contraxit, sive quia cum descendisset ad infernum, impossibile fuit illum ab eo teneri, et *indutus erat* quidem *vestimentis sordidis*, verumtamen non suis, sed alienis. Nam Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, et Isaias, transfigurans in se, inquam, æstimationem impiorum, *et nos*, inquit, reputavimus *eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum* (*Isa.* LIII). Itaque fuerit quidem Jesus ille homo temporis illius sordidatus peccatis suis, quoniam uxorem alienam, vel sicut Malachias ait, filiam duxerat dei alieni (*Malach.* II), Christus autem Jesus, qui in illa nocte per imaginem significabatur illius Jesus, non suis, sed alienis peccatis, *indutus erat vestibus sordidis. Et stabat ante faciem angeli, qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo.* Hoc dixit angelus Domini, auctoritate vel imperio loquentis in se Domini, licet non inter-

A posuerit, quod postmodum interposuit idem angelus Domini, *hæc dicit Dominus exercituum, si in viis meis ambulaveritis*, etc. Qui porro erant, qui stabant ante faciem angeli, imo ante faciem Domini, in angelo sive per angelum loquentis? Non enim qualescunque erant, vel sunt revera magni, quorum officii est auferre vestimenta sordida, auferre iniquitates et peccata. Inferius in hac visione, *duæ olivæ*, inquit, super candelabrum, *una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus, et dixi: Quid sunt duæ olivæ istæ?* (*Zach.* IV.) Et rursus: *Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea?* (*Ibid.*) Ita secundo interrogatus angelus, *isti sunt*, ait, *duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ* (*ibid.*). Eosdem duos filios olei intelligimus hic

B stare coram angelo loquente vel agente in persona Domini, et de istis, quinam sint, opportunius in illo loco pro posse dicendum est, hoc tantum in præsenti dixerim, quod vestimenta sordida, quæ nostræ iniquitates erant, ablatæ sunt a Domino Jesu in passione sua per Spiritum sanctum, qui est remissio peccatorum, et diversarum distributor gratiarum. Unde et protinus dixit ad eum: *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. Iniquitatem tuam* cum dixit, simul attendere convenit quod postmodum velut exponemus, quid ista significent, cum dixisset: *Ecce ego adducam servum meum* **322** *orientem*, etc. Ita conclusit *et auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Ergo *abstuli a te iniquitatem tuam*, id est iniquitatem terræ tuæ, iniquitatem Ecclesiæ tuæ, peccata omnium creden-

C tium in te, *et indui te*, id est, eosdem tuos *mutatoriis*, quia videlicet ab iniquitate tibi emundati, diversis ornabuntur charismatum donis, et quod multum ad Dei gloriam spectat, *ubi abundavit iniquitas, superabundavit gratia* (*Rom.* V). Et dixit: *Ponite cidarim mundum super caput ejus, et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, induerunt eum vestibus.* Hoc est, quod nunc videmus, ut ait Apostolus, Dominum Jesum Christum propter passionem mortis gloria et honore coronatum (*Hebr.* II). Cidaris, id est, pileus sive mitra pontificalis, cui superponebatur lamina in fronte pontificis, habens scriptum tetragrammaton ineffabile nomen Domini, coronam significat gloriæ et honoris in capite Domini nostri Jesu Christi, qui *factus est*

D *obediens usque ad mortem crucis, propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II). Et vestes de quibus, ait, *et induerunt eum vestibus*, dona illa sunt de quibus jam dictum est, quæ dantur Ecclesiæ ejus, quæ est corpus ejus. Unde, sicut juxta aliam translationem legimus, *ascendens in altum captivam duxit captivitatem dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV), ita nihilominus veraciter psallimus, *accepisti dona in hominibus* (*Psal.* LXVII), quia videlicet propter unitatem personæ capitis et corporis, ipsius et Ecclesiæ, ipse accepit in nobis dona quæcunque accipimus, cum ipse det, ut vere Deus. Quæ hactenus

in visione ostensa sunt, propter quid ostensa sint sequentibus verbis ipse angelus aliquantisper declarabit his ad ipsum Jesum præmissis. *Hæc dicit Dominus exercituum*: *Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi de his ambulantes qui nunc hic assistunt.* Hæc enim ad illum hominem Jesum esse dicta, recte intelligimus absque ulla significationis vel mysterii clausura, quod ex eo vel maxime constat, quod præmisso, *si in viis meis ambulaveris*, ita personam vel causam illius hominis determinat, *tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea.* Cum enim dicit *tu quoque*, satis innuit ea quæ præmissa sunt, et quæ sequentur de alio dicta, propter alium esse facta vel ostensa. Et recte tali homini sub conditione sive conditionali modo locutionis, dicendo, *si in viis meis ambulaveris*, promittitur judicare domum Domini (*hic aliquid deesse videtur*), sicut jam dictum est, ducendo alienigenam contra præceptum legis Domini, sacerdos (*I Esdr.* x) cujus labiorum est custodire scientiam, cujus ex ore legem requirunt (*Malac.* II), eo quod sit *angelus Domini exercituum*. Et cum dicit: *Tu quoque judicabis domum meam*, subintelligendum est aliter et felicius, sive meliori fine quam Eli, qui de sella cecidit, et cadendo dignitatem judiciarii perdidit honoris (*I Reg.* IV). Et illius quidem principatus temporalis et custodia transitoria designatur, dicendo: *Et dabo tibi de his ambulantes, qui nunc hic assistunt.* Illius autem de quo vel propter quem præcedentia dicta, et sequentia dicenda sunt. Principatus æternus, et custodia sempiterna est, principatus et custodia præteritorum, et præsentium, atque futurorum, quem et designat, ita subjungens: *Audi, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam servum meum orientem.* Ac si dicat: Cum acceperis narrationem visionis ejus, propheta narrante, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quorum imagines videt in nocte, et audit quæ dicuntur in te, audi et cognosce quia viri portendentes sunt, id est, quia visio quam videt circa te et amicos tuos, portentum est futurorum, quæ sine dubio magna erunt. *Ecce enim ego adducam servum meum orientem*, et illius adductionem portendis tu in hac visione ostensus, et amici tui tecum. Sicut amici tui in hac visione coram te habitantes, visi sunt, ita coram illo quem adducam oriente servo meo, multi facti ex inimicis amici habitabunt, quibus ipse dicturus est, in ipso articulo, quo *Satan stabat a dextris ejus*, sicut hic portenditur: *Jam non dicam vos servos, ad amicos meos, et majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; vos amici mei estis* (*Joan.* XV). Hic inde oriens dicitur, quia *lux vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I), et in servus, *quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II). Cum hæc diceret, videbatur quoque lapis coram Jesu. *Super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego dabo sculpturam ejus, dicit Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Lapidem esse Dominum Jesum Christum, lapidem summum angularem electum in fundamento fundatum, et per septem oculos, qui super hunc unum lapidem sunt, septem esse Spiritus Dei, qui super eum requieverunt, fere nulli est aut esse debet incognitum. Non enim huic ad mensuram dedit Deus Spiritum, et *in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (*Col.* II). Hic lapis ab hominibus reprobatus est, a Deo autem electus et honorificatus est (*Marc.* XII). Quomodo ab hominibus reprobatus est? Electus extra portam in ligno suspensus est (*Act.* V), ut maledictum legis existeret, quia lex dicit, *maledictus* a Deo est, *qui pendet in ligno* (*Galat.* III). Hæc erat ædificantium reprobatio, Sed *ecce ego*, inquit, *celabo sculpturam ejus, et auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Et est sensus: Istum lapidem clavis crucis, et lancea militis faciam vulnerari, et in illius passione auferam iniquitatem terræ in die una, de qua scriptum: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII).

CAP. IV. — *In die illa vocabit vir amicum suum subter vineam, et subter ficum.* A tempore enim Dominicæ passionis cœpit annuntiari Evangelium, quod est vocari subter vineam, et spiritualiter lex intelligi, quod est vocari subter ficum, Spiritu sancto revelante, quod lex et prophetæ Christi Evangelio perhibeant testimonium. « Et reversus est angelus qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud, et septem infusoria lucernis quæ erant super caput illius, et duæ olivæ super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus, et respondi, et aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi. Et respondit angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me: Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. Et respondit, et ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. » Sicut in præcedentibus humilitatem passionis, in qua minoratus fuit paulo minus ab angelis (*Hebr.* II), ita in præsentibus gloriam intelligimus resurrectionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, in qua gloria et honore coronatus est, et constitutus super opera manuum Patris, clarificatus claritate apud Deum, quam habuit priusquam mundus esset apud ipsum (*Joan.* XVII). Quid enim est candelabrum aureum totum, et lampas ejus super **323** caput ipsius, nisi Christus ipse, decus et lumen omnium angelorum et hominum, lampade suæ divinitatis, quæ ex virtute suæ resurrectionis mundo innotuit, illuminans quæ in tenebris sunt vel fue-

runt? Unde notandum pariter et admirandum quia, postquam visus est Jesus *vestibus sordidis indutus*, eisque ablatis, *ecce*, inquit Dominus *abstuli iniquitatem tuam*, et iterum de eodem, *et auferam iniquitatem terræ illius in die una, reversus* dicitur *angelus* esse et suscitasse prophetam *quasi virum qui suscitatur de somno* (*Zach.* IV). Sic enim futurum erat, et sic factum est quia, postquam ablata est iniquitas terræ Domini Jesu, qui est Ecclesia ejus, *in die una, in die desponsationis ejus in die lætitiæ cordis ejus* (*Cant.* III), quando lancea militis patefacto latere ejus *exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX), ut jam ultra non essent sordida vestimenta ejus, quæ sordes erant *iniquitates omnium nostrum* (*Isa.* LIII), ut supra jam diximus, ipse triduo dormivit in sepulcro, et tertia die suscitatus est de somno suo. Unde signanter propheta dixit: *Suscitavit me quasi virum, qui suscitatus est de somno suo*, per hoc innuens in se præfiguratum, quod vir ille Dominus Jesus suscitandus esset de mortis suæ somno. Sed et reversio angeli quam dicit, *et reversus est angelus qui loquebatur in me* designat eum ad tempus recessisse, videlicet in signum illius recessionis quam declamabat vir ille, dum diceret: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (*Psal.* XXI; *Matth.* XXVI.) Igitur, *vidi*, inquit, *et ecce candelabrum aureum totum*, et nos videmus Dominum Jesum glorificatum, et mundum gloria resurrectionis ejus illuminatum. Et ante passionem illius, caput illius dilecti, id est divinitas ejus, aurum erat optimum, sed corpus ejus cum passibile et mortale esset, nondum erat aurum. Ergo candelabrum nondum erat aurum totum, quia corpus pro conditione mortali erat subobscurum, et minus quam nunc est gloriosum.

Lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud requiescent, super ipsum est Spiritus sanctus, ex quo resurrexit ipse, magis in eo manifestius, quia videlicet Spiritus, quia unus est, *lampas* una dicitur, et quia septiformis est, quia septem ejus dona sunt, *septem lucernæ* dicuntur. *Lucernæ et infusoria*, id est vascula in quibus oleum est, quod infunditur in lucernas, eadem significant, septem dona Spiritus, hac sola differentia qua id quod efficitur ab efficiente distat. Sicut enim singula infusoria singulas alunt lucernas, ita singuli Spiritus propria quædam efficiunt opera, de quibus hi qui Spiritum sanctum acceperunt sua mensura clara fiunt, ut videant homines, et bono exemplo ædificati glorificent Deum. *Duæ olivæ*, olivæ *super* candelabrum, *una a dextris lampadis, et una a sinistris quid sunt*? Denique et propheta hoc et cætera inquisivit, *et respondi*, inquit, *et aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi?* Qui cum respondisset, et dixisset: *Nunquid nescis quid sunt hæc*, et ille dixisset: *Non, domine mi*. et inter hæc paratus ad audiendum, sine dubio redderetur attentior ad intelligendum, tandem: *Hoc est*, ait, *verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.* Et hoc responso potuit quidem, quamvis bene responsum fuisset; potuit, inquam, intelligere, quoniam propheticam ad intelligendum gratiam habebat, quid esset *candelabrum*, quid *lampas ejus super caput ipsius*, quid *septem lucernæ septemque infusoria lucernis, quæ erant super caput ipsius*. Verumtamen nondum intellexi quid essent *duæ olivæ, una a dextris lampadis, et una a sinistris ipsius*. Et quid sibi vult responsum hujusmodi, *non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus*? Jam quidem diximus candelabrum aureum Dominum Jesum esse propter passionem mortis gloria resurrectionis glorificatum septemque lucernas super illud cum totidem infusoriis, eum qui ex tunc datus est sanctum septiformem Spiritum, qui nimirum eatenus modo, scilicet in remissionem peccatorum non dabatur (*Joan.* VII). Unde enim est illud? *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*ibid.*). Sed quid sibi vult taliter Zorobabel dictum: *Non in exercitu, neque in robore, sed in Spiritu meo* Breve dictum, magnæ rei suggerit intellectum. Sensus enim hic est: Antequam juxta præsentem visionem veniat Dominus habitare in medio tui, o filia Sion, cujus passione deleatur iniquitas terræ illius in die una, sicut significatum est per hoc, quod auferri jussa sunt ab Jesu vestimenta sordida, quique gloria resurrectionis et ascensionis glorificatus sanctum septiformem dei Spiritum, sicut significatur per candelabrum aureum tot lucernarum, antequam veniat, inquam, ille Dominus probe et laudabiliter fecerint, quicunque habentes zelum ejus cum exercitu, et cum robore ascenderunt, vel ascensuri sunt, ex adverso stare pro domo ejus, ut fecerunt judices Israel, ut fecit fidelis David, ut facturi sunt Machabæi. At ubi venerit idem Dominus et clarificatus fuerit, ubi dixerit omnibus, quod uni dicturus est: *Converte gladium in locum suum* (*Matth.* XXVI), jam non in exercitu, nec in robore subauditur, certabitis pro me, nec enim erit necesse, dicit Dominus. Antequam ego venirem agere in exercitu et in robore tale fuit quale defendere arborem ne succidatur, de qua fructus separatur vitæ æternæ. Agebat enim diabolus per impios homines, quatenus gens illa non esset, de qua promissum fuerat patrbius, quod ego eram accepturus. Natus sum, et idcirco *non* jam *in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo*, quia jam non contra homines, sed tantummodo contra diabolum certamen necessarium est, qui, quoniam spiritus est, *non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo* debellandus et superandus est. Idcirco sub nomine Zorobabel recte ipsum Dominum intelligimus sicut in Aggæo plenius de eo dictum est: nam illo tempore in ædificando exercitu et robore utebantur (*Agg.* II). Denique *media pars juvenum*, ait Nehemias, « faciebant opus et media parata erat ad bellum, et lanceæ et scuta, arcus, et loricæ, et principes post eos in omni domo Juda ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium una manu »

sua faciebat opus, et altero tenebat gladium. Ædificantium enim unusquisque gladio accinctus erat renes, et ædificabant, et clangebant buccina juxta me » (*II Esdr.* IV). Hæc de muris civitatis dicta sunt. Templum quoque illud manufactum non sine aliquo robore hominum reædificatum est, cum regium esset positum hujusmodi decretum: «Omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur et configatur in eo, domus autem ejus publicetur » (*I Esdr.* VI). Illud unum omnino sine exercitu et sine robore in spiritu Domini factum est, quod *princeps hujus mundi foras* est missus (*Joan.* XII), in quem protinus ita dicitur : *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel in planum* ? Mons quippe magnus monti Domini contrarius, mons importuosus, mons naufragosus diabolus est, qui in hoc mundo principabatur, de quo ipse Dominus : *Venit enim princeps mundi hujus* (*Joan.* XIV), scilicet ut mihi adversetur, secundum quod significatum est supra, ubi *Satan stabat a dextris* Jesu, *ut adversaretur ei.* Hoc est, quod nunc dicitur: *Quis tu coram Zorobabel*, et dicendo *quis tu*, omnino nescitur, quia totus reprobus est. Quandoque ita subjungitur, *in planum*, potest **324** ita intelligi, ut subaudiatur sternere, et a tua superbia dejicere, nisi quod ille nunquam eo modo *in planum* descendit, aut descensurus est. Ergo inde potius redarguitur, quod contra planum, id est contra humilitatem Domini nostri quem intelligimus per Zorobabel, ut jam dictum est, steterit mons magnus et frustra, quia in hoc plano, id est in hoc miti et humili corde est Spiritus sanctus, cui resistere non potest spiritus malignus. Sequitur : *Et educet lapidem primarium et exæquabit gratiam gratiæ ejus.* Quis, nisi Spiritus meus, de quo dixeram : *Ego Dominus non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo.* Quis, inquam, nisi Spiritus meus *educet lapidem primarium*, id est, mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, lapidem utique angularem et honorificatum, *et exæquabit gratiam gratiæ ejus. Educet* eum, id est crescere faciet, ut, juxta propheticum quod Daniel exposuit regi somnium, fiat *mons magnus*, et impleat universum orbem terrarum (*Dan.* II) *Gratiam* quoque *exæquabit gratiæ ejus*, ita videlicet, ut non sit solus, sed *sit primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII). Nam hæc est gratia, quam secundum hominem accepit Dominus Jesus, quod vocatur et est Dei Filius. Quid enim habet quod non accepit, etiam in unigenito, nostra natura ? (*I Cor.* VI). Ergo *gratiam*, inquit, *exæquabit* Spiritus sanctus *gratiæ ejus*, id est multos faciet fratres, et cohæredes ejus, hinc est illud : *Videte qualem gratiam donavit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus* (*I Joan.* III). Verumtamen, licet in hoc gratia, quam dedit nobis Deus, exæquata sit gratiæ ejus, non tamen omni modo æquales sumus aut erimus, quia videlicet ille solus natura Filius, nos autem omnes adoptione filii Dei nominamur et sumus. Magna quidem distantia est, sed quid dum modo filii et cohæredes unici, et unigeniti sumus?« Et factum est Ver-

A bum Domini ad me, dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus Zorobabel perficient eam, et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Quis enim despexit dies parvos, et lætabuntur et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi Domini, qui discurrunt in universam terram » Nondum de toto ornatu candelabri responderat angelus interroganti, imo et postmodum interrogavit, sicut post hæc sequitur : *Quid sunt duæ olivæ istæ ad dextram candelabri et sinistram ejus* ? Itemque secundo : *Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea* ? Ergo et hoc quod nunc interseritur: *et factum est Verbum Domini,* ad rationes ejusdem pertinet candelabri, maxime quia lapidem stanneum videbunt, ut in manu Zorobabel,
B statimque subjungit. *Septem isti oculi Domini, qui discurrunt in universam terram.* Denique et hæc et illud quod præmissum est *ducet lapidem primarium, et exæquabit gratiæ ejus*, prohibent nos et increpant ne istud medium, *manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam*, eo tantummodo sensu accipiamus quo pueris illius temporis blanditur, quique hujusmodi est : Domum istam manufactam, quam in metu et cum retardatione ædificare cœpistis, impedientibus adversariis in brevi completam videbitis, ita ut ex ipsa velocitate operis scire debeatis quod Dominus exercituum miserit me ad vos. Scire, inquam, debebitis, per hoc. *Quis enim despexit dies parvos ?* Quod est dicere: Cui non mirum visum est, aliquando grande
C opus fieri intra dies parvos sive paucos ? Sunt autem pauci dies, ab anno secundo Darii regis, a vicesima et quarta undecimi mensis ejusdem anni, qua videlicet die ego loquor vobis in verbo Domini, usque ad tertium diem mensis Adar hujus anni, scilicet qui sextus est Darii regis. Nimirum pauci dies ad tantum opus, videlicet tantum quatuor anni computantur, et tam paucis diebus opus illud completum fuisse Scriptura Esdræ testatur. Cum enim dixisset: « Seniores autem Judæorum ædificabant et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo, » ita subjungit: « Et compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darii regis » (*I Esdr.* VI). Bene ergo cum dixisset : « Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos, » dignam statim rationem
D cum acri interrogatione subjunxit dicendo: *Quis enim despexit dies parvos*, id est quis tantam velocitatem tanti operis non accipiat pro testimonio sive experimento, quod Dominus miserit ad me vos? Ad quid autem illam dierum paucitatem scire nobis valet, nisi ad illud quod supra puerilem sensum est, et senes delectare debet, quia parvos dies, nec plures quam communis creandi hominis natura postulabat, in formando templo Dominici corporis non manufacto transisse manifestum est? Denique et illa domus quatuor annis ædificata est, et istud proprium Dei templum novem mensibus a conceptione decursus, nascendo in hanc lucem eductum est. Non

tamen huic contrarium est illud, quod in Evangelio Judæi contra Dominum dicunt : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc* (*Joan.* II), quia videlicet illi rancore ex invidia sævientes, quia dixerat : *Solvite templum hoc, et ego in triduo excitabo illud* (*ibid.*), non solum tempus quo templum ædificatum est, sed impedimentorum quoque et dilationis annos computaverunt, quibus opus, ne fieret ab edicto Cyri regis, usque ad secundum Darii annum, impeditum et dilatum est. Et ut magis amplectamur, quod dixit : *Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos, quis enim despexit dies parvos* ? Sciendum quia non plures, quam totidem, id est novem generationes transituræ erant inter Zorobabel, cujus tempore prophetavit iste, et Joseph virum Mariæ. « Zorobabel » quippe » genuit Abiud, Abiud B genuit Eliacim, Eliacim genuit Azor, Azor genuit Sadoch. Sadoch Achim, Achim Eliud, Eliud Eleazar, Eleazar Mathan, Mathan Jacob » (*Matth.* I), et post hunc illa non manufacta domus Domini fundata est in utero, et ex utero Virginis habentis, sed non cognoscentis, virum Joseph. Quis despexit aut despicere debuit dies tam parvos, verbi gratia, ut diceret: In tempora longa fiet istud. Tunc utique qui fideles erunt, qui redemptionem Israel exspectabant, scientes experimento, quod Dominus exercituum miserit me, et hæc revera locutus fuerit per me, *lætabantur*, ait, et *videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel*, id est Christum natum de stirpe Zorobabel. Quare autem dixit *lapidem stanneum*, et non potius aureum lapidem, sive chrysolithum, aut, ut C supra jam dixit, *candelabrum aureum*? Ad hæc, hoc sciendum quia gloria humanitatis Christi usque ad passionem mortis longe minor existit quam esse cœpit ex virtute resurrectionis. Erat quidem etiam ante passionem habitans, *in illo omnis plenitudo divinitatis* (*Coloss.* II), manebatque et requiescebat super eum Spiritus septiformis (*Isa.* XI). Unde et ita super lapidem stanneum, septem oculos Domini, sicut super candelabrum aureum, septem lucernas se vidisse dixit, sed quanto pretiosius stanneo aurum, quanto lapide stanneo candelabrum aureum, tanto gloriosior est post resurrectionem quam fuit ante passionem humanitas ejusdem mediatoris Dei et hominum. Sequitur : « Et respondi, et dixi ad eum : Quid sunt duæ olivæ istæ ad dextram candelabri et sinistram ejus ? Et respon- D di 325 secundo, et dixi ad eum : Quid sunt duæ spicæ olivarum quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt effusoria ex auro? Et ait ad me, dicens: Nunquid nescitis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi; et dixit: Isti sunt duo filii olei, qui assistant Dominatori universæ terræ. Valde attenta et studiosa percunctatio vix brevem responsionem accepit, quæ et si prophetæ intelligibilis fuit, utpote jam intelligentiæ donum habenti, nihilominus clausum illius temporis hominibus sensum continuit, quam si nihil responsum fuisset ei. Sed et hodieque sensus ejusdem responsionis multis du-

A bius et incertus est, ita ut alii duas olivas Mosen et Eliam significare velint, alii legem et Evangelium in dextra, lex in sinistra sit. Nos autem postremi quid dicemus, si nec illud, nec illud sufficit ? Nimirum quoniam in septem lucernis super candelabrum aureum significationis Spiritus sancti, quem cum Patre Deo Filius Deus glorificatus, et propter passionem mortis gloria et honore coronatus dedit, et tantæ dignitates duæ olivæ sunt, ut stent juxta duo rostra aurea candelabri, unam ad dextram et unam ad sinistram candelabri sive lampadis arbitramur nihil dignius, nihil intelligi posse convenientius quam duo data ejusdem Spiritus sancti. Bis namque datus est Spiritus. Primo, in remissione peccatorum per passionem Domini nostri Jesu Christi. Secundo in divisiones gratiarum per gloriam ejusdem Jesu Christi resurrectione et ascensione glorificati, et sedentis ad dextram majestatis in excelsis. Una oliva a sinistris, et una a dextris candelabri, quia videlicet datum primum, quod est in remissionem peccatorum ab humilitate passionis, secundum quod est in divisione gratiarum a gloria paterni consessus, credentibus in ipsum provenit. Hæc sunt *duo rostra aurea*, videlicet, adoranda passionis humilitas, et prædicanda exaltationis gloria, juxta quæ videntur stantes duæ olivæ, quia videlicet ubi passus et mortuus est ibi exspectantibus se remissionem peccatorum contulit defunctis et vivis, unde et mox ubi post mortem in medio discipulorum suorum redivivus stetit, et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* XX). Et exinde quinquagesimo die ubi sedet ad dextram Patris, inde divisiones gratiarum dedit apostolis, quas et significabant *dispartitæ linguæ, quæ apparuerunt illis tanquam ignis* (*Act.* II). *Isti sunt* ergo, inquit, *duo filii olei*, id est duo data Spiritus sancti sive duo effectus omnipotentis ejus gratiæ, *qui assistunt Dominatori universæ terræ*, quia semper promptum et paratum est uni Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto, remissionem peccatorum, et insuper quamlibet divisivam gratiam dare, et prout vult distribuere.

Cap. V. — « Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi, et ecce volumen volans, et dixit : Quid tu vides ? Et dixi : Ecce ego video volumen volans. Longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum, et dixit ad me : Hæc est maledictio quæ egredietur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Educam illum, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter. Et commorabitur in medio domus ejus et consumet eum, et ligna ejus, et lapides ejus. » Hoc futurum erat ut post illa quæ hactenus in hac visione significata sunt, scilicet post incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem. Domini Jesu, dato Spiritu, prædicantibus apostolis, Judæi non crederent, imo et prædicatores Evangelii persequerentur et occiderent, atque proinde venirent super eos omnes

maledictiones legis, quas Moses in Deuteronomio scripsit, quæ sunt hujusmodi : « Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui » (*Deut.* XXVII), etc. Recte ergo et secundum rerum gerendarum ordinem, post quam dixit Dominus : *Ecce venio et habitabo in medio tui* (*Zach.* II) ; postquam, ablatis vestimentis sordidis, Jesus indutus est mutatoriis ; postquam candelabrum aureum stetit cum septem lucernis, et duabus olivis sive olivarum spicis, quæ sunt *duo filii olei*, id est, duo de quibus jam dictum, data benedictionis, cernitur *volumen volans*, et *hæc est maledictio*, inquit, et « educam illud et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter. Dilexit » enim « maledictionem et veniet ei, et noluit benedictionem et elongabitur ab eo » (*Psal.* CVIII). Volatus voluminis, cursum velociter advenientis significat maledictionis, quia videlicet, sicut Psalmista dixerat : « In generatione una deleatur nomen ejus » (*ibid.*), ita futurum erat et ita factum est, ut ultra quadraginta annos maledictio, id est vindicta super populum Judaicum non differretur. Longitudo voluminis, id est maledictionis, æternitas est damnationis ; et latitudo ejus, temporalitas tribulationis. Nam et in præsenti et futuro sæculo damnati sunt increduli Judæi in vindictam sanguinis Domini Jesu et prophetarum ejus. Et latitudo quidem maledictionis decem cubitorum est, quia videlicet temporalis tribulatio, qua *ceciderunt in ore gladii, et captivi ducti sunt in omnes gentes* (*Luc.* XXI), decalogi, quod prævaricati sunt, justa vindicta est. Porro longitudo ejusdem maledictionis viginti cubitorum, id est dupla est; quia nimirum æterna damnatio non solum corpus ut præsens tribulatio continget, sed et corpus et animam gehennali igne puniet. *Hæc* igitur *est maledictio*, inquit, *quæ egreditur super faciem omnis terræ*, et profecto primum terræ Judaicæ. « Ira enim et indignatio, et tribulatio, et angustia in omnem animam hominis Judæi primum et Græci » (*Rom.* II). Et revera prophetiæ præsentis ordo postulat, faciem omnis terræ hic intelligi universitatem terræ Judaicæ quæ legem accepit, id est non solam civitatem Hierusalem, sed et omnes civitas Judææ, quia semper omnem terram illam maledictio advolavit, et super omnem gentem illam effusa est. Unde et adhuc subditur : *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.* Quomodo ibi scriptum est, scilicet in volumine maledictionis ? Præmisso, *maledictus eris in civitate*, usque, « maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens » (*Deut.* XXVIII). Quantæ, quam horribiles maledictionis sententiæ, nominatim cursu continuo proferantur, volenti legere vel numerare promptum est. Triginta namque ejusmodi sententiæ, et pleræque ex ipsis declamatione imprecatoria deprompta, quarum prima est, *mittet Dominus super te famem et esuriem* (*ibid.*) ; tricesima, *ipse erit in caput, et tu eris in caudam* (*ibid.*). Nam verba sive sententias

A esse maledictionis ipse confirmat, ita concludens, « et venient super te omnes maledictiones istæ, et persequentes apprehendent te donec intereas » (*ibid.*). Post hæc et alia similiter ad maledictionem pertinentia declamat, non tamen imperantis modo, sed annuntiantis et loquentis more prophetico. Hæc idcirco dixerim, quia revera nonnihil habet considerationis et admiratione dignum, tot præscriptas fuisse sententias maledictionis, quod argenteos daturi erant in pretium sanguinis Domini. In psalmo quoque centesimo octavo, si diligenter computes, maledictiones totidem invenies, quarum prima, *constitue super eum peccatorem ;* ultima est, *et induantur sicut diploide confusione sua.* Nonne propter hæc magis delectatus animus, **326** numerum voluminis qui est
B in longitudine, et numerum qui est in latitudine recte conjungit, et componit, ut sint triginta cubiti magnitudinis voluminis, sicut sunt triginta sententiæ maledictionis, et triginta argentei fuerunt, quos in pretium sanguinis Domini fur ille, id est cœtus Judæorum dedit ? Denique, sicut longitudo et latitudo unam magnitudinem faciunt, ita et decem qui sunt latitudinis et viginti cubiti longitudinis recte simul veniunt, et triginta fiunt. Et quis nesciat, quis dubitet evenisse quod ait, « quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur : Et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur, educam illud et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eum, et ligna ejus et lapides ejus, » quis nescit, quis non audit, quia sic omnino factum est ?
C Venit enim volumen illud maledictionis ad domum furis, ad domum illam quæ, cum debuisset esse *domus orationis*, facta est *spelunca latronum, et domus negotiationis* (*Matth.* XXI), et ille fur qui hoc fecerat, et latrocinia sua in domo illa perjuro cumulabat, imo et ipsum Dei Filium mendaciter, et in dolo adjuraverat, proloquente quodam : *Adjuro te per Deum verum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei benedicti?* (*Matth.* XXVI.) Omnis ejusmodi fur et ejusmodi jurans sive adjurans, id est tam populus quam sacerdos judicatus est, sicut ibi scriptum est, omnino sicut scripsit Moses, *et consumpsit eum, ligna ejus et lapides ejus*, ita ut flamma concremarentur ligna, et non remaneret lapis super lapidem de omni domo illa, et non pertransivit a populo illo
D volumen illud quod est maledictio, sed *commorabitur adhuc in medio* ejus. Sequitur : « Et egressus est angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : Leva oculos tuos et vide ; quid est hoc, quod egreditur ? Et dixi : Quidnam est ? Et ait : Hæc est amphora egrediens. Et dixit : Hic est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ, et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus. Et levavi oculos meos et vidi ; et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi, et levaverunt amphoram inter terram et cœlum.

Et dixi ad angelum,qui loquebatur in me : Quo istæ A deferunt amphoram ? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur,et ponatur ibi super basem suam. » Pars maxima,pars præcipua Judaici sceleris et pœnæ consequentis, miraculo mystico,mysterio mirabili designatur littera præsentis capituli. Dixerat in præcedentibus furem, dixerat mendaciter jurantem, sed de his duobus dictis, nondum habes scelerum illorum mensuram sive plenitudinem, quam ipse Dominus cognitam, imo præcognitam habens jamdudum, *et vos*, ait, *implete mensuram patrum vestrorum* (*Matth.* XXIII). Mensura illa recte hic intelligitur præmonstrata per amphoram. Nam levatis oculis suis ad videndum, et attentus factus ab interrogante oculo, *quid est hoc quod egreditur*, et ipse interrogans quidnam esset, B audivit : *Hæc est amphora egrediens*, et *hic est oculus eorum in universa terra*. Secundum ordinem hactenus in præsenti visione observatum, recte, ut jam dictum est, illa intelligitur mensura patrum, qui prophetas occiderunt : quam cum implevissent filii, occidendo ipsum prophetarum Dominum, lapidando sive occidendo, flagellando in synagogis suis, et persequendo de civitate in civitatem missos ad se prophetas evangelicos, et sapientes, et scribas, justum fuit ut veniret super eos *omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi* (*ibid.*), quemadmodum ipse dixit, et ita factum est. Et notandum quod amphoram etiam oculum nuncupavit, *hic est*, inquiens, *oculus eorum in universa terra*. Constat enim et in universa terra notum C est, quia non per ignorantiam, sed per invidiam Christum occidendo, et apostolos ejus persequendo, mensuram illam sive amphoram impleverunt, et omnino scienter peccaverunt, et oculum in peccando apertum et videntem habuerunt. Nam *si cæci essetis*, ait, *non haberetis peccatum* (*Joan.* IX) ; et alibi : *Nunc autem et viderunt et oderunt, et me et Patrem meum* (*Joan.* XV). Vere igitur, *hic est*, ait, *oculus eorum in universa terra*, quia videlicet peccatum eorum non effecit error sive ignorantia, sed oculus nequam, nequam, id est invidia, et hoc auditum est in universa terra.

Sed et illud notandum quod dicens, *hæc est amphora*, addidit, *egrediens* ; quia profecto illa iniquitatis amphora diu versabitur intus, et in conventi- D culis et secretis consultationibus, *quomodo Jesum in sermone caperent* (*Matth.* XXII), *quomodo illum dolo tenerent et occiderent* (*Marc.* XIV), et quod taliter diu tractaverunt, tandem longo circuitu pertractum, egressum est in publicum. Hinc est illud Psalmistæ, quod tam de traditore quam de omni inimicorum cœtu, qui dixerunt, *quando morietur et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL), recte intelligitur, « cor ejus congregavit iniquitatem sibi, egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum, adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi, verbum iniquum constituerunt adversum me » (*ibid*). Nimirum sic agendo amphora intus versabatur, tunc autem egressa est, quando diffinito consilio, « tanquam ad latronem exierunt cum gladiis et fustibus » et seditiosis clamoribus petierunt atque effecerunt ut crucifigeretur (*Joan.* XVIII). *Et ecce*, ait, « talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ, et dixit : Hæc est impietas. Talentum plumbi » pondus est judicii sive damnationis, magnum utique et grave secundum magnitudinem et gravedinem irremissibilis delicti, id est cordis impœnitentis.

Nam hujusmodi delictum impietas est, cujus perseverantiam quam hodieque videmus, sessio muneris in medio amphoræ congrue significat. Sedens namque nunc usque patres impii in cathedra pestilentiæ blasphemantes, et filios suos Christum blasphemare docentes, atque hoc modo in medio amphoræ sive mensuræ impletæ mulier sedet, dum eis etiam in ore gladii cadentibus et ubique gentium in captivitatem dispersis, impietas sua placet. Proinde quid sequitur? *Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeum in os ejus.* Hoc post præsentem vitam et fit et fiet. Jam factum est, quod supra significabatur et dicebatur, ubi *volumen volans* propheta vidit, et *hæc maledictio*, inquit angelus, et *educam illud, dicit Dominus exercituum, ad domum furis, et consumet eum, et ligna ejus, et lapides ejus.* Hoc, inquam, jam factum est, quia templum illud exterminatum, et quæ erat civitas destructa est ; sed magnitudo amphoræ et impietatis, quæ in medio sedet, exigit, ut hac vindicta simplici, justitia Dei non contenta sit. Ergo *et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus* : statimque, *et levavi*, ait, *oculos meos et vidi* ; *et ecce duæ mulieres egredientes, et Spiritus in alis earum, et levaverunt amphoram inter terram et cœlum*, etc. Mirum quod et mulier, quæ est impietas, sedebat in medio amphoræ, *et projecit eam in medio amphoræ*, ut littera sonat. Quomodo poterat projici *in medio amphoræ*, quæ sedebat in
327 medio amphoræ ? Sed profecto amphora ista non manufacta, quæ est impleta peccati mensura, aliter est, quia videlicet peccato suo nemo traditur, nisi qui se tradidit ultroneus, juxta illud : Et dimisit eos *secundum desideria cordis eorum* (*Psal.* LXXX), et qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Nam projicere impietatem, id est impiam animam, hoc est, convertere eam, quod tunc fit, cum ad quartum scelus pervenerit, sicut in Amos Dominus dicit : « Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor, sive super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum » (*Amos.* II). Primum namque scelus est, malam voluntatem habuisse; secundum, malum quoque opus perpetrasse; tertium, consuetudinem mali operis habere ; quartum arguenti legi sive justitiæ Dei repugnare, et verba proferre blasphemiæ. Qualis vel quanta quarto huic sceleri pœna debeatur, significet id quod dictum est, *et misit massam plumbeam in os ejus.* Massa namque plumbea sive talentum plumbi, pondus, ut jam dictum est, significat damnationis vel judicii

Dei, quod videlicet impietas hujus amphoræ, id A est, mensuræ sæpe dictæ irremissibilis sit, testante ipso Domino, quia qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, id est, qui scienter de bono dixerit malum, ut tunc Judæi vel Pharisæi, et, post hæresiarchæ fecerunt, non remittetur ei *in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII). Quid tandem sunt duæ mulieres, quæ portando huic tanto ponderi addictæ, quemadmodum dicit : *Et levaverunt amphoram inter terram et cœlum*? Duas ex Scripturis propheticis mulieres notas habemus, et *nomina earum*, ait Dominus ad Ezechielem, *Oolla major et Ooliba soror ejus minor*. Item : *Porro earum nomina Samaria Oolla, et Hierusalem Ooliba* (*Ezech.* XXIII). Ac deinceps : *Fili hominis* non *judicas Oollam et Oolibam, et annuntias ei scelera earum, quia adulteræ* B *sunt et sanguis in manibus earum* ? Hæc et his similia per similitudinem dicta sunt, quia videlicet sicut adultera dicitur et est mulier, quæ relicto viro suo alteri commiscetur viro, ita Oolla et Ooliba relicto Deo patrum suorum coluerunt deos alienos. Et sanguis in manibus earum, quia missos ad se prophetas occiderunt. Et Ooliba minor plus quam Oolla, id est, Hierusalem plus insanivit, quam Samaria. Quomodo ? Quia procul dubio cum similia fecerit Hierusalem, quæ et Samaria fecit, occidendo prophetas, et sectando idololatriam, addidit quod majus est, occidendo Dominum, et eligendo Barabbam, quod fuit implere, ut jam dictum est, mensuram patrum, quæ intelligitur per amphoram (*III Reg.* XVIII ; *Matth.* XI, XIV). Pulchre ad hunc sensum accedit, quod et apud Oollam, id est Samariam, C mulier Jezabel priores prophetas interfecit, et apud Oolibam, id est Hierusalem, mulier Herodias novissimum prophetarum, et plus quam prophetam, Joannem occidit. Igitur duæ mulieres, patres et filii sunt, patres qui mensuram sanguinis fere dimidiaverunt, et filii qui mensuram impleverunt, et ita unam eamdem amphoram sibi ad portandum, cum impietatis pondere communem fecerunt. Istæ *habebant olas quasi milvi*, id est superbiam quasi diaboli, quia videlicet sicut in psalmo scriptum est : *Tenuit eas superbia*, opertæ *sunt iniquitate et impietate sua, et prodiit quasi ex adipe iniquitas earum* (*Psal.* LXXII), dum diceret anterior mulier, non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isaiæ (*III Reg.* XII) ; posterior vero di- D cente Pilato : *Regem vestrum crucifigam* ? clamaret dicens : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Itaque et *Spiritus*, inquit, *in alis earum*, spiritus utique blasphemiæ, unus idemque in superbia mulierum talium, ut illa subsannaret patrem et patriarcham et David, ista Filium David. Hoc omnino reminisci juvat, quotiescunque mensuræ illius mentio fit, de qua hic agitur, propter amphoram ejusmodi, quia videlicet abnegatio David, et schisma quod fecerunt patres, scindendo se a domo David, vitulosque colendo quos Hieroboam fecit, initium fuit impietatis, quam impleverunt filii negando Christum ante faciem Pilati. Nonne patres dicendo : Non est nobis pars in David, jam negatores exstiterunt ejusdem Christi, quem negaverunt filii. Promissio namque facta fuerat ipsi David, Christum de semine ejus nasci, et idcirco sicut ad Samuel dixit Dominus : *Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (*III Reg.* VIII), ita de illis verissime dicas, quia non David, sed Christum negaverunt, ne regnaret super eos, præeligentes Filio David Barabbam, sicut illi patres eorum ipsi David præelegerunt Jeroboam *Et levaverunt*, ait, *amphoram inter terram et cœlum.* Quid sibi vult hujusmodi dictum, *levaverunt inter terram et cœlum.* Scimus quidem quia quod est portandum sive deferendum, deferendo levatur inter terram et cœlum. Sed quid sibi vult hujusmodi dictum, nisi ut innuat tibi respicere rem, cujus erat totum portentum ? Quænam est illa res ? Nimirum ipsa sanguinis vindicta, cujus, ut supra dictum, signum erat amphora, et in amphora sedens impietas. Qualis enim est sanguinis sive iniquitatis illius vindicta ? Ecce palam est, et videmus Judæos qui mensuram illam, ut sæpe jam dictum est, impleverunt, levatos inter terram et cœlum. Quomodo ? Quia videlicet nec terra sua capit eos, nec cœlum admittit eos. Nonne ducti in omnes gentes captivi, terram suam non contingunt ? Multo magis cœlum contingere, id est, ad regnum cœlorum pervenire, cum sint increduli, non possunt. Hujus rei non istud solum fuit portentum, quod levaverunt amphoram inter terram et cœlum, verum etiam illud quod sceleris eorum signifer Judas periit inter terram et cœlum. *Suspensus* enim *crepuit medius*, et, ut ait quidam, cœlo terræque perosus, inter *utrumque* perit, *et diffusa sunt omnia viscera ejus* (*Matth.* XXVII ; *Act.* I). Sic namque ille populus cœlo ac terræ perosus a terrena Hierusalem abactus, et cœlesti Hierusalem indignus, inter utramque periit, et sic reliquiæ dispersæ sunt ejusdem populi, sicut prudentis inter terram et cœlum diffusa sunt jam dicti viscera proditoris. Quam melius quanto pulchrius atque dulcius signum sive portentum, quod duo viri ex his qui exploraverant repromissionis terram, revertentes botrum cum palmite in vecte portaverunt (*Num.* XIII). Confer duos illos viros duabus mulieribus istis, et vexationem illorum istarum oneri, si tamen possunt conferri, cum omnino contraria sint. Sicut enim istæ mulieres duæ malos patres, et malos malorum patrum filios, qui impleverunt mensuram eorum, significaverunt, sic econtra, illi duo viri, bonos patres, quorum optimi patriarchæ et prophetæ fuerunt, et bonos bonorum patrum filios, quorum apostoli optimi sunt, et mystice designaverunt. Et sicut amphora quam inter terram et cœlum mulieres levaverunt, plenæ mensuræ scelerum portentum fuit, sic econtra botrus, quem in vecte viri portaverunt, pietatis et justitiæ quæ in cruce pependit, signum exstitit. Nunc sequentia percurramus. *Quo*, inquit, *istæ deferunt amphoram* ? *Ut ædificetur*,

ait, illi *domus in terra Sennaar, et stabiliatur ibi super basim suam.* Terra Sennaar dicta est terra Babylonis, ubi turrim ædificaverunt superbi, quorum linguæ confusæ, et ipsi in omnes terras dispersi sunt (*Gen.* XI). Interpretatur autem Sennaar *excussio* sive *fetor dentium*, et hoc maxime loco terram significat illam, quam dicit David tenebras, et *terram oblivionis*, et Job sanctus *terram tenebrosam, et opertam mortis* **328** *caligine*, ille dicendo : *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et indicia tua in terra oblivionis* ? (*Psal.* LXXXVII) ; iste autem clamando : *Dimitte me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine* (*Job.* X). In illam terram Sennaar, in illam terram putoris dentium, *deferunt*, ait, mulieres *istæ amphoram* suam, mulieres quarum *dentes arma et sagittæ*, et quarum *lingua gladius acutus* (*Psal.* LVI), *ut* illic *ædificetur* illi *domus* et illic *super basim stabiliatur*. Quæ est illa domus ? Quæ est illa basis ejus ? Domus est mortis, basis est perditionis stantis et permanentis. Quia *sepulchra eorum*, ait Psalmista, *domus* eorum *in perpetuum* (*Psal.* XLVIII), et non est ibi spes sive exspectatio transeundi ad aliam domum, transmigrandi ad alium locum. O ergo quam malum stabilimentum, quod miro modo declamavit, ita pronuntians, *ut ædificetur ei domus in* terram *Sennaar, et stabiliatur et ponatur ibi super basim suam.*

CAP. VI.— Sequitur : « Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi, et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, et montes ærei. In quadriga prima, equi rufi, et in quadriga secunda, equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii et fortes. Et respondi, et dixi ad angelum, qui loquebatur in me : Quid sunt hæc, Domine mi ? Et respondit angelus, et ait ad me : Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur ut stent coram Dominatore omnis terræ. In quo erant equi nigri, egrediebantur ad terram aquilonis, et albi egrediebantur post eos, et varii egressi sunt ad terram austri. Qui autem erant robustissimi, exierunt et quærebant ire et discurrere per omnem terram. Et dixit : Ite et perambulate terram, et perambulaverunt terram. Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens : Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt Spiritum meum in terra aquilonis. » Meminisse oportet unam esse, et unius noctis visionem, ab eo quod dixit : *Vidi per noctem. Et ecce vir ascendens super equum rufum*, usque ad id quod postmodum dicturus est, *et factum est in anno quarto Darii regis* (*Zach.* VII), secundum rerum ordinem, quæ tunc gerendæ erant, nunc autem gestæ sunt fere omnes, præter secundum viri ejusdem, scilicet Domini nostri Jesu Christi adventum. Consideramus visionis ordinem pulcherrimum, et non minime delectatus est animus, gloriam talis viri quærens ad diligens, quia recto hic ordine invenit historiam salutis, historiam gratiæ et veritatis, quomodo Deus et Verbum sive Filius Dei, memor propositi, memor ad Abraham et

A David dictæ atque juratæ promissionis, reversus est ad Hierusalem in misericordiis, et in ea domus ejus ædificata est. Et quatuor cornua quæ ventilaverunt Judam et Hierusalem, id est quatuor regna, per quæ conatus est diabolus eamdem abolere promissionem, detrita sunt, et tunc venit Dominus, o filia Sion, et habitavit in medio tui. *Verbum* enim *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Atque idem Deus, filius Josedech, quod est Filius Domini justitiæ, mutatoriis indutus, id est, propter passionem mortis, gloria et honore coronatus est, ascendensque in cœlum, factusque candelabrum magnum, candelabrum aureum septem lucernarum, claruit per mundum universum, dando apostolis, vel prædicatoribus suis sanctum septiformem Spiritum, B et qui lumen tantum exstinguere voluerunt, impleta paternorum mensura scelerum, suam sicut novissime dictum est, amphoram et impietatem blasphemiæ deportandam in terra Sennaar, cum plumbea damnationis massa receperunt. Quid deinde factum est post illorum excidium, quod dignum sit intelligi per quatuor hujusmodi quadrigas, egredientes de medio duorum montium, quarum in prima sunt equi rufi, in secunda equi nigri, in tertia equi albi, in quarta equi varii fortes ? Levemus cum propheta oculos nostros, et prospectum extendamus per mundum universum. Et ecce mundus plenus est, et ex quo beati apostoli de candelabro illo sunt illuminati, cœpit impleri quadrigis ferventibus, et equis currentibus, de quibus et Habacuc decantans Domino, *qui ascendens*, ait *super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio* (*Habac.* III). Quadriga prima, in C qua erant equi rufi, apostolorum est et martyrum. Quadriga secunda, in qua erant equi nigri, pœnitentium est, qui ab apostolorum temporibus incipientes, in his qui sanguinem Christi fuderant, vitam nobis cœnobialem sanxerunt. Unde usque hodie per orbem niger tam professione quam habitu perseverat ordo monachorum. Quadriga tertia, in qua erant equi albi, ordo est virginum, utriusque sexus, totum candore suo perornans equitatum Jesu Christi Domini exercituum. Unde illud notandum quia, cum dixisset : *In quo erant equi nigri, egrediebantur ad terram aquilonis*, ait, *et albi egrediebantur post eos.* Illum namque vitæ ordinem, qui facinorosis erat necessarius, quemque priores illi susceperunt, ut D fructus dignos pœnitentiæ facerent, subsequuntur quamplurimi, neque homicidii, neque adulterii, sive alterius cujuslibet criminis rei, imo et plerique corpore incorrupti atque integri, quos beatus papa Gregorius, *Quid*, inquit, *nisi et justos et pœnitentes dixerim* ? Plane hoc ipsum est ingredi *ad terram aquilonis*, vitam austeriorem exsequi, quæ tantum differt a vita remissiore multis utente deliciis, non tamen illicitis aut lege prohibitis, quantum rigor aquilonis a suavitate austri sive favonii, quantum hiemalis algor a vernis distat blanditiis. Unde notanda littera, quia sic dictum est, *in quo erant equi nigri egrediebantur* in *terram aquilonis*, ut sit sen-

sus. Propter quod erant sibi peccatorum conscii, in propositum se dimiserunt vitæ arctioris. Quadriga quarta, in qua erant equi varii fortes, pastorum atque doctorum est, et omnium in quibus eminent illæ gratiarum divisiones, de quibus Apostolus, *alii*, inquit, *per Spiritum datur sermo sapientiæ*, alii *fides*, alii *genera linguarum*, alii *gratia sanitatum* (*I Cor.* XII), etc. Num parvum hoc est, aut indignum fuit inter illa magna, quæ ventura erant, et de quibus jam dictum atque adhuc dicendum est: Istos Ecclesiæ gentium ordines prophetica visione demonstrari, imo quis prophetarum de hujusmodi tacuit et gentes salvandas. Unde ordines istos Divinitas assumpsit non declamavit in gaudio Spiritus sancti? Quid porro sunt duo montes illi, quorum de medio quadrigæ istæ videntur egredi, qui videlicet *montes* dicuntur *ærei*. Montes isti duo Testamenta sunt, Lex et Evangelium, dicunturque montes propter altitudinem sive dignitatem cœlestium, quæ continent, sacramentorum, quam videlicet altitudinem illud quoque significat, quod et Lex in monte data est (*Exod.* XX). Et evangelicum sermonem Dominus, in monte sedens atque os suum aperiens, exorsus est (*Matth.* V): Montes isti, montes ærei, videlicet propter sonoritatem atque diuturnitatem tam Legis quam Evangelii, quia non potest solvi Scriptura tam legalis, quam evangelica (*Joan.*, X). Nam *iota unum sive apex unus*, ait Dominus, *non peribit a lege donec omnia fiant* (*Matth.* V), et *cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.*, XXIV). De medio montium istorum quatuor quadrigæ egressæ sunt, quia videlicet utrumque Testamentum, quatuor jam dicti ordines ecclesiæ recipiunt, et sicut in alia similitudine dictum est, **329** *de medio petrarum dabunt vocem* (*Psal.* CIII), ita hic recte dicas, quia *de medio duorum montium*, montium æreorum, quadrigæ istæ procurrent, id est, de communi legis et Evangelii sensu sive consensu servabunt vitæ ordinem, scientiæ vel doctrinæ puritatem. Quid tandem est, quod percunctanti prophetæ, *quid sunt isti, domine mi*; respondens angelus, *isti sunt*, ait *quatuor venti cœli qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore universæ terræ*? Quid nisi quod Sapientia dicit, quia *multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum*? (*Sap.* VI.) Idcirco nimirum *quatuor quadrigæ* istæ, quatuor venti cœli dicuntur esse, quia sicut venti perflando nebulas sive pruinas evertunt, aeremque qui per quietem corruptior fieret, inquietando saniorem efficiunt. Sic ordines isti, quos diximus singuli in suis officiis stando, et cum tempus postulat discurrendo atque festinando suscitant homines ad cognoscendum Deum Creatorem suum, qui nisi crebra commonitione solliciti redderentur, nec cogitarent quidem corrupti mente, restare quidquam post præsens sæculum, aut in fine distare quidpiam inter hominem et jumentum. Hinc est illud quod Joannes in Apocalypsi: *Vidi*, ait, *quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor*

A *ventos cœli, ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem* (*Apoc.* VII). Quatuor namque angeli quatuor angelorum mali principes, id est, angelicæ fortitudines fuere quatuor regnorum principalium, Babylonici, Persici, Macedonici, atque Romani, de quorum uno angelus bonus, qui Danieli loquebatur: *Princeps*, ait, *Persarum restitit mihi viginti et uno diebus* (*Dan.* X). Regnis sive regnorum principibus illis hoc fuit tenere quatuor ventos cœli, cohibere a cultu sive servitio Dei quadrigas istas, id est, colentium Deum, id est, quos diximus ordines et servientium Creatori sed inclamavit et compescuit illos alter angelus, qui ascendit ab ortu solis, habens signum Dei vivi (*Apoc.* VII). Qui non est alius nisi vir iste, qui in initio visionis hujus super *equum rufum ascendit, et*
B *post eum equi rufi varii et albi*, qui erant sancti prioris populi Veteris Testamenti. Nam iste quadrigæ, isti quatuor venti cœli, qui ab euntibus illis mulieribus cum amphora sua egressi sunt de medio duorum montium, ut assisterent Dominatori universæ terræ, sancti sunt junioris populi qui, negante Christum Synagoga, ut dudum negaverat, dicendo: *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai* (*III Reg.* XIII), mulier altera, scilicet decem tribuum scissura, crediderunt in eum, et assistunt illi nunc usque, sicut veraciter Dominatori universæ terræ. Inter quos ista equorum non prætereunda est distantia, quod illic nigri non erant equi, tantummodo *rufi, varii et albi*, hic autem rufi, nigri, albi et varii. Quid ex hoc animadvertendum est,
C nisi, quia pœnitentiam, quam equorum esse nigredinem jam dictum est, publice illo tempore nemo prædicabat. Nam a diebus Joannis ista nigredo cœpit, qui primus baptismum pœnitentiæ prædicavit, subsequente protinus Evangelica voce ipsius Domini dicentis: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Porro in lege ne saltem pœnitentiæ nomen arbitror usquam reperiri, sed qui fecerit hoc vel illud morte moriatur, nisi quod post legem multo tempore venientes prophetæ, aliquid super pœnitentia clamaverunt regibus et populo, qui communiter derelicto Domino, et vitulos aureos quos fecit Hieroboam, et Baal, et Astaroth, cæteraque tam in Hierusalem quam in Samaria colebant portenta deorum, *a diebus*, ut jam dictum
D est, *Joannis regnum cœlorum vim pati cœpit* (*Matth.* XI), hujusmodi, ut non diceretur, morte moriantur criminosi, morte moriatur qui hoc vel illud fecit aut fecerit, sed *pœnitentiam agite*, et *facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III); *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum; pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II), quorum primum Joannes, secundum ipse Dominum, tertium apostoli Domini post passionem ejus, ipso jubente, prædicaverunt, et ex tunc cunctis peccatoribus quacunque ex gente vel natione confugientibus, quantumlibet criminosis sive facinorosis, patet pœnitentiæ asylum, patet eorum violentiæ regnum cœlorum.

Unde notandum quia de nigris equis, ut jam dictum est, egredientibus ad terram aquilonis, id est, de peccatoribus pœnitendo semetipsos tradentibus vitæ arctiori Dominus ita dicit: Hi *qui egrediuntur ad terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis.* Etenim hic sensus: Hi qui pœnitentiam egerunt vel agunt de peccatis suis, quod est egredi ad terram aquilonis, ubi ultroneus labor, tanquam glacialis rigor pœnitentis corpus affligit, per hoc ipsum quod illuc egressi sunt, iræ meæ spiritum requiescere, id est, cessare fecerunt, ut jam ego non irascar eis, quoniam ipsimet irati sunt sibi. Sicut enim peccando exacerbavit Dominum peccator, sic contra pœnitentiam agendo spiritum Domini requiescere facit peccator. Sine dubio cum dicit, *requiescere fecerunt spiritum meum*, intelligendus est spiritus iræ, testante Psalmista, qui cum de peccatorum conversione præmisisisset, *commota est et contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt* (*Psal.* IX), et cætera, ita subjunxit: *Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ* (*Psal.* XVII). Quod si equi nigri egrediendo *in terram aquilonis requiescere faciunt spiritum Domini*, quid putas de his qui egrediuntur post eos equis albis? Et ut manifestius dictum sit, si facinorosi pœnitentiam agendo gaudium faciunt Deo et angelis Dei, secundum illam parabolam centum ovium, et unius inventæ quæ perierat, sive decem drachmarum et unius inventæ quæ perdita fuerat (*Luc.* XIII), quid putas de illis, qui nullius criminis rei, vel conscii propositum vel regulam sequentur constitutam pœnitentibus criminosis? Profecto hi spiritum Domini non solummodo requiescere faciunt, verum etiam oblectant plurimum, et unde illi veniam, inde isti coronam consequuntur sempiternam. Dictum est de equis nigris et equis albis, quod egressi fuerint, et non dictum est de equis rufis quis erant primi. Porro de equis variis qui erant quarti, manifeste dicitur, quia *egressi sunt ad terram austri*. Sed et protinus sequitur: *Qui autem erant fortissimi, exierunt et quærebant ire et discurrere per omnem terram. Dixitque Dominus ad eos: Ite et perambulate terram.* Unde et arbitrari licet illos, qui primo loco dicti fuerant *equi rufi*, nunc in novissimo fortissimos dicit. Non plures enim quam quatuor quadrigæ supra numeratæ sunt, neque dictum est hactenus quidquam de equis rufis, nec ullo modo contra rationem est, ut iidem equi et rufi dicantur et fortissimi. Restat igitur dicere, et de istorum egressu. *Varii*, inquit, *egrediebantur ad terram Austri.* Jam supra dictum est varios equos Domini, illos esse vel dici, quibus diversa data sunt charismata Spiritus sancti, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, genera linguarum, interpretatio sermonum, prophetia vel discretio spirituum, et his similia. Porro nomine Austri Spiritus sanctus solet designari. Et quæ terra hujus Austri, nisi sancta Scriptura legalis, prophetica, evangelica, quam universam utique Spiritus sanctus condidit? Quid igitur est, varios equos egredi ad terram **330** austri, nisi doctæ fidei viros jam dictas divisionum gratias habentes, eximere se omnibus curis sæculi, solisque vacare vel studere Scripturis sanctis, et verba tractare Spiritus sancti. Talium est enim hujusmodi negotium, propter ipsum, quod non solummodo nigri sive albi sunt, sed varii, id est, non solummodo propositi sancti exsecutores vel sanctitate vitæ decori, sed et sancti pariter et eruditi, quasdam habentes facultates sermonis et præclari ingenii, cæterorumque talium quas non habent multi, qui sunt vitæ laudabilis et arctioris quam sint isti, quia non dedit ipse auster, cujus hæc terra est, non dedit Spiritus sanctus divitiarum hujusmodi Dominus, *dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Denique sicut de quodam paulo simplice legimus, qui in conventu Patrum requisisse fertur, prius ne prophetæ fuerint an Christus, ita de multis diffiteri non possumus sanctæ vitæ ut exstitit ille, quod eis plurimum defuerit gratia illius, qua sanctus et verus, qui habet clavem David aperit, et nemo est qui claudat (*Apoc.* III), qua apostolis suis jam quidem sanctis, sed eatenus idiotis, post resurrectionem suam *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV). Qui erant fortissimi, videlicet, quos jam ante rufos dixit, quærebant exire et discurrere in omnem terram, quia videlicet spontanea charitate fortissimi milites Christi, pro fide ipsius ad passiones cucurrerunt, spontanea devotione tradiderunt corpora sua ad supplicia propter Deum, hoc expediebat, et fidei Christianæ talis eorum fortitudo necessaria erat, quia profecto, multos idololatria defensores habebat, quorum stultitia nihilo melius quam morte vel sanguine martyrum confundi, vel superari poterat. Et notandum quia non prius dictum est equis fortissimis: *Ite et perambulate terram*, et postea, *quæsierunt exire et discurrere in universam terram*, sed prius quæsierunt exire, et tunc demum dictum est eis: *Ite et perambulate terram.* Christiano quippe nolenti aut timido non præcipitur, vel semetipsum ingerat passioni, vel persecutoribus objiciat, imo licentia datur fugiendi, dicente Domino: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X). Volentibus ergo atque desiderantibus coronam martyrii, per magnam gratiam concedi designatur, dum fortissimis equis volentibus exire, dicitur: *Ite et perambulate terram.* Exempli gratia: tunc unus de equitibus hujusmodi, equis fortissimis quærebat exire, et dictum est ei, *perambula terram*, quomodo B. Laurentio dicenti ad Sixtum papam: *Quo progrederis sine filio*, Pater, respondit ei Dominus per os illius, quod post triduum esset secuturus. Cautela bona, cautela necessaria est omnibus equis Domini, quamvis fortissimis, ut quamvis multum desiderent ad martyrium exire, non exeant nisi exspectata, et per orationes quæsita dignatione supernæ gratiæ, quia periculosum est hujusmodi prælium,

nisi magnum adsit Spiritus sancti solatium, et plerique in negationis barathrum prolapsi sunt, dum se fortiter agere confidentes, ultro se tradiderunt. Quam fortissimus in hoc ordine Petrus apostolus exstitit, in quo tamen summæ sapientiæ complacuit sancire exemplum cavendi nimiam confidentiam in ejusmodi. Cum enim dixisset: *Domine tecum paratus sum in carcerem et in mortem ire, animam meam pono pro te, et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor, et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, cum ita fortiter cinxisset se adhuc junior et ambularet ubi volebat, occurrit ei una ancilla, *Et tu*, inquit, *ex illis es* ? atque hoc audito mortem timuit et vitam negavit (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV ; *Luc.* XXII ; *Joan.* XIII). Exspectandum illi fuerat, ut alius eum cingeret et duceret, quod et factum est postquam senuit, postquam sapientiam veramque fortitudinem didicit, quia videlicet senilis animi et cani sensus est scire, quod hæc fortitudo non in homine, sed in Deo sit. Itaque fortissimis equis et ratio præsens, et exemplum in promptu esse debuit, ut volentes exire exspectarent nutum dicentis: *Ite et perambulate universam terram*, quod est dicere : offerte vos ad mortem propter me sustinendam. Nam quia moriturus quispiam dicit, aut legitur dixisse : *Ego ingrediar viam universæ terræ* (III *Reg.* II), recte et hic exire in universam terram, sive ambulare terram intelligitur, quod sit mortem non timere, ad meliorem vitam festinare. Ad ultimum (et hoc non prætereundum, quia congrue quos in ordine quadrigarum dixerat equos rufos, hic ubi exire volentibus dictum refert, *ite et perambulate terram*, non dixit rufos, sed dixit fortissimos, quia videlicet non antequam fundant, sed postquam fuderint sanguinem suum propter Dominum equi Domini rufi sunt, et ut manifestius dictum sit, ante passiones suas confessores equi albi sunt in passionibus, et post passiones usque in sempiternum martyres et equi rufi sunt. Post hæc omnia quæ hactenus dicta et facta sunt, eodem ordine quo in hac visione præmonstrata fuerant, ab eo quod dictum est, *vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum*, quid restat secundum Christi Evangelium, nisi ut veniat ipse Filius hominis sedens in sede majestatis suæ, et coronam regni habens in capite suo, pro eo quod propter nos homo factus, et in ista captivitate natus, in ista Babylone cum hominibus conversatus, nostram captivitatem per passionem suam solvit, et multos filios in gloriam adduxit, et reduxit congregatos in unum qui dispersi fuerant, secundum similitudinem illorum, qui tunc soluta captivitate de Babylone ascenderunt, et reædificato templo Domini, rursus in Hierusalem habitare cœperunt. Sequitur ergo : « Et factum est verbum Domini ad me dicens : Sume a transmigratione ab Holdai et a Tobia, et ab Idaia, et venies in die illa, et intrabis in domum Josiæ filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone, et sumes argentum et aurum, et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedech sacerdotis magni, et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce vir Oriens nomen ejus, et super eum orietur, et ædificabit templum Domino et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo, et consilium pacis erit inter illos. Et coronæ erunt Helen et Tobiæ, et Idaiæ, et Hen filio suo Sophoniæ memoriale in templo Domini, et qui procul sunt venient, et ædificabunt in templo Domini, et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu auris audieritis vocem Domini Dei vestri. » Hic finis est præclaræ ac pulcherrimæ visionis, quæ sic incœpit : *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta.* Visionis illius nocturnæ finis hic est, sacrosanctam salutis nostræ propheticam miro modo præsentans historiam, quam hodie credentes videmus et gaudemus esse, impletam, quia sicut jam sæpe dictum, et semper est sciendum, secundum magnum quod in ea continetur pietatis sacramentum, ad illam, quam tunc Babylonii destruxerant Hierusalem, vir ille Dominus exercituum reversus est in misericordiis, et in ea domus ejus ædificata est, et licet illa quatuor cornua regnorum principalium supradictorum Judam et Hierusalem multum ventilaverint, nihilominus fecit, quod facere Deus proposuit quia promissum fuerat, Christus inde venit, et secundum Scripturas juxta hanc visionem **331** ea quæ de ipso erant jam finem habent, et ut jam ante dictum est, nihil restat, nisi ut ipse qui victor salutis omnium per passionem consummatus resurrexit, et in cœlum ascendit, redeat gloria et honore coronatus (*Hebr.* II), omni mundo, et angelis, et hominibus spectabilis. Unde quia visio est, et hæc omnia per noctem propheta vidit, non magnopere hic insistendum est sensui litterali, dum dicitur, *sume a transmigratione ab Oldai*, et cætera. Equidem tradunt Hebræi, utpote litteræ amici, quod Daniel et tres socii ejus reversi de captivitate, aurum et argentum obtulerunt in domo Domini, et exinde jusserit Dominus, sicut hic sonat littera coronas fieri, eosque commutatis nominibus designari, scilicet Oldai, Tobiam, Idaiam et Hen, Ananiam esse, et Azariam, et Misaelem et Danielem (*Dan.* II). Porro quod in secundo loco pro Oldai positum est Helen, idcirco factum est, quia Helen interpretatur *somnium*, et Daniel cum sociis suis apud Deum obtinuit ut somnii quod viderat rex revelaret sacramentum (*ibid.*). Verumtamen sive in re gestum, sive tantummodo in visione fuerit ostensum, grande et admirabile contemplemur negotium, cujus illud constat exstitisse portentum. Supra namque in hac eadem visione taliter dictum est : *Audi, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt* (*Zach.* III). Non ibi totum dictum est illi quod audire jussus est, neque amicis ejus illic totum expositum est quod audire jubebantur ; sed nec nomina ipsorum illic scripta

sunt, neque expressa propter quam, vel in quo portendentes dicti sunt. Ecce nomina eorum semel et iterum expressa sunt, primum dicendo : *Sume a transmigratione ab Oldai, et ab Tobia et ab Idaia argentum et aurum, et facies coronas* ; *deinde et coronæ erunt Helen, et Tobiæ et Idaiæ, et Hen filio Sophoniæ memoriale in templo Domini.* Nimirum et nominibus suis, et auro atque argento suo, et in eo quod coronæ exinde factæ poni jubentur in capite Jesu filii Josedech, viri isti portendentes sunt. Et recte ibi Jesus indutus erat sordidis vestibus, quæ et ablatæ sunt ab eo, dictumque est ad eum : *Audi, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt* ; recte, inquam, illi dilata est hæc portenti pars, quia videlicet prius oportebat illa fieri, quæ per candelabrum aureum et per cætera quæ scripta sunt, usque ad præsentem locum significata esse uni diximus, et domum futurum erat, et fiet illud quod præsenti capitulo significatum est. Ipsos sanctæ Ecclesiæ quatuor ordines, quos in quatuor quadrigis intelligendos esse diximus, in gloria resurrecturos, et ex ipsis sive propter ipsorum salvationem coronandum esse Dominum Jesum, quatuor viri isti portendunt Oldai, Tobias, Idaia et Hen. Oldaia namque interpretatur *deprecatio Domini*, quod videlicet nomen congruit quadrigæ illi, in qua sunt equi nigri, id est ordini illi, in quo, sicut supra dictum est, peccatores conversi ad pœnitentiam deprecantur faciem Domini. Tobias interpretatur *bonus Domini*, et idcirco congruit quadrigæ illi, in qua sunt equi albi, id est ordini illi, in quo nullius macula criminis, imo etiam multus in plerisque candor virginalis propositi. Siquidem talis ordo, sive quispiam hujusce ordinis recte dicitur *bonus Domini*: ita ut quidam istorum notissimus dicatur etiam dilectus Domini. Idaia interpretatur *notus Domini*. Unde et bene congruit quadrigæ illi, in qua sunt equi varii, id est ordini illorum quibus Spiritus sanctus divisiones gratiarum distribuit, ita ut alios docendo, regendo atque confirmando, plus cæteris innotescant Domino, ita ut cujuslibet eorum dignetur dicere : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII). Hen interpretatur *gloria*. Unde et nomen convenit equis illis fortissimis qui exierunt, et quærebant ire et discurrere in omnem terram, scilicet glorioso martyrum ordini, qui vexillum divini nominis foras extulerunt, et contra diabolum et plagas ejus visibiles atque invisibiles exierunt ad pugnam, et per universam terram sanguine roseo suo sanctam rigaverunt et decoraverunt Ecclesiam, hoc fecisse illis gloria maxima est. Igitur ab istis *sumes*, ait, *argentum et aurum, et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedech sacerdotis magni*, quia videlicet per singulas virtutes electorum suorum Dominus coronatur, imo in illis omnibus coronatis, Salvator in singulis coronam accipit, quia videlicet ipsius gratia, ipsius est opus, omnis omnium sanctorum corona. Non solum aurum, neque solum argentum, sed et aurum sumitur et argentum

A ad coronandum Jesum, quia videlicet non solo sensu Scripturarum, qui intelligitur per aurum et argentum, clarificamus eum. Locus vero ubi coronæ istæ fiant domus est Josiæ, id est salvati filii Sophoniæ, id est visitationes Domini, quo nomine recte intelligitur Ecclesia, quam Dominus universam sua visitatione salvavit, secundum typum domus Zachæi quam ipse visitavit. *Et hodie salus domui huic facta est* (*Luc.* XIX), inquit, *et loqueris ad eum, dicens* : *Hæc dicit Dominus exercituum, dicens* : *Ecce vir Oriens nomen ejus, et subter eum orietur*, et cætera. Ponendo coronas in capite Jesu filii Josedech, jubetur loqui ad eum et dicere, cujus rei ipse et amici ejus, viri portendentes sint, ac si dicat: Istud quod agitur hic aliud portendit ; alterius rei portentum

B est, quia videlicet juxta hanc significationem ecce venit, ecce in propinquo est vir magnus, vir fortis et potens, cui non est par alius. Et si vultis scire quis dicatur vel quomodo nominetur, *Oriens est nomen ejus*, quo videlicet nomine nullus virorum præter ipsum jure nominatur, quia solus hic semper est in ortu, et nullus unquam illi est occasus. Cum occidere putabitur, maxime orietur, id est cum fuerit secundum carnem huic mundo moriturus, tunc apud infernos timentibus Deum orietur, moxque super occasum ascendens, cœlo et terræ orietur vivus, et nunquam moriturus. Hoc omnino est in potestate ejus et idcirco dico vobis, quia hoc ipsum nomen ejus. Oriens subter eum orietur, id est per eum in multitudine credentium dilatabitur, in gloria resurgentium clarificabitur. Hinc est quod pro-

C tinus sequitur : *Et ædificabit templum Domino, et ipse exstruet templum Domino.* Non enim quod semel dixerat, *et ædificabit templum Domino* superflua repetitione, repetivit, dicendo *et ipse exstruet templum Domino*, sed quia una eademque Ecclesia et in præsenti sæculo ædificatur dum gentes convertuntur, et in futuro exstruetur dum omnes resurgemus ; recte non contentus semel dixisse, *et ædificavit templum Domino*, repetivit, *et ipse exstruet templum Domino. Et* tunc *ipse portabit gloriam*, scilicet quam coronæ istæ significant, quia videlicet magna illi erit gloria, tam multos *filios adduxisse in gloriam* (*Hebr.* II). Si enim cujuslibet gloria sunt hi qui per ejus ministerium crediderunt, quemadmodum et Apostolus dicit : *Quia gloria vestra nos sumus,*

D *sicut et vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi* (II *Cor.* I), quanto magis ipsius Domini nostri Jesu Christi gloria est et gloria erit, quod est ipse salus omnium, quemadmodum idem Apostolus ait, *quia cum placuit per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt ?* (*Coloss.* I) Tacito quod primum est, quia **332** *in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, et omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (*ibid.*) quæ causæ si, cum jam dictis congregentur, quot

putas coronarum gloriæ est, unus idemque Deus et homo Jesus Christus? Ergo *et ipse portabit gloriam, et sedebit*, ait, *super solio suo, et erit sacerdos super solio suo.* Quod quam justum sit, melius quis cogitare potest quam eloqui, ut ille sedeat et dominetur omnium, per quem omnia condita sunt, et sic sacerdos in æternum, per cujus sanguinem universa pacificata sunt. *Dominetur*, inquam, *super solio suo, et sit sacerdos super solio suo*, quod de nullo sanctorum dicere fas est, quia nullius eorum jus est, dicere suum dominationis vel sacerdotii solium, sed hujus tantum Domini et sacerdotis unici, cujus majestas est, et sedes una eademque sedes majestatis Dei, quemadmodum dicit: *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ* (*Matth.* XXV), et cætera. Quid et ista sibi vult congeminatio, *et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo*, nisi quia unus idemque in quem hæc dicuntur, futurum erat ut esset et nunc est rex atque sacerdos? Denique, qui rex idcirco *dominabitur*, ait, *super solio suo, et erit sacerdos super solio suo*, satisque manifestum est, hunc esse sensum quia in unam personam convenient regnum et sacerdotium, et unus idemque geminum obtinebit regni et sacerdotii solium. Ubi statim infertur, *et consilium pacis erit inter illos*, subaudiendum est, dominantem et sacerdotem, non quo Christus dividitur, sed quo principatus duo qui fuerant eatenus disjuncti, altera enim erat persona regia et altera sacerdotalis, imo Christo consocientur. Inter illos igitur subauditur principatus cum in uno fuerint inseparabiliter consociati, *consilium*, inquit, *pacis erit*, quia videlicet per illam conjunctionem pax est nobis, et sicut jam ante ex Apostolo commemoratum est, *per eum complacuit reconciliari omnia in ipso, et pacificari per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis Et coronæ erunt*, ait, *Helen, et Tobiæ, et Idaiæ, et Hen filio Sophoniæ memoriale in templo Domini.* Hoc est, quod exspectamus, quia sanctis omnibus et amicis Domini quos per istos significari jam diximus memoriale erunt sempiternum, in illo cœlesti templo Domino ipsæ coronæ quæ de auro et argento ipsorum Domino Jesu factæ sunt. De sensu et sermone ipsorum, quo Spiritus sanctus eumdem Dominum Jesum clarificavit et clarificare non desinit usque in finem sæculi. Illud quoque quod sequitur: *Et qui procul sunt venient, et ædificabunt in templo Domini*, videmus quia factum est, et fit et fiet usque in finem sæculi, et nos maxime qui de gentibus advenimus continget, quia procul eramus, quod meminisse nos vult Apostolus, ubi ad Ephesios loquitur: *Propter quod memores estote, quod vos qui eratis sine Christo, alienati a conversione Israel, et hospites testamentorum promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi* (*Ephes.* II). Nunc venimus credendo, tunc autem ubi ponetur coronarum memoriale, veniemus resurgendo, et ædificabimus, imo et ædificati tanquam lapides vivi in templo Domini permanebimus. In fine sermonis ad ipsos, de quibus loquebatur, familiariter se convertit; *et scietis*, ait, *quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc si auditu audieritis vocem Domini Dei vestris.* Et nunc quidem scimus quod prophetiam in veritate Dominus miserit ad nos, et veritatem locutus est Spiritus sanctus per prophetas suos (*Act.* XXVIII), sed *scimus ex parte* quod nondum venit *quod perfectum est* (*I Cor.* XIII). *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* V). Tunc autem sciemus experimento, cum apparuerit cum coronis jam dictis, *quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Et *hoc erit*, ait, *si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri*, hoc est, si præcepta ejus custodieritis, quia sine operibus ad tantam gloriam promerendam sola fides non sufficit.

LIBER TERTIUS.

333 Quam dulciter in Cantico sponsa dilecto canit: *Apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis* (*Cant.* VIII). Et quam dulce est experimento discere vim hujusce modulationis! Quid enim est dilectum apprehendere, nisi Christi sensum in Scripturis invenire? Et quid est eum apprehensum in domum matris, et in cubiculum genitricis ducere, nisi ad communem Ecclesiæ utilitatem sive instructionem voce aut in scripto proferre? Talis erat anima Pauli, qui nuper regeneratus Ecclesiæ sacramentis, Christi eidem Ecclesiæ jam notum optime cognoscens de Scripturis notiorem reddidit tam voce quam litteris. *Ibi me*, ait, *docebis*, quia videlicet in tali facto meritum est vicissitudinis, ut qui præceptis Ecclesiam docuit, ipse adhuc de pluribus debeat edoceri, juxta illud: *Omni habenti dabitur et abundabit* (*Matth.* XIII). In hac igitur spe, ut hactenus cucurristi, percurre, anima, gloriam quærens ejusdem dilecti, et tandiu fruere hoc quod ex parte est, donec veniat quod perfectum est. Sequitur:

CAP. VII. — « Et factum est in anno quarto Darii regis factum est verbum Domini ad Zachariam in quarta mensis noni qui est Casleu, et miserunt ad domum Dei Sarasar et Rogomelech, et viri qui erant cum eo ad deprecandum faciem Domini ut dicerent sacer-

dotibus domus Domini exercituum et prophetis loquentes: Nunquid flendum mihi est in mense quinto, vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis? Et factum est verbum Domini ad me dicens: Loquere ad omnem populum terræ et ad sacerdotes, dicens: Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi? Et cum comedistis et bibistis, nunquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis? Nunquid non sunt verba quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Hierusalem habitaretur et esset opulenta ipsa et urbes in circuitu ejus, et ad austrum, et in campestribus habitaretur?» Duo ferme intra hanc et præcedentem visionem transierant anni. Siquidem *in anno secundo Darii*, decimo mense, *vicesima et quarta* mensis, *vidi*, ait, *per noctem* (*Zach.* I), et hic *in anno quarto Darii in quarta mensis noni verbum Domini* ad se *factum* dicit, causam sive occasionem protinus inserens, propter quam, anno sive die illo factum est ad eum verbum Domini. *Miserunt*, ait, ad *domum Dei Sarasar et Rogomelech, et viri qui erant cum eo ad deprecandum faciem Domini*, etc. Istis interrogantibus et dicentibus: *Nunquid mihi flendum est, sicut feci jam multis annis*, jubetur propheta ut loquatur ad omnem populum, et dicere: *Nunquid jejunium jejunastis mihi*? etc. Unde datur intelligi populum quoque fere omnem sensus fuisse ejusdem, cujus erant Sarasar et Rogomelech, qui miserant ad domum Dei super quæstione ejusmodi. Quos Persas fuisse et duces regis Darii, timentes Dominum autumant Hebræi, ut ait beatus Hieronymus. Revera sensus eorum, et populi sensus erat imperfectus, qui quoniam templum videbant vel audiebant esse constructum, jam flendi et jejunandi causam sibi nullam superesse arbitrabantur. Manifestum est ex ipsorum interrogatione, quod temporalibus et visibilibus intenti, de æternis et invisibilibus bonis nulla aut parva sollicitudine tenebantur. Memoriter tenebant quod in quinto mense subversa civitate Hierusalem et templo, populus captivus ductus est, et quod in septimo Godolias interfectus est ab Ismael, et reliquiæ populi dispersæ sunt et ob hoc per singulos annos jejunabant et flebant (*IV Reg.* XXV; *Jer.* XLI), Porro captivitatem illam universalem, qua humanum genus adeo captivatum est in Adam, non satis curabant, atque liberatoris adventum qui catenus differebatur, non valde suspirabant, aut propter hæc flendum sibi et ejulandum existimabant. Quod si causas istas præ oculis habentes jejunarent et flerent, nunquam taliter respondisset Dominus: *Loquere*, inquens, *ad omnem populum terræ et ad sacerdotes, dicens*: *Nunquid jejunium jejunastis mihi? Et cum comedistis et bibistis, nunquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis*? Longe aliter jejunanti Danieli responsum fuit, quia longe alias jejunandi causas ille sibi propositas habuit. *Daniel*, inquit angelus Gabriel, *nunc egressus sum, ut docerem te et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est* A *sermo. Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta heddomades abbreviatæ sunt super populum tuum* (*Dan.* IX), etc. Ille profecto jejunium Domino jejunavit, quia vir desideriorum ea quæ Domini sunt desideravit, videlicet non illud solum ut reædificaretur illa civitas et templum manufactum, sed (quod longe majus, et incomparabiliter melius est) ut consummaretur *prævaricatio, et finem* acciperet *peccatum*, et deleretur *iniquitas*, et adduceretur *justitia sempiterna, et* impleretur *visio et prophetia, et* ungeretur *Sanctus sanctorum* (*ibid.*). Igitur quoniam unus idemque Dominus et hic per prophetam loquitur: *Nunquid jejunium jejunastis mihi?* Et subaudiendum est, non; *et, cum comedistis et bibistis*, B *nunquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis*? et subaudiendum est, etiam. Et alibi per Apostolum dicit: *Et qui manducat, Domino manducat, et qui non manducat, Domino non manducat* (*Rom.* XIV). Clare atque studiose discernendum est inter eum qui, dum *non manducat, Domino non manducat*, id est cum jejunat, Domino jejunat: et eum *qui non manducat*, vel dum jejunat, non *Domino*, sed sibi **334** *non manducat* aut jejunat: rursusque inter eum, qui dum *manducat, Domino manducat*, et eum qui dum *manducat*, non *Domino*, sed sibi manducat. Nimirum qui ob hoc jejunat, vel *non manducat*, ut per hunc pœnitentiæ laborem omnipotenti Deo de peccatis suis satisfaciat, et vitæ æternæ fructum recipiat, ille jejunium Domino jejunat, ille *Domino non manducat*. Qui autem idcirco jejunat, vel C *non manducat*, ut vel temporalem pœnam evadat sicut Achab (*III Reg.* XXI), vel transitoriam laudem recipiat sicut quivis hypocrita (*Matth.* VI), ille non *Domino* sed sibi *non manducat*. Similiter, qui idcirco *manducat*, ut opus Domini operari valeat, quales ipse vult esse apostolos suos, sive evangelistas, dicens: *Edentes et bibentes. Dignus est enim operarius mercede sua* (*Matth.* X), ille *Domino manducat*, et econtra, qui operatur, quamvis opus sanctum, quamvis opus Dei, ob hoc solum ut manducet, ille *non Domino*, sed sibi operatur, et sibi *manducat*. Amplius autem si non vult operari, et *manducat*, *non Domino* sed sibi *manducat*. Dicat igitur: *Nunquid jejunium jejunastis mihi*? et subauditur, non, quia non jejunastis propter regnum Dei, non jeju- D nastis ob hoc, ut civitatem Hierusalem cœlestem quam in Adam perdidistis, in adventu seminis, quod Abraham promissum est, scilicet Christi (*Gen.* XXII), recuperare mereamini. Dicat, inquam, *nunquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis*? Et respondeatur, etiam, quia non idcirco comedistis, ut operaremini opus Dei, ut viatico sustentati, pervenire possetis ad patriam vel regnum Dei. Et quis digne eloqui sufficiat quam competenter, quam opportuna invectione illos continuo percutit, dicendo: *Nunquid non sunt verba quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Hierusalem habitaretur, et esset opulenta ipsa et urbes in circuitu ejus*,

et ad austrum, et in compestribus habitaretur? Nam quia pueri erant, et de magis atque sempiternis malis parum aut nihil solliciti, sola temporalia mala deplorantes, et jejunaverant et fleverant, recte insultabundus loquar, *nunquid non sunt verba quæ locutus est Dominus*, etc. Quod si ita dixissent : Per istos septuaginta annos jejunavimus et flevimus, pro eo quod Hierusalem deserta, et nos captivi eramus, sed multo magis jejunandum et flendum est, quia nondum venit promissio aut adventus ejus, nunquam ita loqueretur, nequaquam ita insultaret eis de malis minoribus. Sequitur : *Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens* : *Hæc dicit Dominus exercituum* : *Judicate judicium meum et misericordiam, et miserationes facite unusquisque cum fratre suo, et viduam et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari, et vir fratri suo malum non cogitet in corde suo, et noluerunt attendere et verterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt ne audirent, et posuerunt cor suum adamantem ne audirent legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu suo per manum prophetarum suorum priorum. Et facta est indignatio magna Domino exercituum, et factum est sicut locutus est, et non audierunt, sic clamabunt, et non exaudiam, dicit Dominus, et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens, et posuerunt terram desiderabilem in desertum.* Priores prophetas, quorum per manum misit Dominus excercituum in Spiritu suo verba hæc, *judicate judicium verum*, etc., illos dicit qui ante captivitatem exstiterunt, quorum de præcipuis unus Isaias erat, per quem ita locutus est : *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod sit nolueritis et me provocaveritis ad iracundiam, gladius devorabit vos* (*Isa.* I). Hujuscemodi dictis, et lex primitus plena data est. Quod autem dicit, *ei noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures aggravaverunt ne audirent*, minus est facto ipsorum. Illi enim non solum non audierunt, verumetiam clamantes, prophetas occiderunt, duro corde, indomabiles, et adamanti similes, qui lapis fortissimus et in tantum durus est, ut omnia metalla confringat, et ipse a nullo confringatur, unde a Græcis indomabilis dicitur. De quo illud mirandum, quod cum tantæ sit duritiæ, solo perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissolvitur. Unde congrua similitudo est valde, *et cor suum posuerunt adamentem*, quia cum durissimæ cervicis et cordis indomabilis essent contra Deum, mollissimi erant in omnium libidinum fluxum, ut merito in illos constet eumden Isaiam dixisse : *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ* (*ibid.*). Quorsum ista commemoratio ? Videlicet quod Dominus justus ad cognoscendum, ipsi autem fuerint inexcusabiles, quia quod factum est illis, non est factum per properantem Domini

A impatientiam, sed per ipsorum perseverantem impœnitentiam. Quis non enim consentiat juste factam esse indignationem magnam Domino excercituum, pro eo quod peccatis suis addiderunt contemptum contra Spiritum sanctum, in quo mittebat eis verba Dominus exercituum per manum prophetarum? Ista ergo vicissitudine, *et factum est*, ait, *sicut locutus est* subauditur, Spiritus sanctus, *et non audierunt, sic clamabunt, et non exaudium, dicit Dominus, et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, et terra desolota est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens, et posuerunt terram desiderabilem in desertum.* Quare autem cum præteritorum narratio sit, et in cæteris omnibus omnis enuntiatio currat verbis præteriti temporis, hæc tantum verba in futu-

B rum tempus extendit, *sic clamabunt et non exaudiam*, cum dicere posset, sic clamaverunt et non exaudivi ? Quare, nisi ut intelligas eum immutabilem esse, et perseverantem in judicii veritate, quod sicut fecit tunc, ita debeat, si iterum peccaverint, iterum facere ? Denique et hoc futurum non ignorabat, quod posteri illorum pejora facturi forent, quam patres ipsi fecissent, unde et clamantes non exaudiret, neque exaudire deberet, quod cunctis gentibus nunc manifestum est. Quam vero acerba est infelicium sugillatio dicere de terra, *desolata est ab eis, et posuerunt terram desiderabilem in desertum* ! Nam vere infelicissimum est, et infelicitatem desolationis pati, et insuper criminis argui, quod ipsi desolationem ipsam fecerint, et quod ipse contra illos terra juste videatur deflere et conqueri, et

C dicere illis : Non Deus qui hoc fieri judicavit, non Nabuchodonosor, qui judicio Dei super me ascendit, sed vos coloni pessimi, vos fecistis, et ex vobis causa est, quod desolata et in desertum posita sum ego terra desiderabilis Et multum congrue præsenti loco Dominus, cui nulla terra desiderabilis, cui nil terrenum desiderabile est, terram appellat desiderabilem, quia videlicet cum se jejunasse et flevisse dicerent propter terræ desolationem, nimis aperte fatebantur terram sibi fuisse desiderabilem, cœlestem autem non se desiderare promissionem, quippe quia dicebant, *nunquid flendum nobis est et jejunandum*, satis sibi existimantes quod videbant solutam esse captivitatem temporalem. Hoc igitur, *et posuerunt terram desiderabilem in desertum*, claret quam

D **335** acerbe sit dictum, ab eo quem naturaliter dulcem ipsi sibi exacerbaverunt. Porro qualis causa est ista? *Eo quod non esset transiens et revertens.* Præmisit *et terra desolata est ab eis* et tunc demum subjunxit, *eo quod non esset transiens et revertens.* Si ita dixisset, terra desolata est, et non est transiens neque revertens, solummodo putaremus modum desolationis expressum, idque esse quod nullus eundo atque redeundo per terram graderetur. Nunc autem non tam modum exposuisse, quam causam reddidisse desolationis videtur, dicendo *eo quod non esset transiens et revertens.* Quid ergo sit. non fuisse transeuntem et revertentem, hoc iniqui-

rendum est. Confestim occurrit illud in Psalmo dictum, *spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII), quia sensum hoc et illud habent similem, sicut sonitum litteralem pene eumdem. Nam *vadens et rediens*, quid aliud est, quam *transiens et revertens* ? Porro illic spiritus *vadens et non rediens*, hoc est in malum cadens, et a malo non resurgens. Ergo et hic, *eo quod non esset transiens et revertens*, hoc est eo quod non esset de his transeuntibus in malum, qui reverteretur in bonum, *terra desolata est ab eis*. Nam cor impœnitens, quod supra denotavit dicendo, *et cor suum posuerunt adamantem, et averterunt scapulam recedentem* nonne causa est satis justitiam vindicis iræ defendens, et ad defendendum sufficiens ? Vere igitur ipsi terram suam, *terram desiderabilem posuerunt in desertum et ab eis desolata est, eo quod non esset transiens et revertens*, id est per id quod cum omnes transgressores essent, nullus erat aut vix ullus erat transgressor de transgressione sua pœnitentiam agens.

CAP. VIII. — Sequitur : *Hæc dicit Dominus exercituum. Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Hierusalem et vocabitur Hierusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum, mons sanctificatus. Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Hierusalem, et viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum.* Hactenus quasi ridendo et subsannando loquebatur, juxta quod Sapientia talibus dicit : *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo cum vobis id quod timebatis advenerit* (*Prov.* I), nunc deposito risu et subsannatione semota, gloriosa dicit de te, o Sion civitas Dei, cujus pars non vilis aut parva erat illa quæ tunc reædificabatur Hierusalem terrestris, secundum electionem, quæ de gente illa erat assumenda, maximeque propter implendam promissionem exinde nascituri et regnaturi in te Christi regis æterni. *Zelatus sum*, ait, Sion *zelo magno*. Zelus Domini bonus est diligere homines, et odisse hominum vitia. Quo contra zelus diaboli malus est odisse homines, et amare hominum vitia. Hinc erat illud quod idem Dominus ut iniquitates compesceret, captivitati tradiderat homines, et civitates Sion cum templo igne conflagrata est. Magnus hic utique exstitit angelus, non parcere suo templo et propriæ civitati, non pepercisse genti, apud quam solam erat notitia nominis sui. *Et non est*, ait Hieremias, *recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui* (*Thren.* I). Zelo *zelatus sum*, ait, *Sion zelo magno*. Verum hoc dicere superioribus quoque temporibus potuit, zelatus sum populo meo zelo meo, quoties, ut ait Psalmista, *iratus est in furore in populo suo, et tradidit eos in manu gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos* (*Psal.* CV), scilicet Mesopotamii et Moabitæ, Chananæi, et Madianitæ, et filii Ammon et Philistiim. Potuit, inquam, tunc etiam dicere : *Zelatus sum zelo magno*, quia videlicet sub illis quo-

A que hostibus vehementer afflixit eos. At vero tempore illo, de quo hic sermo est, amplius fecerat, quia non in terra sua consistentes, servierant Babyloniis, sed desolata et posita in desertum terra desiderabili, tenti fuerunt per septuaginta annos in Babylone captivi. Recte ergo non contentus dixisse, *Zelatus sum Sion zelo magno*, addidit, *et indignatione magna zelatus sum eam*. Et est sensus : Non solum taliter zelatus sum, ut eos servitui subjicerent adversæ gentes, quod sæpe factum est, sed, addita cum zelo *indignatione magna*, terram quoque et locum nomine meo sanctificatum illis abstuli et igni Babylonico tradidi, quod hactenus factum non est. Quare ? Videlicet, quia non solum ut olim me derelinquentes, deos alienos coluerunt, verum

B etiam prophetas occiderunt, et multum sanguinem innocentem effuderunt. Zelus ille magnus et indignatio magna per justum venit judicium. At nunc idem *Dominus exercitum hæc dicit*, subauditur, quæ misericordiæ sunt, memor, quod juravit in sancto suo locutus David : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum misericordiam autem non dispergam ab eo* (*Psal.* LXXXVIII). *Reversus sum ad Sion*, videlicet in eo, ut iterum ædificetur ipsa civitas et templum reædificatum est. Postmodum veniam *et habitabo in medio Hierusalem*, scilicet homo factus, ita ut ipsa Hierusalem, et omnis qui legem et verbum Domini, quod de ipsa exibit, non incredulus audierit, dicat et veraciter dicere possit, quia *Verbum caro factum est et habitavit in*

C *nobis, et vidimus gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I). Perinde *et vocabitur*, ait, *Hierusalem civitas veritatis*, videlicet pro parte electorum, prophetarum, atque apostolorum et omnium justorum, qui ex illa gente fuerunt, vel sunt, vel erunt, quorum de carne homo factus, *habitabo in medio Hierusalem*, unde et ipsa *vocabitur* et erit *civitas veritatis*, id est civitas vel terra, unde veritas oriri dignata sit, juxta quod Psalmista prædixit : *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* (*Psal.* LXXXIV). Recte igitur *vocabitur civitas veritatis et mons Domini exercituum, mons sanctificatus*, de quo videlicet monte multa in prophetis dicta sunt, ut est illud apud Isaiam sive Michæam. *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob* (*Isa.* II ; *Mich* IV), etc. Porro hæc pro-

D missa spiritualia sunt, et spiritualibus conveniunt, ac desiderabilia sunt. Illi autem ad quos sermo fiebat carnales erant et carnalia desiderabant, sicut jam demonstratum est ex illa ipsorum interrogatione, *nunquid flendum mihi est, vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis* ? Putabant enim, nullam sibi jam esse causam fletus vel jejunii ; solo contenti gaudio temporali, quod videbant, soluta captivitate, terrenam civitatem et templum reædificari. Condescendens ergo carnalibus, sermo divinus, et quasi cum pueris ut eos mulceat balbutiens pater grandævus : *Adhuc*, inquit, *habitabunt senes et anus in plateis Hierusalem, et viri baculus in*

manu præ multitudine dierum, et plateæ civitatis implebuntur *infantibus et puellis ludentibus in plateis ejus.* Hæc namque dicta plenam fore et integram civitatis restitutionem, pulchre personant atque denuntiant, quam illi multum desiderabant, propter quam multum desiderabant, propter cujus destitutionem jejunaverant et fleverant. Sequitur: *Hæc dicit Dominus exercituum: Si difficile videbitur in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit?* Perspicuum est, illos tales fuisse, qualibus oportuerit de terrenis et temporalibus bonis blandiri, qualibus **336** non jam deberent spiritualia vel cœlestia prædicari. Nam, ut quodam loco ipse dicit: *Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis?* (*Joan.* III.) Similiter hic, quoniam difficile videbatur in oculis eorum, ut fieret sicut dixerat, *adhuc habitabunt senes et anus in plateis Hierusalem,* etc. Dicere convenit ei, qui nusquam inconvenientia dicit: Si difficile videtur vobis, posse fieri hæc terrena ut habitent *senes et anus in plateis Hierusalem, et viri baculus in manu ejus, præ multitudine dierum, et plateæ civitatis impleantur infantibus et puellis ludentibus,* quæ omnia terrena sunt, quanto magis difficile videbitur si dixero vobis spiritualia sive cœlestia, quæ eadem civitate proventura sunt! Verumtamen quodcunque illud sit quod dixi sive dicam vobis, quantumvis *difficile* videatur *in oculis vestris, in oculis meis* nequaquam *difficile erit.* « Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis, et adducam eos, et habitabunt in medio Hierusalem, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, in veritate et justitia. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in diebus his sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat, neque introeunti et exeunti erat pax præ tribulatione, et dimissi homines unumquemque contra proximum suum. Nunc autem non juxta priores dies ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum, sed semen pacis erit. Vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cœli dabunt rorem suum, et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc. Et erit, sicut eratis maledictio in gentibus, domus Juda et domus Israel, sic salvabo vos, et eritis benedictio. Nolite timere, confortentur manus vestræ, quia hæc dicit Dominus exercituum: sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam me provocassent patres vestri, dicit Dominus, et non sum misertus, sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam Hierusalem et domui Juda. Nolite timere. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris, et unusquisque malum contra proximum suum, ne cogitetis in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odivi, dicit Do- A minus.» Cuncta hæc ut dicuntur, recte simpliciter intelliguntur, nec opus est propter mysticos sive allegoricos sensus digressionem facere ab illius temporis statu, quo propheta ad populum Domino mandante loquebatur. Hoc maxime et ante omnia sciendum est, quod omnis consolatio sive exhortatio hæc in Christum tendat, ad Christi adventum respiciat, nec propter aliud Spiritui sancto, qui hæc sine dubio per os prophetæ loquebatur, curæ fuerit de reædificanda et rursus habitanda sive implenda terra, et civitate illa, nisi propter eumdem Christum, quatenus esset unde nasceretur, juxta fidele Dei promissum. Neque enim aliunde, sed de gente illa, de semine Abrahæ, de domo et familia David nasci oportebat illum. Expediebat igitur promissis et blandi- B mentis consolatoriis animari, et benevolum reddi populum ad habitandum in loco illo, ad reædificandum et reformandum terræ vel civitatis statum pristinum, templo jam reædificato, ad quod venturus, juxta alium prophetam, esset idem Dominator Dominus. Verumtamen quod hic de templo manufacto in parte, in una gente, imo in parvis unius gentis reliquiis dictum est, hoc idem de templo non manufacto Dominici corporis in universitate (*Malach.* III), in toto humano genere veraciter dici potest. *Ante dies illos,* inquit, antequam fundaretur domus Domini, *merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat,* id est omnis labor vester irritus fuit, et tam homines quam jumenta in agricultura, in mercimoniis, operibusque diversis cassis conatibus frustrabantur. *Neque introeunti,* ait, *et exeunti, erat pax* C *præ tribulatione, et* dimisit *omnes homines,* quemque *contra proximum suum.* Quod est dicere, foris adversarii, domi erat seditio, et ubique tristitia ob bellorum frequentiam, et insidias domesticas, dum nec frater fratri exhibet fidem, et omnis est inimica propinquitas. Nonne itidem verum, imo magis verum est, quod antequam fundaretur templum Dominici corporis, antequam Deus homo fieret ex utero Virginis, nullum erat pretium generis humani? Revera neque hominum, id est Judæorum, neque jumentorum, id est gentilium ullum erat pretium. Non enim erat *pax introeunti et exeunti,* id est nascenti et morienti *præ tribulatione,* subauditur peccati, quia cum peccato omnis homo introiens in hunc mundum nascendo, cum peccato exibat mo- D riendo, videlicet nondum pariete inimicitiarum soluto (*Ephes.* II). Quo enim pretio redimeretur saltem homo, id est Judæus? Nunquid pretio sanguinis hircorum, aut vitulorum? (*Hebr.* IX.) Ergo non erat pax, non erat remissio peccatorum, *et dimisi,* ait, *homines, unumquemque contra proximum suum,* utpote habentes semen et concordiæ spiritum: *Nunc autem non juxta priores dies ego faciam.* Sed quid? *Semen pacis erit,* nimirum secundum illud Evangelium: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XV), quæ pax non alia debet intelligi, quam reconciliatio Dei et hominum, non alia quam remissio peccatorum, quam tunc ipse, dum diceret hæc

faciebat, per sanguinem suum; hæc animadvertens, quis non leve reputat, quod subinde dicit, « et erit, sicut eratis maledictio in gentibus, domus Juda et domus Israel, sic salvabo vos et eritis benedictio. » Nam qui tunc erat maledictio, ita ut diceretur, vel dici posset tale quippiam ei, quem perire quis vellet, sic tibi eveniat quomodo evenit miserabili populo, qui terra sua in desertum redacta, et civitate Hierusalem cremata igne, captivus abductus est, ipse idem populus nunc est benedictio per Christum semen pacis, ut ante dictum est, quia in ipso benedicentur omnes gentes. Ad hoc ipsum pertinet, hoc quoque quod protinus dicit: « Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent me patres, dicit Dominus exercituum, et non sum misertus: sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam Hierusalem et domui Juda » Nam revera ad iracundiam provocaverunt Dominum patres nostri Adam et Eva, non solum transgrediendo præceptum, verum etiam defendendo peccatum (*Genes.* XVII). propter hoc cogitavit ut affligeret nos, et modo quodam non est misertus, quatenus alio modo melius misereretur. Emisit enim eos de paradiso mortis et mulctarum misertus sententiis oneratos. Sed « sicut cogitavi tunc ut affligerem vos, sic, » inquit, « conversus cogitavi in diebus istis ut benefaciam, » scilicet per templum vel propter templum meum non manufactum, quia sicut illud per mortem solutum, post triduum excitatum est, ita et vos omnes resurgere faciam. Nescio qualiter evenit, ut pene mihi invito accidit, diversum ab eo, quod supra dixi: siquidem de his verbis propheticis dixi, quia cuncta ut dicuntur, ita simpliciter recte intelliguntur, nec opus est propter mysticos sive al-
337 legoricos sensus digressionem facere ab statu illius temporis quo hæc dicebantur. Et quidem illud dixi studio vitandi fastidii, sed mysteriorum nota suavitas, cursum sermonis improvisum odore suo intrinsecus traxit, et apud se paulisper detinuit. Quoniam ergo cætera perstrinxit, cur omittat initium præsentis capituli, quo dixerat Dominus: « Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis, et adducam eos. Et habitabunt in medio Hierusalem et erunt mihi in populum et ego ero eis in Deum in veritate et justitia. » Denique si tempore illo, ubi templum per manus Zorobabel, et murus civitatis per Nehemiam restauratus est, populum suum salvavit Dominus, salus ista non tanta exstitit, ut digna esse possit tantis oris Domini declamationibus. Verum ubi conditum est templum jam dictum, templum dominici corporis non manufactum, tunc et ex eo veraciter *de terra orientis, et de terra occasus solis* salvatur populus Domini. *Multi enim* veniunt *ab oriente et ab occidente* et recumbunt *in sinu Abrahæ* (*Matth.* VIII), quod utique est adduci et habitare in medio Hierusalem, et sunt Domino in populum, et ipse est, et erit eis in Deum in veritate et justitia, id est, in Christo, qui est ipsa veritas, et justitiæ via, et vita æterna (*Joan.* XIV). Sed jam quid tandem de jejunio interrogatus, post hæc Dominus responderit audiamus: « Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et lætitiam, et in solemnitates præclaras. Veritatem tantum et pacem diligite, dicit Dominus exercituum. » Ad id quod supra Sarasar et Ragomelech per legatos quæsierant, utrum in mense quinto jejunare deberent, an post ædificationem templi finire jejunium, luctumque deponere, multis in medio positis quæ facerent, quæ sperarent, hæc Dominus, per prophetam, respondit Et illi quidem de uno interrogaverunt jejunio mensis quinti, Dominus autem respondens, de cæteris quoque jejuniis suam sententiam deprompsit, de jejunio quarti, de jejunio quinti, de jejunio septimi, de jejunio decimi. Erat autem jejunium quarti mensis, qui apud Latinos vocatur Julius, die septima decima ejusdem mensis, quando descendens Moses de monte Sina, tabulas legis abjecit (*Exod.* XXXII), atque confregit, et juxta Hieremiam muri primum rupti sunt civitatis (*Jer.* LII). In quinto mense, qui apud nos appellatur Augustus, cum propter exploratores terræ sanctæ seditio orta esset in populo, jussi sunt montem non ascendere, sed per quadraginta annos longis a terra sancta circuire dispendiis, ut exceptis duobus, Celeph et Josue, omnes in solitudine caderent (*Num.* XIV). In hoc mense et a Nabuchodonosor templum Hierosolymis incensum est, atque destructum, et populus in capitivitatem abductus (*IV Reg. ult.*). In septimo, qui apud nos appellatur October, occisus est Godolias, et Judæ tribus ac Hierusalem reliquiæ dissipatæ (*Jer.* XLI). Mense decimo qui apud nos Januarius dicitur, Ezechiel in captivitate positus, audivit et cunctus populus captivorum, quinto mense templum esse subversum, quod plenissime in eodem propheta cognoscimus (*Ezech.* XXIV). Hæc igitur jejunia propter causas tristes ac flebiles merito jejunabant, sed jejunandi scientiam non habebant, quippe qui unum ex his, scilicet jejunium quinti jam non observandum esse volebant, quoniam captivitatem solutam, et templum videbant reædificatum. Porro, Dominus non usquequo templum reædificaretur, sed usquequo deleretur peccatum, et finem acciperet prævaricatio, volebat observari jejunium, hoc est, quod præmisso, « jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et lætitiam, et in solemnitates præclaras, » continuo subjunxit: « Usquequo venient populi, et habitabunt in civitatibus multis, et vadent habitatores, unus ad alterum dicentes: Eamus et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum. Vadam etiam ego, et venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalem, ad deprecandum faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum. Audivimus enim, quoniam Deus vobis-

cum est. Quid aliud est hoc dicere, nisi usquequo veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium? Neque enim ante, sed quando ex quo ille venit, venerunt, et veniunt populi, et habitaverunt atque habitant *in civitatibus multis*, id est in ecclesiis multis, et ex eo vadunt habitatores civitatum ejusmodi, *unus ad alterum dicentes : Eamus et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum,* quod dicere nimirum est annuntiare Christi Evangelium, et exhortare atque ædificare alterutrum, atque hoc modo dum unus dicit, *eamus*, et alter respondet, *vadam* etiam ego, veniunt, et usque in finem sæculi venire non desinunt populi multi, et gentes robustæ *ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalem, ad deprecandum faciem Domini.* Ex abundanti est astruere sive demonstrare, quod in illam quoque terrenam Hierusalem, ubi Dominus exercituum *in terra visus, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III), unde post mortem Christi, atque resurrectionem salus processit, sicut alibi scriptum est, quia *de Sion exibit lex et verbum Domini de Hierusalem* (*Isa.* II), in illam, inquam, Hierusalem terrenam, ubi est sepulcrum ejus gloriosum, vadunt populi multi *ad quærendum Dominum, ad deprecandum faciem Domini.* Illam potius Hierusalem hic intelligere placet, quam Psalmista pulchre exprimens: *Hierusalem,* inquit, « quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini; testimonium Israel ad confitendum nomini Domini » (*Psal.* CXXI). Usquequo istud fiat, usque dum istud proveniat? *Jejunium,* ait, « quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et lætitiam, et in solemnitates præclaras, » Quomodo *in gaudium et lætitiam et in solemnitates præclaras?* Videlicet non jejunando cum tristitia, sicut jejunant hypocritæ tristes, non, inquam, cum tristitia, sed cum lætitia, juxta illud : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava* (*Matth.* VI), et cætera. Ibi enim est solemnitas præclara, ubi est intentio jucunda desiderantis, ut soli Domino placeat, hoc ipsum quod jejunat. Quid ergo inquis? Cum venerit illud tempus, de quo dicis, usquequo venient populi, non erit jejunandum in mensibus illis? Non utique exiget Dominus, imo prohibebit illa jejunia vetustatis. Nonne hoc ipsum habet veritas Evangelii? *Tunc,* inquit, « accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jesus : Nunquid possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis, et tunc jejunabunt » (*Matth.* IX). Itaque causa jejunii absentia sponsi est, et usquequo veniret, usque dum nasceretur, et præsens adesset, jejunandum erat, et quandiu præsens fuit, jejunare non debuerunt discipuli ejus, filii sponsi, sive filii nuptiarum, ut alius evangelista scripsit (*Marc.* II), et rursus **338** quando et ex quo ablatus est eis recte jejunant usquequo cum illo sint. Dicet aliquis :

A Ergo Joannes de filiis sponsi non erat, qui jejunabat? Plane et intimus sponsi amicus erat, sed usque ad tempus illud, cujus evangelista describens actus, *et erat,* inquit, *Joannes vestitus cameli pilis, et locustas et mel sylvestre edebat* (*Marc.* I). Sponsum eumdem non viderat, et venisse quidem illum noverat, sed eumdem facie nesciebat.

Mirum sacramentum, quod et hic in propheta ubi jejunandum esset, dixit, usquequo venirent populi, hæc quoque subjunxit : « In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est, » et in Evangelio secundum Matthæum ubi dixit, sicut jam memoravimus : *Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus* (*Matth.* B IX), et cætera. « Hæc illo loquente, ecce princeps unus accessit, et adoravit eum, dicens: Filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet; dum surgens sequeretur eum et discipuli ejus, ecce mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur annis duodecim, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et salva facta est ex illa hora » (*ibid.*). Quem non delectet hic utrumque, et in propheta, et in Evangelio simillima facies, ut unus idemque sacramenti vim continens sensus litteralis non multum dissimilis superficies? Denique gentium multitudo, quæ hic propheticis verbis denuntiatur, dicendo : « Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Judæi, » ipsa significatur factis mysticis per mulierem, quæ fimbriam vestimenti C ejus tetigit, viri utique secundum carnem Judæi. Et quid est mulierem retro accedere, et fimbriam vestimenti tangere, nisi multitudinem gentium, non ante, sed post ascensionem ejus in ipsum credere, et præcepta ejus servire, atque hoc modo liberari a fluxu sanguinis, liberari ab omni immunditia peccati? Adhuc ea quæ sequuntur in eodem Evangelii loco, et quæ in hoc propheta subjuncta sunt, considerare atque conferre libet. Tangendo mulier fimbriam vestimenti Domini, salva facta est, et deinde puella archisynagogi filia, propter quam Dominus idem surrexerat, et ibat, resuscitata est. Puella, ut Marcus manifestius exprimit (*Marc.* v), erat annorum duodecim, et mulier in profluvio sanguinis erat annis duodecim. Ergo quando mulier infirmari cœpit, D tunc illa puella nata est, et quando sanata est mulier, tunc illa puella mortua est. Magnum hic in mysterio patet spectaculum, quia videlicet juxta hanc similitudinem, quando gentilitas sanguineo cultu idololatriæ cœpit fluere, tunc Sinagoga ex patriarchis Abraham et cæteris, ad quos factum est verbum promissionis nata est, quando gentilitas per Evangelium Christi sanata est, tunc Synagoga per invidiam mortua est. Nunc sequentia prophetiæ videamus, quomodo his conferantur.

Cap. IX. — « Onus verbi Domini in terra Hadrach et Damasci requiei ejus. » Item in Evangelio protinus sequitur de duobus cæcis, qui clamantes : *Miserere*

nostri, fili David (*Matth.* IX), illuminati sunt, et hic in propheta subjungitur: *Quia Dominus est oculus hominis, et omnium tribuum Israel.* Per terram Adrach et terram Damasci, itidem sicut per puellam quæ mortua est, et per mulierem quæ sanata est, et per hominem, atque per omnes tribus Israel, quorum Dominus oculus est, itidem sicut per duos cæcos, qui illuminati sunt, duas intelligimus gentium sive hominum partes, scilicet Judæos atque gentiles, et quidquid circa partes easdem tam per judicium, quam per misericordiam factum est vel fiet. Quæ per judicium facta sunt vel fiunt in utrisque et hic in propheta, per Adrach atque Damascum, et in Evangelio significatur per puellæ mortem, et per mulieris fluxum. Adrach quippe ex duobus integris compositum est, ad *acutum*, rach *molle* tenerumque significat. Unde hoc ipsum nomen valde Synagogam denotat, habentem in se duo contraria, tenerum in ore, acutum in corde, testante Psalmista: *Molliti sunt*, inquit, *sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* (*Psal.* LIV). Idcirco *puella mortua est*, id est, idcirco Synagoga a Deo deserta est, quia videlicet de jejunio jam dicto, sive de alia qualibet re venisset occasio, loquebantur pacem cum proximo suo Jesu Christo, mala autem in cordibus suis. Porro, Damascus eamdem, quam et mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, gentilitatem tam nomine, quam re significat. Nomine, quia Damascus *sanguinem bibens* interpretatur. Re, quia is locus esse perhibetur, ubi ab impio fratre pius Abel est interfectus (*Gen.* IV). Porro, quod apposuit requiei ejus, qua ratione dixerit, protinus innuit, *quia Dominus*, ait, *est oculus hominis, et omnium tribuum Israel*, id est, illuminatio non minus gentilis quam Israelitici populi, quos ambos significant duo cæci, quorum illuminationem post mulieris curationem, et puellæ resuscitationem, continuo Matthæus evangelista subscribit. Inde Damascus requies est Domini, inde de gentilitate per fidem requiescit, quia factus est oculus ejus, quia illuminavit eam, ut ab homine gentili cognosceretur, quia prius tantum *in Judæa notus* erat *Deus* (*Psal.* LXXV), tantum in Israel magnum nomen ejus. Veniam poscit sermo incultus, quoniam ex magnitudine sensuum difficultatem patietur, remque clarissimam, claritatem jucundissimam, versando et eloqui conando, dum intendit sensibus fidelis animus, vocis et linguæ officio fraudatur. Nec enim verbis ornare perfacile est rem, cujus proprio labore mentis reverberatur intuitus. Vere adoranda Christi Filii Dei divinitas, et prædicanda veritatis sapientia, quæ dum de jejunio quæstionem objectam accepisset a dicentibus: *Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant* (*Matth.* IX), respexit ad hunc locum propheticæ veritatis, ubi quæstionem de jejunio propositam acceperat, atque responderat ipsum verbum Domini. Nihil dulcius amatori, sive inquisitori veritatis, veritatem quæ ipse Christus est diligenti, nihil, inquam, dulcius, nihil jucundius in hac peregrinatione, quam claro intuitus

A Scripturarum veteris et novæ, facies mutuo se respicientes agnoscere, quæ *testimonium*, inquit, *perhibent de me* (*Joan.* V). Nunc ipsum litteræ cursum ac tramitem breviter iterare, et attentius construere licet. *In diebus illis*, ait, « in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. » Eclypsin hic sermo patitur, et subaudiendum est, jam non celebratitur a populis et gentibus robustis, quæ venient ad quærendum Dominum exercituum; non, inquam, celebrabitur, aut celebrari debebit jejunium pro causis ejusmodi, pro qualibus vos celebratis, quia tabulæ priores fractæ sunt, irato Mose, propter reatum vituli quem fecit Aaron (*Exod.* XXXII), quia B propter exploratorum detractionem et populi seditionem iratus Dominus, non videbunt, ait, terram, pro qua juravi patribus eorum, et filii vestri, ait, erunt vagi in deserto annis quadraginta, donec consumantur cadavera patrum in deserto (*Num.* XIV), quia Babylonii civitatem et templum succenderunt, et populum captivum duxerunt, quia Ismael Godoliam interfecit **339** et reliquiæ populi dispersæ sunt (*IV Reg.* XXV; *Jer.* XLI). Pro his et hujusmodi causis in diebus illis non celebrabunt jejunium, qui venient ad quærendum Dominum. Quare? Quia *nemo*, ait ipse Dominus, « immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, et C vinum effunditur, et utres pereunt » (*Matth.* IX). Denique spem habere cœlestium sive æternorum, et flere atque jejunare pro præterito detrimento terrenorum sive temporalium, hoc quodammodo est immittere *commissuram panni rudis in vetus vestimentum*, mittere *in utres veteres vinum novum*. Potius *in utres novos* mittatur *vinum novum*, id est nova spes cœlestium bonorum pro ipsis cœlestibus quandiu differuntur, et nondum ea comprehendit, fletum habeat atque jejunium, atque ita *ambo conservantur* (*ibid.*), quia et spes non confundetur, et jejunii labor abundantiori saturitate remunerabitur. Eodem modo pannus rudis novo vestimento non inseratur, ne veteri insertus pejorem scissuram faciat, quod fecit Cherintus, qui fidem novi Evangelii miscere voluit legalibus cæremoniis, et ita neque vetus neque novum D justitiæ vestimentum possidere potuit. De fimbria viri Judæi, quam *apprehendent*, inquit, *decem viri ex omnibus linguis*, jam supra dictum est. Verum cum credentes de gentibus multi et nobis innumerabiles sint, cur dixit *decem viri*, cum dicere potuisset: Multi *ex omnibus linguis*? Ad hæc breviter dicendum quis tantis misericordia Dei contenta fuisset, et propter tantos, id est, propter decem pepercisset, si decem justos in Sodomis invenisset. Nam usque ad hunc numerum miserator descendit: *Dimittam*, inquiens, omni loco, « propter quinquaginta, non delebo si invenero quadraginta quinque; non percutiam propter quadraginta; non faciam si invenero

« ibi triginta, non interficiam propter viginti; non delebo propter decem » (*Gen.* XVIII). Ulterius non descendit. Igitur dicendo, *decem homines apprehendent fimbriam viri Judæi*, tantos vult intelligi, quantos idem vir Jesus Christus secundum carnem Judæus, ex omnibus linguis gentium vocare, justificare et magnificare venit, quantos ante sæcula *præscivit et prædestinavit Deus conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII). Juxta hunc sensum alibi quoque omnis electio, decimatio, et omnis electus sive justus recte dicitur decimus. Apud Isaiam: « Et multiplicabitur, ait Dominus, « quæ derelicta fuerat in medio terræ, et adhuc in ea erit decimatio » (*Isa.* VI). Et in libro Machabæorum secundo, ita scriptum est: « Judas autem Machabæus qui fuerat decimus, secesserat in desertum locum » (*II Mach.* III). Quod tandem vel quale est onus, quod protinus subjungit: « Onus verbi Domini in terra Adrach et Damasci requiei ejus. » Nam ante jam dictum est, quamobrem hic per Adrach et per Damascum eadem recte intelligantur quæ in Evangelio per puellam mortuam et per mulierem quæ fluxum sanguinis patiebatur. Ego, quoniam propter quæstionem jejunii factum est hic ad prophetam verbum Domini, non aliud onus quærendum est quam onus jejunii, sive in terra Adrach, sive in terra Damasci, id est sive in populo Judaico, sive in populo gentili, sed modis longe diversis. Nam in populo Judaico jejunium fames est audiendi verbum Domini, quia fame jejunat, et mortua est puella jam dicta, id est Synagoga, idem jubeat dare illi manducare, scilicet quando reliquiæ convertentur ejusdem populi, sicut evangelica veritas mystice signavit. Nam cum resuscitasset puellam, *jussit dari illi manducare* (*Marc.* V). Porro, in populo qui ex gentibus credidit, jejunium est et esse debet esuries et sitis justitiæ. Unde loco Evangelii superius memorato, quando mulier accessit fimbriam vestimenti ejus tangere, dicebat ipse: « Veniet autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt » (*Matth.* IX), etc. De eo quod protinus ait: « Quia Dominus est oculus hominis, et omnium tribuum Israel, » jam supra dictum est. Sequitur: « Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus, et Sidon, assumpserant quippe sapientiam. Et ædificavit Tyrus munitionem suam, et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum. Ecce Dominus possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igni devorabitur. Videbit Ascalon, et timebit Gaza, et dolebit nimis et Accaron, quia confusa est spes ejus, et peribit rex de Gaza, et Accaron, non habitabitur, et sedebit separator in Azoto, et disperdam superbiam Philistinorum, et auferam sanguinem ejus de ore ejus, et abominationes ejus de medio dentium ejus, et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit quasi dux in Juda, et Accaron, quasi Jebusæus, et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor, quia nunc vidi in oculis meis. Septem hic præcurrit nomina gentium sive urbium gentilium, Emach, Tyrum, Sidonem, Ascalon, Gazam, Accaron et Azotum pronuntians esse *in terminis* Domini, propter quod dixerat, « quia Dominus est oculus hominis, et omnium tribuum Israel, » itemque paulo ante, « apprehendent, » ait, « decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Judæi. » Porro numero septenario universitas designari solet. Ergo idem valet, ac si universas gentes *in terminis* Domini esse dixisset, videlicet eodem spiritu, et eadem intentione qua Paulus apostolus disceptantibus Judæis et gentibus, contra Judæum loquitur: « Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. An Judæorum Deus tantum! Nonne et gentium? Imo et gentium » (*Rom.* III). Quare autem propheta cum eamdem haberet intentionem potius quam cæteras gentes vel urbes istas nominavit, Emach, Tyrum, Sidonem, Ascalon, Gazam, Accaron, et Azotum? Nimirum quia loco vel positione terrarum Judaicæ terræ viciniores, quam cæteræ sunt. De Emach quod Israeliticæ terræ vicina sit, vel ex eo constat, quia in libro Regum scriptum est: « Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo multitudo magna, ab introitu Emach usque ad rivum Ægypti » (*III Reg.* VIII). De Tyro et Sidone non dubium, similiterque de Ascalon, Gaza, Accaron, et Azoto, urbibusque Philisthinorum, non incertum quin terræ illis satis vicinæ sint. Volent ergo quasdam pro cunctis ponere gentibus, earumque universitatem septenario, ut jam dictum est, designare numero, cur longinquiores magis quam propinquiores, imo cur non magis vicinas quam remotas ponere gentes vel urbes! Igitur ne qua tribus Israel adversus hominem gentilem glorietur, « Emach quoque, » ait, « in terminis ejus, et Tyrus, et Sidon, Ascalon, Gaza, Accaron, et Azotus, » id est, non minus gentium quam Judæorum unus idemque est Deus. Assumpserant quippe sibi sapientiam olim vanam, nunc autem veram. Olim denique *Tyrus*, id est quælibet gens, *ædificavit munitionem suam*, videlicet decepta, et deinceps per inanem philosophiam, ecce autem assumpsit veram sapientiam, quando vel ex quo apprehendit, ut jam dictum est, *viri Judæi fimbriam*. Olim, inquam, *coacervavit argentum, quasi humum, et aurum ut lutum platearum*, ecce autem ut comprobato quod aurum sapientiæ ejus lutum, et argentum eloquentiæ ejus fuerit humus. « Dominus **340** possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igni devorabitur, » id est quidquid in ea prius vivebat, occidet et destruet baptismo aquæ ac spiritus. Nam per mare aqua baptismi, et per ignem spiritus recte intelligitur, per quæ hominis sive gentis fortitudo percutitur, atque devoratur, quando deposita superbia vetusti hominis in humilitate novi hominis Jesu Christi, id est in morte ejus baptizatur. Nam « quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus » (*Rom.* VI). *Videbit Ascalon*, id est quælibet gens, *et timebit*, et timendo sapiens incipiet fieri Nam *initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* X). *Videbit Gaza*, id est quælibet gens, *et dolebit nimis*, scilicet de peccatis et erroribus suis, *dolebit*, inquam, dolore pœ-

nitentiæ,qui videlicet dolor præparatio lætitiæ sempiternæ, et *Accaron*, subauditur, videbit et dolebit nimis,*quia confusa est spes ejus*, nimirum illa confusione,de qua Apostolus loquitur:« Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? » (*Rom.* VI.) *Et peribit rex de Gaza*, subauditur, qui prius illic regnabat,*et Accaron*, id est quælibet gens *non habitabitur*, videlicet ab illo rege, a quo prius habitabatur, qui erat princeps mundi hujus. *Et sedebit separator in Azoto*,id est in quælibet gente, ille nimirum separator qui idcirco *butyrum vel mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum* (*Isa.* VII),et ita sedebit tanquam in area sua, jubens eam ventilari ac separari triticum et paleas (*Matth.* III).*Et disperdam superbiam Philisthinorum*, subauditur his modis,quibus jam dictum est,quia videlicet Ascalon Gaza,Accaron,et Azotus, civitates sunt Philisthinorum,qualium superbia tunc bene dispergitur,quando qui erant superbi,humiles efficiuntur. Fere cuncta hæc cum significent gratiam,tamen in littera videntur sonare iram,quod nimirum spiritus propheticus per magnam procuravit sapientiam Judæos namque constat gentium semper odisse salutem, et idcirco utile tunc erat verbis obscuris ac dubiis,salutis gentium promissiones involvi,ne Judæis ipsa Scriptura propter gentes fieret odibilis, apud quos oportebat eam custodiri,profuturam venturis sæculis,ut nunc videmus quia custodita ab illis usque ad nos pervenit.« Et auferam,» inquit,« sanguinem ejus de ore ejus, et abominationes ejus de medio dentium ejus,et relinquetur etiam ipse Deo nostro.» Cujus *de ore sanguinem ejus*,et cujus *de medio dentium auferam abominationes ejus*.Nimirum cujusque credentis, quicunque videbit et dolebit nimis, agendo pœnitentiam de peccatis suis. *De ore et de dentibus* cujuslibet ejusmodi *auferam sanguinem et abominationes ejus*,ut jam non recorderis, vel quod sacrificia dæmonum comedit, vel quod etiam martyrum sanguinem fudit.Hinc est illud:« Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus,nec memor ero nominum eorum per labia mea » (*Psal.* XV). Est enim hic sensus : Non congregabo eos qui pœnitentiam egerunt,ut judicem eos vel vindicem in eos de peccatis præcedentibus,et nominum eorum qui impie gesserunt,pro quibus raptores, homicidæ,adulteri nominati sunt, non recordabor,nec pro his puniam eos. Considera cuncta hæc nomina septem, Emath, Tyrus, Sidon, Ascalon, Gaza, Accaron, et Azotus, valde acerba sunt,et talia, qualium Dominum non esse memorem, grande sit beneficium. Emath namque *indignatio*, Tyrus *angustia*, Sidon *venatio*,Ascalon *ignis ignobilis*, Gaza *fortis*, Accaron *sterilis*, Azotus *ignis generationis* interpretatur. Nonne hæc omnia mala sunt,indignatio,et angustia venatio subauditur diabolica, ignis ignobilis, sive ignis homicida,id est homicidalis ira,fortitudo sine dubio quæ Deo repugnat,sterilitas subauditur animæ,et ignis generationis, id est luxuria ? Sed non ero,inquit, memor nominum talium, id est conversum vel pœnitentem non puniam pro talibus, qualium nomina hujusmodi significativa sunt.*Et relinquetur*,ait,etiam ipse Deo nostro. Quam bonum est relinqui Deo nostro, ut videlicet malis nominibus abolitis, Deo relinquatur homo, et ideo vivat residuus homo Deo, remaneat humana, quam creavit ipse, substantia bona, nec ulla supersint accidentia mala. Nec vacat quod dicit etiam ipse, scilicet non minus gentilis quam Judæus, Emathites, Tyrus, et Sidonius, Ascalonites, et Gazæus, Accaronites, et Azoticus, non minus quam Hierosolymites,aut Euphratæus, aut alia quacunque ex tribu vel civitate Israel denominatus, et erit dux in Juda, nimirum idem quasi antistes aut vir apostolicus in sancta confessionis Christi Ecclesia, et qui erat Accaron, id est sterilis, erit Jebusæus, id est, Hierosolymitanus. Hæc enim civitas tribus nominibus appellatur, Jebus, Salem, et Hierusalem, hoc illi dicto apostoli consentit : *Non est enim distinctio Judæi et Græci* (*Rom.* III). *Et circumdabo*, inquit, *domum meam*, id est Ecclesiam,*ex his qui militant mihi euntes et revertentes*. Non dixit, circumdabo domum meam ex Judæis, sive congregabo ex Græcis,sed absque distinctione sive acceptione personarum, *circumdabo*, ait,*ex his qui militant mihi euntes*,id est obedienter operantes, *et revertentes*,id est ipsum quod operati sunt,non sibi,sed mihi attribuentes,non suam, sed Dei justitiam statuere volentes,justitiæ Dei per omnia sese subjicientes (*Rom.* X). Nam *in veritate comperi*, ait Petrus, « quia non est personarum acceptor Deus,sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam,acceptus est illi » (*Act.* X).*Et non transibit ultra super eos exactor*, scilicet diabolus malus creditor, et impius exactor, qui suadendo peccatum debitum retegit genus humanum,debitumque exigit ab omni homine, qui non habet Redemptorem Christum Dei Filium, patronum Patrem Deum, advocatum Spiritum sanctum. Non, inquam, *super eos ille exactor ultra transibit*, et non eos conculcabit, aut suffocabit, *quia nunc vidi in oculis meis*, id est visitavi eos in gratia septiformi Spiritus sancti,cujus oculi septem sunt oculi mei,oculus sapientiæ,et oculus intellectus, oculus consilii, et oculus fortitudinis, oculus scientiæ, et oculus pietatis,et oculus timoris Domini (*Isa.* XI). In istis oculis meis *nunc vidi* et violentiam exactoris, et miseriam eorum de quibus exigit. *Nunc vidi*, dixit,pro eo ut, diceret nunc miseratus sum. Nam videre Dei subvenire est visus Dei magnitudo beneficii est. Exempli gratia : Ubi Abraham magnitudinem beneficii persensit in hoc dicto : « Non extendas manum tuam super puerum, neque facias quidquam, appellavit nomen loci illius : Dominus videt. Unde usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit (*Gen.* XXII).

LIBER QUARTUS.

341 Ex his quæ hactenus dicta sunt ab eo quod ait: « Cum jejunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi » usque ad id, *onus verbi Domini in terra Adrach et Damasci requiei ejus* (*Zach.* VII, VIII), satis demonstratum est, Jesum Christum Dei Filium, solum et unicum esse et planctus et jejunii remedium, propter cujus moram, donec veniret, recte fuerit jejunandum, propter cujus præsentiam, quoniam ablatus est sponsus filiis suis nihilominus recte sit jejunandum. Recte, inquam, nam ipse est risus sanctorum, undecunque gaudium angelorum, cujus in typum natus patri Abrahæ filius unicus, jussus est vocari Isaac (*Genes.* XXI), quod interpretatur *risus*, dixitque mater, *risum fecit mihi Dominus.* Fecitque pater grande convivium in die ablactationis ejus. B Jam quæ sequuntur melius patebunt, si memoria teneat animus istud risus æterni gaudiique sempiterni capitulum. « Exsulta satis, filia Sion, jubila filia Hierusalem, ecce rex tuus venit tibi justus et Salvator. Ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ, et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Hierusalem, dissipabitur arcus belli. Et loquetur pacem cum gentibus; et potestas ejus a mare usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ. » De hoc Evangelista, cum dixisset: *Cum appropinquasset Hierosolymis, et venisset Betphage ad montem Oliveti* (*Matth.* II) et cætera. *Hoc autem*, inquit, « totum factum est, ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis » (*ibid.*). Quod ergo C dicit: « Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Hierusalem, ecce rex tuus venit tibi justus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinam, super pullum filium asinæ, » luce clarius est, et expositione non indiget. Hoc tantum interim tenet nos, quod dicit, *exsulta*, et non contentus dixisse *exsulta*, addidit, *satis*, et de verbo quidem *exsulta*, manifesta ratio est, quia supra dixerat jejuniorum solemnitates habendas usquequo venirent populi et habitarent in civitatibus multis, et apprehenderent gentes fimbriam viri Judæi, quem videlicet virum Judæum, quoniam venientem, et quasi præsentem videt oculo prophetali pulchre positus in contemplatione præsentiæ ejus, *exsulta*, inquit, *filia Sion, jubila, filia Hierusalem*, nimirum juxta quod hic loquitur, *non possunt filii* D *sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus* (*Matth.* IX). Porro quod addidit, *satis*, modum non qualemcunque vult esse exsultationis, quia videlicet exsultatio filiorum sponsi jam dicti longe dissimilis exsultationi filiorum hujus sæculi. Filii hujus sæculi erant illi, quibus dum loqueretur inter cætera, dixit: *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit*

A *veritati. Ille erat lucerna ardens et lucens, vos autem voluistis ad horam exsultare in lucem ejus* » (*Joan.* V). Horum idcirco meminerim, quia exsultare ad horam, et exsultare satis, contraria sunt, et ex opposito illius exsultationis, qua ad horam exsultare voluerunt illi, dictum est filiæ Sion, *exsulta satis.* Quid enim est voluisse exsultare ad horam in luce Joannis, nisi temporalem quæsisse vel sperasse gloriam in prædicatione Joannis? Putantes enim illum esse Christum, quem audierant fore venturum regem magnum, jam videre volebant sub tanto rege regnum Judæorum magnum, et cunctis populis tremendum, quale tunc erat regnum Romanorum, quale suo tempore regnum Græcorum, suo tempore regnum Persarum et Medorum, suo tempore fuerat regnum Babyloniorum, sive Assyriorum. Equidem majus volebant vel sperabant regnum fieri Judæorum, quam fuerat quodlibet eorum, verumtamen temporale et terrenum, quia scientiam non habebant, nec habere volebant regni Christi, regni Dei quod est cœleste et sempiternum. Ergo exsultare volebant ad horam, sed ita exsultare non est exsultare satis. Siquidem exsultatio talis ad veram beatitudinem non sufficit. Tu igitur o filia Sion, parvam respuens exsultationem hujus sæculi exsulta satis, id est illa exsultatione exsulta, quam prædicat tibi habitus regis tui, venientis tibi regis justi, regis Salvatoris tui. Qualis est habitus ejus? *Ipse pauper et ascendens super asinam, super pullum filium asinæ.* Vere pauper, id est mitis et humilis, sicut dicit ipse: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Vere pauper, quia in hoc mundo de omni terra *nec passum pedis* possedit (*Act.* VII), aut possidere voluit. *Et ascendens*, inquit, *super asinam, et super pullum filium asinæ* (*Joan.* XII; *Matth.* XXI) Perpende quo tempore hæc fecerit pauper iste: hoc fecit tunc, quando venienti Hierosolymam occurrere illi habebant turbæ quæ venerant ad diem festum cum ramis palmarum, clamantes: *Benedictus rex qui venit in nomine Domini* (*Marc.* XI), benedictum quod venit regnum Patris nostri David. *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Illi in tempore super asellum sedere voluit, facto utique protestans id, quod postmodum verbis aperuit, *Regnum meum*, inquiens, *non est de hoc mundo, regnum meum non est hinc* (*Joan.* XVIII), atque ita sedendo satisfaciens insidiatoribus suis, calumniantibus sibi de nomine regis, et dicere volentibus quod se regem faceret contra majestatem Romani imperii. Denique satisfactum illis esse potuisset, nisi fuissent inimici et odio magno illum persequentes, quia videbant **342**, illum non grandi equo, sed parvo sedentem asello, et circo eum non splendores armorum, sed odorem et suavitatem olivarum. Hæc enim satis illum excusabant, quod non

vellet ulli homini terrenum eripere regnum. Et secundum litteram quidem non super utrumque, id est super asinam et super pullum sedebat, sed secundum spiritualem sensum fieri poterat et fit; quia videlicet super homines de Judaico populo tanquam super asinam, et super humiles de populo gentium tanquam super pullum sedet regnando, utrorumque rex, utrorumque Salvator. Igitur *exsulta satis*, id est gloriare non in honore vel potentia principum hujus sæculi, sed in humilitate regis tui cui gloria sempiterna succedit. *Et disperdam*, ait, *quadrigam Ephraim, et equum de Hierusalem, et dissipabitur arcus belli.* Vel Pater vel Spiritus sanctus de Filio dixerit ad Sion sive Hierusalem: *Ecce rex tuus*, cui dicere conveniat, *et disperdam quadrigam et Ephraim*, etc.; rursumque de Filio, *et loquetur pacem de gentibus.* Hierusalem electos de Judæis, et Ephraim electos significat ex gentibus; quadriga autem et equus quæ disperdam, inquit, superbiam et vanitatem hujus sæculi. Unde descendentes humiles ad hunc regem Christum conversi, dicunt aliis in eadem superbia perseverantibus: *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus* (*Psal.* XIX). Simul etiam secundum litteram Ephraim et Hierusalem percutit, quia videlicet temporibus illis quadrigas, et equos sibi multiplicaverunt reges Samariæ qui fuerant ex tribu Ephraim, et reges Juda quorum metropolis erat Hierusalem, et frequenter contra invicem bella gesserant. *Et dissipabitur*, ait, *arcus belli*, videlicet in his qui non contenti præcepto regis pacifici, quod est, nemini calumniam facere, neminem concutere, et unumquemque stipendiis suis contentum esse (*Luc.* III), sequuntur etiam consilium, ut cum Petro apostolo gladium suum omnino convertant, vel recondant in locum suum (*Matth.* XXVI), de qualibus et Isaias loquitur: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (*Isa.* II), et cætera. Quod protinus dicit: *Et loquetur pacem gentibus*, hoc est quod Apostolus dicit: « Et veniens pacem evangelizavit vobis qui longe fuistis, et pacem his qui prope, quæ videlicet pax reconciliatio est Dei et hominum, remissio est peccatorum » (*Philip.* II). Et sicut hic ubi dixit, *et loquetur pacem gentibus*, continuo subjunxit, *et potestas ejus a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ*, ita et in psalmo Spiritus idem cum dixisset: *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis* (*Psal.* XVII), statim subjunxit: *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* (*ibid.*). A mari Indico usque ad mare Britannicum, vel a mari orientali usque ad mare occidentale dominabitur, *et potestas ejus* erit, et illa tamen dominatio, sive potestas incipiet *a flumine usque ad terminos orbis terrarum*, id est a tempore baptismi, et diffundetur ubique terrarum, vel *a flumine*, subauditur Jordanis, id est a Judæis, et diffundetur in omnes gentes, *quia de Sion*, ait Isaias, *exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem, et judicabit gentes, et arguet populos multos* (*Isa.* II). Nunc ad ipsum de quo loquebatur apostrophem facit, et dicit: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Dicendo, *tu quoque*, admirationem nobis facit, quia revera miræ dignationis est, quod non legatus neque angelus venisset, tu per semetipsum Deus homo factus ad inferos descendisti, et hoc in sanguine tuo, quod magnum et mirum est opus dilectionis, « quia majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis » (*Joan* XV). Sanguinem illum, sanguinem dicimus *testamenti tui*, quia videlicet testamentum tuum, testamentum *æternæ hæreditatis* (*Hebr.* IX), quod scripsisti hæredibus tuis, tu sanguine tuo, tu morte tua confirmasti. In illo sanguine tuo qui de latere tuo lancea militis patefacto cum aqua cucurrit (*Joan.* XIX), *emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*; *vinctos*, inquam, *tuos*, qui collecti ab origine mundi, per omnes ætates sive generationes usque in horam tuæ passionis exspectabant te in lacu inferni *in quo non est aqua*, subauditur, quæ aliquem a peccatis abluat, et idcirco hinc illuc aquam manare, hinc usque illuc aquam cum sanguine tuo profluere oportebat; quia illic non erat, illic acquiri non poterat. Et hoc nimirum, quod hic in ista regione viventium aqua et sanguis de humano corpore exivit, et illic emundationem fecit. Vis namque illa, vis sive virtus divina quæ hoc efficit, ut et sanguis et aqua exirent de corpore jam exanimi, ipsa hoc efficere potuit, ut mortui statim carerent omni macula peccati, et contagione primæ prævaricationis, veluti mari magno inundati: *Emisisti* illos, subauditur, dicens eis: *Convertimini ad munitionem vincti spei.* Id est revertimini in paradisum vincti, non desperati. Munitionem quippe sanguinis testamenti vobis accessibilem fecit, exstinctio flammeo gladio, quem sententia vindex ante paradisum collocavit, et eo paradisum contra prævaricatores munivit (*Gen.* III). Sequitur: « Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi, quoniam extendi mihi Judam, quasi arcum implevi Ephraim, et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia. » Quanquam et aliter possit intelligi, nullo modo tamen libentius intellexerim, quam ut hæc quoque sit vox Patris, sive Spiritus sancti ad eumdem Filium cui dixerat: *Tu quoque in sanguine testamenti tui*, et cætera. Hodie quoque, hoc est hoc ipso tempore, sive tertia die passionis vel mortis tuæ, *annuntians* et dicens: *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara* (*Psal.* CVII). *Duplicia reddam tibi*, videlicet propter quod *obediens* fuisti *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* III), scilicet ut omnem potestatem in cœlo et in terra habeas, in divina simul et humana natura, quam prius habebas tantum in divina. Adhuc in eo quoque duplicia reddam tibi, ut et tui qui mortui fuerant ab origine mundi et ad inferos descenderant, restituantur tibi; et alii non solum de carne Abrahæ sed et de cunctis gentibus nascantur tibi, sicut significavi dicens: « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ » (*Psal.* II): et

hoc inde fiet, *quoniam extendi mihi Judam, quasi arcum implevi Ephraim*, id est quoniam et apostolus de Judæis, et apostolicos viros de gentibus præparavi, quarum videlicet gentium multitudo significatur nomine Ephraim, quod interpretatur *fructificans*. Quoniam sagittarius extendit sibi arcum, et pharetram suam implet sagittis tempore suo proferendis, ita *extendi mihi*, et *implevi* viros ejusmodi verbo prædicationis, eruntque verba eorum quasi sagittæ pervenientes ad cor, et pungendo urentes et urendo pugnantes, ut peccatores prius compungantur timore, deinde ardeant amore, quemadmodum Psalmista dicit: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis* (*Psal.* CIX). Quod est dicere: Sententiæ subtiles illius qui absolute potens est, scilicet Domini admodum sagittarum corda hominum penetrantcum auctoritate sanctorum Patrum. Quæ videlicet exempla cor compunctum ardentia, vitia devastant pœnitentis et idcirco dicuntur carbones desolatorii. In hoc primi
343 sunt apostoli ex Judæis, loco secundo Græci. Ait ergo: *Et suscitabo*, ait, *filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia*. Sion pro Judæo posuit, et Græciam pro gentili. Apostolus quoque vult intelligi cum dicit: *Ira et indignatio in omnem animam operantis malum Judæi primum et Græci. Gloria et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco* (*Rom.* II). Igitur *suscitabo filios tuos Sion, super filios tuos, Græciæ*, id est, confortabo apostolos de Judæa, quatenus adgentes ire et gentibus prædicare non timeant. Poterat quidem sic dicere: Suscitabo filios tuos, Sion, super filios Græciæ, sed maluit eo modo loqui, in quo est major familiaritas, majorque sentitur affectus congratulationis, pro magnitudine gratiæ vel beneficii, quod is ipse qui loquitur utrisque contulerit. « Et ponam te quasi gladium fortium, et Dominus Deus super eos videbitur, et exibit ut fulgur jaculum ejus. Et Dominus in tuba canet, et vadet in turbine austri, Dominus exercituum proteget eos, et devorabunt et subjicient lapidibus fundæ, et bibentes inebriabuntur quasi a vino et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. Et salvabit, eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevantur supra terram ejus. Quid enim bonum est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines? » Quam pulchra litteræ superficies, quantam intus evangelicæ gratiæ pulchritudinem continet? Nonne hoc est ipsum quod credimus, quod scimus factum esse usque ad nos, ex quo tu, Christe Fili Dei, in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua, id est ex quo mortuus infernum spoliasti, et cum tuis omnibus victor inde ascendisti. Ex eo namque filios Sion, id est apostolos tuos, suscitavit Deus Pater, suscitavit Spiritus sanctus, super filios Græciæ, te dicente: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII), et ex eo posuit te Pater Deus, posuit te Spiritus sanctus quasi gladium fortium, videlicet ut fieret per te illud

A quod est fortissimum, quod tu ipse significabas, dicendo: « Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et nurum adversus socrum suam et inimici hominis domestici ejus (*Matth.* X). » Hoc per ministerium filiorum Sion, hoc per prædicationem factum est apostolorum tuorum. Unde illorum prædicationi tanta vis tantusque effectus? *Et Dominus Deus*, ait, *super eos videbitur, et exibit ut fulgur jaculum ejus*. Quod est dicere: Illis proficiscentibus, et prædicantibus ubique, Dominus cooperabitur, et sermonem confirmabit *sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Nam exire *ut fulgur jaculum ejus*, hoc est coruscare miraculis Evangelium ejus. *Et Dominus in tuba canet et vadet in turbine austri*. Quid est in tuba canere, nisi futurum
B judicium audiente mundo universo declamare? Exempli gratia, dum dicit apostolus: *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum* (*Rom.* I), etc. Nonne *Dominus in tuba* canit, et vadit *in turbine austri*, id est in impetu Spiritus sancti? Nam secundum similitudinem tubæ canentis et magnæ tempestatis, terruit gentes vocibus hujuscemodi: Non erubescendum Evangelium Christi, quoniam *est virtus Dei*, quoniam in eo *revelatur justitia Dei*. Et revera Dominus exercituum eit: *Proteget eos*, videlicet non ut timeant, non erubescant, dicatque quilibet eorum: « Non enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est » (*ibid.*), etc. *Et devorabunt*, inquit, *et subjicient lapidibus fundæ*. Bona devoratio, qua trajiciuntur in corpus Eccle-
C siæ, et boni lapides fundæ, quæ sunt revelata illis sacramenta sanctæ Scripturæ, quibus auditis sive intellectis, Græcia se subjecit, gentilitas quasi lapidata conticuit, victa acquievit. Unde hoc illis, ut tam fortes sint ad devorandum, tam valentes ad jaciendum, et lapidibus fundæ subjiciendum? *Et bibentes*, ait, *inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris*. Nonne ita factum est? Nonne apostoli biberunt et inebriati sunt? An non ita dixerunt, qui eos viderunt? Cum enim accepissent Spiritum sanctum, et loquerentur *variis linguis* prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, *stupebant et mirabantur, dicentes:* Quidnam vult *hoc esse? Alii irridentes dicebant*: *Quia musto pleni sunt isti* (*Act.* II), et vere *musto pleni sunt isti*, et vere *musto pleni*, sed non quali musto putabant illi. Nun-
D quid Petrus, quia dixit: *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia*, prorsus illos ebrios esse negavit? Non utique prorsus negavit, sed quemdam ebrietatis modum removit, dicendo: *Non sicut vos æstimatis* (*ibid.*). Tanquam diceret: Sunt quidem inebriati, sed non sicut vos existimastis. Igitur bibentes inebriabuntur quasi a vino, id est Spiritum sanctum accipientes, sic se habebunt, ut dicantur pleni esse musto. *Et replebuntur ut phialæ*, id est plenam habebunt facultatem non solum scientiæ, verum etiam eloquentiæ. Phiala namque os patulum habet, et idcirco per hujus similitudinem recte innuitur linguarum universitas,

quæ illis data est, ut et capere vel nosse et eloqui A possent omnibus gentibus magnalia Dei. Et quia non sufficit oris sive linguarum abundantia, nisi adsit et zeli boni fortitudo sancta, cum dixisset : *Replebuntur ut phialæ*, addidit, *et quasi cornua altaris*. Cornua altaris jussit Dominus quatuor fieri dicens Moysi : *Facies et altare de lignis sethim*, quod *habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine* (*Exod.* XXI), id est quadrum, et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt. Quomodo impleta sunt illa cornua altaris ? *Facies*, ait, *et vectes altaris de lignis sethim duos, quos operies laminis æreis, et induces circulos, eruntque ex utroque latere ad portandum* (*ibid.*). Secundum hanc similitudinem impleti sunt apostoli scientia utriusque testamenti, quasi duobus vecti- B bus de ligni sethim per circulos charitatis ad portandum ad altare, quod est Christus, cujus videlicet altaris apostoli quædam cornua fuerunt et sunt, videlicet perhibendo illi fortissimum coram regibus et gentibus testimonium. Igitur *replebuntur*, ait, *ut phialæ, et quasi cornua altaris*, id est, uno eodemque spiritu et scientissimi fient et fortissimi ad portandum, id est Evangelizandum cunctis gentibus Christum secundum mysterium illius altaris manufacti, quod ut portari posset, cornua ejus circulis et vectibus jussa sunt impleri. *Et salvabit eos*, inquit, *Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevantur super terram ejus*. Sensus hic est : Sicut pastor gregem suum, ita salvabit multitudinem credentium, et hoc inde prove- C niet, quia sicut lapides rotudi facile volvi possunt, et citius moventur secundum voluntatem ejus qui uspiam illos ducere vult, ita illi Salvatoris imperium sequuntur, et per infirmitatem quidem carnis teneri, ut ovium grex, sed per patientiæ virtutem duri ut lapides, et per obedientiæ benevolentiam semper volubiles, et ad jussa peragenda currentes. *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?* Hoc ita crum præcedentibus continuari potest. Dixi, *replebuntur ut phialæ, et quasi* **344** *cornua altaris*, et subaudiendum est bonis Domini pulcherrimis, scilicet frumento et vino, quæ vere bona Domini esse sentit, quisquis frumentum et vinum spiritualiter intelligit. Nam frumentum Domini est Verbum Domini, et vinum Domini est Spiritus Domini. Sicut frumen- D to visibili fames expellitur corporis, et vino non solum exstinguitur sitis, sed et vegetatur calor naturalis, ita verbo Dei anima vivit, et dulcedine Spiritus sancti provocatur mens ad amorem Dei. Hoc a tempore prædicationis evangelicæ sic abundanter cœpit fieri, ut sicut tempore messis solet apparere plenitudo agri frumentarii, et sicut in abundantia roris vel imbris temporanei et serotini, germen arridet horti bene culti, vernantibus rosis et candentibus liliis, ita per orbem universum passim spectentur, et electus sexus virilis, et virgines sexus feminei. Quid aliud beatam Trinitatem magis quam hoc spectaculum in hoc mundo delectet ? Dicat ergo : « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? » Sequitur :

CAP. X. — « Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et pluviam imbris, dabit eis, singulis herbam in agro, quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium, e somniatores frustra locuti sunt, vane consolabantur. » Optime sciendum est (etenim scire sapientis est) quia bonum hoc et pulchrum, de quo dixerat : *Quid bonum ejus, et quid pulchrum ejus est, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines, bonum*, inquam *et pulchrum*, hoc solius Dei donum est, et propter hoc ab ipso petendum est. Nam de germine virginitatis, de frumento verbi Dei, quicunque studiosus fuit, non ignorat, sed experimento didicit quod de terra carnis nostræ resurgere non possit, quamvis plantet aut riget aliquis, nisi Deus incrementum dederit (*I Cor.* III). Qui ergo bonum hoc vel pulchrum ostendit, recte et consilium suggerit petendi illinc unde potest acquiri. *Petite*, inquit, *a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives pluviam imbris*. Ac si dicatur : Ubi desideratur frumentum Domini, et vinum germinis virginei, ubi consilium est castitatis, vel propositum virginitatis, ibi sentitur magis incendium carnis adversus spiritum concupiscentis. Sed nolite deficere, nolite desperare. *Petite a Domino, et Dominus dabit nives, et pluviam imbris* : nives quibus æstum carnis refrigeret ac temperet ; pluviam imbris quo terra cordis compluta proferat herbam frumenti, quo vivit homo, quod confirmat cor hominis. Nam nix interdum malum significat, ut illud beati Job : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix* (*Job.* VI). Interdum vero bonum, ut illud de parabolis Salomonis : « Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis et qui misit eum, animam illius requiescere facit » (*Prov.* XXV). *Petite*, ait, *a Domino in tempore serotino*. Magna et vehemens est hujusmodi exhortatio et uniuscujusque conscientiam tangit hoc dicto. Quis gloriari potest, qui hujusmodi nives aut pluviam petierit, et impetravit tempore nimis maturo ? Fere omnis caro prius suo delectatur incendio, quam refrigerium petat a Domino. Ergo quasi non ausus dicere : Petite in tempore matutino, *petite*, inquit, *in tempore serotino*. Si non mane, *petite* vel sero ; *petite*, inquam, et nolite attendere simulacris aut divinis sive somniatoribus, « quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium, et somniatores frustra locuti sunt, vane consolabuntur. » Quid enim dixerunt ? O homo, qui dicis *pulchrum* Dei esse *vinum germinans virgines*, ad quid Deus in initio masculum et feminam creavit ? Ad quid membra coeundi usibus apta formavit ? Vide ergo, ne dum virgines existimas vel prædicas bonum et pulchrum esse Dei, contrarius existas constitutioni vel decreto Dei. Sunt autem plerique non audentes sic obloqui, quoniam potest eis abundantius responderi. Aliter dicunt, et nimis misericorditer blandiuntur sibi. Ille

vel illa potuit, sanctus ille apostolus, aut sancta illa quam Deus assumpsit, valuit proferre et custodire germen Dei, germen virginitatis, quia tempus bonum fuit, aut complexio frigidioris naturæ vivit, tempus nunc fragilius est, nos, o soror, aut, o frater, naturæ sumus imbecillioris, melius est sic facere quam uri. Illa potuit, tu virginitatem custodire vel continens esse non poteris. Nec defuerunt qui dicerent nuptias in illo sæculo virginibus non impietatis fore meriti. Cum hæc vel his similia audieris, scito quia simulacra sunt, et inutile loquuntur. Divini sunt, et mendacium vident. Somniatores sunt, et frustra loquendo vane consolantur. *Idcirco abducti sunt, quasi grex affligentur, quia non est eis pastor.* Super pastores *iratus est furor meus, et super hircos visitabo, quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.* Idcirco ait, quia *somniatores* sunt, *et frustra* loquuntur, quia *divini* sunt et *mendacium viderunt*, quia *simulacra*, id est deceptores sunt, *et inutile locuti sunt* ad subvertendum *bonum* Dei, quod *frumentum electorum* est, ad destruendum *pulchrum* Dei, quod est *vinum germinans virgines*, idcirco et ipsi, et qui consenserunt, vane consolentibus eis, idcirco, inquam, *abducti sunt* in diversas vias libidinum, et *affligentur quasi grex*, subauditur hircorum, quod animal nimis est libidinosum. Nam protinus dicit, *et super hircos visitabo.* Ergo quasi grex hircorum, id est bruti et insensati velut hirci affligentur, subauditur multis et diversis ignominiæ passionibus. Nam quia veritatem Dei in mendacium commutaverunt, quod est divinorum hujusmodi et somniatorum, Idcirco ait Apostolus : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* (*Rom.* VIII), idcirco tradidit illos Deus *in passiones ignominiæ*, idcirco tradidit illos Deus *in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniant* (*ibid.*). Juxta hunc sensum cum hic dicit quia non est eis pastor, pariter subintelligendum est, nec ipsi sunt pastori, videlicet illi qui dicit : *Ego sum pastor ovium* (*Joan.* X), *ego sum via et veritas* (*Joan.* XIV), non quod pastorem hujusmodi non audierint, aut viam et veritatem istam non cognoverint, sed quia cum cognovissent pastorem, huic non sicut pastori obedierunt, vel sicut Apostolus dicit : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (*Rom.* I), *imo veritatem in mendacium commutaverunt.* Idcirco *super pastores iratus est, furor meus, et super hircos visitabo, id est* et magistros libidinum, quia putridi pastores sunt, et auditores, sive imitatores illorum, quia libidinosi hirci sunt, æque judicabo, quoniam proprio jam sunt condemnati judicio pastores hircis libidinum vias ostendendo, hirci pastoribus libenter assentiendo. Etenim inde jam excusabiles sunt, *quia visitavit Dominus exercituum domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.* Vocabulo domus Juda, quod interpretatur *confessio*, cunctos illis contrarios significat, quoniam illi, sicut jam dictum est, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt*, et idcirco passionibus traditi sunt, et idcirco non liberantur, quia sibimetipsis complacent passionibus. Isti autem econtra cognoscentes Deum, sicut Deum glorificaverunt et gratias egerunt, unde et domus Juda, id est domus **345** confessionis et laudis dicti sunt. Hujusmodi *gregem suum*, gregem non hircorum, sed ovium *visitavit Dominus exercituum.* Quomodo *visitavit ? Posuit eos*, ait, *quasi equum gloriæ suæ in bello*, id est sicut equus gloriosus in bello exsultat audacter, et in occursum pergit armatus, contemnit pavorem, nec cædit in gladio, ista isti fortes et constantes sunt intus et foris, intus contra omnem impetum libidinis, foris contra gladium persecutoris, hinc illi, ut jam dictum est, inexcusabiles sunt, quia videlicet ut illi, ita et isti homines sunt, caro sunt, et si voluissent illi, æque isti habuissent adjutorem Deum. Unde protinus sequitur : *Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egreditur omnis exactor simul. Et erunt quasi fortes, quasi conculcantes lutum viarum in prælio. Et bellabunt, quia Dominus cum eis. Et confundentur ascensores equorum, et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo.* Bene secundum nomen suum loquitur et confitetur domus Juda, bene adorat et sentit equus gloriæ Domini. Sic dicere, hoc nimirum est Deum omnipotentem glorificare et gratias agere : *Ex ipso*, inquit, *angulus, ex ipso paxillus ex ipso arcus prælii, ex ipso egreditur omnis exactor simul.* Quidnam hoc est ? Omne bonum *ex ipso* procedit. *Angulus*, id est fides, *paxillus*, id est spes, *arcus prælii*, id est charitas extra quam nulla est scientia, nulla virtus præliandi, *ex ipso* est, ipsius donum est. *Simul omnis exactor*, id est omnis operator quicunque ex conscientia boni operis juste audet mercedem exigere, ut ille qui dixit : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi ; de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem* (*II Tim.* IV). *Omnis*, inquam, *talis exactor ex ipso egreditur*, ex ipso accipit hoc ipsum quod est operatus, pro quo mercedem vel coronam exigere meretur. Angulum diximus fidem, quia videlicet sicut angulo junguntur duo parietes e diverso venientes, ita per unam eamdemque fidem conjuncta est electio gentium electioni quæ ex Judæis est ; paxillum spem, sicut qui lapsus in prona si paxillum firmiter fixum apprehenderit, feliciter subsistit, et tenet atque tenetur, ne penitus decidat in ima præcipitii; ita qui variis tentationibus poterat periclitari, et in barathrum devenire desperationis, spe sublevatur, et ad divinæ pietatis arcem resilit ; arcum prælii charitatem, quia profecto nihil tam forte contra diabolum, nihil in omni armatura virtutum tam valens, tam efficax contra pugnas libidinum quam est charitas, per quam fides operatur, per quam spes roboratur, et omne animæ certamen jam in præsenti quadam mercede remuneratur, dum hujus veri boni suavitate mens bene conscia quoti-

die pascitur. Exactorem diximus operarium fidelem, in fide stantem, in spe laborantem, in charitate currentem, et propter hoc mercedem aut coronam a Deo fideli debitore exigentem. Hæc omnia ex ipso sunt, et hoc scire debent electi supradicti, maximeque pulchrum illud Dei germen, scilicet virgines scire, inquam, hæc, et respondere debent contra simulara loquentia inutile, contra divinos mendacium videntes, contra somniatores frustra loquentes, et vane consolantes, ut supra jam dictum est. *Et erunt*, ait, *quasi fortes, quasi conculcantes lutum viarum in prælio, et bellabunt, quia Dominus cum eis. Quasi fortes*, inquit, *quasi conculcantes*, id est vere fortes, vere conculcantes, ut illud : *Facti sumus sicut consolati* (*Psal.* CXXV), id est, vere consolati. Contra, quid fortes? Quid conculcantes? Fortes contra lutum viarum, *conculcantes lutum viarum*, sive stercus in medio platearum. Nam *mulier fornicaria quasi stercus*, ait Sapientia, *conculcabitur in medio platearum* (*Eccli.* IX). Duo dixit, *quasi fortes, quasi conculcantes*. Non prius conculcantes, et deinde fortes, sed prius *fortes*, et deinde *conculcantes*. Prius enim antequam vincant libidines, pugnare oportet ut fortes, et deinde conculcare possunt, utpote victores, ita ut si vel motum vitii sentiant, indignentur, contra quod prius cum labore præliabantur. Et notandum quia prius tria reddidit, quia dixerat, *ex ipso angulus, ex ipso paxillus, et ex ipso arcus prælii*, et nunc dicit: *Et erunt quasi fortes, erunt quasi conculcantes, et bellabunt quasi Dominus cum eis*. Ergo fortes in angulo fidei, conculcantes cum paxillo spei, bellantes in arcu prælii, in fortitudine charitatis Sed quid opus erit bellare, postquam licuit conculcare? Ad hoc sciendum quia postquam in semetipso qui vicerit, et conculcaverit *lutum viarum*, id est stercus libidinum, restat ut pugnet et pro aliis in arcu prælii, in fortitudine charitatis, cum fervore zeli boni, arguendo, obsecrando, increpando, maxime illos qui sibi sunt commissi, ut solet fieri, quia dignum est, et ita expedit, ut regimen animarum, non cuilibet, sed probato et emerito committatur libidinum victori. *Et confundentur*, ait, *ascensores equorum, et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo*. Manifestum est tam de Scripturis quam de exemplis quotidianis, quia elationem mentis sequitur confusio libidinis justo judicio Dei. Porro elati quo melius atque convenientibus vocabulo denotarentur quam hoc dicto : *Ascensores equorum?* tanquam diceret: Humiles illa gloria sequetur, ut conculcent lutum viarum : superbos illo confusio, ut stercorentur eodem luto viarum. Quid porro sibi vult, quod protinus dicit : *Et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo?* De domo quidem Judæ jam supra dictum est quod ipsi sint confidentes, et Deum omnipotentem sicut Deum glorificantes, et gratias agentes, et propter hoc ipsum posuerit eos Dominus quasi equum gloriæ suæ in bello, et hoc repetitur hic brevi sententia, *et confortabo domum Juda*. Sed de Joseph cur mentionem fecit in præsenti negotio, dicens, *et domum Joseph salvabo?* Ad hæc, sciendum quia Joseph inter victores libidinum notissimus atque nobilissimus est, quia noluit acquiescere dominæ suæ dicenti : *Dormi mecum*, cum captivus esset, et propter fidem castitatis, falsa circumventus accusatione, carceri mancipatus est (*Gen.* XXXIX). Domum ergo Joseph cunctos designare illos qui pro castitate laborant non dubium est, quatenus qui hæc audiunt et recordantur laborum ejusdem Joseph, et quomodo de eisdem laboribus salvavit eum Dominus, provocentur ad imitandum Joseph, et ab experimento sciant quia cunctis, qui pro fide et castitate agonizantur, magna merces parata, grandis honor apud Deum repositus est. *Et convertam eos, quia miserebor eorum, et erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos. Ego enim Dominus eorum, et exaudiam eos, et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi a vino, et filii, eorum videbunt et lætabuntur, et exultabit cor eorum in Domino*. Hoc assertione nostra non indiget, quod, ut nunc ait, *et convertam eos quia miserebor eorum* conversionis quia conversi sumus, causa alia nulla est, nisi gratuita misericordia, sive misericors, et miseratrix gratia. Quod deinde subjungit, *et erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos*, quo sensu melius intelligitur quam ac si dixisset : Et erunt sicut prædestinatione habui eos. Nam antequam in Adam et Eva, quos emisi de paradiso, projecerat nos, imo et antequam cœlum et terra fieret, **346** eramus apud eum omnes nos, quanto quisque deberet accrescere merito, quanto universitas electorum complenda foret numero. Et quia non ex semetipsis, sed ex sola fiet gratia liberatoris, recte dicit continuo : *ego enim Deus eorum, et exaudiam eos*. Mox dicendo : *Et erunt quasi fortes Ephraim*, ad sacram et mysticam nos misit historiam, ubi Ephraim, qui natu erat junior, benedictione patris commutantis manus factus est prior. *Scio*, inquit, *fili mi, scio quia hic Manasses primogenitus est, sed frater ejus junior, major illo erit, et semen illius crescet in gentes, constituitque Ephraim ante Manassen* (*Gen.* XLVIII). *Erunt ergo*, ait, *quasi fortes Ephraim*, id est præferentur ex gentibus, credentes, et Judæis erunt multipliciores atque fortiores, sicut Ephraim, qui natu erat junior, priori prælatus est, et major factus quam is qui natu erat prior Manasses. *Et lætabitur*, ait, *cor eorum quasi a vino*, id est lætitiam habebunt non foris sed intus; nam a sæculo persecutionem patientur, sed intus consolatione Spiritus sancti replebuntur. Quod deinde dicit : *Et filii eorum videbunt et lætabuntur, et exultabit cor eorum in Domino*, res ipsa hodie veraciter dictum esse comprobat : quia nos filii sanctorum, filii martyrum, quibus illi certitudinem fidei Christianæ suo sanguine pepererunt, gloriam illorum videmus et lætamur, videntes et lætantes veneramur, et exsultat cor nostrum in Domino, quia tales apud Christum habemus patres et patronos. *Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos, et multiplicabo eos, sicut antea fuerant multiplicati, et seminabo*

eos in populis, et de longe recordabuntur mei, et vivent cum filiis suis. Magis ac magis inculcat ac replicat, quod non meriti ipsorum, sed gratiæ suæ sint omnia quæcunque illis dicuntur, vel dici possunt gloriosa. Quid enim est *sibilabo eis*, nisi occulta inspiratione traham illos, quæ est quasi *sibilus auræ tenuis*? (III *Reg.* XIX). Ergo *sibilabo eis*, id est, quidquid boni est eorum vel esse poterit, de meo spiritu erit, *et congregabo illos*, scilicet eodem spiritu meo in unitatem fidei, *quia redemi eos*, quia idcirco mortuus sum, idcirco, ut ait Evangelista, mori me oportebat, ut eos, *qui dispersi erant, filios Dei* congregarem *in unum* (*Joan.* II). *Et multiplicabo eos*, sicut ante fuerunt multiplicati, id est non alii, neque pauciores credent, et convertentur, quam fuerunt ante omnia sæcula præsciti et prædestinati. Quomodo vel quali incremento, Domine, multiplicabis eos? *Et seminabo*, ait, *eos in populis, et de longe recordabuntur mei.* Hic illud occurrit quod ipse in Evangelio de semetipso dicit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII). Nam principaliter ipse quidem erat granum mortificandum, et vivificandum; mortificandum infidelitate Judæorum, vivificandum fide populorum: sed secundarie singuli quique sanctorum, vel martyrum grana frumenti fuerunt et sunt. Unde superius dictum est, *bonum et pulchrum Dei* esse *frumentum electorum* (*Zach.* IX). Cum ergo in modum frumenti sanctificaverint sancti, ita ut per verbum doctoris unius multi eruditi sint, et per passionem unius martyris persæpe multi occasionem credendi acceperint, qui a Deo longe erant remoti, nonne satis liquet, quam veraciter prophetico præconio dixerit hic, *et seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei, vivent cum filiis suis*, subauditur, qui labore ipsorum Deo acquisiti, et saluti æternæ sunt nati. *Et revertentur, et reducam eos de terra Ægypti, et de Assyriis congregabo eos, et ad terram Galaad et Libani adducam eos, et non invenietur eis locus.* Ægyptum hunc mundum, Assur diabolum, et Assyrios dæmones in Scripturis significare notum est. Hinc apud Isaiam Dominus dicit: *In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi, et Assur absque ulla causa calumniatus est eum* (*Isa.* LII). Et est sensus: Sicut in istam localem Ægyptum descenderunt filii Jacob, et ibi multiplicati gemuerunt sub servitio, et quasi in ergastulo (*Exod.* I), et deinde carneus Assur, Sennacherib, et multitudo ejus (*IV Reg.* XIX), et Salmanasar itidem rex Assur calumniatus est, et captivum duxit eum sine causa, quia nihil contra eum fecerat (*IV Reg.* XVII), ita in principio, quando non erant nisi duo in paradiso, masculus et femina, Adam et Eva, descendit in illis duobus omnis electorum et ad vitam prædestinatorum populus in tenebras hujus sæculi, ubi Deus verum lumen non videtur, et diabolus sub tributum mortis redegit eum, invidens illi, et odio habens absque ulla causa, quia videlicet homo diabolum de cœlo ruere non fecerat. Porro, terra Galaad et Libani terra est promissionis, interpretaturque Galaad *acervus testimonii*. Libanus autem *candidatio*, quibus nominibus martyres, id est testes, et omnes candidæ confessionis sanctos significare perspicuum est. Igitur *revertentur* ait. *Et reducam eos de terra Ægypti, et de Assyriis congregabo eos, et ad terram Galaad, et Libani adducam eos, et non invenietur eis locus*, id est ad me convertentur, sicut scriptum est: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ* (*Psal.* XXI), et ego de præsenti sæculo nequam ereptos, de potestate malignorum spirituum liberatos, *congregabo eos*, subauditur in unum, sicut evangelista dicit, *ut filios Dei, qui dispersi erant congregaret in unum* (*Joan.* XI), et adducam eos ad terram viventium, quæ terra est Galaad, et Libani, id est martyrum et omnium sanctorum, et tanta erit multitudo eorum, ut æstimatione humana non possit invenire, quis vel quantus sit locus, qui sufficere queat illis ad habitandum. *Et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus. Et confundentur omnia profunda fluminis, et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet. Confortabo eos in Domino et in nomine ejus ambulabunt dicit Dominus.* Adhuc detinetur in contemplationem mysterii quo miserat nos, dicendo: *Et reducam eos de terra Ægypti.* Non obscura, sed notissima est parvulis quoque Ecclesiæ filiis, illa spiritualis intelligentia, quod sicut Israel de Ægypto per mare Rubrum, merso Pharaone cum curribus et equitibus ejus, ascendit ad possidendam terram, quam Dominus illi dare decreverat, quod et fecit, ita electorum universitas, de præsenti sæculo ascendens, non aliter quam per sacramentum baptismi ad illam terram viventium pervenit, demerso, id est abnegato diabolo, et universis pompis ejus, in virtute ejus sacramenti. Cum ergo dicit: *Et transibit in maris freto*, subauditur Dominus, *et percutiet in mari fluctus, et confundentur omnia profunda fluminis, et humiliabitur Assur superbia, et sceptrum Ægypti recedet.* Pulchre concludit quasi narrationem propheticam, narrationem operum misericordiæ et miserationis, quam sic incœperat: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua* (*Zach* IX). Nam *et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus*, quid aliud est, nisi et perficiet illud quod in divisione maris Rubri significabitur, quando virgam suam, jubente Domino, Moses elevavit super maris fluctus (*Exod.* XIV), et recessit sceptrum Ægypti, subauditur, percussum virga Moysi, nec potuit filios Israel persequi? Plura hinc dici poterant, nisi quia sicut jam dictum est, **347** fere omnibus notum est illius facti mysterium, et qui nota diutius tractat affert legenti fastidium, ergo cætera persequamur.

CAP. XI. — « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. Ulula, abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt. Ululate, quercus Basan, quia succisus est saltus munitus. Vox ululatus

pastorum, quia vastata est magnificentia eorum. Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis. Universæ viæ Domini,» ait Psalmista, *misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Item: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C). Secundum hæc duo hic locus prophetiæ dividitur. Nam ab eo, quod longe superius: *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Jejunium quarti, et jejunium quinti* (*Zach.* VIII), etc. usque ad id, quod nunc dicit: *Aperi, Libane, portas tuas*, cuncta fere promissa misericordiæ fuerunt, quæ nunc opere impleta sunt, et ab eo quod dicit: *Aperi, Libane, portas tuas*, usque ad id quod longe inferius loquitur, *brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus ejus dexter tenebrescens obscurabitur*; cuncta hæc terribilia veritatis edicta, justique judicii documenta sunt. Quantum dulcedinis, quantum suavitatis atque jucunditatis illic est in hoc dicto: *Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Hierusalem* (*Zach.* IX). Et econtra quantum hic amaritudinis, quantum acerbitatis et calamitatis eorum, quibus dicit: *Aperi, Libane, portas tuas et comedat ignis cedros tuas: ulula, abies, ululate quercus Basan.* Ergo, sicut hactenus misericordiam in illis qui crediderunt vel credunt, ita ex his quæ sequuntur justum consideremus judicium super illos qui non crediderunt. *Aperi*, inquit, *Libane, portas tuas.* Libanus, quo monte terra illa nihil habuit vel habet excelsius, templum præsenti loco significat quo gens illa nihil habet augustius. *Aperi*, id est claudere Romanis vel hostibus obserare non valeas, sed ingrediantur secreta tua, *et comedat ignis cedros tuas*, id est tabulas cedrinas, tabulas deauratas. Puto ipsum Libanum, hoc est, templum propheticæ vocis sensisse imperium, quoniam, ut Josephus quoque testatur (*De bel. Jud.*, lib. VII, c. 17), imminente excidio portæ ejus apertæ sunt absque manu hominum. « Orientalis, inquit, porta interioris templi cum esset ænea atque gravissima, et post meridiem vix a viginti hominibus clauderetur, serisque ferro junctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere. His autem curriculo per custodes templi magistratui nuntiatis, ascendit ille, vixque eam potuit claudere. » Nec mirum. Imperabat enim hæc vox divina, vox prophetica: *Aperi, Libane, portas tuas* et tali apertione protinus fore aperiendas hostibus portas suas significabat. *Abies* cui dicitur, *ulula*, et *cedrus* quæ *cecidit*, illi principes, illi superbi fuerunt quos apertius exprimit, dicendo: *Quoniam magnifici vastati sunt.* Et pulchre sicut nomine Libani templum, ita abietis et cedri nominibus summos Judæorum et principes designat sacerdotum, qui, quomodo abies et cedrus in Libano, ita se extollebant et magnificabant in templo illo. Et quia præ magnitudine malorum non sufficit semel dixisse, repetit verbis paululum diversis: *Ululate*, inquiens, *quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.* Adhuc autem magis ac magis inculcans, *vox*, inquit, *ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum, vox rugitus leonum, quia vastata est superbia Jordanis.* Quos abietes, cedros et quercus dixerat, eos tandem pastores et leones nuncupat, quoniam pastores erant nomine pro sacerdotali officio; leones opere, quia prædam faciebant de populo. Nomine saltus muniti, quem succisum et vocabulo Jordanis, cujus superbiam vastatam esse dicit, multitudinem atque confidentiam designat populi Judaici, in quo jam dicti principes sacerdotum sic erant feroces ut leones, sic rigidi atque superbi sive elati ut quercus cedri atque abies. Quis ejusmodi cedronum atque abietum casum, quis quercuum succisionem non audivit? Cujus ad aures ululatus ille non pervenit? *Usque ad præsentem diem*, ait B. Hieronymus, *perfidi coloni post interfectionem servorum, et ad exercitum Filii Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem, et ut ruinam eis liceat suæ flere civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas, et ne fletus quidem eis gratuitus sit. Videas in die quo capta est a Romanis, et diruta Hierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas et senes pannis annisque obsitos, in corporibus et in habitu suo iram Domini demonstrantes.* Profecto qui superius dixerat illis qui jejunaverant et planxerant per septuaginta annos, propter exterminium quod fecerant Babylonii: *Nunquid jejunium jejunasti mihi?* (*Zach.* VII), idem Dominus magis, multoque severius istorum ululatum contemnit. *Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, quoniam divites facti sumus. Et pastores eorum non parcebant eis, et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus.* Memoriter tenendum quod ante jam diximus, quia sicut ea quæ prius dicta sunt misericordiam sonant regis Sion et salvatoris Hierusalem, ita hæc judicium prædicant ejusdem regis et judicis omnium. Propheta dicit: *Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis;* paucisque interjectis, dicit Dominus: *Ego non parcam ultra super habitantes terram*, quod idem est ac si diceret: *Ego non pascam.* Intellectu hic opus est quomodo Dominus dicit: *Pasce*, et Dominus dicat: *Non pascam.* Nam, si parvum est et si non videtur idem esse, *ego non parcam*, ac si diceret, *ego non pascam*, postmodum manifestius dicit: *Non pascam vos. Quod moretur moriatur, et quod succiditur succidatur.* Proinde integram litteræ portionem, quam postulat sensus, jam hic perscribere idoneum videtur. Cum dixisset *Dominus Deus: Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant occidebant et non dolebant*, et *vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, divites facti sumus, et pastores eorum non parcebant eis*: cum, inquam, hæc dixisset Dominus, statim econtra dixit Dominus: « Et ego non parcam ultra super habitantes terram. Ecce trado homines unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui, et non eruam de manu eorum.

« et pascam pecus occisionis, propter hoc, o pauperes gregis. Et assumpsi mihi duas virgas : unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum, et pavi gregem. Et succidi tres pastores in mense uno, et contracta est anima mea in eis. Siquidem anima eorum * variavit in me, et dixi : Non pascam vos. Quod moritur moriatur, et quod succiditur succidatur, et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.» Intellectu, inquam, ut jam diximus, hic opus est, quia Dominus Deus est, qui dicit : *Pasce pecora occisionis*, et Dominus Deus est qui dicit : *Ego non parcam ultra super habitantes terram.* Itemque Dominus est, qui dicit : *Et pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis* ; et Dominus est, qui subinde loquitur : *Non pascam vos*; *quod moritur moriatur, et quod succiditur, succidatur.* Ut ergo intelligentiæ melius pateat ostium, primo illud **348** dicendum : *Quia videns Dominus civitatem Hierusalem, flevit super illam dicens : Quia si cognovisses et tu* (*Luc.* XIX), et cætera. Porro, civitas illa, populus ille, pecus erat occisionis, id est populus destinatus sempiternæ morti, æternæ perditioni. Quid ergo erat homini Jesu Christe, quem propheta utique significat, dicens : *Hæc dicit Dominus Deus meus* ; quid, inquam, illi super civitatem vel populum ejusmodi, nisi dicere, *pasce pecora occisionis.* Nam quoniam in uno eodemque Jesu Christo, sicut duas naturas, ita dua scimus esse voluntates, non dubium quin secundum naturæ humanæ voluntatem, qua et super illos flere potuit, reservari eosdem voluerit. Sed quid esset illos reservare, nisi pascere pecora occisionis ? Nam, quanto plures scaturirent de illius multitudinis luxuriosa carne vermiculi, tanto plures provenirent victimæ morti sive occisioni. Itaque dicit idem Dominus Filius, sive Dominus Pater, sive Dominus Spiritus sanctus : *Ego non parcam ultra super habitantes terram.* Sed quid ? *Ecce trado*, ait, *homines unumquemque in manu proximi sui*, ut videlicet a semetipsis cædantur et dilacerentur seditionibus intestinis, nimirum secundum electionem Barabbæ latronis et seditiosi, quem damnato principe pacis Jesu Christo, præelegerunt sibi, *et in manu regis sui*, scilicet Cæsaris, qui rex eorum fuit et esse debuit, secundum suam ipsorum professionem, dicentium : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Matth.* XXVII). Josephus scire volentibus satisfacere potest, quam vere in illa obsidione tradiderit eos, *unumquemque in manu proximi sui et in manu regis sui,* et quam vere dixerit, *et concident terram*, quamque veraciter addiderit adhuc, *et non eruam de manu eorum.* Attamen, ne omnino voluntatis humanæ, de qua jam dictum est, fletu frustra provenerit, quando *videns civitatem super illam flevit* (*Luc.*, XIX), *et pascam*, ait, *pecus occisionis*, subauditur quadraginta duobus annis, ut habeant tempus pœnitentiæ, qui ex illis pœnitentiam agere voluerint. Nam tot anni transierunt a passione Domini, usque ad illud miserabile excidium. Occisionis illius causam in sacerdotes sive pontifices, miro modo redundare

A demonstrat, dum præmisso, *pasce pecora occisionis*, subjungit : *Quæ qui possederant occidebant, et non dolebant, et vendebant ea dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus.* Et ne dubium sit quos tangat, continuo subdit : *Et pastores eorum non parcebant eis.* Ergo qui possederant, sacerdotes fuerunt avarissimi, et pontifices rapacissimi, et ejusmodi pastores animas occidebant, et non dolebant, imo gaudebant, quoniam de occisione animarum illorum aliquod emolumentum pecuniæ capiebant, atque hoc modo vendebant infelicem populum tanquam possessionem suam, præoptantes de pereuntibus lucellum aliquod contrahere, quam de viventibus et Christum sequentibus suorum detrimentum sacculorum, quod timebant, incurrere. O quam iniqui,
B quam impie Deum existimabant esse similem sibi, dum ita vendentes pecora illa dicebant : *Benedictus Dominus, divites facti sumus.* Talis illorum benedictio maledicta sit, quoniam et ipse Dominus in alio propheta dicit : *Et maledicam benedictionibus vestris et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor* (*Malach.* II). *Propter hoc, o pauperes gregis*, qui propter hoc ipsum quod pauperes, id est humiles estis, occisionem, evasistis, et forte doletis super illa pecora occisionis, sicut quispiam vestrum dolens, dicit : *veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo* (*Rom.* IX). O, inquam, pauperes ejusmodi, subauditur, adhuc attendite, quod vel quomodo cum grege illo egerim, ut melius
C cognoscatis quam justum occisionis illorum judicium sit. *Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi, decorem, et alteram vocavi funiculum, et pavi gregem. Et succidi tres pastores in mense uno*, etc. ut supra. *Duas virgas assumpsi mihi*, id est bis cum hominibus, ut essem Deus eorum, fœdus pepigi. Primo cum Noe, et cum omnibus hominibus sive gentibus. Secundo cum Abraham, et semine ejus. Ad Noe namque dixi: *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos* (*Gen.* IX). Ad Abraham vero: *Ego sum, et pactum meum tecum* (*Gen.* XV). Itemque : *Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te, in generationibus tuis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te* (*ibid.*). *Assumpsi* ergo *mihi duas virgas*, id est primo regimen
D omnium gentium, quia omnium Creator sum, deinde regimen seminis Abrahæ, quoniam gentes in vias suas abierunt. *Unam* virgam *vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum*, quia videlicet gentes cæteræ quoddam decus meum, decus et ornatus orbis errarum fuerunt ; semen autem Abrahæ proprius hæreditatis meæ funiculus esse habeat, sicut illi a me dictum est : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). In illa virga quam *vocavi funiculum, pavi gregem*, id est dedi illis legem, quos sicut oves eduxi de Ægypto in manu Mosi et Aaron; *et succidi tres pastores in mense uno*, id est me sententiam dante in mense uno, mense primo mortui

sunt, Maria, Moses et Aaron, *et contracta est anima mea in eis*, id est iratus sum eis, ita ut adjudicarem illos sententia mortis. Quam ob causam? *Siquidem anima eorum variavit in me*, id est non perfecta, vel continua dilectione glorificaverunt me, subauditur ad aquas contradictionis. Dixitque eis: *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis* (*Num.* XX). Sciendum, ut supra jam diximus, cuncta hæc ab eo quod ait: *Aperi, Libane, portas tuas*, usque ad id quod supra dicit: *Onus verbi Domini super Israel*, ad ratione spertinere judicii seu veritatis Domini, cujus *universæ viæ* sunt *misericordia et veritas* (*Psal.* XXIX), et idcirco pertinuisse ad rem, ut non omitteret dicere quod succiderit judicio severo illos quoque pastores ejusmodi quos multum dilexit. Jam si quæras quid cum alia virga fecerit, quam vocavit *decorem*, qui in altera quam vocavit *funiculum*, pavit *gregem*, id est gubernavit Israeliticam sive Judaicam gentem, protinus ait: *Et dixi: Non pascam vos. Quod moritur moriatur, et quod succiditur succidatur, et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.* Et hæc dicens: *Tuli*, ait, *virgam meam, quæ vocabatur decus, et abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis, et irritum deductum est in die illa.* Unum, inquit, *gregem pavi*, id est unam gentem regendam suscepi; cæteris autem gentibus, dicendo: *Non pascam vos, abscidi virgam*, sive abscindendo virgam, dixi, *non pascam vos*. Quid enim prodest pasci corpora, ubi mortuas esse constat animas. Quod moritur vel succiditur in anima, moriatur et succidatur in corpore. Hæc ubi dixi, non quievit mors, non cessavit gladius, passimque truncabant gentes, et invicem truncabantur, et tamen miro modo qui morerentur et succiderentur, certatim nascebantur tanta insania, ut proletarii quoque in urbibus collocarentur. Quod ad quid valuit, nisi ut infernus impleretur? Sequitur: *Et cognoverunt se pauperes gregis, qui custodiunt mihi quia verbum* **349** *Domini est. Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, et si non, quiescite. Pauperes gregis*, subauditur, de quo supra dixi, *et pavi gregem*, id est regendam suscepi. Israeliticam gentem, et dedi eis legem. Qui sunt vel fuerunt illius gregis pauperes? Homines sancti et humiles quorum nonnulli, et si censu divites, affectu vel spiritu fuerunt pauperes, ut ipse David rex, isti *pauperes cognoverunt, quia verbum Domini est*, id est quia justum est judicium super gentes. Quando autem vel quomodo dixit ad eos iste pascens gregem, *afferte mercedem meam*? Nimirum quando *dedit eis regiones gentium, et labores populorum possederunt* (*Psal.* CIV), tunc dixit illis: *Afferte mercedem meam*, quam Psalmista protinus exprimens, *ut custodiant*, inquit, *justificationes ejus et legem ejus requirant* (*ibid.*). Nam hæc est tota merces pastoris hujus, et in hoc bene muneratum se esse gratulatur, si grex quem pascit,

A requirat et custodiat legem et justificationes ejus. Et quoniam grex rationalis liberum habet arbitrium, et pastor iste mercedem non coactam desiderat sed spontaneam, pulchre dixit: *Si bonum est in oculis vestris, afferte, et si non, quiescite.* Sed quid illi? Qualem attulerunt mercedem tanto pastori? Ait: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis: dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium decorum pretium quod appretiatus sum ab eis.* Triginta argenteos dederunt Judæi sive pontifices et Pharisæi Judæ proditori ut eum traderet illis. *Argenteos* illos appellat *mercedem suam* et *decorum pretium*. Quis digne verbis valeat consequi modum facti, sive qualitatem tantæ rei? Pastor ille qui duas habuerat virgas et una

B contentus, alteram abscidebat, id est unum Israelitici populi gregem curans, cunctarum gentium tam multum gregem a cura sua rejecerat, et istum unum gregem tanta cura tamque miris modis, ut in Scripturis legimus, paverat pastor talis ac tantus, scilicet omnium Deus et Dominus homo factus, per semetipsum mercedem suam requisivit, et talem mercedem appenderunt ei, videlicet triginta argenteos in pretium sanguinis ejus dederunt proditori. Et hoc appellat *decorum pretium* nimirum cum ironia gravissima, quia non fuit decorum. Quis ergo rem hujuscemodi satis appendere vel digne valeat eloqui? Vere nullus nisi solus statuarius, sive plastes Deus. Idcirco *projeci*, inquit, *illud ad statuarium, et projeci illos in domum Dei ad statuarium*, subauditur, ut ipse qui solus novit di-

C gnum proferre super hoc judicium. *Projeci*, id est ut projicerentur effeci, videlicet quod Judas *pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum, et projectis argenteis, abiens, laqueo se suspendit* (*Matth.* XXVII), quis effecit nisi ipse qui hic loquitur, *et projeci illos in domum Dei.* Interim in hac littera, quoniam Dominus est qui dicit: *Et appenderunt mercedem meam* atque idem ipse loquitur: *Dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium*, et hunc statuarium sive plastem constat esse Deum, perpulchrum est hic attendere totius Trinitatis colloquium, quia videlicet res magna est, cujus magnitudinem istud quoque insinuat, quod contra illam commune divinitas,

D non in una, sed in tribus suæ substantiæ personis, edicere molitur judicium; et qualis est sententia judicii? Sequitur: *Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellatur funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel.* Et est sensus: Sicut absciderам virgam primam, sic præcidi virgam meam secundam, id est sicut olim gentium in idololatria diffluentium universo gregi dixeram, *non pascam vos*, ita et multo acerbius dixi gregi Judaicæ gentis, *non pascam vos*, atque ita effectum est ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel, id est ut compleretur malum illud, cujus præsagium fuit illa dissolutio qua olim dis-

soluta est germanitas inter Judam et Israel, quando decem tribus sciderunt se a tribu Juda, et a domo David, et fecerunt sibi regem Jeroboam de tribu Ephraim, sciderunt se a sancto et legitimo Dei templo, et aureos pro Deo coluerunt vitulos (*III Reg.* XII). Secundum illud malorum initium quo dissoluta est germanitas inter Judam et Israel, præcidi hanc virgam secundam, ut videlicet sicut tunc decem tribus quæ vocantur Israel, et Judam cui regnabat domus David, nullus iterum sociare potuit, siquidem nullus unquam regum Israel recessit a peccatis Jeroboam, id est a cultu vitulorum quos ille fecit, quamvis multa magnalia fierent per prophetas, maximeque per Eliam et Elisæum, nec fieri potuit ut rediret Israel in regnum domus David (*III Reg.* XVIII); ita nemo possit sociare Judæos confessoribus Christi vel convertere, ut subjici velint regno filii David, regno Jesu Christi, a quo se absciderunt, negando illum ante faciem Pilati, et crucifigendo appretiatum, ut jam dictum est, *triginta argenteis*. Sequitur: *Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti, quia ecce suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, et contritum non salvabit, et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet.* Quoniam, inquit, *assumpsi duas virgas*, et taliter, ut jam dictum est, evenit, tanquam malam mercedem reddiderunt mihi, qui *gregem pavi*, adhuc unum est quod faciam, sicut postulat ordo justitiæ, ratio judicii. *Sume tibi vasa pastoris stulti*, scilicet peram, baculum, fistulam et sibilum. Ad quid hæc: *Quia ecce*, inquit, *ego suscitabo pastorem*, etc. Quomodo Isaias ut captivitatem populi demonstraret, nudus ambulavit (*Isai.* XX.), et Hieremias ivit ad domum figuli, ut ex dissipatione vasis quod currebat in rota, et in manu fingebatur artificis, et interitum Israelis, et Dei potentiam ostenderet (*Jer.* XVIII), et Ezechiel ut subversionem Hierusalem, et fugam Sedechiæ, et onera captivorum non solum voce, sed et habitu demonstraret, perfodit parietem, et in humeris deportatus (*Ezech.* XII). Sed et tu habitum pastoris assume, ut stultum annunties pastorem qui venturus est. Pastor autem stultus et imperitus haud dubium, quin Antichristus sit, qui in consummatione mundi dicitur esse venturus, et qualis futurus, sit indicatur. Iste pastor ideo super eos consurget, quia pastor bonus qui paverat eos tam iniqua mercede muneratus, tam indecoro ab eis pretio appretiatus est. Hinc et in Evangelio dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (*Joan.* V), pastorem utique stultum, id est scienter mihi contrarium, non per ignorantiam errantem sed per malitiam repugnantem. Nam quia in psalmo quoque scriptum est: *Simul insipiens et* A *stultus peribunt* (*Psal.* XLVIII). Sciendum quia stultus et insipiens in hoc differunt, quod insipiens dicatur ille qui nescit; stultus autem ille qui scit, et nihilominus agit contra rationem justitiæ quam scit. Pastor ille non faciet, quod ego bonus pastor feci. Ego derelicta visitavi, ille derelicta non visitabit. Ego dispersa quæsivi, ille dispersa non quæret. Ego contritum sanavi, id est peccatorem converti, ille contritum non sanabit. Ego id quod stat enutrio, dum bonum in melius proveho; ille *quod stat non enutriet*, imo faciet quod contra est *Carnes pinguium comedet*, **350** *et ungulas eorum dissolvet*, id est multos qui videbantur esse sapientes seducet, et rationem discretionis auferet, *ita ut si fieri possit, in errores inducantur etiam electi* B (*Matth.* XXIV). *O pastor et idolum, relinquens gregem, gladius super brachium ejus, et super oculum ejus dextrum. Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus ejus dexter tenebrescens obscurabitur.* Hæc hostilis appellatio, *o pastor et idolum*, quam congrua est, utpote sicut adversarium proprium ejus qui appellat eum. Nam, qui appellat eum, ipse est Christus, et ille tam proprius Christi est adversarius ut dicantur Antichristus, id est Christo contrarius. *O*, inquit, *pastor et idolum*, falso pastor et vere idolum; falso, inquam, pastor, quia *relinquens gregem*, et vere idolum, quia mendacium. Sicut enim Filius Dei Veritas dicitur et est: ita tu, fili diaboli, mendacium recte diceris et es. Tu te ostendes tanquam sis Deus; sed tu non dico idolorum cultor, imo idolum es, et non Deus. Tu te- C ipsum existimari vis, de quo scriptum est: *Apud ipsum est fortitudo et sapientia* (*Job* XII), sed non ita est. Imo *super brachium* tuum, id est super tuam quam jactas fortitudinem, *et super oculum* tuum *dextrum*, id est super tuam quam tibi arrogas sapientiam, fortioris et sapientioris, imo solius fortis et solius sapientis evaginatus est gladius. Ille, inquam, gladius, quo jamdudum in cœlo diabolus pater tuus, et tu cum illo es plagatus, et mirum, quod plagatus adhuc vivus, id est Deum viventem te dicere præsumis, cum plaga tua plaga sit mortis. Hujus rei admiratio est in Apocalypsi sub his verbis: *Et unum de capitibus, quasi occisum in mortem et plaga mortis ejus sanata est* (*Apoc.* XIII). Item: *Dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ* D *habet plagam gladii, et vixit.* Non vere plaga mortis tuæ sanata est, nec vere vivis; sed tu, insane pastor, et idolum mortuum, ostentatione tua sanus es et vivus. Tale brachium tuum, non vera fortitudo, sed rebellio contra Altissimum, *ariditate siccabitur*, et talis oculus tuus tibi dexter, Deo totus sinister, oculus non vere sapientia, sed veraciter malitia *tenebrescens obscurabitur*, ut mittaris in profundum inferni mancus et cæcus.

351 LIBER QUINTUS.

Volens Deus, inquit, ostendere iram,et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum,ut ostenderet divitias gloriæ suæ, quæ præparavit in gloriam (*Rom.* IX). Hujus sermonis vere Apostolici reminisci præsens prophetiæ textus nos facit, quia revera quales Deus esset ostensurus gloriæ suæ divitias in vasa misericordiæ, magnifica oris prophetici gratia, Spiritus sanctus cecinit, cum in anterioribus, tunc maxime ab eo quod ait: *Exsulta satis, filia Sion* (*Sup.* IX), usque ad id : *Aperi Libane portas tuas*,et quantæ iræ vasa futuri essent Judæi increduli,significavit ab eo loco, usque ad inclamationem, super brachium et oculum dextrum pastoris stulti, id est Antichristi. Nimirum congruebat eidem sancto prophetico Spiritui, ut illam quam dicebat vel intendebat exsultationem filiæ Sion, sive jubilationem filiæ Hierusalem, denuntiaret in hoc sæculo non fore securam, multis pressuris hominum esse premendam secundum quorumdam titulos psalmorum,qui inscribuntur pro torcularibus (*Psal.* VIII ; LXXX ; LXXXIII),id est pro tribulationibus quibus sancta in hoc mundo Ecclesia premitur juxta illud. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Sequitur ergo :

CAP. XII. — *Onus Verbi Domini super Israel, dixit Dominus, extendens cœlum et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo. Ego ponam Hierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu, sed et Judas erit in obsidionem contra Hierusalem, et erit in die illa,ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis. Omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur, et colligentur ad eam omnes gentes terræ. Superliminare crapulæ* quid est, nisi domus saturitatis ?Nimirum hoc de illa terrena Hierusalem nullatenus veraciter dici potest, aut intelligi,quia postquam mercedem supradictam pastoris sui triginta argenteos appendit, miserabiliter facta est domus famis, non solummodo famis audiendi verbum Dei, verum etiam corporeæ famis,quæ cogeret matres quoque carnibus filiorum vesci,juxta maledictionem legis Mosi, dicentis : *Obsideberis intra portas tuas, et comedes fructus uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum,quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus* (*Deut.* XXVIII). Ergo Hierusalem hic,sicut et in plerisque Scripturarum locis,Ecclesiam significat in hoc mundo peregrinantem, quæ quandiu peregrinatur,etsi nondum re, tamen spe jam est cœlestis Hierusalem, et ista est quam posuit Dominus superliminare crapulæ,juxta illud: *In loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me* (*Psal.* XXII). Crapula namque non semper prædicatur de malo cum Psalmista dicat : *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus,tanquam potens crapulatus a vino* (*Psal.* LXXVII). Quare autem pro tota domo hic placet intelligi superliminare, et pro domo saturitatis dictum esse superliminare crapulæ ?Videlicet quia ubi primum figurata est refectio sive saturitas Ecclesiæ,signum convivii jussum est poni in superliminari,et in utroque poste,ut videns Dominus sanguinem, transcenderet ostium,et non sineret percussorem ingredi domos Israel, et lædere. Nempe agnus ille qui intus comedebatur,illud significabat (*Exod.* II). Unde Hierusalem, id est domus sive Ecclesia Christi, præsenti loco superliminare crapulæ vocari meretur. Hoc ab omnibus populis in circuitu persentitur. Dicit enim Apostolus : *Quia Christi bonus odor sumus Deo in omni loco in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt* (*II Cor.* II). Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Quibus crapula hæc exstitit odor mortis in mortem,ipsi obsederunt Hierusalem.Quid autem est quod continuo dicit, *sed et Judas erit in obsidionem contra Hierusalem*? Nimirum id ipsum quod Apostolus cum dixisset, *periculis ex genere, periculis ex gentibus* (*II Cor.* XI), etc. intulit etiam istud, *periculis in falsis fratribus*. Ejusmodi confessores qui Christiano nomine censentur et confitentur se nosse. Deum, factis autem negant, hoc loco per Judam, quod interpretatur *confessio*, recte intelliguntur, quoniam dicuntur esse in obsidionem contra Hierusalem.At illa videlicet Hierusalem,non est talis ut facile possit moveri, et omni vento (*Tit.* I) circumferri, hoc est quod ait : Et *ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis.omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur*. Similitudinem hanc de consuetudine gentium assumpsit,quæ hujusmodi erat, ut in viculis, oppidis, et castellis,rotundi ponerentur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes se exercere solebant, et eos pro varietate virium sublevare, alii usque ad genua, alii ad umbilicum,alii ad humeros et caput,nonnulli super verticem, erectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes.« In arce Atheniensium juxta simulacrum Minervæ vidi, ait B. Hieronymus, sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix poteram. Cum quærerem, quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus,athletarum in illa massa fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quemquam descendere,quam ex elevatione ponderis sciatur. » Sensus ergo est iste : Ponam Hierusalem, id est Ecclesiam, sicut lapidem oneris, cujus ponderi cunctorum populorum,seu omnium gentium terræ, qui colliguntur adversus eam, vires non possunt

comparari, quatenus eam agitanda, a fide Christi dispellere, et circumferre queant quo voluerint, quinimo ipsi qui conantur eam agitare, concidantur, lacerentur, rumpantur, et anhelo spiritu discrucientur. **352** *In illa die dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem et ascensorem ejus in amentiam, et super domum Juda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum, percutiam in cæcitate. Et duces Juda dicent in corde suo : Confortentur mihi habitatores Hierusalem in Domino exercituum Deo eorum.* Hoc loco domus Juda non eodem sensu accipitur quo supra. Nam illic dictum est : *Sed et Juda erit in obsidionem contra Hierusalem.* Hic autem dicitur, *et duces Juda dicent in corde suo, Confortentur mihi habitatores Hierusalem in Domino*, itemque, *et super domum Juda aperiam oculos meos*, quæ videlicet oculorum apertio, misericordiæ recordatio, gratiæ est effusio. Hujus videlicet Juda duces, quorum singuli dicent, ait, in corde suo, *confortentur habitatores Hierusalem in Domino*, apostoli fuerunt, et apostolici viri sunt, quibus magnum fuit, et magnum est desiderium, ut *habitatores Hierusalem*, id est filii Ecclesiæ non deficerent, aut deficiant in tribulationibus, quæ ab omni equo et ascensore ejus, id est ab omni potestate humana, et ab omni superbiente in altitudine potestatis inferuntur eis. Quos ergo percutiam, ait Dominus, in stuporem et in amentiam, et in cæcitatem, et, ut ait Apostolus, primo Judæum, deinde Græcum, id est gentilem (*Rom.* II). Prima namque Judæi amentia et cæcitate percussi sunt, juxta prophetiam dicentem : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude* (*Isa.* VI), etc. E contra, super domum Juda aperiam oculos meos, id est donis sancti Spiritus illustrabo duces, id est apostolos meos. Isti duces in die Pentecostes ignei facti sunt, cum in specie ignis Spiritum sanctum acceperunt, sicut scriptum est : *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum* (*Act.* II). Sequitur ergo :

In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut faciem ignis in feno, et devorabunt ad sinistram et ad dextram omnes populos in circuitu. Fenum peccata leviora, ligna peccata graviora significant. Ejusmodi fenum et ejusmodi ligna consumpserunt apostoli in his, qui conversi sunt ad fidem Christi, potestate quam acceperunt ab ipso, dicente illis : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX). Quomodo consumpserunt vel consumunt ? Sicut ligna caminus ignis, sicut fenum consumit facies ignis (*Deut.* IV). Etenim Deus noster Spiritus sanctus, quem acceperunt, ignis consumens est, unde et congruum signum dedit aperiendo tanquam ignis, et proinde remissio peccatorum, quæ non est ex hominibus, sed ex Spiritu sancto est, recte his designatur per caminum faciemque ignis, ligna et fenum consumentis populos, id est peccata populorum ad dexteram et ad sinistram, et circuiti devorantis. Ad dextram Judæus ad sinistram Græcus, sive gentilis erat, et evangelizando in utramque partem, prædicando remissionem peccatorum per Christi fidem, circuire oportebat; unde et Paulum mundi circuitorem nonnuli dicebant. Quid multa ? Factum est id quod protinus sequitur ;

Et habitabitur Hierusalem rursum in loco suo in Hierusalem et salvabit Dominus tabernacula Juda sicut in principio, ut non magnifice glorietur domus David, et gloria habitantium Hierusalem contra Judam. Quamvis universitas electorum una sit Hierusalem, unus sit Juda, et una domus, David, tamen hoc loco distinctionem Judæ et Hierusalem sive domus David, Scriptura nos quærere compellit, et invenire vel demonstrare, quando, ubi et quomodo domus David et gloria habitantium Hierusalem, magnifice contra Judam gloriata sit. Ergo domum David et habitantes Hierusalem eos intelligimus qui ex Judæis in Christum crediderunt. Judam autem eos qui ex gentibus conversi sunt. Nimirum in Actibus apostolorum habemus quando et quomodo credentes ex Judæis contra illos, qui ex gentibus crediderunt, magnifice gloriati sunt. *Quare* inquiunt, *introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum eis* ? (*Act.* XI.) Introierat enim ad Cornelium, et eos, qui cum eo erant, quoniam super eos Spiritus sanctus ceciderat, jusserat eos baptizari in nomine Jesu Christi. Itemque descendentes *quidam de Judæa docebant fratres apud Antiochiam, quia nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis salvi fieri, facta est seditio non minima, Paula et Barnabæ adversum illos* (*Act.* XV). Nonne hoc erat domum David, et habitantes Hierusalem contra Judam, id est credentes ex circumcisione contra credentes ex præputio magnifice gloriari ? Paulus apostolus in Epistola ad Romanos (*Rom.* II) in eo totus consistit, ut excludant ejusmodi gloriationem Judæi, non per legem factorum sed per legem fidei, et ecce in hoc conflictu, non domui David, sed Judæi, id est non Judæo credenti sed Græco fideli justitia victoriam concessit. Ait ergo : *Et salvabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio*, id est Ecclesiam confitentium sibi salvabit, non per legem factorum, videlicet circumcisionis et cæremoniarum, sed per legem fidei, per quam salvatus est et Abraham in principio. Quid enim Scriptura dicit ? *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* XVIII ; *Rom.* IV). Quomodo reputata est illi fides ad justitiam ? In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio, nondum enim erat circumcisus. Hoc modo fiet, quod præmisit, *et habitabitur Hierusalem rursum in loco suo in Hierusalem. Hierusalem*, inquit, *habitabitur in Hierusalem*, id est universitas electorum pacem habebit cum Deo, scilicet peccatorum remissionem, quæ pax significatur nomine Hierusalem. Quod autem dicit rursus, nonnihil attinet ad rem, quia videlicet olim habitare cœperat in illo loco paradiso deliciarum, videlicet in Adam, in quo sicut omnes peccaverunt, ita om-

nes in eo positi illic, omnes inde in eo projecti sunt. Unde apud Isaiam dicitur eidem Hierusalem: *Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui* (*Isa.* V).

In die illa porriget Dominus habitatores Hierusalem, et erit qui offenderit ex eis in die illa quasi David, et domus David quasi domus Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum. Dies quam hic tam sæpe prænuntiat, tempus omne est a resurrectione Christi usque ad diem judicii, qui dies erit resurrectionis universalis. Etenim hoc omne tempus idem Dominus apud Isaiam uno eodemque loco et diem nuncupat et tempus, dum dicit: *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa.* XLIX). Quod Apostolus breviter exponens: *Ecce nunc*, inquit, *tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). In hoc tempore, in ista die protegit Dominus habitatores Hierusalem, id est omnem in se credentium multitudinem, ita nimirum, ut, sicut Apostolus dicit, *nulla sit distinctio Judæi et Græci* (*Rom.* III). Nam hoc est, quod dicit, *et erit qui offenderit ex eis in die illa quasi David.* Quod ita congrue valet intelligi: Gentilis, qui colenda idola offendit, erit quasi Judæus, qui non nisi unum coluit, unde et sibi confidit, et super gentilem se extollit, in tantum ut pro lite sedanda, Apostolum fortissime disserere, scribendo Epistolam ad Romanos, necesse fuerit. Nec prætereundum, quod **353** sensum Apostoli, ubi, commemoratis gentilium peccatis, conversus ad Judæum, dicit: *In quo judicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II), illum, inquam sensum hic hujuscemodi dictio subtiliter innuit, *et erit qui offenderit ex eis in die illa quasi David.* Nam et David offendit. Igitur sicut jam dictum est, ut non magnifice glorietur domus David, et gloria habitantium Hierusalem, contra Judam, ita et nunc dicendum quod alter alteri, scilicet Judæus gentili, non possit præferri, quoniam *omnes peccaverunt et egent gloria Dei* (*Rom.* III), et ita Judæi peccata sicut gentilis: Ita gentilis peccata remittentur sicut Judæi, *per fidem Jesu Christi* (*ibid.*), et hoc est eum qui offenderit esse quasi David, David sicut eum qui offendit. Et ne forte dicas. Quid magnum est eum qui offendit esse sicut David, id est, gentilem Judæo per Jesum Christum in gratia coæquari? protinus dicit: *Et domus David quasi domus Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.* Gratulandum igitur est ei qui offendit, quod sit sicut David, id est, sicut Judæus, ejusdem fidei cujus fuit David, quia consequenter ipse æque ut ille est quasi domus Dei sicut angelus Domini, ut videlicet una et uniformis societas angelorum et hominum, tam gentilium quam Judæorum, una sit domus, una cœlestis Hierusalem, civitas Dei viventis, et hoc in conspectu eorum, id est in visione qua omnes pariter Deum videbunt. *Et erit in die illa, quæram convertere omnes gentes quæ veniunt contra Hierusalem.* Hoc expositione sive alicujus suavitatis aut lenitatis interpretatione non indiget, quia videlicet, et si verbum hoc interdum misericordiam significare potest, tamen nulli dubium aut ignotum est quin *in illa die judicii* debeat Dominus *convertere omnes gentes quæ veniunt contra Hierusalem*, quæ tantum martyrum sanguinem fuderunt et pœnitentiam non egerunt. Sed ante hoc reliquiæ ex Judæis convertendæ sunt. Ait ergo:

Et effundam super domum David et super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ et precum. Non quidem modo sunt domus David, sive *habitatores Hierusalem* quandiu increduli sunt, sed effundendo super reliquias eorum *spiritum gratiæ et precum*, id est spiritum remissionis peccatorum (quod primum et magnum est gratiæ donum) fiet, ut sint domus David ut sint habitatores Hierusalem. Post hoc erit illa dies judicii, de qua dixit: *In die illa quæram convertere omnes gentes, quæ veniunt contra Hierusalem.* Unde protinus sequitur:

Et aspicient ad me quem confixerunt, et planctu plangent eum, quasi super unigenitum, et dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus Adremmon in campo Mageddo, et plangent terræ familiæ, et familiæ seorsum. Familiæ domus David seorsum, familiæ domus Natham seorsum, et mulieres eorum seorsum; familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum. Familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. Et omnes familiæ reliquiæ familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum. At Adremmon urbs est juxta Jezrahel, quæ hoc olim vocabulo nuncupata est, et hodie vocatur Maximianopolis in campo Mageddo, in quo Josias rex justus a Pharaone, cognomento Nechao, vulneratus est, super quo lamentationes scribit Hieremias, quæ leguntur in Ecclesia, et scripsisse eum testatur liber Paralipomenon (*II Par.* XXXV). Sed nunquid quando fiet quod hic loquitur, *et aspicient ad me quem confixerunt, et planctu plangent quasi super unigenitum*: nunquid, inquam non major planctus erit quam fuit pro morte Josiæ regis justi? Fuerit quidem planctus ille grandis et sapienter dispositus, ut *familia domus David*, familia regalis; et *familia domus Nathan*, qui propheta fuit; et *familia domus Levi*, ex quo ortum est sacerdotium; et *familia domus Semei*, ex quo doctorum agmina pullularunt; et *reliquiæ familiæ*, quas, quia non habebant aliquod privilegium dignitatis, universas absque nomine comprehendit plangerent eum viri seorsum, et *mulieres seorsum*: verum planctus illius magnitudo quantacunque fuerit, nihil ad magnitudinem planctus futuri, quando ille *quem confixerunt*, aspiciendus apparebit. Tantummodo propter aliquantulam similitudinem hic illius planctus meminit, ut solent interdum rex maximæ ex minimarum rerum assimilatione melius intelligi. Minimum fuit quod homines hominem plangentes, modum vel habitum sui planctus ita deposuerunt, vel singulæ familiæ seorsum, singularumque familiarum viri seorsum, et mulieres eorum seorsum

plangerent seorsum. Maximum autem erit, quod in illo planctu omnes tribus terræ, et maxime qui illum confixerunt, omnes omnino peccatores et impii, qui pœnitentiam non egerunt, plangent seorsum quamvis omnes ad unum congregentur judicium, omnes ad unum descendant carcerem, id est infernum, omnis animus ab omni animo erit seorsum, multum occupatus apud semetipsum, nec amicam respiciens nec amicum. Item, minimum est quod in hoc sæculo plangit mater super unigenitum vel dolet in morte primogeniti; maximum autem erit, quod tunc plangent et dolebunt vere primogenitum, vere unigenitum. Quid enim, o Synagoga, mater infelix? Unigenitus Dei Filius, qui de carne tua natus est, mortuus est tibi: mortuus, inquam, est tibi non solum pro eo quod tu illum occidisti, verum etiam pro eo quod tu illum resurrexisse non credis, quod sit vivus scire non vis, audire non pateris. Et quidem utcunque est tolerabile malum, ubi mater in hoc sæculo morientem amittit filium, quem habebat unigenitum, quamvis nullum speret sibi nasci alium. Sed illud edici non valet, satis excogitari non potest, quam sit infelicissimum amisisse Salvatorem unicum et unigenitum, ita ut jam nec ipsum liceat separare, nec alium. Sequitur:

Cap. XII. — *In die illa erit fons patens domus David et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra.* Iterum ad superiora tempora sermo recurrit, qui videlicet recursus recapitulatio dicitur, et frequens est in Scripturis propheticis. Ab eo quod dixerat: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua* (*Zach.* IX), usque ad planctum jam dictum sermo processit, eodem ordine quo erant res gerendæ, a passione ejusdem Domini usque ad finem sæculi diemque universalis judicii. Nunc ad tempus recurrit ejusdem Dominicæ passionis, et unde loquatur dicens: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Inde nunc rursus loquitur: *In die illa erit fons patens domus David.* Quis enim iste est fons domus David, nisi baptismi sacramentum, quod emanavit de latere Filii David patefacto lancea militis? *Exivit enim sanguis et aqua* (*Joan.* XIX). Sanguis ut redimeremur; aqua, ut renasceremur. Extunc usque ad consummationem sæculi, toto hoc tempore accepto, toto hoc die salutis patens est *fons* ille *domui David et habitantibus Hierusalem*, id est, Christianæ religioni, et omnibus qui per fidem habitant intra sanctam Ecclesiam. **354** In quod opus est illis fons patens? *In ablutionem peccatoris et menstruatæ*, id est, in remissionem peccatorum credentis ex circumcisione, credentis ex gentilitate, quæ sanguine fluxit idololatriæ. In omnium ablutionem fons patens est, nulli claudendus est. Et notandum quod tantummodo *domui David et habitantibus Hierusalem fons patens* dicitur et est. Nam his qui contra domum David et extra Hierusalem sunt non habendo fidem *hortus conclusus est, fons signatus est* (*Cant.* IV). Et bene continuo sequitur:

In die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, quia non memorabuntur ultra; quia videlicet fluxus idololatriæ, quæ est sanguis menstruatæ, fonte baptismi abluitur; ita ut nomina idolorum omnia deleantur, nec ultra in eum in quem scripta fuerant memorentur, cum fuerit fonte illo fideliter ablutus. Hinc apud Ezechielem idem Dominus dicit: *Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos* (*Ezech.* XXXVI). *Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus qui genuerunt eum: Non vives; quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus cum prophetaverit. Et erit in die illa, confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverint, nec operientur pallio saccino ut mentiantur; sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego sum; quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, framea suscitare super pastorem meum et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem et dispergentur oves.* Pulcherrimam atque splendidissimam præsentis capituli litteram ita tractare Christo intentus cupit animus, ut ei qui tanquam fundamento non minoris res gestæ splendoris superædificentur. Dixerat: *Et erit in die illa fons patens domui David, et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ*, et fontem illum haud dubium de latere suo Christus profudit in sua passione. Ergo quoniam et ita terminatur: *Percute pastorem et dispergentur oves*, quod similiter de passione ejus dictum esse ipso auctore certum est, longius ne abeamus circa ejusdem passionis sacramentum, hæc exponendo commoremur. Quos ergo tangit dicendo, *et prophetas et spiritum immundum* illis copulat, et qui erant tempore illo prophetæ mali habentes spiritum immundum? Nimirum illi, qui malam sibi hanc prophetiam de corde suo prophetaverunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum et locum et gentem* (*Joan.* XI). Nempe excepto quod præmiserunt, *si dimittimus eum sic*, totum quod dixerunt, in prophetiam reputatum est illis, *ut omnes crederent in eum* (*Joan.* I); illis autem non credentibus, *venirent Romani et tollerent eorum et locum et gentem.* Fuerat inter illos unus Caiphas talium prophetarum maximus, qui cum esset pontifex anni illius, auctoritatem habens, ut proloqueretur: *Vos*, inquit, *nescitis quidquam neque cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem*, inquit evangelista, *a semetipso non dixit sed cum esset pontifex anni illius prophe-*

tavit quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut Filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum (*Joan.* XI). Ejusmodi *prophetas et spiritum immundum*, qui nesciens sacramenta Dei, talem eis prophetiam inspirat. *Auferam*, ait, *de terra*, quia justum est ut veniant Romani, et secundum timorem quem sibi finxerunt illis eveniat. *Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra*, etc. Propheta magnus de semetipso ultra prophetavit quia illi et præcipue Caiphas prophetaverunt quod expediret eum mori; ipse autem prophetavit quod oporteret eum etiam resurgere a mortuis. Hoc *ultra*, fuit, videlicet ultra prophetiam illorum, prophetiam mortis, quia prophetavit prophetiam resurrectionis. Dixit enim: *Solvite templum hoc, et post triduum excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II). *Cum* ergo *prophetaverit ultra quispiam* quem nominare nolo, quia non expedit, *dicent*, inquit, *ei pater ejus et mater ejus qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini.* Pater ejus Judaicus populus, et mater ejus Synagoga, qui secundum carnem genuerunt eum, ita dixerunt ei. Cum enim aliud non haberent unde accusarent eum, novissime submissis duobus falsis testibus, istud protulerunt: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et triduo reædificare illud* (*Matth.* XXVI). Cumque principi sacerdotum dicenti: *Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*, respondisset, *Tu dixisti, et amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli*, clamaverunt, *reus est mortis* (*ibid.*). Nonne hoc erat dicere, *non vives, quia locutus es in nomine Domini? Et configent eum pater et mater ejus qui genuerunt eum, cum prophetaverit.* Ut dictum, ita factum est, *Cum prophetaverit*, id est non ante, sed postquam propositum suæ prædicationis tempus impleverit, tunc demum quia ante non potuerunt, crucifigent eum. Hoc, inquam, factum est quia crucifixerunt eum, non quia mendacium locutus est, sed quia dixerunt *mendacium locutus es in nomine Domini*, et idcirco *non vives. Et erit: In die illa confundentur prophetæ unusquisque ex visione sua cum prophetaverint*, et hoc itidem factum est. Prophetæ illi, de quibus jam dictum est, qui dixerunt: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (*Joan.* XI), quorum unus dixit: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo* (*ibid.*), ex ipsa visione sua, ex ipso profundo consilio suo confusi sunt, quia miro modo cum non sit factum quod cogitaverunt, factum est quod dixerunt: Omnes enim credent in eum, et per mortem suam filios Dei, qui, erant dispersi congregavit in unum. Et venientes Romani, locum et gentem eorum tulerunt, non quia dimiserunt eum sic, sed quia non dimiserunt eum sic. Hinc illis confusio magna, nobis autem credentibus honor. *Nec operientur*, inquit, *pallio saccino ut mentiantur*, subauditur, ut tunc operti fuerunt, quoniam taliter, ut jam dictum est, prophetaverunt,

A prophetando mentientes, mentiendo prophetantes. Quomodo tunc fuerunt operti pallio saccino? Nimirum *sicut hypocritæ tristes* (*Matth.* VI), imo plus quam hypocritæ, plus quam tristes, quia homicidæ, quia crudeles. Pavor ille quem coram populo simulaverunt, dicendo: *Venient Romani, et tollent nostrum et locum et gentem* (*Joan.* XI), dira necessitas illa tam magnum faciendi homicidium, quam sibi assumpserunt, ad exasperandum populum et concitandum ne dimitterent eum, pallium fuit saccinum, quo jam operti sunt simulatores et callidi, ut viderentur multum inviti, multumque coacti, et proinde tristes occidere illum. Sed dicet: « Non sum propheta, homo agricola **355** ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et dicetur ei: Quid sunt plagæ

B istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. » Diligenter permutatio personarum animadvertenda est, quia nunc de pluribus prophetis, nunc de uno propheta sermo. In primis dictum est de pluribus, *et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra*, statimque de uno subjunctum est, *et erit, cum prophetaverit quispiam ultra.* Item de pluribus dictum est, *et erit in die illa confundentur prophetæ, nec operientur pallio saccino ut mentiantur*, statimque de uno subjunctum est, *sed dicet, non sum propheta*, etc. Et hoc sciendum, quia plures illos ipsa Scriptura redarguit iniquitatis et spiritus immundi. Istum autem unum non Scriptura mendacii redarguit, sed patrem et matrem ejus dixisse narrat, *mendacium locutus es in nomine Domini.* Nunc quid

C iste dicat, et quid ei dicatur, vigilanter audiamus. *Sed dicet: Non sum propheta, et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Mirum valde, sed non incognitum, quod ille dicit, quem confixerunt *pater et mater*, et dixerunt, *non vives*, quod ille dicet, ille loquetur qui mortuus fuit, quod ille dicens sive loquens, plagas habebit *in medio manuum* suarum, et dicet, *his plagatus sum.* Quid hic in littera prophetica deest, nisi quod manifeste dixit ille, confixus et mortuus resurget, et stans in medio discipulorum suorum dicet: Videte manus meas et pedes meos, sive *infer digitum tuum huc*, sive manum tuam, et cognosce loca clavorum? (*Joan.* XX.) Nimirum in littera vel tantillum deesse

D oportebat, nam qui portare posset, quotus tunc erat? Si enim apostoli portare non poterant, antequam Jesus glorificatus esset, unde dicebat illis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI), quanto minus, nisi clausa et signata fuissent hæc et similia; portari possent tempore illo quo hæc scripta sunt. Unde miranda et laudanda Spiritus sancti sapientia, quid quod necessarium erat quandoque sciri, taliter locutus est per os prophetarum, ut verba ejus non intelligerentur, quando non oportebat intelligi. Igitur *non operientur*, ait, *pallio saccino* prophetæ illi *ut mentiantur*, sed discooperto capite, sicut adulteræ mulieris

caput lex sacra jubet denudari (*Num.* v), discooperto, inquam, capite illorum, id est, sublata civitate et templo, sive loco qui erat ornatus eorum, et pro quo pavorem simulando sese operuerunt, dicet ille qui confixus fuit, quique postquam confixus fuerit, dicere, et loqui poterit, quia resurget a mortuis : *Non sum propheta, homo agricola ego sum.* Hoc nimirum insultabundus dicere potest, quoniam ipse est sapientia, qui loquitur in parabolis : *Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit* (*Prov.* I). Itaque hoc sensu gravissime dictum : *Non sum propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea*, subauditur æstimatione vestra, quia sic voluistis, sic dixistis falsi: *Scrutare Scripturas et vide quia propheta a Galilæa non surget* (*Joan.* VII). Item : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit* ? (*Ibid.*) Et : *Nonne hic est filius fabri?* (*Matth.* XIII.) Dicat ergo : *Non sum propheta, homo agricola*, sive quod eodem respectu dicere potest, homo faber ego sum, *quoniam Adam exemplum meum*, id est, homo peccator ego sum sicut Adam, *ab adolescentia mea*, id est ex quo discretionem boni et mali habet natura humana, et itidem talis ego sum arbitratu vestro, quia dixistis quodam loco: *Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est* (*Joan.* IX). Verumtamen quidquid vos dixeritis, nunc patet, utrum *propheta a Galilæa* surgere potuerit, saltem ex eo quod dixi de vobis: Et *cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes* (*Luc.* XXI), et ita factum. Nunc, inquam, patet C utrum ego tanquam homo agricola aut faber litteras scire non debuerim, cum econtra tot prophetas, tot sapientes fecerim, et miserim ad vos, et nunc patet utrum ego peccator fuerim, secundum exemplum Adam, cum vos talem ac tantam propter istum sanguinem meum receperitis vindictam. Hic ironia gravissima est, id est sententia, per pronuntiationem contrarium habens intellectum, aut etiam sarcasmos, id est hostilis irrisio, juxta illud Sapientiæ, quod jam supra memoratum est : *Ego quoque in interitu vestro ridebo* (*Prov.* I) ; et illud in psalmo : *Qui habitat in cælis irridebit eos* (*Psal.* II). Alias autem et revera simpliciter, sicut littera sonat, intelligi congrue potest. Si enim Joannes requisitus a dicentibus: *Propheta es tu* ? potuit sine mendacio respondere, *non* (*Joan.* I), quoniam erat plus quam D propheta, siquidem prophetæ est ventura nuntiare, non etiam demonstrare ; quanto magis iste, qui non quomodocunque plus quam propheta, sed et prophetarum Dominus est, et ventura non solum annuntiavit aut demonstravit, verum etiam quæ nuntiavit sive prædixit, ipse effecit. Et homo agricola ipse est. Nimirum agricola talis ac tantus, cujus ager sit mundus ? Nam *qui seminat*, inquit, *bonum semen, est Filius hominis : ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni* (*Matth.* XIII). Ergo *non* solum *propheta*, inquit, verum, *homo agricola ego sum*, id est, tanto major prophetis et omni-

A bus filiis regni, quanto major agricola et melior semine est, quod ipse seminavit. Et vere, quoniam Adam exemplum meum, nimirum, quemadmodum Apostolus cum dixisset : *Regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, protinus addidit : *Qui est forma futuri* ; et exponens quid dixerit : *Si enim*, inquit, *unius delicto multi mortui sunt*, et cætera usque, *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi* (*Rom.* v). Igitur *non sum propheta*, inquit, sed *ego sum homo*, qui Deus eram, et sum homo, atque homo factus et prophetas, et omne bonum semen, id est omnes filios regni tanquam agricola in agro mundi hujus B seminavi, et seminare non desino usque ad consummationem sæculi, *quoniam Adam exemplum meum*, videlicet in eo, quod sicut propter peccatum ejus, terra carnis, non filios regni, sed spinas et tribulos germinavit ei, ita propter justitiam meam, terra Spiritus sancti, de qua scriptum est :*Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* (*Psal.* CXLII), non spinas et tribulos, sed filios regni germinet mihi. In hoc est *Adam exemplum meum ab adolescentia mea*, id est a natura humana, ex qua vel in qua factus sum visibilis et visibiliter laborans agricola cujus tota spiritualis est agricultura. Hæc, inquit, dixit cum fixus fuerit, cum mortuus fuerit, et resurrexerit, et dicetur ei : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum* ? Quandiu putas, et quomodo hoc, et a quo, vel a quibus dicetur ei ? Nimirum in sæcula sæculorum sine cessatione dicetur ei, et admirando admiratione ineffabili dicetur et a Deo Patre, *cui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II); et dicetur ei, et a sanctis angeli, qui in eum desiderant prospicere, dicetur ei, et ab hominibus quos morte sua redemit (*I Petr.* I) ; dicetur ei : **356** *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum*? O magnum miraculum, mirum spectaculum præsertim in Domino dominatore omnium, plagas habere in medio manuum suarum ! Et dicet *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* O magnum sacrilegium, sacrilegum homicidium, plagas hujusmodi esse in domo illa eas diligentium ! Non dicet, his plagatus sum ab his qui diligebant me, sed *in domo eorum qui diligebant me.* Nam qui plagas intulerunt, non dilexerunt me. Erant autem domus Abraham, Isaac, et Jacob, et David, et cæterorum talium, qui diligebant me, qui promissum sibi exspectabant me. Verumtamen hoc dicere, non est respondere ad hanc interrogationem, *quid plagæ sint istæ* ? Aliud namque percunctando dicere, *quid sunt plagæ istæ* ? et aliud dicere, ubi factæ sunt plagæ istæ ? Istud quæritur, *quid sint plagæ istæ* ? Ergo ex abundanti dicet: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, et* tunc demum dicet *quid sint plagæ*; dicet : *Calix est quem Pater dedit mihi bibere* (*Matth.* XXVI). Nam quod protinus sequitur, æquipollens est, quia vox

quam subjungit, Patris calicem dantis vox est. *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, et dispergentur oves gregis.* Ac si dicat: Quæritis quid sint plagæ istæ, et ego dico vobis quia testimonia sunt obedientiæ, signa voluntatis et jussionis paternæ. *Dominus exercituum,* Deus Pater mihi *proprio Filio suo non pepercit* (*Rom.* VIII), sed pro vobis omnibus tradidit me. Et dixit: *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi.* Quod est dicere: O mors, convalescere super filium meum, *pastorem meum* bonum, *super virum cohærentem mihi*, id est in unitate personæ conjunctum Verbo, quod consubstantiale mihi est. Ad dictum, ac si framea quæreret, dicent: Quomodo vel in quantum suscitabor super hunc pastorem tuum? ita protinus edicit: *Percute pastorem, et dispergentur oves.* Hinc ipse pastor dum percuteretur, ita locutus est: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis* (*Matth.* XXVI). Igitur dicentibus: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum,* congrue apponitur vox Patris dicentis: *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, percute pastorem et dispergentur oves gregis*, ut sit sensus: Monumenta sunt paternæ charitatis, signa sunt obedientiæ meæ, quia ille mihi *proprio Filio suo non pepercit* (*Rom.* VIII), et ego *factus* sum *obediens* illi pro omnibus vobis *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). Sequitur:

Et convertam manum meam ad parvulos, et erunt in omni terra partes duæ, et disperdentur, et deficient, et tertia pars relinquetur in ea, ducam tertiam partem per ignem, ut uram eos sicut uritur aurum, et probabo sicut probatur argentum. Postquam percussus fuerit pastor, et pastore ipso volente et dicente: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire* (*Joan.* XVIII), dispersæ fuerint oves, *convertam,* ait, *manum meam ad parvulos*, id est, revelabo parvulis sacramentum percussionis, qua percussus est pastor. Erunt quidem in omni terra præter parvulos partes duæ, una pars sapientium, et una pars prudentium, id est una pars Judæorum, et una pars gentium in sua sapientia confidentium, in sua prudentia sibi placentium. Unde et ipse percussus pastor sive pastoris percussio Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia erit. *Duæ*, inquam, *partes erunt* una sapientium, et una prudentium ejusmodi, sed ego et a sapientibus et a prudentibus abscondam hæc, et revelabo parvulis (*Matth.* XI), id est humilibus. Quid revelabo eis? Nimirum pastorem percussum, id est Christum Jesum crucifixum esse Dei virtutem, et Dei sapientiam Disperdentur prudentes Judæi in omnes gentes, corpore et anima, captivi deficient sapientes Græci, contradicendo sive persequendo fatigati, et tertia pars relinquetur in eo, pars Christiana, pars parvulorum, ad quos, ut jam

A dixi, *convertam manum meam.* Hinc est illa confessio ejusdem pastoris. *Confiteor tibi, Domine Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulus* (*Matth.* XI). Equidem sapientes et prudentes jam dicti parvulos affligent, et ex eis flagellabunt, crucifigent, et persequentur de civitate in civitatem, nonnullos quoque ignibus exurent, sed hæc omnia parvulis cooperabuntur in bonum. Etenim ego per hæc quæ patientur, *uram eos, sicut uritur aurum, et probabo eos sicut probatur argentum.* Secundum hanc similitudinem argenti et auri, quod per ignem probatur, omnia hæc illis in bonum cooperabuntur. Unde apud B. Job Ecclesia parvulorum, sive unus aliquis ejusmodi parvulorum gaudet, et dicit: *Ipse vero scit viam meam, et probabit me quasi aurum, quod per ignem*

B *transit. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi et a mandatis ejus non recessi* (*Job* XXIII). *Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam populus meus, et ipse dicet Dominus Deus meus. Et ecce venient dies Domini mei, et dividentur spolia in medio tui.* Quis *ipse vocabit nomen meum,* nisi parvulus, sive populus parvulorum? *Vocabit nomen meum*, scilicet Deum et Patrem Domini sui Jesu Christi, Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis (*II Cor.* I), nam hoc est nomen meum, et ego in hoc nomine exaudiam, et consolabor eum in omni tribulatione sua. Nonne magnum est quod dicam: *Populus meus es, et ipse dicet: Dominus Deus meus*? Nam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem

C sibi. Dicat ergo *populus meus es*, dicam *ecce venient dies Domini, et dividam spolia in medio tui*, scilicet divisiones gratiarum Spiritus sancti, revelationes mysteriorum regni Dei, quæ pretiosa spolia utique sunt. Unde Psalmista: *Lætabor ego super eloquia tua sicut qui invenit spolia multa* (*Psal.* CXVIII). Item: *Rex virtutum dilecti, dilecti, et speciei domus dividere spolia* (*Psal.* LXVII). Sequitur:

CAP XIV.—« Et congregabo omnes gentes ad Hierusalem in prælium, et capietur civitas, et vastabuntur domus, et mulieres violabuntur, et egredietur media pars civitatis in captivitatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe. Et egredietur Dominus, et prælabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. » Ubi dixit, « et convertam manum meam

D ad parvulos, et erunt in omni terra duæ partes, et tertia pars relinquetur, » hoc etiam locutus de duabus partibus, *et disperdentur et deficient.* Nunc quomodo disperdantur et deficiant, ita manifeste dicit, sicut factum esse videmus oculis nostris. Nam adversus Hierusalem illam terrenam, congregatæ sunt in prælium omnes gentes, scilicet Romani omnium gentium principes, et capta est civitas, et vastatæ sunt domus, et mulieres sine dubio violatæ sunt, ut solet fieri pro libitu victorum, et media pars civitatis, videlicet, quæ gladio superfuit, in captivitatem egressa est. Et notandum, quod non dixit media pars multitudinis, sed *media*

pars civitatis, quod longe minus fuit. Nam qui ceciderunt in ore gladii, qui fame perierunt, intus conclusi, multo plures fuerunt quam qui abducti sunt captivi, sed non omnes fuerint populus civitatis. A totis **357** enim regionibus, ut refert Josephus, ad azymorum diem festum congregati fuerant, et bello subito circumfusi sunt (*De bel. Jud.* lib. VII, c. 25). Et captivorum quidem numerus, qui in toto bello comprehensi sunt, nonaginta septem millia collectus est, occisorum vero per omne tempus obsidionis undecies centum millia. Multitudo, quæ a tot regionibus convenerat ad diem festum, intus conclusa, sumptus non habens, quos nec providit, nec obsidionem prævidit, citius tormento famis interius vitam finiet miserabilem, populus autem civitatis diutius, quamvis in magna penuria durans, non totus intus fame interibit, sed medis pars ad manus perveniet victoris, et egredietur in captivitatem. Quid de reliqua parte civitatis vel populi? *Non*, inquit, *auferetur ex urbe*. Quare *non auferetur ex urbe*? Quia victori non erit necesse. Mortua namque erit gladio, fame, igne, cum cætera adventitia multitudine. Hoc namque modo disperdentur Judæi, qui erant pars una de partibus supradictis. Quomodo deficiet pars alia, scilicet pagani? *Et egredietur*, ait, *Dominus, et præliabitur contra gentes illas*, subauditur, in gladio oris sui, in fortitudine spiritus sui, *sicut præliatus est in die certaminis*, id est secundum similitudinem mysticam prælii, quo Ægyptios in mare mersit. In hoc *egredietur* illo nimirum egressus, quem Isaias prævidens, *quia de Sion exibit lex et Verbum Domini de Hierusalem* (*Isa.* II). Factum est et sicut Pharao cum curribus et equitibus suis in mare submersus est, ita gentes illæ gentiumque illarum principes, reges, cæsares, consules, præsides, sacerdotes templorum, et pontifices cum idolis suis, et omni ritu fanatico defecerunt, et ad nihilum redacti sunt, et ecce pars tertia superest, pars Christiana relicta est. *Et stabunt pedes ejus, in die illa, super montes olivarum, qui est contra Hierusalem ad orientem, et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et occidentem, prærupto grandi valle. Et separabitur medium montis ad aquilonem et medium ejus ad orientem, et fugistis ad vallem montium eorum, quoniam conjungitur vallis montium usque ad proximum, et fugietis sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Juda, et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.* Pedes Domini pedes speciosi, apostoli sunt. Isti *pedes*, ait, *stabunt super montem Olivarum*, id est super fidem patriarcharum et prophetarum, et in Scripturis commorabuntur, et secundum auctoritatem loquentur Scripturarum quæ ex illo sunt. Et bene de illo monte dicit, qui est contra Hierusalem ad orientem, quia videlicet sancta Scriptura patriarcharum et prophetarum omnino est contra illam terrenam Hierusalem, et omnino intendit ad illum orientem, de quo longe superius in hoc eodem propheta: *Ecce enim*, inquit Dominus, *ego adducam servum meum orientem* (*Zach.* III). Ita est contra illam Hierusalem, ut interdum etiam vocet eam Sodomam sive Gomorrham, ut illic: *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ* (*Isa.*). Ita est *ad orientem*, id est, ita intendit in Christum ut a nullo ipse cognosci, vel sensus ejus possit inveniri, nisi ab illo qui legendo vel audiendo respicit ad Christum. *Et scindetur*, ait, *mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et occidentem, prærupto grandi valle. Mons Olivarum scissus est ex media parte sui*, quia cor patrum a filiis, et cor filiorum a patribus eorum recessit. Pars montis *ad orientem*, et pars *ad occidentem*, quia videlicet cor patrum ad Christum et fidei respicit lumen, et cor filiorum ad Antichristum spectans, occiduam patitur cæcitatem. Rursus ait: *Et separabitur medium ad aquilonem, et medium ejus ad orientem.* Quod separatur *ad aquilonem*, idem est quod dixerat, scindi *ad occidentem*, sed propterea repetit ut de reliquiis quæ convertentur, quando plenitudo gentium subintraverit (*Rom.* XI), inferret, et medium ejus ad orientem. Inter patres, quia jamdudum scissi sunt a filiis, ut jam dictum est, ad orientem, et filios illos, qui tandem credendo separabuntur ad orientem, valde grande est præruptum, grande intervallum, nimirum subintrantium grandem capiens gentium multitudinem. Huic sensui veritas apostolica consonat, cum dicit: *Aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius pinguedinis olivæ factus es* (*ibid.*). *Et fugietis*, ait, *ad vallem Montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum.* Hodie videmus quia fugiunt Judæi altitudinem montium, ubi veritatis lumen est, retrudunt se in vallem, quæ sub montibus est, tenebras suas amantes, faciem solis quæ in montibus patet odientes, videre non sustinentes. *Fugietis* ait, *quoniam conjungetur vallis Montium usque ad proximum*, id est quoniam gentes vos supergredientes, locum vestrum supplebunt, et non erit vacuum præruptum, atque ita et anterior mons patrum, et posterior pars filiorum, insertis gentibus in medium, fiet unus mons Olivarum, unus populus sanctorum. Et vos interim quomodo *fugietis*? *Sicut fugistis*, ait, *a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Juda*, idem significatum est illo terræmotu, qui factus est *in diebus Oziæ regis Juda*, quo ille illicitum sibi sacerdotium vindicare conatus est, in fronte percussus est lepra (*II Par.* XXVI). Ergo vos, o Judæi, leprosi estis, quia secundum hanc assimilationem pro conscientia leprosæ frontis, vos ad vallem fugitis. Jam amplius sacerdotium vestrum non erit. In domo separata habitabitis, secundum similitudinem, ut jam dictum est, Oziæ regis, et sacerdotium eorum est et erit, quos fugitis omnes frontes inclytæ et lucidæ, juxta illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV): *Et veniet*, inquit, *Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. Et erit in die illa non erit lux, sed frigus et gelu, et erit dies una, quæ nota est Domino Deo, non dies neque nox.* Hic est finis cunctorum. Sic *veniet*, inquit,

Dominus Deus meus, quemadmodum viderunt eum A euntem in cœlum (*Act.* I); et impiis fugientibus quidem, sed effugere non valentibus, omnes sancti venient cum eo, non erubescentes, lepram in fronte non habentes, et idcirco apertione frontis cum lætitia cordis occurrentes, assistentes, circumsedentes, *Et erit in die illa* vobis, o fugaces, istud quod dico eveniet. *Non erit lux, sed frigus et gelu.* Quomodo autem tunc effugietis, qui nunc fugitis, *si non erit lux, sed frigus et gelu*? Quale est fugere in gelu et frigore, et sine luce? Igitur fiet vobis, sicut et in psalmo Spiritus justo judicio concedens, dicit: « Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eos » (*Psal.* XXXIV). Econtra, Sanctis lux æterna, dies indeficiens erit. Hoc est quod continuo dicit: *Et erit dies una, quæ nota est Domino Deo.* B Quis enim alius illam diem novit, nisi Dominus Deus. Oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, qualem diem sanctis suis præparaverit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). Et quid dico diem? *Non dies*, inquit, *neque nox erit.* Quod est dicere: Cum dico diem, vulgariter nomen hoc examinat aliquis, sed secundum sensum illius, *non dies, neque nox erit*, id est non ortus neque occasus solis erit. Sed quid? *Et in tempore vesper erit lux*, id est post omnia **358** sæcula sæculorum, quantacunque numerari vel existimari possunt, lux erit, et lux expectabitur indeficiens. « Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Hierusalem, medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum. In æstate et in hieme erunt, et erit Dominus rex super C omnem terram. Credimus propter quod et loquimur » (*II Cor.* IV), quia dies ista dies est resurrectionis, quam dicit proloquens et repetens, et erit in die illa et protenditur dies ista a custodia matutina Dominicæ resurrectionis usque in resurrectionem universalem, et ultra. *Exibunt*, ait, *aquæ vivæ de Hierusalem.* Qua de Hierusalem? Nimirum Hierusalem cœlesti, Hierusalem civitate Dei viventis, ubi est visio B. Trinitatis. Inde, inquit, *aquæ vivæ exibunt, aquæ*, inquam, *vivæ*, id est aquæ resurrectionis mortuorum. At illa videlicet resurrectio mortuorum gemina est: est resurrectio animarum, resurrectio prima, quæ est remissio peccatorum; est et resurrectio corporum, resurrectio secunda, qua procedent ad vocem Filii Dei, omnes qui in monumentis sunt (*Joan.* V). Bene ergo aquas vivas divisit, *medium*, inquiens, D *earum ad mare orientale*, quod jam factum est, quod est baptisma in remissionem peccatorum, et hæc est resurrectio animarum, *et medium earum ad mare novissimum*, quod in capite quidem, id est in Christo, jam factum est, sed in corpore, id est in nobis, in novissimo die fiet, quod est regeneratio omnium, juxta illud: *In regeneratione cum sederit Filius hominis* (*Matth.* XIX), etc. Et hæc est resurrectio corporum, remuneratio tam animarum quam corporum. Istæ aquæ vivæ *in æstate*, inquit, *et in hieme erunt*, videlicet *in æstate*, quæ nunc est, quando operari et fugere licet, *erunt* in resurrectionem animarum. *In hieme* autem, scilicet in novissimo judicio, quando nec operari, nec fugere licebit, erunt in resurrectionem corporum in remunerationem sanctis tam animarum quam corporum. Et tunc *erit Dominus*, id est tunc apparebit quod sit Dominus et non alius *Rex super omnem terram*, completo quod dixit illi Pater Dominus: « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum » (*Psal* CIX). » In die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. Et revertetur omnis terra usque ad desertum de colle Remmon ad austrum Hierusalem, et exaltabitur et habitabit in loco suo a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, usque ad portam angulorum, et a turre Ananehel usque ad torcularia regis, et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius, sed sedebit in Hierusalem secura. — Erit, » inquit, *in die illa Dominus unus*, ac si dicat: Nunc quidem sunt multi qui dicantur dii, qui dicantur domini. Sed sicut in psalmo scriptum est: « Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet » (*Psal.* IX), ita et hic dico, quia *in illa erit Dominus unus*, et explosis deorum et dominorum nominibus, *erit* et permanebit *unum* et solum, *nomen ejus. Et revertetur omnis terra usque ad desertum.* Hæc littera omnis fere usque ad finem voluminis, talis est sine dubio ex industria Spiritus sancti, ut puerum allicere possit ad favorem sui, totiusque voluminis prophetici, scilicet populum Judaicum sensu puerili, qui talia libenter audit, et sic intelligit quod Messias, quando in Hierusalem aurea atque gemmata sederit regnaturus, cuncta auferet idola, nec erit divinitatis cultura diversa, sed *erit Dominus unus, et revertetur omnis terra usque ad desertum*, id est ad antiquum statum, et quod secundum locorum hæc vocabula, Hierusalem ædificanda sit, *de colle Remmon ad austrum*, etc. Sciens quippe quales et quantas in hoc volumine congesserit margaritas, claudendam thecam signandumque utiliter arbitratus est sacculum, ne porci maligni non solum conculcarent eas (*Matth.* VII), verum etiam conversi prophetam ipsum eliderent, quod sine dubio factum fuisset, ita ut nec Scripturæ ipsæ ad nos pervenirent. Nihil utilius dicere possumus quam intentionem istam sciendam esse in his, et in cæteris quæ postmodum sequuntur, quæ hujusmodi sunt: « Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus quæ venerunt contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum, » etc. Verumtamen ista seductio talis pueri non fallit, sed sensum continet veritatis, quem cognoscere deceat virum, qui evacuavit ea quæ sunt parvuli (*I Cor.* XIII). Nam *omnis terra*, id est omnis Ecclesia, omnis ordo ecclesiasticus, qui nunc locis diversis et linguis dissonis disparatur, *omnis*, inquam, *usque ad desertum*, id est usque ad eos qui in Ecclesia magis contemptibiles sunt, minusque spiritualium videntur habere donorum, revertetur de colle Remmon, quod interpretatur excelsum, *ad austrum Hierusalem*, id est de altitudine fidei, et pro-

pter ipsam fidem perveniet ad plenam supernæ visionis claritatem,ut sit una civitas omnium,et,sicut jam dictum est, unus Dominus omnium,et exaltabitur,*et habitabit in loco suo*, id est in regno sibi ab origine mundi præparato,*a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris*, quod idem esse videtur, ac si dicat,a fine mundi usque ad originem mundi.Nam porta Benjamin, quod interpretatur *filius dextræ*, recte intelligitur illa vocatio qua dicetur his qui a dextris erunt : *Venite, benedicti Patris mei,percipite regnum,quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* xxv), et porta prior ipsa constitutionis mundi, scilicet benedictio, qua creatis hominibus primis,*crescite*, ait, *et multiplicamini* (*Gen.* I). Nam extunc usque ad jam dictam vocationem, qua vocabuntur a dextris constituti, colliguntur homines, quorum de reversione hic sermo est. *Exaltabitur etiam usque ad portam angulorum*, id est usque ad effectum promissionis, et spei patriarcharum, ad quos post maledictionem, quæ subintroivit per peccatum, factum est promissionis verbum de semine benedictionis, quæ propalabitur in illa porta Benjamin, dicendo : *Venite, benedicti. Exaltabitur* etiam, *et habitabit a turre Ananehel usque ad torcularia regis.* Ananehel interpretatur *gratissimus Dei.* Et quis est gratissimus Dei, ut Filius dilectus Deo Patri ? Et quis rex, nisi ille idem gratissimus Dei ? Porro, turris hujus gravissima,*turris ædificata cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium*, sancta Scriptura est (*Cant.* IV). Torcularia vero regis ejusdem, passiones ejus fuerunt. *Exaltabitur* ergo, ait, *et habitabit Hierusalem a turre Ananehel usque ad torcularia regis*, id est, gloriabitur, tam in his qui sanctarum virtute Scripturarum instructi et armati destruere potuerunt omnem sermonem *extollentem se adversus scientiam Dei* (*II Cor.* x), quam in illis qui,proficientes usque ad illam *dilectionem, qua majorem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* xv), non subterfugerunt tradere corpora sua propter fidem Christi. *Et habitabunt*, inquit, *in ea, et anathema non erit amplius, sed sedebit Hierusalem secura.* Hoc est quod et in Apocalypsi legimus : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis,et ipsi populus ejus erunt, et ipse Dominus eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, **359** neque dolor erit ultra » (*Apoc.* XXI), quæ prima abierunt.Hæc omnia hic anathematis vocabulo comprehendit,dicendo, « et anathema non erit amplius. Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversus Hierusalem.Tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, et oculi ejus tabescent in foraminibus suis,et lingua eorum tabescet in ore suo. » Nunquid hæc erit tota plaga? Nunquid non in præsenti quoque sæculo nonnulli persecutores,qui afflixerunt Ecclesiam Domini, talia receperunt ? Legamus ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid sævissimus Maximinus et Apostata Julianus passi sunt,et tunc rebus probabimus, etiam juxta litteram prophetiæ veritatem esse completam quod putruerunt carnes eorum,et oculi contabuerunt, et lingua in pedorem saniemque dissoluta sit. Nunquid oblitus est id, quod omnibus notum est, quod cruciabuntur igne et sulphure,in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni, et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, vel sicut ipsemet ore suo loquitur Dominus : « Ibunt in supplicium æternum, ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus » (*Matth.* XXVII). Ergo secundum tropum, qui dicitur tapeinosis, id est humilitas magnæ rei, non id assequente sermone quod intendit, hic locutus est,non tam statum rei magnæ dictis infirmans, quam magnitudinem ejus quemquam verbis non posse consequi significans. «In die illa erit tumultus Domini magnus in eis, et apprehendet vir manum proximi sui,et consereturmanus ejus super manum proximi sui. Sed et Judas pugnabit adversus Hierusalem,et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum, et argentum, et vestes multæ satis, et sic erit ruina equi,et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum quæ fuerunt in castris illis, sicut ruina hæc.Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus contra Hierusalem,ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum,et celebrent festivitatem tabernaculorum.Et erit qui non ascenderit de filiis terræ in Hierusalem,ut adorent regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. Quod si et familia Ægypti non ascenderit, et non venerit, nec super eos erit. Sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderunt ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium,quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum.In die illa erit, quod super frenum est equi, Sanctum Domino,et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altare, et erit omnis lebes in Hierusalem, et in aula sanctificatus Domino exercituum. Et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis, et non erit ultra mercator in domo Domini exercituum in die illo. » Ultima hæc recapitulatio brevis quo tendat,jam ante dictum est. Ad claudendum tendit,et ad ligandum totius prophetiæ sacramentum, ut non intelligeretur usque ad tempus statutum sicut Danieli præcipiebatur : « Tu autem, Daniel,claude sermones,et signa librum usque ad tempus statutum,pertransibunt plurimi,et multiplex erit scientia » (*Dan.* XII), et sicut Isaiæ dicebatur : « Liga testimonium,signa legem in discipulis meis » (*Isa.* VIII). Et tota quidem prophetia clausa est,nec nisi in ipso Christo revelatur, sed capitulum hoc etiam clausuræ ligamentum est,nec tamen suspicari posset parvulus invidus,id est Judaicus populus,quod in prophetis aliquid boni gentilibus decerneretur,aut quod carnalibus cæremoniis finis esset aliquando ponendus. Fuerit illis quon-

dam permissus carnalis et puerilis sensus, nunc autem in Christo evacuatus, inexcusabilis est error, ita ut de isto veraciter dicas, *puer centum annorum maledictus erit*, sive *morietur* (*Isa* LXV). Nam quod dicit : « In die illa erit tumultus Domini magnus et apprehendet vir manum proximi sui et conseretur manus ejus super manum proximi sui, sed et Judas pugnabit adversus Hierusalem, et congregabuntur omnium gentium divitiæ in circuitu, aurum, et argentum et vestes multæ satis, » jam factum est, non quomodo illi speraverunt et sperant, avaritiam insatiabilem sperantes, auream que et gemmatam in terris Hierusalem exspectantes, sed quomodo Spiritum sanctum fecisse decet, cujus omnis civitas non terrena, sed cœlestis est, cujus omnis pugna non contra homines, sed contra hominum vitia est. Tumultus ergo Domini magnus ille est, de quo Psalmista : *Commovisti*, inquit, *Domine*, *terram et conturbasti eam* (*Psal.* II), scilicet per prædicatores tuos, nos terrenos commovens ad pœnitentiam. Et apprehendit vir manum proximi sui, et conserta est manus ejus super manum proximi sui, scilicet taliter, ut dicerent salubriter contriti, tam gentiles, quam Judæi, imo plures gentiles quam Judæi, *quid faciemus, viri fratres* (*Act.* II), et responderetur eis : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi. Non solum in hoc tumultus fuit, in quo bonum erat tumultuari, et ad pœnitentiam conturbari, et quasi manibus consertis quærere, et dare consilium salutis, sed et in hoc quod Judas, id est Judæus sive Judaicus populus, non quidem solus sed primus pugnavit adversus Hierusalem, adversus evangelicam fidem et Ecclesiam, in cœlis conversari, et ad visionem pacis pervenire cupientem. Non, inquam, solus sed primus pugnavit Judæus, deinde etiam paganus. Sed quomodo provenit ? Congregatæ sunt *divitiæ omnium in circuitu, aurum, et argentum, et vestes multæ satis.* Aurum, et argentum et vestes multas satis habebat Judæus, scilicet adoptionem filiorum, et gloriam, et testamenta, et legislationem, et obsequium, et promissa (*Rom.* IX). Item aurum ingenii, argentum nitidi eloquii, artium studiorumque utilium, vestes multas paganus habebat. Omnes istæ divitiæ ad Hierusalem, id est ad Christi Ecclesiam congregatæ sunt. Præterea materiale aurum, et materiale argentum, et vestes manufactæ omnium gentium, jure ad istam Hierusalem congregatæ sunt, quia mortuis regibus vel principibus impiis, successerunt reges vel principes pii, quibus ista Hierusalem, quoniam sua spiritualia seminavit, eorum carnalia non indigne messuit (*II Cor.* IX). Illi qui pugnaverunt adversus eam ubi sunt ? *Periit memoria eorum cum sonitu* (*Psal.* IX). Quæ cura de illis ? *Sic*, inquit, « erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum, quæ fuerunt in castris illis, sicut ruina hæc. » Ac si dicat : Non magis curat Deus de ruina illorum, quam de ruina equorum et mulorum, quibus sedentes et equitantes adversus Hierusalem pugnaverunt, sive de ruina camelorum et asinorum, omniumque jumentorum, quæ illorum cibaria post illos circumtulerunt. Et recte. Nam in vita sua comparati sunt *jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis* (*Psal.* XLVIII). Quomodo et illud jam factum est vel fit, quod dicit : « Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerint contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum ? » Levemus oculos nostros per universum orbem terrarum, et numeremus, **360** si possumus, tabernacula Domini virtutum, id est ecclesias sive basilicas martyrum sanctorumque omnium. Nonne consecrationes earum recolentes, ab anno in annum celebramus festivitatem tabernaculorum, gratias agentes Domino propter nostrum de Ægypto hujus sæculi exitum ? Egressus quondam Israelis de Ægypto per vastam et terribilem ac latam solitudinem, in qua non erat domus, villa, oppidum, specus, faciebat sibi tabernacula atque tentoria (*Levit.* XXIII), quæ nunc a similitudine parvulæ avis papiliones vocantur. Jussumque est, ut in mense septimo, in quinta decima die mensis fieret Tabernaculorum solemnitas (*Deut.* XVI), ut beneficiorum Dei omni tempore recordarentur, cum cœpissent habitare in urbibus. Nos quando et quomodo exierimus, quali de Ægypto, quibus de tenebris exierimus, non incognitum habemus, et illum exitum in consecrationibus ecclesiarum mysticis sacramentis significatum, ab anno in annum celebramus ascendentes in Hierusalem, id est mente contemplantes illam beatam patriam et civitatem cœlestem, cujus in istis tabernaculis exiguam quidem, sed sanctam et consolatoriam tenemus imaginem. *Et erit*, inquit, *qui non ascenderit de filiis terræ in Hierusalem, ut adoret regem Dominum exercituum, non erit super eos imber.* Imber cœlestis doctrina, scientia Dei est. Hinc est illud : *Crescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.* Magna igitur pœna, magnum detrimentum his qui non ascendunt ad festivitatem hujusmodi Tabernaculorum, quia non est super eos imber, quia Verbum Domini non audiunt. Nec semel hanc pœnam deprompsisse contentus, denuo ac tertio repetit hoc ipsum : *Quod si et familia Ægypti non ascenderit, et non venerit, nec super eos erit* (*Deut.* XXXII), subauditur imber, sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum. Hæc secunda repetitio plus habet quam prima dictio. Nam ibi tantum dixit : *Non erit super eos imber.* Hic autem cum dixisset : *Nec super eos erit*, protinus addidit, *sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes.* Et est sensus : Inter paganos alienos a Verbo Dei reputabuntur hæretici, qui in Hierusalem, id est in catholicam Ecclesiam nolunt ascendere, ut audiant verbum Dei secundum regulam fidei, quos hic intelligimus per familiam Ægypti. Quam ob causam ? Videlicet, quia templum aliquando fuit in terra Ægy-

pti factum ad similitudinem templi, quod erat in A Hierosolymis, quod fecit pontifex Onias (Joseph., *De ant.* lib. XIII, c. 4), putans se implere vaticinium Isaiæ dicentis : *Et erit altare Domini in medio terræ Ægypti* (*Isa.* XIX). Temporibus Machabæorum fecit Onias illud templum, et cum eo infinita examina Judæorum in Ægypto consederunt. Ad illos est illa Scriptura secundi libri Machabæorum : *Fratribus qui sunt per Ægyptum Judæis salutem dicunt fratres qui sunt Hierosolymis Judæi et qui in regione Judæa, et pacem bonam* (*II Mach.* I), hoc maxime intendens solum esse legitimum templum quod erat in Hierosolymis, et illud esse contra legem quod habebant in terra Ægypti. Quandiu stetit vel stare debuit templum illud in Hierosolymis, tandiu qui recesserunt ab illo, templum aliud tenentes in terra B Ægypti, recte dicti sunt familia Ægypti, et nihilominus secundum similitudinem illorum hæretici qui se sciderunt ab Ecclesia catholica recte dicuntur familia Ægypti, et reputantur inter gentes, dicendo : *Nec super eos erit imber, sed ruina qua percutiet Dominus omnes gentes.* Tertia repetitione amplius adhuc facit, dicendo sic : *Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum.* Hoc enim est dicere: Ignorantiam Dei habentes, ex eo quod non erit super eos imber, erunt inexcusabiles. Quare non erit super eos imber ? Nimirum quia non ascendent *ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum*, id est idcirco non habebunt scientiam Dei, quia non acquiescent iræ, ubi prædicatur Dei verbum. C Ergo inexcusabiles erunt propter hoc peccatum suum, non quia non intellexerunt, sed quia intelligere noluerunt. Convincentur noluisse intelligere, per hoc quod noluerunt illuc ascendere, quod noluerunt festivitatem sanctam celebrare, quæ festivitas est Scripturas sanctas libenter legere vel audire, et pro amore illarum a servilibus sæculi operibus aliquando vacare. Igitur super quem non erit imber, non excusabitur, sed *qui ignorat ignorabitur. In die illa erit quod super frenum est equi, sanctum Domino.* Ubi celebranda est ejusmodi festivitas Tabernaculorum, oportet celebratores et festivos illos sive Tabernaculorum æditues habere victum et vestitum. Unde habebunt ? non serunt, neque metunt, sed semper in festivita te occupati sunt, ad eruditionem et meditationem sanctarum D Scripturarum dispositi sunt. Ad hæc, inquam, satis habebunt. Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono (*Psal.* XXXIII). Unde hoc ? Quod super frenum est equi, sanctum erit Domino. Hoc est dicere : Dives fidelis, quod sibi superabundat offeret Domino. Equi frenum significat omne necessarium. Quid enim inter cuncta equi ephippia, id est stramenta, magis vel tam necessarium, quam frenum ? Ergo quod super frenum est equi, sanctum erit Domino, id est quod super necessitatem abundabit sibi, dives fidelis offeret Domino. Non frenum, sed quod super frenum est equi, id est non illud quo carere non potest vir fidelis sed quod sibi superabundabat docebitur offerre Domino. Hinc Apostolus : *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum quod non habet* (*II Cor.* VIII). Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in hoc præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam supplet, ut et illorum abundantia vestræ sit inopiæ supplementum, ut fiat æqualitas. Itaque quoniam frenum equi sui dare non poterit sine tribulatione sua, contentus erit Dominus illo tantillo, quod super frenum est, ut sibi sanctificetur, id est quoniam durum erit homini exspoliari se rebus necessariis, tantum ea quæ superabundant, quæret ut sibi offerantur, et hæc proficient prædictam festivitatem Tabernaculorum celebrantibus, id est religiosam et spiritualem vitam ducentibus. *Et erunt*, ait, *lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.* Quidquid super frenum est equi sicut jam dictum est, id est omnis superabundantia, quæ sanctificatur vel offertur Domino a divitibus hujus sæculi, recte lebetum nomine significatur, quia videlicet in lebete carnes coquuntur, et carnalia sunt quæcunque Domino ab hujusmodi offeruntur. Porro per phialas, quibus non carnes coquuntur, sed vinum funditur, spiritualia significantur. Igitur *erunt*, inquit, *lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari*, id est carnalia quæcunque offeruntur Domino in usum servientium sibi, sic erunt sacra ut vasa altaris, sive quæcunque res spiritualis ministerii, ita ut æque de carnalibus sicut de spiritualibus Ecclesiæ rebus quidquam defraudare sive depravare sacrilegium sit. Hoc itidem magis ac magis confirmat, dicendo sic : *Et erit omnis lebes in Hierusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum.* Quod est dicere : Omne quod carnale **301** oblatum erit *Domino exercituum in Hierusalem et in Juda*, id est in illis, qui spiritualem vitam ducent, ita erit sanctificatum ut non dicat quisquam aliquid suum esse, sed sint omnia communia. Unde adhuc subditur : *Et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis.* Quod est dicere : Et venient omnes sæculo renuntiantes, et semetipsos Domino offerentes, et sument ex eis quæ oblata sunt Domino a divitibus, quibus ut jam dictum est superabundavit, et in victu et in vestitu utentur eis, dividenturque singulis prout opus erit (*Act.* IV). *Et non erit ultra mercator in domo Domini exercituum in die illa.* Nomine mercatoris graviter denotandum se esse noverit a Spiritu sancto quisquis in domo Domini, id est in proposito spirituali, proprium quid possidere præsumpserit, et delectari huic vitio nequissimo. *Non erit*, id est esse non debebit ultra talis mercator in domo Domini exercituum, ne forte pœnam quam Ananias et Saphira in corpore pertulerunt (*Act.* V), ipse in anima patiatur.

362 PROLOGUS RUPERTI IN MALACHIAM PROPHETAM.

Malachiam ultimum duodecimum prophetarum Hebræi Esdram æstimant sacerdotem, quia omnia, quæ in libro illius continentur, etiam hic propheta commemorat, et propterea titulum non habere, quia liber iste pro titulo sit. Igitur et Malachias, id est Esdras post Aggæum et Zachariam, qui prophetaverunt sub Dario, credendus est. Hinc de abjectione Judæorum, et vocatione gentium «non est, inquit, mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non accipiam de manu vestra, ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sanctificatur oblatio munda (*Malach.* I). » Itaque quoniam Esdras propheta erat, quoniam idem est qui et Malachias, non mirum, quod in libro ejus, videlicet Esdræ ita legimus : « Accesserunt ad me principes dicentes : Tulerunt sacerdotes et levitæ de filiabus populorum terræ et de filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Cumque audissem, inquit, sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam et evulsi capillos capitis mei et barbæ, et sedi mærens, » etc. (*I Esdr.* I.) » Nimirum, quoniam, ut jam dictum est, propheta erat, non dubium quin prophetico spiritu intellexit, cujus vel quanti mali præsagium illa transgressio fuerit, quod ubi post captivitatis absolutionem templum reædificatum est, talis in Juda sive in Israel prævaricatio reperta est. Inde nobis plenius erit dicendum, ubi in hoc prophetiæ suæ libro dicit : « Transgressus est Judas, et abominatio facta est in Israel, et in Hierusalem, quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni (*Malach.* II). » Adsis, o sancte Spiritus, qui per os prophetarum locutus es, ut consummato in duodecim prophetis opusculo, tandem non exigui inter filios Levi, quos dominator Dominus veniens ad templum sanctum suum conflabit quasi aurum et quasi argentum, offeramus tibi sacrificia laudum, placeatque tibi sacrificium nostrum, sicut illorum sacrificium, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui, de quibus suo loco dicendum erit.

IN MALACHIAM PROPHETAM
COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

363 CAP. I. — *Onus verbi Domini super Israel in* A *manu Malachiæ. Onus*, id est gravissimi judicii pondus. Ista superstitio pollicetur quod, videlicet secundum prophetiam hanc, infelix Judaicus populus, similiter ut Cain qui Abel fratrem suum occidit, septemplici reatu obnoxius, septempliciter puniendus, id est incorrigibilis permanendo, interminabilem iram Dei foret subiturus. Numero namque septenario, qui tam apud ecclesiasticos quam apud ethnicos philosophos, mas, id est *fortis*, dicitur, insolubilisque habetur, et eo plerumque universitas significatur, numero, inquam, septenario peccatum rebellionis, et duritia cervicis ejus in hac propheta designatur. Ipsas vices hic jam perstringere libet. Primo sic alloquitur : *Dilexi vos, dicit Dominus.* At illi procaciter : *In quo dilexisti nos?* Deinde secundo : *Despicitis nomen meum.* Statimque illi : *In quo despeximus nomen tuum?* Deinde tertio : *Offertis super altare meum panem pollutum.* At illi : *In quo polluimus te?* Deinde quarto : Labore fecistis *Dominum in sermonibus vestris.* Ad hæc illi : *In quo eum fecimus laborare?* (*Mal.* II.) Deinde quinto : *Revertimini ad me et revertar ad vos*, dicit Dominus. Statimque illi : *In quo revertemur?* Quasi vero non audissent, quod dicebat, *recessistis a legitimis meis, et non custodistis* (*Mal.* III). Deinde sexto : *Si affligit homo Deum, quia vos confixistis me.* At illi : *In quo configimus* (*Ibid.*) Deinde septimo : *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus.* At illi : *Quid locuti sumus contra te?* (*Ibid.*) Ita septies conventi, et de septem reatus sui capitulis redarguti, septies excusserunt cervicem duram, nullam reddendo vocem confessionis, sed in

omnibus horrorem spirando perpetuæ rebellionis. Hæc, ut supra jam dictum est, pœna eorum significatur interminabilis, quia culpa septemplex, id est incorrigibilis est, atque idcirco insolubilis, ut dictum est, secundum exemplum Cain, cujus peccati septenarium incrementum potest discerni, peccati irremissibilis, quia in deterius semper progrediens nusquam pœnitentiam egit. Primum in ea fuit quod non recte divisit, cum Scriptura dicat : *Si recte offeras, et non recte dividas, nonne malum est?* (*Gen.* IV sec. LXX.) Recte quidem obtulit, quia cui debuit Deo obtulit, sed non recte divisit, quia rem suam offerens semetipsum sibi retinuit, cor suum Deo non præbuit. Secundum fuit quod fratri recte offerenti et recte dividendi invidit. Tertium, quod dolose egit, dicens : *Egrediamur foras.* Quartum, quod interfecit. Quin- B tum, quod procaciter negavit, dicens : *Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego?* Sextum, quod desperavit : *Major est, inquiens, iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* IV). Septimum, quod nec damnatus pœnitentiam egit, sed usque in finem cor impœnitens habuit. Lamech qui occidit illum, se et illum pulchre discernit, dum reatum suum confitens et dicens : *Occidi virum in vulnus meum et adolescentulum in livorem meum*, eumdem Cain, et virum propter ætatem, et adolescentulum nominans propter stultitiam, protinus dicit : *Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies* (*ibid.*). Quod est dicere : Cain sicut peccatum perpetuum et incorrigibile fuit, ita pœna interminabilis erit secundum significationem numeri septenarii, qui insolubilis est, et præter unitates in alias partes æquas

non potest dividi. Lamech vero, sicut peccatum terminabile est sive remissibile, confitetur enim in occ dendo vulnus suum, et agnoscit livorem suum, ita et pœna solubilis erit secundum significationem numeri septuagesimi septimi, qui solubilis est, quia præter unitates etiam in alias dividitur æquas partes. Habet enim septies undecim, undecies septem. Porro Dominus dixerat, *qui occiderit Cain, septuplum punietur*, et alias, ubicunque loquitur, qui hoc vel illud est: *De Lamech vero septuagesies septies*, sciendum est, quia et hic ubi Dominus dicit: *Septuplum punietur.* Quod ne contrarium putetur eo quo dictum fecerit, *morte moriatur*, subaudire oportet, nisi pœnitentiam egerit. Hoc autem hic subaudiri non valet, ubi dixit, *Lamech septies ultio dabitur de Cain*, quia cum hæc diceret, jam tunc occisus Cain pœnitentiæ tempus perdiderat. Igitur *onus verbi Domini super Israel in manu Malachiæ*, id est gravissimum judicium verbi Domini super contemptores ejus **364** Judæos continetur in hoc opere, in hac Scriptura Malachiæ, quod interpretatur *angelus meus.* Est enim angelus, id est nuntius Domini. Sciendumque quod, postquam adductus est in captivitatem Israel, id est decem tribus indifferenter pristino nomine, et duæ tribus Judas et Benjamin appellantur Israel. *Dilexi vos, dicit Dominus. Et dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, et dilexi Jacob, Esau odio habui?* Scientibus vel scire nolentibus veritatem perspicuum est quod vere Jacob et genus ejus dilexerit Dominus. Etenim ista dilectio quam dicit, *et dilexi Jacob, Esau autem odio habui*, de fructu suo cognoscitur. Quid multa commemorem? De genere ejus Christum nasci fecit dilectio Domini. Cum fuisset Esau primogenitus, non illi, sed juniori benedictionem istam cupivit: *Serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto dominus fratrum duorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur* (*Gen.* XXVII). Benedictio hæc in Christo completur. Quis nesciat etiam prophetas, et sanctos, vel justos innumeros de illo genere progenitos, et in hoc apparere fructum dilectionis qua dilexit Jacob? *Ego sum*, ait ipse apud alium prophetam, *qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et eduxi vos in deserto quadraginta annos, ut possideretis terram Amorrhæi, et suscitavi de filiis vestris prophetas, et de juvenibus vestris Nazaræos* (*Amos.* II). Nonne hic est multus dilectionis fructus, multitudo prophetarum, exercitus Nazaræorum, id est sanctorum, et ipse Christus Sanctus sanctorum? Apostolus hoc nescire nos non vult, dicens: *Quod eorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* IX).

Si istis compares illos qui de Esau nati sunt, et hæreditatem ejus quam in hoc sæculo potens hæreditavit, nonne hæreditas ejus veraciter solitudo sive desertum, et genimina ejus dracones deserta sunt? Bene ergo protinus dicit: *Et posui Seir montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti.* Nam ut secundum litteram ita factum fuerit, notum non habemus a Scripturis, videlicet quod Idumeæa sic destructa fuerit, ut montes ejus in solitudinem sempiternam, et hæreditas in dracones deserti redacta sit. Unde et loquitur adhuc:

Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ deserta sunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, et ego destruam, et vocabuntur termini impietatis, populus cui iratus est Dominus usque in æternum, et oculi vestri videbunt et vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel. Sicut jam dictum est, hoc ex Scripturis ut littera sonat, factum esse comprobari non potest, sed secundum spiritum verum est, secundum spiritualem gratiam manifestum est, quia magnificatus est super terminum Israel, et in comparationem magnificentiæ ejus, quam supra jam diximus, et Idumæa, et omnis terrenitas cœlesti gratiæ, in qua dilectus est Jacob, contraria destructa et destruenda est. Et *isti*, ait Dominus, *ædificabunt et ego destruam, et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum.* Verum hæc omnia, quæ jam diximus spiritualia bona Jacob, et generi ejus collata, carnalibus Judæis contra quos hæc prophetia texitur, pro nihilo sunt, et procaciter dicunt: *In quo dilexisti nos?* Nimirum sicut Psalmista loquitur: *Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant* (*Psal.* XXXIV), irati sunt et irascuntur propter terram quam perdiderunt, et de qua in omnes gentes captivi abducti sunt, nec reputant sibi ob suum hoc evenisse peccatum, ut confitentes culpam, cum venia cœlestem recipiant gratiam, sed in iracundia dicunt: *In quo dilexisti nos?* Quod est dicere: Falsum est, non dilexisti nos. Et Dominus deinde loquitur: *Filius honorat patrem et servus dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est homor meus, et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Opportuna plane commemoratio contra illos, qui Patri dicenti: *Dilexi vos*, tanquam procaciter objecerunt: *In quo dilexisti nos?* Est ergo sensus: Flagellantem patrem honorat filius, recipiendo disciplinam ejus. Ego flagellavi vos flagellatione, quali pater filios flagellare consuevit, quemadmodum Sapientia dicit: *Flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III; *Hebr.* XII). Flagellatio hæc est temporalis, qua in hoc sæculo flagellamini a Romanis, excidium passi et ubique terrarum captivi. Disciplinam hanc vos abjicitis, nec me honoratis, ut reatum confiteamini, et pœnitentiam agatis. Ergo filii non estis, ergo adulteri et non filii estis, quia extra disciplinam estis, animo rebelli, odio crudeli. Item, *servus honorat dominum suum*, timendo comminantem illum. Ergo quoniam non estis filii, quoniam disciplinam abjicitis, id est propter temporalem afflictionem non resipiscitis, tanquam servis comminor vobis pœnam sempiternam, gehennam ignis, ne saltem propter hoc timentes pœnitemini.

Ergo nec saltem servi estis. Non filii, sed adulteri, non servi, sed inimici estis, *dicit Dominus exercituum ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum. Et dixistis : In quo despeximus nomen tuum ? Offertis super altare meum panem pollutum.* Dominus exercituum, cujus nomen sacerdotes Judæorum hodie despiciunt, unde et dicit, *qui despicitis nomen meum*, Dominus Deus est Pater omnipotens, cujus nomen est ut invocamus, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, illi depiciunt. Procaciter interrogantibus illis: *In quo despeximus nomen tuum*, Domine? *Offertis*, ait, *super altare meum panem pollutum.* Vere ex quo in festivitate azymorum interfecictis Christum, ex eo, o vos Judæi, *offertis panem pollutum.* Extunc omnis quem offertis panis vester pollutus est, omne quod offertis non sacrificium, sed sacrilegium, omne, inquam, quod offertis, pollutum et immundum est. *Et dicitis : In quo polluimus te ? In eo quod dicitis : Mensa Domini despecta est.* Quæ est hodie mensa Domini, nisi sacramentum corporis et sanguinis Domino, sacrificum panis et vini ? Nimirum, talis mensa Domini vobis, o Judæi, despecta est, quia non sunt ibi carnes taurorum, et sanguis vitulorum, et cætera hujusmodi. Propter hoc *despecta est* vobis illa, quæ veraciter dicitur et est *mensa Domini*, quia tauri non sunt ibi, non est hircus, aut vitulus illic, ovis aut columba, sive turtur non sacrificatur ibi. Sed dico:

«Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est ? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.» Sine dubio cæcum, claudum et languidum ad immolandum offerre, si vos interrogem an malum sit, respondetis malum est, non solum quia ratio præsto est, verum etiam quia lex prohibet (*Lev.* XXII). Est autem cæcum, claudum et languidum omne quod brutum est in comparatione hominis, qui rationalis est. Quanto magis in comparatione Christi, qui homo et Deus est, qui Dei virtus et **365** *Dei sapientia est* ?(*I Cor.* I.) Male ergo dicitis: *Mensa Domini despecta est.* Mensam illam despicientes, in qua sacrificium corpus et sanguis Christi est. Potius vestrum sacrificium despicabile est, quia sicut jam dictum est, cæcum, claudum, et languidum est. Istud autem sacrificium quod despicitis in mensa Domini propter exiguitatem ejus quod videtur panis et vini, et videt, et bene graditur et sanum est. Offer, inquit, illud, offer cæcum, claudum et languidum *duci tuo*, et experire *si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Nimirum non placebit, non suscipiet illud, imo injuriam sibi factam reputabit. Quare ? Profecto, quia cum haberes in promptu, et offerre posses illud quod et videt, et bene graditur, et sanum est, illud obtulisti quod cæcum, et claudum, quod languidum est. Sic profecto cum in promptu sit, quod possis offerre sacrificium valens ad remissionem peccatorum, scilicet Christi corpus et sanguinem verum, injuriam mihi facis offerendo pecus brutum, *dicit Dominus exercituum. Et nunc deprecamini vultum Domini, ut misereatur vestri, de manu enim vestra factum est hoc, si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.* Hoc est quod et Petrus in Actibus apostolorum dixit eis : *Viri Israelitæ, audite, verba hæc: Jesum Nazarenum virum appobatum in vobis*, et cætera usque *pœnitentiam agite, et salvamini a generatione ista prava* (*Act.* II). *De manu enim*, inquit, *vestra factum est hoc*, videlicet quod non solummodo cæcum, vel claudum, aut languidum, verumetiam latronem seditiosum, et homicidam obtulistis, quia Barabbam propter honorem diei festi vitæ donastis, Jesum vero auctorem vitæ interfecistis (*Matth.* XXVII). «Deprecamini vultum» Domini «ut misereatur vestri. Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur contemptibile est cum igne, qui illud devorat; et dixistis: Ecce de labore, et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum. » Manifestissima de reprobatione sacerdotii Judaici prophetia est, cum exprobratione avaritiæ, cum dicit: *Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito?* Omnia, inquit, lucri causa facitis, et ne illud quidem quod exiguum est, ut est ostia claudere, ignem altaris incendere, sive afflare, gratuito facitis, ad mercedem temporalem semper hiantes, vacui a dilectione Dei. *Non mihi est*, inquit, *voluntas in vobis*, imo sicut per alium prophetam dixi: « Nunquam quæsivi hæc de manibus vestris. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui » (*Isa.* I). Item per alium prophetam dixi: « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, et ambulate in omni via quam mandavi vobis » (*Jer.* VII). Quanto magis nunc munus suscipiam de manu vestra, quando manus vestræ plenæ sunt sanguine ?

Plane *non suscipiam*, imo avertam oculos meos a vobis. Incensum vestrum abominatio est mihi, Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta. Laboravi sustinens, subauditur per annos quadraginta duos. Vix tandiu sustinere potui, et differae quod oportebat fieri, scilicet ut Romani venirent, et tollerent vestrum et locum et gentem. *Non suscipiam munus* vestrum, sed et rejectio muneris vestri nullum infert nomini meo damnum. *Ab ortu*

enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. Non enim solus Hierosolymis mihi est locus, ubi oporteat adorare, sed in omni loco veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate (*Joan.* IV). Et offerunt nomini meo oblationem mundam, oblationem panis, et vini, sacramentum corporis et sanguinis Redemptoris sui. Hæc oblatio sic est munda, ut exterius nullum habeat cruoris horrorem, et interius, sive invisibiliter mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Itaque in gentibus talem oblationem offerentibus, magnum est nomen meum, vos autem quondam meus populus peculiaris polluistis illud, et completur illud: *Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII). In eo polluistis nomen meum, quod cum sit oblatio munda, et emundans omnia delicta vos dicitis: *Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur contemptibile est, cum igne qui illud devorat,* videlicet quia in commemorationem fit passionis et mortis Domini, quem vos occidistis, cum signaculo crucis, in qua vos illum suspendistis. Unde et ipsum signaculum exsecramini, et torquemini conscientia crudeli, dicitis in cordibus vestris, contaminatam esse istam quam dicimus mensam Domini, et quod superponitur contemptibile esse dicitis, nimirum quia non carnes ejusmodi quales offerre vos et comedere consuevistis, addentes, ut per alium prophetam dictum est, *Holocaustomata vestra victimis vestris* (*Jer.* VII). Simul cum dicitur vobis, ignem hujus mensæ Domini, ignem esse invisibilem, ignem Spiritus sancti, contemptibile hoc est vobis, quia non apparet visibiliter, nec devorat sacrificium corporeus ignis. *Et dixistis: Ecce de labore.* Dixistis, inquam, hoc, et dicitis in cordibus vestris, quia totum ministerium mensæ Domini, quod celebratur in gentibus, cum sit, ut jam dictum est commemoratio passionis Dominicæ, magnus labor, magnum est tormentum conscientiæ vestræ.

Proinde *exsufflastis*, id est blasphematis *illud* nequissimo flatu magnæ invidiæ, magnæ iracundiæ. Nescio quomodo ex libro Esdræ possit intelligi, quod secundum hanc litteram reversus de Babylone populus, minorem putaverit esse cultum religionis, quia ornatus templi deerat, et quod superponebatur, idcirco esse pollutum, quoniam altare tantum fortuitis, et impolitis lapidibus erat exstructum, absque templo, absque urbis ædificiis, absque exstructione murorum, et quod propter paupertatem murmurantes atque inviti offerentes dixerunt: *Ecce de labore.* Nam ibi taliter scriptum est, quia sponte obtulerunt in domum Domini ad exstruendam eam in loco suo, et secundum vires suas dederunt, et quia congregatus est populus quasi vir unus, *et ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptum est in lege Mosi viri Dei* (I *Esdr.* III), et quia concinnebant in hymnis et confessione Domino, A *quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*, omnis quoque populus vociferabatur clamore magno, laudando **366** Dominum. Num ergo illius temporis Judæi tali fuerunt digni exprobratione? Sed vos, o Judæi, vos, o sacerdotes et pontifices temporis pessimi, quibus, juxta prophetam alium, *Væ, quia separati fuistis in diem malum, et apppopinquastis solio iniquitatis* (*Amos* VI); vos, inquam, sermo iste percutit, quia sermo propheticus est, et enuntiabat de futuris, dum hæc loqueretur iste angelus, iste nuntius Domini. Proinde audiamus quid adhuc dicat:

Et intulistis de rapinis claudum, et languidum, et intulistis munus. Nunquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus exercituum. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens B *immolat debile Domino, quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum terribile in gentibus.*

CAP. II. — *Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vobis egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor. Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum. Ad vos*, inquit, *mandatum, o sacerdotes*, qui domum Patris, quæ debuit esse domus orationis, fecistis speluncam latronum, et inde, id est de latrocinio vestro, de rapinis quas de populo rapietis, boves, et oves, C et columbas, et cætera quæ oblata erant, vendendo his qui de longe venerant, et quod offerrent non habebant, *ad vos*, inquam, *mandatum hoc.* Quia sic faciendo profecto intulistis de rapinis claudum et languidum, id est intulistis munus omni contemptu dignum, *nunquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?* Imo dicam: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens debile immolat Domino.* Quis est qui habet masculum in grege suo, et debile offert, et debile immolat Domino, nisi vos, o socerdotes Judaicæ perfidiæ, qui habetis Christum incarnatum jam de genere vestro, et adhuc brutum pecus contenditis offerre Domino? Maledicti estis, o dolosi, qui illum venisse scientes, vos scire dissimulatis, quod jam venerit, et non qualemcunque claudum aut languidum, non qualecunque debile, D quod est omne pecus brutum, quia non valet ad emundationem peccatorum, verum etiam Barabbam latronem, homicidam, seditiosum, Domino obtulistis, dimittendo illum pro honore quasi Domini, secundum consuetudinem diei festi (*Matth.* XXVII), et deinde nunquam masculum illum gregis electi Dominum offerre voluistis, potius brutum pecus ingerentes, quasi placeat illi, quasi carnes taurorum manducare, et sanguinem hircorum potare velit (*Psal.* XLIX). Bene est, quod ipse rex magnus Dominus exercituum nomen suum terribile faciens in gentibus (*Isa.* V), quoniam noluistis audire, quoniam noluistis ponere super cor veritatem, sed opposui-

stis claritati ejus perfidiæ velamen, et non dedistis A nomini ejus gloriam et honorem, misit in vobis egestatem, mandando nubibus suis, ne pluant super vos imbrem, sicut nunc patet, quia neque propheticam, neque quamlibet aliam habetis gratiam cœlestem, et maledixit benedictionibus vestris et iterum maledixit illis, id est juxta prophetam alium duplici contritione vos contrivit, ut non solum Romani tollerent vestrum et locum et gentem, verumetiam maligni spiritus animas auferrent (*Jer.* VII), juxta illud Psalmistæ veriloquium : *Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt* (*Psal.* LXII). Bene, inquam, et juste maledixit benedictionibus vestris, quoniam vos benedictionibus ejus maledicere voluistis, et maledixistis quantum potuistis. Nam quia Spiritus sanctus, qui est ipsa benedictio Domini, B dixerat in Psalmo : *Benedictus qui venturus est in nomine Domini* (*Psal.* CXVII), vos assumpsistis quasi patrocinium legis dicentis, quia *maledictus est a Deo qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI), et damnatione patibuli maledictum voluistis facere illum, qui venerat *benedictus in nomine Domini.* Bene omnino projecit vobis brachium, et dispersit super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, *et assumet vos*, ait, *stercus* illud *secum.* Nam quia brachium, id est armum dextrum bruti pecoris, quod ex lege vobis fiebat, secundum cæremonias legis solum habere voluistis, et fortissimum brachium Domini Christum Filium Dei rejecistis, et contemptui habuistis ; recte brachium ejusmodi vobis tanquam canibus projecit, ne saltem intus in Hierosolymis porrigeretur vobis, sed foris projectum vix assequi et rodere possitis C captivi atque dispersi, non solemnitates meas, sed vestrarum solemnitatum stercus circumferentes, quod et vos ita secum assumpsit, ut sitis possessio vel portio stercoris, non habentes portionem in terra solemnitatis Domini.

Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis, et dedi ei timorem et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, et scandalizastis D *plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.*

Quorsum ista commemoratio Levi tam bona ? Nimirum ut sacerdotes, quos culpa omnino degenerasse demonstret a fide vel justitia paterna, nec ad patres pertinere filiorum vituperationem, nec filiis utique malis communem esse paternæ justitiæ laudem. Ac si dicat : Quoniam ostia mea clauditis et altare meum incenditis, decimas a populo suscipientes, hæreditario jure secundum carnem filii Levi, putatis vos mihi esse sicut fuit Levi, sicut fuerunt Moses, et Aaron, et Phinees, et cæteri temporum illorum homines sive sacerdotes vestri majores de tribu Levi, quasi non aliunde mihi placuerint, nisi ex eo, quod vos tractatis ministerio cruenti sacrificii. Non ita est : *Scietis* et experimento discetis, *quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi.* Cujusmodi pactum ? Utique non pactum ostia claudendi et altare incendendi, mactandi pecora et manducandi carnes, sed pactum vitæ et pacis, et hoc pactum meum cum eo fuit. Quomodo fuit ? *Dedi ei timorem, et timuit me, a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis erat in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate.* Hæc omnia sacerdotalia sunt, quæ vos non habetis. Ergo sacerdotes non estis. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus quia Angelus Domini exercituum est.* Vestra autem labia non custodiunt scientiam, non est lex in ore vestro, quam annuntiare, est angelicum officium implere, imo *recessistis de via*, quæ est Dei scientia, *et scandalizastis plurimos in lege.* Etenim sicut per alium prophetam dictum est : *Laqueus juvenum omnes vos* (*Isa.* XLII). Ergo sacerdotes non estis. *Irritum fecistis pactum Levi* ; *irritum*, inquam, non ipsi Levi sed vobismetipsis, ut nihil vobis prosit esse secundum carnem filios Levi. Scire debemus quando sit factum, quod nunc dicit: *Pactum meum fuit cum Levi,* videlicet quando [post egressum de
367 Ægypto venientes ad montem Sinai, ascenderunt Moses et Aaron, Nadab et Abiu, qui erant de tribu Levi, et septuaginta de senioribus Israel, et viderunt Deum Israel. Dixitque Dominus ad Mosen : *Ascende ad me in montem, et esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel* (*Exod.* XXVI). Hoc fuit pactum vitæ et pacis. Quæ autem post vituli reatum mandavit, non pertinent ad pactum vitæ et pacis. Unde apud Ezechielem hæc et alia taliter distinguit : *Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi in desertum, et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciat homo et vivat in eis* (*Ezech.* XX). Deinde subsequitur : *Et irritaverunt me domus Israel in deserto*, scilicet faciendo vitulum et adorando illum. In præceptis meis, inquit, non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent. Diligenter animadvertenda sunt hæc qualia sint præcepta quæ dedit ante, et qualia quæ dedit post reatum vituli, et tunc certius patebit quantum distet illud, unde collaudatur Levi dicendo. *Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis*, et illud in quo gloriantes sacerdotes impii, putabant se apud Deum sic esse ut fuit Levi. Sequitur.

Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis via meas, et accepistis faciem in lege. Nunquid non pater unus omnium nostrum ? Nunquid non unus Deus creavit nos ? Quare ergo unusquisque nostrum despicit proximum suum, violans pactum patrum nostrorum ? Propter

quod, inquit, quoniam *irritum fecistis pactum Levi, et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis*, sicut supra testatus sum, dicens : *Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum*. Et notandum, quod inter omnia quæ fecerunt, non servando vias Domini, capitulum istud imputat pro magno crimine, et accepistis faciem in lege. Hanc etenim injustitiam et iniquitatem illorum ipse Dominus omnium pro nobis pauper factus, expertus contra semetipsum; dicebat illis : *Et in Sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Mosi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* (*Joan.* VII), videlicet ut non plus auctoritatis in minori facto concedatis Mosi, propter quod dux fuit, et judicem super vos illum Deus constituit, quam mihi in majori facto, pro eo quod ego non judico quemquam, imo dico, quis me constituit judicem aut divisorem super vos (*Luc.* XII). Hoc enim erat accipere faciem in lege, propter humilitatem faciei ejus, facta ejus quamvis præclara contemnere, et alterius facta minora, scilicet Mosi, propter claritatem vultus ejus, importuna adulatione magnificare et dicere: *Nos scimus quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* IX). In communibus quoque rebus iniquum est faciem accipere. Hinc Jacobus dicit: *Si dixeritis diviti, Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabellum pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum ?* (*Jac.* II). Contra hujusmodi iniquitatem recte invehitur, dicens: *Nunquid non pater unus omnium nostrum ? Nunquid non Deus unus creavit nos ? Quare despicit unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum* (*Hebr.* XI), subauditur, qui ex humilitate Deo complacuerunt, qui non ex facie, sed ex fide amici Dei facti sunt, qui peregrinando in paupertate Spiritus, terram nobis possidendam acquisierunt ? Videte quam sit incongruum, filios humilium et peregrinorum superbire in acceptione personarum. Sequitur : *Trangressus est Judas, et abominatio facta est in Israel et in Hierusalem, quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdat Dominus virum, qui fecerit hæc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino*. Parum est, ad istam declamationem solum illud respicere, quod reversi de Babylone in eo transgressi sunt, quod quidem sacerdotes et levitæ tulerunt de filiabus Chananæorum cæterarumque gentium, et de filiis suis, et commiscuerunt se cum populis terrarum (*I Esdr.* VI, X). Parum, inquam, est illud solum respicere, quoniam hæc verba sunt auctoritatis propheticæ, verba sunt Spiritus sancti, ad spiritualia semper et cœlestia tendentis. Itaque sicut decet majestatem loquentis de spiritualibus, cæptus sermo totus spiritualibus intentus sit. Quomodo *habuit Judas filiam dei alieni* ?

A Quæ est illa filia *dei alieni* ? Profecto lex cæremoniarum sine lege fidei, *filia* est *dei alieni*. Ubi Judas legem fidei contempsit, per quam primus Abraham Deo complacuit, et legem cæremoniarum in cibis et potibus, et justitiis carnis retinuit, ibi transgressus est, et ex tunc *habet filiam Dei alieni*, ex quo Christum occidit, quia quidquid ex tunc observare videtur in cæremoniis ejusmodi, non est religio veri Dei, sed religio dei alieni, abominatio et contaminatio sanctificationis Domini, quam dilexit perversa dilectione, ut mallet Christum occidere quam sanctificationem loci vel gentis amittere, secundum timorem quem finxit, dicens : *Si dimittimus eum sic, venient Romani et tollent nostrum et locum et gentem* (*Joan.* XI). Disperdat, inquit, *Dominus virum qui fe-*
B *cerit hoc*, et ita factum est. Nam dispersi sunt tam magister quam discipulus, et offerens munus Domini, id est tam seniores quam populus, tam Pharisæus quam pontifex, dispersi sunt, inquam, tam de terrenis quam de cœlestibus tabernaculis Jacob. At audiamus adhuc incrementum sceleris, exaggerationem criminis. Ait : « Et hoc rursum fecistis. Operiebatis lacrymis altare Domini fletu et mugitu, ita ut ultra non aspiciam ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra, et in die ista. Quam ob causam ? Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam despexisti, et hæc particeps tua et uxor fœderis tui. » O quanta ira, quanti zeli Domini iracundia ! *Hoc*, inquit, *rursus fecistissi*. Aut ausi fuistis flere in oculis meis, aut fuistis mugire in auribus meis, ausi fuistis operire lacrymis
C altare Domini. Quanta est hæc ira, clementissimum Dominum dicere: Hoc fecistis, flendo et mugiendo me ad majorem iracundiam concitastis, et ita concitastis ne ultra aspiciam ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra ? Quanta est miraculum ? quales sunt lacrymæ ? qualis fletus, qualis mugitus miserorum, qui tam graviter offendit misericordiæ Dominum? Sed non miremur : nam istorum fletus sceleratus et criminosus est, quia venit de amore præsentis sæculi, contemptum habens futuri. Talis erat fletu et ejulatus Esau, quippe qui tandiu flevit, et ejulavit donec pater Jacob dixerat illi : *In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua* (*Genes.* XXVII). Hinc est ira Dei, ira justa, cujus justitiæ causam continuo subtiliter in-
D sinuat. Dicentibus enim : *Quam ob causam* lacrymis nostris offensus non aspicies ad sacrificium, nec accipies placabile quid de manu nostra, respondet et dicit : *Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ quam despexisti, et hæc est particeps tua et uxor* **368** *fœderis tui*. Et est sensus : Uxorem pubertatis, uxorem quam prius novisti, tu despexisti, quia fidem per quam pater tuus Abraham Deo complacuit, in qua Deus patres nostros elegit et assumpsit, tu reliquisti. Nonne inter te et hujusmodi uxorem tuam Deus testificatus est ? Non enim per legem promissio Abrahæ et semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Siquidem quando

credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Rom.* IV), et sicut ibidem scriptum est, *in die illo pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens : Semini tuo dabo terram hanc* (*Genes.* V), nondum lex data erat, sed necdum ipse Abraham circumcisus erat, et proinde recte dixerim, fidem fuisse uxorem pubertatis tuæ participemque tuam, et uxorem fœderis tui, inter quam et te testificatus est Dominus, id est testamentum fecit. Tu autem illam despexisti, et cum per fidem in Abraham justificatus sis, tu per legem contempta fide justificari contendis, quod est justitiam tuam velle statuere, et justitiæ Dei nolle subjici (*Rom.* X). Quomodo ergo audes operire lacrymis altare Domini, flere in oculis Domini, et mugire in auribus Domini, adulter legis, contemptor fidei ?

Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus ? Et quid unus quærit, nisi semen Dei ? Quod est dicere : Nonne unus idemque est Deus, qui et cum illa jam dicta uxore pubertatis tuæ testificatus est, et testamentum fecit, et cujus Spiritus residuum, id est Novum Testamentum fecit ? Et iste et Spiritus ejus, cum sit Deus unus quid quærit, nisi semen Dei, id est nisi ut credas in Filium Dei ? Hoc quærit Deus Pater, qui primum testamentum fecit, hoc quærit Spiritus sanctus, qui residuum, hoc est, qui secundum testamentum fecit, ut credas in Filium Dei, sisque cultor et amator unius individuæ Trinitatis. « Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli spernere. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel. Operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. Custodite spiritum vestrum, et nolite despicere. Spiritum vestrum, » inquit, id est fidem patrum vestrorum, quæ tanto lege cæremoniarum, sive littera legis, quanto spiritus carne melior est, custodite, si vultis vivere, quia videlicet *littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III ; *Galat.* V). Et uxorem hujusmodi, *uxorem adolescentiæ tuæ*, quæ per dilectionem operando parit filios vitæ, noli despicere. Quam tunc despicis, dum justitiam tuam volens statuere, justitiam Dei, quæ est justitia fidei, pro nihilo ducis, et huic subjici non vis, cum tamen hæc uxor adolescentiæ tuæ sit, quia per hanc adolevisti placitam in patribus quadringentos et triginta annos antequam fieret lex. Tot enim anni fuerunt ante datam legem, a verbo promissionis quod Abrahæ creditum est : Noli ergo despicere, sed custodi id est, dilige Cæterum si *odio habueris, dimitte.* Nam sicut de uxore carnis propter duritiam tuam concessum est tibi ut dimittas eam si odio habueris (*Matth.* XIX ; *Deut.* XXIV), ne forte occidas si tenere compellaris, ita et de ista uxore spiritus tui dico tibi, *dimitte cum odio habueris*, ut si in Christum credere non vis, saltem credentes non persequaris. Tolerabilius quoque est in Christum non credere, quam ita fidem ejus suscipere, ut servituti velis subjicere, eique circumcisionem et cæteras legis cæremonias superponere, quod secundum Actus apostolorum quidam, quamvis pauci qui crediderant, non minima seditione facta apostolis, persecutionem apostolis conati sunt efficere (*Act.* XV). Et concedendo quidem dixit : *Cum odio habueris, dimitte*, sed ne ipsa concessio videretur odientem excusare, conversus ad auditores : *Operiet autem*, ait, *iniquitas vestimentum ejus*, id est iniquitas odio habentis uxorem hujusmodi, manifesta fiet omnibus, et ab omni sæculo denotabitur. Mox ad eosdem conversus, inculcat et replicat quod dixerat. *Custodite*, inquiens, *spiritum vestrum, et nolite despicere*, potius despicite litteram occidentem, sequimini autem et custodite spiritum vivificantem. Sequitur :

« Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris. et dixistis : In quo enim fecimus eum laborare ? In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent. Aut certe ubi est Deus judicii » ? Multos fuisse in populo Judæorum, etiam ante hanc ultimam impietatem, qua Christum occiderunt, et apostolos ejus persequentes, verbum ejus repulerunt, qui dicerent : *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini et tales ei placent*, illud indicat de libro Machabæorum taliter dictum : « In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes : Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. » Et abierunt ad regem, et dedit illis potestatem ut facerent justitias gentium. Secundum illas sive ex persona talium in septuagesimo secundo psalmo dicitur : *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Item : *Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso ?* etc. Sic loqui et sic existimare et dicere, *ubi est Deus judicii* ? eorum est, qui omnino a fide sunt alieni. Non est, aiunt, in rebus humanis providentia. Omnia casu feruntur incerto, nec Dei judicio gubernantur, quin potius mali ei placent, et boni displicent. Quantum offendat Deum, sermo vel sensus hujusmodi vehementer insinuat, cum dicit : *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris* ; cum hæc et his similia Deus Pater, Deus Spiritus sanctus diceret per prophetas ad sacerdotes, et carnes eorum immolatitias reprobaret, jamdudum et interea loquebatur ad opus salutis nostræ præparans se Filius unigenitus, et dicebat illud in psalmo : *Holocaustum, et pro peccato non postulasti, tunc dixi : Ecce venio* (*Psal.* XXXIX). Ad hoc dictum valde congruit hoc responsum Patris :

CAP. III. — *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam tuam ante faciem tuam.* Hunc angelum esse Joannem, testatur ipse Dominus dicens : « Quid existis videre, prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te » (*Matth.* XI). Itaque reprobato veteri sacerdotio, dum sacerdotium melius introducitur, homo genere sa-

cerdos præmittitur præparare viam sacerdotio vero, sacerdoti magno, de quo et protinus dicit : *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.* Et notandum quod dicit, *statim*, non enim longa mora interfuit, sed *statim*, scilicet mense sexto, id est sexto mense a conceptione Joannis iste conceptus, sexto mense a nativitate Joannis iste natus est. Uterque angelus, quia uterque sacerdos uterque custodiens scientiam, juxta quod supra dictum est : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Uterque, inquam, angelus, sed non pari modo. Ille enim tantum homo sacerdos, iste autem et Dominator et sacerdos, id est Dominus et Deus, et homo sacerdos. Unde et littera modum utriusque recte dicernit, dum de illo dicit hoc tantum : *Ecce ego mitto Angelum meum*, de isto autem, *et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus* **369** *testamenti quem vos vultis.* Ad quos autem loquitur, dicens : *Quem vos quæritis*, nisi ad veros filios Levi, quorum dulciter postmodum mentionem facit, ad eos qui exspectabant redemptionem et consolationem Israel, qualis illo tempore Simeon justus exstitit (*Luc.* II). Quid porro est, *veniet ad templum sanctum suum*, nisi, veniet ad sacerdotium suum? Hic enim primogenitus est. Primogenitorum autem erat sacerdotium, et ante Mosen, et ante Abraham. Unde et Melchisedech, qui sacerdos Altissimi exstitit, affirmatur quod ipse fuerit Sem, qui fuit primogenitus Noe. Juxta hunc morem sacerdos esse debebat Esau, cum esset primogenitus, se hæc primogenita supplantavit ei minor frater ejus, et vestes illæ, de quibus scriptum est : *Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi Rebecca, induit eum* (*Gen.* XXVII), vestes sacerdotales fuisse creduntur. At ubi lex venit, primogeniti a sacerdotio vacare sunt jussi, et pretio redimi, quia sacerdotii functione nihil poterant mundo conferre. Subintravit autem in sacerdotium et in omne ministerium cultus divini tribus Levi, quæ aliquid contulerat, quia videlicet Moses et Aaron, de tribu Levi existentes, populum ab Ægyptiaca servitute solutum eduxerant ad immolandum Domino, quod et per eorum constitutionem facere cœperunt in deserto. Parum quidem contulerant populum illum educando, et parum conferebant, carnes aut sanguinem hircorum animalium sacrificando, sed non illo tempore sacrificium aliud fuerat quod sufficere posset pro peccato. Ubi venit sacrificium valens, rursus removeri debuit sacrificium carnis et sanguinis, cum sacerdotibus non quærentibus sacrificium fidei, et primogenitus unus honorem primogeniti, scilicet sacerdotium suscipere debuit, unus idemque et primogenitus omnium, et sacerdos, et sacrificium. Quod sciens divinus evangelista cum dixisset de illa, quam virginem concepisse narraverat : *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret*, statim subjunxit : *Et peperit filium suum primogenitum* (*Luc.* II). Igitur primogenitum ante omnem creaturam, primogenitum in multis fratribus (*Rom.* VIII; *Col.* I), et ideo sacerdotem dignum venientem ad templum suum, ad sacerdotium suum. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus?* Vere nullus, nisi cui vel per angelum, vel per semetipsum revelarit Spiritus sanctus, sicut per angelum Joseph filio David (*Matth.* I), sicut per semetipsum justo Simeoni revelavit (*Luc.* II). Veniet enim occultus, veniet sicut mitis et humilis corde, nulla scilicet pompa præcedente, vel subsequente, nulla clamoris vel contentionis tuba personante. *Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, aut quasi herba fullonum. Et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi. Et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda, et Hierusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui.* — *Quis*, inquit, *stabit ad videndum eum?* Vere non sacerdotium, non civitas, non templum eorum, qui oculos non habebunt ad videndum eum, qui nequaquam habebunt oculum et totum corpus tenebrosum (*Matth.* VI). *Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum*, id est ignem mittens in terram (*Luc.* XII), scilicet Spiritum sanctum qui consumet incredulos, velut ignis conflatorium, credentes autem velut herba fullonum emundabit gratia remissionis peccatorum, et velut ignis conflans zelo bono, ferventes amore cœlestium bonorum faciet ardentes, ut deinde dicit, *et sedebit conflans, et emundans argentum.* Hoc repetit dicendo, *et purgavit filios Levi.* Sicut enim argentum in manu aurificis vel argentarii, sic filii Levi, id est omnes ministri Domini in manu hujus Dominatoris Domini. Quomodo vel in quo purgabit eos? *Colabit eos*, inquit, *quasi aurum et quasi argentum.* Quod colatur nimirum idcirco colatur, ut a bono liquore omnis fæculentia separetur. Et quid erat sacerdotium prius, nisi liquor fæculentus? De optimis sacerdotibus loquamur. Optimi sacerdotes Aaron, et Phinees, et multi alii, novissimusque Zacharias pater Joannis exstiterunt, eorumque ministerium sic fuit quasi aurum, quasi argentum, sed aurum non defæcatum, argentum fæculentum. Ibi namque erat fidei aurum, scientiæ vel boni sermonis argentum, sed erant admistæ fæces cæremoniarum carnalium. Colabit igitur aurum, colabit argentum suum, id est rejectis cæremoniis carnis, et præceptis non bonis (*Ezech.* XX), de quibus superius dictum est, in quibus vita non fuit, reservabit sacerdotio suo solummodo fidei aurum, et præceptorum bonorum argentum. Non solum autem ejusmodi cæremoniarum, sed et omnium peccatorum fæces excolabit de cordibus sacerdotum suorum, et offerentes erunt Domino sacrificia in justitia, non in sua, sed in Dei justitia, in corpore et sanguine Jesu

Christi, qui est ipsorum justitia (*Rom.* IV) *Et placebit Domino sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui*, id est non per legem factorum, sed per legem fidei justificabuntur et glorificabuntur sacerdotes Novi Testamenti, qui Juda et Hierusalem merebuntur vocari. Per quam videlicet legem fidei, priusquam subintraret carnalium cæremoniarum lex, placuerunt *dies sæculi*, et *anni antiqui*, id est homines sancti, et lucidi patres, et patriarchæ splendidi, non solum a Mose usque ad Abraham, sed ab Abraham usque ad Noe, usque ad Abel quorum videlicet dierum sive annorum, id est sanctorum sive sanctissimorum numerus quantus sit vel fuerit, Deus scit. Hoc autem scire debemus, quia sicut illi placuerunt, ita et nos placere debemus per legem fidei. Econtra quid vobis erit, o sacerdotes carnis, hostes Spiritus inimici fidei? Nimirum id quod sequitur:

Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos opprimunt, nec timuerunt me, dicit Dominus. O quam dure sonant, *accedam ad vos in judicio? Non intres in judicium cum servo tuo, Domine* (*Psal.* CXLII), ait ille qui orat in spiritu et veritate. Alius quoque laudem ex Deo, et testimonium habens justitiæ scilicet beatus Job: *Etiam si habuero*, inquit, *quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor* (*Job* IX). Item. *Si voluerit homo contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille* (*ibid.*). Si hoc dicunt et veraciter dicunt homines sancti, *dies sæculi*, et *anni antiqui*, quid facient malefici, et adulteri, et perjuri et *qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos opprimunt, nec timuerunt me, dicit Dominus*, quibus vel contra quos talium criminum non solum judex, verumetiam *testis ero velox*? Et vere *testis*, quia vidi et audivi, quia sicut quondam dixi, *descendam et videbo utrum clamorem Sodomorum et Gomorrhæ, qui venit ad me, opere compleverint, aut non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII). Ita et nunc, imo et magis nunc descendi, *butyrum et mel* comedi, *ut scirem reprobare malum et eligere bonum* (*Isa.* VII), et talia comedendo, id est cum hominibus conversando, jam didici, jam in memetipso expertus sum, verum etiam esse clamorem quem **370** audivi de sanguine justorum et prophetarum, quos occidistis, *et* hinc *ero testis velox*, quia vidi et audivi, quia portionem meam ego quoque de manibus vestris accepi. *Ego enim Dominus et non mutor, et vos filii Jacob non estis consumpti.* Et hoc est verum et justum judicium, quia ego Dominus de bono in malum non possum mutari, et econtra, vos de malo in bonum non estis mutati. Sicut quæro nunc, ita et semper quæsivi justitiam fidei, et econtra vos, sicut recessistis nunc, ita et semper Spiritui sancto dura cervice et incircumcisis auribus restitistis. Inde dico, quia non estis consumpti, id est non estis mutati. *A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non*

A *custodistis.* Hoc idem Stephanus protomartyr manifestius ac pro tempore et re acerbius dicit: «Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositionem angelorum, et non custodistis» (*Act.* VII). Sequitur: *Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus.* Quale est hoc dicere justis, dicere his qui in se confidunt tanquam justi. Nimirum injuria videtur eis, quod dicitur, *revertimini*, quippe cum propter carnem Abrahæ videntur sibi dei esse peculiares et proprii, suosque infantulos de carne luxuriosa scaturientes vermiculos ostentantes, ridere sibi et nobis dicere solent:
B Isti sunt infantes filii Dei. Sequitur ergo: *In quo revertamur*? Subauditur (etenim subaudiri volunt) nusquam divertimus, Deo proximi sumus, filii *Abrahæ sumus, unum Patrem habemus Deum* (*Joan.* VIII). Quomodo vel in quo magis appropinquare Deo possumus? Econtra Dominus: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Quod est dicere: Imo nimis aversi atque perversi, sine exemplo vos aversi, et contra me versi estis. Nullus enim unquam homo, præter Judæum, nulla unquam gens præter gentem Judæam, Dominum suum affixit, Deum suum ligno suspendit. Vos me afflixistis, vos me in ligno affixistis. *Et dixistis*: *In quo confiximus te*? *In decimis, et in primitiis, et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota*,
C Et est sensus: Quia vos redargui decimantes *mentham et rutam, et anethum, et cyminum*, et relinquentes, *quæ graviora sunt legis, judicium et charitatem Dei* (*Matth.* XXIII; *Luc.* XI), idcirco vos me Deum vestrum confixistis, propter penuriam, quam timuistis, vel timere vos simulastis, dicentes: *Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Proinde vos maledicti estis, ita ut fere nemo sit qui nesciat vos esse Cain, ad quem dictum est: «Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos. Vagus et profugus eris super terram» (*Gen.* IV). Mirum quod ita vagi et profugi super
D terram, o maledicti, adhuc me configitis, gens tota, gens quasi diabolo conjurata, et uno blasphemiæ spiritu imbuta. Cum enim contra me quem confixerunt patres vestri, vos filii nequam similes et non minus odium spiratis, et blasphematis ubi audetis, profecto *me configitis*, nec minus quam patres vestri, qui me præsentem et visibilem confixerunt, crimen habetis, o desperati, et præ desperatione insani, ut jam dictus ille Cain qui dixit; *major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Ego vero econtra dico, et veniæ januam, misericordiæ ostium aperio vobis dicendo: *Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus.*

« Si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. Et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum, et beatos vos dicent omnes gentes. Eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. » Dixi hoc, et dico : « Ne faciatis, sicut hactenus fecistis, » decimando « mentham, et anethum et cyminum, et » relinquendo « quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere » (*Luc.* XI ; *Matth.* XXIII). *Omnem* igitur *decimam*, omnem, inquam, *inferte in horreum, et sit cibus in domo mea,* non solus cibus corporalis ex rebus corporalibus, quæ debentur vobis, verumetiam quod melius et quod prius est, cibus spiritualis ex rebus spiritualibus, quas Deo debetis judicio, misericordia, et fide, et cæteris hujusmodi, *et* tunc *probate me super hoc*, imo et sicut per alium prophetam dixi : « Venite et arguite me, dicit Dominus (*Isa.* I). Si non aperuero vobis cataractas cœli, si » non fecero cætera quæ dixi, nisi veraciter dixerim alibi : « Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis » (*Matth.* VI). Vos autem regnum Dei non quæritis, et insuper pro temporalibus bonis impie murmuratis. Sequitur: « Invaluerunt super verba vestra, dicit Dominus, et dixistis : Quid locuti sumus contra te ? Et dixistis: Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Deo ? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem ; et tentaverunt Dominum, et salvi facti sunt. » Notum et manifestum est Judæos salutem gentium semper odisse, et propter salutem gentium, propterea nobis, quia pœnitentiam nobis Deus ad vitam donavit, indignatos esse illos, et nolle suscipere gratiam Dei. Hoc vel ex illa parabola satis comprobatur cujusdam hominis habentis duos filios, ex quibus adolescentiorem peregre profectum cum sua portione substantiæ, et reversum postquam dissipavit eam vivendo luxuriose, cum suscepisset pater, et magnum pro reversione ejus convivium celebraret, indignatus senior frater nolebat introire, rogantique patri hæc respondit : « Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum » (*Luc.* XV). Nonne verba hæc similia sunt his : « Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Deo ? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Dominum, et salvi facti sunt? Hoc enim est dicere : Ecce nos « filii Abrahæ, nos unum Patrem habentes Deum » (*Joan.* VIII), tot annis servivimus Deo Patri nostro, et nunquam mandatum ejus præterivimus, et nullum emolumentum inde nobis est, gentes autem quæ non servierunt ei, ecce beatæ sunt, et cum impietatem fecerint, ecce ædificatæ sunt, et quocunque pergimus, quocunque nos vertimus, audimus symphoniam, et chorum, videmus celebrari cum illis magnum Dei convivium, stolam primam, annulum et calceamenta, cuncta sacerdotalia, cunta regalia populo alieno data sunt. *Verba* hæc vestra, verba invidiæ vestræ *invaluerunt*, inquit *super me*, quæ locuti estis **371** contra me, et ita invaluerunt super me ut non possim vobiscum quidquam facere, nisi quod ex vobis paucissimos converti, sicut evangelista Marcus, utique divinitus, quodam loco dixit de me : « Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, et mirabatur propter incredulitatem illorum (*Marc.* VI). Tunc locuti sunt, timentes Deum unusquisque cum proximo suo et attendit Dominus, et audivit et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Deum, et cogitantibus nomen ejus. » Quid locuti sunt timentes Deum? Nimirum « glorificarunt Deum, dicentes : Ergo et gentibus pœnitentiam dedit ad vitam » (*Act.* XI), et laudaverunt clementiam, et sententiam patris irreprehensibilem dicentis: « Manducemus et epulemur, quia hic filius meus mortuus erat et revixit, perierat et inventus est » (*Luc.* XV). Quin etiam te seniorem fratrem pro reversione et susceptione junioris indignantem et murmurantem et dicentem, quod nunquam mandatum meum, præteriens [*f.* præterient], fortiter conveniunt hujuscemodi verbis: « Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alium te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ judicas » (*Rom.* I). Et hoc certe verissimum est. Quæ etenim peccata vel vitia de gentibus unquam audita sunt, ut non etiam de Judæis sive de populo Israel audita vel nota sint ex sanctarum auctoritate Scripturarum. Bene ergo et veraciter locuti sunt, timentes Deum, unusquisque cum proximo suo, quod *omnes peccaverunt, et egent gratia Dei* (*Rom.* III), et quod non sit Deus Judæorum tantum, imo et gentium. *Et Dominus attendit, et audivit*, quomodo et quid locuti sunt, *et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Deum, cogitantibus nomen ejus*, ut videlicet cuncta in judicio recitentur, et ex verbis suis justificentur; sicut econtra qui male locuti sunt, ex verbis suis condemnabuntur. Hinc et illud apud Esaiam : « Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis » (*Isai.* LXVI). In illo libro monumenti, in illa congregatione cogitationum nequaquam deerit illa confessio pœnitentis populi gentilis, quæ patris pietatem concessit « Pater, peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus (*Luc.* XV). Et erunt mihi, » ait Dominus, « in die qua ego facio in peculium, et parcam eis, et sicut parcit vir filio suo servienti sibi, et convertimini, et videbitis quid sit inter justum, et impium, inter servientem Deo, et non servientem. » Tunc illi, inquit, quibus invidetis, contra quos livore torquemini, quos aspernamini confidentes in vobismetipsis tanquam justi, *erunt mihi in peculium*

lium in die qua ego facio, idem ut faciam prætinitum A habeo, *et parcam eis*, quamvis quondam peccatoribus, *parcam*, inquam, *eis* pœnitentibus et servientibus mihi servitio piæ confessionis, *sicut parcit vir filio suo servienti sibi* quibuslibet modis : *et convertimini, et videbitis illud*, quod modo non videtis, neque videre vultis, toti aversi, et deorsum habentes contra faciem veritatis, *videbitis*, inquam, *quid sit inter justum et impium, inter servientem Deo et non servientem.* Et ita certo scietis experimento quod non sit vanus qui servit Deo.

CAP. IV.— « Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula; et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus, quæ non relinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol ju- B stitiæ, et sanitas in pennis ejus. Egrediemini, et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.» Hoc erit « inter justum et impium, inter servientem Deo et non servientem,» quod est inter stipulam, quam profecto caminus cito consumit, inter homines quos serenus sol ortu suo lætificavit. Unus etiam idemque dies Domini, unus idemque sol justitiæ, cum in judicio cunctis manifestus apparuit, superbis et omnibus facientibus impietatem ita erit terribilis, ut non possint stare ante faciem ejus, sicut stare stipula non potest in flamma camini ardentis, vel *sicut fluit cera a facie ignis* (*Psal.* LXVII), *et inflammabit eos*, in perditionem, sicut inflammatæ stipulæ non relinquitur C radix aut germen ; *timentibus* autem *nomen meum* sic erit, ut sol inito vere, sol non qualiscunque, sed *sol justitiæ et sanitas in pennis ejus.* His verbis gemina timentium Deum felicitas pulchre exprimitur. Nam in eo quod dicit, *sol justitiæ*, justificationem significat animarum qua timentes Dominum felices erunt in die illa, atque dicendo*: Et sanitas in pennis ejus*, immortalitatem atque incoruptibilitatem designat corporum, qua felices erant, id est timentes Dominum in eadem et ex eadem die. Item hoc intererit *inter justum et impium, inter servientem Deo et non servientem* quod est inter vitulum et a vinculo solutum, et cinerem quem vitulus calcans dum exsilit, subsilit, dispergit in omnem ventum. Ait enim : *Egrediemini, et salietis sicut vituli de ar-* D *mento, et calcabitis impios in die qua ego facio, dicit Dominus Deus exercituum.* His verbis pulchre et æterna significatur juventus sanctorum renovanda ex resurrectione mortuorum, et vetustas irrecuperabilis impiorum, qui propter superbiam omnis peccati, incendio conflagrati cinis facti sunt. Sequitur: *Memento legis Mosi servi mei, quam mandavi in Oreb ad omnem Israel præcepta et judicia.* Quid hoc est dicere, in tali negotio, nisi ac si dicat: Dominator jam dictus, et angelus testamenti est, « qui accuset vos Moses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit, si enim illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? » (*Joan.* v.) Igitur « mementote, » inquit, « legis Mosi servi mei, quam mandavi in Oreb ad omnem Israel, præcepta et judicia, » videlicet ubi dicentibus ad Mosen : « Loquere tu nobis, et audiemus ; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur (*Exod.* XX). Prophetam » autem « suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus loqueturque ad eos omnia præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam» (*Deut.* XVIII). Tunc autem dabantur præcepta decalogi bona, et judicia in quibus est vita, quæ ad carnales non pertinent cæremonias. *Memento*, inquit, quia si memineris, inquit, illius legis temporis, et loci, memores eritis etiam mei, quia tunc et ibi de me ille scripsit: « Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres illorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.» De adventu Heliæ quidquam definiri non ausim, quia videlicet doctorum alii, quibus omnes fere consentimus credunt eum ad litteram venturum et restituturum omnia, ac mortis debitum persoluturum ; alii vero nequaquam, quibus vir illustris B. Hieronymus consentire videtur, dicens : *Quanquam multi sint etiam nostrorum, qui credunt eum ad litteram venturum, et restituturum omnia, ac mortis debitum persoluturum.* Cæterum Dominus interrogatus **372** ab apostolis de adventu Heliæ, respondit: *Helias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt* (*Matth.* XVII), Joannem in Helia volens intelligi. Unde subsecutus adjunxit: *Si vultis recipere, Joannes ipse est Helias, qui venturus est* (*Matth.* XI). Verumtamen sive ipsam Heliæ personam, sive, ut alii volunt, prophetiam promitti magis verum sit in his verbis: *Ecce ego mitto vobis Heliam prophetam*, illud constat, quia reliquiæ convertentur ex Israel (*Rom.* XI), et dicente supradicto patre : Epulari autem et gaudere oportebat, quia *frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est* (*Luc* XV), acquiescet ei filius senior, qui nunc indignatus est, et intrare non vult, atque ita *convertetur cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum*, ut credant filii hunc Jesum Christum, qui sub Pontio Pilato passus est, illum esse quem patres venturum exspectaverunt, *antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, dies judicii, in quo *anathemate percutiet terram*, id est eos qui faciunt opera terrena, veniens manifestus, qui quondam venit occultus.

Finis Commentariorum in duodecim prophetas minores.

R. D. D. RUPERTI

ABBATII TUITIENSIS

IN CANTICA CANTICORUM

DE INCARNATIONE DOMINI

COMMENTARIORUM

PROLOGUS

373 Qui contra hominem similem sibi luctatur, aut in agone contendit opus habet fortitudine corporis, ut athleta victor existens, justa laurea mereatur coronari. Porro qui cum Deo luctari, et regno cœlorum vim inferre præsumit, alia et meliori fortitudine opus habet, scilicet fortitudine mentis. Nam fortitudo corporis quid illic valet? Spiritus enim est Deus, et sicut eum, « qui adorat, adorare oportet in spiritu et veritate (*Joan.* IV), » ita nihilominus eum qui luctatur, colluctari oportet in spiritu et veritate. Exemplum laudandæ hujus fortitudinis habemus in patre nostro Jacob, quemadmodum Scriptura dicit : « Cumque mature surrexisset Jacob, traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, remansit solus : et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret, quod eum superare non posset, dixit ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedicens illi : Si contra Deum inquit, fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis (*Gen.* XXXII). » Secundum illud exemplum, vir ille adhuc sese a colluctante patitur vinci quoties studiosus et fidelis animus tandiu versatur circa verbum Dei, donec extorqueat ab illo benedictionem Spiritus sancti, quæ est verus et utilis intellectus mysterii, vel Scripturæ quam Deus rationabiliter signavit, ut non facile possit apprehendi : Quia margaritæ non erant mittendæ coram porcis (*Matth.* VII), » et nulla difficultate vincitur, ut desistat, donec apprehendatur, quamvis quodammodo fugiat sermo Dei, seque jubeat dimitti. Igitur, o Domina Dei genitrix Maria, et incorrupta mater Verbi æterni Dei et hominis Jesu Christi, non meis, sed tuis armatus meritis cum isto viro, scilicet cum Verbo Dei, cupio luctari, ut de Canticis canticorum opus extorqueam quod non dedeceat vocari de Incarnatione Domini, ad laudem et gloriam ejusdem Domini, ad laudem et honorem tuæ beatitudinis. Non nova hæc voluntas nunc incidit. Ante annos aliquot cum essem junior, cingere me volueram, et hujus nominis opus aggredi, scilicet de Incarnatione Domini, per occasionem hujusmodi. Coram regina cœlorum loquor, a conservo meo quolibet irrideri non debeo, dicente : « Ecce somniator (Gen. XXXVII). » Sedebam quasi solitarius per visum noctis, et ecce quasi « sibilus auræ tenuis (*III Reg.* XIX) » per utramque aurem transcurrens, velocius quam dici possit, istos in me versiculos deposuit :

Femina mente Deum concepit, corpore Christum :
Integra fudit eum nil operante vira.

Cum reversus ad memet versiculos taliter acceptos mente pertractarem, et nonnullis, unde vel qualiter acceperim, secretius non sine admiratione denarrarem, atque ad multorum notitiam versiculi pervenissent, qui tamen nescirent unde accepissem, ex multis et diversis quæ audiebam, occasio se præbuit, ut scribere aliquid cuperem de Incarnatione Domini, versaturus grande onus invalidis humeris. Circa idem tempus et hoc aliud accidit : Frater quidam innocentis vitæ, et mundæ ac simplicis adolescentiæ retulit mihi, se vidisse Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, sedentem super altare suum, et circa eum collegium sanctorum, meque assidentem cum quiete, et tenentem Cantica canticorum. Hæc interim transisse videbantur, et inveterata mihi erat memoria horum, cum ecce quidam de amatoribus Verbi Dei, ex te, o B. Virgo, incarnati, Cuno pater cœnobii Sigebergensis, qui me pene dormitare volentem, nonnunquam excitavit, et multis invigilare fecit, nescio quam per occasionem opportune importune mihi insistere cœpit, ut scriberem aliquid hujusmodi, quale est hoc, quod nunc proposui. Tunc demum recordatus sum eorum quæ nunc dixi, simulque cujusdam promissi tui, quia per visum mihi dicere visa es : Paschacum beata Trinitate facies. Loquebar enim tecum, et dulce de beata Trinitate habebam colloquium, nesciens quod ipsa esses. Sed postquam illud ex te responsum accepi, tum scire volenti quænam esset tam sancta mulier, et hoc flagitanti in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, teipsam esse misericordiæ matrem stellantibus oculis gratanter demonstrasti. Sequor divinum præsaginm, si quando merear videre faciem tuam, et ante Christum tenere Cantica canticorum, juxta quod canimus in psalmo : « Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos (*Psal.* XXV). » Dicendum in primis de isto Salomonis libro tertio, super quem velut fundamentum ædificari cupio ædificium hujus nominis, scilicet de Incarnatione Domini, cur vocetur Cantica canticorum, et deinde cur non singulariter canticum, sed pluraliter Cantica canticorum. Omne quod in Scripturis nominatur canticum, propter aliquod cantandum est Dei beneficium, et gratiarum actione auctorem suum probans, accepti beneficii et gratiæ non immemorem sive ingratum. Sunt autem in Scriptura veteris instrumenti cantica nota vel insigina numero sex, istud autem est septimum idemque novissimum. Primum est canticum Mosi servi Dei, pro illo beneficio quod Deus populum suum filios Israel liberavit, submerso Pharaone in mari Rubro cum curribus et equitibus suis (*Exod.* XV). Secundum canticum ejusdem Mosi, canticum Deuteronomii, quod scripsit canendum tam pro illo, quam pro cæteris ejusdem

rei beneficiis (*Deut.* XXIII). Tertium canticum Annæ prophetissæ, quæ fuerat sterilis, quod cecinit pro nativitate Samuelis (*I Reg.* II). Quartum canticum Isaiæ quod et scripsit, et canendum prophetavit: « Confitebor tibi, Domine quoniam iratus es mihi (*Isa.* XII), » pro **324** beneficio, quo liberandus erat Juda ab Assyriis. Quintum canticum Ezechiæ regis, quod cecinit vel scripsit pro beneficio Dei, quia de infirmitate sua convaluit (*Ezech.* XXXVIII). Sextum canticum Abacuc, quod prophetice cecinit pro futura dejectione diaboli, secundum typum Nabuchodonosor regis Babylonis (*Habac.* III). Septimum, ut jam dixi, idemque novissimum est canticum istud maximi et singularis beneficii Dei, canticum amoris, quo Deus in B. Virginem descendit, ita ut filium ex ea generaret, qui est Christus Jesus, homo verus « Et Deus super omnia Benedictus (*Rom.* IX), » quantum istud beneficium, cætera cuncta Dei beneficia generi humano impensa, superexcellit. Recte igitur dicitur Canticum canticorum, quia quod in eo canitur, beneficium est omnium Dei beneficiorum. Quare autem non singulariter canticum, sed pluraliter Cantica canticorum? Ad hanc percunctationem viam respondendi parat considerata subdistinctio quatuor periocharum, id est recapitulationum, quarum est signum capitulum hoc tertio repetitum: « Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit (*Cant.* II). » Idem sacramentum per omnes periochas continetur. Unius enim ejusdemque amoris prima decantatio est, ab eo quod ait: Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I), » usque: « adjuro vos, filiæ Jerusalem. » Secunda ab eo, quod dicit: « Vox dilecti mei, ecce iste veniet saliens in montibus (*Cant.* II), » usque itidem: « Adjuro vos, filiæ Hierusalem. » Tertia prolixior, sic incipit. « Quæ est ista quæ ascendit per desertum (*Cant.* III), » usque ad tertiam adjurationem: « Adjuro vos, filiæ Hierusalem. » Quarta: « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens (*Cant.* VIII), » usque ad finem. Non ignoro quantum vel quale susceperim negotium, scilicet historiæ sive rei gestæ aliquod ponere fundamentum, et super illud magnum, quod sub istis vocibus continetur, superædificare mysterium. Tunc enim expositio mystica firmius stat, neque fluitare permittitur, si super historiam certi temporis vel rei demonstrabilis rationabiliter superædificata continetur. Labor magnus et difficilis, sed exinde spei solatium est, quia sermo Dei talis est, qui secundum similitudinem viri supra memorati, qui luctabatur cum Jacob, possit vinci, si colluctator, id est inquisitor ejus legitime luctari noverit. Quid est legitime luctari? Nimirum fortitudine uti veræ et sanctæ humilitatis in precibus et lacrymis. Sic enim ille Jacob superavit (*Gen.* XXXII), teste alia Scriptura, in qua per Osee Spiritus sanctus de illo dicit: « In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, flevit et rogavit eum (*Osee* XII). » Igitur ejusmodi fortitudinem tribuat Dominus virtutum, et victoria dulcis gratum subsequetur duellum.

IN CANTICA CANTICORUM

DE INCARNATIONE DOMINI

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS

A « Osculetur me osculo oris sui. » Quæ est ista exclamatio tam magna, tam repentina? O beata Maria, inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis, totam te operuit totamque obtinuit, penitusque inebriavit, et sensisti quod oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit (*Isa.* IV), et dixisti: « Osculetur me osculo oris sui. » Dixisti enim ad angelum: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Quod erat illud verbum? Quid locutus fuerat tecum? « Invenisti gratiam, » ait, « apud Dominum: Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum! (*Ibid.*) » Ac deinceps: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*ibid.*). » Nonne hoc verbum angeli, verbum et sponsio erat jam imminentis osculi oris Domini? Igitur prudens ponderator dictum utrumque appendat in statera rationis, et istud, « osculetur me osculo oris sui, » quod dictum fuit animæ vel cordis jubilantis, et illud: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » quod dictum fuit oris exsultantis. Nonne sunt ejusdem ponderis? Nonne sensus idem est in verbis seu vocibus diversis? « Sicut audisti et mihi, « ita et factum est tibi. Deus Pater te obscuratus est « osculo oris sui. » Quis oculus hoc vidit? quæ auris audivit? cujus in cor hominis ascendit? Tibi autem, o Maria, semetipsum revelavit, et osculans, et osculum, et os osculantis. Longe minoris gratiæ, quælibet anima dum datum optimum, sive donum perfectum concipit, de sursum descendens ab eodem Patre luminum (*Jac.* I) taliter afflatur, talemque intus in semetipsa persentit osculantis attactum, ut dicere non dubitet, nobis autem revelavit Deus per spiritum suum (*I Cor.* II). Quanto magis, tu, o beata, in perceptione doni singularis, dum Spiritus sanctus supervenit in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi, revelationem hujusmodi accepisti. Profecto anima tua liquefacta est (*Cant.* V), ut dilectus
B locutus est, scilicet Deus Pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum substantiam Verbi sui, cum illo amore suo Spiritu sancto tuæ menti, tuo ventri penitus insereret: in quo nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Et ad angelum quidem dixisse suffecerit, « fiat mihi secundum verbum tuum, « angele Dei, ut ille « osculetur me osculo oris sui, » ad ipsum autem dilectum Deum conversa, loqui et jubilare anima tua non desiit, in ipso experimento suavitatis inenarrabilis, cujus videlicet ju-

bilationis summa hæc est : « Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. » In Isaia loquitur idem ipse Deus: « Audite me, domus Jacob, et residuum Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo. » Ergo et ubera recte dicitur habere, quæ Psalmista non ignorans, dicebat : « Si exaltavi animam meam, sicut ablactatum super matre sua, ita retributio in anima mea (*Psal.* CXXX). » Quid ergo per ubera ejus nisi dulcedinem ejus recte intelligimus? Et quid est dulcedo ejus, nisi Spiritus sanctus. Talis dulcedo pulchre in duo ubera discernitur, quia duo sunt data ejusdem sancti Spiritus. Alterum datum est in remissionem peccatorum, cujus videlicet dati ubere nullus ante hanc B Virginem lactatus est sanctorum antiquorum. Alterum datum est in diversarum divisiones sive distributiones gratiarum, quo videlicet ubere lactati veteres sancti, et prophetaverunt, et multa miracula operati sunt. Utrumque hujusmodi uberum lætificata dulcedine ineffabili, dum concipis, o virgo beata, dum tibi fit secundum hoc verbum angeli: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » quibus duabus clausulis, jam dicta significabantur duo data ejusdem Spiritus sancti, quid aliud diceres, nisi « meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis? » Non fueras experta vitium hujus sæculi, vinum voluptatis carnalis, sine cujus ebrietate nulla unquam mulier præter te concipere potuit, aut poterit, et tamen dijudicare nosti quam melior aut vehementior, dulcior atque fortior esset voluptas sive amor Dei, in quo concepisti, sine dubio potata illius torrente voluptatis (*Psal.* XXXV). **376** Et tu quidem veraciter dicere potueras : « Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L). » Cum enim esses de massa quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas : sed ante faciem hujus amoris peccatum, nec illud, nec aliud stare potuit, ante faciem hujus ignis stipula omnis interiit, ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis novem mensibus habitaret, tota omnino munda materia, de qua sancta Dei sapientia, domum æternam sibimet ædificaret (*Prov.* IX). Et quia cum tanta dulcedine amoris, pretiosa plenæ gratiæ simul infusa sunt charismata, quæ cæteris ab eodem spiritu dispartiuntur sanctis et electis, recte « ubera » illa dixeris « fragrantia unguentis optimis. » Optima namque unguenta sunt charismata hæc, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, opera virtutum, prophetia, discretio spirituum (II *Cor.* XII), etc.; quæ qui habent, boni odoris sunt et suaviter fragrant, sicut unguentum optimum. Unde Apostolus : « Deo gratias, » inquit, « qui semper triumphat per nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo (II *Cor.* II). » Inter cæteros odores unguentorum, quibus perfusa es, prophetia fragravit, etiam longe antequam nascereris. Hoc enim senserat propheticis naribus ille, qui dixit: « Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium (*Isa.* VIII). » Nunquid ille solus ad te accessit, o prophetissa fidelis? Imo prophetæ omnes ad te accesserunt, quia prophetiæ omnium, et Scripturæ omnes in tuum sensum, cum superveniente in te Spiritu sancto, convenerunt (*Luc.* I). Ubi enim totum se indidit Patris Verbum, quomodo abessent Scripturæ, quæ de ipso Verbo fonte suo prodierunt ? Talia tam bona ubera sunt. Quid deinde? Oleum effusum nomen tuum. Cujus ubera sunt, ejus est nomen, id est, cujus est amor vel spiritus, per quem concipitur, ejus est Verbum sive Filius qui concipitur. Nam Filius nomen est Patris, præsertim talis Filius, tale Verbum, per quod Deus in cœlo et in terra valde nominatus, valde est inclytus. Nam per Verbum omnia facta sunt quæ fecit Deus. Et quis potest æstimare fortitudinem ejus ? Porro nomen hoc tam forte, tam magnum, ecce est oleum effusum. Mira res ! quid verbo fortius, et quid oleo suavius ? Ergone Verbum a sua est natura immutatum ? Non. Sed qualitates creaturarum, cum quibus illi ratio est, hinc pro virtute, illinc vitio diversæ, imo contrariæ sunt. Verbi gratia: Diabolus in cœlo per vitium superbus fuit; tu virgo, per virtutem humilis in terra apparuisti. Pro qualitatibus tam diversis, tamque contrariis, vitium idemque Verbum, illi ut flumen tibique ut oleum sese exhibuit, juxta illud: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV). » Quomodo autem, vel in quo est effusum hoc oleum? Nimirum in eo, quod a Deo processit, et de invisibilibus suis ad nostra visibilia venit, quemadmodum ipse dixit Judæis: « Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi et veni (*Joan.* VIII). Effusum ergo est oleum, id est, nomen tuum, quia processit de secreto substantiæ tuæ, Verbum tuæ fortitudinis cum suavitate miserationis. Et ideo « adolescentulæ dilexerunt te. » Nihil verius. Nisi enim oleum taliter effusum fuisset, nisi verbum tuum taliter processisset, adolescentulæ, id est animæ imperfectæ, non ausæ fuissent diligere te, imo nec ausæ fuissent audire te. Exempli gratia : « Steterunt procul, dicentes Mosi: Loquere tu nobis, et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur (*Exod.* XX). » Et alibi. « Et accessistis ad me, » ait Moyses, atque dixistis. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam. Vocem ejus audivimus de medio ignis, et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo (*Deut.* V), » etc. Adeo tunc timebant adolescentulæ, nondum quippe oleum erat effusum. At nunc, dum illud effundis, sicut tunc promisisti, dicens Mosi : « Bene omnia sunt locuti, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui (*Deut.* XVIII), » et cætera, dum, inquam, taliter effundis, « ecce adolescentulæ dilexerunt, » id est, certissime diligent te perfecta charitate

A (*I Joan.* IV) foris mittente timorem, quia consideratio tanti beneficii fiduciam dabit, et credentium mentes excitabit ad vicissitudinem dilectionis. « Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum. » Hactenus exclamationem tuam, o dilecta Domini, imitari conabatur in admiratione, quasi grandior modus elocutionis: deinceps sermo noster remissior in demonstratione sit. « Trahe me post te, » inquit. Ubi discessit angelus, « exsurgens autem Maria, » inquit Evangelista, » abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth. » Dixerat enim illi angelus : « Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic est mensis sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia impossibile non erit apud Deum omne verbum (*Luc.* I). » B Habent sancti hoc proprium omnes, qui in veritate sanctum habent charitatis spiritum, ut ita gratulentur de beneficiis, quæ aliis impensa perceperunt, quemadmodum et de illis, quæ a Deo sibimet collata sunt. Tum properant mutuos sibi præbere conspectus, tum dulcia miscere colloquia, certatimque opportuna, importuna impendere invicem devotæ charitatis obsequia. Quid est hoc, nisi trahere et currere in odore unguentorum Domini? Pretiosum erat unguentum, magnum erat beneficium, quod dederat Dominus sterili conceptum tanti viri, qui in spiritu et virtute Eliæ deberet præire ante Dominum, et quo major non surrexerit inter natos mulierum (*Luc.* I; *Matth.* XI). Tanti ac talis unguenti odorem perceperat; talis ac tanti beneficii famam sive nuntium ab ipso angelo acceperat : et de hoc, sicut de C cæteris, quis finis, quæ consummatio futura esset Spiritu sancto docente, magna prophetissa non ignorabat. Trahebatur ergo post Dominum femina desideriorum, trahebatur et currebat in odore unguentorum talium: et ipsum currere, id est, in montana cum festinatione abire, erat dicere « trahe me post te. » Nam qui veraciter diligit, et trahitur, et trahi cupit. Cum igitur traheretur, sive ubi tracta est et cucurrit, quid dixit? « Introduxit me rex in cellaria sua. » Quomodo vel cui hoc dixit? Nimirum per aspirationem Spiritus sancti in mente ejus redundantis, in ventre ejus jam operantis, hoc dixit cognatæ suæ Elizabeth, et infanti, qui erat in ventre illius jam mensibus sex. Intravit enim in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth. D « Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exsultavit infans in gaudio in utero ejus. Et repleta est Spiritu sancto Elizabeth, et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* I), » et cætera. Ergo vere dixit, et mirabiliter dixit, quæ salutando cognatam repente prophetissam efficit, ut confestim sciret illa omnia, quorum ista summa est : « Introduxit me rex in cellaria sua. » Vere pulcherrimus et optimus explanationis modus, ubi verecundæ puellæ prolocutor sit ipse Deus, ipse Spiritus sanctus, Spiritus propheticus : « Qui non tentatus est, » ait vir sapiens, quid scit? » (*Ezech.* XXXIV.) Vir in multis expertus, cogitabit multa, et qui multa didicit, enarrabit intellectum. Horum idcirco meminerim, quia revera nonnisi qui tentatus est **377** in his quæ accepit, et a Deo revelata sunt sibi, digne potest perpendere religiosum silentium Virginis, sive custodiam oris ejus, circa secretum Dei. Quis enim ab illo, qui somnia primus vidit et enarravit, quorum utique visio visitatio fuit emissa ab Altissimo, id est a puero Joseph filio Jacob (*Gen.* XXXVII); quis, inquam, usque in præsentem diem, ita novit vel potuit observare tempus tacendi, et loquendi, quin aliquando opus habeat increpari, doceri, cavere scandalum invidentium, sicut illum pater increpavit. Ergo quanto quisque amplius tentatus est in ejusmodi, et expertus est invidiæ malum quid sit, ipse scit, et enarrare potest intellectum hujus rei, quod tu, B. Virgo, vere fidelis fuisti et veraciter magnæ fidei : non solum quia credidisti angelo evangelizanti, verum etiam quia secretum istud custodisti, neque properasti aliquando cuiquam tuæ admirationem facere felicitatis, ut diceres quid fecisset tibi Deus, nisi ei cui prior ipse Deus vel Spiritus sanctus revelavit. Hoc non leviter perpendere nos vult evangelista, cum semel et iterum dicit: « Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo (*Luc.* II). » Nunc dicta prosequamur: « Introduxit me rex in cellaria sua. » Hoc ipsa quidem dixit verbis aliis, scilicet verbis Cantici sui, quo anima ejus Dominum magnificavit, sed, sicut jam dictum est, prior eidem, videlicet Elisabeth, Spiritus sanctus, Spiritus propheticus revelavit. Et quæ sunt illa cellaria regis Dei? Nimirum sacra mysteria, quæcunque continentur in Scripturis sanctis. Nam ista cellaria sunt, meliora cellis aromatum et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnibus apothecis regiæ supellectis, thesaurorumque universorum, quales habere potuerunt reges terrarum, et ille præcipue temporalis rex Salomon. « In cellaria sua, » inquit, rex non qualiscunque, sed Rex cœli et terræ, « me introduxit. » Nihil enim a me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriavit. Qui enim verbum suum, quod erat, et est in corde suo, mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit? Non enim introductio qualiscunque hæc debet intelligi, sed introductio cum jure possidendi, sicut jus est sponsam legitimam cum tabulis matrimonii in dotem suam introduci. Quid ad hæc illa Elizabeth, cum istud intus aure cordis percepisset? « Exsultabimus et lætabimur in te. » Hoc vere dixit, et cum magno clamore dixit. Ait enim voce magna. « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui, et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit infans in gaudio in utero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ tibi dicta sunt a Domino (*Luc.* I). » Nonne hoc erat dicere, « exsultabimus et lætabimur in te? » Jam enim

incipimus, ego et infans in utero meo exsultare in gaudio, a voce salutationis tuæ. Ex hoc et nos, et qui venturi sunt post nos, « exsultabimus et lætabimur in te, » et cantabimus, dicentes quia Eva nos fecit plorare, Maria nos fecit exsultare. Nam quod illa tristis abstulit, tu reddis almo germine. Idcirco « exsultabimus et lætabimur in te. » Quomodo « in te? » Dicam paulo expressius. « Memores uberum tuorum super vinum recti diligunt te. » Hæc est et erit materia vel causa exsultationis vel lætitiæ nostræ in te, memoria uberum tuorum, quia virgineis uberibus lactasse illum prædicaberis, qui creavit te. Dicemus enim : « Beatus venter, qui te portavit, Christe, et beata ubera quæ suxisti (*Luc.* XI). » Et si aliud quid mysticum per ubera recte potest intelligi, attamen causa ista cunctis erit amabilis, quia is, qui angelos B suæ visionis dulcedine pascit, tua, o felix Virgo, ubera suxit. Hujus rei « memores super vinum, » id est super omne quod in hoc sæculo dulce videtur aut jucundum, « recti diligunt, » id est certissime diligent te. Rectorum illorum primus est et erit infans iste, qui a voce salutationis tuæ, qua salutasti me, jam exsultavit in gaudio in utero meo, et lætatur in te. Jam cœpit exsultare et lætari in te, et exsultare non desinet, memor uberum tuorum super vinum, id est omne sæculum respuens et carnalis voluptatis commercium, virum se Deo dedicans virgineum, propter uberum tuorum lac dulcissimum, quæ videlicet ubera tua de cœlo plena lacte virgineo lactaverunt Deum. O quam multi utriusque sexus, propter hoc ita te diligent et similiter facient. Num par- C vum est hoc memoriale tuum ? Imo inter omnia quæcunque fecit Deus memorabilia, præcipuum et omnis creaturæ exspectatione est dignum, quod is, qui angelorum cibus est, homo factus ex te propter homines, tuis uberibus lactari dignatus est. Recti ergo, hoc ipso quod recti sunt, quod non invidi, imo benevoli sunt, memores uberum tuorum, diligent te. Quis fructus dilectionis hujus? Quæ merces aut quod præmium ? Abundantia. Dicit enim Spiritus sanctus in Psalmo : « Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, et abundantia diligentibus te (*Psal.* CXXI). » Cujus rei abundantia diligentibus te, o sancta Hierusalem, nisi ejus, quæ diligitur in te. Tale est bonum tuum, bonum videlicet a Deo datum, ut quisque diligendo facere possit, et faciat esse suum. Diligendo ergo in D te, quod mater es Domini, fidelis anima et ipsa mater fit : « Ipse enim meus, inquit, et frater et soror et mater est, quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est (*Matth.* XII). Cujus videlicet paternæ voluntatis, si summam quærimus, credere, sperare, et diligere est. Non ergo parvo pro præmio, habendo fidem recti sumus, habendo spem memores sumus, habendo charitatem te diligimus. Sequitur: « Nigra sum sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis : nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol. » Res ipsa exigit ut quæramus quousque vel quandiu beata Virgo Maria mansit cum illa Elizabeth

A cognata sua. Utique mensibus tribus, fere usque dum Elizabeth tempus pariendi impleretur. Ille namque mensis sextus erat illi, quæ vocabatur sterilis, quando Maria nuntio bono impleta, exsurgens abiit cum festinatione in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth. « Maria autem mansit, inquit evangelista, cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam (*Luc.* I). » Statimque subjungit: « Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium (*ibid*). » Ergo Maria jam non erat illic, quando Elizabeth peperit filium. Cur, quæso, non interfuit ? Cur tanti gaudii, tantæ exsultationis festivitatem non exspectavit. Cur discessum suum non distulit, donec videret infantem, quem vidisse gaudium fuit? Non ignorabat angelum dixisse ad Zachariam: « Et erit gaudium tibi et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt (*ibid.*). » Item: « Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis (*ibid.*). » Cur non exspectavit videre hoc miraculum, scilicet eum qui mutus fuerat, aperto ore ejus et lingua ejus, cum nomine Joannis loquentem et benedicentem Deum ? Nonne magis ad eam quam ad quamlibet aliam pertinebat congratulari, et audire verba Cantici de ore prophetantis : « Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus ? » (*Ibid.*) Cur igitur quæ et eatenus non venisse causam habere videretur, ut saltem illa die veniret, cognata cum vicinis **378** et aliis cognatis illius, et congratularetur, econtra cum jamdudum venisset, idcirco discessit ne interesset gaudentibus et congratulantibus. Causam nesciremus, rem ipsam, id est, discessum ejus non animadverteremus, nisi excitasset intellectum vox ista, per Spiritum sanctum in persona ejus prolata, « nigra sum sed formosa. »

Quid enim hoc erat ? Quid putamus facturos vel dicturos fuisse vicinos et cognatos, qui multi convenerunt, si inter eos inveniretur in utero habens? « Ipse Joseph vir ejus, cui desponsata erat, quoniam invenit eam in utero habentem, cum esset justus, nolebat traducere eam, sed volebat occulte dimittere eam (*Matth.* I). » Ergo in oculis ejus nigra erat, et est adhuc in oculis sive in sensu illorum, qui, cum sint filii matris suæ, de quibus postmodum dicendum est, pugnant contra eam, contradicendo nobis credentibus et confitentibus, eam de Spiritu sancto fuisse imprægnatam. At illa dicere poterat et veraciter dicit, « nigra sum sed formosa ; » — « nigra, » inquam, id est prægnans inventa sum; « sed formosa, » id est salva virginitate de Spiritu sancto imprægnata. Bene actum, optime provisum est, ut ventura postmodum multitudine ad illud nativitatis Joannis gaudium, reverteretur in domum suam, ne prius ab illis deprehenderetur in utero habens, quam ab ipso beato Joseph, qui dignus esset corrigi per angelum dicentem : « Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod autem in ea natum est, de Spiritu sancto est (*ibid.*). » Nec istud sufficis-

set, nisi etiam, priusquam complerentur dies Mariæ ut pareret, locum mutavisset. Poterat namque vicinis et notis fieri occasio loquendi, quod tam cito peperit, vix habens menses sex, ex quo monente angelo, beatus Joseph conjugem suam accepit. Bene igitur et hoc provisum est, quod « exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (*Luc.* II), » quatenus per hanc occasionem et Scriptura impleretur, quæ Christum de Bethlehem nasciturum prædixerat esse, et Virgo ab omni vicinorum quæstione liberaretur, quomodo tam brevi tempore exacto, ex quo in conjugium accepta fuerat, peperisset. Dicat igitur : « Nigra sum sed formosa, filiæ Hierusalem. » Secundum opinionem male videntium nigra, secundum fidem recte credentium formosa. Quam nigra, et quam formosa ? « Nigra, sicut tabernacula Cedar ; formosa, sicut pellis Salomonis. » Sicut enim Ismael, ad quem pertinet Cedar, niger, id est ferus homo, jure fuit ejectus cum matre sua, dicente Sara : « Ejice ancillam et filium ejus non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ (*Gen.* XXI), » et e regione omnium fratrum suorum in solitudine fixit tabernacula, ita et ego jure ejicienda visa sum, ita ut vir meus Joseph nollet traducere, sed vellet occulte dimittere me. Multum erat miserationis in eo, quod occulte dimittere voluit, cum lex multo asperius censeat de puella ejusmodi (*Deut.* XXII), qualis ego, dum prægnans essem, poteram existimari. Ergo « nigra, » ego « sicut tabernacula Cedar : » Quia sicut ille cum matre sua, ita et ego cum eo, quod conceperam, videbar ejicienda, viri mei domo et hæreditate indigna. Cedar, ut jam dictum est, pertinet ad Ismael. Quare autem magis hic placuit dicere tabernacula Cedar, quam tabernacula Ismael? Videlicet quia Cedar *tenebræ*, Ismael interpretatur *exauditio Dei*, magisque nomen tenebrarum, quam exauditionis Dei congruit meæ, quæ putabatur, ingenii nigredini. Econtra, sicut pellis Salomonis, id est, exterior cultus et omnis dignitas sapientissimi Regis incomparabiliter splenduit, ita ut nullus ei regum potuerit unquam comparari, ita et virginitatis meæ splendor præ omnibus sanctis et filiis regni Dei est admirabilis, nec ei qui ex me natus est quisquam sanctorum, nec ipse Isaac eidem Cedar longe prælatus et præferendus, potuit unquam vel poterit comparari. Quare autem non dixit, sicut Salomon, sed « sicut pellis Salomonis ? » Videlicet, quia quidem formosa pellis Salomonis, sed non ipse Salomon valde formosus fuit. Intus enim quamdam deformitatem habuit, etiam quando fulgebat formositas pellis. « Dixit enim Dominus illi : Quia habuisti apud te hoc, et non custodisti pactum meum et præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum (*III Reg.* XI). » etc. Quidnam est dicere, « habuisti apud te ? » nisi ac si diceret, qualem te nunc ostendisti, sequendo deos alienos, talis eras etiam, cum de foris me honorares omni adoratione et pulchri templi ædificio. Igitur melius dicere fuit, « sicut pellis Salomonis » quam sicut Salomon, ita « formosa sum, » quia non sicut habuit apud se, sed sicut de foris ædificavit templum manufactum, et sicut dixit: « Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX), » ita ex me Deus templum sibi non manufactum, et non manufactam sapientia sibi ædificavit domum. « Nolite, filiæ Hierusalem, considerare me, quod fusca sim, id est corrupta, quia quod tumentem uterum habeo, quod inventa sum in utero habens, non fecit vir, quia virum non cognosco, sed ita « decoloravit me sol. » Verus sol, et sole Deus longe pulchrior semetipso me implevit, de semetipso uterum meum tumentem reddidit. Hoccine est decolorari? Non apud vos, o filiæ Hierusalem, quæ habetis oculum simplicem, sed apud superborum cogitationes, quorum nequam est oculus. Non erat nequam oculus Joseph, sed quamdam excusabilem ignorantiæ nebulam habens, cito purgatus est, dicente sibi angelo Domini, quod sana cute decolorata essem, quam non flamma ignis de deorsum, sed desuper « sol decoloravit, » quod salva virginitate gravida essem, quam non vir terrenus, sed Pater cœlestis de Spiritu sancto gravidam fecit. Non ita cæteri omnes cognitam veritatem sequuntur. Sed quid : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. » — « Filii matris meæ, » Judæi sunt, filii synagogæ [*al.*, synagoga], imo qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Isti « pugnaverunt, » id est certissime pugnabant contra me, considerantes et considerare volentes, quod fusca sim, quod non vere decoloraverit me sol, sed nigra sim nigredine omnimoda, « sicut tabernacula Cedar. » Hinc ab illis passa sum, vel patiar pugnas verborum, pugnas linguarum blasphemantium. Prædicatum est eis, quod non nigra, imo, ut jam dixi, « formosa » sim « sicut pellis Salomonis, » sed econtra pugnaverunt repleti zelo, et contradixerunt propugnatoribus meis blasphemantes. Diximus ergo: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : « Posui te in lucem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ (*Isa.* XLIX). » Hoc modo « posuerunt me custodem in vineis, » id est in gentibus, quæ non quidem erant, sed ex mea custodia factæ sunt vineæ Domini. Posuerunt, inquam, id est ut ego ponerer effecerunt per incredulitatem suam. Non enim ego prior illos, sed ipsi priores me repulerunt et custodia mea sese indignos judicaverunt. Igitur justo judicio tales matris meæ filios reliqui, et vineam meam non custodivi, gentem meam non adjuvi, non defendi, quin venirent, locumque et gentem tollerent Romani. Putaverunt quod si me repulissent, errare deberem in solitudine, sicut Cedar vel **379** sicut Agar (*Gen.* XVI). Verum non ita est. Pro una vinea, quæ debuit esse mea, utpote gens mea, sanguis meus, et caro mea, multas vineas acquisivi, multas Ecclesias in gentibus dilatavi, quæ omnes custodiam meam habent, et habere desiderant, de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis

confidentes, et pro hujusmodi custodia clamantes ad me jugiter : Hæc ad filias Hierusalem elocuta, quales refugit, ut supra jam dictum est, ne consideraretur ab eis, et inveniretur in utero habens, in illa frequentia venientium ad Elizabeth, ut congratularentur ei, mox ad dilectum conversa, dicit : « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum. » Sensum vocis hujus quærenti, nec dubitanti mihi, quia veraciter congruat tantæ tamque beatæ Virgini, magnum et mirum sese ingerit et aperit sacramentum illius evangelicæ lectionis : « Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque omnibus, cum redirent, remansit puer Jesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus, » etc., usque, « et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic ? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te (*Luc.* II). » Quid enim ? Nunquid casu gestum est, ut puer Jesus remaneret in Hierusalem, et parentes ejus illum esse in comitatu existimarent, ut requirerent inter cognatos et notos, et non invenirent, regressi in Hierusalem, requirentes, post triduum invenirent, non quomodocunque vel ubicunque, sed in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem ? Nunquid hoc evangelista tam diligenter scriberet, nisi rem sacramenti plenam esse sciret ? Sunt et alia multa, » inquit Joannes, « quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros (*Joan.* XXI). » Si solam spectes rem gestam, quantum est hoc inter alia tam multa, ut illis omissis ab evangelista non deberet omitti ? Igitur et in voce ista, « indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, » et in illa re gesta, qua dixit eadem diligens et dilecta : « Fili, quid fecisti nobis sic ? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te, » unum idemque mysterium spectare juvat. Quid enim est comitatus de die festo redeuntium, nisi frequentia vel ritus cæremoniarum Judaicarum, cæremoniarum carnalium? Istæ namque mandata vitæ non præcesserunt, sed comitatæ sunt, et si rite consideres legis ordinem, postquam præcepta bona data sunt, quæ faciens homo viveret in eis, istæ cæremoniæ præceptaque non bona, in quibus non viverent, a reatu vituli sumpserunt initium (*Levit.* XVIII ; *Ezech.* XX ; *Exod.* XXIII), et hoc erat jugum gravissimum, quod « neque nos, » ait Petrus apostolus, « neque patres nostri portare potuimus (*Act.* XV). » Super his magna conquisitio futura erat, et facta est, sicut in Actibus apostolorum legimus : « Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres, quia, nisi circumcidamini, non potestis salvi fieri, et quia oportet præcipere, servari legem Moysi (*ibid.*). » Hoc erat parentes Jesu existimare, Jesum esse in comitatu. Sed non erat ibi Jesus. Imo erat et esse illum oportebat, in medio doctorum, audire et interrogare verba vitæ. Hinc per Hieremiam prophetam fuerat prædictum : « Quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis (*Jer.* VII), » subauditur in monte Oreb ante reatum vituli, ubi justificationes et præcepta vitæ dedi, scripta in tabulis digito Dei (*Exod.* XX). Horum discernendorum utique magistram te esse oportebat, o B. Maria, et magistra magistrorum, id est, apostolorum, juxta illud : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano (*Cant.* IV). » An quia Spiritus sanctus illos docuit, idcirco tuæ vocis magisterio non illis opus fuit ? Imo vox tua vox illis fuit Spiritus sancti, quidquid supplementi opus erat eisdem mortalibus vel testimonii, ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem Spiritu, dividente singulis, prout vult (*I Cor.* XII), ex religioso ore tuo perceperunt, instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum. An quia loco supra memorato de actibus apostolorum, ubi facta seditione propter cæremonias Judaicas convenerunt apostoli et seniores videre de hoc verbo, nullam tui mentionem Scriptura fecit, idcirco putandum est quod conventus ille te omiserit, et sanctum de tuo pectore, de tuo ore Spiritum non consuluerit ? (*Act.* XV.) Imo et illic et in cæteris agendis tu princeps, omnem solvisti quæstionem : ita tamen, ut non clamares, neque contenderes, neque audiretur vox tua foris (*Isa.* XLII) : quia, sicut ante nos dictum est, tu sola es Virgo, quæ universam hæreticam pravitatem interemisti. Dixeris ergo : « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum. » Indicari tibi flagitabas, ut aliis indicare scires. Sed dico : Nunquid nesciebas ? Nunquid quod prophetæ sciverunt, tu ignorabas ? Utique nescires, nisi desuper indicatum tibi fuisset. Et Deus tuus, filius tuus præsciebat, quod resurrecturus esset a mortuis et tamen in persona ejus Psalmista dicit : « Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis (*Psal.* XL). » Dicat aliquis : Quid ergo est, quod in supradicto loco Evangelii, dum ista significarentur, dixit : « Fili, quid fecisti nobis sic, ecce ego et pater tuus dolentes quærebamus te, » etc., usque, « et ipsi nihil horum intellexerunt ? » Ad hæc inquam : Et quid illud est, quod evangelista continuo intulit : « Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo ? » Igitur ecce duo quasi repugnantia. Si enim non nesciebat, quomodo quærens dolebat, dolens quærebat ? Si autem nesciebat, quomodo vel de quibus in corde suo conferebat ? Ergo neque a dextris, neque a sinistris sermo fit, quia veraciter magna hæc prophetissa, quid ageretur, non ignorabat, quoniam gratia plena erat, et tamen dolens

quærebat, quoniam dispensationi divinæ ipsa suo silentio serviens, quamvis cum illis quærentibus quæreret, tempus tacendi custodiebat, et dolentibus condolebat. Quomodo autem dicenti, « indica mihi, » responsum est ex persona dilecti ? Nam et percunctatio, et causa percunctationis melius cum responsione explanari poterit. » Si ignoras te,o pulchra inter mulieres, regredere et abi post vestigia gregum,et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. » O pulcherrima mulierum, o benedicta inter mulieres, cujus pulchritudo benedictio est, cujus pulchritudo ipse benedictus fructus ventris tui est, talis ac tanta causa tua est, ut si teipsam non ignores, statim scias illud quod quæris, dicens : « Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie, » nec verendum tibi sit, « ne vagari » incipias « per greges sodalium meorum, id est, per conventicula, quæ fiunt circa cathedras sive doctrinas Scribarum et Pharisæorum, qui sese mihi sodales sive pares faciunt, qui in cæremoniis suis justificari volunt, qui suam quærentes statuere justitiam,«justitiæ Dei» quæ Christus est,« subjecti non sunt (*Rom* x). » Quid enim ? Unde pulchritudinem istam acquisisti, ut sis pulcherrima mulierum ? Ex fide et humilitate, an ex operibus **380** legis ? Nonne ex fide et humilitate ? Nam et beata quæ credidit, ait illa prophetissa, illa cognata tua Elisabeth, repleta gaudio et exsultans in Spiritu sancto cum infante in utero suo : « Beata, » inquit, « quæ » credidit, « quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt » ei « a Domino (*Luc.* I). » Non dixit, beata, quæ inventa est in operibus legis. Ecce beatitudo ex fide. Tu quoque statim cecinisti : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » Et ecce beatitudo ex humilitate. Ergo ex fide et humilitate, imo fides et humilitas tota pulchritudo tua est, et hic est locus requietionis meæ. Locus, in quo dilectus tuus pascendo et cubando delicietur in meridie, id est in hoc tempore plenæ gratiæ, quando figura jam præterita, res illuxit, umbra depulsa, sol veritatis ascendit.

« Si » hoc « ignoras, » consequens est quod dixi, « egredere et abi post vestigia gregum, » videlicet eorum, qui in lege vel in carne justificari volunt. « Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum, » id est, carnales habe alumnos secundum imitationem supradictorum sodalium meorum, quorum omnium cuncti greges, non oves, sed hædi sunt, utpote a peccato suo non justificati, imo in peccato suo morituri. Cui posthac licebit in carne gloriari ? (*Joan.* VIII) Ecce illi, quæ de carne sua Verbum carnem factum peperit, si ignorat se, subauditur, unde Altissimo placuerit, dicitur : « Egredere et abi. » Et in Evangelio, cum extollens vocem quædam mulier de turba, dixisset : « Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti, » quid responsum est ei ? « Quinimo beati qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud (*Luc.* XI). » Hæc enim causa principalis est effectiva beatitudinis et sine hac beata non potuisset esse vel dici. Attamen perseveranter et irrefragabiliter dicimus : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti, » et bene dicimus, scientes quia hospitium ventris sui, quod Creatori suo præbuit, et alimoniam lactis sui, quod ori ejus ministravit, fide pretiosa et humilitate gratiosa communivit atque perornavit, complevit et custodivit nullam habens unquam ignorantiam sui. Sequitur : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. » Hoc est quod nolo ignorare, et quod si rite perpendis, o amica mea, non ignoras te. Quisnam fuit ille meus equitatus « in curribus Pharaonis » vel quomodo in curribus Pharaonis ? Magnum et mirum spectaculum respicienti, inde currus Pharaonis, hinc equitatum meum. Currus namque Pharaonis valde multi, ferro armati, plerique etiam auro vel argento insigniti fuerunt ; equitatus autem meus, virga una fuit, virga Moysi et Aaron (*Exod.* VII). Virga illa contra sublimes currus Pharaonis taliter equitavit, hoc modo militavit. Primo, versa in colubrum devoravit virgas magorum, deinde percutiens aquas fluminis vertit in sanguinem, deinde extensa super fluvios et super rivos ac paludes eduxit ranas super terram Ægypti, deinde percussit pulverem terræ, et facti sunt sciniphes in hominibus et in jumentis, denique implevit domos Ægyptiorum muscis diversi generis, deinde fecit, ut morerentur omnia animantia Ægyptiorum, et deinde facta sunt vulnera vesicarum turgentium, deinde extensa in cœlum fecit tonitrua et grandinem mixtum igni, ac discurrentia fulgura super terram Ægypti ; deinde extensa super terram ascendere fecit locustam, et devoravit omnem herbam, quæ residua fuit grandini ; deinde extensa in cœlum, fecit ut essent tenebræ horribiles in universa terra Ægypti ; novissime elevata super mare, vertit illud in siccum, et divisit aquam, et transierunt filii Israel per medium maris, iterumque reducta super mare, operuit aquis currus, et equites cuncti exercitus Pharaonis (*Exod.* XIV). Recte ergo virga talis dicitur equitatus Domini, quæ contra tot currus et equites Pharaonis sola suffecit, et victoriam peregit. Quomodo vel in quo tali equitatu meo « amica mea assimilavi te ? » Videlicet in eo, quod posita coram Domino virga illa in tabernaculo testimonii, sequenti die inventa est germinasse, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdala deformati sunt. Erant enim quidam similes istorum sodalium meorum, pro sacerdotio contendentes, et concilia sua trahentes adversus Moysen et Aaron, sicut isti sodales mei, sacerdotium sibi vindicant, in carnibus taurorum et sanguine hircorum, adversus sacerdotium meum, sacerdotium æternum, secundum ordinem Melchisedech juramento firmatum (*Hebr.* IX ; *Psal.* CIX). Dixi ergo : « Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur (*Num.* XVII). » Illi signo, illi « equitatui meo assi-

milavi te, amica mea. » Sicut enim virga illa virgas maleficorum et incantatorum devoravit, et omnem superbiam Ægypticam obtrivit, ac deinde germinavit, fronduit, floruit et fructum protulit, non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cœlesti supra usum naturæ provecta, sic tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam pravitatem hæreticam interemisti, superbiam diaboli dejecisti, conceptu florida, partu fructifera, virgo in conceptu, incorrupta in partu, virgo ante partum, incorrupta post partum. Nonne igitur pulcherrima es mulierum? Vere pulcherrima. « Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. » Pulchritudo tua pudicitia est, quæ multum apparet et spectabiliter lucet in genis tuis, quia non foris vagaris oculis, sed sicut solivaga et avis castissima turtur, solitudine delectabaris, et solitariam te angelus invenit atque salutavit. Non ita pulchræ sunt genæ mulieris, qualem sapientia denotat : Ornatu, inquiens, meretricio præparata ad capiendas animas, garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. Verum ut taceam de ejusmodi, pudicarum omnium virginum, viduarum atque continentium pudor sive pudicitia, religiositas aut verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non est verecundia, non est pudor, non est, aut vix meretur dici pudicitia. Adde quod « collum tuum » sic est « sicut monilia. » Sicut enim monilia muniunt matronarum pectora pudica, unde et dicuntur monilia, eo quod pectus muniant, ne quis extraneus, id est impudicus, manum suam injiciat, ita et collum tuum munit verba tua, non solum ne quid otiosum aut noxium sive inordinatum per vocem erumpat, verum etiam ne ipsum bonum tuum, secretum tuum, divinum mysterium tibi creditum, leviter viam vel vocem inveniat, ut auris aliena, sive filia aliqua, quamvis videatur esse filia Hierusalem, quæ forte custodire nesciret hujusmodi margaritas, sicut custodiri oporteret propter porcos, maximeque propter Herodem et ejus complices, intelligat (*Matth.* VII). Vere igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo, id est tam oculorum, quam verborum tuorum moderamine decentissimo. Quid ad hæc dicunt amici vel familiares tui, quales primi fuerunt apostoli? « Murenulas aureas faciamus tibi, vermiculatas argento. » Murenula quoddam colli ornamentum, vulgo sic vocatum, idcirco quod scilicet auri metallo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contexitur, in similitudinem murenæ serpentis. Hæc et interdum auri atque argenti texitur virgulis. Unde hic dicitur, murenulas **331** aureas, vermiculatas argento faciemus tibi. Aurum et argentum idem significant hic, quod in psalmo cum dicit : « Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). » Aurum in dorso, vel in posterioribus columbæ, interior est sensus sacræ Scripturæ, argentum vero sermo exterior, cujus nitori nullo modo comparari

A possunt lepores sive exornationes eloquentiæ mundanæ, quantumlibet exquisitæ fuerint sive accuratæ. Ergo per murenulas aureas argento vermiculatas, recte intelligimus sermocinationes sanctorum, sensibus aureas, elocutionis nitore argenteas sive luculentas. Est igitur sensus : O Virgo virginum, quomodo factum est istud? Quia nec primam similem visa es nec habere sequentem. Laxa vocis iter, ut collum tuum silentio communitum pande interdum, et tutis auribus amicorum fidelium, vel breviter eloquendo committe secretum, ut dicas nobis, quomodo vel per quid Altissimo complacueris, qualis ille tibi fuerit, primum in corde sive in utero, deinde in convictu sive in colloquio, dum lactares uberibus, dum gestares eum ulnis trementibus.

B Sumus enim fidi artifices, argentarii fideles, et ad laudem illius, qui tibi hæc magna fecit, faciemus murenulas veritatis, ornamenta benedictionis et gratiarum actionis, benedicendo et gratias agendo, quia sic fecit tibi, ita ut non sit locus, ubi vox laudis hujus non audiatur, vox sonora, laus altisona, quæ tuum nomen concelebrans, jugiter te ambiat, et quodammodo de collo tuo dependeat. « Dum esset sex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engadi. » Hoc dico vobis, o amici, et hoc aurum verum est. Si habetis argentum, facite, ut dixistis, murenulas mihi, imo non mihi, sed Domino, memores illius dicti Sapientis : « Glorificantes Dominum quantumcunque potueri-

C tis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, et exaltate illum, quantum potestis, major est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim pervenietis (*Eccli.* XLIII). » Quid enim? Cum esset in sinu vel in corde Patris, de illis altissimis suis respexit humilitatem meam. Hoc est quod dico. « Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. » Quid enim est, vel erat accubitus regis, nisi cor vel sinus Patris? Illi supradicti pastores vel sodales ejus qui sese pares ei faciunt, et greges non ovium, sed hædorum post se trahunt, dixerunt, quod ante me rex iste non fuerit, quod ex me initium sumpserit, quod homo tantum, et supra hominem nihil in eo sit. At ipse

D priusquam ego essem, imo et « antequam Abraham fieret, » est et erat (*Joan.* VIII), et in illo accubitu suo erat. Nam « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I). » Dum ita esset, « nardus mea dedit odorem suum, » et hoc odore delectatus descendit in uterum meum. Olim in Eva malo superbiæ fetore offensus, et ob hoc ab humano genere aversus fuerat, nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, sic ad genus humanum conversus est. Propterea nardum meam dico humilitatem meam, quia sicut nardus herba aromatica, parvo quidem frutice vel parva spica, nequaquam in altum se subrigit, sed comosa atque

odoratissima, flore optimi odoris atque radicula suavi, multis usibus probatur utilis, sic humilitas mea, suo quidem arbitrio vel judicio parva res est, nimiumque exilis, sed judicio regis pretiosior est cunctis operibus legis, in quibus homines justi sibi videntur atque magnifici, ipsumque regem et Patrem ejus Deum, sanctum quoque Spiritum unice delectat, velut suavis odor, qualis quantusque de nullo unquam usque ad ipsum spiravit, vel spirare potuit sacrificio. O amici, hoc ego experta sum. Humilitatem meam de illo accubitu suo sensit et respexit, et valde delectatus est, et placuit sibi, quod in isto sexu tantam humilitatem invenit : in isto, inquam, sexu, a quo initium superbiæ generi humano superveniens, totam massam corrupit. Prius in virili quam in isto sexu fidam humilitatem invenit, et inter cæteros in ista gratia duo viri valde nominati sunt, scilicet Abraham et David, qui et ex verbis suis cognosci possunt, quam humiles fuerint in oculis suis. Abraham quippe, cum tantus esset ut cum eo Deus loqueretur, et amicus illi haberetur, non tamen oblitus sui : « Loquar, inquit, ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* XVIII). » David quoque cum esset unctus rex, et Saul persequeretur eum : « Quem persequeris, ait, rex Israel, quem persequeris ? Canem mortuum et pulicem unum (*I Reg.* XXIV). » Propterea non solum non confunditur Deus, verum etiam istis duobus jurare Deum altissimum non piguit facturum se hoc mysterium, o amici, quod in me cernitis. In isto sexu tandem gratiam eamdem, et fortassis abundantiorem invenit Nolite incumbere mihi, ut explicem quantam in me humilitatem « mitis et humilis corde invenerit (*Matth.* XI). » Non possum eloqui, non possum verbis consequi : res ista non est effabilis. Quid vel quale sit hoc bonum, nemo scit, nisi qui accipit, et cum acceperit, nulli, nisi Deo, potest effari, qui ut videt, sic intelligit. Hoc tantum dixerim quia requies est mentis, et qui hanc invenit, sine dubio requiem animæ suæ invenit. Ego « in omnibus requiem » istam « quæsivi (*Eccli.* XXIV), » et vidit rex respiciens ubi nardi hujus ex me odorem sensit. Vidit, inquam, quod requiescere posset hic in suavitate animæ quietæ, id est humilis, descenditque de illo accubitu suo, et requievit in tabernaculo meo. Hic requievit, hic habitavit totis novem mensibus, et cujus erat Dominus, ejusdem ancillæ suæ factus est filius. Vultis audire, amici, qualis exinde fuerit iste dilectus meus mihi, et ego illi ? Ecce dico vobis : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » Conferte istud illi dicto unius ex vobis, unius ex amicis, justi Simeonis : « Ecce, inquit, hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II). » Dico adhuc : « Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engadi. » Si hæc scitis, si ista rite perpenditis, profecto in me invenietis, et unde mecum com-

A pungamini, et unde mecum dulciter consolemini. Nolite solam attendere horam vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehensum male tractari, scilicet illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle et aceto potari, lanceari, mori et sepeliri. Nam tunc quidem gladius animam meam pertransivit, sed, antequam sic pertransiret, longum per me transitum fecit. Prophetissa namque eram, et ex quo mater ejus facta sum, scivi eum ista passurum. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, et talem ejus futuram mortem semper præ oculis haberem, et prophetica, imo plus quam prophetica mente præviderem, qualem, quantam, quam prolixam me putatis materni doloris B pertulisse passionem ? Hoc est quod dico : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. » O commoratio, dulcis quidem, sed plena gemitibus inenarrabilibus ! Ad ubera doloris stringebatur, et eisdem lactabatur uberibus, simulque inter ubera intus in corde futurorum præscio, semper parebat quali esset morte moriturus. Verumtamen et illud sciebam quod esset resurrecturus. Hujus rei præscientia dulcis erat. Igitur « dilectus **382** mihi et fasciculus myrrhæ, » quia moriturus, et « botrus Cypri » erat, quia resurrecturus, et ultra non moriturus. « Botrus, » inquam, « Cypri, » videlicet terræ vel insulæ, botros perduces, vinumque optimum afferentis, quia non qualecunque, sed optimum est vinum resurrectionis, et C hoc « in vineis Engadi, » id est fontis hædi, hoc enim interpretatur Engadi. Cur ergo ita dixerim ? Idcirco nimirum, quia meus iste dilectus non justos, sed peccatores vocare venit (*Luc.* V), ut resurgant in resurrectione prima (*Apoc.* XX), qui fuerant per peccatum mortui, et hoc in fonte hædi, in fonte baptismi, in lavacro regenerationis, quo regenerati fiunt oves qui fuerant hædi, fiunt sancti qui fuerant peccatis obnoxii. Ad hujusmodi fontem venientes, jam non vineæ sunt, sed vineæ fiunt, ab alio translati, in alio plantati. Unde et quilibet eorum dicit : « Si enim complantati facti sumus similitudine mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom.* VI). In istis plantationibus, in istis vineis apparet iste botrus Cypri, sapit dulcedo resurrectionis istius dilecti mei. Desideratis scire, qualis interea mihi in D colloquio fuerit ? Talis utique, qualis ex verbis istis debet intelligi. « Et tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. » Quid enim erat illum hæc et cætera hujusmodi dicere ad me, meque illi sic et sic respondere, nisi me atque illum de Scripturis, quæ de me et illo erant, quam familiariter tractare ? Nam hoc ipsum, « ecce pulchra es, » nonne de illis Scripturis est ? « Ecce, » inquit Isaias, « virgo concipiet et pariet filium (*Isa.* XI). » Item : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et

replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* VIII). » hoc ergo dicebat : Ecce, o amica mea, completum est in te quod ille prænuntiabat. Quando enim nata es de domo David, tunc egressa est virga de radice Jesse, quando, inquam, nata es, quæ tanto humilior es hominibus hujus sæculi, quanto virgula quævis minor et gracilior est grandibus cedris et quercubus magnis, de quibus idem propheta dicturus : « Et egredietur virga, » præmiserat : « Et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur, et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet. Quando autem ego ex te natus sum, tunc de virga flos ascendit, super quem requiescet septiformis Spiritus Domini. « Ecce » ergo « tu pulchra es ; » et iterum dico, « ecce tu pulchra es, » pulchra decore virgineo, pulchra unigenito filio. Taliter geminata, nullius unquam fuit, nullius unquam erit pulchritudo. Adhuc addo istud pulcherrimum, « oculi tui columbarum. » Quinam sunt « oculi columbarum, » nisi dona septem gratiarum, id est septem spirituum super me requiescentium? Septem namque oculi, qui juxta Zachariam prophetam in uno lapide sunt, septem sunt spiritus Dei, qui juxta jam dictum Isaiam prophetam, super florem requiescunt. Isti oculi mei, sunt oculi tui, « oculi columbarum, » oculi omnium gratiarum. Omnium quippe gratiarum vel spirituum tu effecta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti, super quem requiescit, in quo « habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II). Hoc eo dicente mihi, quid ego illi ? « Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus, lectulus noster floridus, ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina. » Hæc ego illi. Considerate diligenter, o amici, qualis sit ista ordinatio hujus Scripturæ, Scripturæ cantabilis, in qua secretum nostrum, secretum dilecti et dilectæ contemplari desideratis. Et hic et in cæteris, quæ sequuntur, non ego dilecto et ille mihi, sed « dilectus meus mihi, » et ego illi, nisi quod semel audistis, ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Fere in omnibus dilectam honore prævenit dilectus, utpote matrem filius. Ille mihi : « Ecce tu pulchra es, amimea, ecce tu pulchra, » et ego illi : « Ecce tu pulcher es et decorus, dilecte mi. » Ille mihi : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias ; » et ego illi : « Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. » Quid de hoc censetis ? Nonne ille cum Deus et homo sit, debuerat ab homine modis omnibus honore præveniri ? At ille in hac disciplina totum principatum possidebat. Hinc Apostolus ad Philippenses cum dixisset : Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum, » protinus ait : « Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum esset in forma Dei (*Phil.* II). » etc. Ille namque sicut in cæteris, ita in consideratione mei, semetipsum humiliavit, quodammodo non considerans quod ipse esset Deus, sed

A considerans quod essem ego mater, et ipse filius, superiorem sibi arbitrabatur quemadmodum et evangelista vult intelligi, cum dicit : « Et descendit cum illis, et erat subditus illis (*Luc.* II). » Itaque cum dilectus meus mihi : « Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum ; » et ego illi : « Ecce tu pulcher es, dilecte mi et decorus, » scitote, amici, quia verba ista non a summis labris veniunt, sed rationis et veritatis istæ voces habent fundamentum. Ille namque veraciter in me veneratur, quod sua mater et virgo. Ego in illo adoro quod sit Deus et homo. Dico ergo : « Ecce tu pulcher es, dilecte mi » et decorus. » Dicis mihi : « Ecce tu pulchra es, » et ego dico tibi : Ecce tu pulcher es. » Ex quo ego pulchra facta sum, ex eo

B tu qui semper pulcher fuisti, pulchrior factus es. Nam vere in eo pulchritudinem tuam adauxisti, quod cum Deus esses, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher et decorus, ita pulcher ut sis ipsa substantia pulchritudinis, ita decorus, ut sis ipsum decus humani generis. Vere ergo dicis mihi : « Ecce tu pulchra es, » et dico tibi : « Ecce tu pulcher es, » quia tu pulchritudo mea es. Quod ergo pulchra sum, totum tibi attribuendum est. Neque enim virga floris, sed flos virgæ pulchritudo est. Igitur nonnisi opinione falsorum atque fallentium « nigra sum » ego « sicut tabernacula Cedar. » Nam econtra pulchra ego sum, et pulcher es tu, et « lectulus noster floridus. » Lectus, inquam, id est uterus meus, in quo tu quievisti totis novem mensibus et salvo vir-

C ginitatis meæ sigillo, egressus es flos pulcherrimus, nec jam in desertum ejiciemur, » sicut tabernacula Cedar, » imo in civitate nostra domos habebimus, et habebimus divitias multas et præclaras, scilicet Ecclesias. Nam talium domorum nostrarum ligna cedrina, et laquearia sunt cypressina. Nam sicut cedrus imputribile lignum atque odoriferum, et cypressus lignum cedro pene proximum, virtutis eximiæ sunt, templorum quoque trabibus apta, impenetrabili soliditate nunquam oneri cedunt, sed ea, qua in principio fuerint, firmitate perseverant, ita domestici nostri apostoli atque apostolici viri, doctores Ecclesiarum atque prælati, perpetuæ virtutis atque firmitudinis indeficientes erunt, et domus quoque manufactæ nostræ stabunt, quandiu durabit sæ-

D culum, titulum habentes. Locus terribilis, aula Dei, porta cœli. Hic fructus, et adhuc locupletior, te florem decidentem sequetur. Quid ad hæc dilectus?

CAP II.— « Ego flos campi et lilium convallium. » Ut tu dicis, o amica mea, pulcher ego sum et decorus, nam ego « flos campi et lilium convallium, » id est decus generis humani, et honor parentum humilium, patrum spiritu pauperum, scilicet Abrahæ, Isaac **383** et Jacob, David quoque et cæterorum; qui etsi meritis montes, mente convalles fuerunt, etsi divites censu, pauperes spiritu exstiterunt. Illorum ergo decus vel pulchritudo sum, vere flos, vere lilium, quia « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), » quam videlicet formam taliter, ut ego, nullus

habet filiorum hominum. Lilium quippe lactei floris est herba, cujus dum candor sit in foliis, aurei tamen species intus effulget. Ita « flos campi » sive « lilium » ego sum, flos lacteus, id est, puer mundissimus. Flos, inquam, et castitatis lilium, cujus dum caro sive humanitas exterius satis munda sit, Divinitatis tamen species intus incomparabilis est. Quid aliud dilectus diceret? Nunquid, me dicente, « tu pulcher es, dilecte mi, et decorus,» ipse aversaretur, et ita deberet esse humilis et mitis corde, ut veritatem suimet conaretur abigere? Hoc impossibile est. Imo si nos negaverimus eum, ait quidam vestrum scilicet amicorum, ille fidelis permanet se negare ipsum non potest. Et illic ubi antequam homo fieret, dixit: « Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me (*Deut.* XXXII), » et hic ubi homo factus dixit: « Ego flos campi et lilium convallium, » et ubicunque sive inimicis Judæis, sive vobis, o amici apostoli ejus vel discipuli, quippiam locutus est juxta hunc sensum, profecto pium est, considerare hoc ipsum, quia ille fidelis permanet, negare seipsum non potest, præsertim causa poscente tam magna, causa salutis hominum, propter quos venerat, quos in eum credere oportebat, ut diceret ipse quis esset aut unde venisset. Est autem testis fidelis non soli sibimetipsi, verum etiam et aliis, ut testificetur et dicat de singulis, cujus sint meriti vel nominis. Ait ergo et mihi, quam et supra semel et iterum pulchram esse declamavit: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.» Hoc restabat quoniam ille mihi dixerat, « ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra,» et ego illi, « ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. » Hoc, inquam, restabat dicere, quod revera pulcher ipse, et quod ego ad similitudinem ejus pulchra sim. Cum ergo dixisset, « ego flos campi et lilium convallium,» protinus et mihi fidele perhibens testimonium, « sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:» Ubi jam, quando lilium istud, « lilium convallium inter spinas? » Nimirum in Judæa, quando toleravit tot et tantas impiorum blasphemias, sustinuit probra, alapas, flagella, coronatus insuper corona spinea. Sic quondam pater Abraham levans oculos, vidit post tergum arietem inter vepres, hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio (*Genes.* XXII). Aries ille, animal innocuum, præfigurabat istud innoxii candoris lilium; vepres illæ, blasphemias et maledicta Judæorum, post tergum Abrahæ, quia nondum venerat, sed venturus erat iste « flos campi, » sive istud « lilium convallium» suo tempore. Igitur illic inter detractiones sive accusationes Judaicas « lilium inter spinas, sic et amica mea, inquit, inter filias. » Filias, inquam, non Jerusalem, sed absolute filias, id est, hæreses vanas et vagas. Filiæ namque, cum absolute dicuntur, fere nusquam significationem bonam habent, ut illic: « Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperaverunt eum, et jurgatæ sunt, inviderunt illi habentes jacula (*Genes.* XLIX). » Et alibi: Multæ filiæ

A congregaverunt divitias, tu supergressa es universas (*Prov. ult.*). Itaque et spinæ et filiæ, blasphemiæ sunt Judæorum, sectæ sunt hæreticorum. Quæcunque hujusmodi spinæ laceraverunt me, ipsæ et amicam meam laceraverunt, quæcunque hujusmodi filiæ tibi inviderunt, et mihi detraxerunt. Ubi ego spinis compungebar, imo et clavis configebar, tu præsens patiebaris mente convulnerata, et ubi tuæ virginitati a filiabus derogatur, mihi quoque invidiose detrahitur. Verum sicut ego spinas pertuli quidem, sed exsuperavi, ita et de te veraciter prædicabitur, quia cunctas hæreses interemisti. Ad hæc inquam: « Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.» Malus lignum fructiferum, ligna sylvarum sine fructu sunt. Sic dilectus meus boni operis facit fructum, filii vero otiosi et

B inutiles sunt (*Matth.* XXIII). Dicunt enim, et non faciunt, Solummodo in hoc importune gloriantur, quia filii sunt. « Semen Abrahæ,» aiunt, « sumus, pater noster Abraham est, unum patrem habemus Deum (*Joan.* VIII). » Isti sunt filii et quasi sodales dilecti mei. Itaque suo quidem arbitrio filii sunt Dei, filii Abrahæ; sed revera « ligna sylvarum,» imo ex patre diabolo sunt, et tanquam « ligna sylvarum,» quia non solum non faciunt fructum bonum, verum etiam fructum faciunt malum, suntque cubilia leonum, habitacula draconum, omniumque latibula ferarum, id est, spirituum malignorum, profecto excidentur et in ignem mittentur. Dilectus autem meus qualem, quam bonum inter eos fecit fructum? Utique fructum vitæ æternæ, quia non utcunque bona arbor

C ipse, sed lignum vitæ est. Hoc ego experta sum. Quomodo? « Sub umbra illius quem desiderabam, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Ex quo mihi angelus locutus est, « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I), » ego sub umbra illius sedi. Non steti ad horam sub umbra, ut interdum paterer carnis æstum, interdum haberem refrigerium; sed continuo sedi, quia semper pacem habui, jugiter « sub umbra illius, quievi. Et fructus ejus dulcis gutturi meo, » id est, cordi meo. Quis vestrum nescit, quod sit fructus ejus dulcis? Expulit enim a nobis amaritudinem mortis, et vitæ æternæ dulcedinem indidit. Malus fructus, imo malus morsus, quo Adam per Evam vitam perdidit, et mortem invenit: bonus

D fructus, quo genus humanum per Mariam mortem perdidit, et vitam invenit. Hic est fructus ejus. Ad quid enim venit, ad quid succrevit inter ligna sylvarum, nisi ut faceret hujusmodi fructum, quo evacuaret primæ prævaricationis reatum, ligni vetiti morsum? Ubi tempus venit hujuscemodi fructus edendi, « accipiens panem et vinum, et benedicens: Accipite, inquit, et comedite, hoc est corpus meum. Accipite et bibite, hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI).» Non vidistis ibi carnis et sanguinis speciem, profecto nec Eva videbat promissam sibi a serpente Dei similitudinem. Non vidistis nisi panem et vinum, profecto nec Eva vidit nisi pomum visu vel aspectu pul-

chrum. Attamen illi credidit quod non videbat, credidit, inquam, serpenti, dicenti: « Nequaquam morte moriemini, sed eritis sicut dii, » magis quam Deo dicenti: « Morte moriemini, in quocunque die ex eo comederitis. » Plus, inquam, serpenti quam Deo credidit. Justa ergo lege, ut expietur ille reatus malæ credulitatis, exigitur fides, ut credatis id quod non videtis. Credatis, inquam, Deo dicenti: « Hoc est corpus, et hic est sanguis, » magis quam serpenti, qui per hæreticos dicit: Non est caro, non est sanguis, et « eritis sicut filii Dei. » Hæc ubi fecit et dixit, paratam in conspectu viventium mensam relinquens competentem illis, confestim ad mortuos, sive dormientes ipse obdormiscens et mortuus profectus anima descendente ad animas, et corpore ad corpora in eumdem terræ ventrem, quo fuerant recepta, atque ita de semetipso cibavit atque potavit eos (*Psal.* LXXX), atque exinde sub umbra illius sedent in perpetuum, « et fructus ejus dulcis gutturi eorum. » Mihi potissimum umbra suavis, quam cum amore spiritus trahit ad illum et natura carnis, cum esset **384** in vita præsenti, non solum modo supradicto sub umbra illius sedere, verum etiam faciem ejus desiderabam semper videre, semperque mecum præsentem habere. Sed quid actum est? « Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem. » Ventum est ad nuptias, ubi et aquas in vinum convertit. Hoc initium signorum continuo facturus, dixit mihi: « Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea (*Joan.* II). » Dixeram enim ego illi: « Vinum non habent. » Et quidem verum erat, quia vinum non habebant, non solum sicut littera sonat defecisse vinum, sed quia defecerat in omnibus nuptiis hujus sæculi per peccatum primi hominis vinum verum, scilicet incorruptio animarum et immortalitas corporum. De hujusmodi vino major illi cura erat, sed « nondum, ait, venit hora mea, » hora scilicet propinandi hoc vinum, reparandi per mortem et resurrectionem meam incorruptionem animarum, immortalitatem corporum. Tanto mihi nagotio impendente, » quid mihi et tibi est, mulier? » Opus Dei tuis affectibus præponendum est. Non tuam, imo non meam, sed Patris mei voluntatem fieri oportet. His et aliis hujuscemodi verbis « introduxit me in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem, id est, intelligere me fecit, se ad hoc venisse, ut humani generis aquaticam infirmitatem in suum vinum, id est, in suæ immortalitatis converteret fortitudinem, et quod affectibus meis divinam voluntatem præferre deberem. Hoc est enim ordinatam habere charitatem, optare quidem, ut non moriatur talis dilectus, sed amplius desiderare totius humani generis salutem.

A Inordinata et adhuc ordinanda erat charitas Petri, qui assumens illum seorsum « absit, inquam, Domine, non erit tibi istud! » (*Matth.* XVI.) Dixerat enim quod tradendus esset in manus hominum et occidendus. Jamdudum docuerat me charitatis ordinem, ut dolorem quidem, et justi doloris gladium in mente vel anima portarem, non tamen averti propositum Dei cuperem, proventurum ipsi ad gloriam et honorem, et humano generi ad perpetuam salutem. Quid igitur? « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me. Ecce abiit, ecce recessit. » Comprehensus ab impiis et occisus, abiit in sepulcrum, descendit ad infernum, resurrexit, et parumper visus recessit in cœlum. Scitis autem, B quicunque amici estis, quicunque illum diligitis: Scitis quia quisque vestrum dicit: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* I). » Quanto magis ego, quæ illum genui, cum illo esse cupio? Revera non quomodocunque cupio, sed et « amore langueo. » Igitur « fulcite me floribus, stipate me malis. » Hæc mihi sit consolatio. Amore languens pro absentia dilecti, unde possum consolari, nisi ex eo, ut credatis, et credentes vitam habeatis in nomine ejus, o populi universi? Credendo « fulcite me floribus, » bene operando et fructum vitæ æternæ percipiendo « stipate me malis. » Ita enim fiet, ut non lassescam fatigatione dilationis. In hoc « læva ejus sub capite meo, » quod interim dum differor, floribus vestris fulcior, malis vestris stipata sum, quia vester pro- C fectus, vestra salus, meum est gaudium; et nihilominus quidem « amore langueo, » sed in isto consolata sum. Hæc est « læva ejus sub capite meo, » videre me impleri ea quæ scripta sunt de eo, quæque ipse promisit de semetipso, videre hoc donum quod effudit scilicet Spiritum sanctum, quem die Pentecostes misit (*Act.* II), videre Evangelium prædicari ubique sequentibus signis, multiplicari credentes in nomine ejus, reflorescere mundum Ecclesiis ejus, et fructificare cunctis virtutibus, curvari in nomine ejus « omne genu, cœlestium, terrestrium et infernorum, » et omnem linguam « confiteri, quia ipse Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). » — « Læva, » inquam hæc « est sub capite meo, » id est, consolatio magna quidem sed minor exspectatione vel desiderio meo. Quæ est D illa exspectatio? quod est illud desiderium? « Et dextera ejus amplexabitur me, » id est, gloria Patris, in qua ipse est, totam circumdabit et implebit me, cum de præsenti sæculo eduxerit et assumpserit me. Illa videlicet dextra qualis est [*al.*, sit], Psalmista breviter intimat [*al* insinuat], dicens: « Et delectationes in dextera tua usque in finem (*Psal.* XV). »

LIBER SECUNDUS.

385 « Cantabiles mihi erant, » ait Psalmista, « justificationes tuæ, Domine, in loco peregrinationis meæ (*Psal.* CXVIII). » Quis est locus peregrinationis nostræ, nisi præsens dejectio mortalitatis et passibilitatis nostræ, quam et alibi vallem lacrymarum appellat, in qua oportet pati multa scilicet esu-

riem, sitim, cæterasque miserias, et ad ultimum ipsam mortem. Si ergo jam in tali loco, in tali peregrinatione cantabiles sunt justificationes tuæ, quanto magis in civitate tua, Domine? Quæ vero majores justificationes tuæ sunt justificationibus, quas habemus vel intelligimus in vocibus istis, quæ dicuntur Cantica canticorum? Igitur totis viribus, cunctis extensis rationalis citharæ (scilicet corporis et animæ) fidibus istas justificationes tuas cœpta modulatione decantemus, te adjuvante, sancte Spiritus, quia nimirum cœleste Canticum hic assuescendum est, ut nobiscum scientia vel notitia ejus in illo sæculo juste perseveret. Secundæ perioches, id est recapitulationis initium, hoc est: « Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoad B usque ipsa velit. » Quid rogo, necesse fuit dilectam dormire? Nemini enim parum necessaria fuit ejus dormitio, cum tanta sit pro ea dilecti adjuratio. Quid ergo necesse fuit eam dormire, aut certe quid fuit illi dormire? Hoc enim perspecto melius clarebit quam necessaria ejus dormitio fuit. Quid ergo illi dormire fuit? Profecto illud, quod evangelista vult insinuare, cum dicit: « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc.* II). » Iterumque repetens alio loco, dicit: « Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. » Hoc erat dormire, scilicet oris custodiam habere, et secretum sibi commissum, propter tempus quod malum erat, non propalare, ne perciperet Herodes de rege Judæorum, qui natus erat, ubinam C esset. Itaque necessarium valde fuit dilectam dormire, et inter verbosas filias Hierusalem nolle vigilare. Neque enim deerant ejusmodi filiæ Hierusalem, quæ, quamvis benevolæ essent, non tamen scirent usquequaque opportunam habere taciturnitatem, sed idcirco non expediebat ut dilecta hæc de sanctæ contemplationis somno suscitata communem se illis faceret, et ad respondendum eis evigilaret, etsi alii quidpiam loquebantur, verbi gratia, pastores, quos aliqua dixisse certum est (*eod. cap. in fin.*). Ait enim evangelista: « Et omnes, qui audierunt, mirati sunt de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos (*Luc.* II); et si, inquam, vel tunc, vel deinceps propter multa mira, quæ facta sunt, alii loquebantur, ipsam tacere et non inquietari condecebat, ne res nimis manifesta fieret, majoremque D persecutionis ipsa laborem sustineret, quam fuit illa fuga qua in Ægyptum fugere oportuerat. Igitur, « adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit, » id est fortiter obfirmo mentem dilectæ, ne ante tempus loquendi denarret vobis quid vel quomodo sibi factum sit, etiamsi vos multum instantes inquiratis. Per quid adjuro vos? Per capreas cervosque camporum. Vere magnum adjuramentum. Nam et ego juravi cervis et capreis, scilicet patribus vestris, regibus et patriarchis, maximeque Abraham et David, facere verbum istud, quod nunc feci, cum

A quo videlicet verbo dilecta dormit dormitatione silentii competentis. Si nunc sciscitantibus vobis, et illa omnibus respondente, fama nimis crebresceret, et Herodes puerum inveniret atque occideret, Evangelio nondum condito, quomodo jusjurandum meum ratum permaneret, quod juravi ad Abraham patrem vestrum, in isto semine ejus benedicendas fore omnes gentes? Idcirco per illos patres vestros, vobis reverendos, adjuro vos. Unde patres illi capreæ sive cervi? Nimirum ex eo quod sicut capreæ ad instar avium ardua et excelsa tenent, in sublimi habitant, et in petris altissimis commorantur, sic illi manentem non quæsierunt civitatem, sed meliorem appetierunt, hoc est cœlestem (*Heb.* XI, 13), in casulis habitantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram, et sicut cervi, cum aliquid serpentini generis comederint, summa agilitate desiderant venire ad fontes aquarum; ita illi scientes se a primis parentibus per serpentem contraxisse originale peccatum, desiderabant nasci sibi jam dictæ benedictionis promissum fontem, in quo est remissio peccatorum. Inde est illud: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus (*Psal.* XLI). » — « Vox dilecti mei: Ecce veniet saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. » Dilecta quando vult, non suscitata, neque evigilare coacta, sed quando vult, et ubi vult, et quibus vult, Scripturarum mysteria pandit et loquitur, et dicit: « Vox dilecti mei, » subauditur, talis est, qualem dictura sum, et vocis ejus, id est Scripturæ, quia ad ipsum et ad me pertinet, sensus hic est, quem expositura sum. Vocem ipsam, verba ipsa dilectæ quæ loquitur mihi, jam dicerem, sed vos forte prius aliud audire vultis, cur tandiu dilatum fuerit hoc negotium, et priusquam mecum conveniret, tot generationes præterierunt, videlicet « ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, et a transmigratione Babylonis usque » ad ipsum « generationes quatuordecim, » sicut evangelista diligenter distinguit (*Matth.* I). Cur adventum suum tandiu distulit? num tardus est aut segnis? Imo velocissimus in opere suo est secundum testimonium Scripturarum, cujus videlicet testimonii summa hæc est: « Ecce iste veniet saliens **386** in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. » Dicunt enim Scripturæ propheticæ, velocitatem ejus attestantes: « Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari (*Isai.* VIII): » Item, « Et ecce festinus velociter veniet, non est deficiens, neque laborans in eo (*Isai.* V), » et multa his similia. Unde ergo dilatio: Dicam: « En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. » Diligenter animadvertite, ut sciatis rem. Non enim res parva est, quam dico « parietem nostrum, » propter quem tam morose venit iste, qui et ante-

quam veniret, festinus et celer vocatus est, et cum venisset, illud propter quod venerat, tam cito, tam velociter operatus est. Quid enim? Quam longum expendit tempus in faciendo, id quod de ipso scriptum est: « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus? » (*Psal.* XVIII.) Spatio annorum plusquam triginta duorum tantam exultando cucurrit viam, « saliens » atque « transiliens, » tanquam caprea sive hinnulus cervorum, de cœlo in uterum meum, de utero meo in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rursus in cœlum. Propter quem ergo « parietem nostrum » tandiu moratus est, qui tam velox in opere est? Nimirum propter parietem inimicitiarum, qui non de uno tantum originali peccato, verum etiam de multis actualibus peccatis congestus est. Eorum videlicet actualium peccatorum, primum illud fuit, quod filii Jacob, filii Isaac, filii Abrahæ, ad quem primum repromissio facta fuerat, fratrem suum Joseph per invidiam in servum vendiderunt, et ille quatuordecim annis servivit (*Gen.* XXXVII). Cum enim sedecim esset annorum, tunc venditus est, et quando eductus de carcere, stetit in conspectu regis Pharaonis, triginta annorum erat (*Gen.* XLI). Itaque sicut quodam loco judex justus, id est Dominus dicit: « Juxta numerum dierum, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur, et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras (*Num.* XIV); » ita et illic justum esse arbitremur judicium, ut diceret: Juxta numerum quatuordecim annorum, quibus servivit venditus Joseph, generatio pro anno imputabitur, et quatuordecim generationibus semen quod promisi patribus vestris, differetur, quod est Christus. Igitur ab Abraham, inquit, usque ad David generationes quatuordecim, subauditur, et Christus non venit, et eousque distulit eum iratus Dominus (*Psal.* LXXXVIII), unde et Moses loco supradicto congemuit. Porro David, in quem generationes quatuordecim terminatæ sunt, cum jam et ipse promissionem accepisset eamdem cum juramento Domini, peccavit et ipse non minus quam priores illi. Uriam Ethæum percussit gladio, et uxorem ejus tulit, et interfecit eum gladio filiorum Ammon (*II Reg.* XI). Itaque non minus super hoc irasci debuit Dominus, quam dudum fuerat iratus; et idcirco a David usque ad transmigrationem Babylonis, ait, generationes quatuordecim, subauditur, et Christus non venit. Porro in transmigratione Babylonis, quæ pœna fuit transmigratis illis, non minoris erat peccati vel criminis, quod reges Juda maximeque Manasses, sanguinem innoxium fuderant multum, donec implerent Hierusalem usque ad os, absque peccatis suis, quibus peccare fecerunt Judam, ut facerent malum coram Domino (*IV Reg.* XXI). Igitur et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim, subauditur, et nonnisi post tot generationes idem Christus venit. Post hujusmodi « parietem nostrum en ipse stat, » id est propter hæc et alia peccata generis nostri cui repromissus

A fuerat, ipse justas fecit moras. « Stat, » inquam, « respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, » id est visitans nos per prophetas, memor nostri propter patres nostros. Nam fenestræ in hoc pariete fuerunt Moses et prophetæ, suo quique tempore intra multitudinem peccantium, in ipsa congerie peccatorum claruerunt, parietem non ita contiguum esse sinentes, quin dilectus haberet aditum, quo huc introrsus respiceret, et vocem audibilem daret, locutionem intelligibilem faceret. Porro cancelli, scilicet anterior pars ædificii fuerunt Abraham, Isaac et Jacob, primi patres generis nostri, per quos in eo prospexit quod propter eos misertus est nostri, recordatus est quod eis promiserit, quid juraverit, hoc est quod ipsa cecini: « Suscepit Israel puerum

B suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini ejus in sæcula (*Luc.* I). Et dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt. » Verba ista profecto desiderantis verba sunt. Quid autem est desiderium dilecti, vel quid amor ejus, nisi charitas, nisi Spiritus sanctus? Tali utique desiderio desiderare, cum amore recte dicitur amare, dicitur etiam lætari, ut illic: « Lætabitur Dominus in operibus suis (*Psal.* CIII). » Quin etiam petere dicitur, nimirum eodem

C desiderio, juxta illud in Deuteronomio: « Et nunc Israel, » inquit Moses, « quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum? » (*Deut.* X.) Amplius autem non solum petentis, verum etiam valde optantis animo loquitur, cum item in Deuteronomio dicit: « Bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum (*Deut.* V). » Et in Isaia dicit: « Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris (*Isai.* XLVIII). Hæc et his similia multa scripta sunt, testantia quietum dilecti desiderium, charitatem impassibilis, non passionem, sed delectationem qua semper optavit,

D semper concupivit id quod utile esset creaturæ suæ humano generi. Quod si unquam aliquid recte dicitur optasse vel desiderare, quanto magis istud, in quo est summa salutis, istam plenitudinem temporis, in quo fieret ex muliere, fieret sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperent? (*Galat.* IV.) Igitur hæc verba dilecti, loquentia mihi: « Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni, » etc., sic accipite, quasi verba desiderantis, tanquam festinantis et optantis jam adesse materiam tantæ salutis, scilicet me, cujus caro illi materia foret assumendæ carnis. Tanquam præsenti loquebatur

mihi, meque jubebat surgere et properare, id est nasci et hospitium ventris mei sibi cito præparare. Et revera priusquam nascerer, illi præsens aderam, antequam fierem, bene illi cognita fueram. Si enim dicitis et vere dicitis, quia « elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate (*Ephes.* I), » nonne et de me recte sentitis, et recte sentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi constitutionem, ut essem sancta et immaculata in conspectu ejus in charitate? Et si sapiam [f. sapientia], ut ipsa testatur jam antequam fieret, « ludens erat coram eo in orbe terrarum, et deliciæ ejus cum filiis hominum (*Prov.* VIII); » quanto magis ludens erat, et deliciabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum. « Surge, » inquit, » propera, amica mea, columba mea, formosa mea, » et in his omnibus Evæ opposita. Eva namque quasi inimica, Eva quasi vipera. Eva quasi deformis et ignominiosa. **387** Mihi inimica viro suo vipera, sibimet confusa ignominia. Inimica per superbiam, qua intus tumuit, vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens, foris tentata, facile cessit. Ignominiosa per pruritum libidinis, qua statim scaturire cœpit, unde et nudam se cognoscens, folio pudenda contexit (*Gen.* III). Tu autem « amica mea » per humilitatem, « columba mea » per charitatem, « formosa mea » per castitatem. Tu contra Deum non timuisti, imo mente humili Altissimo complacuisti et ecce amica es. Tu serpenti aurem non præbuisti, imo inimicitias inter te et serpentem ego posui, et ecce columba es. Tu nuditatem libidinis non incurristi, imo Spiritus sanctus obumbrabit tibi, et ecce formosa es. Veni ergo, Maria, veni; nam Eva ad latebras fugit. Veni et crede angelo evangelizanti, nam Eva credidit serpenti susurranti. Veni et contere caput serpentis, nam Eva et capite illecta, et ventre oblectata, et cauda est obligata serpentis. Veni et dic: « Ecce ancilla Domini (*Luc.* I), nam Eva se abscondens pariter et defendens: « Serpens, » ait, « decepit me, et comedi (*Gen.* III). » Hæc est vox dilecti mei, et hæc loquitur mihi: « Surge, propera et veni. » Surge per fidem, propera per spem, veni per charitatem. « Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit. Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt. » Ecce enim æquinoctium vernum jam præteriit, et adest festivitas Paschalis, dum hæc loquor tibi, dum foris angelus annuntiat, et ego intus vocem sequor annuntiantis, Quo tempore sine dubio, secundum cursum solis et naturam aeris, « hiems jam transiit, imber abiit et recessit. » Ex ipsa ergo qualitate temporis auspicium cape magnæ felicitatis, quia per istud quod dicitur tibi, quod agitur tecum, transiit, id est certissime pertransibit, hiems peccati abiit et recessit, id est certissime abibit, et recedet imber iræ cœlestis, quæ videlicet hiems ex eo venit, quod Eva jam

A dicta fugiens abscondit se a facie Dei et qui imber idcirco terram, id est omne genus humanum verberavit, quia peccavit. Hic est imber, hæc est ira cœlestis: « Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos, etc., » usque: « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III). » Hic talis imber abiit et recessit, id est certissime abibit et recedet per me fructum ventris tui. Tunc apparuerunt, id est certissime apparebunt flores multi, flores sancti ac diversi, alii videlicet martyrio rubicundi sive purpurei, alii confessione sive ad imitationem nostri, virginitatis incorruptione candidi. Tunc et tempus putationis advenit, » et mox aderit ut amputentur ea quæ superflua sunt legis, dicaturque floribus sive florentibus campis et arboribus nostris: « Visum est enim
B Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine, et suffocato, et fornicatione (*Act.* XV), » et ea quæ vobis non vultis fieri, aliis ne feceritis. « A quibus custodientes vos, bene agetis (*ibid.*). » Tunc et « vox turturis audita est, » id est certissime audietur « in terra nostra. » Vox, » inquam, « turturis, » nimirum parvulæ quidem, sed castissimæ avis, scilicet prædicatio Evangelii, cujus initium est pulchritudo nostra castitatis, et virginei conceptus tui, « audita est, » id est audietur; in terra nostra, » in Ecclesia nostra, in universa terra. Tunc ad vocem hujuscemodi turturis « ficus protulit, » id est certissime proferet « grossos suos, vineæ florentes dederunt, » id est certissime dabunt « odorem. » Ficus, inquam, id
C est synagoga, proferet et jactitabit opera vel justitias suas, sed cadentibus hujusmodi ficis, ipsa remanebit effecta, et ego veniens ad eam, et quærens fructum, non inveniam (*Matth.* XXI). « Vineæ » autem « florentes, » id est gentes credere incipientes, » dabunt odorem, » id est bonam opinionem, ita ut amici gratulentur, et dicant: « Primum gratias agimus Deo nostro per Jesum Christum pro omnibus, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo: Surge amica mea, speciosa mea, et veni columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » Iterum « vox dilecti mei. » iterum loquitur mihi et ad surgendum invitat, eisdem nominibus me compellat.
D « Surge, » inquiens, « amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea. » Et protinus, ac si quærerem, quo ego surgam, ubi vel in quo ero columba gemituosa, « in foraminibus, » inquit, « petræ, in caverna maceriæ. » Scit enim situm vel habitum mentis meæ, quia clavi ejus, quos antequam fierent mente prophetica prævidebam, et in propheta legebam dicente. « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI), » et lancea lateris ejus quam similiter prævidebam, in propheta legebam: « Videbunt enim, » ait Zacharias, « in quem transfixerunt (*Zach.* XII); » clavi, inquam, ejus et lancea jam essent animæ meæ vulnera, et in ipsis gemerem sicut columba. Dicebat

ergo : « Columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, » id est, anima gemituosa propter fixuram clavorum, qui sum petra, propter vulnus lateris mei, qui sum maceria. Nam ego unus idemque alias petra et alias maceria. Videlicet ubi adhuc mortalis et passibilis eram, ibi ego maceria; ubi autem jam resurrexi a mortuis, ibi vel ex tunc petra solidissima, sed non disparuerunt in petra jam impassibili cavernæ sive foramina, quæ facta fuerant in maceria adhuc passibili, imo apparebunt eadem in die judicii. Age quod agis, contemplare quod contemplaris, atque hoc modo semper ostende mihi faciem tuam, et ostendendo corrige quod Eva peccavit et abscondit a me faciem suam. Ubi abscondit ? in medio ligni paradisi, videlicet in eodem in quo peccavit. Nam « de ligno, quod est in medio paradisi, » ait, « præcepit nobis Dominus, ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Comedit, et cum audisset vocem Domini Dei abscondit se, » ait Scriptura, « a facie Domini Dei in medio ligni paradisi (*Genes.* III). » Ergo in quo peccavit, in eodem se abscondit, utpote quæ in peccato suo sibi complacuit, et peccatum suum defendit. Non ostendit mihi faciem suam, cum dicerem: « Ubi es? » Non sonuit vox ejus in auribus meis, vox confessionis, quæ sonare debuisset, saltem cum dicerem, « quare hoc fecisti? » sicut quando ei benedixi et viro ejus, dicens: « Crescite et multiplicamini, » non sonuit vox in auribus meis; nullum enim cantavit canticum gratiarum actionis pro tam magno beneficio, quo illam constituebam matrem tantæ generationis, possessuræ tantam hæreditatem regni Dei. Tu autem « ostende mihi, » sicut et ostendis « faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, » et audiam ego, audiant et amici, quorum unus vel primus audivit, cum adhuc esset clausus in utero matris suæ, et exsultavit ad vocem tuam, quæ hoc modo sonuit in auribus meis : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo (*Luc.* I). » Ibi ad vocem meam, et vocem tuam audire atque exsultare cœpit. Unde et quodam loco dixit: « Qui habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi (*Joan.* III). » Hoc ergo gaudium meum impletum est. Igitur quia et amici auscultant, et me delectat audire faciem fidei, et audire vocem confessionis atque gratiarum actionis, **388** « ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » In quo vox tua dulcis ? In eo videlicet, quod columba mea es, et intenta in foraminibus jam dictis, ita sicut columba gemitum pro cantu habes. Canendo gemis, gemendo canis, et ipsa exsultatio qua exsultavit spiritus tuus in Deo salutari tuo, plena est gemitibus, plena lacrymis. In quo facies tua decora? in eo videlicet, quod magna est fides, magna humilitas. Iste est decor, quem concupivit Rex, quemadmodum Psalmista dicit: « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et do-

A mum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum (*Psal.* XLIV). « Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Nam vinea nostra floruit. » Vulpes Herodes, vulpeculæ sive vulpes parvulæ illius temporis omnes, qui quærebant animam pueri. Unde et de quodam ex posteris ejusdem nominis, cum nuntiatum fuisset et Pharisæis dicentibus: « Exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere (*Matth.* II). Ite, inquit, dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor (*Luc.* XIII). » Ergo vulpes Herodes, maxime quia non solum crudelis, verum etiam dolosus ille, qui dixit: « Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum (*Matth.* II). » Fuisse tunc jam cum eo

B etiam alios ejusdem dolositatis, vel ex eo constat, quod angelus ad Joseph ita dixit: « Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri (*ibid.*). » Igitur vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, capite nobis, inquit, id est occidantur cito, moriantur, et dispereant qui quærunt animam pueri. Nonne videtis parvulas vulpes istas, quomodo « demoliuntur vineas? » Herodes enim non cessat occidere fere omnes, qui erant regiæ stirpis, non cessat perscrutari, ut funditus deleat domum David, de qua regem Christum nasciturum fore audivit. Nonne videtis ad ultimum, quod teneros palmites fera ista momordit, quod infantes bestia crudelis occidit in Bethlehem Judæ, civitate David? Capite, capite, « nam vinea nostra floruit. » Vinea illa, quæ nostra est, vi-

C nea vel vitis, vinea propter quam cæteras demoliuntur vineas, inter quas ista sic latuit, quemadmodum virga una gracilis in magna sylva latere solet ob parvitatem sui; vinea, inquam, nostra hæc floruit. Fructus ejus adhuc flos, et non botrus est, nondum maturuit, et idcirco damnosum nimis est hujusmodi vineam vel florem ejus succidi vel demoliri. Crescat prius et de flore proveniat fructus, condatur Evangelium, et cognoscatur de signis et virtutibus, venisse Sanctum sanctorum, atque hoc erit florem venisse in fructum et maturuisse botrum. Tunc, si fuerit succisus hujusmodi botrus, custodiatur, atque in vecte crucis portetur, ut experimento resurrectionis et dulcedinis ejus cognoscatur qualis terra, quale sit regnum ejus, ad quod non pertinent

D velpeculæ istæ, « quæ vineas demoliuntur. » Sicut olim duo viri de exploratoribus quos misit Moses ad explorandam terram promissionis, palmitem cum uva sua deportaverunt in vecte cum cæteris frugibus terræ, dicentes: « Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his frugibus cognosci potest (*Num.* XIII). » Illius rei gestæ mysterium observetur, et tandiu vinea nostra defendatur a vulpibus, donec flos ejus botrus fiat præmaturus, ex suo sapore cognoscendus, et terræ viventium experimentum mundo præbiturus. « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. » Hoc est,

unde « beatam me dicent omnes generationes (*Luc.* I), » quia « dilectus meus mihi, et ego illi. » Quomodo enim ille mihi, et ego illi, nisi sicut per prophetam dictum est: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum? » (*Isaiæ* VII). Ita enim ille mihi, et ego illi, nec opus est dicere verbis, quia mente melius potest percipi, imo nec verbis exprimi, nec mente potest comprehendi sive æstimari, qualе vel quantum hoc sit. Recordemur hic etiam veteris historiæ, per quam colligi potest, quam sit terribile id quod sub verbis continetur tam jucundis, « qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ, » simulque quam serio de Emmanuel sit dictum: « Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. » Quæ est illa vetus historia? « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ, » ait Dominus ad Abraham, « multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam (*Genes.* XVIII). Veneruntque duo angeli Sodomam, sedente Lot in foribus civitatis. Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum. Ingressique domum illius, fecit convivium, coxit azyma et comederunt; prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum illius, a puero usque ad senem omnis populus simul, vocaveruntque Lot et dixerunt ei: Ubi sunt viri, qui ad te introierunt nocte? Educ eos huc, ut cognoscamus eos (*ibid.* XIX). » Et quidem duo angeli venerant, sed diligenter animadvertendum, quia sic deinde scriptum est: « Dixit quoque Lot ad eos: Quæso: domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, etc. » Ergo et in tribus angelis, qui venerunt ad Abraham meridie, et in duobus qui venerunt Sodomam vespere, unus idemque agnoscendus est Deus, qui et per ipsos operabatur et in ipsis loquebatur: « Descendam, » inquiens, « et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam. » Igitur et de illo tempore jam præterito recte dicas, « butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum, » quoniam et apud Abraham et apud Lot habuit convivium, ut tanti illius mali caperet experimentum, et pascebatur apud illos tandiu, donec aspiraret dies et inclinarentur umbræ, id est usque mane. Sic enim scriptum est: « Cumque esset mane, cogebant eum angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam et duas filias quas habes, ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. » O quam terribile impiis, et quam venerabile est piis id, quod secundum similitudinem illius rei gestæ intelligitur in verbis istis! « Pascitur, inquit, inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. » Quænam sunt lilia, nisi amicus dilecti Joseph, et ego dilecta, cui dicit: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » Vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus

A nuptiis et cohabitatione castissima. Inter hujusmodi lilia pascitur dilectus, « donec aspiret dies et inclinentur umbræ, comedit » Emmanuel « butyrum et mel, » id est qualemcunque victum necessarium corpori, « ut sciat reprobare malum et eligere bonum. » Dixit enim ipse olim: « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ venit ad me, descendam, et videbo, utrum opere compleverint, an non est ita, ut sciam. » Dicit et nunc, quia clamor sanguinis sanctorum prophetarum, quem effuderunt Judæi, « venit ad me, descendam ut videam utrum tales sint, an non est ita, ut sciam. » Facturus quippe sum universale judicium, cujus exemplum fuit illud Sodomorum 389 incendium sulfureum, juxta illud: « et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem B redigens, eversione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens (*II Petr.* II). » Quod si illud in Sodomis non feci judicium, nisi prius experimento scirem, utrum ita esset an non, quanto magis antequam faciam illud universale judicium, debeo experiri, ut sciam reprobare malum et eligere bonum, sic incipiens: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. (*Matth* IV). » Cum istud in me accepero experimentum, cum impleverint mensuram patrum suorum, occidendo me Dominum prophetarum, sicut prophetas occiderunt patres eorum (*Matth.* XXIII), tunc incipiet judicium fieri a cæcitate ipsorum secundum similitudinem Sodomorum. Sic enim dictum, et sic factum est. « Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt C ad se Lot, clauseruntque ostium, et eos qui foris erant, percusserunt cæcitate, a minimo usque ad ultimum, ita ut ostium invenire non possent (*Gen.* XIX). » Ita cæcitas continget in Israel in his, qui non tam Israelitæ, quam Sodomitæ sunt, juxta illud Isaiæ: « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei mei, populus Gomorrhæ (*Isa.* XLI). » Cumque aspiraverit dies, subauditur resurrectionis meæ, et inclinatæ fuerint umbræ peccatorum et ignorantiæ, in iis videlicet qui pœnitentiam egerint, tunc subvertam illos, sicut mane illo subverti Sodomam et Gomorrham, non quod reliquiæ non remanebunt, juxta illud propheticum. « Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham et facti estis quasi torris raptus de incendio (*Amos* IV). » Item: « Nisi D Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus (*Isa.* I). » Hæc dilectus mihi. Et quid ergo illi? « Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ aut hinnulo cervorum super montes Bethel. » Quid erat hoc dicere, nisi orare pro salute reliquiarum gentis meæ? Nunquid enim ego erga gentem meam minorem compassionem haberem vel charitatem amicorum, scilicet prophetarum et apostolorum? Exempli gratia: « Quare, inquit Isaias, errare nos fecisti, Domine, de viis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Convertere propter servos tuos tribus hæreditatis tuæ (*Isa.* LXIII). » Apostolus au-

tem : « Veritatem, inquit, dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna et continuus dolor cordi meo (*Rom.* VI), etc. » Igitur et me non dubitetis postulasse pro salute reliquiarum gentis meæ, cujus videlicet postulationis summa hæc est : « Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ aut hinnulo cervorum super montes Bethel, id est propter patres domus Dei, hoc enim interpretatur Bethel. Cæcitas quidem continget in Israel, ita ut te invenire non possint, qui dicis : « Ego sum ostium (*Joan.* X), » secundum supradictam similitudinem Sodomitarum, quos percussisti cæcitate, ita ut non possent invenire ostium, sed revertere super montes Bethel, id est, sicut Isaias dicit : « Convertere propter servos tuos (*Isa.* LXIII), recordare misericordiæ tuæ, sicut locutus es ad patres nostros (*Luc.* I), ut saltem, quum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus fiat (*Rom.* XI). » Aliter : « Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, aut hinnulo cervorum super montes Bethel. » Qui pasceris inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, qui, ut scias reprobare malum et eligere bonum, butyrum et mel comedis, et hoc inter lilia castitatis, quæ sunt optima, pater et ego virgo mater, cum aspiraverit dies et inclinatæ fuerint umbræ, revertere, id est, diluculo resurge, « valde mane, orto jam sole (*Marc.* XVI), » plena luce, reparationis nostræ inclinatis atque destructis umbris mortalitatis nostræ. Cito revertere, noli moras facere, quia anima mea desiderat te. Scio quidem quia cito reversurus es, juxta illud propheticum : « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus (*Ose.* VI) ; » et juxta quod ipse dixisti : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus (*Matth.* XII). » Tridui quidem tempus breve est, sed dilectæ et columbæ tuæ desideranti et gementi vulnerata mente, non satis, dilecte mi, festinatum est. Abbrevia hoc ipsum triduum, et similis esto in revertendo « capreæ aut hinnulo cervorum, » id est, velocissimus esto ad peragendum cursum tuum. In corde terræ, id est, in sepulcro tuo non totum expendas triduum. Sufficit ad complendam veritatem Scripturarum, si partem exiguam primi diei, id est tres horas novissimas, et partem aliquam diei tertii, scilicet sex horas, quod est dimidium noctis, cum die secundo, id est, cum Sabbato jacens in sepulcro, transegeris. Nam tres integri dies, horæ septuaginta duæ sunt. Hoc esset nimis longum. Sufficiunt horæ triginta tres, qui numerus ex duobus ternariis, deceno et singulari compositus est. Beatam Trinitatem, cui primus homo peccavit, in te et per te, et de teipso, dilecte mi, caro mea et sanguis meus, Deus meus et Dominus meus, placari oportet, sed hoc fiat celerrime et multum festinanter, sicut caprea sive hinnulus cervorum in montibus celerrimus est,

A secundum nomen tuum, quo per prophetam jussus es vocari, « Accelera spolia detrahere, Festina prædari (*Isa.* VIII.) » Vix igitur exspectatis triginta tribus horis, revertere super montes Bethel, id est, resurge et appare principibus domus Dei, scilicet apostolis tuis et mihi, cujus maxime, sicut et illorum, imo et multo plus quam illorum, tu es grande desiderium, juxta illud patriarchæ Jacob dictum ad Joseph filium decorum : « Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum (*Gen.* XLIX). » Quam veraciter ille te appellaverit « desiderium, » ego maxime in visceribus meis experta sum, et hoc amicis est intimandum.

CAP. III. — « In lectulo meo per noctes quæsivi B quem diligit anima mea. Quæsivi illum, et non inveni. Surgam et circuibo civitatem per vicos et plateas, quæram quem diligit anima mea. Quæsivi illum et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem dilexit anima mea vidistis ? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem dilexit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. » Hoc sentitis, o amici, in vobismetipsis, quicunque habetis sanctum dilectionis Spiritum, quicunque diligitis Dominum Deum ex toto corde, ex tota mente, et ex tota anima. Hoc, inquam, sentitis vos, amici, et filiæ Hierusalem, quia magnum in ista dilectione est desiderium. Quanto vicinior iste dilectus habetur, tanto vehementius desideratur. Qui habent, habere C desiderant, qui vident, videre desiderant. Nam angeli vident, et tamen, Scriptura teste, desiderant in eum prospicere. Ego autem, non utcunque habui aut vidi eum, sed in utero gestavi, et genui eum, et ei mater lac præbui, et diligenter contemplata sum. Quid putatis, quot noctes duxi pervigiles videndo et audiendo eum ? Non enim sufficiebat dies ad tantum desiderium, sed toties noctibus in lectulo meo, in cubiculo meo pervigil fovebam et adorabam parvulum, audiebam et adorabam jam adultum, cum intra dulcia colloquia per oculos suos, oculos corporis transfunderet mihi suæ divinitatis aspectum, ita tamen contemperans, ut tolerare possem, **390** quem tremunt angeli, et virtutes cœlorum, juxta illud quod audistis eum dicentem in hoc ipso D libro Canticorum : « Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt (*Cant.* VI). » Ita in lectulo meo habui eum, sed deinde contigit mihi, ut ibi non invenirem eum. Dixit enim : « Quid mihi et tibi est, mulier ? » (*Joan.* II). Jam ex quo baptizatus est a Joanne, fieri cœperat, in lectulo sive cubiculo meo in illo habitationis meæ secreto, ut non invenirem eum. Nam statim « ductus est in desertum a spiritu (*Matth.* X, XIX), et deinde regressus, Evangelium eis præposuit affectibus, ita ut diceret : « Quid mihi et tibi est mulier ? » Sed et alios docuit, ut similiter facerent, ut scilicet patrem et matrem propter Evangelium relinquerent (*Luc.* IX). Itaque

desiderio quærebam et non inveniebam eum, ut solitaria possiderem solitarium. Dixi ergo : « Surgam et circuibo civitatem per vicos et plateas,quæram quem diligit anima mea. » Dixi et feci sic,cum enim circuiret per civitates et castella, prædicans Evangelium regni Dei, ego sequebar et quærebam eum. « Quæsivi illum, et non inveni. » Ille enim tanto intentus negotio,me matrem suam agnoscere quodammodo dissimulavit. Denique et quadam die, cum, « loquente eo ad turbas, dixisset ei quidam : Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te, ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea,et qui sunt fratres mei ? Et extendens manum in discipulos suos,dixit : Ecce mater mea et fratres mei.Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus et frater et soror et mater est (*Matth.* XII ; *Joan.* XIX , *Luc.* VIII ; *Marc.* III).» Hoc modo me matrem suam agnoscere dissimulavit. Hoc est quod dico, « quæsivi illum et non inveni. » Post hæc juxta crucem ejus steti. Sed nunquid hoc mihi fuit invenisse dilectum ? Imo fuit mihi invenisse gladium, qui et pertransivit animam meam. Sepultus est, clausum et signatum fuit monumentum. Et ego quali mente quærebam eum ? Quali desiderio desiderabam eum, sciens eum esse a mortuis resurrecturum ? Inde « non inveni illum. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. » Qui vigiles,vel quam custodientes civitatem ? Discipuli ejus, quia ad hoc erant dispositi, ut custodirent, imo ut ædificarent civitatem veram Hierusalem, de qua, vel ad quam ipse dilectus, per Isaiam dixit : « Super muros tuos,Hierusalem,constitui custodes, tota die et tota nocte non tacebunt laudare nomen Domini (*Isa.* XXVI).» Isti vigiles jam tunc vigilabant, quia lugentes et flentes somnum non capiebant. Isti vigiles me invenerunt, et mulieres; quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum, quæ et emerant aromata, ut venientes ungerent eum (*Matth.* XXVIII ; *Marc.* XVI), invenerunt me, bonum certatim afferendo nuntium, quod resurrexisset, et quod vidissent eum. Et ego, inquam : « Num, quem dilexit anima mea, vidistis ? Vidimus, aiunt, vidimus Dominum : « Surrexit vere, et apparuit Simoni (*Luc.* XXIV). » Visus est et duobus euntibus Emaus, et deinde stetit in medio nostrum et dixit : « Pax vobis, » et ostendit nobis manus et latus (*Joan.* XX), et obtulimus ei partem piscis assi et favum mellis, et manducabat coram nobis,et dixit : « Hæc sunt verba,quæ locutus sum ad

A vos, cum adhuc essem vobiscum (*Luc.* XXIV), etc. » His atque aliis modis vidimus eum ipsa tertia die qua resurrexit. Hæc mihi dixerunt vigiles illi. Ego autem sic illum invenire cupiebam, ut jam nemo despiceret me dicentem, inveni illum, vidi illum, et ita factum est.Nam paululum cum pertransissem eos,inveni « quem diligit anima mea » et non quocunque, sed in cœlum vidi ascendentem, et apostolos ejus, misso de cœlis Spiritu sancto,vidi prædicantes gloriam Domini (*Act.* I). Hæc mihi fuit inventio ejus, quem diligit anima mea, et ex illa inventione tenui eum, ut introducerem in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ,scilicet Synagogæ. Hoc ex parte jam factum est, quia multi Judæorum crediderunt in eum : alii quidem

B obclusis cordibus me et ipsum repulerunt (*Act.* II, III),sed non dimittam donec illuc introducam eum. « Si enim,ait Scriptura,fuerit populus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eis (*Isa.* X). » Dilecta et dilectarum dilectissima,cæterarum exemplum est animarum, ut similiter et ipsæ pro modulo suo dilectum quærant, et invenire cupiant. Dilectum namque in lectulo quærimus,quando in præsentis vitæ aliquantula requie Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus quia, etsi jam mens in illa vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectum suum non invenit, restat, ut surgat, civitatem circumeat, id est, sanctam Ecclesiam electorum mente et inquisitione percurrat, per vicos et plateas quærat, id

C est, per angusta et lata gradiens, et aspiciat ut si qua invenire in eis valeat, ejus vestigia exquirat, quia sunt nonnulli etiam vitæ sæcularis, qui imitandum aliquid habent de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inveniunt, qui custodiunt civitatem, qui sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo verbo vel scripto nos doceant.Quos cum paululum pertransimus,invenimus qaomodo diligamus, quia Redemptor noster, et si humilitate homo inter homines, divinitate tamen supra homines fuit. Cum ergo transeunt vigiles,dilectus invenitur,quia, cum prophetas et apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui natura Deus est, esse supra homines consideramus.Prius ergo inveniendus quæritur, ut post inventus strictius teneatur.Sancta omnium

D desideria, ut prædiximus, dilatione crescunt,si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt.

LIBER TERTIUS.

391 Tertia recapitulatio sonorum vade habet principium,scilicet tantam in admiratione exclamationem, ut auditorem etiam dormitantem excitare et reddere possit attentum.Præmissa namque admiratione, « adjuro vos, filiæ Hierusalem,per capreas cervosque camporum,ne suscitetis,neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit, » de qua supra tractatum est, continue sic exclamat divina vox : « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii ? » Cujus rei,quæso, est hæc admiratio ? Nimirum admiratio est hujus

dilecti singularis hujus sanctissimæ Virginis. Et quid admiramur? Vel quid nobis admirandum insinuat Spiritus sanctus per verba hujuscemodi: « Ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? » O felicem mentis habitum, qui tam magnum habet præconium. Humilitas tua est, o ancilla Domini, beata Maria, quam tali admiratione Spiritus sanctus collaudat. Odor tuus, odor humilitatis tuæ præcipuus ascendit ad eum, ut vere sacrificium contribulati spiritus. Quid enim est fumus et quid pulvis, nisi spiritus lacrymosus et conscientia valde humilis? Et sua quidem æstimatione vera humilitas est fumus innoxius, quasi cremii sive torris obusti, et pulvis terræ sine aqua et sitientis, juxta illud: « Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt (*Psal.* CI), » et sicut Abraham dixit, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Genes.* XVIII), sed non ita æstimatione Dei. Aliter et melius ille te discernit. Tu dicis, pulvis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit, et ille dicit, non, sed pulvis pigmentarius, sive pulvis pigmentarii, pulvis myrrhæ et thuris, qualem pigmentarius Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suavitas mentis, et ex myrrha probatissima, quod est mortificatio sive incorruptio carnis. Tu dicis, fumus ego sum teter coram divinis oculis, qualis de camino sive de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit, et ille dicit, non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ et thuris, qualem decet ascendere de auro thuribulo ante altare aureum, usque ad oculos et olfactum Domini (*Apoc.* VIII). Talis fumus, imo talis « fumi virgula, » tu, o B. Maria, suavem odorem spirasti Altissimo, cœlestibus disciplinis erudita atque extenuata. Talis ascendisti per desertum, id est, animam habens valde solitariam. Si enim vera cujusque animæ humilitas etiam inter turbas potest esse solitaria, ita videlicet, ut in nullo alio præterquam in Deo spem habeat, quemadmodum Esther, cum esset regina, veraciter tum dicebat: « Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus auxiliator est alius (*Esth.* XIV), » quanto magis tu vera aut solitaria, et quasi in deserto eras, quæ virum non cognoscebas, nec cognoscere cupiebas, et ab illo, cui desponsata fueras, pene fuisti deserta, non quia sanctus angelus, qui te solitariam invenerat, solitariam salutaverat, te commendat, et filium tuum, qui quasi pupillus in hoc sæculo nasciturus erat (*Matth.* I). Digna ergo exclamatio, digna admiratio. « Quæ est ista, quæ talis ascendit per desertum » sive de deserto? Vere mirabilis, et illi multum dissimilis, quæ descendit per paradisum, cecidit de paradiso: non gracilis per humilitatem, sed nimis grossa et rigida per mentis tumorem. Propterea vultis scire, quam magna fuerit cura Altissimo de ista, quæ de superbis non curat? « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: uniuscujusque ensis super femus

A suum propter timores nocturnos, » Quis enim est lectus vere et veri pacifici regis Salomonis, qui inter nos et Dominum pacem composuit, nisi ille in quo divina natura humanam sibi naturam conjunxit? Et quis ille est, nisi uterus tuus, dilecta dilecti, uterus virginalis? Ibi namque divinitas Verbi Dei, Verbum Deus sese conclusit, et humanam naturam de tua carne formatam sibimet in unitate personæ inseparabiliter conjunxit, et ecce sponsus, id est, carnem nostram, cum anima rationali habens Deus, sponsus, inquam, Deus et homo Christus, sicut canimus in psalmo, et « ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Quomodo talem tanti Salomonis « lectulum sexaginta fortes ambiunt. » Vel qui illi « sexaginta fortes sunt? » Magnum et mirum mysterium, audituque

B et scitu dignum; sed prius est aliquid quærendum. Cur sancti patres gladios habuerunt, aut cur gladiis licito usi sunt? Hodie vel hoc tempore, ex quo Evangelium effulsit, ex quo ille sponsus de thalamo suo processit, sanctis ad perfectionem tendentibus non conceditur usus gladii. « Converte gladium tuum in locum suum (*Matth.* XXVI), » ait idem sponsus Petro, qui fortiter ac fideliter pro illo zelabatur, et quod uni dixit, omnibus dixit, ut post tempus belli, tempus pacis nunc esse sciamus (*Marc.* XIII). Quare istud? Quam ob causam tunc fuit tempus belli, et nunc est tempus pacis? Videlicet quia radicem sive arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primum beati seminis repromissio facta fuerat (*Genes.* XII, XXII), diabolus per barbari-

C cos gentium vel regum impiorum gladios excidere atque extirpare volebat, unde sacræ historiæ plenæ sunt. Idcirco tempus belli tunc erat, idcirco materialibus gladiis tunc opus erat, ut defensaretur genus Abrahæ, ut defensaretur radix **392** Jesse, defensaretur, inquam, atque protegeretur genus et radix David, donec tu, beata Virgo, nascereris, lectulus, ut jam dictum est, veri Salomonis. O igitur verum et bonum consilium, quod lectum Salomonis « sexaginta fortes » ex fortissimis Israel ambierunt. Et, qui fortes vel fortissimi illi sunt vel fuerunt? Numeremus illos omnes, qui pro defensione spei vel expectationis Abrahæ gladiis laudabiliter usi sunt cum prophetis, quorum libri exstant, quique contra gladios materiales regum impiorum, gladium spiri-

D tualem, gladium Verbi Dei, non solum loquendo, verumetiam scribendo evaginaverunt, et sexaginta fortes sunt (*Ephes.* VI). Primus Abraham fortissimus, gladio accinctus, sicut probatum est in illis, de quibus prædam reduxit, et Lot filium fratris sui liberavit de quatuor regibus (*Genes.* XIV). Secundus Isaac paterno gladio sacratus, et deinde potentia plus quam regia clarus, ita ut diceret ei rex Abimelech, « Recede a nobis, quia potentior nostri factus es valde (*Genes.* XXVI). » Tertius Jacob, et ipse fortis in gladio, sicut testatur ipse Joseph, loquens filio suo: « Do tibi partem extra fratres tuos, quam acquisivi in gladio et arcu meo. » Quartus idem Jo-

seph, potentia regis potens, quasi rex vel regis pater (*Genes.* XLI). Quintus Moyses, sextus Aaron, septimus Phinees, octavus Josue, nonus Caleph filius Jephone; deinde duodecim judices, qui judicaverunt et liberaverunt Israel, et sunt viginti et unus (*Judic.* III). Vicesimus secundus Samuel (*I Reg.* VII), vicesimus tertius David (*I Par.* XXIII), vicesimus quartus Elias, vicesimus quintus Elisæus, vicesimus sextus Joiada pontifex clarissimus et Domini benedictus, vicesimus septimus Zacharias, filius ejus, qui cultum Baal, quem Elias et Elisæus exterminaverunt de Samaria per manum Jehu, Jezabel interfecta, deleverunt de Juda et Hierusalem, occisa Athalia filia ejus impiissima, vicesimus octavus rex Ezechias, vicesimus nonus rex Josias, tricesimus propheta nobilissimus Isaias, post istos duodecim prophetæ, quorum libri exstant, qui et « minores » dicuntur, et fiunt quadraginta duo. Quadragesimus tertius Hieremias, quadragesimus quartus Ezechiel, quadragesimus quintus Daniel, et cum eo tres socii ejus Ananias, Azarias, et Misael, et fiunt quadraginta octo (*Dan.* III). Quadragesimus nonus Esdras, quinquagesimus Neemias, quinquagesimus primus Zorobabel, quinquagesimus secundus Ihesus, sacerdos magnus filius Josedech in reversione captivitatis et reædificatione civitatis vel templi. Quinquagesimus tertius cum regina Esther Mardochæus, qui ambo jure pro uno reputantur, quia regalis dignitas sive sublimitas Esther fuit, Mardochæi gladius. Quinquagesimus quartus Malathias, quinquagesimus quintus Judas Machabæus. Post illum Jonathas et Simon duces alter post alterum successerunt, et deinde Judas et Joannes, qui et Hircanus filii Simonis novissimi contra pardum, id est, regem Græcorum præliati sunt, et fiunt quinquaginta novem. Quibus adde hunc ipsum per quem Spiritus sanctus hæc locutus est, regem Salomonem (*II Par.* XXIII), et fiunt sexaginta. Nam Josaphat rex fuerat quidem de fortibus, sed non fortissimis Israel, quia impio præbuit auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia junctus est per Athaliam filiam Jezabel uxorem filii Joram, quæ cultum Baal introduxit in Hierusalem, et omnem impietatem, propter quam necessarii fuerunt gladii fortissimorum Israel (*III Reg.* XXII). Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Vere tenentes et jure tenentes gladios tam sacerdotes, quam reges, tam patriarchæ, quam duces, tam prophetæ, quam judices si rationem temporis supradictam rite consideres. Nondum enim processerat « sponsus de thalamo suo, » et adhuc laborabat diabolus per satellites et comministros suos, reges Ægyptios, reges quoque Israeliticos scissos a domo David, reges Assyrios sive Babylonios, reges Persicos sive Medos, reges Græcos sive Marcedonicos; laborabat, inquam, et laboraverat atque contenderat diabolus serpens antiquus, obsistere volens Dei proposito, ne impleretur promissio, ne collocaretur hic lectus sive thalamus, ne esset unde nasceretur hæc beata et dilecta Virgo

A de cujus utero procedere oportebat dilectum, tanquam sponsum de thalamo suo. Isti erant timores nocturni, quos dicit hoc modo « uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. » Hinc vere ad bella doctissimi, quia cur bellarent causam præ oculis habebant hujusmodi. Et revera pro causæ hujus consideratione percutiendo et occidendo impios, juvat et delectat sive Eliam sive quemlibet alium prophetam aut sacerdotem audire dicentem : Maledictus qui retrahit gladium suum a sanguine, quia videlicet ille erat sine zelo justitiæ. Mirum spectaculum, quia cum hæc diceret ille realis sive temporalis rex Salomon, habebat et ipse sexaginta fortes ambientes lectum suum, id est, pacatissimum et quietissimum regnum suum. Nam de patre suo David sibi relictos habebat fortes tri-

B ginta et septem, quorum primus, Eleazar, filius patrui David Ahoi, novissimus scribitur Uria Ethæus. Et quidem mystica littera sic se habet : Eleazar inter tres fortes et Abisai frater Joab, filius Sarviæ, princeps erat de tribus, et hæc fecit Banaius filius Joiadæ, et ipse nominatus inter tres robustos qui erant inter triginta nobiliores, tanquam ad mysterium intendens eorum, qui propter fidem Trinitatis agonizaturi erant, quasi distinctis ordinibus secundum triginta et tres, qui uterque numerus ternarius est, alter singularis, alter decenus, sed in summa omnes triginta septem sunt. Quibus adde principes undecim, quos habebat rex Salomon, regnans super omnem Israel, et duodecim præfectos qui præbebant annonam Regi et domui ejus, quos omnes,

C videlicet et Principes et præfectos suis ex nominibus Scriptura commemorat, et fiunt sexaginta, excepto quod Banaias filius Joiadæ, vir fortissimus et magnorum operum, hoc pacto his nominatur. Illi sexaginta fortes ex fortissimis Israel, tam virtute animi quam corporis fortitudine, tunc temporaliter ambierunt lectum, id est, tutati sunt quietissimum regnum Salomonis temporalis, et sicut in cæteris laudabilibus atque memorabilibus, quæ gessit idem Salomon, ita et isto numero fortium magnum sacramentum perpulchrum rex sapientissimus prospexit mysterium, de quo jam pro posse dictum est. Et tunc quidem gladii, sicut jam dictum est, necessarii fuerunt, nunc autem sola necessaria sunt testimonia Scripturarum, et ipse inter eosdem gladios

D divinitus provisæ sunt, ut tunc conderentur, quæ nunc in suo tempore legerentur, quas legentes atque credentes vitam in ipsis haberemus (*Joan.* V). Unde protinus sequitur : « ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas reclinatorium aureum, ascensum purpureum. Media charitate constravit propter filias Hierusalem. » Ferculum namque regis Salomonis, Scripturæ sunt veritatis omnes una mensa Domini cuncta regentis, et omnibus providentis, quemadmodum Psalmista dicit : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII). » Quid enim est, in loco pascuæ

ibi me collocavit, nisi fecit me studere in Scripturis? Ibi regit me, scilicet ne quid prave intelligam, et nihil mihi deerit, videlicet quod ad intelligendum mihi necessarium sit. Altissimum est hujusmodi ferculum et habet ascensum. Qualem **393** ascensum? Purpureum. Quid est ascensus purpureus? Deus et homo Christus, pro salute hominum passus et sanguine suo purpuratus. Istud credere, ascendere est. Quia sic ascendit, illum ad refectionem vitæ, quæ est in Scripturis divinis admittit. Nam qui sic non ascendit, qui non credit, nunquam Scripturas intelligit. Idcirco Judæi non intelligunt, et cæci sunt, quia non ascendunt per hunc « ascensum purpureum ; » non credunt Christum de Maria Virgine natum, et eum qui a patribus ipsorum crucifixus est, Deum esse ac Dominum, regem Salomonem verum, regem æternum. Exempli gratia : « Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI), » etc. Quomodo hæc et horum similia intelligit, qui alium Salomonem, alium regem sive filium regis non recipit, nisi illum hominem, qui suo tempore regnavit, et mortuus est, sicut cæteri homines? Nimis arduum est illi ferculum hoc regis, nec attingere potest quidquam de vitalibus cibis, quos ibi sapientia præparavit. Unde rex Salomon hoc ferculum fecit? De lignis Libani, id est de hominibus sanctis, hominibus fidei imputribilibus, quorum quamdam similitudinem habent ligna Libani, id est cedri, per id quod sunt naturæ imputribilis. Quomodo fecit? Eo videlicet modo, quo ad illos factum est Verbum Domini. Ipse enim rex Salomon erat Verbum Domini, et per Spiritum sanctum corda illorum implevit, et linguas disertas fecit, ut de cœlestibus scirent eloqui, qui non ab hominibus, neque per homines fuerant docti, atque ita locuti sunt et scripserunt, quæ pascua vitæ in quibus homo vivit, quemadmodum ipse dicit : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Deut.* VIII ; *Matth.* IV). » Ibi est argentum, ibi est aurum, nam « columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum. » Quod est illud argentum, et quod illud aurum? Argentum illud est exterius eloquium valde nitidum ; aurum vero interior majestas sensuum. Aurum, inquam, imo desiderabiliora sunt super aurum et lapidem pretiosum multum (*Psal.* XVIII), quæ intrinsecus latent ; nitidiora vero super argentum, quæ extrinsecus patent. « Eloquia Domini, » inquit Psalmista, « eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum (*Psal.* II). » Quod dicit casta, quod dicit argentum, ad hanc similitudinem dicit, quia sicut casta mulier a labe corruptionis est immunis, et sicut argentum bene excoctum a cunctis sordibus redditur vacuum ; sic verbis sive eloquiis Domini nihil falsitatis, nihil superfluitatis potest esse admistum. Cunctam hominum sapientiam, cunctam rhetorum sæculi hujus eloquentiam exsuperat hoc regis Salomonis ferculum, scilicet omne canonicarum corpus Scripturarum, unde hic animæ vivere incipiunt et in æternum vivunt. « Media charitate constravit propter filias Hierusalem. » Quomodo constravit, ipse dicat rex Salomon. Audivimus, quia dicit ipse : « In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII). » Dixerat enim interrogatus a Pharisæis, quod esset mandatum magnum in lege : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum, sicut teipsum. » Statimque intulit : « In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ (*ibid.*). » Vere dixit, et antiquam veritatem dixit. Quid enim aliud ab antiquo Dominus petit : « Et nunc Israel, inquit Moses, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas et diligas eum in toto corde tuo, et in tota anima tua? » (*Deut.* X.) Ergo media ferculi rex Salomon « charitate constravit, » id est in medio Scripturarum principatum charitatis posuit, quia revera, de quo pendent cætera omnia, illud recte medium ac principale dicitur et est. Ut quid media taliter « charitate constravit? » Propter filias Hierusalem. Quas propter filias Hierusalem? Quæ sunt illæ filiæ Hierusalem? Animæ fideles, amantes quidem Hierusalem veluti matrem, sed virilem, id est perfectam, nec dum habentes in operibus justitiæ virtutem, scilicet in hoc, omnia relinquere propter regem Salomonem, ut suum quoque pro illo valeant erogare sanguinem, aut in virgineo proposito sacram et beatam sponsi et sponsæ, dilecti et dilectæ, de quibus hic sermo est, jugem celebrare festivitatem. Quomodo vel in quo filiabus hujusmodi proficit, quod media ferculi rex Salomon « charitate constravit? » Nimirum in eo, quod facere possunt, et suum faciunt illud quod est aliorum, quod est virorum sive fortium. Verbi gratia, non sunt carne virgines, sed bonum virginitatis in te, o beata Maria, diligendo, suum faciunt. Non alia præter te genuit regem Salomonem, regem tam magnum, tam magnificum, sed illæ, diligendo in te hoc tam grande privilegium, regis ejusdem matres fiunt. Item, non sunt martyres, neque sufficiunt inter fortes præliari, et pro amore regis Salomonis fundere sanguinem suum, sed martyres diligunt, et diligendo illos, gloriam eorum suam faciunt. Amplius dicam : non sunt dii, sed diligendo Deum, dii vel filii Dei sunt, sicut scriptum est : « Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Proinde quid sequitur? « Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus. » O igitur, filiæ Sion, sive filiæ Hierusalem quoniam ferculum ejusmodi fecit sibi rex Salomon, et quoniam propter vos « media charitate constravit, » venite ad nuptias ; venite aspicite, « egredimini et videte hunc regem, » hunc « Salomonem » pacificum, et pacis principem, « in diademate » regali, in charitate nuptiali, qualis, quantus, quam gloriosus sit. Nolite hoc solum considerare, qualis sit in carne mea, qualis natus in diversorio, qualis collocatus

in præsepio. Egredimini ex istis angustiis,et videte illum « in diademate » suo, « quo coronavit eum mater sua, » scilicet antiqua patriarcharum et prophetarum Ecclesia, cujus fidei promissus est,cujus de carne progenitus est. Antequam nasceretur,fecit ei mater sua illud pretiosum diadema,quo coronari deberet, et unde cognoscendus foret magnus et spectabilis rex. Quod est illud diadema ? Nimirum clarissima propheticæ veritatis auctoritas,cujus quot sunt præconia, tot gemmarum,tot pretiosorum lapidum, est hujus Salomonis diadema,in die desponsionis illius,quo de utero meo,« tanquam sponsus » processit « de thalamo suo, » et in die lætitiæ cordis ejus,quo spinea coronatus corona laborem consummavit, et subsequenti lætificatus resurrectionis triumpho. Et in die lætitiæ illius, et « in die desponsionis » illius, et in illo diademate videndus et ex illo est diademate,quantus sit agnoscendus.Exempli gratia : « Parvulus natus est nobis : Filius datus est nobis (*Isai.* IX), » et cætera, usque amodo, et usque in sempiternum. Et alibi : « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. Quiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum ? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus (*Genes.* XLIX). » etc. Ex hujusmodi sententiis et dictis propheticis, ex hujusmodi auro et lapidibus, quam multis, quam pretiosis, fabricatum vel compositum est diadema regis veri Salomonis. Nolite ergo eum solummodo in præsepio considerare, sed egredimini mente ex isto, in quo natus est, diversorio, et ex **349** illo, in quo judicatus est,Pilati prætorio sive auditorio, et videte eum in præsepio simul et in diademate,in cruce simul et in ea, qua coronavit eum Deus Pater gloria et honore. Et quis fructus visionis ejus ? Ille nimirum, qui in propheta promittitur,regem in decore suo videbunt oculi ejus. Qui enim hic, ubi ambulamus per fidem et nondum per speciem, viderit, et videre voluerit per speculum in ænigmate (*I Cor.* II) regem Salomonem, in tali diademate, videbit eumdem in decore suo regem, videbit eum facie ad faciem,quando, veniente eo quod perfectum est, evacuatum fuerit, quod ex parte est. Sequitur :

Cap. IV. — « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es : oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui, sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus et sterilis non est inter eas. Sicut vita coccinea labia tua, eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » O pulchritudo admirabilis, quam sic admiratur et collaudat pulcherrimus auctor ipse pulchritudinis septem præconiis. Consideravit oculos,

A capillos, dentes, labia, genas, collum et ubera, et pro singulis dilectus singula decantavit dignæ collaudationis capitula. Audiant hæc pueri, et sic se habeant ad cantationem hujusmodi, sicut filii nuptiarum læti et jucundi, longe dissimiles illis,quibus ipse quodam loco dicit : « Cantavimus vobis,et non saltastis (*Matth.* XI). » id est monstravimus vobis ea, quibus delectatur Deus, et ad illa vosmetipsos aptare neglexistis. Quid enim septem istis modulis decantatur ? Quid in te, o dilectissima dilectarum, Virgo virginum, laudatur a dilecto laudabili quem laudat omnis chorus angelorum ? Laudatur simplicitas, munditia, innocentia, doctrina, verecundia, humilitas, mentis et carnis integritas, sive incorrupta virginitas. In oculis simplicitas, in
B capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia, in labiis doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in uberibus tuis admiranda et spectabilis est cum fecunditate virginitas. Simplicitas tua, prudentia tua est ; munditia tua, supernorum desiderium est ; innocentia tua, religiositas est ; humilitas tua, vera contra diabolum fortitudo est, virginitas tua, matrum sive matronarum decus est. Hi sunt dulces moduli musicæ cœlestis, quos libenter audivimus et intelligimus in verbis istis jam diligentius pertractandis. Primum hoc est pulchritudinis tuæ prædicamentum.

« Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. » Oculi columbarum et oculi cervorum, hoc differunt, quo dulcedo simpliciter diligentium,
C et multiplex amaritudo invidentium. Simplicitas columbarum septem habet insignia virtutum naturalium. Hæc namque avicula,primum sine felle est, deinde nihil vivum comedit, pullos alienos nutrit, grana semper candidiora colligit,in petris nidificat, gemitum pro cantu habet, libenter juxta fluenta residet,ut venientem accipitrem ex umbra præcognitum effugiat perniciter. Tu maxime, o misericordiæ mater, sine felle es : nihil enim unquam habuisti invidiæ, nihil odii, quod familiare est rapacibus corvis. Nihil vivum columba comedit,et tu longe ab illis es,de quibus scriptum est, qui devorant plebem meam sicut escam panis (*Psal.* XIII, LII). Pullos alienos columba nutrit et nos qui eramus alieni secundum carnem a genere tuo, ecce vivimus tuis
D meritis. Grana candidiora columba colligit, et tu conferens in corde tuo testimonia de Scripturis, creditum tibi conservabas secretum Dei (*Luc.* II). Columba in petris nidificat, et tu in solitudine fidei permanens, evasisti serpentis antiqui venena. Columba gemitum pro cantu habet, et tibi gemere dulce fuit, eo quod præ cunctis mortalibus mente vulnerata esses. Columba juxta fluenta residet, tibi autem vel tuo pectori omne fluentum Scripturarum, quam contiguum est ! Nunquam adventus spiritalis accipitris tibi esse improvisus, aut te consequi, imo nec tibi appropinquare potuit. Igitur oculi tui columbarum, et hæc vera pulchritudo est, absque eo quod intrinsecus latet, quod solus in te Deus videt,

nobis autem quia inexpertum, idcirco ineffabile imo et incogitabile est. Si enim quispiam dixit, et teste Deo vel conscio, non mentiens, dixit raptum se fuisse in paradisum, sive ad tertium cœlum, ita ut nesciat, sive in corpore, sive extra corpus raptus fuerit et audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui (II *Cor*. XII), quanto magis tu, regina cœlorum, persæpe cœlestibus interfuisti, quippe quam et circumsteterunt obstetricum vice, gloriam Deo concinentes angeli: et inter hæc didicisti vel assecuta es aliquid, quod latet et latere nos debet? « Capilli tui, sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. » Qui « greges caprarum, » vel quando « greges caprarum » apparuerunt « de monte Galaad? » Utique greges rationales, « greges caprarum » rationalium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines ejusmodi esse, de qualibus Apostolus dicit: « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, » et cætera usque, « et in cavernis terræ (*Hebr*. II). » Quando cœperunt esse homines ejusmodi, vel unde apparuerunt homines hujusmodi conversationis? Nimirum quando Jezabel interficiebat prophetas Domini, tunc apparuerunt « de monte Galaad, » id est de civitate ejusdem nominis Galaad. Sic enim scriptum est: « Et dixit Helias Thesbites, de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annnis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens: Recede hinc, et vade contra orientem, et abscondere (II *Reg*. XVII), » etc. Hæc dixit, et hæc fecit ille primus auctor, et institutor eorum, qui dicti sunt filii prophetarum, quos fuisse monachos in Veteri Testamento, consentit auctoritas Patrum venerabilium. Et recte dicitur apparuisse, quia jam dictus institutor illorum Elias, sic repente illic introducitur, ut antea nusquam Scriptura meminerit, quis vel unde fuerit progenitus. Qui « capilli tui, » unde capilli tui, similes gregibus illis? Nimirum cogitatus tui subtilissimi in eo fuerunt, ut fugeres ad desertum gentium, propter sanguinem quem Synagoga multum effudit, sicut illi in solitudines fugerunt, propter sanguinem quem Jezabel primum fudit, secundum nomen suum, quod interpretatur « fluxus sanguinis, » interficiens prophetas Domini. In hoc « similes » illis gregibus « capilli tui, » id est sicut illi, imo plus quam illi, omnes cogitatus tui, omnis meditatio tua, solitudinem et requiem in omnibus quæsivit, procul a tempestatibus Judaicis, quia suam justitiam statuere volentes, justitiæ Dei subjecti non sunt, Synagoga peccatrix, et per omnia Jezabeli similis, quam Elias, quod interpretatur « Dominus Deus, » et post eum filii prophetarum (*Rom*. X), non sine causa fugerunt, juxta illud: « Et dixi, quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, et volabo, et requiescam (*Psal*. LIV). Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine, et exspectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate **395** spiritus et tempestate (*Psal*. LIV). » Et tu columba illis similis, et quis illorum tibi columbæ similis, hæc similitudo in capillis, non solum propter illa quæ jam dicta sunt, verumetiam quia tu quoque longum in cogitationibus tuis, præscia futuræ passionis filii tui, pertulisti martyrium, sicut illi diu egentes, angustiati, afflicti, omnes testimonio fidei probati inventi sunt (*Hebr*. XI). « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. » Quam pulcher ordo? Primum oculi, et post oculos capilli, post capillos dentes lavantur innocui. Respicite, amici, ad sinistram; considerate Evam, mulierem odiosam, huic dilectæ oppositam, et oculis, et capillis, et dentibus et labiis, et genis, et collo, et uberibus infaustis. Oculi ejus non sicut columbarum, imo sicut oculi corvorum rapacium. Scriptum est enim: « Vidit igitur mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructibus ejus et comedit (*Genes*. III). » Habet autem ambitionem hujusmodi, comedite « et eritis sicut dii (*ibid*.). » Ergo capilli ejus, id est ambitio ejus, non sicut supradictarum greges caprarum, qualium est cœleste desiderium, sed sicut ille princeps super omnes filios superbiæ, qui dixit in corde suo, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Job*. XLI). Dentes vero ejus quales fuerunt? Nimirum sicut dentes leonum qui momorderunt, et mordendo vetitum, venturæ posteritatis suæ animas interfecerunt. Si enim de filiis ejus veraciter dictum vel scriptum est: « Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ (*Psal*. LVI); » et illud: « Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus (*Psal*. LVII), » quanto magis de illa, quæ tali consilio momordit, cujus morsus tam malus proventus exstitit, recte quis dicat, quia dentes ejus arma ferrea fuerunt, dentes ejus molæ sive molares fuerunt. At « tui dentes » o amica mea, « sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt, » id est certissime ascendent « de lavacro. » Cum enim posuero, sive de memetipso de latere meo lavacrum regenerationis, lavacrum sanguinis et aquæ profudero (*Joan*. XIX), sanctique Spiritus invocationem dedero, tunc lavabuntur oves, pro quibus animam meam pono et mundabuntur eodem lavacro, nec emundatione simplici contentæ, vellera sua deponent, vellera rerum, vellera facultatum suarum, ut nihil habeant proprium, sed sint illis omnia communia. Hujusmodi tonsæ omnes sunt gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. In quo gemellis fetibus? In eo videlicet, quod et præceptum impleverunt vel custodierunt, et consilium suo addiderunt. Quod est præceptum, aut quod consilium? Utique præceptum est, non rapere aliena, consilium, relinque etiam sua (*Matth*. V). Consilium istud tum præcepto sibimet composuerunt, et hoc est bonum geminum, hæc est fecunditas fetuum gemellorum. Sic sunt, o amica mea, dentes tui, id est talium innocentiam tibi proponis, cum ejusdem innocentiæ magistra sis, multo excellentior qualibet ovium sive arietum talium,

quorum utique non est dentibus male uti, scilicet invicem mordere, vel detrahere, et ab invicem consumi. Et quidem grex ille, quicunque talis est, sibi magistram scit, tu autem cunctis humilior, de omnibus pene altiora sentis, et videris tibi capras et oves meas imitari, quas longe præcedis. « Sicut vita coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. » In quo sicut vita coccinea labia tua? Nimirum in eo, quod sermo tuus a veritate non discordat, imo cum veritate multum concordat. Principium veritatis hoc est, ut non defendat se contra Deum, imo accuset ante Deum quispiam filiorum vel filiarum Evæ, quæ dissolvit amicitiam inter se et Deum proterva defensione. Si vitam hujusmodi habuisset, si vinculo perfectionis, quod est dilectio, sese Creatori astrinxisset, paries inimicitiarum in medio non surrexisset (*Ephes.* II). In labiis tuis « confessio et pulchritudo » est, in labiis tuis « sanctitas et magnificentia » est (*Psal.* XCV). Illa Deo fuit muta, tu autem magnificasti Dominum mente ardentissima, voce suavissima, et hæc est vitta coccinea, quia charitas est ignea, qua bene cum eo ligata, sic Deo adhæsisti, ut unus cum eo spiritus sis (I *Cor.* VI). Hinc « eloquium tuum dulce, » quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, et dulcedinem, quæ abundat interius, sapit sermo, qui redundat exterius. Ecce Rhaab meretrix dulcis eloquii tui vittam coccineam, sive funiculum coccineum, in fenestra sua ligavit, signum suæ fidei, quod nuntios Josue sive Jesu susceperit atque salvaverit (*Jos.* II), dum Ecclesia quondam peccatrix, et idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificavit anima tua Dominum (*Luc.* I), pignus suæ salutis jugiter personat, et omnem doctrinam evangelicam, in qua ipsos apostolos tua sine dubio labia confirmaverunt, integra semper fide prædicat (I *Cor.* I). Et de omni quidem anima, quæcunque diversa sentientes ad unitatem sua prædicatione constringit, ut idipsum dicant omnes, et hoc agit « in charitate et fide non ficta (I *Thim.* I), » verum est dicere, quia « labia ejus sicut vitta coccinea, » sed in ista gratia cæteris omnibus es imcomparabilis, post me dilectum tuum, cui specialiter Spiritus in psalmo dicit: « Diffusa est gratia in labiis tuis (*Psal.* XLIV). » — « Sicut fragmen mali Punici ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. » Malum Punicum dicitur, eo quod ex Punica regione sit genus ejus translatum. Idem et malum granatum, eo quod intra corticis rotunditatem granorum contineat multitudinem. Negant medici mali hujus cibo corpora nutriri, sed eo sic utendum opinantur, ut medicari potius, non altere videatur. « Ita inquit, genæ tuæ sicut fragmen mali Punici, » id est, verecunda es, sicut decet virginem, longe dissimilem filiabus illis, quarum cuilibet dicendum fuit: « Frons mulieris meretricis facta est tibi, et erubescere noluisti (*Hier.* III). » Fragmen mali Punici et rubet, et amplius quam integrum malum redolet. Sic tu et singulariter verecunda es, et multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies. Quid autem est dicere, « absque eo quod intrinsecus latet, » nisi ac si diceret: Et illud, quod intus in conscientia latet, amplius laudabile est? O vere laudabilis verecundia, ubi et intus conscientia munda, et foris facies verecunda est. Nam ubi est aliquid, quo mens erubescat, non adeo laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid est, nisi religiositas summa? Et hæc virtus, sine dubio, malo Punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuentium oculis, et interdum suo silentio non minus ædificat, quam sermo prædicationis. Unde in tunica pontificis deorsum ad pedes ejusdem tunicæ: « Facies, inquit Dominus ad Mosen, per circuitum, quasi mala Punica ex hyacintho, purpura et cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum et malum Punicum rursumque tintinnabulum aureum et aliud malum Punicum, et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonus, quando ingreditur et egreditur Sanctuarium, et in conspectu Domini, et non moriatur (*Exod.* XXVIII). » Malum quippe Punicum in medio tintinnabulorum, religiosum atque operosum est silentium, maxime sexus feminei in societate fidei vel doctrinæ prædicatorum, qualis tu præcipue fuisti, Virgo virginum, in adjutorio, vel etiam regimine prædicantium apostolorum, cujus etsi verba non **396** leguntur, vel audiuntur, ubi prædicaverunt, opera tamen vel merita non ignorantur, minora, imo majora tinnitu prædicantium. Illud quoque factitium malum Punicum rubicundum erat, utpote non ex solo hyacintho, qui color aerius vitam significat cœlestem, verumetiam et ex purpura et cocco bis tincto factum. Et « ita genæ tuæ, » o dilecta verecunda, et magistra competentis verecundiæ sive religionis necessariæ, cujus verecundia tanto est laudabilior, quanto conscientia gloriosior, tutior atque securior. « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. » Quid erat turris David? Putasne illa turris manufacta, de qua legitur: Cepitque David Sion, hæc est civitas David? Imo turris David non manufacta fuit, cui tuum, o dilecta, collum debeat assimilari, et hæc est humilitas David. Atque hic sensus placet magis. « Filiæ Sion, ait Dominus Deus apud Isaiam, elevatæ sunt et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant (*Isa.* III). » Hæc fuit superbia illarum. Propterea expugnari potuerunt. Tuum autem collum nequaquam extentum fuit, sed est sicut turris David, id est sicut humilitas David, per quam ille coram Deo fortis, et contra homines stetit inexpugnabilis. Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui et cum esset rex unctus, dixit ad Saul, cum eum ille persequeretur: « Quem persequeris, rex Israel, quem persequeris? Canem mortuum, et pulicem unum (*I Reg.* XXIV). » Turris ista ædificata est cum propugnaculis, et mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, id est hanc ejus tantam humilitatem cæteræ virtutes consecutæ sunt, maximeque

fortitudo et sapientia, sicut scriptum est: David sedens in cathedra, sapientissimus ipse est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. O qualis hæc turris, qualia propugnacula! Ex ea mille clypei pendent, omnis armatura fortium, qui propter humilitatem accepit, ut caneret et scriberet verba fortitudinis, verba sapientiæ et veritatis tam multa, ut millenarius numerus vult intelligi, tam fortia, ut omnibus exinde armatis fortibus nihil falsitatis obsistere possit. Ita collum tuum, imo et ultra quam turris illa, collum tuum, id est humilitas tua, quæ sedet vel patet in collo tuo non extento, ædificata est cum propugnaculis, et mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Nihil enim deest illic omnium, quæ continentur in Scripturis veritatis, et neque invisibilis diabolus, neque visibilis homo hæreticus econtra potuit unquam vel poterit. Adde illud, quod maximum est, quia Verbi cujus mysteria consecuta est, ut caneret humilitas patris tui David, Verbi, inquam, ejusdem substantiam concepit, et incarnatam peperit humilitas tua, o filia David. « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. » O ubera vere gratissima atque pulcherrima, duo ubera manu Altissimi formata. Hæc sunt virginitas et fecunditas, quarum pulchritudo in tuis, dilecta, uberibus castis, uberibus femineis, quæ me lactaverunt, maxime spectanda est. Spectate, amici, ubera hæc, imo in uberibus istis duo hæc, virginitatem atque fecunditatem. Nonne sunt hæc sicut duo hinnuli capreæ gemelli? Nunquam visum est simile huic in montibus, sive collibus nostris; sed neque videbitur in sæculis superventuris, ut uni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli, ut uni feminæ contingat, quatenus eisdem uberibus et filium lactet, et virgo sit. Aspicite hoc et admiramini, videte et congratulamini, quia caprea hæc tales hinnulos ita geminos edidit, quia femina hæc, dum quasi caprea per montes exilit, dum cœlestibus vel supernis animo intendit, gemella hæc plenæ gratiæ dona feliciter apprehendit, ut et mater et virgo sit. Quid faciemus gemellis istis? Pascuntur, et pascunt in liliis, donec aspiret dies, inclinentur umbræ, id est secreto custodiantur, in silentio habeantur, nec publice prædicentur, quod ita sint gemelli, donec resurgam a mortuis, quod est aspirare diem, et inclinari umbras mortalitatis. Omnino secreta sunt in liliis hæc, id est in illis sive penes illos, quibus inest et candor et suavis odor castitatis, qualium prima fuit, cujus in utero infans ad odorem nostrum exsultavit longe a filiabus illis, quarum sunt quasi septem dæmonia, septem istis prædicamentis tuæ pulchritudinis, quæ nunc edixi, contraria, scilicet altitudo oculorum, compositio capillorum, voracitas dentium, incontinentia labiorum, irreverentia genarum, colli erectio nimia, subactionis atque confractionis frequens injuria. Tempus erit, quando hæc, tua, quæ nunc secreta sunt, oporteat prædicari ad gloriam Dei. Primus [prius?] hoc fiet: « Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris. » Quomodo vadam? Ascendam Hierosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt de me: « Tradar enim gentibus ad illudendum et flagellandum, et postquam flagellaverint, crucifigent et occident me (*Matth.* XVI, 20). » Hoc erit ire ad montem myrrhæ, scilicet mortificari vel occidi, sicut a patribus istorum mortificati sunt prophetæ. Tertia die resurgam a mortuis, et deinde ascendam in cœlum, et sedebo ad dextram Patris, juxta illud: « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Hoc erit ire ad collem thuris. Exinde namque cognoscetur et prædicabitur, quia sum Deus, juxta illud, « Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus (*Isa.* IX). » Hoc prædicabitur, et sequentibus signis confirmabitur, atque ita fiet, ut mihi thus offeratur tanquam Deo vero, destructis simulacris gentium et aris dæmonum, quibus hactenus ab ignorantibus et errantibus incensum offertur et sacrificium. Quid deinde? « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni. Coronaberis de capite Amana, de vertice Saniir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. » Cum pertransiero montem myrrhæ, et pervenero ad collem thuris, id est cum resurrexero a mortuis, atque coronatus gloria et honore resurrectionis et immortalitatis, sedensque ad dextram Patris adorari, et thure, id est omni divina religione honorari cœpero Deus unus cum Patre et Spiritu sancto, tunc demum et tu coronaberis, » tunc demum hæc loquar ad te: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. « Quomodo hæc loquar ad te? Nimirum magna et manifesta Evangelii prædicatione. Et nunc quidem pulchra es, sed nondum apparuit quod tota pulchra sis, et quod macula non sit in te, quod scilicet virgo conceperis vel genueris, et virgineis uberibus lactaveris me. Hoc prædicabitur gentibus quod a Deo macula non sit in te. Tunc demum loquar tibi, « Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. » Unde coronaberis? De capite Amana, quod interpretatur *nocturna avis*, de vertice Sanir, quod interpretatur *dens vigiliarum*, et Hermon, quod interpretatur *anathema*. Venies de Libano, quod interpretatur *candidatio*, id est, migrabis de corpore isto, corpore candido, corpore virgineo, et coronaberis de omnibus his, id est de corpore vel membris illius, qui nominibus istis recte denotatur, de regnis mundi hujus. Regna namque mundi hujus, quædam capita vel quidam vertices recte dicuntur nocturnæ avis, et dentis **397** vigiliarum, et vere anathematizati diaboli a Deo separati, qui cum sit princeps tenebrarum, et tanquam leo rugiens circumeat, quærens quem devoret (*I Petr.* V), recte et nocturna avis et dens dicitur vigiliarum. Ipse eadem regna et cubilia leonum, et montes dico pardorum, quia videlicet reges regnorum, reges Babyloniorum et Persarum atque Medorum, reges et consules sive imperatores Romanorum, quid nisi leones et pardi dicendi sunt, quæ

tot bellis, tot cædibus orbem terrarum laceraverunt? A De talium leonum cubilibus taliumque pardorum montibus tu, amica mea, coronaberis. Quomodo? Videlicet credent. in me, fructum ventris tui, et eorum credentium salus corona tua erit. Ita coronaberis, ut et in cœlis regina sanctorum, et in terris regina sis regnorum. Ubicunque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum, « minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum (*Psal.* VIII), » prædicabitur et de te, quod sis, o dilecta, et mater hujus coronati, ac proinde regina cœlorum, totum jure possidens filii regnum, atque hoc intuitu reges atque imperatores coronis suis te coronabunt, palatia sua nomini meo sacrabunt, honori tuo dedicabunt, ut desinant esse quod fuerant, B montes pardorum cubilia leonum. « Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa. Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. » Etenim quis unquam ita habuit, ut tu habes, soror mea, sponsa, unum oculorum? De quadam muliere sacra et veridica narrat Scriptura, quia, cum esset sterilis, et ob hoc amaro animo oravit Dominum flens largiter, et multiplicavit preces coram Domino, et post hæc ita subjunctum est: « Et abiit mulier in domum suam, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati (*I Reg.* I). » Quid erat illa uniformitas vultuum, non se amplius in diversa mutantium? Nimirum identitas cogitationum, et valde intenta earumdem perseverantia precum, quas profecto quis discernat, vos scitis, o amici, qui dicitis: « Vivus est enim C sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus (*Hebr.* IV). » Hoc est unum oculorum, hæc uniformitas vultuum, oculorum spiritualium vultum internorum indefessa charitate justam precem perseveranter, uti cœptum est, dirigere ad Dominum ac semper cogitare idipsum. Et quis in hac re talis, ut tu, o dilecta singularis, quam solam præ cunctis amantibus totam occupavit totamque possidet amor dilecti. In hoc uno, soror mea, sponsa, per fidem soror mea, per Spiritum sanctum, amorem verum, sponsa mea, in hoc uno oculorum tuorum vulnerasti cor meum, D unde et viscera mea super te continuere se non potuerunt. Nec vero solummodo « in hoc uno oculorum tuorum vulnerasti cor meum, sed et « in uno crine colli tui, » id est in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem et indeficientem esse conspexi. Quod uno crine gracilius, et quid humilitate subtilius? Quid crine flexibilius, et quid humilitate confractius? Crinis unus vix compareť, humilitas tua vix consensit, quod computari possis inter homines. Iste est crinis colli, humilis cogitatus mulieris, caput non habentis; caput inquam, id est virum, neque habentis neque habere volentis. Nam « caput mulieris vir (*Ephes.* V). » Tu capite isto te indignam judicasti, tu viro et omni sæculo te indignam existimasti. Hoc scientes dicunt et vere dicunt amici, quia votum egregium Deo prima vovisti, votum virginitatis. Attamen sponsi nomen admisisti, desponsari viro non renuisti, et inter hæc unum oculorum tuorum et illum crinem jam dictum colli tui, magis ac magis in me fixisti, fide fortis, spe stabilis, charitate immobilis. Si enim Abraham et Sara fideles sperare potuerunt (*Gen.* XII), quod conjugium eorum non deberem negligere, quin custodirem illud in domo Pharaonis incontaminatum, et idcirco Saram tolli in domum illam, nec Abraham renuit, nec ipsa Sara refugit; quanto magis tu, fidelissima, me fidelem fore sperasti, quod virginitatem tuam custodire possem aut non negligerem illibatam in domo sponsi, præsertim fidelis et justi, et idcirco desponsionis solemnitatem non refugisti? Itaque semper et ubique unum sive unitatem habens oculorum, id est vultum in diversa non mutatum, « vulnerasti cor meum, » unum illum crinem tuum, scilicet spiritum humilem et contribulatum in me jecisti, veluti spiculum præacutum, et « vulnerasti cor meum. » Alii quondam fortes et validi me tenuerunt, et dicentem: « Dimitte me (*Gen.* XXIV), non dimiserunt, et luctando fortiter contra Deum fortes fuerunt, tu autem et « vulnerasti cor meum. » Et illi quidem luctando atque vincendo, æternam sibimet benedictionem et necessariam peccatori populo suo indulgentiam obtinuerunt, tu autem quid invenisti, quid accepisti vulnerando cor meum? « Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa. Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » Amici auscultant hæc, et intelligunt me hoc dicere, hoc admirari, quia mater et virgo es, et hunc esse fructum unius oculorum tuorum, et unius crinis colli tui, quod cum te reputares indignam viro, facta es digna Deo; cum te indignam judicares facere semen in Israel, facta es digna facere salutem in Israel; cum indignam te reputares lactare filium hominem, digna habita es mammis pulchris, uberibus pulcherrimis, mammis virgineis, uberibus intactis, lactare Filium Deum et hominem. Hæc auscultantes, toties de mammis et uberibus tuis, et de cæteris instrumentis tuæ pulchritudinis, de oculis, de capillis, de dentibus et labiis, tot voces dilecti gratulantis non fastidiunt, quoniam amici sunt, imo « gaudio gaudent propter vocem sponsi » lætantis (*Joan.* III), juxta illud: « Lætabitur Dominus in operibus suis (*Psal.* CIII). » Voces istæ, voces lætitiæ nostræ sunt, lætitiæ Patris et Filii et Spiritus sancti in istis operibus nostris, in mammis sive uberibus tuis, semel duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, quod jam supradictum est; et nunc iterum: « Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa! » ac tertio: Pulchriora sunt opera Trinitatis, hæc gratiora valdeque pulchriora primis operibus illius, dicentis: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), » pla-

smantis de terra Adam et fabricantis de costa ejus Evam. Nunquid enim non valde pulchrius est, sicut nunc de utero mulieris absque viro virum facere, quam tunc de costa viri mulierem fecisse? Illic namque de viro mulier facta est, quæ perdat; hic de muliere vir factus est, qui perdita salvet, propter quod et factus est. Pulchritudo ejus operis jucundius spectatur in mammis sive uberibus tuis, quando jam peracta est species tantæ pulchritudinis, quando jam natus lactor mammis tuis, mammis femineis, uberibus virgineis. Qualis tandem est ista comparatio, « pulchriora sunt ubera tua vino? » Aut quid magnum est dicere, « pulchriora sunt ubera tua vino? » Nam in vino luxuria est. « Nolite, » ait quidam amicorum ad nostras adolescentulas scribens, « nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Ephes.* v). » Quid ergo magnum **398** est dicere, quod ubera tua pulchriora sunt, eo quod non est pulchrum? Vinum namque sive hoc præsens vini significatum non est pulchrum, cum sit luxuria, sive carnis voluptas, sive cujus ebrietate præeunte nulla unquam ubera præter ubera tua filium lactaverunt. Est igitur illud, quod apud hominum scholas dicitur tapinosis, id est humilitas, statum rei magnæ dictis infirmans. Magna quippe res est virginitas sive integritas uberum, me filium lactantium; nec satis laudatur hæc tam pulchra res, dum re maritali sive conjugali pulchrior esse prædicatur, scilicet lactatione filiorum, quorum initium vinum est, id est luxuria, quæ in vino est. Itidem secundum tropum, qui apud homines metonymia dicitur, per id quod continet, ostendens id quod continetur. Poteram sic dicere, quia sola ubera tua me lactantia pulchra sunt, cæterarum cuncta ubera feminarum, ex quo id acceperunt ut filios suos lactare possent, etiamsi quid pulchritudinis prius habuerunt, pulchra esse desierunt, ita ut reipsa quisque lactantium veraciter dicat: « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L), » scilicet in iniquitatibus Adæ, in peccatis Evæ. Nam ex illis iniquitatibus, ex illis peccatis cum cæteris malis istud quoque vinum venit, scilicet luxuriæ nimietas, per quam conceptus mulieris a Deo super numerum multiplicentur, ut in comparatione reproborum electi pauci æstimentur. Quæ autem sunt unguenta tua? Dico enim, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Quæ ergo sunt unguenta tua, soror mea, sponsa? Eleemosynæ tuæ, quas expendisti in me. Audiunt et audituri sunt amici de quadam muliere effundente oleum super caput et super pedes dilecti tui recumbentis, et dicunt, quia « domus impleta est ex odore unguenti (*Joan.* XII), » et intelligunt in illa muliere Ecclesiam

A nostram, quæ quoties impendit eleemosynam pauperibus nostris, toties unguenta sua pedibus meis superfundit, et aromata distribuit. Hæc enim sunt aromata vera, unguenta pretiosa, esurienti cuilibet ex inimicis meis cibum dare, sitienti potum præbere, hospitem sive peregrinantem colligere, nudum vestire, infirmum visitare, et si in carcere est, ad eum venire (*Matth.* XXV). « Super omnia hæc aromata est odor unguentorum tuorum, » id est suavitas eleemosynarum tuarum, quia non ut cæteri in membris meis, sed in memetipso tu mihi munificentissima exstitisti. Et quidem jure materno et naturali affectu tu mihi cuncta debuisti, verumtamen fidem et humilitatem sive charitatem tuam plusquam maternam respicienti mihi, cuncta pro optimis unguen-
B tis, cuncta pro suavissimis fuere eleemosynis, ita ut nulla eleemosynarum aromata, quæcunque mihi in meis expenduntur minimis, unguentis illis valeant aliquatenus comparari. « Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. » Parum erat quod dixi supra, « et eloquium tuum dulce, » quia nimis parum est, dulcedinem esse in eloquio, nisi dulce sit etiam cor. Tu dulcis in ore, dulcis et in corde. Hoc est quod nunc dico, « favus distillans labia tua, » subjungens, « mel et lac sub lingua tua, » id est in anima tua. Ibi tibimetipsi dulciter sapit favus eloquii tui, favus distillans a labiis tuis, labiis gratiosis. Favus tuus ego sum, mel tuum et lac tuum ego sum, quia Deus tuus et filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia.
C Aliud loqui non potes, quam id quod in pectore habes: « Ex abundantia cordis » labia tua loquuntur (*Luc.* V). Et si aliis pro tempore tacuisti, mihi tacere non potuisti. Ex quo me natum vidisti, mecum dedicata es favo dulcis eloquii, simulque osculo oris mei, osculo oris tui, et satisfactum est etiam sic fidei tuæ, spei et dilectioni tuæ, fidei per dilectionem dicentis: « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I). » Quid de pannis dicam, quibus me involvisti et in præsepio reclinasti? Nimirum id quod verum est, quia « odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. » Omnium namque vestimentorum, scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna et plusquam charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta, quæ tunc in me vel tunc propter me
D operata es, de magno et valido charitatis igne cum suavitate humilitatis venerunt, recte dixerim ego, recte consenserunt amici, quia « odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. » Sic enim in omnibus famulata es mihi, mater et virgo fidelis, tanquam Deo, cui soli debetur odor thuris in sacrificio suo, quamvis essem ego parvulus tuus, parvulus homo.

---

399 LIBER QUARTUS.

« Quid agimus, « anima, quare tristis es, et quare conturbas me? (*Psal.* XLI). » Ecce in medio nuptiarum sumus, nuptiarum hominis regis, quas fecit filio suo; quem de virgine incarnari voluit. Et dicis

mihi illud terrificum, illud valde pavendum. « Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus ejus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores (*Matth.* XXII). » Quorsum tendis ? Cur mihi hæc ingeris ? Timesne quod vestem non habeas nuptialem ? Et quidem si de charitate agitur, quod ipsa sit vestis nuptialis, tu ad istas nuptias, ad istarum nuptiarum laudes decantandas sine charitate non intrasti. Ipsa mater nuptiarum, conscia sibi sit et testis quod sine hujusmodi veste non accesseris, cui quondam tecum, ut videbatur, colloquenti, dum sermonem cum illa conferens de sacris mysteriis, de gloria sanctæ et individuæ Trinitatis, et dicenti. Quomodo tu audes loqui de hujusmodi ? erat autem hæc ejus percunctatio facie serena et vultu hilari, ita respondisti : Ego beatam Trinitatem diligo, et inde certissime scio, quod de illa loquens nunquam extra veritatem aberrabo. Ne igitur tristeris, anima mea, neque conturbes me, « sed spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi (*Psal.* XLI), » non aberrando, quod esset pene in tenebras exteriores mitti, et sequentem vocem sponsi cum gaudio audi : « Hortus conclusus, soror mea, sponsa, es, » Dei Genitrix « hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Cyprus cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. » Ecce novus paradisus, novæ plantationes, quas plantavit unus idemque antiqui paradisi plantator Dominus Deus. « Plantaverat autem Dominus Deus, ait Scriptura, paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchram visu, et ad vescendum suave; lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita (*Gen.* II). Ille est paradisus antiquus, paradisus terrenus; iste est paradisus novus, paradisus cœlestis. Utriusque plantator est unus idemque Dominus Deus. In illo « posuit hominem quem formaverat; » in isto formavit hominem, qui apud ipsum in principio erat. « De » ista « humo produxit omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum sive. Lignum etiam vitæ in medio paradisi. » Istam humum, istam terram suam benedixit, et ex ea cunctarum germina gratiarum, et cunctarum exemplaria virtutum produxit. Ipsum quoque lignum vitæ Christum, Deum et hominem Dominum paradisi cœlestis. « De » illo « voluptatis loco egrediebatur fluvius ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. » De isto paradiso ille fluvius, sive illud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit : « Fluminis impetus lætificat

A civitatem Dei (*Psal.* XLV), » qui inde dividitur in quatuor Evangelia. Nec paradisus ille hominem custodire potuit, nec paradisum illum homo custodire voluit. Quoniam ergo non profuit illis parentibus primis, nec nobis in illis introductio illa in illum talem paradisum, terrenum paradisum, non observato præcepto quod acceperunt : iterum plantatur alius paradisus, quem ingredientes lignum vitæ æternæ comedamus et non moriamur, et istæ sunt emissiones dilectæ, super quibus præsenti loco gratulatur dilectus, et ita loquitur : « Hortus conclusus, soror mea, sponsa, es, » Dei Genitrix, « hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ, paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus. » Dicturus, « emissiones tuæ paradisus, » præmisit, « hortus
B conclusus, soror mea, sponsa; » et iterum, « hortus conclusus, » ac deinde « fons signatus. » Porro emissionum horti hujus illud fuit principium, quod sicut illi nuntiavit angelus, concepit et peperit filium (*Luc.* I). Quid igitur verbis istis, nisi et concipientis virginitas et parientis prædicatur integritas? Proinde dicamus et nos feliciter cum dilecto, dicamus omnes corde credulo et ore consono: « Hortus conclusus » es, o Dei Genitrix, « hortus conclusus, fons signatus. » Unde « hortus ? » Nam inde nominatur hortus, quod semper ibi aliquid oriatur ; quia cum terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Unde ergo hortus es tu, o dilecta dilecti, nisi quia ante te natum est aliquid, quod nunquam desinit, et fructus tuus nunquam marcescit, aut deficit. Maxime autem hoc mirum est, imo verum at-
C que jucundum, quia de horto prædicatur quod sit conclusus. Quomodo enim hortus, si conclusus ? Nunquam simile huic auditum est de omni nostrorum multitudine hortorum, nec potuit dici vel esse hortus non habens aditum per quem saltem unus intraret vel exiret hortulanus. Hic hortus unus vel solus est et clausus vel conclusus; hic uterus unus est fecundus et incorruptus. O igitur soror et sponsa mea, quomodo gaudent amici, quia talis es hortus, talis fons ? Corpore « hortus conclusus, » mente vel anima « fons signatus. » Et quare bis diceris « hortus conclusus ? » Videlicet propter conceptum **400** et propter partum, quia in utroque mirabile est, et fidelium mentibus amabile miraculum, quod neque corrupta est conceptu, neque violata partu in utro-
D que, et amici et omnes adolescentulæ nostræ gratulantur, et utrumque libenter confitentur. Unde autem « fons signatus ? » Et quo vel quali signaculo signatus? Nimirum ex eo, quod Spiritus sanctus supervenit in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi (*Luc.* I). Ipse Spiritus sanctus signaculum est hujus fontis nostri, signaculum pectoris tui. Et hoc geminum nostræ custodiæ munimentum, geminum nostrorum amicorum gaudium, quia et uterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio accessibilis, et mens tua nulli vitio, nulli spirituali nequitiæ fuit unquam penetrabilis. Mirum, quod cum ita sis « hortus conclusus, » ita « fons signatus, » nihilominus, imo et

eo amplius, emittis omnia bona quibus mundus impleatur, et « emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus, » paradisus Scripturarum vel doctrinæ cum bonis et sanctis operibus. « Emissiones tuæ » vel paradisus tuus, « cyprus cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. » Herbarum aromaticarum iste numerus, scilicet numerus septenarius, amicis nostris bene est cognitus, quod universitatem significet, maximeque ex Spiritu sancto sit sacratus, Spiritu septiformi qui hoc ipsum operatur, requiescendo super me florem primitivum horti hujus. Operatur, inquam hoc ipsum, quod hortus conclusus es, quod emissiones tuæ paradisus talis et tam pulcher, sicut ex istis aromatum septem speciebus animadverti potest, inter quas principalis est nardus, unde et bis prædicari vel numerari meretur, cum dico, « cyprus cum nardo, nardus et crocus. » Nam ipsa est humilitas tua, quæ valde oblectavit Altissimum, oblectavit me regem dilectum tuum, sicut ipsa dicis, quia « dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (*Cant.* I). » Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt, ut ubi erant prius spina et vepres, vepres et carduus, lappa et tribulus, urtica et paliurus universitas nequitiarum, ibi sit « cyprus cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum, myrrha, et aloe, » universitas gratiarum, juxta numeri hujus. numeri septenarii sacramentum, « cum universis lignis Libani, cum omnibus primis unguentis. » Quid ibi universa ligna Libani? Et prima unguenta quid sunt vel faciunt illic? Nimirum ligna Libani sunt quidam amici nostri, amici illi, quid sunt nuptiarum nostrarum filii sive domestici nihilominus sunt potentia sæculi grandes et excelsi, atque facultatibus dilatati, ita ut ex eleemosynis eorum sustententur parvuli nostri, parvuli spiritualis propositi, quemadmodum in ramis, lignorum Libani nidificant passeres exigui. Unde est illud in psalmo præscriptum: « Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit, illic passeres nidificabunt (*Psal.* CIII). » Tales niduli passerum nostrorum et cunctæ eleemosynæ, quas faciunt vel facturi sunt potentes ac divites amici vel filii nuptiarum nostrarum, prima unguenta sunt, unguenta miri odoris, sicut significatur ex me dilecto tuo, ubi mulier peccatrix pretiosum unguentum emit, et effudit super caput vel pedes meos recumbentis, « et domus repletur ex odore unguenti (*Joan.* II). » Pulchra valde varietas sive diversitas harum emissionum tuarum, hujus paradisi nostri, ubi et altitudo lignorum Libani et humilitas omnis aromatici germinis, qualecunque decet intelligi, per jam dicta virgulta numeri septenarii spectaculum commune præbebit, spirantibus in medio primis unguentis, id est cunctis operibus pietatis, maximeque eleemosynis, quibus suppleri poterit, quidquid minus spiritualis vitæ habuerint tales, ut

A jam dictum est, nuptiarum nostrarum domestici, quamvis sæculi curis impliciti, nostri tamen per fidem amici. Sic quondam in tabernaculo Domini saga cilicina byssum et purpuram amica extensione tegebant (*Exod.* XXVI); sic semper, qui spiritualibus minus abundant, carnalia sua spiritualibus communicant, ut jure spiritualium illorum participes fiant. Hæ sunt « emissiones tuæ, soror mea sponsa, emissiones horti conclusi, emissiones fontis signati, paradisus Dei Patris. Hæreditas mea dilecti tui, filii Dei, filii tui, opus Spiritus sancti, Ecclesia una de multis emissionibus tuis, quam per orbem terrarum diffusa, semper in te respiciet, et ad nos clamabit de nobisipsis, vocem extollens mulier de turba fidelis, dicens mihi: « Beatus venter, qui te portavit, et ubera B quæ suxisti (*Luc.* XI). » Tu « fons hortorum, puteus aquarum viventium; » fons, inquam, hortorum, id est mater Ecclesiarum; puteus aquarum viventium, id est secretarium omnium Scripturarum sanctarum. Quæ, videlicet aquæ viventes, fluunt impetu de Libano, id est sanctæ omnes Scripturæ, quæ solæ dicuntur et sunt canonicæ, manaverunt de populo antiquo, populo Judaico. Nobilitas quippe illius populi, per Libanum solet mystice designari, de quo populo ego et tu, soror mea sponsa, secundum carnem sumus progeniti, cujus terræ terminus ex uno latere est mons hujus nominis. Cunctæ viventes aquæ de isto Libano fluunt, cuncta eloquia Dei, huic populo nostro non quomodocunque, sed cum impetu concurrerunt. Oportebat enim hujusmodi C aquas cum impetu fluere, oportebat eloquia Domini fortiter currere, quia multi nimis erant qui conabantur obsistere, multi nimis adhuc sunt qui obnituntur et audent contradicere. Idcirco amici nostri, per quos administrata sunt eloquia Dei, oportuit ut essent non solum auctoritate divina præditi, verum etiam potestate mundana præcelsi. Qui fere primus vocibus manifestis cantaturus erat mysteria regni nostri, et virtutes sæculi venturi, oportuit eum regem fieri, regem David potentem et secundum nomen suum bellatorem manu fortem, ut pueros sine pueriles populi animos, qui nescirent sponte curam habere de futuris et invisibilibus, nimis inhiando præsentibus istis visibilibus auctoritate frangeret regiæ potestatis, admisto terroribus blan- D dimento, scilicet suavitate musici modulaminis. Similiter cæteri amicorum nostrorum per quos eloquia Dei manaverunt, fere omnes fortitudine et terrore armati fuerunt, et omnes gladiis usi sunt; gladiis, inquam, materialibus necessario armatæ hujusmodi aquæ viventes, revera cum impetu per eos cucurrerunt. Primus vel mitissimus eorum Moses, cum de nostra plenitudine accipiens, viventes aquas fundere, id est legem sanctam et mysticam scribere inciperet, gladium arripuit atque arripi jussit, et uno die viginti tria millia hominum fabricatorum mendacii (*Exod.* XXXII), impetu primo aquæ viventis, id est acceptæ legis, interfecit. Et illi quidem postquam

temporaliter administraverunt suo quique tempore decesserunt; sed perseverat impetus aquarum viventium in ore et manibus etiam illorum qui non scripserunt, quorum notissimus Helias exstitit, qui uno die quadragintos viros magno impetu interfecit (*III Reg.* XVIII). « Aquarum » igitur « viventium puteus, » id est sanctarum Scripturarum sacrarium, « soror mea sponsa, » tu es, et hinc est quod dico, quia « emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. » Sicut enim in initio fons ascendebat e terra, irrigans universam **401** superficiem terræ, sicut, inquam, « fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita (*Gen.* II); » sic ex te, o amica, o terra benedicta, fons ille ascendit, qui apud Deum erat, et vera lux erat, sicut scriptum est: « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* LV). » Fons, inquam, ille ascendit ex te, non principium sive initium habens ex te, sed de corde Patris per occultas vias cum omnibus aquis viventibus, id est cum omnibus Scripturis veritatis veniens in te, et æternum sapientiæ fontem sine puteum faciens in te, atque hoc modo ascendit ex te. Ad quid ascendit? Utique ad irrigandam superficiem terræ, ad instruendam sive excolendam Ecclesiam per universum orbem terræ. Ad hoc egreditur fluvius de loco voluptatis, scilicet « ad irrigandum paradisum, » ad hoc, inquam, ex te, o voluptas, sive locus voluptatis Dei, initium accipiet sanctum Evangelium ut per universum mundum spiritualem irriget paradisum, et dividetur « in quatuor capita, » id est in quatuor necessariæ salutis sacramenta, quæ videlicet sunt hæc, incarnatio, passio, resurrectio atque ascensio mea. Hæc enim necessario prædicabuntur, et necessario scientur, quia sine istorum confessione non fit noster paradisus, sine istorum fide non salvatur mundus. Dividentur, inquam, viventes aquæ in ista quatuor capita, id est principalia sacramenta, quia videlicet omnes Scripturæ in ista quatuor subtiliter intendunt, appellando hæc, faciem hominis, faciem vituli, faciem leonis et faciem aquilæ volantis. Tunc cognoscent amici, quid etiam ante Scripturas voluerit Scriptura legis, dicendo: « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti (*Gen,* XLIX); » quid voluerit, ordinando talem ritum vituli sacrificandi (*Levit.* IV); quid voluerit, dicendo Mosi: « Prophetam suscitabo eis de fratribus suis similem tui (*Deut.* XVIII); » quid voluerit, canendo. « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eos atque portavit in humeris suis (*Deut.* XXXII). » Et de duabus quidem faciebus, de facie hominis et facie vituli omnes in me consentiunt, scilicet quod humanatus sim, et mortalis mortem sustinuerim; sed de facie leonis, et de facie aquilæ volantis non omnes similiter consentiunt, videlicet quod et resurrexim, et in cœlum ascenderim. Sic et de duobus capitibus fluvii, de loco voluptatis egredientis, et in

A quatuor capita divisi, scilicet de fluvio Gyon, qui apud Ægyptios Nilus vocatur, et de fluvio Physon, qui et Ganges dicitur, negari non potest quin exeant de illo paradiso terrestri; de duobus vero cæteris scriptores mundani Scripturam nostram redarguere conantur, dicendo quod non ita sit, ut ipsa dicit, eo quod illi, scilicet Tigris et Euphrates in Armenia manare videantur, uno fonte exorti, non intelligentes neque animadvertentes quia Scriptura non dixit, quod fluvius ille paradisi in ipso paradiso incipiat in quatuor capita dividi, « sed fluvius, » inquit, » egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita, » id est in omnes fluviales atque dulces et potabiles aquas, quarum capita sunt ista flumina principalia. Aquæ

B etenim suapte natura falsæ erant et amaræ, ascendendo autem per illam quasi terræ mammam, scilicet paradisiacam terram, versæ sunt in dulcedinem, ut irrigarent universam terræ superficiem, ipsæque dulce atque potabiles captivo, quod futurum erat, generi humano, terram extra paradisum facerent habitabilem, scilicet herbarum, lignorum, seminumque feracem, et inter aquas cæteras, quæ ex illa mammia dulciorem acceperunt, illa flumina, Gyon et Physon, Tygris et Euphrates, præcipua sunt. Similiter aquæ Scripturarum ex te, soror mea sponsa, dulcescunt ex utero tuo, sive per uterum tuum viventes factæ sunt. Alias autem valde amaræ, imo et mortuæ et mortificantes sunt. « Littera enim occidit (*II Cor.* III), » ait quidam amicorum nostrorum.

C Etenim quid aliud est quidquid Moses loquitur, quidquid de prophetis legitur apud filios matris nostræ qui pugnant contra te, nisi littera sine spiritu, sine anima corpus? Idcirco bibentes aquas mortuas moriuntur; legentes et sequentes solam occidentem litteram occiduntur. Quomodo tandem fiet istud. quomodo plantabitur, sive dilatabitur talis emissionum tuarum paradisus? « Surge, aquilo; et veni, auster; perfla hortum meum, et fluent aromata illius, » Surgente aquilone et flante austro, fiet istud. Quis ille est aquilo? Ille nimirum, qui dixit: « Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis (*Isai.* XIV) »: ille, de quo dictum est per prophetam: « Ab aquilone pandetur malum super omnem terram (*Jer.* I), » ipse est « serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas (*Apoc.* XII). » Unde iste talis aquilo

L surget? Quomodo surget de occultis insidiis, ubi jacebat olim et serpebat lubricus anguis, quando primam mulierem decepit, quemadmodum illa dixit: « Serpens decepit me, et comedi (*Gen.* III). » Non ibi surrexit ut impugnaret, sed serpendo sibilavit ut deciperet. Vires quippe non habebat prius quam consensum voluntarium præberet ei mulier, quam Deus innocentem fecerat. Inter te et illum, soror mea sponsa, Deus inimicitias posuit; et idcirco de te omnino desperavit, imo de fraude sua, de dolo sive artibus suis adversum te nihil habet spei ut decipere possit. Dico ergo illi: « Surge, aquilo (*Apoc.* XII). » Quid jaces in terra? Quid insidiaris

calcaneo nostro? Nihil porficis insidiando. Potius surge, viribus utere, et toto malignitatis impetu debacchare. Egis tolim ut serpens, age nunc ut draco magnus, draco rufus habens capita septem. Non quasi imperans dico, sed permittentis animo loquor. Tu enim jamdudum surgere cœpisti, nec aliud est nisi ac si dicam : Age quod agis, surge qui surgis, debacchare qui debaccharis. Quando enim surgere cœpisti? Nimirum antequam fieret hæc altera mulier, contra quam decipiendo nihil poteris. Ubi verbum promissionis quæ nunc impletur, audisti, quod ab Abraham dictum est: « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » statim surrexisti, quia prædictas inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius, inimicitias adesse persensisti. Surrexisti, caput erexisti, caput primum regnorum Ægyptiorum. Dixisti enim loquens in Pharaone: « Quidquid masculi sexus natum fuerit, occidite et in flumen projicite : quidquid feminei, reservate (*Exod.* I), » et cætera his similia, usque dum diceres persequens abeuntes : « Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea (*Exod.* XV). » Ita qui serpens deceptor fueras, draco persecutor factus es, draco magnus, draco rufus, id est sanguineus. Post illud primum caput tuum, secundum caput erexisti occidendo per manus Jezabel et stirpis ejus præcones mysterii hujus, prænuntios hujus sacramenti, prophetas Domini (*III Reg.* XVIII). Deinde tertium caput in Nabuchodonosor rege Babylonis (*IV Reg.* XXV) ; deinde quartum in regno Persarum et Medorum per Aman, qui genus nostrum delere voluit, ne esset unde possem ego nasci (*Esther* III). Deinde quintum in regno Græcorum per Antiochum Epiphanem caput erexisti, et ita jam quinque vicibus, o aquilo, surrexisti (*I Mach.* I). Sextum caput nunc est scilicet regnum Romanorum. Septimum nondum venit, videlicet regnum Antichristi. « Surge, » igitur « aquilo, » id est, age quod agis : non enim præcipio ut agas malum, quod nunquam egeris, sed permitto surgere, quia vis. Excute hoc sextum caput tuum, effice ut tradatur hoc semen mulieris in manus Romanorum. **402** Ita « surge, aquilo ; et veni, auster: » veni, sancte Spiritus, cui diabolus aquilo contrarius est, « perfla hortum meum et fluent aromata illius, » fietque quod ante dixi, « emissiones tuæ paradisus, » quod nunquam ita factum est. Nunquam enim, o auster, ita contra aquilonem venisti, ut perflando hortum meum, novum faceres fluere paradisum, id est novam propagari Ecclesiam de multitudine gentium.

Cap. V. — « Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. » Ut dilectus meus mihi loquitur, ita est. Ego « hortus, » ego « fons hortorum, » ego « fons signatus, » ego « gratia ejus, puteus aquarum viventium, et emissiones » meæ « paradisus malorum Punicorum. » Veniat ergo ipse in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. Non quomodo Eva invitavit virum suum, ego invito dilectum meum. Illa invitavit virum suum ad comedendum pomum non suum, pomum alienum, pomum interdictum ; ego invito dilectum meum ad hortum suum, ad comedendum fructum pomorum, non alienorum, sed fructum pomorum suorum, quemadmodum dicit : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris (*Joan.* IV), » salus et vita est generis humani, quod ipse plasmavit, quod benedixit, quod perditum reparavit. Et quid tam proprie suum inter omnes fructus pomorum suorum quam ego, quæ sum prima de primitiis pomorum, imo etiam fons hortorum. Veniat igitur in hunc hortum suum, et me transferendo in illud tertium cœlum, in illum tertium paradisum quo abiit, quo me vidente ascendit (II *Cor.* XII); comedat fructum pomorum suorum, perficiat, usque in finem perducat gratiam eorum quæ in me celebrata sunt operum suorum. Ex quo in cœlum abiisti, crebro reverteris in illum quem dicis paradisum emissionum mearum, et comedis de pomis Punicis, quæ optima sunt inter primitias earumdem emissionum mearum. Tot enim jam comedis fragmina malorum Punicorum, quot beatas animas martyrum confessorumque tuorum hinc assumis, et transfers in illud vitæ sempiternæ secretum. Quando ita venies in hunc hortum tuum, ad istum quem dicis fontem hortorum? Quando ita venies ad me, ut ubi tu es, illic ego tecum sim? « Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham mea cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite, amici ; et bibite et inebriamini, charissimi. » Omnia quæ generi humano ad salutem sive restaurationem ipsius erant necessaria, ego te silente perfeci; soror mea sponsa, nunc me quiescente, tibi debetur aliqua ejusdem operis portio tua. Quid tantum ad requiem tuam festinas? Ego nascendo, moriendo, resurgendo, et in cœlum ascendendo, salutem mundo operatus sum, nunc cum amicis et testibus meis te superesse oportet, et omnium quæ facta sunt, idoneum perhibere testimonium, cum necessaria operatione signorum atque virtutum. Diligenter auscultent amici, et enarrent omnibus nuptiarum nostrarum filiis quatuor ista quæ facta sunt, quia « veni in hortum meum, » quia « messui myrrham meam cum aromatibus meis, » et quia « comedi favum cum melle meo, » et quia « bibi vinum meum cum lacte meo. » Descendendo quippe in uterum tuum et assumendo carnem, ut verus homo nascerer, qui verus Deus eram, veni « in hortum meum; » moriendo atque ad infernum descendendo, reversurus cum omnibus sanctis et electis meis qui me exspectabant ab origine mundi, « messui myrrham meam cum aromatibus meis: » resurgendo, « comedi favum cum melle meo ; » ascendendo in cœlum, « bibi vinum meum cum lacte meo. » Descendendo, inquam, in uterum tuum homo factus ego, « veni in hortum meum. » Quid enim non meum? Ego quippe, ego ipse sum Verbum, « per » quod « omnia facta sunt, et sine, » quo, « factum est nihil (*Joan.* I). » Et ille paradisus, de quo Scri-

ptura dicit : « Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio (*Gen.* xxi), » per me plantatus est ; et tu hortus alius, « hortus conclusus, » per me factus es ; et universus emissionum tuarum paradisus, per me plantatus sive plantandus est, propterea dixi « hortum meum. » At non sic ille primus homo, de quo sic scriptum est : « Tulit ergo Dominus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum (*ibid.*), » non, inquam, sic ille dicere potuit : « Veni in hortum meum. » Non enim paradisum ipse fecerat sive plantaverat, sed nec in paradiso ipso formatus fuerat. Ego et hortum feci, et in horto natus sum, et, ut aliis verbis utar, ego et civitatem condidi, et in civitate natus sum, sicut scriptum est : « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI). » Non suus paradisus erat, atque eo magis operari et commissum custodire illum condecebat. Quod quia non fecit, necessarium erat ut venirem ego in hortum meum, et ultra debitum operando ac serviendo, corrigerem illius peccatum qui nec operatus est debitum. Quomodo correxi ? « Messui myrrham meam cum aromatibus meis, » id est expandi manus meas in cruce, hoc fructu, ut salvarentur omnes mei quos ille, metendo mortem animæ suæ, perdidit. Dictum quippe fuerat illi : « De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas, in quacunque enim die ex eo comederis, morte morieris (*Gen.* II). » Non obedivit, imo inobediens manus incontinentes ad vetitum extendit. Hoc illi metere fuit : seminaverat enim impiam cogitationem tumens intus, et cogitans esse sicut Deus. Hoc illi, inquam, metere fuit non myrrham, sed gehennam ; non mortem corporis, quæ interdum pretiosa est, sicut dicit psalmus : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* XIII), » sed mortem animæ, quæ mors mala est, sicut item dicit Psalmista : « Mors peccatorum pessima (*Psal.* XXXIII). » Mortem illam messuit, morte illa statim mortuus fuit, ubi pomum de arbore rupit et momordit, juxta veritatem dicentis : « In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II). » — « Ego » autem « messui myrrham meam, » scilicet corporis solam mortem, mortem pretiosam. Seminaveram ante justitiam, seminaveram humilitatem et obedientiam spontaneam, cum essem ego non ut ille, tantum homo, sed et Deus et homo. Considerabam illud unde Patre minor essem, scilicet natura carnis, sicut scriptum est : « Minuisti eum paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII), » et secundum illam naturam ita justitiæ ordinem tenui, ut omnibus subditus essem et obediens Patri, tanquam minor majori, homo Deo, creatura Creatori, secundum legem Mosi. Exempli gratia : » Ter in anno apparebit, » inquit, « omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo (*Exod.* XXXIV), » scilicet in solemnitate Azymorum, in solemnitate primitivorum mensis, et in solemnitate exitus anni, quæ est solemnitas Tabernaculorum. Hæc enim pars justitiæ sive obedientiæ maxime mihi seminarium myrrhæ fuit ; quia exinde

A inimicis meis opportunitas venit me interficiendi, dum sciens eos tractare mortem meam, nihilominus propter præceptum legis ascendi Hierosolymam. Ita factum est ut meterem « myrrham meam cum aromatibus meis, » id est ut per obedientiam pervenirem « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), » cum qua et per quam omnia traxi ad me (*Joan.* XII), et acquisivi omnes electos meos a constitutione mundi (*Ephes.* I). Quid deinde ? « Comedi favum cum melle meo, » id est surrexi a mortuis, recepi carnem meam, non ultra morituram semperque victuram cum Verbo sibi unito, **403** Verbo Deo, quod sum et eram ego. Miranda oppositio, mirabilis correctio ! Ille primus homo requisitus sive redargutus de peccato suo, quoniam

B semetipsum defendit, non solum mortem animæ, quam incurrerat, non evasit, verum etiam mortem corporis insuper acquisivit, dicente Deo : « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III). » Ego autem, quoniam tradidi pro peccato, non meo, sed alieno, memetipsum, obediens Patri, non solum vitam animæ non amisi, quasi propter maledictum legis, dicentis : « Quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno (*Deut.* XXI), » verum etiam vitam carnis cito recuperavi, et ecce sum homo in utroque, scilicet in corpore et in anima vivus, contra quod ille fuit in utroque mortuus. Itaque et mel meum cum favo meo, et « favum meum cum melle meo comedi, » quia mel meum favum suum recognovit, et favus meus melle meo respiravit, ita ut nulla unquam myrrha interfluere possit, id est vitæ et Verbi,

C quod ego sum sempiterna dulcedo, carnem meam rursus decoravit, et caro in divinitatis gloriam transivit, ita ut ipsa jam mori vel mors ei dominari ultra non possit. Hoc sacramentum nesciebant adhuc amici nostri, quando redivivus apparens eis, dixi : « Habetis hic aliquid quod manducetur ? » (*Luc.* XXIV.) Et nunc obtulerunt mihi partem piscis assi et favum mellis. Comedi coram eis non prius favum mellis, et deinde partem piscis assi, sed prius partem piscis assi, et deinde favum mellis, et sumens reliquias, dedi eis, hoc signo edocens, quod et ipsi exemplo meo prius passionibus atque pressuris desiccandi, ac deinde favo consurgendi mecum forent satiandi. Similiter et inimici mei nesciebant sacramentum dicti hujus, quod dixi, et nunc dico : « Mes-

D sui myrrham meam cum aromatibus meis, » et nihilominus dabant mihi bibere vinum myrrhatum (*Marc.* XV), vinum cum felle mistum (*Matth.* XXVII). Post illum resurrectionis favum ista est gloriæ et honoris consummatio, quia « bibi vinum meum cum lacte meo, » id est lætificatus sum ascensionis gaudio, completa Scriptura, quæ dicit : « Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo (*Psal.* XX). » Nam ego sum ille rex, de quo dicebat : « Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exsultabit vehementer (*Ibid.*) » Illa lætitia, illa vehemens exsultatio, ista est quam nunc dico : « Bibi vinum meum cum lacte meo. » Ascendi enim in jubilo (*Psal.* XLVI),

et inde non solum lætatur cor, verum etiam exsultat caro ; et idcirco dixi : « Bibi vinum meum cum lacte meo. » Hoc vinum meum, oblivionem mihi fecit laborum præteritorum, juxta illud : « Da siceram mœrentibus, o Lamuel, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant et obliviscantur egestatis, et doloris non recordentur amplius *(Prov.* XXXI). » Bibi, et bibendum dedi his, qui amaro mecum fuerunt animo, vinum cum lacte meo. Biberunt et obliti sunt egestatis atque doloris : egestatis, qua prius egentes fuerant, utpote « homines sine litteris et idiotæ (*Act.* IV) ; » doloris, quo propter passionem meam doluerant, sicut prædixeram eis jam hora passionis imminente ; « sed quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum (*Joan.* XVI). » Item : « Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum B autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*ibid.*). » Hoc sacramentum nescientes, qui videbant et audiebant eos, scilicet quod bibissem ego et gustandum præbuissem illis vinum meum cum lacte meo, dicebant, nescientes quid loquerentur, « quia musto pleni sunt isti (*Act.* II). » Denique Spiritum sanctum dederam illis, Spiritum Paracletum, qui unus idemque est, et vinum meum, et lac meum : vinum meum, quia gaudium de præsentibus bonis ; lac meum, quia consolatio de præteritis malis ; vinum meum, quia dilectio Dei ; lac meum, quia dilectio proximi. Et dicebam eis : « Comedite, amici ; et bibite, et inebriamini, charissimi. » Quid comedetis, et quid bibetis ? Nimirum reliquias, quas ego sumens dedi vobis, reliquias favi mei et mellis mei, reliquias vini mei C et lactis mei, non sine reliquiis myrrhæ meæ vel piscis assi mei. Non quomodo serpens mulierem Evam, et mulier virum suum invitavit ad comedendum, ego invito vos ad comedendum et bibendum ; imo contra illud quod illi comederunt, ego necessariæ comestionis atque bibitionis appono vobis antidotum. Serpens non dabat illis de suo, sed suadebat rapere de alieno. Ego do vobis de proprio, de favo et melle meo, de vino meo et lacte meo, imo et de corpore meo, de sanguine meo, simul et de spiritu meo. Spiritus hic veritatem loquitur vobis contra mendacium, quod serpens loquebatur illis. Quid enim locutus est illis : « Scit enim Deus, quia quocunque die comederitis de ligno illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, et idcirco prohibuit D ne comederetis (*Gen.* III). » Hoc dicens ille spiritus blasphemiæ, magnam Deum asseruit contra hominem habere invidiam. Iste autem Spiritus veritatis, quid dicit vobis? Scit enim Dei Filius, quia « si manseritis in illo, et ipse in vobis (*Joan.* XV), » eritis sicut filii Dei, eritis dii, eritis « omnes filii Excelsi (*Psal.* LXXXI), » quia aperientur oculi vestri, aperientur vobis sensus, ut Scripturas intelligatis, et idcirco dixit vobis : « Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Accipite et bibite, hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI). » Hoc dicens iste spiritus gratiæ, magnam circa nos insinuat Dei benevolentiam. « Comedite, » igitur, « amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. » Hoc unum de similibus loquor vobis, de similibus serpentis. Non enim sine causa dixi : « Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternum (*Joan.* III). » Non, inquam, sine causa dixi, quia videlicet ecce loquor vobis unum de similibus serpentis. Quid est illud, unum de similibus ? « Comedite, » inquit ille, « et eritis sicut dii, comedite et bibite, » ego dico, et eritis vos gratia, quod sum ego natura, scilicet filii Dei. Neque illi, videlicet primi homines, in fructu ligni vetiti videbant hoc quod audiebant, scilicet divinitatis effectum, neque vos videtis in pane et vino corporalibus oculis, sic esse, ut dico corpus et sanguinem meum. Illi videbant solummodo arboris pomum, vos videtis solummodo panem et vinum. Plus ille serpens quam videretur credi sibimet voluit, et creditum est illi, plus et ego mihi ut credatis exigo quam videre possitis corporis oculis, et credendum est mihi, ut quo ordine mors introivit, eodem foras mittatur, et vita sublata male credulus, bene credentibus recuperetur. Quo enim ordine vita sublata est et mors introivit ? Eo videlicet, ut morte animæ præcedente, mors carnis subsequeretur. Nam quo die comederunt primi homines vetitum, eodem morte animæ, morte peccati mortui sunt, et deinde morte carnis, suo quoque die vel tempore in pulverem reversi sunt. Ibi vos quoque amici, et secundum animam mortui, et secundum carnem mortales facti estis. « In Adam » quippe « omnes moriuntur (*I Cor.* XV), » et hoc scienter unusquisque vestrum confitetur. Nunc autem quid spiritus dicit ? « Elevare, elevare, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, et usque ad fundum calicem soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. Duo sunt quæ occurrerunt tibi, vastitas, et contritio, et fames et gladius. Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium platearum, sicut bestia illaqueata, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui (*Isa.* LI). » Quam dicit indignationem Domini, ipsa **404** est mors animæ, et quam dicit increpationem Dei tui, ipsa est mors corporis, et ipsa est calix, quem bibisti, inquit, de manu Domini, subauditur, increpantis atque dicentis, « in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec vertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III). » Nam calicem mortis animæ bibisti, non de manu Domini Dei tui, sed de manu serpentis antiqui inimici tui. Mortis corporeæ calicem idcirco bibisti de manu Domini, quia sublata vita animæ, vita corporis si perpetua fuisset, nimis esset inutilis. Hæc duo occurrerunt tibi, inquit. Ac deinde subjungit : « Idcirco audi hæc, paupercula, et ebria non a vino. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ. Non adjicies, ut bibas illum ultra (*Isa.* XLI). » Hoc agitur nunc, o charissimi, dum dico vobis : « Comedite, amici, et bibite, et

inebriamini. Amici, » inquam, « et charissimi. Jam enim non dico vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* xv). » Idcirco non dico, chari ; sed dico, charissimi, quia charitas erga vos maxima mihi est, qua major esse non potest. « Majorem enim hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*ibid.*). » Hoc ego facio. Nam, ecce dum morior, dum ad mortem trador, jamque venditus in morte agonizor, corpus quoque meum comedendum et sanguinem meum bibendum vobis appono, ut sicut jam dixi, quo ordine mors introivit, eodem foras mittatur de animabus et corporibus vestris. Primo quippe foras mittitur mors animæ, dum comeditis et bibitis sacramentum mortis vel passionis meæ, quia sicut quodam loco dixi : « Qui manducat me, ipse vivet propter me (*Joan.* vi). » Post hoc foras mittetur mors corporis, scilicet quando omnes resurgetis, quod et vos me primo resurgente fideliter creditis, sicut itidem ego dixi de illo, « qui manducans me, vivit propter me, et ego resuscitabo eum in novissimo die (*ibid.*). » Dicit aliquis : Sancti itaque patres vestri quomodo vivent, qui non comederunt neque biberunt hoc vitæ sacramentum, nisi tantum in figura et in generatione una, quando « manna in deserto comederunt (*Exod.* xvi ; *I Cor.* x), » et aquam de consequente eos petra biberunt ? Ad hæc, inquam, sicut viventibus vobis pro modo vestro, ita et defunctis illis pro modo ipsorum, sapientia Dei providit, eademque mensam paravit. Siquidem dissipati sunt illi, quoniam animæ quidem apud inferos sunt in requie spei, corpora vero requiescunt in sepulcris, dissipabor et « ego panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* vi), » et anima quidem ad animas illorum, corpus vero descendit ad corpora ipsorum, scilicet in ejus terræ ventrem, quo illa recepta sunt. Mox animæ illorum reviviscunt in vita plena atque perfecta, cujus in spe aliquatenus vixerunt ; in novissima autem die vobiscum resurgent resurrectione corporum. Atque ita fiet quod dicit aliquis vestrum, quodque firmiter tenet fides omnium vestrum, quia « sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (*I Cor.* xv). » Hoc tantæ salutis sacramentum ab initio non feci vobis, hunc cibum potumque vitæ æternæ hactenus non porrexi vobis, cum ambularetis mecum ad prædicandum Evangelium regni Dei. Non enim tempus erat, neque ordo poscebat ut vobis cibus aut potus daretur novæ salutis, priusquam mundaremini, priusquam deleretur macula vestra, macula reatus antiqui, quam contraxerunt comedendo vetitum, vobisque omnibus nascituris intulerunt jam dicti homines, primi parentes vestri. Mundari autem aliter neque vos potuistis, neque potuerunt veteres amici nostri, sancti antiqui ab origine mundi, nisi per effusionem sanguinis mei, « lavacrum regenerationis (*Tit.* iii), scilicet sanguinis et aquæ de latere meo decurrentis. Non igitur ante vobis facere aut dicere debui, « accipite et comedite, amici ; accipite et bibite, charissimi ; » non, inquam, ante, sed in ipso articulo passionis meæ vel mortis, qua emundati estis, unde et dico vobis, quia et « vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis (*Joan.* xv). » Nam quia credidistis, et quia permansistis mecum in tentationibus meis idcirco ex quo ego cœpi agonizari vos cœpistis emundari ; ac proinde sicut jam mundis, sicut emundatis a peccato originali, quod primus homo per cibum contraxit, hunc cibum et hunc potum feci vobis apponendum cæteris amicis et filiis nostris post vos nascituris, hoc ordine ut ipsi prius laventur aqua baptismatis, quæ post sanctificationem Verbi cum signaculo crucis sive exorcismo passionis meæ vel mortis, non erit alia, sed eadem quam cum sanguine meo de latere meo jam mortuus profundam, percussus lancea militis, et tunc demum particeps fiat cibi hujus ac potus eo modo quo tradidi vobis. « Inebriamini » igitur, « charissimi ; » inebriamini, inquam, ita ut egestatis vestræ obliviscamini, et doloris amplius non recordemini. Nam « corpus quidem mortuum, » id est, certissime moriturum est « propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem (*Rom.* viii). » Et ipsam mortem et omnes modos sive species mortis atque pœnarum, quidquid doloris et quidquid gaudii, quidquid timoris et quidquid spei mundus habere, sive inferre potest aut potuit, obliviscimini charissimi præ ebrietate vini vestri, præ abundantia Spiritus sancti, præ dulcedine nuptiarum nostrarum, nuptiarum præsentium quibus interesse meruistis, quarum festivitatem videre primi meruerunt beati oculi vestri. Vos enim estis convivæ nuptiarum præcipui, qui primi omnium aquam vinum factum gustare meruistis. Siquidem jam hoc ipsum quod non habetis tristitiam sive dolorem sæculi, quod contemnitis gaudium mundi, quod timorem hominis non timetis, quod non in homine speratis, quæ videlicet quatuor passiones aquæ mortuæ, imo et aquarum mortuarum quædam capita sunt, sed solummodo secundum Deum contristamini (*II Cor.* vii), solummodo in Spiritu sancto gaudetis, solum Deum timetis, et in solo Deo speratis, jam, inquam, hoc ipsum est prægustare factum ex aqua vinum, et ebrietatis initium, veniet autem satietas, perficietur ebrietas, post hoc, juxta illud in psalmo : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* xxxv). » Ecce hæc sunt, soror mea sponsa, quæ feci, quæque dixi amicis et charissimis meis, veniens « in hortum meum, » metens, ut jam dixi, « myrrham meam cum aromatibus meis, » comedens « favum meum cum melle meo, » et bibens « vinum meum cum lacte meo. » Cæterum quod optas et dicis post hæc omnia : « Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum, » hoc desiderans, ut te, quam dixi hortum conclusum, cujus emissiones sunt vel esse incipiunt per mundum universum paradisus malorum punicorum ; te, inquam, hortum

conclusum, fontemque hortorum, mox accipiam ad meipsum, « ut ubi ego sum, illic et tu sis mecum (*Joan.* XIV), » hoc nimirum ratio differre postulat, videlicet in primis, ne vacet huic mundo dicere quod nunquam mulierem viderit, de qua novum hoc audit ex Evangelii nostri prædicatione « quia misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege (*Galat.* IV). » Pulcherrimum atque ordinatissimum est quod dum adversarii nostri libros bajulant secum, dicentes sive scriptum habentes : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur **405** nomen ejus Emmanuel (*Isai.* VII), » et amici nostri prædicant in ista plenitudine temporis hoc esse perfectum, « sequentibus signis » ad confirmationem dictorum (*Marc.* XVI), tu quoque ades media librorum præcedentium atque prædicatorum signorumque subsequentium ; tu, inquam, virtutum operatrix, ac totius sanctæ magistra religionis, qualem nunquam oculus vidit, qualis ab initio, quando Eva facta est, non fuit, nec est, nec erit in cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suavitatis, in omni flore et fructu honoris et honestatis (*Eccli.* XXIV). Ecce venturi sunt homines spiritus contrarii, spiritus contra semetipsum divisi, et contra conclusionem horti mei, contra virginitatem uteri mei [*al.*, tui], contra paradisiacas emissiones tuas, multa ac diversa, imo et contraria dicturi, videlicet Carpocratiani, Valentiniani, Apollinaristæ, Pauliani, Jovinianistæ, et alii spiritu erroris seducti sive se- A ducendi, per quos serpens antiquus sibilabit, ut dicant, alii me hominem fuisse tantum et utroque sexu progenitum ; alii me nihil corporis assumpsisse ex te, sed transisse per te quasi per fistulam, alii non me hominem verum, sed in phantasia apparuisse hominem phantasticum, alii non semper me fuisse, sed ex te sumpsisse initium, alii filios te ex Joseph suscepisse post me natum. Tandiu igitur differri te oportet et detineri in peregrinatione ista, donec interimas et istas et cæteras hæreses universas, narrando fideliter, quod prædicetur et scribatur veraciter ; narrando, inquam, prout tempus et causa postulaverit, quod non me ex viro, sed ex superveniente Spiritu sancto conceperis, quod non ita per te, quasi per fistulam transierim, sed de ipsa B carnis tuæ substantiam veram carnis substantiam susceperim, quod non phantasticum, sed verum et vere humanum corpus acceperim, et in cœlum levaverim, quod non ex te initium sumpserim, sed ante te, imo et in principio ante omnia sæcula Deus Dei Verbum ego exstiterim, et post me natum semper virgo sis, juxta quod Ezechieli prophetæ dictum fuit quia « porta hæc » semper « clausa erit (*Ezech.* XLIV). » Portas istas et omnes ejusmodi emissiones tuas, tempus tuum erit, ut cum anima tua faciam id quod summopere desiderans, dicis : Ut « veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. »

LIBER QUINTUS.

O beata Maria, vocem sponsi jamdudum audierunt non solum amici, verum etiam adolescentulæ quam plurimæ pulchritudinem tuam laudantis et dicentis, quia « tota pulchra es, » et adhuc adjicientis [*al.*, dicentis], « absque eo quod intrinsecus latet. » Quid est illud quod « intrinsecus latet, » nisi optimus intentionis sive conscientiæ thesaurus? Hoc enim fere omnes nos latet dum legimus, quia tu religionis et fidei magistra cum beatis apostolis conversata es, cum hominibus, et fere inter turbas visa es. Cur non potius in abscondito te continuisti ? Cur non confirmasti tibi secretum contemplationis? Cur unquam aliquis mortalium visus est magis te assumpsisse pennas sicut columbæ, ut volaret et requiesceret, ut elongaret fugiens, et maneret in solitudine ? (*Psal.* LIX.) Hoc enim multi fecerunt, non solus Helias sive Helisæus (*III Reg.* XVIII), verum etiam quamplures filii prophetarum. Quid igitur ? Quam ob causam non et tu similiter, sive amplius eo modo pretiosam abscondisti hominibus pulchritudinis tuæ margaritam ? Quærimus hoc et est scitu dignum, et ecce jam invenimus et videmus, non quidem omnino sicut est, sed quasi per speculum (*I Cor.* XIII). Nam speculi vice ad causam istam C considerandam habemus maxime hunc Scripturæ locum, hæc pulcherrima dicta Canticorum, quæ sic incipiunt : « Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis : Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. Surrexi, ut aperirem dilecto meo. Manus meæ distillaverunt myrrham primam, et digiti mei pleni myrrba probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo. At ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Quæsivi illam et non inveni : Vocavi, et non respondit mihi. D Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem : Percusserunt me et vulneraverunt me, tulerunt mihi pallium meum custodes murorum. Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo. » Ecce hic, o Maria beatissima, ecce hic nobis « quasi per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII) » sublucet vita tua, vita inclyta, quæ, ut dicere vel canere jam consuevimus, cunctas

illustrat Ecclesias. Totus fere hujus capituli sensus ad illud pertinet, quod in te latet; et supra nos est quemadmodum supra dicebat dilectus, « oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet (*Cant.* IV). » Admoveamus igitur hoc speculum et diligenter oculis cordis exinde contemplemur, ut saltem aliqua ex parte cognoscamus sanctissimam conversationem tuam. « Ego dormio, et cor meum vigilat. » Quid hoc est aliud, nisi illud ipsum quod alibi dicit habitatrix pectoris tui sapientia **406** Dei: « In omnibus requiem quæsivi? (*Eccli.* XXIV. » Et quid hæc sunt. « Ego dormio, » etc., « In omnibus requiem quæsivi, » nisi optimam partem elegi (*Luc.* X), relictis cunctis sollicitudinibus vel curis sæculi? Et quidem multæ filiæ sive multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt, sed tu dormitionis hujus totum obtines magisterium et vigiliarum cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in Psalmo loquitur ibidem dilectus dicens: « Vacate et videte, quoniam ego sum Deus (*Psal.* XLV). » Hoc namque idem est ac si diceret: Vos dormite, et cor vestrum vigilet. Intelligimus igitur quid dicas: « Ego dormio, et cor meum vigilat, » scilicet quia talem nobis ut sequamur vitam tuam esse insinuas, qualis in patre tuo Jacob, quasi per umbram significata est, qui et ipse quando dormivit, tunc cor ejus vigilavit sicut scriptum est: « Cumque venisset ad quemdam locum et vellet in eo requiescere, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen ejus tangens cœlum; angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ (*Gen.* XXVIII), » etc. Multarum quoque, sicut jam dictum est, animarum fuit et est, non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, id est, a terrenis curis vacare, et in cœlestibus per contemplationem corde vigilare, verum etiam eodem modo, quo et Jacob tunc dormivit secundum corpus dormire et secundum animam per somnium cœlestia videre, juxta illud: « Senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt (*Joel.* II). » Sed, o tu cœlum Dei, unica sedes Domini, in utroque vigilantiæ modo, cunctis mortalibus sive terrenis hominibus longe eminentior exstitisti, longe studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant angeli prospicere, atque aptior fuisti. Quid ergo tu cum hominibus, quamvis sanctis? Quid tu loqui vel conversari cum mortalibus, quamvis apostolis? Cur non potius tanquam turtur castissima, turtur solivaga, solitudinem expetisti remotior quam Joannes Baptista, secretior quam Helias, ut solite scirent, ubique famularentur angeli sancti, non ad horam, sicut angelus Heliam semel et iterum pavit (*III Reg.* XIX), neque ad tempus, sicut eumdem corvi paverunt ministri, sed jugiter, donec tuis completis diebus, ad transferen-

A dam te in cœlum æthereum non unus tantum currus igneus, sed totus cum rege suo Filio tuo veniret atque occurreret angelorum exercitus? Hæc nobis quasi percontantibus tu respondens, dicis: « Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. » Hoc est dicere: Dilectus meus foris est, quasi subdio est, tectum non habet, domum non habet: « Vulpes, inquit, foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet (*Matth.* VIII). » Quid enim? Nunquid domum vel suam habet? Imo « reliqui, ait, domum meam, divisi hæreditatem meam, facta est mihi habitatio mea quasi spelunca hyænæ B (*Hier.* XII). » Dominum ergo jam non habens suum, et nondum adeptus aliam, id est, a Judæis repulsus, et gentibus nondum cognitus, quodammodo stans foris et pulsans, rogat intus suscipi, et hæc vox dilecti mei pulsantis: « Aperi mihi, soror mea, columba mea, amica mea, immaculata mea. » — « Soror mea, » per fidem, « amica mea, » per spem, « columba mea, » per charitatem, « immaculata, » per omnimodam mentis et corporis incorruptionem, quod in matre quæ concepit et peperit, valde laudabile est. « Aperi mihi, » id est os tuum, « loquere, » prout ad confirmandum pertinet Evangelium, et in hoc optatæ tibi quietis patere suspendium; ut gratum singulari pudicitiæ tuæ propter me rumpas silentium. Quam ob causam? videlicet, « quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis no- C ctium. » — « Extraneus factus sum quippe fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ (*Psal.* LXVIII); » et sicut ejus qui fortis est, et tectum non habet, « caput plenum est rore, et cincinni » sive supremi capilli pleni sunt « guttis noctium; » ita « opprobria exprobrantium ceciderunt super me (*ibid.*). » et ab ipsis sacræ sensibus pravis inficiuntur Scripturæ, quæ omnes ita mihi, scilicet Verba Dei, sicut cincinni inhærent capiti. Sicut me extra portas suas, ut crucifigerent, ejecerunt, ita de cordibus suis longe fecerunt, odientes et me et Patrem meum, et sicut illa nocte sua faciem meam conspuerant, ita pertinaciter blasphemias in caput meum jactitant, et cincinnos meos commaculant, similes ipsi rori cadenti, sive caducis guttis noctium, quia de gratia D Dei ceciderunt, dum me Deum Dei Filium esse blasphemantes negant, et Scripturas, quæ testimonium perhibent de me, sensu contrario conturbant. Aperi igitur cum aliis testibus meis os tuum, et tacito, ut in quibuscunque locum habeam, ubi reclinem caput meum. Ubi et quando ista vox dilecti pulsantis? Intus et interiori homine, ubi vobis quoque amicis dilectus idem solitus est loqui, sicut et de quodam vestrum Scriptura dicit: « Dixit autem Spiritus Philippo: Accede et adjunge te ad currum istum (*Act.* VIII) » Sic enim dilectus habitat in vobis et intus loquitur vobis, non necesse habetis doceri quid de meipsa dixerim, « vox dilecti mei pulsan-

tis. » Si quæritur quando, nimirum postquam ascendit in cœlum, dum hic quoque sexus tenderet ad eum, sicut legitur in Actibus apostolorum : « Hi omnes erant perseverantes unanimes cum mulieribus, et Maria matre Jesu et fratribus ejus (*Act.* I). » Sicut viri, ita et feminæ jam communiter vivere incipiebant, non solum Judæorum, verum etiam Græcorum, cum dato Spiritu sancto, prædicaretur Evangelium. Hinc est illud : « In diebus autem illis crescente numero discipulorum, factus est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum (*Act.* VI). » Propter hujusmodi maxime fiebat « vox dilecti pulsantis » et dicentis : « Aperi mihi, soror mea, » videlicet ne vel infirmiori sexui deesset salutaris doctrina ministeriumque et norma vitæ, vel morum disciplina. Ego autem, inquam : « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? » Jamdudum quippe, dilecte mi, vitam perfecte solitariam concupivi, in qua sic vivitur, ac si quis tunica vel omni veste nudus, quiescat sibi in secreto lectuli lotis pedibus, et expers totius pulveris. Quomodo rursus implicabor curis, quæ non desunt prælatis in conversatione communi, quamvis vita communiter viventium propriumque nihil habentium religiosa sit vel esse possit ? Hæc namque vita sine victu vel ministerio quotidiano non potest deduci, et nonnihil habet pulveris, imo et nimis sæpe pulverulenta est, et in primis murmuriosa, sicut initio jam audistis, o amici, « quia factus est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Nec mirum quod sexu isto, sexu fragili, confugiente ad nos de luto sæculi, subest aliquid pulveris hujusmodi, cum et in vestro, scilicet sexu virili, nonnulla reprehensibilia sint, et multa pristinæ conversationis vestigia supersint. Ego autem dilecto meo pulsanti loquor, eique nota replico, quia singularis ego præ omnibus exui me tunica mea, mente et actu **407** vel habitu reliqui omnia et ita lavi pedes meos, conscientiam sive intentionem meam emundante Spiritu sancto, ut jam dicti pulveris nihil omnino residuum sit. Quomodo nunc « induar tunica, » ut cum mea reliquerim omnia, curem aliena, pro aliis sollicita, et earum quæ quotidie veniunt viduarum, vel quæ venturæ sunt virginum materfamilias effecta ? « Quomodo inquinabo, quos lavi pedes meos, » id est, ad aliqua terrena inclinabo oculos vel cæteros, quos omnes tibi soli, dilecte mi, dedicavi, sensus vel cogitatus meos ? Nam, etsi custodia tua semper mecum est, vera tamen humilitas semper sollicita est, et mea potissimum anima, quæ amore tuo singulariter plena est, pro pulvere æstimat, pro sordibus reputat, quidquid unquam præter te per aliquam necessitatem dicit vel cogitat, quamvis licitum sit, quamvis non otiosum, imo et aliquatenus utile videri possit. Hæc vel his similia dicenti et vigilanti, corde dormire volenti mihi quid

A obvenit ? « Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. » Quomodo, o dilecta, misit dilectus tuus manum suam per foramen ? Quæ est illa manus ? Quod est illud foramen ? Quis ille tactus ? Quis ille tremor ? Quomodo « intremuit venter meus, » aut quid venter tuus ? Mirantes ista quærimus, quia talium inexperti sumus. Dicit quidam veterum amicorum. « Et misit Dominus manum suam et tetigit os meum, et dixit ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te hodie super gentes et regna (*Jer.* I). » Item alius dicit : « Ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant coram me, et cecidit super me ibi manus Domini Dei. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cin- B cinno capitis mei (*Ezech.* V). » Nostra ætate referebat quædam adolescentularum familiaribus suis, quibus propter compertam benevolentiam secreta sua committere non dubitabat, nocte quadam similitudinem manus a capite lectuli fuisse immissam super pectus suum pene vigilantis, imo nullatenus dormientis, non nihil tamen de excessu tenuiter patientis. Erat autem tactus suavissimus, quasi dexteræ manus. Et apprehendens illam suis utriusque manibus demulcebat signaculo crucis, peragrans intus et exterius, quibus delinimentis valde manus eadem delectari videbatur. Cumque post illas signaculi sancti delicias, quibus manum demulcebat, brachium quoque contingere, ipsamque personam, cujus manum tenebat, assequi conaretur, velociter veluti increpitans movit et excus- C sit se manus illa, oleo suavior, pœna volucris agilior, motuque suo dedit intelligi, quod ipse cujus erat manus, nollet se apprehendi. Memorabat etiam eadem adolescentula, scilicet anima nuptiis istis dedita, canticisque nuptialibus intenta, quoniam dilectus in visu noctis conspicuus, manum suam miro modo pectori ejus, quasi per foramen injecit, et cor ejus intrinsecus apprehendit, tenuitque aliquandiu suavissime stringens, et gaudebat ineffabili gaudio cor illud intra manum illam subsiliens atque tripudians. Porro de tremore illo, tremore sancto et divino, tale experimentum sibi evenisse fideli narratione referebat. Aspiciebat per visum in quadam ecclesia Salvatoris imaginem, cruci confixam in loco sublimi, scilicet ubi de more consi- D stebat, orantibus sive adorantibus proposita populis. Cumque in eam intenderet, vivens imago visa est, vultu quasi regio, radiantibus oculis, aspectuque prorsus reverendo, manumque suam dextram de patibulo adducere, signaculum crucis super aspicientem edere magnifica expressione dilectus ille dignatus est. Nam vana visio, imo magnæ virtutis sensum videndi intulit continuo. Denique sicut tremit folium arboris, ubi ventus vehemens illud concusserit, ita cum repente in hoc visu evigilasset, tremore dulci, in lectulo aliquandiu tremuit, verumtamen, tremore blando nimiumque suavi. Et antequam evigilaret, in ipso visu jam dicti virtus

signaculi videntem sursum rapuit, velocius atque facilius quam dici possit, manibus expansis ad manus illius confixas cruci, ita ut os quoque ori, totumque corpus admotum videretur ejus corpori, et ubi somno erupit, aliquandiu, sicut jam dictum est, tremore illo divino multum delectabiliter vigilans tremuit. Hæc pro experimento manus vel tactus atque tremoris divini paucis dicta sint. Verum cum de tua persona agitur, o dilecta dilecti singularis, qualia vel quanta sunt ista, ut ea, quæ circa te fecisse credenda est manus Domini, possint aliquatenus ex istorum similitudine colligi? Magna sunt ista, nostrosque longe cogitatus excedunt, te potius audiamus, cætera tam sancta tamque mystica narrantem, tam longe supra litteram spiritum vitæ in sensu habentem. « Surrexi ut aperirem dilecto meo. Manus meæ stillaverunt myrrham optimam, et digiti mei pleni myrrha probatissima. » Surrexi, inquam. Quomodo enim diutius dormire aut post obdormiscere potuissem? Quomodo tunica indui fastidiosum, aut pulverem pati in pedibus mihi esset pigrum, ubi post vocem dilecti mei pulsantis, manus quoque accessit, et tactu suo illum ineffabilem ventri meo timorem incussit? « Surrexi igitur, ut aperirem dilecto meo, » operam dedi, ut cum apostolis Christi, utique dilecti mei dictis et factis proficerem currenti Evangelio. Nam hoc est quod dico: « Manus meæ stillaverunt myrrham optimam, et digiti mei pleni myrrha probatissima. » Oportebat namque, ut maxime relictis credentium atque apostolicam vitam imitantium viduis, manifestum darem exemplum mortificationis vitiorum normamque in propatulo mox venturis, novumque eatenus inauditum exemplum eo suscepturis sanctæ virginitatis propositum. Hæc « myrrha utique probatissima, » id est pretiosissima est. Cæterum carnem mortificare, non propter Deum, neque propter ædificationem videntium, sed propter gloriam propriam capiendam ex ore laudantium, hoc quidem est manibus stillare myrrham, sed non probatam, imo nec ibi sunt digiti, qui dicantur myrrha pleni, quia non est in tali opere virtus discretionis, quæ per digitorum distinctionem solet intelligi. » Pessulum ostii mei aperui dilecto meo » — « Pessulum, inquam, ostii mei, » id est, clausuram oris mei. Quid namque per pessulum, nisi silentii signatur firmamentum? Pessulum ergo ostii dilecto meo aperitur, cum indictum ori silentium propter Christum resolvitur, ut audientes ædificentur. Et quam pulcher, quam rationabilis et disciplinatus ordo loquendi! Prius myrrha stillat de manibus et digiti myrrha probatissima pleni monstrantur, ac deinde pessulus ostii dilecto aperitur, id est, prius vita laudabilis in exemplum præparatur, et deinde doctrina fidem quærens audientium palam profertur. Hinc de ipso dilecto scriptum est, quia cœpit facere et docere (*Act.* I). Non dictum est prius docere, et deinde facere, sed prius facere, et deinde docere. « Et ille declinaverat atque transierat. » — « Ego, inquit, pessulum ostii mei dilecto meo aperuit et ille declinaverat atque transierat, » id est, ego os meum aperui in doctrina, ut audientibus facerem notitiam dilecti, sed jam nobiscum non erat, jam cœlo receptus adhuc redire ulterius non habebat. Ergone, o dilecta, tu istud nesciebas? Nonne prius quam modo jam dicto pessulum ostii tui aperuisses, videras quod in cœlum **408** ascendisset, et sciebas quod ultra ad commanendum mortalibus rediturus non esset? Sciebam, ait, et bene sciebam. Sed quid? « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. » Quando vel ubi locutus est? Nimirum, quando vel ubi ego « pessulum ostii mei dilecto aperui, » loquendo scilicet pro utilitate audientium ea quæ sunt dilecti, tunc et ubi dilectus est locutus. Non enim ego eram quæ loquebar, sed ipse loquebatur in me (*Matth.* XI). Si enim quislibet vestrum amicorum dicit, et vere dicit: « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christi (*II Cor.* XIII), » non dubium quin et in me dilectus idem locutus sit, quoties ei pessulum ostii mei aperui, quoties linguam movi, et Verbo Dei, quod ipse est, vocem meam accommodavi. Ut ergo dilectus locutus est, « anima mea liquefacta est. » Flebam quippe, et præ singultibus vehementer erumpentibus non poteram verba nisi concussa, vel voces nisi intercisas evolvere. Nunquid enim poteram absque fletu de illo verba facere? Verum fletus ipse consolatio mihi erat, delectatio quædam mihi erat, sicut et cuique vestrum lacrymæ suæ dulces sunt, fluentes in ejusdem recordatione dilecti, juxta illud: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI). » Quanto magis mihi, dum diceretur mihi quotidie. « Ubi est Deus tuus (*ibid.*), » filius tuus? sive dum dicerem ego: Me dimisit in hoc exsilio Deus meus, filius meus, de me taliter incarnatus vel natus, propter me et me vidente, taliter agonizatus, talia passus? Quale mihi erat, commemorare sive narrare verba ejus, verba morientis, sive continuo morituri dilecti, maxime commendantis præceptum charitatis, mandatum dilectionis, ab illa cœna sacrosancta, quando tradebatur, usque ad hæc verba novissima: « Mulier, ecce filius tuus: » ad discipulum autem. « Ecce mater tua? » (*Joan.* XIX) Ibi ignis, ibi gladius, ignis amoris, gladius doloris, et anima mea victima erat holocausti. Hanc enim et ignis incendit, et gladius pertransivit. Unde sicut adeps sacrificii liquescit ab igne, et sicut fluit sanguis de gladii vulnere, sic « anima mea liquefacta est, » non ibi semel tantum, ubi moriebatur ipse, verum etiam quoties me aperiente pessulum ostii mei, locutus est in me. Toties quippe sensi profundo corde, vulnerata mente istud, quod nunc dico, quia declinaverat atque transierat, ipsa commemoratione horum sensum mihi renovante ut magis ac magis sentirem eum hic jam non esse, visibiliter non comparere. « Quæsivi illum, et non inveni, vocavi, et non respondit

mihi. » Quæsivi, scilicet jugiter meditando, vocavi, semper orando, sed sic quærens non inveni, sic vocanti non respondit mihi. Dulce lumen, et delectabile est oculis videro solem, sed mihi dulce sentiebam, videre carnem meam in ipso viventem, delectabile habebam, quem genueram, videre facie ad faciem, ad dextram Patris super omnia fulgentem. Non sic statim inveni, non quam cito volui, super hoc respondit mihi : « Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem. Percusserunt me et vulneraverunt me, tulerunt mihi pallium meum custodes murorum. » Qui sunt vel erant illi vigiles, illi custodes murorum, qui circumeunt civitatem? Nimirum amici et primi amicorum nostrorum, qui dicunt in libro suo, libro Actuum apostolorum : « Non æquum est nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quod constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, ministerio verbi instantes erimus (*Act.* VI). » Isti erant vigiles, et hoc illis erat vigilare, et civitatem circuire, et muros custodire, scilicet orationi et ministerio verbi jugiter instare, juxta illud propheticum : « Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte non tacebunt laudare nomen Domini. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Hierusalem laudem in terra (*Isa.* LXXII), » illam Hierusalem nimirum, de qua et in Psalmo dictum est : « Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXVIII). » Hoc ita vigiles illi faciebant, ut omni die in templo et circa domos non cessarent docentes et evangelizantes Jesum Christum. Isti invenerunt, quærebant enim me. Quomodo quærebant, et quomodo invenerunt me? Quærebant me utique omnes pia sollicitudine, et ille præcipue, cui a dilecto fueram commissa, dicente : « Ecce mater tua (*Joan.* XIX), » et recepit me in sua. Quærebant isti multum sperantes de me, quod inesset mihi aliquid dignum sua inquisitione, quippe qui noverant quod in me vel de me fuisset factum, qualis mater qualem genuisset filium. Nonnihil in me superesse arbitrabantur de thesauris Altissimi, quos superveniens in me Spiritus sanctus thesaurizat in conceptione tanti Filii. Verum quippe hoc erat, quia filius quidem de utero meo per nativitatem carnis, « tanquam sponsus de thalamo suo » processit (*Psal.* XVIII), sed nihilominus tota plenitudo gratiæ, quam acceperam, extunc et usque in sæculum in corde et in sensibus meis, perseveravit ac perseverabit. Quærebant igitur et invenerunt me plenam esse gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VII). Et hoc unde illis, ut sic invenirent me? Nimirum ex aliqua suimet similitudine. Nam quod gemebam, similiter et ipsi gemebant, eamdemque in gemitibus nostris habemus causam, taliter ab ipso dilecto veraciter prænuntiatam. « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, et sicut dixi vobis: quo ego vado, vos non potestis venire ; et vobis dico modo (*Joan.* XIII). » Hæc nobis erat communis causa gemituum atque fletuum, quod quo ipse abierat nos non poteramus ire. Non quidem reliquerat nos orphanos, quia reliquerat cum sua promissione et suæ promissionis spe secundum verba hæc : « Et si abiero et præparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad memetipsum, ut ubi sum ego, et voc sitis (*Joan.* XIV) : » verumtamen interim, dum differebamur, sic erat nobis, quemadmodum ipse alibi dixit : « Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus ? Venient autem dies quando auferetur sponsus ab eis, et tunc jejunabunt (*Matth.* IX). Quod si filiis sponsi erat jejunandum, quanto magis mihi matri ejusdem sponsi jejunandum erat et flendum ? In hoc ipsi invenerunt me, nec enim quid animi gererem, posset illos latere. Quid deinde? « Percusserunt me et vulneraverunt me. » Quomodo vel quibus armis percusserunt me ? Conferendo et colloquendo, et gemitus suos nimis ultroneos, imo et nimis violentos in medium jaciendo, « percusserunt me, » quos videlicet gemitus et fletus suos, et si vellent, retinere non poterant, et idcirco solutis habenis lacrymas suas currere dimittebant, quantum ipsæ lacrymæ volebant. Tunc unusquisque portionem suam afferebat in medium, memoras verborum Patris sui, filii mei, sponsi jam dicti, dilecti nostri, verborum novissimorum Patris ejusmodi, quæ moriens et quasi ultimum trahens spiritum dixit, memores quale testamentum scripserit eisdem filiis suis, qualem hæreditatem dimisisset eis, et de ipsorum hæredum pace et concordia moriens quam pie sollicitus testator ipse fuisset, et quomodo « cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII). » Hæc erant jacula ipsorum, et istis percusserunt me, et vulneraverunt me percussi ipsi et vulnerati a me vicissim sagittis acutis, quæ erant sagittæ loquentis in me dilecti, quemadmodum Psalmista dicit : **409** « Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX), » atque ita mutuis percussionibus mutuisque vulneribus percutiebamus invicem et percutiebamur, vulnerabamus et vulnerabamur percussionibus suavissimis, vulneribus dulcissimis, qualia qui expertus non est profecto sanitatem cordis non habet. Inter ista tulerunt mihi pallium meum illi custodes murorum, ita videlicet ut totum quod erat in me secretum facerem, quantum opus erat, illis manifestum. Nam eatenus omnia quæ erant de illo dilecto verba conservaveram conferens in corde meo (*Luc.* II), et ita contegens quasi sub pallio ; tunc autem deprompsi in aperto, videlicet necessaria multumque profutura prædicando vel etiam conscribendo dilecti Evangelio. His aliisque modis defessa et omnino huic mundo præmortua, converto me ad filias sororesque nostras, Evangelii nostri viduas, sive qualescunque sexus nostri personas mihi creditas, et aio ad eas : « Adjuro vos,

filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei quia amore langueo. » O filia Hierusalem, quæ veræ estis filiæ Abraham, semen Juda, filiæ quoque David secundum fidem, credendo in eum, qui cum esset filius Dei secundum divinitatem, et rex supernæ Hierusalem, factus est filius meus, sive filius hominis « ex semine David secundum carnem (*Rom.* I), » — » adjuro vos, » videlicet per hoc ipsum, unde estis « filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum ; si ante me, ut sæpe fit, discipulæ ante magistram, exeuntes de corpore veneritis ante dilecti mei conspectum, « ut annuntietis ei quia amore langueo, » quia præ amore ejus, præ magno videndæ faciei ejus desiderio, nimirum vitæ hujus tædium patior et animo gemituoso lacrymosisque oculis suspiriosas præsentis exsilii moras sustineo. Quid erat, vel quid efficiebat hæc talis adjuratio? Nunquid ille dilectus nesciret amorem languentis sive languorem amantis nisi annuntiaretur ei? « Domine, inquit Petrus, tu omnia scis, tu scis quia amo te (*Joan.* XXI). » Quanto magis, o tu dilecta, tam prudens tamque fidelis per temetipsam absque internuntiis dicere poteras dilecto, et frequenter dixisti sine dubio, dilecte mi, nullum tibi est absconditum cor, nullius occultus amor, tu scis quia amore langueo? Quorsum ergo tendit vel quid efficit hæc adjuratio? Eo nimirum ut percussu percutiat, vulnerata vulneret mater filias, salubriumque vulnerum suorum aliquod, et si non statim omnibus at saltem jam aliquibus earum experimentum efficiat, ut audientes filiæ vel sentientes in matre tantum vitæ futuræ, quæ non videtur, desiderium in mente persentiant et ipsæ talem illum esse dilectum, ut jure propter eum fastidiat quivis vel quævis hoc præsens sæculum, jamque inter moras præsentis vitæ magis ac magis cupiat eum agnoscere, saltem per speculum, saltem in ænigmate (*I Cor.* XIII). Unde et protinus dicunt : « Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos ? » Opportuna valde percontatio, si respiciamus ad illa tempora de quibus nunc agimus, quando tu, o dilecta, propter Evangelium dilecti præsens aderas, et in corpore detinebaris, magistra necessaria, testis valde idonea! Jam tunc enim audiri incipiebant, non solum Judæi aperta fronte blasphemantes, verum etiam multi ac diversi hæretici sub nomine Christiano Christianam veritatem corrumpere laborantes, et exinde pullulare habebant eodem quidem malignitatis spiritu, sed diversis sibique contrariis erroribus, quamplura viperarum genimina, velut antiquæ hydræ capita quæ, ut fertur, sectis prioribus plura renascebantur. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, et consulendum oraculum Spiritus sancti, scilicet sacrarium pectoris tui, ut viva voce omnem necessario tenendam demonstrares regulata fidei, cum testimonio Scripturarum, quas memoriter tenebas prophetissa magna, et capax omnium prophetarum sive prophetiarum. « Qualis est, aiunt, dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum, idem filius tuus, Deus ex Patre Deo qualis est, o Virgo virginum, o sancta sanctarum ? « Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos ? » Neque enim nos, quæ jam sumus filiæ Hierusalem, dubium habemus quin ipse sit dilectus ex dilecto, id est Deus ex Deo, sed non nobis solis, quæ nunc sumus in hoc tempore tuo, verum etiam et omnibus aliis providendum est filiabus Hierusalem quæ futuræ sunt post nos, ut ex te certo instructæ vel confirmatæ Spiritus sancti testimonio, sciant contemnere hæreticos et solius dilecti sancto flagrare desiderio. « Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum, comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte lotæ sunt, et resident juxta fluenta plenissima. Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus et ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem. »

Tale tuum nobis carmen, divina prophetes,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Hoc tuum carmen vere pulcherrimum, et sicut dicitur, ita est Canticum canticorum. Nihil amici libentius audierint, nihil adolescentulæ delectabilius acceperint, quæcunque habent aures audiendi sensumque promptum, quo legitimum carmen discernere possint. Dixisti qualis dilectus sit, et miras qualitates ejus breviter quidem sed delectabiliter exposuisti, sicut habet seipsa veritas rei, sicut omnes consonanter prædicant Scripturæ veritatis. « Dilectus meus candidus et rubicundus. » Unde candidus, et unde rubicundus? Nimirum candidus sanctitate, rubicundus passione. Dicat aliquis : Si ergo candidus, quare rubicundus? Si sanctus, quare passus? Hoc enim admirans Spiritus sanctus in David, cum dixisset : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit (*Psal.* I), » et cætera, utique verbis designavit eum fore candidum, scilicet immunem ab omni nigredine ejus, « in quo omnes peccaverunt (*Rom.* V), » erat enim in lumbis ejus, quando « abiit in consilio impiorum, et stetit in via peccatorum, et sedit in cathedra pestilentiæ, » cogitando malum, et transgrediendo mandatum, et defendendo sive in posteros suos transfundendo hæreditarium peccatum suum, subjunxit atque ait : « Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus ? » (*Psal.* II.) Et est sensus : Cum ita fuerit candidus et omnino immaculatus, quare ita con-

venerunt, et suo illum sanguine rubicundum fecerunt? Et in Isaia: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum, sicut calcantium in torculari? » (*Isa.* LXIII.) Præmiserat enim: « Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum (*ibid*, » quod est vere esse candidum, vere immaculatum. Statimque et quod hic dicitur, « electus **410** ex millibus, » ibidem subjungitur, torcular calcavi solus (*ibid.*). » Igitur quærimus et nos, sive adolescentulæ, quæ nondum ad plenum didicerunt, sed adhuc discunt tantum sacramentum. Si ergo candidus, quare rubicundus? Si sanctus, quare passus? Et respondent nobis amici veteres ac novi: « Quia vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra (*Isa.* LIII). » « et proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII), » et ipse dilecti dilectus « propter peccata, inquit, populi mei percussi eum (*Isa.* LIII). » Quibus autem ex millibus est electus, nisi ex sanctis omnibus? Et in quo electus, nisi in eo ut illud faceret solus, ad quod faciendum nullus illorum fuit idoneus? Hinc enim apud Isaiam, cum de universitate sanctorum, quæ una civitas est, quæque in Adam cecidit, præmissum fuisset: « Elevare elevare, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, et usque ad fundum calicem soporis bibisti (*Isai.* LI). » protinus infirmitas cunctorum millium quanta fuerit, his verbis quæ subjuncta sunt, demonstratur. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit, et non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis quos enutrivit. Amplius autem ad ipsam conversus dicit: « Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata, pleni indignatione Domini, et increpatione Dei tui (*ibid.*), » Vere magna infirmitas cunctorum millium. Non solum non potuerunt sustentare Hierusalem sive apprehendere manum ejus, verum etiam ipsi « projecti fuerunt et dormierunt in capite omnium viarum sicut bestia illaqueata, » videlicet peccato illaqueati, peccato originali, et ob hoc « pleni indignatione Domini, pleni increpatione Dei, » id est et secundum animam mortui, et secundum corpus mortales effecti, nisi quod in isto electo spes omnibus illis una residua fuit, quemadmodum sequens littera continuo repromisit. Hæc dicit Dominator tuus, Dominus et Deus tuus, qui pro populo suo pugnavit. « Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ. Non adjicies, ut bibas illum ultra, et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt (*ibid.*). » Hoc est opus electi, potuisse facere et fecisse, quod nullus alius fecit aut facere potuit, quod est abstulisse de manu generis humani, scilicet omnium qui ad vitam erant prærordinati, qui omnes dicuntur et sunt una Hierusalem, calicem iræ et fundum calicis, id est sententiam utriusque mortis animæ et corporis. Unde hoc illi, ut talis vel tantus deberet esse electus? in quo discernitur? Quo differt a cunctis? « Caput ejus aurum optimum. » Hoc est ejus proprium, et hinc est illud quod veraciter esse dicitur, « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), » quia caput ejus aurum est optimum, id est, principalis ejus natura vera divinitas est, ipse enim est Deus, Dei Verbum, quod « erat in principio apud Deum. Nam Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Ex duabus unus idemque subsistit naturis, divina scilicet et humana; et ob hoc divina ejus natura recte dicitur caput, quia principium est, quemadmodum quodam loco dicit: « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Quid tanti ponderis, ut hoc aurum? Quid tam pulchrum, ut hoc caput aureum? Quid tam pretiosum, ut hoc verbum? Ego dilecta pondus auri hujus ineffabiliter in memetipsa persensi, quando de cœlo in uterum meum descendit. Sed habet quamdam de semetipso mirabilem atque inæstimabilem efficaciam, qua mortalis conditionis uterum fragilemque hunc sexum ita dulciter solidare novit ac potuit, ut non solum non frangeretur, verum etiam delectaretur pondere ejus parvitas uteri mei, cum sit ipse quem tremunt angeli, quem totus non capit orbis, « sub quo curvantur, ait Scriptura qui portant orbem (*Job.* IX). » Efficacia hæc, gratia ejus est, sine qua nulla sub eo creatura subsistere potest. Hoc habet præ cunctis millibus, scilicet tale, tantique ponderis caput, et hinc est dilectus ex millibus. « Comæ ejus, sicut elatæ palmarum nigræ quasi corvus. » Comæ ejus capitis sunt omnes Scripturæ veritatis. Sicut enim comæ de capite prodeunt et capitis quoddam sunt ornamentum, ita omnes Scripturæ divinitus inspiratæ, de plenitudine hujus verbi sive electi acceptæ sunt, et omnes huic electo perhibent testimonium. Istæ comæ « sicut elatæ palmarum, » id est sicut folia palmarum, quæ videlicet folia idcirco dicuntur elatæ, quod eleventur sursum, quia non pendent deorsum, sicut aliarum arborum. Est autem palma arbor, insigne victoriæ ramis oppansis in modum palmæ hominis, procero ac decoro virgulto, diuturnisque vestita frondibus, et folia sua sine ulla successione conservans. Vere ergo « comæ ejus, » videlicet electi sive aurei capitis dilecti, « sicut elatæ palmarum, » quia videlicet Scripturæ veritatis, quarum utique principium est caput illud, scilicet Deus Verbum, non sicut scripturæ hominum terram aspiciunt, sed sursum tendunt, et quæ sursum sunt quærunt (*Coloss.* III). Siquidem non occidentem litteram, sed vivificantem sequaris spiritum (*II Cor.* III), et valde diuturnæ sunt, sicut imo plus quam elatæ sive folia palmarum. Quia « cœlum, inquit, et terra transibunt verba autem mea non transibunt (*Luc.* XXI); » et: « iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant (*Matth.* V). » Sunt autem nigræ quasi corvus, quia, sicut alibi dictum est, « tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII), » id est occulta scientia in propheticis atque legalibus scripturis, ita veraciter dicas, nigredo magna in comis capitis dilecti, ut sensus sive intellectus idem sit. Sed vide quid sequitur: « Oculi ejus sicut

columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte lotæ sunt, et resident juxta fluenta plenissima. » Oculi ejus septem sunt spiritus ejus, septem dona sive septem gratiæ sunt unius ejusdemque spiritus. Confer opposita hæc, « comæ ejus nigræ quasi corvus et oculi ejus sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, » et vide quid conficitur. Istud nimirum, quia Scripturæ sanctæ sunt quidem sanctum et vivificantem non habentibus spiritum nigræ quasi corvus, quia obscuræ eis et truces videntur; sed habentibus gratiam spiritualem, quæ per oculos intelligitur, candidæ, imo et lucidæ sunt, sicut oculi columbæ mansuetæ, columbæ lacteæ. Exempli gratia: Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera (*Gen.* XXI). Et lex dicit: « Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente (*Deut.* XIX), » et cætera. In prophetis autem: « Vade, inquit Dominus, sume tibi uxorem fornicationis et fac filios fornicationum (*Osee.* I), » et cætera. In iis namque et cæteris hujusmodi, comæ jam dictæ nigræ sunt, non quomodocunque, sed sicut corvus, quia non solum obscura sunt hæc, verum etiam nociva videntur secundum litteralem sensum. Adhibitis autem oculis jam dictis oculis spiritualibus, apparet quia lucida sunt, columbina sunt, honesta et sancta sunt, videlicet secundum sensum mysticum, et quantum distat inter nigredinem corvorum nitoremque columbarum lactearum, tantum, imo et amplius, distat inter occidentem litteram et vivificantem spiritum (*II Cor.* III). Igitur « oculi ejus, » id est gratiæ sancti Spiritus in eo manentis « sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, » columbæ valde candidæ, « quæ resident super rivulos aquarum et juxta fluenta plenissima, » id est omnino intendunt scripturis prophetarum et omnes inspiciunt Scripturas sanctas, sacramentorum cœlestium **411** plenissimas, juxta illud Psalmistæ: « Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* I). » Quid enim fecit aut docuit absque auctoritate Scripturarum? Primum ubi egressus est a deserto, post jejunium ac tentationem, traditum sibi librum Isaiæ prophetæ revolvens, et inveniens locum, ubi scriptum erat: « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me (*Isa.* LXI), et cætera. « Hodie, inquit, impleta est hæc Scriptura in auribus vestris (*Luc.* IV). » Ita incipiens, cuncta sine dubio cum auctoritate Scripturarum, et dixit et fecit, semper intendens Scripturis. Et ut aliquid pro exemplo dictum sit, nunquid in ipso initio suæ prædicationis sine inspectione Scripturarum, absque meditatione legis Domini in montem ascendit, sicut narrat Evangelium, « quia videns turbas plurimas ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus et aperiens os suum, docebat eos, » videlicet hoc præcipue, « quod non venisset legem solvere, sed adimplere? » (*Matth.* VI.) Non utique sed hoc inspiciebat hoc meditabatur, unum et alterum, videlicet et quod olim fecerat et quod postmodum erat factu-

A rus, quia nimirum et olim in monte legem dederat eamdem (*Exod.* XX), et postmodum ascensurus erat in montem, id est in ipsam cœli altitudinem, et aperto ore suo, aperto nihilominus sensu discipulorum suorum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV), » docere habebat eos omnem veritatem (*Joan.* XVI). Recte igitur sicut columbæ non qualescunque, sed columbæ residentes super rivulos aquarum et juxta fluenta plenissima, » ita « oculi ejus, » videlicet dilecti sunt, quia sensus sive cogitationes ejus nusquam a sanctarum inspectione Scripturarum sese aliquando averterunt. « Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis. » Genæ sunt inferiores oculorum partes, unde barbæ inchoant. Nam barba Græce dicitur γένειον. Quid ergo per genas dilecti, B nisi exterior ejus habitus intelligitur? Genæ namque hominis enuntiant de illo, unde et dicitur vultus idem locus, eo quod per eum animi voluntas ostenditur. Ergo « genæ ejus, inquit, sicut areolæ aromatum, » quia nimirum latentium in eo indices sunt gratiarum virtutumque omnium, quæ ita intuentibus gratæ sunt, habentibus duntaxat simplicem oculum atque benevolum, « sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis, » id est non casu complantatæ, sed bene dispositæ cura diligenti delectabiles sunt, et aspicientium lætificant visum pariter et olfactum. « Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. » Evangelii prædicatio munda est, et omnis doctrina dilecti sancta et vera est, quod et ipsi adversarii confessi sunt, quamvis non simpliciter dicentes: « Magister scimus quia verax es, et C viam Dei in veritate doces (*Matth.* XXII). » Fuit autem initium prædicationis ejus pœnitentia, præcurrente in hoc ipsum Joanne, sicut ipsa manifeste Scriptura evangelica demonstrat. « In diebus autem illis, inquit, venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). » Item: « Cum audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, et exinde cœpit prædicare et dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). Sed et alias, ubicunque occasio se præbuit, illam ostendit fuisse adventus sui causam, vocare scilicet peccatores ad pœnitentiam (*Luc.* V), » et hæc est amicorum quoque ejus doctrina circa omnes homines, « ut morti- D ficent membra sua super terram (*Coloss.* III). » Ergo veraciter « labia ejus lilia distillantia myrrham primam, » quia docet munditiam, vocat ad pœnitentiam. Non qualemcunque myrrham, sed « myrrham, inquit, primam, » id est veram et optimam scilicet nequaquam cupiditate vanæ gloriæ adulteratam. « Cum, inquit, jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* VI). » — « Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. » In quo « manus ejus tornatiles et aureæ? » Nimirum

in faciendo miracula, ut constanter dicere posset: « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si non vultis mihi credere, operibus credite (*Joan.* x); » videlicet quæ feci in vobis, qualia vel quomodo nemo alius fecit. Nemo quippe alius manus in faciendis signis vel prodigiis ita tornatiles et ita aureas habuit, id est nemo ita velox et potens exstitit in hujusmodi, ex omnibus, quicunque mira in hoc mundo sunt operati. Qui torno operatur, facilius, citius atque perfectius operatur. Sic iste dilectus nimirum longe facilius, multo citius, valde perfectius mira quæ voluit operatus est quam aliquis ex cunctis operariis virtutum, quicunque a sæculo fuerint. Illi namque multo sudore, multis orationum atque jejuniorum impendiis, multo clamore cordis et oris aliunde, scilicet ex Deo acquirere sive obtinere meruerunt cujuslibet (quam utique in semetipsis vel ex semetipsis non habebant) virtutis effectum. Hic autem solo nutu, sola voluntate, solo imperio interdum et taciturnus quod voluit operatus est. Exempli gratia: Cum dixisset in nuptiis: « Implete hydrias aqua (*Joan.* II), » non solum non clamavit aut oravit, sed nec voce sua sive labiorum motu jussit saltem aut dixit, convertantur vel convertimini aquæ in vinum, sed de hoc omnino tacitus « Haurite nunc, inquit, et ferte architriclino (*ibid.*), » sciens et et certus, quod satis sensisset natura tacitum conditoris sui nutum. Nec mirum. Ipse enim erat et est antiquus tornator, qui tornavit cœlum et terram, et sphærica solis et lunæ cunctarumque corpora stellarum torno suo, id est imperio velocissimo. Unde manus ejus adeo tornatiles? Nimirum ex eo quod sunt aureæ. Quid est aureæ, nisi divinæ? Substantia namque Verbi incarnati verum aurum est, vera divinitas est; et unde quod ita velociter currunt manus ejus? Quia, quamvis infirmitate carnis obtectæ fuerint, nihilominus tamen tornatiles, ut erant, perseveraverunt, et in nullo infirmiores sive tardiores effectæ sunt. Adde et hanc sapientiæ laudem, tanto præconio fortitudinis sive velocitatis, quia plenæ hyacinthis, lapidibus utique pretiosis. Quinam sunt illi hyacinthi? Nimirum cœlestes causæ mirabilium ipsorum quæ fecit, quos intendit, quas internis præ oculis habuit, sensus interni, sensus pulcherrimi, quos tu, dum cum exteriori opere conjungis, dum clare intelligis, dum opportune eloqueris, nimirum hyacinthos pulcherrimos auro optimo superadditos ostendis. Exempli gratia: Ut illuminaret cæcum a nativitate, « exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit super oculos ejus, et dixit ei: Vade, et lava in natatoria Siloe (*Joan.* IX), » etc. In hoc nimirum manus ejus tornatiles et aureæ claruerunt, quia et velociter operatus est et sicut Deus in potestate opus fecit divinum. Adde nunc causas quare taliter operatus sit, cum dicere posset sicut alii dixit: « Respice, fides tua te salvum fecit (*Luc.* XVIII), » et ecce manus eædem « plenæ hyacinthis. » Quænam illæ causæ sunt? Illæ profecto, quas usque in hanc diem sancta Eccle-

A sia diligenter observat in catechumenis suis, prius liniendo oculos eorum fide vel doctrina Incarnationis ejusdem dilecti Filii Dei, in qua videlicet Incarnatione, quasi sputum oris Dei, pulveri terræ sese indidit, et unus idemque Deus et homo ad illuminandum genus humanum processit de utero 412 virginis, et deinde mittendo eos in fontem baptismi, quo per Spiritum sanctum totus homo illuminatur et vivit. « Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. » Qualis venter, quam pulcher et quam decorus? Veruntamen et caput pulchrius et pulchriores manus. Nam « caput aurum optimum, et aureæ sunt manus, venter autem eburneus. Pulchrum quidem et pretiosum est ebur, sed aurum longe pulchrius, longe pretiosius. Sic nimirum humana dile-
B cti hujus natura sive substantia, passibilis quondam et tenera, pulchra quidem et pretiosa; sed divina longe pulchrior, longe pretiosior, in una eademque dilecti persona, nunquam passibilis, semper immortalis, ut erat ante omnia sæcula. Vere pulcher et decorus venter eburneus; quia sicut ebur magni corporis, scilicet elephantis, tota pulchritudo, totumque pretium est; sic iste venter, videlicet humanitas sive caro, quam ex genere humano assumpsit, totius mundi maximeque generis Abrahæ, de cujus semine nasci voluit, decus et gloria est. Pulchrius nimirum atque pretiosius est ebur carne vel corpore reliquo de quo sumptum est, et nihilominus caro dilecti hujus pulchrior, mundior et incomparabiliter sanctior est omni massa, cujus ex semine sumpta
C est. Nam universitatis hominum ista conditio est, ut nullus sit qui non veraciter dicat: « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L), » præter hunc unum et unicum, singularem et solum, quem sine ulla iniquitate absque ullis peccatis concepi ego mater sua, nunc incorrupta, mater in conceptu intacta, in partu et post partum illæsa et integra. Ita « venter ejus eburneus, » id est homo ipse est castissimus, ab omni vitio frigidus, contra omnia quæ sunt carnis et sanguinis valde solidus, impassibilis et mundus, « sanctus, innocens et impollutus, et omnino a peccatoribus segregatus (*Hebr.* VII). » Hujusmodi venter, et si non est aurum, sive aureus, ut caput est aurum, et ut sunt aureæ manus, attamen distinctus est sapphiris, id est humanitatis ejus, et si non
D est idipsum quod divinitas ejus, attamen splenduit rebus divinis, glorificata est omnimodis privilegiis divinitatis ab ipso initio quo cum vagiret in cunis, famulante cœlo et indice stella, adoratus est a magis usque ad consummationem (*Matth.* II), id est « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Ubi dum compungeretur hic venter clavis et lancea militis (*Joan.* XIX), cœlum obscuratum est et tenebræ factæ sunt (*Luc.* XXIII), » — « et velum templi scissum est, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*Matth.* XXVII), » et cætera deinde facta sunt, quæ tu considerans recte dicas, quia « sub pedibus ejus quasi opus lapi-

dis sapphiri, et quasi cœlum cum serenum est (*Exod.* XXIV). » — « Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. » — « Crura illius, » viæ sunt illius, scilicet misericordia et judicium, sive misericordia et veritas, sicut ait Psalmista : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV). » Nam veritas, ipsa est judicium verum. « Crura » ista, viæ istæ, « columnæ marmoreæ, » id est rectissimæ sunt atque firmissimæ, nec est qui posset eas infirmare aut juste reprehendere. « Nam judicia Domini vera, justificata in semetipsa (*Psal.* XVIII). » Exempli gratia : Loco vel tempore supradicto, cum penderet dilectus iste crucifixus, latronum duorum medius, alterum ex eis pœnitentem misericorditer suscepit, secumque in paradisum assumpsit, alterum blasphemantem justo judicio reprobavit (*Luc.* XXIII). Cum similiter populum quondam non suum, populum gentilem credentem atque confitentem assumit, et populum quondam suum, populum Judaicum non credentem, imo contradicentem atque blasphemantem dereliquit, quis juste reprehendere, quis immutare possit? Nemo utique, quia rectæ sunt istæ viæ ejus universæ. Ergo « crura illius columnæ sunt marmoreæ. » Quid eo quoque verius, quod ait, « quæ fundatæ sunt super bases aureas? » Bases namque aureæ consilia sunt sapientiæ divinæ. Denique super hujusmodi bases ita fundatæ sunt illæ mirabiles columnæ, ut in judicando sive misericordiam faciendo, dilectus iste nihil possit a semetipso facere. Flere potuit super civitatem Hierusalem (*Luc.* XIX), subversionem et damnationem suæ gentis prævidens, et tamen animum suum inducere non potuit ut averteret ab eis iram imminentem. Stabant quippe inflexibilia crura ejus tanquam « columnæ marmoreæ super bases aureas, » id est non qualis esset humanitatis suæ voluntas, sed divinæ justitiæ rationes attendebat. « Species ejus, ut Libani electus ut cedri. » — « Species ejus, » pulchritudo ejus talis est ut Libani. Cujus Libani? Illius nimirum, cui per prophetam Zachariam Spiritus sanctus, spiritus propheticus dixit : « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas (*Zach.* I). » Iste Libanus fuit templum Domini, templum quod Salomon Domino ædificavit, cujus trabes et tabulata fere omnia fecit de lignis Libani, lignis cedrinis auroque vestivit. In quo species dilecti similis speciei talis Libani? Primum in eo quod sicut Libanus ille, templum illud, caput et decus exstitit, sanctumque sanctorum Hierusalem illi terrenæ civitati, sic iste dilectus, et caput, et decus, et Sanctus sanctorum est supernæ Hierusalem civitati cœlesti, civitati Dei viventis, secundum mysteria templi hujus non manufacti, cuncta facta sunt ædificia templi illius manufacti, sicut et tabernaculum, quod Moses in eremo, jubente Domino, perfecit. Sicut enim de tabernaculo faciendo dixit Dominus Mosi : « Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstravit (*Exod.* XXV), » ita et David Spiritum sanctum, spiritum propheticum

A habenti, non dubium quin demonstratum fuerit cœlitus exemplar cœlestis ædificii, ut describeret qualiter deberet fieri, sicut Scriptura libri Paralipomenon dicit : « Dedit autem David Salomoni filio descriptionem porticus et templi, et cellariorum, et cœnaculi, et cubiculorum, in adytis, et domus propitiationis, necnon et omnium quæ cogitaverat atriorum (*I Par.* XXVIII), » et cætera usque ad id : « Omnia, inquit David, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris (*ibid.*) » Profecto propheta cum esset David, qui et dicebat : « Super senes et super omnes docentes me intellexi (*Psal.* CXVIII), » non dubium quin et ipse oculis iisdem quibus Moses viderat exemplar tabernaculi faciendi, viderit exemplar,

B juxta quod descriptiones templi faciendi, dedit filio suo Salomoni. « Exemplar, » inquam, cœleste, scilicet magnum sacramentum templi, non manufacti, per Spiritum sanctum de utero virginis construendi, id est corporis sancti, sicut et ipse dilectus testatur, dicendo Judæis : « Solvite templum hoc, et post triduum excitabo illud. Hoc autem, inquit evangelista, dicebat de templo corporis sui (*Joan.* II). » Igitur « species ejus ut Libani, » id est decus ipse est suæ sempiternæ civitatis, et Sanctum sanctorum in Hierusalem cœlesti, sicut præfiguratum est in illo templo manufacto, in illa Hierusalem terrena, constructa de lignis imputribilibus atque auro tectis. Non solum autem, sed et in hoc « species ejus ut Libani, » et ipse « electus ut cedri. » Quia sic-

C ut Libanus mons Phœnicis qui ex uno latere terminus est terræ Judææ maximis abundat cedris in semetipso radicatis et in altum subrectis, sic iste » mons Dei, mons pinguis (*Psal.* LXVII) » vere candidus et mundus secundum hoc ipsum nomen, quod est Libanus, magnos et valde nominatos et ipsos patres suos, **413** secundum fidem et de semetipso radicatos protulit, quemadmodum de David, utique patre suæ carnis, ipse dicit : « Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis, hæc in Ecclesiis, ego sum radix et genus David (*Apoc.* XXII). » Igitur isto quoque modo « species ejus ut Libani, » et « electus ut cedri, » scilicet sancti vel patres antiqui, id est assimilatus est illis, quemadmodum in Osee propheta dicit : « Et locutus sum per prophetas, et ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum (*Osee* XII). »

D Exempli gratia : sicut Isaac ad immolandum ductus, non reluctatus est ipse, tamen vivus holocausto suo superfuit (*Gen.* XXII) ; » et sicut Joseph, invidia fratrum superata, de carcere transivit ad currum dominationis, et Ægyptum de periculo famis eripuit (*Gen.* XLI). Et sicut David, cum esset minimus, de medio fratrum invidentium, assumptus, et rex unctus, superbum Goliad stravit, et post multas persecutiones Saul, tandem sedit in throno regni (*I Reg.* XVI) ; » sic iste dilectus inter adversa gloriosus claruit, omnique invidia et ipsa morte superata, in cœlum ascendit et sedet a dextris Dei, juxta illud : « De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput

(*Psal.* cix). » Similiter de aliis quamplurimis experimenta A capere copiosa promptum est, ut scienter noveris ita esse, ut dilecta dicit, electus ut cedri. Finis descriptionis hic est : « Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis. » Guttur dilecti experimentum est divinæ ejus dulcedinis, quæ nondum apparuit, sed in futuro reservatur in remunerationem præsentis fidei ac dilectionis, quemadmodum ipse Dilectus dicit: « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* xiv). »

Guttur illud suavissimum, inquit, et non dicit, quam suave, vel cui simile sit. Cæterorum singulis quædam similia dedit sive apposuit, videlicet capiti aurum optimum, comis elatas palmarum, oculis columbas super rivulos aquarum, genis areolas aromatum, B labiis lilia, manibus tornum et aurum cum hyacinthis, ventri ebur distinctum sapphiris (*Isa.* liv), cruribus columnas marmoreas cum basibus aureis. Porro guttur, ut jam dictum est, nulli rei simile, sed tantummodo suavissimum dixit, ut per hoc recogites ineffabilem atque inæstimabilem esse internam dulcedinem divinitatis, ut merito dictum sit illud quod Deus diligentibus se præparavit, quale « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* ii). » Sed nec cæterorum, de quibus jam dictum est, similitudines sufficientes sunt.

Uno autem dicto supplere contendit defectum totius sermonis, dicendo, et totus desiderabilis. Vere totus desiderabilis, « et semper desiderabilis, » quia cum habetur, tunc magis desideratur, estque visio C ejus in desiderio, desiderium in visione, sicut scriptum est : « In quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* i). » — « Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem » Quomodo sermo potuit [*al.* sic] descripsit virum amabilem, dilectum, desiderabilem. Non talis pictura hæc, qualem aspexit illa non mater nostra, illa Hierusalem terrena, imo non Hierusalem, sed Ooliba soror ejus, quæ dicebatur Oolla, de qua et sic scriptum est in propheta Ezechiele : Cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines expressas coloribus et accinctos balteis renes, et tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis terræque Chaldæorum, in qua nati sunt, insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, D et misit nuntium ad eos in Chaldæam (*Ezech.* xxiii). Non, inquam, talis pictura hæc, verumtamen æmulamini in melius visum illum et concupiscentiam illam. « Humanum dico, » ait quidam amicorum, « propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* vi). » Et ego vobis dico : sicut illa videlicet non Hierusalem, sed Ooliba, exhibuit oculos suos videre viros depictos in pariete, videre imagines Chaldæorum expressas coloribus, videre balteos eorum, tiaras eorum, et formam eorum, ita nunc exhibete oculos vestros, oculos interiores, videre dilectum hunc, videre aureum caput ejus, nitentes oculos ejus, reverendas genas ejus, candida et gloriosa labia ejus, tornatiles et aureas manus ejus, eburneum et sapphiris distinctum ventrem ejus, rectissima crura ejus, et tangite suavissimum guttur ejus, juxta illud : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* xxxiii). » De omnibus justum judicium judicate, videlicet quod iste multo melior sit Mose. Hoc enim postulabat ipse, cum diceret Judæis: « Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvetur lex Mosi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato ? Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate (*Joan.* vii) » Nam illi quidem locutus est Deus, et ex collocutione Dei facies ejus splenduit (*Exod.* xxxiv), sed non caput aureum, non manus tornatiles et aures habuit, id est, non Deus et homo, sed tantummodo homo fuit ; et hoc ipsum, quod splendida facta est facies ejus, quod aliqua operatus est qualibuscunque manibus, de plenitudine hujus accepit, sicut et omnes alii. « Talis, » inquam, « est dilectus meus, et ipse est amicus meus, » et prius amicus quam dilectus meus. Prior enim ille me amavit, et respexit humilitatem ancillæ suæ amicis oculis, et hinc illum ego dilexi, quia magna fecit mihi (*Luc.* xi ; *Joan.* i) : magna, inquam, quæ vere sunt amici. Hoc autem nunc agitur, ut vester quoque dilectus sit, et ut sciatis vel cognoscatis jam ex parte quam vere diligendus et totus desiderabilis sit, quia dixistis : « Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos ? Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? Quo declinavit dilectus tuus ? et quærimus eum tecum ? »

Cap. VI — « Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis et lilia colligat. » Ergo, o dilecta et dilectarum dilectissima, non quasi ignorans, quo abiisset dilectus tuus, dixisti filiabus Hierusalem, « adjuro vos, si inveneritis dilectum meum, » nam ipsæ potius ex te discendum existimaverunt, et tu doces eas, ubinam invenire deberent illum. Quare autem non dixisti, Dilectus meus ascendit in cœlum, sed dixisti, « Dilectus meus ascendit in hortum suum ? » Videlicet quia non adhuc infidelibus, sed jam fidelibus loqueris, scilicet filiabus Hierusalem, quippe quæ nec veraciter dici possent filiæ Hierusalem, si non haberent fidem, nisi dilectum surrexisse atque in cœlum jam ascendisse credidissent. Hoc autem scire illas oportebat ad perfectionem fidei, quod licet ascendisset in cœlum, et sederet ad dexteram Patris, nihilominus tamen hic remansisset præsentia majestatis, præsentia vel gratia sive operatione divinitatis invisibili, quemadmodum dicit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii). » Igitur « dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis, et lilia colligat » id est, hic perseverat

nobiscum, quo semel descendit, ut faceret voluntatem Patris sui, quod est pasci in hortis, quemadmodum dicit : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan.* IV), » et ut electos suos congregaret ad se, quod est lilia colligere, quemadmodum quidam de præcipuis amicorum dicit de hoc ipso Dilecto, quia « moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut [illegible] filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (*Joan.* XI). » Cum hæc ita sint, non ita vobis dictum arbitremini, filiæ Hierusalem, « adjuro vos, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo, » tanquam A hinc abierit, et hic nullo modo inveniri possit, quia Deus et Dominus est, qui ubique est, et omnia implet, quemadmodum sapiens cognitor ejus dicit : Ergone putandum est, quod Deus habitet super terram ? Si enim cœlum et cœli cœlorum capere te non possunt quanto magis domus hæc, quam ædificavi : (*III Reg.* VIII.) Quamvis secundum visibilem præsentiam hic non sit, quamvis humanam formam in cœlum levaverit, eamque nubes susceperit ab oculis nostris (*Act.* I), tamen hic intra vos est, et vos illi estis areola aromatis, et ipse pascitur in vobis, et vos estis lilia quæ colligit.

LIBER QUARTUS.

Antequam fierent « emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus (*Cant.* IV), » laudabilis eras et pulcherrima mulierum, et dilecti tui voce laudabaris, dicentis : « Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es ! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet (*ibid.*), » etc. Quanto magis postquam ad vocem ejus pulsantis et propter manum ejus te tangentis surrexisti ut aperires ei, et aperuisti pessulum ostii tui, factusque est ille emissionum tuarum paradisus, verbis atque exemplis tuis complantatur, laudari debuisti ampliori laude pulchritudinis, quam esses pulchra non soli tibi, sed pulchritudinis tuæ facti essent participes plurimi. Repetit iterum dilectus canticum laudationis, et modulos multiplicat pulcherrimæ cantationis in memoriam tui, talibus verbis te præmittente : C « Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ descenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una columba mea, perfecta mea, una est matri suæ electa genitrici suæ. Viderunt illam filiæ et beatissimam prædicaverunt reginæ, et concubinæ laudaverunt eam. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum D acies ordinata ? » — « Ego, inquis, dilecto meo, » subauditur pessulum ostii mei aperui, vocis meæ obsequium præbui ut audirent et non nescirent filiæ Hierusalem qualis ipse sit. « Dilecto, inquam, meo, qui pascitur inter lilia, » id est qui corda munda et casta diligit corpora, « et dilectus meus, » subauditur, vicem reddit mihi laudationis ac beatificationis, cantico suavi ac perfectione cantici, veluti octo chordis. Ipse est enim et psalterium et cithara Dei B Patris, cui Pater in psalmo dicit : « Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara (*Psal.* LVI, CVII). » Fiebant autem antiquitus citharæ octo chordis, ea lege ut octava eadem esset quæ prima, quam symphoniam maximam musici nominant diapason. Consideratæ igitur canticum istud, quomodo currit modulis octo bene sonantibus, ita ut sonus octavus idem sit qui primus, « terribilis ut castrorum acies ordinata. » Nam primus modulus est : « Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. » Secundus : « Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. » Tertius : « Capilli tui, sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. » Quartus : « Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro. » Quintus : « Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. » Sextus : « Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus ; una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. » Septimus : « Viderunt illam filiæ, et beatissimam prædicaverunt reginæ, et concubinæ laudaverunt eam. » Octavus : « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ? «

Igitur perfecta cantio maximaque hæc symphonia dilectionis, et modulus octavus idem sonat quod primus pro eo quod non contenta ego propria felicitate, studui chorum filiarum Hierusalem docere et ordinare, ita ut unus idemque cœtus et chorus esset castrorum acies, chorus laudantium dilectum, acies pugnantium contra diabolum propter dilectum. Nunc singula hæc modulamina studiosus addiscenda sunt. « Pulchra es, inquit, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. » In hoc est perfectio pulchritudinis, quod non solum suavis, nec solum terribilis, sed utrumque es et suavis et terribilis ; « suavis sicut Hierusalem, terribilis ut acies castrorum, » quæ bene ordinata est. In quo « suavis et decora sicut Hierusalem ? » In eo videlicet quod et anima tua semper su-

pernam videt pacem, et ex visitatione tui discunt animæ plurimæ cœlestem ducere conversationem, unde et dicuntur vel sunt filiæ Hierusalem, quia optimam eligunt partem, juxta illud : « Vacate et videte, quoniam ego sum Deus (*Psal.* XLV). » Quid
415 vero est, « ut castrorum acies ordinata ? » Non enim a magno intellectu vacat ista comparatio, et idcirco subtiliter est intuenda. Scimus et constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur ; profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo, cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per charitatem semper uniti atque constricti, et nunquam interrupti per discordiam inveniamur ; quia, quamvis quælibet bona in nobis fuerint, si charitas desit, per medium discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos valeat hostis intrare. Hujus partis optimæ tu totam hæreditatem possides, et in eo princeps tu es ; partis, inquam, optimæ, cujus est in suavitate videre jam vel contemplari supernam pacem, secundum nomen Hierusalem, et contra malignos spiritus in procinctu esse secundum castrorum similitudinem. Verumtamen, o dilecta, o vera Hierusalem, fac quod dico. « Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. » Et tunc, quando me præsentem habuisti præsentia corporali, oculos tuos, oculos tam mentis quam corporis semper in me fixos habuisti, et nunc, quando secundum corpus absens tibi sum, me spiritualibus oculis jugiter contemplaris. « Averte oculos tuos ; » — « averte, » inquam, videlicet ita ut prudens et discreta sit contemplatio, sciendo quod sim incomprehensibilis ego dilectus tuus, ex eo quod sum Deus, cujus substantiam vel naturam quanto quis contemplatur subtilius, tanto ad comprehendendum insufficiens invenitur, ut de isto quoque recte dicas : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* LXIII). » Ergone bonum est hoc placitumque dilecto, propter causam hanc avertere oculos ? Est plane bonum aliquo modo, scilicet dum sic a me avertis, ut in temetipsam convertas oculos tuos, id est dum sic altissimam divinitatem contueris, ut revoces ad memoriam infirmitatem tuam infirmæ conditionis, et optime scias quia hoc ipsum quod Deum vides non tuæ potentiæ, sed divinæ gratiæ est. « Capilli tui, sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis. » Ut quid ista dilectus laudationis modulamina repetit, cum inter cætera superius eadem et eodem modo cecinerit, nisi quia duplici honorificentia dignum est, eamdem munditiam cogitationum, eamdem vitæ innocentiam, eamdemque pudicitiæ verecundiam, quam prius habuisti in solitudine silentii, custodisse ad integrum in illa frequentia, cui te interesse poscebat utilitas Evangelii, secundum voluntatem dilecti pulsantis et dicentis : « Aperi mihi, soror mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium ? » (*Cant.* V.) Et de istis quidem, videlicet de capillis, dentibus atque genis jam illic dictum est : verumtamen de genis adhuc aliquid dicendum, quod libenter audiant amici, quo ædificentur adolescentulæ, quo delectentur filiæ Hierusalem. In utero nos ita natura formavit, ut genua genis opposita sint. Unde et a genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent sibi, et cognata sunt oculis, lacrymarum indicibus et misericordiæ. Denique complicatum aiunt gigni, formarique hominem ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur ut cavi fiant ac reconditi. Inde est quod homine, dum se ad genua prosternunt, statim lacrymantur. Voluit enim nos natura maternum rememorare uterum, ubi consedebamus in tenebris, antequam veniremus ad lucem. Profecto qui causam istam diligenter attendit, ille scienter atque rationabiliter laudat et approbat, sanctis et eruditis cogitationibus familiare esse, genua frequentibus excelso Deo curvare, et genas lacrymosas genibus curvis applicare, ut respiciat ac recogitet Creator habitans in excelsis, qualiter nos in utero formaverit. Unde et illud sanctus Job commonefacit his verbis : « Memento, quæso, inquit, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me (*Job* X), » etc., usque, « licet hæc celes in corde tuo, tamen scio, quod universorum memineris (*ibid.*) » Non parvum inventum reperit quid istud consecutus est, ut scienter sic exhibeat Creatori, sicut reperit propheta Michæas, cum dixit : « Quid dignum offeram Domino ? Curvem genu Deo excelso (*Mich.* VI). » Nec vero soli Deo, verum etiam hominibus dulcis visu et amabilis est hujusmodi compositio sive appositio, tantoque quisque magis reverendus existit, quanto frequentius atque affectuosius genua curvans, genas suas vel oculos aut totum caput demiserit. Econtra capitis oculorumque ac genarum erectio nimia multum Deo et hominibus odibilis est, magnamque sonat vituperationem talium reprehensio, maxime ex ore Dei. Exempli gratia, cum dicit : « Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant (*Isai.* III), » etc. Item : « Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ in altum subrectæ (*Prov.* XXX). » Tu, o dilecta, naturam condecorasti, quæ genas tuas ad nullius viri aspectum sublevare prima proposuisti, solique Creatori mente et corpore humilis sapienter inclinasti, duce et magistro Spiritu sancto, in quo dicit Pater tuus fidelis David : « Venite adoremus et procidamus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos (*Psal.* XL). » Sequuntur autem te utriusque sexus plurimi, quibus optime placet id quod audiunt, « sicut cortex mali punici, ita genæ tuæ absque occultis tuis. » « Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, per-

fecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. » A

Quid est hoc dicere, nisi quod si multæ sunt fideles et propter fidem, quæ per dilectionem in eis operatur (*Galat.* v), laudabiles, nulla tamen earum tibi similis est, sicut veraciter prædicamus, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Nam reginæ recte dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis sunt, in eo videlicet quod eumdem dilectum tuum sequentes, nihil terrenum, sed ipsum solum quærunt, nec propter metum gehennæ sed propter amorem vitæ suæ æternæ peccatum fugiunt, virtutemque amando iniquitatem oderunt. Concubinæ vero sunt illæ, quæ sub timore serviunt, nec ejus perfectionis, ut super præceptum velint addere consilium, scilicet hoc, ut relictis omnibus solum sequantur hunc dilectum (*Matth.* xix), habentes quidem in fundamento Christum, sed nihilominus amantes aliqua quæ hujus mundi sunt. Quod porro volunt sibi numeri isti decem senarius atque octonarius: Videtne aliquod nomen Scripturæ hujus, quod est, שיר המירים hoc est, Cantica canticorum? Valet utique, quia primam symphoniam efficiunt, quam musici nominant diatessaron. Est enim in eis habitudo, quam epitriton, id est sesquitertiam dicunt, quia major numerus, videlicet octoginta, minorem numerum, scilicet sexaginta, totum in se continet, et ejus insuper tertiam partem, id est viginti. Et hæc proportio numerorum in musica sex reddit diatessaron, quod interpretatur *de quatuor*, et idcirco sic vocatur symphonia hæc, quia de quatuor chordis sive vocibus constat, **426** cum duobus tonis habens semitonium. Igitur « sexaginta reginæ, et octoginta concubinæ, » id est animæ quæ verbo Dei insistunt, et verbi Dei ita participes factæ sunt, ut facere possint doctrinæ fructum: meritis quidem, secundum quod supra dictum est, differunt, sed fidei consonantiam per unitatem confessionis in auribus dilecti suaviter resonant.

Quomodo autem numeri isti octonarius et senarius, qui hic multiplicaverunt denarium, ab invicem differunt, ut merito per senarium reginas, et per octonarium voluerit designare concubinas? Videlicet eo differunt quod senarius numerus perfectus, octonarius vero imperfectus ac diminutus, atque usque ad extremas unitates secabilis est. Perfectus quippe est, et perfectorum primus numerorum senarius, quia suis ex partibus construitur. Habet enim dimidiam, id est tres; tertiam, id est duo; sextam, id est unum, quæ partes simul collectæ senarii summam restituunt. Porro octonarius in suis partibus seipso minor est. Habet enim dimidiam, id est quatuor; quartam, id est duo; octavam, id est unum: quæ partes simul collectæ septenarium faciunt, minorem videlicet summam ipso octonario, cujus partes sunt. Claret igitur et ista causa cur senarius reginis, et octonarius concubinis, magisque octonarius reginis, et senarius congruit concubinis. Adolescentularum non est numerus, id est abundant in Evangelio plures, quam ad cœlestes pertineant thalamos, juxta illud: « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* xxxix). » Adolescentulæ namque recte dicuntur, quæ nondum saltem ad timorem Dei profecerunt, et propter hoc custodia indigent vel magisterio hominum, qui necdum intus divini timoris seu amoris habent magisterium, et multa ex hujusmodi (quod valde pavendum est) inveniuntur extra numerum, quia de adolescentia nunquam ad perfectam ætatem perveniunt, ætatem interioris hominis, quam quidam amicorum insinuans, « occurramus, ait, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Jesu Christi (*Ephes.* iv). » — « Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. » — « Una, inquam, est, » et similem non B habet: Omnino nec inter reginas ulla similis huic est. Cui « matri suæ una, cui genitrici suæ est electa? » Nimirum matri suæ Hierusalem una est, illi Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater omnium nostrum, et genetrici suæ, scilicet antiquæ Ecclesiæ electa est, Ecclesiæ patriarcharum et prophetarum ac regum justorum, quorum de carne progenita est, quorum secundum fidem benedictionis, quæ ad illos repromissa erat, janua vel materia est. Et illi matri, et huic genetrici una et electa est; quia nec inter angelos, nec inter homines similem vel primam habet, vel sequentem habitura est: vere columba, quia gratia plena; vere electa, quæ non solum salva existeret, verum etiam ipsam salutem pareret. « Viderunt illam filiæ, et beatissimam prædicaverunt reginæ, et concubinæ laudaverunt eam. » C Hoc ipsamet prævidens ac prænoscens, cum dixisset: « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* i), » subjunxit atque ait: « Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*ibid.*). » Nonne, ut secundum præsentem litteram hoc dictum sit, et generatio reginarum, et generatio concubinarum, et generatio adolescentularum; nonne, inquam, omnes istæ generationes beatam dicent illam? Revera, et si impares meritis, attamen fide consimiles, ecce vident illam, ecce contemplantur illam unam, illam electam, et cum admiratione ineffabili voces extollunt jugiter ex omnibus locis suis, tamen laudantes, tamen beatissimam prædicantes, non solum hic in isto exsilio mortalitatis, verum etiam et multo amplius in illa prima vitæ et immortalitatis, ubi vi-D dent eam dominantem, et dominando possidentem regnum dilecti, eo videlicet jure quo docet matrem possidere regnum filii sui. Et quid dixerunt laudantes, et beatissimam prædicantes? « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » Quam pulcher ordo in ista laudatione, in ista tuæ pulchritudinis, o beatissima, prædicatione! Primum « consurgens ut aurora, » deinde « pulchra ut luna. » deinde « electa ut sol. » Quando nata es, o Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis, et initium

diei sequentis, sic nativitas tua, nativitas ex semine Abrahæ, clara ex stirpe David, ad quos cum juramento Dei facta est repromissio benedictionis, finis dolorum et consolationis fuit initium, finis tristitiæ et lætitiæ nobis exstitit principium. Quando autem Spiritus sanctus in te supervenit, et filium virgo concepisti, virgo peperisti, tunc tu et ex tunc pulchra pulchritudine divina, pulchra, inquam, non quomodocunque, sed « ut luna. » Sicut enim luna lucet et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta, sic tu, o beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia divina, gratia plena. Quando autem de hoc modo assumpta atque ad æthereum thalamum translata es, tunc tu et extunc « electa ut sol ; » « electa, » inquam, nobis, quia sicut ex te natum Dei Filium solem verum, solem æternum adoramus et colimus ut Deum verum, sic et te honoramus atque veneramur, ut veri Dei Genitricem, scientes quia totus honor impensus matri sine dubio redundat in gloriam Filii. Et quidem natura non tu idem es quod ille sol, sed nihilominus tanta es, ut te honoret ipse sol honore quo decet filios honorare parentes suos. Qui enim dixit : « Honora patrem tuum et matrem (*Exod.* xx), » non dubium quin et ipse honoret, et ab omnibus amicis suis suam velit honorari matrem. Finis cantici idem sonat quod principium, « terribilis ut castrorum acies ordinata, » sicut superius jam dictum est. Protinus vero quod dixeras, o dilecta, filiabus Hierusalem, percontantibus quo abiisset dilectus tuus, « dilectus meus descendit ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis, » ipse grataunter acceptum confirmat his verbis : « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallis, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala Punica. » Ita, soror mea, ut novissime dixisti, ego descendi, » videlicet de cœlis in hortum meum, « hortum nucum, » factus sum enim ex te muliere, factus sub lege (*Galat.* iv), quæ nimirum lex sic mihi est tanquam hortus nucum. Denique sicut nux sub amaro cortice, intra testam duram, dulcem et ad vescendum suavem continet nucleum, ita sub amara voce vel occidente littera, et durissimo jugo cæremoniarum, suavem atque vivificantem continet spiritum (*II Cor.* iii). Ad quid huc descendi ? Ut viderem poma convallis, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala Punica. Verum, quod econtra evenit, illud cantabile non est, ad Cantica canticorum non pertinet, siquidem respicias causam illorum qui illi descensui meo nimis ingrati fuerunt. Amici nostri et filiæ Hierusalem adoloscentulæ nostræ jamdudum rem gestam bene noverunt, secundum illam parabolam quam dixi, quæ est hujusmodi : « Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular (*Matth.* xxi), » et cætera usque « novissime autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum. Agricolæ autem **417** videntes filium, dixerunt intra se : Hic

A est hæres. Venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus, et apprehensum ejecerunt eum extra vineam, et occiderunt eum (*ibid.*) » Secundum, inquam, parabolam illam, ego descendi in hortum nucum, id est, sub lege factus sum, ut viderem poma convallis, id est, ut consolarer eos qui me exspectabant in spiritu humilitatis. Juxta illud : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, » etc. (*Isa.* lxi ; *Luc.* iv). Non solum autem, et ut inspicerem si floruisset vinea, illa nimirum vinea, de qua Scriptura prophetica dicit : « Vinea facta est dilecto in cornu filio olei, » et cætera, usque, « vinea enim Domini exercituum, domus Israel (*Isa.* v). » At illi
B agricolæ ejecerunt et occiderunt me. Verumtamen licet hæc mihi fecerint, aliqua pars eorum tandem pœnitens istud cantabile dixit : « Nescivi, anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab. » Ubinam hoc dictum fuit ? Cum dicerent eis amici nostri : « Certissime ergo sciat omnis domus Israel quia Dominum eum et Christum Deus fecit hunc Jesum quem vos crucifixistis. His auditis compuncti sunt corde et dixerunt ad eos : « Quid faciemus, viri fratres ? » (*Act.* ii). Et quidam talium notissimus ita dicit : « Fui blasphemus et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (*I Tim.* i). » His atque aliis modis dixit pœnitens Synagoga, sive aliqua Synagogæ pars : » Nescivi, anima mea contur-
C bavit me, propter quadrigas Aminadab. » Quare autem sic dixit, « Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab, » et non dixit, Conturbaverunt me quadrigæ Aminadab ? Considerate, amici, prius ipsas quadrigas Aminadab, et videbitis multum pertinere ad rem quod dicit : « Anima mea conturbavit me, » et non dicit, Quadrigæ conturbaverunt me. Quadrigæ Aminadab quatuor sunt evangelica sacramenta Dilecti, videlicet incarnatio vel divinitas ejus, passio ejus, resurrectio ejus et ascenscio ejus. Propter hujusmodi quadrigas anima mea, inquit, conturbavit me, id est, cœtus Pharisaicus in seditiones excitavit me, ut talium quadrigarum cursum non possem discernere, videlicet præventa quadrigarum earumdem non bona æstimatione, secun-
D dum suasiones et iniqua consilia illius talis animæ meæ. Cœtus namque Pharisaicus erat vel esse debebat anima mea, id est, ita plebem vivificare vel regere, sicut corpus vel omnia membra corporis vivificat vel vegetat anima, utpote magistri vel sapientes, Legem et Prophetas scientes, imo et totam clavem scientiæ tollentes. Talis anima mea conturbavit, ut ad scientiam non possem introire, et intelligere quadrigas Aminadab, quod testimonium eis perhiberent Lex et Prophetæ (*Luc.* xi). In quo, vel unde dilectus Aminadab ? Quo pertinuit ut tali in re vocaretur Aminadab ? In eo nimirum, quod unus idem Dilectus, Rex est et Pontifex magnus, et in se

uno personam utramque conjunxit, videlicet sacerdotis et regis, secundum typum vel similitudinem illius viri Aminadab qui, cum esset de tribu regia, scilicet de tribu Juda, dedit filiam suam in conjugium homini sacerdoti Aaron de tribu Levi, sicut in Exodo scriptum est : « Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminabad, sororem Naason ; quæ peperit ei Nadab et Abiu et Eleazar et Ithamar (*Exod.* VI). » Et ille quidem Aminadab filiam suam semel datam illi Aaron ad semetipsum non reduxit aut reducere debuit, iste autem Aminadab, iste Dilectus et primogenitus, sacerdotium suum, quod semper ante Mosen et Aaron primogenitorum fuit, pro tempore autem et propter quoniam dispensationem, de qua multa essent dicenda, præstitum est tribui Levi ; sacerdotium, inquam, suum exsultando, et quadrigis jam dictis viam suam currendo, repetiit et ad se reduxit, in omnibus spontaneus, sponte incarnatus et natus, sponte passus, et in ipsa passione sua ipse Sacerdos et ipse Hostia sponte factus, secundum hoc ipsum nomen Aminadab, interpretatur enim *populi mei spontaneus.* Non solum autem sacerdotium suum ita repetiit et ad se reduxit, verumetiam ad antiquam speciem formamque pristinam revocavit, sicut in spiritu prædixerat David : « Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Igitur « anima mea conturbavit me, » ait, « propter quadrigas Aminadab, » videlicet malo zelo ipsa turbata et confusa præ invidia, causam suam quasi dolendam declamans, eo quod cursores sive aurigas quadrigarum istarum audisset dicentes : « Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moses (*Act.* VI), » et multa his similia, seu ante, seu postquam cursum suum perfecit iste Aminadab. Voces autem ejusdem Aminadab currentis in quadrigis suis erant hujusmodi : « Revertere, revertere Sunamitis, revertere, ut intueamur te. » Tu, inquit, o Sunamitis, id est, captiva vel despecta, tu, o fides, veri sacerdotii dignitas, propter carnales cæremonias pene oblivioni tradita, ita ut nesciat neque recogitet Synagoga quia non per legem, sed per te, scilicet per fidem, justificatus est pater ejus Abraham, sicut scriptum est : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Rom.* IV, *Gen.* XV), » revertere, et iterum dico revertere, et tertio dico revertere, et quarto dico revertere, videlicet secundum istas quadrigas meas. Nam et ad hoc natus, et ad hoc passus sum, ut tu revertaris, et resurgens, atque ascendens in cœlum, reversionem tui inclamare non destiti. Cumque reverteris, tu mihi es Sunamitis, quæ vel me vel Patrem meum Antiquum dierum calefacies secundum similitudinem hanc : « Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies. Cumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixeruntque ergo ei servi sui : Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu ejus, et calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abysach Sunamitem, et adduxerunt eam ad regem, » etc. (*III Reg.* I). Hæc denique, sicut et alia sunt per allegoriam dicta, et inter omnia quæ in figura contingebant sunt æstimanda (*Galat.* IV). Vestimenta enim quibus cum operiretur rex David senex non calefiebat, carnales cæremoniæ sunt quas ille antiquus dierum Deus cum sibi offerrentur non delectabiliter accipiebat, imo dicebat : « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? » (*I Cor.* XIX ; *Psal.* XLIX). Et multa his similia. Porro Sunamitis, puella speciosa, sola digna est stare coram Deo rege, et in sinu ejus dormire, ipsumque calefacere, id est, bene calentem charitatis ejus gloriam, scilicet remissionem peccatorum, obtinere. « Tu ergo, Sunamitis, revertere, ut intueamur te, » id est, unde justificatus est Abraham, inde justificari sperent omnes qui volunt esse vel veraciter dici filii Abrahæ, scilicet non ex lege, sed ex fide, et nos intuebimur te, nos gaudebimus super te. Notum hoc debet esse amicis, imo adolescentularum multitudini, et idcirco dico eis :

CAP. VII. — « Quid videbitis in Sunamite nisi choros castrorum ? » Quid, inquam, aliud ? Nunquid sanguinem victimarum ? Nunquid circumcisionis cauterium ? Nihil omnino **418** nisi choros castrorum, id est, laudes sive cantiones præliantium sive cantantium, quod suavissimum, quod vere est pulcherrimum. « Immola Deo sacrificium laudis, ait ipse Psalmista, et redde Altissimo vota tua (*Psal.* XLIX). » Laudando chori præliantur, præliando castra laudant, et omnino est justitiæ Dei subjici, non suam velle statuere justitiam (*Rom.* X). Nihil aliud videbitis, aut videre desiderabitis, sed et, si quis vestris, o amici, auditoribus ostendere voluerit, vos cum Spiritu sancto, spiritu consilii e contra dicetis : « Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, et ea quæ vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis. A quibus custodientes vos, bene agetis (*Act.* XV). » Igitur hoc solum in Evangelio videndum atque providendum est secundum fidem Patrum, ut sint chori castrorum, chori in una fide, dicendo idipsum (*I Cor.* I), castra resistendo usque ad sanguinem contra peccatum : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis. » Tibi dico, o Sunamitis, cui dixi « revertere, » et quæ jam reverteris, te appello filiam principis, et hæc dico tibi, quia « pulchri sunt pedes tui in calceamentis. » Quæritisne, adolescentulæ, cur Sunamitem jam dictam nominem filiam principis, vel cujus dicam filiam principis ? Discite hoc ex amicis, et ex illo præcipue cujus in anima valde claruit illa reversio, quam inclinans dixi : « revertere, revertere Sunamitis. » Insigniter quippe reversa est anima illius de lege factorum ad legem fi-

dei. Ille nos filiam principis cognoscere docet his verbis : « Scriptum est, inquit, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla,et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est ; qui autem de libera,per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta (*Galat.* IV), » et cætera usque : « Itaque fratres jam non sumus ancillæ filii,sed liberæ,qua libertate Christus nos liberavit; state et nolite iterum jugo servitutis contineri (*ibid.*).» Libera illa cujus secundum Scripturam meminit,Sara dicta est.Sara autem interpretatur«princeps,»et secundum hoc ipsum nomen et secundum suæ generationis modum allegorice designat illam quæ sursum est Hierusalem liberam,quæ est mater omnium secundum fidem,neque enim generat secundum carnem,sed secundum fidem ; sicut econtra ancilla Agar, secundum nomen suum, quod interpretatur « aliena,» et secundum suæ vel generationis vel conditionis modum,illam designat Hierusalem,quæ nunc est et servit cum filiis suis. Igitur filia principis, pulchra et speciosa Sunamitis, ipsa est fides vel generatio fidei, cui non dico « quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis,filia principis.» An non ancilla sive ancillæ filia discalceatis pedibus incedit ? Plane discalceatis, et propter hoc ipsum servilis arguitur conditionis,quia nuditas pedum servilitatis est argumentum,excepto si fiat propter Deum, juxta illud : « Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est (*Exod.* III). » Verum de calceamentis hic agitur non corporis,sed spiritus, in quo discalceatum esse vel discalceatam summa est ignobilitas,et plusquam servilis egestas. Idcirco ancillæ calcaneum serpens momordit ; tu autem,o filia principis,bene calceata, caput serpentis contrivisti ; tu maxime,o princeps et domina, singularis dilecta, et sicut jam dixi,« una columba mea,una genitrici suæ,» videlicet generationi liberæ ; generationi non de carnis, sed fidei, quæ me virum non de carne viri, sed de Spiritu Dei concepisti et peperisti patrem vel principem filiorum non carnis,sed fidei vel repromissionis. « Juncturæ feminum tuorum,sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Laus ista, laus magna vituperationi illi opposita est, imo et acerbissimæ exprobrationi illius ancillæ jam dictæ apud Ezechielem prophetam,dicentem ex ore Domini : « Et divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas (*Ezech.* XVI). » Divisio vel divaricatio pedum ipsa est disjunctio feminum,valde vituperabilis, nimirum propter illud quod subintelligitur, videlicet propter multitudinem fornicationum. Et econtra junctura feminum ipsa est compositio vel continuatio pedum laudabilis,itemque propter illud quod subintelligitur, scilicet propter pudicitiæ pulchritudinem, salvumque ac bene custoditum castitatis sigillum, maxime in te, o singularis et unica vel nobilissima Sunamitis ; in te, o dilecta et dilectarum dilectissima,quæ prima sine exemplo juncturam feminum tuorum ita custodire proposuisti,

A ut virgo nulli unquam cognita vel cognoscenda viro, digna fieres conjungi tuæ integritatis auctori Deo. Quantum est hoc decus? Quanta honestas ? Igitur juncturæ feminum tuorum sicut monilia,id est virginitatis tuæ integritas,perpesque pudicitiæ custodia cœlestibus præsidiis communita. Cujus est hoc opus ? Cujus virtus ? Nimirum Dei altissimi.«Et hoc ipsum,ait quidam sapiens,sapientia est scire quod continentia donum Dei sit (*Sap.* VIII). Dico igitur non qualiacunque monilia, sed « monilia, quæ fabricata sunt manu artificis,» id est, quæ solus Deus facere et dare potest vel potuit. « Umbilicus tuus sicut crater tornatilis,nunquam indigens poculis. » Et ista laus tua, o libera Sunamitis, opposita est ancillæ vituperationi,quam apud jam dictum pro-

B phetam habemus his verbis : « Et quando nata es, non est præcisus umbilicus tuus,et aqua non es lauta in salutem (*Ezech.* VIII). » Quibus utique verbis luxuriæ superfluitatem vituperat,quia viris quidem in lumbis, feminis autem in umbilico luxuria est, testante Domino,qui de diabolo loquitur ad beatum Job : « Virtus ejus in lumbis ejus, et potestas ejus in umbilico ventris ejus (*Job.* XL). » Igitur « umbilicus tuus crater tornatilis, » quid est nisi ac si diceret : Perfecta est in te virtus castitatis, et liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis ? Parum quippe fuisset ad laudem veræ virtutis dixisse, « juncturæ feminum tuorum,sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis, » nisi et istud adderetur,« umbilicus tuus crater tornatilis,nunquam in-

C digens poculis ; » quia videlicet illo præcedenti versiculo solum denegatur opus sive affectus carnalis commercii, isto autem sequenti appetitus quoque cogitationis,qui si inesset,nunquam veraciter diceretur « umbilicus » sic præcisus,imo et circumcisus, ut « crater tornatilis, » neque adderetur adhuc, « nunquam indigens poculis.» Quidnam est umbilico non indigere poculis, nisi non uri vel sitire per appetitum libidinis? Hinc enim per quemdam sapientem dicitur in mulierem malam : « Sicut viator sitiens ad fontes os suum aperiet, et ab omni aqua proxima bibet (*Eccli.* XXVI). » Ergo tu, o Sunamitis, o filia principis,corde et corpore es casta,mente et carne integra et incorrupta, cogitatione et opere munda. Ut autem perficiatur ista laus, dicen-

D dum quia locutione quoque utilis es atque pudica. Hoc est,quod nunc dico,ego dilectus tuus : « Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus liliis. » « Venter tuus, » venter interioris hominis, juxta quod quodam loco dixi : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII), » ipse est « sicut acervus tritici, » id est, nunquam indiget pane verbi Dei,imo abundat omni tritico quodcunque seminaverunt alii. Illuc illatum est omne quod prophetarum fides elaboravit.Exempli **419** gratia, ut Isaias qui dixit : « Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium (*Isa.* VIII). » Tu enim, o dilecta,tu es illa prophetissa ad

quam accessit omnis sanctus et fidelis propheta, ad quam tendebat et in qua completa est omnis sancta et fidelis prophetia.

Hinc « venter tuus sicut acervus tritici, » quod videlicet triticum prudenter congregasti, meditando in Scripturis, sicut dictum est quodam in loco : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc.* II).

Hujusmodi acervus bene est « vallatus liliis, » quia profecto pulchritudo castitatis,sicut claritudinem sensus ad intelligendum Scripturas efficit,ita et auctoritatem parat omni homini,ut dignus sit foris eloqui ea quæ intus reposuit vel contulit verba Dei triticum Domini. « Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.Collum tuum sicut turris eburnea. » Et ista laus liberæ opposita est vituperationi ancillæ, imo ét ancillarum quæ ex una factæ sunt duæ. « Fili hominis, ait Dominus ad prophetam Ezechielem,« duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt ibi,ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum (*Ezech.* XXIII). » Quanta injuria servilitatis in illa tali subactione uberum, talique fractura mammarum ? Et quantum decus libertatis hic secundum similitudines istas, videlicet hinnulorum gemellorum capreæ atque turris eburneæ ! Ergo tu, o libera Sunamitis, tu maxime, cujus duo ubera sunt gemella, sæculis omnibus inaudita, virginitas atque fecunditas, tu inquam,o dilecta singularis, libera es ab omni jugo peccati, secundum istas similitudines hinnulorum capreæ atque eburneæ turris.Quid est collum tuum, vel quale est collum tuum ? Utique non extentum, imo amabiliter demissum ; et hæc est humilitas tua fortitudo magna, fortitudo pulcherrima,vere « sicut turris eburnea, » quæ et aspectu amabilis et statura sit fortis. Cui fortis, cui amabilis ? Deo fortis, Deo amabilis ; diabolo autem terribilis, inaccessibilis. Quomodo ipsi Deo fortis ? Nimirum sicut ex istis comprobatur exemplis : « Quia si contra Deum fortis fuisti,» ait ipse ad patrem tuum fidelem Jacob, « quanto magis contra homines prævalebis ? » (*Gen.* XXXII). Ad Mosen autem : « Cerno, inquit, quod populus iste duræ cervicis sit ; dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos,et deleam eos,faciamque te in gentem magnam (*Exod.* XXXII). » Et non dimisit eum,imo tandiu luctatus est,ut videns Deus quod eum superare non posset,diceret illi : Dimisi juxta verbum tuum. Quali fortitudine luctabatur iste vel ille? Profecto humilitate, sicut et de isto Psalmista dicit : « Si non Moses electus ejus stetisset in confractione (*Psal.* CV),» id est in nimia mentis humilitate in conspectu ejus, de illo autem propheta Oseæ, cum dixisset : « In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est (*Ose.* XII), » confestim fortitudinis ejus exprimens modum, subjunxit : « Flevit et rogavit eum (*ibid.*). »

Igitur, o dilecta, « collum tuum, » quod est humilitas tua, « turris eburnea, » id est fortissima est atque pulcherrima, quam respiciens Altissimus dedit tibi gemellos istos dulces hinnulos, duo ubera hæc, virginitatem atque fecunditatem, et ecce habes tria insignia hæc, tertium quippe humilitas tua est. « Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. » In quo « oculi tui sicut piscinæ ? » Nimirum in eo quod non deficiunt eis aquæ, et tu maxime præ cunctis mortalibus semper compuncta corde dicere potes : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI). » Propterea dixi « sicut piscinæ » non qualescunque, sed « piscinæ in Esebon, » id est in maxima compunctione.Esebon quippe interpretatur *cingulum mæroris*, unde et congrue nomen hoc magnitudinem significat compunctionis. « Quæ sunt in porta filiæ multitudinis » id est in prima portione terræ promissionis. Esebon quippe civitas fuit Seon regis Amorrhæi, qui regnavit in Esebon, et ipsa data est filiis Ruben in possessionem trans Jordanem.«Filii autem Ruben,ait Scriptura,et Gad venerunt ad Mosen et Eleazarum sacerdotem, et petierunt terram illam,præcepitque Moses Eleazaro sacerdoti, et Josue filio Nun,et principibus familiarum dicens : Si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Jordanem omnes armati ad bellum, date eis terram Galaad in possessionem (*Num.* XXXII). » Recte ergo dicitur, « quæ sunt in porta filiæ multitudinis » quia prima fuit possessio gentis quæ in Ægypto multiplicata ingrediebatur terram promissionis.

Hoc ad mysterium valde pertinuit,scilicet piscinas taliter designare, quæ sunt in porta multitudinis ; » sunt enim prima experimenta supernæ dulcedinis beatæ possessionis, ita ut jam veraciter dici possint terra promissionis, secundum magnum sacramentum Scripturæ dicentis : Cumque cepisset eam, videlicet Cariathsepher, quod interpretatur *civitas litterarum*, Othoniel filius Cevez, frater Caleph minor,dedit ei Caleph Axam filiam suam conjugem,quam pergentem in itinere monuit vir suus, ut peteret a patre suo agrum.Quæ cum suspirasset, sedens in asino, dicit ei Caleph : « Quid habes ? At illa respondit : Da mihi benedictionem.Quia terram arentem dedisti mihi,da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleph irriguum superius, et irriguum inferius (*Josue* XV ; *Judic.* I). » Secundum facti hujus similitudinem, irriguum superius accipit anima, cum se in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit, irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Igitur in his verbis, « oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis, « hic sensus est mysticus, ac si diceretur : Oculi tui præ amore vel desiderio dilecti, quo langues et compungeris, fluunt lacrymis, et istæ lacrimæ piscinæ sunt in Esebon, id est aquæ manantes cingulo mœroris, ista compunctio terra est irrigua aquis,principium quoddam supernæ dulcedinis et æternæ hæreditatis, sicut illa Esebon et terra trans Jordanem prima fuit possessio terræ

promissionis, illæ filiæ multitudinis, scilicet Israeliticæ plebi, cujus multitudine non pauciores sunt qui ascenderunt vel ascendunt, ut repromissionem accipiant æternæ hæreditatis. « Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. » Vere ingenua, vere libera Sunamitis, nasum habens egregium; at illa ignobilis ancilla nasum habet præcisum, sed et aures ejus præcisæ sunt, sicut dictum est per prophetam superius memoratum: « Propterea, o Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te (*Ezech.* XXIII), » et cætera usque, « Nasum tuum et aures tuas præcident, et qui remanserint, gladio concident (*ibid.*). » Ut dictum ita et factum est. Nunquid enim illa talis ancilla nasum habet aut aures? Si nasum haberet, aliquid de longinquo sentiret, aliquid de futuro sæculo cogitaret aut desideraret. Si aures haberet, non solum litteram attenderet, sed et vivificantem in littera spiritum audiret. Nunc autem solis præsentibus delectatur, neque audit eum qui toties ad audiendum invitat, dicendo: « Qui habet aures audiendi, audiat (*Matth.* XIII). » Igitur neque aures, neque nasum habet. Tu autem, o libera, nasum integrum nasum, ut jam dictum est, habes egregium; quæ sano odoratu sentis et appetitu traheris, « non eorum quæ videntur, sed quæ nos videntur (*II Cor.* IV), » secundum istud: « Est enim
420 fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* XI). Quomodo tibi est nasus ejusmodi? « Sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum, » id est contra cruentem supradictæ ancillæ filium. Damascus namque interpretatur *bibens sanguinem*, et illum significat, de quo Apostolus loquitur, dicens: « Sed quomodo tunc is, « qui secundum carnem natus est persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita et nunc (*Galat.* IV). » Fortissimo spei ac discretionis naso opus erat contra omnem ejusmodi falsum fratrem, ludendo persequentem, persequendo ludentem (*Gen.* XXI), ne usquequaque illudat et si corpus lædit, saltem animam non decipiat. Et fortis utique est nasus iste discretionis, sicut turris Libani, » dum rite spernendo visibilia et sperando invisibilia fortiter resistit, neque frangitur visibilium incommodis, juxta illud: « Deduxisti me, quia factus es spes mea turris fortitudinis a facie inimici (*Psal.* LX). » Quomodo turris ista respicit contra Damascum? Nimirum sensui ejus sensum habendo contrarium, juxta illud: « Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus, sentiunt (*Rom.* VIII). » Est autem in respectu isto etiam manifestum Damasci, idem filii ancillæ, opprobrium. Sicut enim interiori homine Damascus ille perdidit omnem discretionis et spiritualis intelligentiæ nasum, sic et exterius quoque quemdam perdidit nasum suum, nasum magnum, scilicet civitatem Hierosolymam, et nobile templum, et cætera insignia quæ destructa sunt: quibus ablatus, ita ignominiosa facta est circumci- A sio carnalis, sicut naso præciso deformis efficitur facies cujusque hominis, et idcirco quæ respicit, ipsa etiam talem Damascum contemnit et dicit: Tu ancilla superba cum filio tuo Damasco, quid faceret si vel tu nasuta, vel si ille nasus tuus esset, cum nec saltem exterius nasum habens, pulchram te existimes? Quid, inquam, faceres, si templum tuum et civitas tua permansisset? Bene igitur, o libera Sunamitis, « nasus tuus contra Damascum respicit » firmiter stans « sicut turris Libani. » — « Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus. » Carmelus *scientia circumcisionis* interpretatur. Caput vero principale est corporis, et pro corde accipitur quod principale est interioris hominis, juxta illud: « His ergo fieri B incipientibus, levate capite vestra, » id est exhilarate corda vestra, « quoniam appropinquat redemptio vestra. » Igitur caput tuum ut Carmelus, id est cor tuum scientiam circumcisionis habet, ut legitime et sicut necessarium est circumcidatur, quisquis secundum Deum et secundum fidem quæ in te est, justificari vult. An non et Moses circumcisionem istam præscripsit, circumcisionem cordis? Circumcidite igitur, ait ipse in Deuteronomio, præputium cordis vestri, et cervicem vestram, ne induretis amplius. Quid est ista circumcisio, nisi perfecta Dei dilectio? Nam et in alio loco, cum dixisset: « Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui (*Deut.* XXX), « ita subjunxit: « Ut diligas Dominum Deum in toto corde tuo, et in tota C anima tua (*Ibid.*) » Porro circumcisionis carnis scientiam veram in hoc habes, ut non dubites illam cessare debuisse, ex quo venit, et manifestatum est semen cujus venturi fidem habens Abraham (*Gen.* XVII), « signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV). » Dixi de scientia circumcisionis, quid dicam de scientia legis? Hoc nimirum quod omnem illam, scilicet cæremoniarum legem spiritualiter intelligis. Hoc est quod dico, « et comæ capitis tui sicut purpura regis, juncta canalibus. » « Comæ capitis, » id est sensus cordis tui in meditando vel cogitando mysteria legis Dei. Exempli gratia, quid mysterii contineat vitulus immaculatus, jussus offerri pro peccato sacerdotis, qui peccaverit et populum delinquere fecerit? (*Levit.* IV; *Levit.* V) quid hircus de capris, quid capra et quid ovis, quid D turtur et quid pullus columbæ, cunctus ritus sacrificii, meditando, inquam, in his, et in cæteris hujusmodi, « comæ capitis tui, » id est sensus cordis tui sunt, « sicut purpura regis, » videlicet cuncta referendo ad sacramentum passionis dilecti tui, qui propter ipsum, quod passus est, rex constitutus et gloria et honore coronatus, « sedet ad dextram majestatis in Excelsis? » (*Hebr.* I).

Et recte passio regis dicitur « purpura regis, » non solum propter purpureum colorem sanguinis quem in passione effudit, verum etiam propter purpuram derisoriam quam circumdederunt ei, protinus tribus pœnis passionum consummandum, sci-

licet flagellandum, crucifigendum, lancea percutiendum. Nam illi quidem irridentes purpuram circumdederunt ei, tanquam regi, sed ille serio et purpuram admisit, et calamum pro sceptro suscepit in dextera (*Matth.* XXVII), quia certissime per hæc fiebat ut et in cœlo et in terra purpuram regni, et sceptrum acciperet imperii. Proinde purpura illa recto dicitur « juncta canalibus,» quia sicut purpura eo magis tingitur et pretiosor fit, quo vicinius atque diutius juncta fuerit tincturæ canalibus, ita passio dilecti eo gloriosor est quo amplius præ cunctis sacrificiis processit secundum consilium divinitatis, cujus videlicet consilii arcana, quasi quidem canales sunt, per quos cucurrit pretiosissima hæc tinctura purpurea qua dilectus iste, qui erat virginitate candidus, factus est morte vel passione sua, et permanet in æternum rubicundus, Deus vero gloriosus, et homo valde speciosus, et in utraque substantia rex unus semper et ubique victoriosus.

« Quam pulchra es, et quam decora charissima in deliciis ! Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. » Quid est in deliciis pulchram et docoram esse, nisi in abundantia gratiæ mansuetudinem summamque humilitatem cordis habere ? Denique dona gratiarum et intelligentia Scripturarum sive sacramentorum cœlestium vere sunt deliciæ, et humilitas cordis vera pulchritudo est, res decora et Deo amabilis virtus est. Hæc in te conjuncta sunt, o charissima, tales deliciæ, talisque pulchritudo.

Quod enim dixit ? « Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris. « Et ne dubium sit, cui palmæ dicam adhuc. « Dixi : Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus ; et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odores tui sicut malorum, guttur tuum sicut vinum optimum.» Magna igitur humilitas, quam ista pulchritudo sonat : « Statura tua assimilata est palmæ,» quia tale est ac si dicam: Mihi assimilata es omni habitu mentis tuæ ; mihi, inquam, assimilata es in eo quod in crucem ascendi mitis et humilis corde. Hunc ergo ascensum meum futurum dixi, nec quisquam amicorum dubitaverit quin dixerim tibi. Si enim ipsis amicis dixi : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur ad crucifigendum (*Matth.* XX),» et alia multa ad hunc sensum pertinentia ; imo si et inimicis dixi : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII), quanto magis, charissima, dixi aut dicere debui : « Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus, et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odores tui sicut malorum, guttur tuum sicut vinum optimum ! » Hoc erat dicere : Exaltabor in crucem victoriosam, et moriendo morte fructuosa, operabor velociter salutem omnium credentium, et deinde doctrina tua, doctrina legalis atque evangelica tempore opportuno palam prædicabitur, sicut in autumno dulces potri comeduntur, et
421 bonus ubique diffunditur odor bonorum operum tuorum, et dulcissimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum sicut vinum optimum. Tu autem ad hæc : « Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus ejus ad ruminandum.» Et revera, ut dicis, ita est. Sicut enim vinum optimum dignum regibus est ad potandum, « labiis et dentibus eorum ad ruminandum, « sic eloquium tuum dignum mihi est ad audiendum, cunctisque amicis et testibus meis ad prædicandum.

Quid faciemus, vel quo ibimus cum tantis istis dilectis deliciis ? Nostri enim qui primi ad istas delicias vocati sunt, « venire nolunt, sed abierunt negligentes, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam, reliqui vero tenuerunt amicos nostros, et contumelia affectos occiderunt (*Matth.* XXII).» Quid igitur faciemus ? « Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Veni, dilecte mi ; egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala Punica. Ibi dabo tibi ubera mea. Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. »

Hæc « ego dilecto meo » locuta sum, « et ad me conversio ejus,» videlicet non improbando, imo propositum hoc habendo ut egrederemur ; quippe qui jamdudum dixerat ad cives suos : « Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua (*Luc.* IV),» et hoc dicto pauca interlocutus « ipse transiens, per medium illorum ibat (*ibid*)., » significans utique transiturum se a suis civibus et egressurum in agrum, et commoraturum in villis. Itaque concordans proposito Dei, « veni, inquam, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, » ut videlicet qui erant agrestes, fiant domestici, qui erant villani, fiant cives Dei, et juxta propheticum oraculum : « Lætetur deserta et invia, et exsultet solitudo, et floreat quasi lilium, germinans germinet, et exsultet lætabunda et laudans, et gloria Libani detur ei (*Isai.* XXXV) ; » gloria scilicet hæc, ut videant gloriam Domini, et decorem Dei nostri, cujus visione indignum se Libanus iste, id est populus Judaicus facit repellendo Verbum Dei. Illuc egrediamur, ibi commoremur, et ibi commorantes mane surgamus ad vineas sine dubio jam illic nostra commoratione propagantes. « Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala Punica. » Nam tunc « floruit vinea, » sed jam in villis ejusmodi de carne gentilium agrestium nati sunt aliqui, qui sint ad vitam æternam præordinati, sine dubio mox credituri ; et tunc flores fructum parturiunt, » si dociles inveniuntur ad bene operandum ; tunc etiam « floruerunt mala Punica, » si inveniuntur in illis aliqui, quorum fides usque ad martyrium durare sufficiat, quod sine dubio futurum est. « Ibi dabo tibi ubera mea, scilicet nutriendo multitudinem filiorum, quos in novam infantiam fecunda tibi pariet gratia. Unde hoc ita certum, quod multitudo filiorum nasci debeat illic, ubi hactenus sterilitas fuit ? Videlicet tam ex Scripturarum testimoniis, quæ testantur ita debere fieri, quam ex

præsentibus experimentis, quia « mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. » Mandragora mala habet suave olentia, quæ et ἀνθρωπόμορφος appellatur, quod habeat radicem, formam hominis similantem, cujus cortex vino mistus, ad bibendum datur his quorum corpus propter curam secandum est, ut soporati dolorem minime sentiant, sterilibus quoque mederi fertur ut concipiant. « Mandragoræ ergo dederunt odorem in portis nostris, » id est experimenta præsto sunt, quod jam fieri debeat illud quod gentilati hactenus sterili spiritus propheticus promittit : « Lauda, inquiens, sterilis, quæ non paris ; decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas ; quoniam multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum (*Isai.* LIV), etc. « In portis, inquam, nostris, » id est dum adhuc sumus in finibus nostris, in finibus Judaicis, sensimus odorem hujusmodi. Venerat enim jam Æthiops eunuchus odorare in Hierusalem, et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam, cum ecce sentiens Spiritus sanctus odorem ejus, dixit ad Philippum : « Accede et adjunge te ad currum istum (*Act.* VIII) ; » sed et tunc eramus in portis nostris,

A quando odorem dederunt in conspectu Domini eleemosynæ Cornelii centurionis (*Act.* X). Ad quem odorem et illud pertinet, quod postmodum cuidam amicorum talis visio per noctem ostensa est : « Vir Macedo quidam erat, stans et deprecans eum, dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos (*Act.* XVI). » His atque aliis modis « odorem dederunt mandragoræ in portis nostris, » fecunditatem significantes de loco sterilitatis. Nunquid autem ibi tantummodo ubera mea dabo tibi ? Imo et « omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. » Quandiu parvuli fuerint hi, qui in loco ubi dicebatur : « Non plebs mea vos, nascentur filii Dei viventis (*Osee* I), » quandiu, inquam, imbecilles erunt ad audiendum grandem sermonem, eisque « lacte B opus erit, non solido cibo (*Hebr.* V), » tandiu « dabo ubera mea, » cum autem perfecti fuerint, et « pro consuetudine exercitatos sensus habuerint ad discretionem boni et mali (*ibid.*), » tunc cibum solidum tibi in illis, quia omnia nova et vetera, omnia Veteris ac Novi Testamenti sacramenta servavi tibi, conferens in corde meo (*Luc.* I), proferenda in tempore suo, in tempore opportuno.

LIBER SEPTIMUS

422 Factum est, o dilectissima dilecti, factum est, ut dixisti : « Veni, dilecte mi ; egrediamur in agrum, commoremur in villis. » Felix dies felicia nobis tempora hujus egressus vestri ad nos ab illis qui repulerunt vos, dicentibus amicis, et vestri consilii consciis ad illos.

« Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed, quoniam repellitis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Nunquid vero non solum illud audierant dictum propheticum quod subjunxerunt, dicentes : « Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentibus ut sis salus mea usque ad extremum terræ ? (*Isa.* XLIX). » Imo et cætera quam multa hujus gratiæ oracula, et istud secretissimum audierant et intellexerant quod tu hic, o gratia plena, dixisti : « Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. » O quantum gaudium, quanta exsultatio illius sterilis et desertæ, quæ non habebat virum, quando certum de scripturis propheticis egressus vestri ad ipsam et suæ salutis audivit testimonium ! « Audientes autem gentes, ait illa Scriptura, gavisæ sunt, et glorificaverunt Verbum Domini, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam (*Act.* XIII). » Secundum illud gaudium præsenti loco loquitur ipsa exsultans et lætabunda et laudans.

CAP. VIII. — « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ ut inveniam te foris et deosculer, et jam me nemo despiciat ? Apprehendam

C te et ducam te in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. » Ista admirativa percontatio, « quis mihi det te, » similis illi est, « et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me (*Luc.* I) ; » et ista exsultatio, « inveniam te foris et deosculer, et jam nemo despiciat, » similis est illi responso tuo ad angelum : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid.*). » Similis namque est, vel quæ hæc dicit, sicut decet filiam similem esse matri. An non tu mater ejus, quæ vitam et salutem peperisti ? An non filia tua hæc est, videlicet imitatione fidei ? Si Abraham pater gentium, et Sara mater gentium recte dicitur et est (*Gen.* XVII), videlicet propter fidem, quanto magis tu, o fidelissima D fidelium, mater es omnium nostrum ? Propterea dicit ista valde attonita propter auditum supradictum magna gaudii multitudine : « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ ? » « Fratrem » suum dicit dilectum suum, et describit eum dulci descriptione, « sugentem, inquiens, ubera matris meæ. » Cujus « matris meæ, » nisi virginis Mariæ? Propterea de patre nihil dixit, quia videlicet in fratre isto, ut conciperetur vel nasceretur, fieretque filius naturæ vel carnis nostræ, vir nihil patravit. Totum quod, frater noster est, de matre est. Matris ubera suxit, sed non de patris radice fluxit. Mater ista, mater est ; quia caro ista, caro nostra ; et fides ista, fides tua, o Maria, fides nostra est. Non

se capit intus magnitudo gaudii, intus in corde credentis, et felicitatem suam admirantis, quod Deus Filius Dei, frater ejus factus sit, frater ejus, o mater, ex te, cujus ubera suxit. Erumpit et clamat: « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, » et adjicit, « ut inveniam te foris et deosculer, et jam me nemo despiciat? » Despiciebatur enim, utpote sterilis et deserta sine viro, id est sine Deo in hoc mundo: Despiciebatur, inquam, et dicebatur præputium, ut Apostolus ait, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, et erat alienata a conversatione Israel (*Ephes.* II). « Inveniam ergo te, inquam, foris et deosculer, et jam me nemo despiciat, » videlicet cum possim dicere illud verissimum, quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum. O frater vineæ, o sugens ubera matris meæ, quid est invenire te foris, quid est te deosculari? Invenire te foris, est exire ad te extra castra, qui sicut extra portam passus es, ita « extraneus fratribus tuis et peregrinus filiis matris tuæ factus es (*Psal.* LXVIII), » teque deosculari, improperium tuum venerari, et sacramenta pietatis tuæ familiariter cognoscere est. Nam in quantum illa cognoscimus et diligimus, in tantum te amabilem amantes deosculamur. Quis fructus, quod emolumentum hujusce inventionis, hujusce deosculationis? Apprehendam te, inquit, et ducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis. » Quomodo fiet hoc, videlicet cum tuis fuero potita osculis, cum tu mihi tua mysteria revelaveris, habebo ego hactenus sterilis, habebo ex te filios innovatæ juventutis, quos te faciente ordinabo mihi lectores atque lectrices, cantores atque cantatrices, sacerdotes sive pontifices, propheticæ atque apostolicæ gratiæ appropinquantes, et constituam ex eis scholas legentium atque choros canentium; adhibebo mihi tubas prædicantium, et linguas interpretum ut mihi explicent Scripturas quæ de te sunt et quæ hactenus intus in una lingua latuerunt. Atque ita ordinata castrorum acie irrumpam « domum matris meæ in cubiculum genitricis meæ, » ubi hactenus « requiescunt bestiæ, et habitant dracones sive struthiones, et pilosi saltant et respondent ululæ (*Isa.* XIII), » dum colitur adulter Jupiter, cæterorumque non deorum, sed dæmonum terræ phalanges, protractisque foras omnibus, inducam te illuc, ut et in domo matris meæ et in cubiculo genitricis meæ, scilicet et in palatiis regum, et in templis quondam dæmonum nomen tuum invocetur. « Ibi me docebis » palam et cum libertate vocis, more tuo, quemadmodum dixisti: « Ego palam locutus sum **423** mundo, et in occulto locutus sum nihil (*Joan.* XVIII). » — « Et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. » Quid enim aliud vel majus dare possum? Hoc ut daret, invenit et ille qui dixit: « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal.* XV), » Et est sensus: Prius bona pro malis, deinde bona pro

A bonis Dominus mihi retribuit. « Quid retribuam » ei? Hæc deliberans, ad id veni, cum aliquid majus non possim: « Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. » Hoc est, quod nunc dico. Et dabo tibi poculum ex vino condito, id est, sacrificium offeram sacratum, et vere sanctum invisibili passionis tuæ sacramento. Nec solum istud faciam, verum etiam mustum dabo tibi « malorum granatorum meorum, » id est, pretiosam in conspectu tuo mortem sanctorum martyrum tuorum qui quamplures ex me tuæ mortis imitatores erunt. Hoc erit tibi poculum, quod non erit sanguis brutorum animalium. Hinc enim vel tu vel Pater tuus, Deus deorum Dominus, locutus est: « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?
B Immola Deo sacrificium laudis, et redde (*Psal.* XLIX), » etc. « Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me. » O vos filii vel filiæ, magna quidem et ardua res est, fratrem meum taliter introducere in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, et multas proinde pressuras habemus tolerare, sed nolite pertimescere. Ipse ubique præsens, duplici consolatione consolabitur me. Nam « læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me. » Læva ejus, id est, temporalis interdum prosperitas, ne in laboribus deficiam, sustentabit me, neque tentari dimittet supra id quod possum sustinere, et dextra, scilicet spes retributionis æternæ non incerta, fortius atque abundantius lætificabit atque delectabit me. Fiet mihi jam in isto sæ-
C culo consolatio hæc, ut ipsi reges vel principes mihi dentur in famulatum, in illa vero dextra, ubi immortalitas regnat, ipsum visura sum ego visione æterna in decore suo (*I Cor.* X), fratrem meum, dilectum meum, Regem regum, et Dominum dominantium, jamque tantum bonum prægustare cupio per contemplationis studium. « Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. » Hoc sciens ipse frater meus, quia solus meditor vel meditari cupio amplexus dextræ ejus: Ne, inquit, suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Ne inquam, suscitetis, videlicet eo modo quo Martha suscitare volebat Mariam sororem suam. Maria namque sedens ad pedes dilecti, audiebat verba oris ejus. Hoc erat requiescere. At illa quæ satagebat circa frequens mi-
D nisterium (*Luc.* X), volens eam suscitare: Domine, inquit, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Cunctis filiabus ejusmodi, quæ corporale ministerium sive actualem vitam nesciunt discernere: quantum distet a dignitate contemplationis, dictum hoc esse nemo dubitet, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Nam illa, quæ « optimam partem elegit, » quæcunque studet Verbo Dei, ipsa est dilecta: Cæteræ quæ « sollicitæ sunt et turbantur erga plurima, » sicut Martha illa, filiæ sunt. « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? » Ab isto ver-

siculo usque ad finem decantatio clarissima, circa A illam versatur de gentibus electam atque dilectam, cujus electio fratris gratiæ est, fructus sive effectus Evangelicæ prædicationis, ex quo fieri cœpit, o dilectissima dilecti, illud quod dicebas : « Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. » Hunc tantum egressus vestri fructum admiratur electio ex Judæis, quæ parva numere per Evangelium venit et dicit : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ? » De deserto, id est, de agro et de villis, quo vos, o dilecte et dilecta, cum consilio supradicto egredi atque commorari voluistis. « Quæ est ista ? » Ubi erat ? ubi latebat ? Mira res. Nobis nulla erat, nusquam erat, sed illi erat, in illo erat, de quo veraciter dictum est : « Quod factum est, in ipso vita erat B (*Joan.* XVII), » et de quo dicit alius quidam amicorum : « Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt (*Rom.* IV). » Qualis enim est, qualis ascendit ? « Deliciis affluens innixa super dilectum suum. » Jure miremur quantis vel qualibus deliciis affluit. Deliciis gratiarum, quæ manifestantur ad utilitatem (*I Cor.* XII), videlicet sermone sapientiæ, sermone scientiæ, fide, gratia sanitatum, operatione virtutum, prophetia, discretione spirituum, generibus linguarum, interpretatione sermonum. Quomodo autem vel ad quid innixa super dilectum suum ? Nimirum ut non timeat timorem hominum, ut non deficiat in tribulationibus, quæ illam invenerunt, sive inventuræ sunt, tribulationibus atque persecutionibus inimicorum visibilium atque invisibilium, paganorum, C judæorum, hæreticorum, et spirituum malignorum. Quomodo enim inter hæc omnia subsisteret, nisi innixa esset super semetipsam, aut super quemlibet alium ? Tunc utique caderet, stare non posset. Nunc autem dicit : « Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium in hoc ego sperabo (*Psal.* XXVI). » Hoc dicere et facere, nimirum est innixam esse super dilectum. Quomodo factum est istud ? Quomodo talis et taliter ascendit ? « Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. » Delectio ex Judæis, nunquid quasi nesciens admiraris ? Nunquid causam nescis cur ista talis taliter D ascendere debuerit ? Ego causam dico tibi quia mater tua, genitrix tua me dereliquit, me abnegavit virum suum, regem suum, et idcirco aliam duxi, dato illi libello repudii, et hæc est quæ taliter ascendit. Ubinam hoc accidit ? Sub arbore malo, ubi te suscitavi, sub ligno crucis, ubi te redemi. Propterea dixi sub arbore malo, id est, sub arbore afferente fructos suos, quia videlicet lignum crucis non sterile lignum fuit, sed fructus attulit vitæ et salutis. Ibi te suscitavi, sed mater tua Synagoga, genitrix tua, gens Judaica ibi corrupta est, dicendo, « Non habemus regem nisi Cæsarem, » ibi violata est, clamando : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Joan.* XIX : *Matth.* XXVII). » Propterea, repudiata illa, ista talis ascendit, et sicut ait quidam ex vobis : « Cæcitas contingit in Israel, donec plenitudo gentium subintroeat, et sic omnis Israel salvus fiat (*Rom.* XI). » Nunc audi quid dicat ista quam tu miraris, ista mulier fortis, de qua veraciter dictum sit : Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit (*Prov.* XXXII). « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. » Quid, rogo, ista petit, ut jam dictum est, mulier fortis, nisi ut confidat in ea cor viri sui ? Quid enim est dicere, « pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » nisi ac dicat : Confidat in me cor tuum, roboretur ex adjutorio meo brachium tuum ? Et, o dilecte, quid est præsenti loco cor tuum, **424** et quid brachium tuum, nisi Scripturæ veritatis, quæ scriptæ sunt secundum cor tuum, et memoria mirabilium tuorum, ex quibus cognoscitur quam magnum, quam forte sit brachium tuum ? Pone me ut signaculum super illud cor tuum, pone me ut signaculum super illud brachium tuum. Quam ob causam ? Nimirum ob triplicem, quæ contra me latrant, insaniam videlicet Judaicam, paganicam, hæreticam. Prompta sum, expedita sum, devota sum econtra fortiter defendere illud cor tuum, protegere illud brachium tuum sicut imperiale signaculum, sicut fidele testimonium, mira fortitudine miranda duritia quam nullus possit effringere. Fortitudinem meam dico dilectionem, duritiam meam dico æmulationem. Cur hoc ? quia « fortis est ut mors dilectio, » dura sicut infernus æmulatio. Quid est hoc dicere, nisi ac si dicatur : Zelum magnum habet dilectio, iram intolerabilem habet æmulatio ? Attendite, amici, quod dicitur, animadvertite diligenter quod agitur et actum est hactenus, ex quo ascendit de deserto, deliciis affluens mulier ista fortis, et innixa super dilectum suum, quæ istud poscit, ut confidat in ea cor viri sui.

Quis unquam portare potuit zelum dilectionis, quem habet circa cor dilecti sui, iram æmulationis quam habet erga brachium dilecti sui ? Sicut mors, sicut infernus, ita nulli parcit et omnibus est immitis, quicunque male sentiunt de Scripturis veritatis, quæ scriptæ sunt secundum cor viri sui, dilecti sui, qui male prædicant de brachio fortitudinis, quo salutem generis humani operata est omnipotentia viri sui, dilecti sui. Nonne, cum in remittendis peccatis piissima sit, illos duntaxat, qui loquuntur extra vel contra Verbum veritatis, mortificat, et inferno addicit illorum animas ? Quidpiam tolerare potest, quod cordi dilecti sui, id est, Scripturæ veritatis contrarium est ? Tolerare non potest. Illos qui in hoc sunt, eliminat et anathematis gladio trucidat

Non inexperta loquimur. Nulla re magis offenditur, nullo malo exacerbatur amplius quælibet anima habens spiritum dilectionis, quam si audiat de Scripturis quidpiam contra sensum cordis hujus amici, contra honorem brachii hujus dilecti. Quam forte natura sit mitis, statim ad rem istam sit intractabilis, et videtur adversariis motus ejus quasi motus mortis, et ira ejus quasi ira infernalis, sicut de Mose constat, qui, cum esset mitissimus omnium hominum qui morabantur in terra, ubi causa poposcit, sic immitis factus est quasi mors, sic durus quasi infernus, ita ut diceret : « Qui Domini est, jungatur mihi (*Num.* XII ; *Exod.* XXXII), » et durissimo ejus imperio occideret unusque fratrem et amicum et proximum suum, cecideruntque una die viginti tria millia. Et ille materiali quidem gladio, et alii post eum complures, ut Elias et fortissimus David probaverunt, quia vere fortis est ut mors dilectio, vere dura sicut infernus æmulatio. Ista vero dilectissima spirituali gladio sævit propter dilecti sui cor et brachium, persistens fortiter tanquam inviolabile signaculum. Nam de materiali gladio non habet præceptum sive dilecti sui consensum, quando audivit eum dicentem : Converte gladium tuum in locum suum, satis est, sinite usque huc (*Matth.* XXVI ; *Luc.* XXII). Lampades ejus, ait, lampades ignis atque flammarum. Cujus enim ? Dilectionis sive æmulationis. Lampades dilectionis, lampades ignis, lampades æmulationis, lampades flammarum. Sicut ignis, dum concitatus fuerit, generat flammam : Sic dilectio, dum aliquid perceperit non secundum cor hujus viri, non secundum sensum hujus dilecti, parit æmulationem, lucentem pariter et urentem, amicos illuminantem, inimicos urentem. Quid si fortes fuerint inimici ? Quid si habuerint turbas populorum, gladios quoque regum atque imperatorum, sicut aliquando habuerunt ? Nihilominus confidat in ista cor viri sui, quia nihilominus fortis erit ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, imo et amplius tunc lampades istæ ardebunt atque lucebunt, lampades ignis atque flammarum. Hunc est quod dicit : « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Audivimus, vidimus aquas multas, id est, inundantes persecutiones popularium, et flumina, scilicet persecutiones principum fortium, quæ, cum vehementer inundarent, non potuerunt exstinguere sive obruere charitatem, neque compescere ejus æmulationem, ut saltem de uno Verbo dogmatis fidelissimi reticeret, exempli gratia, illo quod dicitur ὁμοούσιον. Pro nihilo fuit huic dilectæ omne damnum, et ipsa mors, quam inferre hæretici potuerunt. Hoc est quod dicit : Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Tanta illi inest dilectio Verbi, ut in comparatione talis margaritæ, quam intus retinuit quasi nihil despiciat omne, quod foris auferri potuit : « Ecce mulierem fortem vidistis et audistis. » Non ex semetipsa tantam sibi fortitudinem inesse confidit, sed ex eo, qui solus est

A vera fortitudo fortium, sicut vidistis eam ascendentem, innixam super me dilectum suum. Non, inquam, ex ipsa fortitudo hæc, sed ex providentia nostra, secundum pium nostræ sollicitudinis consilium, quod habuimus super eam, sicut sequentia indicant : « Soror nostra parvula est, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est ? Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea. Si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis. » Hujusmodi consilium super illam habuimus Pater et Filius et Spiritus sanctus pro magna re, pro magno negotio (*Matth.* X), quia videlicet sic se habebat, et sic habet tempus vel status rerum ejus, ut vix nata, vix super pedes suos consistens, jam esset alloquenda, jam deberet duci

B ante reges et præsides, et reddere rationem de fide nostra, de profundissimis operum nostrorum Sacramentis contra Judæos in lege gloriantes, contra philosophos sapientia sua et eloquentia tumentes, sub gladiis judicum inter mille genera mortium. Hoc utique mirandum est illis, qui rem sciunt mirari sicut dignum est. Propterea consilio habito dicebamus : Soror nostra parvula est, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est ? Vere enim qua die primum alloquenda erat, quando primum sub Nerone et cæteris persecutoribus lis in judicio contra illam proposita est de fide quam suspiciebat, parva numero, parvula sensu, id est, simplex erat, ubera scilicet legem et prophetas, non habebat. Dicebamus ergo : Si murus

C est, ædificemus super eam propugnacula argentea. Si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis. In civitatis vel domibus aliud est murus, et aliud ostium. Similiter in dilecta ista, in corpore isto, quod est Ecclesia, alius est quasi murus, alius quasi ostium, Hoc ex illius temporis statu clarius discerni potest, quando primum dilecta hæc alloquenda erat, sicut jam dictum est. Alius namque ita fortis erat, ut tormenta vel opprobria sustinere posset, et hic utique murus erat, juxta illud : « Ego quippe, ait Dominus, dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia tecum ego sum. » Alius in hac parte infirmior quidem erat, et forte persecutiones fugiens latere volebat, sed habebat gratiam aliquam, verbi

D gratia sacerdotalis officii gratiam, scientiamque **425** catechizandi rudes, et baptizandi credentes. Hic nimirum ostium erat, quia, sicut per ostium in civitatem vel in domum introitur, ita per tale ministerium credentes Ecclesiæ incorporantur. Igitur, « si muris est, ait, ædificemus super eam propugnacula argentea, » id est, si digne potest stare vel permanere pro fide in agone certaminis, suggeramus illi quæcunque necessaria sunt veritatis testimonia ut non minus respondere sciat, quam si legisset legem aut prophetas juxta illud : « Cum steteritis ante reges et præsides, nolite præmeditari qualiter respondeatis, ego enim dabo vobis os et sapientiam,

cui non poterunt respondere et contradicere omnes adversarii vestri (*Matth.* x). » Item : Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Nonne sic et factum est ? Nonne si rite consideres confessiones et responsa martyrum, in illis duntaxat exemplaribus, quæ fideliter ac simpliciter sine fuco humani ingenii scripta sunt, ubi responsa illorum, ut dicta, sic excepta sunt : nonne, inquam, responsa illorum nobis propugnacula et non qualiacunque, sed propugnacula argentea sunt ? Casta namque et castigata sunt, multumque nitoris ac splendoris habent, juxta illud : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* xii). » Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis, id est eum qui non tantæ est fortitudinis vel tolerantiæ ut tormenta passionum sustinere possit, attamen illius est officii sive devotionis, ut viam vel introitum fideliter faciat volentibus introire in regnum Dei, baptizando sive catechizando illos Verbo Dei, faciamus, ut sit memoriæ imputribilis atque suavis secundum similitudinem cedri, ligni odoriferi atque imputribilis, juxta Davidicum illud : « Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur (*Psal.* xci). » Sunt enim multa dona gratiarum, quæ valeant et sufficere possint illis, qui etiam si cupiant, palmam martyrii non attingunt. Quid ad hæc illa ? « Ego murus, et ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. » Et est sensus : Primo quidem tempore, cum jam alloquenda essem et de nostra fide secundum charitatem tuam respondere inciperem, parvula eram, sicut dicis, dilecte mi, et ubera non habebam ; sed nunc et murus sum, et ubera sunt mihi, non qualiacunque, sed sicut turris. Processu namque temporis venerunt scriptores mei, confortati sunt interpretes mei, legemque ac prophetas totumque Vetus pariter ac Novum Testamentum in linguas, maxime Græcam et Latinam, de uno Hebraicæ linguæ repositorio trnnstulerunt, et ecce spiritu et littera fortiter instructa sum habens etiam de meis, qui mihi nati sunt filiis, doctores et explanatores luculentos utriusque Testamenti. Propterea dixi : « Ego murus et ubera mea sicut turris. » Non autem hoc ex me, sed ex gratia dilecti. Propterea et istud subjunxi : « Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, » id est ex quo per fidem accepi peccatorum remissionem. Nam ex tunc propter ipsum quod et credidi, pacem reperi, et reconciliata sum Deo per mortem dilecti mei, filii sui, et ex eo proficiens atque succrescens, istam quoque gratiam consecuta sum ut nihil mihi desit, de Scripturis utriusque Testamenti, « et ecce ubera mea sicut turris, » quia nihil contra possunt pagani, Judæi, hæretici. « Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos. Tradidit eam custodimus. « Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. » Hoc dilecta ad gratiam et gloriam de semetipsa dicit, et dilectus continuo respondens ait : « Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus. » Ad causam dilectæ hujus, quæ non ipsum loquitur, multum pertinet, meminisse et denarrare in quo plantata fuerit vinea dilecti sui, scilicet utrum in fide an in operibus, de qua videlicet vinea et lex prophetæ in Evangelio suo multa loquitur ipse dilectus. Propterea nunc dicit : « Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos. » Quænam illa est, quæ habet populos ? Fides an lex ? Non utique lex, sed fides. In fide vinea Domini plantata est, non in lege, quemadmodum et Apostolus dicit : « Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei (*Rom.* iv). » Et subinde : « Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini Abrahæ, non ei qui ex lege est solum, sed ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti (*ibid.*). » Item de eodem : « Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei, sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, et non infirmatus est fide (*ibid.*), » etc. Ergo quæ habet populos ipsa est fides, quia per fidem Abraham pater populorum, pater multarum gentium factus est. Quid igitur, o æmula mea, o Synagoga sive carnalis circumcisio contra me gloriaris, quasi de operibus legis, quod sola tu sis vinea Domini ? Ante legem fuit vinea Domini, plantata in fide, et tu in pravum conversa es, plantatio autem illa permanet. « Ego autem, ait plantator ipse, plantavi te vineam electam, omne semen verum. Quomodo conversa es in prævum vinea aliena ? » (*Jer.* ii). « Quid igitur lex ? Propter transgressiones, ait Apostolus, posita est (*Galat.* iii). » Hinc et alius propheta : « Vinea facta est dilecto in cornu filio olei, et sepivit eam (*Isa.* v), » etc. « In cornu facta, » id est in fide plantata est, quia fidei firmitas illa per cornu designatur, de qua Apostolus, « ideo ex fide, ut secundum gratiam promissio firma sit omni semini Abrahæ (*Rom.* iv). » « Sepivit autem eam, » quid est, nisi hoc ipsum, quod lex propter transgressiones posita est ? (*Galat.* iii). Itaque nihil dubium remanet, quin pacifico, id est dilecto, « ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* ii), » vinea facta vel plantata fuerit, non in lege, sed in fide ; et idcirco non novo consilio defenditur dilecta hæc, scilicet Ecclesia ex gentibus, quod ex fide absque operibus legis justificetur. « Tradidit eam custodibus, » id est patriarchis, ducibus, judicibus, sacerdotibus, prophetis atque regibus, et sicut Isaias dicit : « Turrim quoque et torcular, » id est templum et altare, « ædificavit in medio ejus, et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas (*Isa.* v). » Ita « conversa est in pravum vinea aliena (*ibid.*) » Quæ deinde dicit : « Vir affert pro fructu ejus mille argenteos : vinea mea coram me est ; mille tui pacifici et ducenti his qui custodiunt fructus ejus, » ex opposito illius quæ « in pravam conversa est, » melius intelliguntur. « Et fodi eam mihi, ait in Osea

Dominus, quindecim argenteis et coro hordei, et dimidio coro hordei, et dixit ad eam : Dies multos exspectabis me, nec fornicaberis et non eris viro ; sed et ego exspectabo te (*Oseæ* III), » etc. Sacramentum in numeris istis absconditum est pulcherrimum, hic in MCC argenteis, illic in XV argenteis et coro hordei et dimidio coro hordei, cujus videlicet sacramenti hæc summa est, quod ista et virgo sit et viro conjuncta, illa autem neque virgo neque viro conjuncta. Hujus namque virginitatem unitas millena, conjunctionem vero sive nuptias binarius centenus significat. Arithmetici sive abacistæ melius norunt quod dicitur, et qua ratione unitas virgo pronuntietur ; usu habent in suis tractatibus quod videlicet in semetipsa multiplicata nihil creat, quia semel unus, unus est, quod nulli alii numero contingit. Nam cæteri numeri in semetipsos ducti, alios creant, ut bis duo, quatuor, et ter tria, novem. Porro nuptias hujus centenus designat binarius, et hoc felicissimum **426** est, quia dilecta hæc quæ ex fide est, semper viro conjuncta est, et semper virgo permanet. Econtra illius viduitatem semel et corruptionem illud mystice designat, quod pretium ejus neque in unitate mansit, neque ad binarium pervenit, cum dicitur : « Fodi eam mihi quindecim argenteis et coro hordei, et dimidio coro hordei (*ibid.*). » Si argenteos attendas, neque decem sunt argentei, quæ esset unitas decena, neque viginti, quæ esset binarius decenus ; sed sunt quindecim, in quo videlicet numero plus unitate, minus est binario. Similiter neque unus tantum corus hordei, neque duo sunt cori, sed corus et dimidius hordei, plus monade, minus binario. Itaque et illi hoc infelicissimum est, quia neque virgo est, neque virum habet. Nunc breviter ad litteræ hujus seriem recurramus : « Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populus, » id est omnis plantatio quam plantavit dilectus vere pacificus, per quem « Deo reconciliati sumus (*Rom.* V), » in fide plantata est Abrahæ, per quam ille omnes hæreditavit populos. « Tradidit eam custodibus, » commisit eam rectoribus ; « vir affert pro fructu ejus mille argenteos, » id est quivis operarius fidelis ac virtuosus, Scripturarum peritus et ore facundus, cunctas fidelis sermonis copias impendit prædicando, ut percipiat tempore suo quidpiam de fructu ejus. Omnes argentei ejus mille, id est omnes sermones ejus consonant in una fide, quia sicut jam supradictum est, numerus iste millena unitas est, quod arithmeticis non incognitum est. Ad hæc ille : « Vinea mea coram me est. » Et est sensus : Ego non sum mutatus ; sed ubi plantavi, ibi quæro ; et habeo vineam meam, scilicet non in lege, sed in fide. Si enim « qui ex lege (*Rom.* IV), » hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio, et esset mutabilitatis quæ in Deum non cadit. O tu quicunque es, qui in hac vinea mille argenteos, de quibus jam dictum est, expendis, » mille tui pacifici, » id est pacem, videlicet remissionem peccatorum facientes vel acquirentes sunt tibi, « et ducenti

A his qui custodiunt fructus ejus, » videlicet in eo ut virginali conjugio in cœlestibus nuptiis quas his significat binarius centenus, cum dilecto et dilecta in sempiternum perfruantur. « Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. » Quis dicat, manifestum est. Dilectus enim dilectæ dicit, « quæ habitas in hortis. » Quibus in hortis habitat dilecta, nisi in amœnitate Scripturarum, in delectatione virtutum pulchre florentium, bene olentium, semper virentium ? « Fac me, inquit, audire vocem tuam. » Quomodo ? Nimirum ita sicut scriptum est : « Narrabisque filio tuo in die illo, dicens : Hoc est quod fecit Dominus mihi. In manu enim forti eduxit me de Ægypto. Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos meos [tuos], B et ut lex Domini semper sit in ore tuo (*Exod.* XIII ; *Deut.* V). » Nam te veraciter ego eduxi de Ægypto, de tenebris hujus sæculi, de servitute peccati in terram illam fluentem lac et mel, ut habitares in hortis istis, in omnibus Scripturarum sacramentis, ubi veraciter sunt fontes et rivi lactis et mellis, fluentes de Spiritu Dei et hominis Jesu Christi dilectui tui. « Fac igitur, ut dixi, « fac me audire vocem tuam, » ita ut lex Domini « semper in ore tuo sit, nunc prædicando, nunc orando, nunc psallendo. His namque modis libenter audio vocem tuam, et ut amplius sapienter ac sollicite id facias, ecce dico tibi, « amici auscultant, » etiam illi, quos non vides corporalibus oculis, sancti scilicet angeli, juxta illud : « In conspectu angelorum psallam tibi C (*Psal.* CXXXVII). » Quid tandem, o dilecta, dicis ? « Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. » O vocem dignam auditu dilecti, vocem de corde fideli et mente humili ! Hoc enim est quod anima quælibet fidelis et sapiens dicere consuevit : « Domine, non sum digna ut intres sub tectum meum (*Matth.* VIII), » non sum digna ut in me ostendas frequens aliquod præsentiæ vel visitationis tuæ miraculum. « Fuge, inquam, dilecte mi. » Non quæro in præsenti vita gloriam, sed desidero gratiam ; non quæro claritatem miraculorum, sed opto remissionem peccatorum. « Fuge, inquam, dilecte mi, » et saltus hujusmodi similes saltibus capreæ aut hinnuli cervorum effice, non super me, sed « super montes aromatum, » super præcelsa merita sanctorum atque D perfectorum. Qui sancti atque perfecti sunt, et causam præsentem habent, ut necessario miracula fiant, illorum est aliter dicere. Exempli gratia, Helisæi prophetæ, qui meritorum bene conscius, et causam habens præsentem, propter quam oporteret miracula facere : « Oro, inquit ad Heliam, ut fiat spiritus tuus duplex in me (*IV Reg.* II), » et ita factum est : duplicia enim quam Helias, iste miracula operatus est, ut aliquos de populo revocaret ab impietate Jezabel, et a peccatis Hieroboam, qui peccare fecit Israel. Sed et in hoc « fuge, dilecte mi, » ut semper sis incomprehensibilis. Nam istud concedendum est tuæ majestati, ut non possis compre-

hendi, semperque sis desideratus ac desiderabilis, A nosque lateat, quandiu sumus in hoc corpore, « quam magna sit multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* xxx). » Fuge cautus nobis ac providus, ne unquam dum vivimus, nos comprehendisse arbitremur, sequentes ut comprehendamus. Montes, montes aromatum, ecce super vos dilectus, « assimilatus capreæ hinnuloque cervorum.» Dicat autem ad quemdam unus ex amicis sapiens admodum, si etiam scivisset afflictum vel percussum legitime consolari. Voca ergo si est qui respondeat tibi, et ad aliquem sanctorum convertere. O montes sancti, causam singulorum et omnium nostrum in uno illo, in quem hoc dictum est, recognoscimus, et idcirco quod illi ab animo indiscreto datum est consilium, nos discrete suscipimus, et sequi desideramus. Ille enim, videlicet Job, quod interpretatur *dolens*, et in eo quod Satan expetivit eum ut tentaret (*Job.* I), et in eo quod tentatus fidelis inventus est omnium (*Eccli.* XLIV), « qui pie volentes vivere in Christo persecutionem patiuntur (II *Tim.* III), » dolores et gemitus, et subsequentes consolationes in semetipso præmonstravit, et in responsis suis ab illis duntaxat cognoscitur, quicunque pro causa pietatis, seu foris visibiliter, seu intus invisibiliter ab invisibilibus inimicis tribulatur. Ad quem igitur vestrum convertemur? In quo ex omnibus vobis fugientem dilectum citius consequemur et comprehendemus? O B. Maria, mons montium, virgo virginum, sancta sanctorum, ad omnes quidem convertimur montes aromatum, et vocamus ut respondeant nobis, et hoc est quod unusquisque nostrum dicit: « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX, » sed ad te præcipue convertimur, ad te præ cæteris oculos nostros levamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus. Per sanctum uteri tui sacramentum, et illum qui « animam tuam pertransivit (*Luc.* B xx),» gladium, obtine ut videamus ipsam illuminationem montium æternorum, scilicet dilectum et ex dilecto dilectum, simulque dilectionem amborum, id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum Deum unum, vivum et verum, cujus regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Finis libri septimi, et ultimi in Cantica canticorum.

R. D. D. RUPERTI
ABBATIS TUITIENSIS
IN S. JOB COMMENTARIUS.

PROLOGUS

427 Hunc B. Job male, ut ait Hieronymus (5), quidam existimant de genere fuisse Esau, cum scriptum sit in initio voluminis : « Vir erat in terra Hus. » Siquidem Hus primogenitus fuit Nachor, sicut in Genesi scriptum est : « Nuntiatum est Abrahæ, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor : Hus primogenitum, et Buz fratrem ejus. » Sed et Philo scribit (6) hunc Dinæ filiæ Jacob fuisse maritum. Porro de genere Buz secundi, ut prædictum est, filii Nachor, Balaam ille divinus exstitit, ut Hebræi tradunt, qui in hoc libro dicitur Helius (*In vulgata elin)* Buzites, primum vir sanctus et prophetes Dei, postea per inobedientiam et desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, divini vocabulo nuncupatus. Nec mirum illum usque ad exitum filiorum Israel de Ægypto vixisse, videlicet CXL annos, post mortem Joseph, quippe cum et ipse Job eodem tempore vivere potuerit, qui quando percussus est, tam ipse, quam et amici ejus seniores illo erant, sicut testatur idem Helui cum dicit : « Junior sum tempore, vos autem antiquiores, » etc. Nam ponamus omnino eodem tempore fuisse percursum quo mortuus est Joseph anno suo CX. Certe, quando percussus est, annorum erat CXXXVI, nam post percussionem CXL annos vivit, et tunc demum annorum CCLXXVI illum obiisse hæc ipsa Scriptura refert. Nihil igitur repugnans aut contrarium incurrit, quin et B. Job juxta Philonem maritus Dinæ fuerit, et Helui qui contra illum loquitur, idem ipse Balaam exstiterit. Simulque et illud sciendum quod et ipse Job librum hunc scribere potuerit, nec tamen hæc antiquior Scriptura putanda sit, quam Scriptura legis Mosi. Nam, cum supra quam duplices annos Mosi iste habuerit, Moses quippe CXX, hic autem; ut prædictum est, CCLXXVI annos vixit, plane et natu prior et obitu posterior quam Moses esse potuit.

Et hic liber apud Hebræos fere totus, scilicet ab eo loco ubi ait : Pereat dies in qua natus sum, usque ad illud : Et ago pænitentiam in favilla et cinere, hexametris versibus compositus est, dactylo, spondæoque currentibus. Verumtamen propter linguæ idioma crebro et alios pedes recipit, non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris lege solutis, quod metrici magis quam simplex lector intelligunt. Subjacet autem maxime Ethicæ, id est, morali doctrinæ quanquam et sæpe tractet de physica, et multa contineat de theorica, quæ in sacris litteris habetur pro Logica, quæ tres par-

(5) Hieron. in *trad. Hebr. in Genes.*
(6) *De antiquitatibus.*

tes philosophiæ sunt. Porro ejus intentio talis est. Fxpertus in semetipso vir sanctus multos fore in hoc sæculo justos, quibus sic eveniret, tanquam iniquorum essent operum sicut econtra multi sunt injusti, quibus ita evenit, tanquam bonorum sint operum, volensque ipse, imo Deus, qui illum tentari permisit, temeraria nimis hominum judicia compescere, qui merita hominis solent ex prosperitate vel adversitate ejus pensare. Scripturam hanc edidit valde utilem, cunctis exsulantibus in hoc mundo civibus cœli, qua instruerentur nequaquam peccatum hominis ex quantitate pensare flagelli, quod iniquum est cum ethnicorum quoque aliquis dicat (7).

— Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta probanda putat.

Ea temeritate ducti amici ejus, non sunt rectum coram Domino locuti. Itaque dicturus mala quæ pertulit, bona ipsius merita Domino quoque teste collaudata præmittens, incipit sic : « Vir erat in terra Hus, nomine Job. Eratque vir ille simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo. »

(7) Ovid. in epistola Phyllis ad Demopnoontem.

SUPER JOB COMMENTARIUS.

428 Cap. I. Vers. 1. — « Vir erat in terra Hus. » A Idcirco sanctus vir ubi habitaverit dicitur, videlicet In terra Hus, quæ terra gentilium est, ut hoc laudibus ejus proficiat, quod juxta præconium Sponsi : « Lilium inter spinas (*Cant.* II), » id est bonus inter malos fuit. Qui quoniam singulariter cum diabolo fuerat certaturus quasi ante arenæ spectaculum sacræ textus Historiæ membra fortis athletæ, id est, quatuor principales mentis virtutes describit dicens : « Eratque vir ille simplex, » et cætera. Nam in eo quod dicitur : « Simplex, » prudentia quoque intelligenda est, videlicet, quia sanctorum simplicitas sine prudentia non est, juxta quod Veritas præcipiens, « Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x). » In eo ergo, ut dictum est, quod simplex dicitur, prudentia, in eo B quod rectus, fortitudo, in eo quod timens Deum, justitia, in eo quod recedens a malo, temperantia designatur. Post bona hæc interiora ordinate subduntur exteriora.

Vers. 2. — « Natique sunt ei septem filii, et tres filiæ. » Ac si diceret : Et quod magnum est, supradictas virtutes habuit in fecunditate prolis. Sæpe enim cor parentis ad avaritiam allicit fecunditas prolis. Amplius autem et hoc quod sequitur :

Vers. 3. — « Et fuit possessio ejus septem millia ovium. » Ejusdem proficit laudibus, ut consideres quantæ sanctitatis vir fuerit, quem nec tot hæredum affectus ad avaritiam inclinavit, quique ad tam sedula Dei obsequia, et sic occupatus, vacavit. De quo constat quod cuncta hæc sine amore possederit, quia sine dolore amisit. Eratque vir ille, scilicet D tam justus, magnus, idest dives inter omnes Orientales. Quos quis ignorat esse prædivites ? Ac si aperte diceretur : Ditior fuit divitibus. Et vir ille, id est, talis, tam magnus, hoc modo filiis suis, etiam cum corpore absens esset, sollicitudine præsens aderat.

Vers. 4. — « Filii ejus, » quod magnum est in magna substantia multum concordes, « ibant et faciebant » id est, ire et facere consuetudinem habebant « convivium, » quod celebrari sine culpa vix potest, « per domos, » scilicet omnes per domos suas, æquali dilectione nullam omittentes. « Faciebant, » inquam, « convivium unusquisque » cæteris fratribus suis « in die suo, » id est, in die septimanæ secundum ordinem ætatis sibi deputato. » Et mittentes, » id est, inferiori sexui honorem impertientes « vocabant tres sorores suas, » id est, charitate indivisa, « ut comederent et biberent cum eis. » Quod totum est laus paternæ institutionis.

Vers. 5. — « Cumque in orbem, » id est, in circuitum, « transissent dies convivii, » id est dies septem, « mittebat Job, » scilicet curam gerens salutis eorum « et sanctificabat illos, » videlicet, purgatione sacrificiorum ; hoc est quod sequitur : « Surgensque diluculo offerebat holocausta per singulos, » scilicet septem holocausta, filii quippe septem erant. Et nota quia quia octavo die sacrificia dicitur offerre, plenus Spiritu septiformis gratiæ pro spe resurrectionis, quæ octava mundi ætate celebrabitur, Domino deservisse perhibetur. « Offerebat, » inquam, « holocausta. Dicebat enim : Ne forte, » id est, non affirmans, sed pro sollicitudine dubitans, « ne forte peccaverint filii mei et benedixerint, » id est, detraxerint Domino, per antiphrasin, « in cordibus suis. » Temere namque de alienis cordibus judicare non debemus. Quod nota, quod perfectos esse in opere et sermone docuerat, quibus de sola cogitatione metuebat, dicendo « in cordibus suis. » — « Sic, » id est, tam sancte, tam sollicite, « faciebat Job cunctis diebus, » id est perseveranter. Allegorice. » Vir nomine Job, » quod interpratur *dolens*, scilicet Dominus noster, qui « dolores nostros ipse portavit (*Isa.* LIII), » — « erat, » imo est, id est, habitat per fidem « in terra Hus, » id est, in corde populi consiliatoris regnat. Hus quippe *consiliator* interpretatur. Et « sapientia » Dei, scilicet Christus, « habito, inquit, in consilio, et eruditis intersum cogitationibus (*Prov.* VIII). » — « Et ille vir erat simplex et rectus, » id est mansuetus et justus, et timens Deum, juxta quod scriptum est : « Et replebit eum Spiri-

tus timoris Domini (*Isa.* XI) : » — « Et recedens a malo, » videlicet quia « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » — « Natique sunt ei septem filii, » id est apostoli gratia septiformis Spiritus implendi,« et tres filiæ, » id est,plebes infirmiores,sed tamen fide Trinitatis solidatæ. « Et fuit possessio ejus septem millia ovium,» id est innocentia perfectorum ex legis pascuis ad perfectionis gratiam venientium. « Et tria millia camelorum, » id est, in Trinitatem credentium fides gentilium, qui torti moribus, atque onusti criminibus, ab idolorum cultura venerunt, sive plebes Samaritanorum, qui sicut cameli quasi ruminant,sed nequaquam ungulam findunt, videlicet quia legem ex parte recipiunt, et ex parte contemnunt, dum fidem resurrectionis nesciunt. « Quingenta quoque juga boum et quingentæ asinæ. » **429** Numerus hic ex quinquagenario decies multiplicabo perficietur. Et quinquagenarius requiem jubilæi, denarius autem summam exprimit perfectionis. Boum quoquo nomine in præsenti Judæa, asinarum vero nomine gentilium figuratur stultitia. Idem ergo hic quod superius nominatis ovibus et camelis,et per boves et asinas designatur, videlicet quia æternam et perfectam requiem Judæa gentilitasque quasi quingenta juga boum et quingentæ asinæ Christo colliguntur possidendæ.Et quia per boum fidem prius stulta mundi,post etiam astuta collecta sunt,bene prius animalium multitudine descripta,in extremo ponitur,« ac familia multa nimis. » Eratque vir ille, scilicet de quo dictum est : « Ecce vir Oriens nomen ejus (*Zach.* VI), » magnus inter omnes Orientales, id est inter omnes sanctos in fide ejusdem Orientis consistentes, videlicet quia cæteros sanctos adoptio facit esse Orientales, illum autem Divinitatis natura verum Orientem exaltat. « Et filii ejus, » id est prædicatores ejus sancti apostoli, « ibant per domos, » id est per diversas regiones, « et faciebant convivium, » id est audientibus ministrabant epulas virtutum, « unusquisque in die suo, » id est in intellectu suo. « Cumque transissent in orbem dies convivii, » id est peracto ministerio prædicationis, mittens scilicet Spiritum sanctum, « sanctificabat eos, » videlicet quia pro prædicaturis apostolis Patrem Redemptor noster exoravit. Dicebat enim : « Ne forte peccaverint filii mei, » id est prædicatores mei, « et benedixerint, » id est maledixerint, « Deo in cordibus suis. » Maledicere enim Deo est, de ejus munere sibi gloriam præbere. « Sic faciebat Job cunctis diebus, » videlicet quia sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat,cum Patri suam pro nobis Incarnationem demonstrat. Moraliter : « Vir, » scilicet quisque electorum viriliter agens, « nomine Job, » id est dolens, videlicet de præsentibus, et ad æterna festinans, « erat, » imo est, « in terra Hus, » id est animum inhabitat consiliatorem,et omnia cum consilio agentem. « Eratque vir ille simplex, » etc. Istud non mutatur ab eo modo, quo supradictum

A est in historico sensu.« Natique sunt ei, » videlicet per conceptum bonæ cogitationis, « septem filii, » id est virtutes septem Spiritus sancti,« Spiritus sapientiæ et intellectus (*Isa.* XI), » etc. Nam, licet hæ gratiæ in solo Christo plenariæ requieverint, tamen eisdem quisque electus pro suo modulo participatur. « Et tres filiæ, » videlicet fides, spes, charitas, quarum pulchritudine, quidquid viriliter agit perornatur intrinsecus,et perfectionis summa, in septem filiis, et tribus his filiabus quasi denarius numerus impletur. « Et fuit, » scilicet in pascuis veritatis, « possessio ejus, » id est cogitationes ejus, « septem millia ovium,» id est innocuæ cum perfecta cordis munditia.« Nam in septem millibus, » perfectio ; in nomine « ovium, » munditia vel in-

B nocentia signatur. « Et tria millia camelorum, » id est item cogitationes sub cognitione Trinitatis sponte se in appetitu humilitatis inclinantes.Camelus enim portandis oneribus ultro dorsum præbet.Vel exemplo Domini, de quo dictum est : « Culicem liquantes et camelum glutientes (*Matth.* XXIII). » Aut certe qui habentes aliquid sæculi et aliquid Dei, non quidem se penitus findunt ab omni terreno opere, sed tamen ruminant, temporalia dispensando bene. « Quingenta quoque juga boum, » id est virtutes concordes sub jugo Christi, mentis duritiam exarantes, « et quingentæ asinæ, » videlicet motus lascivientes dominante restricti ratione.«Quingentæ» inquam, id est æternæ pacis, ut supradictum est, requiem perfectam desiderantes. « Ac familia multa nimis,» id est cogitationes innumeræ, quæ velut an-

C cillulæ, absente domina ratione,loquaciter perstrepunt,opus negligunt,sed illa redeunte conticescunt, propriumque opus repetunt. « Eratque, » imo est, « vir ille, » id est talis, « magnus, » scilicet contemplatione socius, « inter omnes Orientales, » id est mentes excedens inter cœlestes spiritus, Orientali,id est divinæ luci inhærens, dicensque : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III). » « Et filii ejus, » scilicet supradicti,eunt per domos « et faciunt convivium, » id est virtutes singulæ juxta modum proprium mentem pascunt, « unusquisque in die suo, » id est unaquæque virtus in illuminatione sua.« Et mittentes vocant tertio sorores suas, »id est fidem,spem et charitatem,» ut comedant et bibant cum eis,» id est gaudeant in omne opus bo-

D num cujusque virtutis.Et quia nonnunquam aliquantula elatione ipsa bona nos opera polluunt,bene subjungitur : « Cumque in orbem transissent dies convivii,» id est ubi peractus est sensus vel effectus cujusque virtutis,« mittebat Job et sanctificabat eos,» quia videlicet omne quod actum est districta retractatione vir sapiens studet emundare. « Consurgensque diluculo, » id est humanitatis noctem deserens, « diluculo, » inquam, id est in compunctionis luce « holocaustum per singulos offert filios, » id est pro unaquaque virtute devotæ precis immolat hostiam. « Dicit enim : Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis, » id est

ne forte virtutes meæ, dum bona in aperto exercent, in occulto noxia molitæ sint, et arrogando sibi quod sunt, Deo maledixerint. Quod bene et subtiliter Jeremias insinuat per viros quod ad offerenda Deo munera venientes in medio civitatis refert interfectos esse ab Ismael (*Jer.* XLI), quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, subripiente hoste, dum devotionis portant hostiam in ipso itinere, perdunt vitam thesauri; quibus se decem viri redemerunt ne interficerentur, spes est, quæ in agro pœnitentiæ recondita supradictis sacrificiis omnem virtutem ad perfectum emundat. « Sic faciebat Job, » id est sic facit iste dolens vir, « cunctis diebus, » videlicet quia frustra velociter in bono opere currit, qui priusquam ad metas, id est ad bravium vitæ perveniat, a proposito deficit.

B Ecce autem quasi quoddam speculum mentis nostræ oculis opponitur, cum talis viri tentatio describitur, qua diabolus non contra eumdem Job, sed ipsum habens pro materia contra Deum certamen hoc ordine proponit.

VERS. 6. — « Quadam autem die. » Primo notandum quia tentatio viri justi, qua ad victoriam ducitur, a die cœpta perhibetur. Econtra divitis anima in Evangelio nocte repetitur (*Luc.* XII), et Salomon nocte sapientiam accepit non perseveraturus (*III Reg.* III). « Quadam ergo die cum venissent filii Dei, » scilicet electi angeli, qui per Paulum omnes dicuntur administratorii spiritus (*Hebr.* II), cum inquam hi « filii Dei, » qui ad nos mittuntur « venissent, » videlicet spiritus conversione, et « assisterent coram Domino, » unde nulla discedunt mentis aversione, « adfuit inter eos etiam Sathan. » — « Adfuit, » inquam, ita ut videretur non ut videret, « inter eos, » id est cuncta videntem latere non valens, sicut cæcus solem non videns solis radiis perfunditur.

C VERS. 7. — « Cui, » videlicet non electis angelis, sed Satan quem nescit, id est quem reprobat, « dixit Dominus : unde venis ? » Videlicet quia dignum est ut itinera ejus, quæ judicans damnat, quasi nesciens requirat. Hoc est dicere Dei, « unde venis ? » itinera malitiæ ejus increpare. « Respondens Satan, » cujus utique respondere est, omnipotenti majestati nil posse celare, « ait : Circuivi terram, et perambulavi eam. » Bene, quia quietus in cœli culmine stare contempsit, **430** idcirco laborans et anxius terram non transvolat, sed peccati pressus pondere perambulat, et ad gyrum laboris circuit, juxta illud : « In circuitu impii ambulant (*Psal.* XI). »

D VERS. 8. — « Dixitque Dominus : Nunquid considerasti servum meum Job, » subintellige qualis sit, et perspexisti, « quod non sit similis ei super terram ? » Hoc dicere Dei est tales electos suos justificando facere, qualibus angelus apostata possit invidere. « Vir simplex, » etc. Hoc superius jam dictum est.

VERS. 9, 10. — « Nunquid frustra, » id est gratis, Job, qui tot bona in terra recepit, « timet Deum, » id est innocenter se gerit? Hoc dicere diaboli est,

A invidendo rimas reprobationis exquirere, et quasi vermem ad virentis arboris radicem ponere.

VERS. 11. — « Sed extende, » subintellige usque ad me, « manum, » id est potestatem tuam, videlicet feriendi licentiam, « et tange, » id est tangere me permitte, « cuncta quæ possidet. » Ac si dicat : Cuncta quæ dedisti subtrahe ; « nisi in faciem benedixerit tibi, » id est nisi gratiam favoremque tuum maledicendo contempserit. Hoc dicere diaboli est ad afflictionem bonorum malitiæ æstibus anhelare.

VERS. 12. — « Ecce, » subintelligere ad cursum malitiæ te relaxo, « universa quæ habet, » id est cuncta substantia ejus et filii ejus, « in manu, » id est in potestate tua sunt ; « tantum, » subaudi, hoc prohibeo, « ne in eum, » id est in corpus ejus, « extendas manum. » Ac si dicat : Non sic laxo te hostem, ut undique feriam civem. « Egressusque, » id est relaxatus est « Satan a facie Domini, » id est a disciplinæ vinculis, videlicet, quia diu ligata voluntas ad opus processit.

VERS. 13. — « Cum autem, » subaudi illo quærente tempus aptum tentationi, « quadam die filii ejus et filiæ comederent et biberent in domo fratris sui primogeniti, » videlicet dispensante et providente nobis Deo, quia prænuntia tribulationis est lætitia satietatis.

VERS. 14-19. — « Nuntius venit ad Job, qui diceret : Boves arabant, et asinæ, » etc. Hæc et cæterorum verba nuntiorum, nunc interim in historico sensu expositione non indigent, nisi quod callide tentatoris instinctu damna et multa nuntiantur et subita, dum adhuc illo vel illo loquente venit alius, et quod hic ait, « boves arabant, » ut videlicet memorato fructu operis causa crescat doloris, « alius autem : Ignis, inquit, Dei cecidit de cœlo, » « ignis, » inquam, « Dei, » tanquam si diceret, illius animadversionem sustines, quem tot hostiis placare voluisti.

VERS. 20. — « Tunc, » id est tandem, scilicet liberis amissis, « surrexit Job et scidit vestimenta sua, » quod videlicet magni doloris indicium erat, « et tonso capite, » videlicet quia capillos tempore tranquillitatis ad ornatum servaverat, « corruit in terram et adoravit, » videlicet tenens duo præcepta charitatis ; corruit, amorem proximorum in dolore exprimens, et adoravit amorem Dei non deserens. Et vigilanter attendit qualis huc venerit, id est qualis natus sit.

VERS. 21. — « Nudus, » inquit, id est nihil habens, « egressus sum de utero matris meæ, » terram videlicet quæ nos omnes genuit matrem suam nominans. Sequitur enim : « Nudus revertar illuc, » scilicet quando sepeliar mortuus. Magis autem ex justitia Conditoris consolationem sibi adhibens, « Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit. » — « Dominus, » inquam, non diabolus « abstulit. » Auferendo ergo qui dedit, sua recepit, non mea abstulit. Et ad Deum, cui nonnisi justum placet, suæ volun-

tatis studium inclinans, « sicut Domino placuit, A inquit, ita factum est. » Totumque quod rectum sentit benedictione concludit, gloriæ personans hymnum : « Sit nomen Domini benedictum. »

Vers. 22. — « In omnibus his non peccavit Job labiis suis, » id est interioribus labiis, « neque » ore exterius « stultum aliquid contra Deum locutus est. » Allegorice. Cuncti dies quibus sine intermissione, ut supradictum est, holocaustum corporis et sanguinis sui pro nobis Redemptor noster immolat, dies unus est, dies manifestatæ sapientiæ, dies salutis, de quo Apostolus : « Ecce nunc, inquit, tempus acceptabile, nunc dies salutis (*II Cor.* vi). » Et Psalmista : « Hodie si vocem ejus audieritis (*Psal.* xciv). » De hac die nunc dicitur : « Quadam autem die cum venissent, « videlicet in recordationem, « filii B Dei, » scilicet qui erant dispersi, « ut assisterent coram Domino, » id est « congregarentur in unum, » sicut ait evangelista (*Joan.* xi), « adfuit inter eos, » scilicet servientes ad electorum adjutorium, « et Satan, » videlicet serviens ad probationem ipsorum. « Cui dixit Dominus. » Quid sit dicere Dei, quid respondere Satan, jam supradictum est. « Unde venis ? » Increpatio est, videlicet quia qui ante quasi non visus tolerabatur, incarnato Domino, diabolus increpatur. « Circuivi terram, » videlicet gentes omnes post me traxi ab Adam, « et perambulavi eam, » id est nullum a reatu liberum reliqui. « Nunquid servum meum Job, » id est Christum in forma servi, « considerasti ? » id est deprehendisti videlicet quia dicis : « Quid mihi et tibi ? scio quia Filius Dei es (*Marc.* i). » — Considerasti, inquam, quod non sit in C terra, » id est in hominibus qui tantum homines sunt, « similis ei, » videlicet quia Deus et homo est, « Homo simplex, » etc. Hoc superius expositum est. « Et Satan, » quia idipsum quod de divinitate ejus suspicatus fuerat, in dubium sibi venit præ superbia, « Nunquid, ait, frustra, » et non magis pro præsenti qua remuneratur miraculorum gloria, hic « timet Deum, » adeo recedens a malo, ut Deus putetur, cum sit homo. « Nonne » ideo absque peccato incedit, quia « tu eum, » id est animam ejus, ne possit tentari ut cæteri homines, « vallasti, ac domum, » id est corpus ejus, « universamque substantiam per circuitum, » id est electos ejus ut invadere non præsumam ? « Operibus, » scilicet miraculis, « manuum, » id est curationum, « ejus benedixisti, » videlicet ut D multa sint, « et possessio ejus crevit in terra, » id est credentes in eum muliplicati sunt. Hæc Satan Deo dixisse, est, talia invidendo sensisse. « Sed extende » et cætera usque : « Cum autem quadam die, » sicut superius accipienda sunt, nisi quod ait, « in manu tua sunt. » In qua nunc accipi debet potestas non perdendi sed tentandi, et cribrandi sicut triticum (*Luc.* xxxii). « Cum autem quadam die, filii ejus et filiæ, » id est apostoli et inferiores discipuli, « in domo fratris sui primogeniti, » id est intra fines Judaici populi, qui ideo primogenitus dictus est, quia ad cultum Dei prior venit quam gentes, « comederent et biberent vinum, » id est prædicarent Evangelium, « nuntius » videlicet sermo propheticus, « venit, » id est impletus est, qui diceret : « Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuerunt scientiam (*Isa.* v). » Videbit hoc modo : « Boves arabant, » id est boni operatores concorditer verbo instabant, « et asinæ, » id est simplices « pascebantur, » id est docebantur, « juxta eos, » id est eorum doctrinæ consentientes, « et irruerunt Sabæi, » id est captivantes, videlicet spiritus maligni, « tuleruntque omnia, » videlicet in infidelitatis captivitatem, « et pueros, id est nondum in fide robustos, « percusserunt gladio, » scilicet desperationis, « et effugi ego, » subaudi propheticus sermo, « solus, » videlicet quia cunctis superstes persecutionibus Christum annuntiat sermo propheticus. « Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, » id est aliud de sermone prophetico impletum est, scilicet hoc : « Zelus ignis apprehendit populum ineruditum. » Quod tali modo in impletum est : « Ignis Dei, » id est flamma invidiæ, Deo permittente, « cecidit, » id est exarsit, « de cœlo, » id est a præpositorum cordibus, qui cœlum dicuntur, juxta illud : « Attende, cœlum, et loquar (*Deut.* xxxii), » ob « tactas oves, puerosque, » id est ad consensum sui tactos simplices, « consumpsit, » id est a fide subvertit.

431 Vers. 17. — « Venit alius, » id est, impletum est aliud de sermone prophetico, verbi gratia istud : « Et tenentes legem nescierunt me (*Jer.* ii). » Impletum est, inquam, hoc modo : « Chaldæi, » id est feroces, scilicet persecutionis auctores, « fecerunt tres turmas, id est Pharisæi, Herodiani, et Sadducæi, diviserunt se, « et invaserunt camelos, « id est, infirmorum mentes, verbi gratia Samaritanos, « et tulerunt eos, » id est, a fide et spe resurrectionis avertere moliti sunt, et cætera ut supra.

Vers. 18, 19. — « Et ecce intravit alius, » id est, impletum est aliud de sermone prophetico, scilicet hoc : « Proximi mei a longe steterunt (*Psal.* xxxvii) ; » vel illud : « Percutiam pastorem et dispergentur oves (*Zach.* xiii). » Hoc, inquam, hoc modo impletum est. « Filiis tuis et filiabus vescentibus, » ut supra expositum est, « repente ventus vehemens, » id est tentatio fortis, « irruit a regione deserti, » id est, a Judæis Deo desertis, vel a spiritibus immundis, et concussit, » id est, ad persecutionem commovit, « quatuor angulos domus, » id est, quatuor ordines Synagogæ, videlicet sacerdotes, Scribas, seniores et Pharisæos. « Quæ corruens, » scilicet in persecutionis crudelitatem, « oppressit liberos tuos, » id est, desperatione obruit apostolos.

Vers. 28. — « Tunc surrexit Job, » videlicet in mortuis, vel ad vindictam se erexit, « et scidit vestimenta sua, » id est, Synagogam quæ sibi adhæserat a se rejecit, « et tonso capite, » id est, a principibus abrasa sacerdotii dignitate, « corruit in terram, » id est, venit ad gentium notitiam. Terra namque hoc loco est gentilitas peccatrix, videlicet

quia peccanti homini dictum est : « Terra es et in terram ibis (*Gen.* III). » — « Et adoravit, id est, adorantes fecit juxta illud : « Propterea confitebor, » id est, confessores acquiram, « tibi in gentibus, et nomini tuo cantabo (*Psal.* XVII), » id est, cantari faciam.

VERS. 21. — « Nudus, » inquit, id est, homo purus et absque ornatu divinitatis esse reputatus, « egressus sum, » id est recessi « de utero, » id est, a carnali sensu, « matris meæ, » videlicet Synagogæ. In cujus rei typum cum mulier Ægyptia Joseph incestis amplexibus tenere vellet, ille relicto pallio in manu ejus nudus profugit ab ea (*Gen.* XXXIX). Sic Dominus noster, relicta in manu Synagogæ legis littera, qua ejus conteguntur sacramenta, confugit ad gentes, dicens : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, » ut supra dictum est. Nudus in divinitate, conspicuus revertar illuc, videlicet in mundi termino, cum multitudo gentium subintroiret (*Rom.* XI). Dominus a quo per hoc quod homo sum accepi omnia, dedit, scilicet Synagogam exspectantem meam Incarnationem, dominus abstulit, scilicet eamdem meam præsentiam contemnentem. In omnibus his non peccavit Job : « Peccatum quippe non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isa.* LIII ; *I Petr.* II). » MORALITER. Quia talis est unusquique qualis et cogitatio ejus, tunc veniunt, scilicet filii Dei, ut « assistant coram Domino, » cum cœlestia volvimus in palatio mentis per amplitudinem contemplationis, id est inter eos et Satan, cum se interserit, ut bene cogitata perturbet. Cætera, usque : « Egressus est Satan a facie Domini ; » sic sunt accipienda pene ut superius. Egresso itaque Satan, id est, permisso eum tentari, quem necesse est tentationibus erudiri, sequitur : « Cum autem quadam die filii et filiæ ejus, id est, virtutes superius dictæ, « comederent et biberent, » id est, epulas vitæ sumerent « in domo fratris sui primogeniti, » id est, in sacramentis fidei, primogenita namque virtutum omnium fides est, « sine fide quippe Deo placere impossibile est (*Hebr.* XI), » — « nuntius venit, » id est, discretio ad conscientiam recurrit, quæ pereuntibus plerumque aliis virtutibus sola superest, « Boves, » inquit, « arabant, » id est, graves meditationes in bonis studiis, verbi gratia, in sacra Scriptura, se exercebant, « et asinæ, » id est, simplices motus cordis, « pascebantur juxta eos, » id est, juxta sensum ejusdem Scripturæ regebantur, « et irruerunt Sabæi, » id est spiritus maligni, « et tulerunt omnia, » videlicet in malis desideriis juxta nomen suum captivantes ea, « puerosque » custodes, id est, cordis circumspectiones, « gladio percusserunt, « id est, suo præventu diruerunt. « Venit alter. » Eadem discretio nuntius alter dicitur, dum nuntiat aliud, et dixit : « Ignis Dei, » id est invidia permissu Dei, « cecidit de cœlo, « scilicet aerio, id est ab immundis spiritibus, qui in aere vagantur. « Et tactas oves, » id est innocentiam « puerosque, » id est, cordis munditiam tangendo inflam-

A matione pravæ suggestionis « consumpsit. » Dixit et hoc : « Chaldæi, » id est feroces, scilicet iidem maligni spiritus, « fecerunt tres turmas, » id est, illicito opere, superflua locutione, inordinata cogitatione mentem impetivere, « et camelos, » id est bonas rerum temporalium dispensationes, « et pueros, » id est sensus istis præsidentes, gladio imprudentiæ percussit [perscusserunt]. Dixit et hoc : « Filiis tuis et filiabus, » et cætera ut supra, « repente ventus vehemens, » id est tentatio fortis, « irruit a regione deserti, » id est a spiritibus immundis Deo desertis, « et concussit quatuor angulos domus, » id est quatuor constantiæ virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. « Quæ corruens oppressit liberos tuos, id est, omnes virtutes exstinxit.
B « Tunc surrexit Job, » id est, post hæc, respiciente Domino, is qui tentatus est, ad decertandum assurgit, « et scidit vestimenta sua, » id est, cuncta sua retractat opera, « et tonso capite, id est, rejectis cogitationibus vanis, « corruit in terram, » id est, confitetur infirmitatem suam, et « adoravit, » peccata sua confitens : « Nudus, » inquit, » egressus sum, » id est, nullis meis meritis renatus sum, « de utero matris meæ, » videlicet primæ gratiæ. « Nudus, » id est, in sola misericordia, spem habens, « revetar illuc, » id est, ad eamdem gratiam. Dominus misericorditer dedit, Dominus juste abstulit, sicut Domino placuit, scilicet tollendi potestatem habenti sicut et largitatem dandi, ita factum est, videlicet et ad ejus judicium recurrere dignum est. « Sit nomen Domini benedictum, » id est in
C omnibus judiciis suis benedicam Dominum. Et hoc modo loquens, « in omnibus his non peccavit Job, » videlicet solerti cura custodire dolens animus debet ne ignis qui hunc velut aurum concremat, per excessum sermonis illiciti in paleæ favillam vertat. Hoc idem quod de virtutibus dictum est, de donis Spiritus sancti sentire nil obstat. Alii namque prophetæ, alii genera linguarum, alii virtutes curationum dantur (*I Cor.* XII). Sed quia ipsa dona non semper in mente eodem modo sunt, liquido ostenditur quod ne se mens in præsumptione elevet, aliquando utiliter subtrahantur. Quod cum fit, dicatur recte : « Dominus dedit, Dominus abstulit, » etc.

Quia Satan in primo certamine se succubuisse considerat, adhuc imprudenter de sancto viro mala
D sperans, malus enim bona credere non potest, vel experta, ad alia se tentationum bella hoc ordine restaurat.

CAP. II, VERS. 1, 2, 3. — Factum est autem cum quadam die, » usque « Tu autem commovisti me. » Hæc superius disserta sunt, et hic non mutantur. Non tamen ut prius, ita nunc accipiendum est, quod ait, « unde venis. » Nam quia victus est, nunc infirmitas ejus superbiæ increpatur, ac si aperte dicatur : Ecce ab uno in infirma carne posito homine vinceris, qui te contra me auctorem omnium erigere conaris ? « Tu autem, » inquit, « commovisti me adversus eum, » subaudi detrahendo

illi. « Commovisti » nostro more dicit qui nonnisi commoti percutimus. « Ut affligerem eum, » subaudi tibi permittens, « frustra, » id est, pro nulla recidenda culpa, videlicet, **432** ut in dicto Domini veritas, in facto autem rectitudo teneatur, non frustra percutitur, quia augetur meritum : et tamen frustra percutitur, quia nullum punitur admissum.

VERS. 4. — « Respondens Satan, pellem, ait, pro pelle. » Adhuc detrahit, videlicet hoc asserens, quod idcirco Job æquanimiter flagella patitur, quia cavet ne ipse feriatur, sicut sæpe dum venire ictum contra faciem cernimus, manum palpberis apponimus, ut ab ictu oculos defendamus. Hoc est quod ait, « pellem pro pelle dabit homo. » Nam exponens quid dixerit, « cuncta, » inquit, « quæ habet homo dabit, » id est permittet auferri, « pro anima, » id est, pro vita sua, videlicet ne si irascatur et maledicat, percutiatur et ipsa.

VERS. 5. — « Alioquin, » id est, si ita esse non concedis, « mitte, » id est, mihi permitte, « manum, » id est potestatem tuam, « et tange, » id est, tangere sine me, « os ejus et carnem, et tunc videbis, » id est, sic experieris, « quod in faciem benedicat, » id est, maledicat per impatientiam, « tibi. »

VERS. 6. — « Ecce, » inquit Dominus, subaudi extendo. « In manu, » id est in potestate, « tua est » qualiter et quantum velis percutere; « verumtamen animam illius serva, » id est non penitus occidas.

VERS. 7. — « Egressus ergo Satan a facie Domini, » scilicet eo modo quo jam superius dictum est, « percussit Job ulcere pessimo. » In eo quod ait « pessimo, » qualitatem ulceris, in eo quod ait, « a planta pedis usque ad verticem, » quantitatem exprimit.

VERS. 8. — « Qui, » subaudi recte pensans quid esset, videlicet quia corpus ejus vas fictile confractum erat, « testa, » id est vasis fictilis fragmento, « saniem, » imo testa testam, luto lutum « radebat, » non digitos, non vestis mollitiem vel sic percussæ carni impertiens. « Sedens in sterquilinio, » videlicet ut fragilitatem suam considerans etiam ex circumstantibus vim suæ despectiones augeret, ponebat in sterquilinio corpus, ut quid esset carnis substantia perpenderet animus, et hoc ex loci fetore caperet, quod festine corpus ad fetorem rediret. Cum autem in alto mentem fixerat, quærit hostis inferior scalam, id est conjugis cor, per quam ad cor ejus ascenderet, videlicet antiquæ artis insidias repetens. Nam, quia scit quomodo Adam soleat decipi, ad Evam recurrit.

VERS. 9, 10. — « Dixit autem illi uxor sua : Adhuc permanes in simplicitate tua ? » Verba sua Eva repetit. Nam quid est dicere simplicitatem deserere, nisi obedientiam contemnere ? Et quid est dicere, « benedic Deo et morere, » nisi transcendendo præceptum ultra quam es conditus vivere ? Sed Adam noster fortis in sterquilinio jacens, qui in paradiso quondam debilis stetit : « Locuta es, » inquit, « quasi

A una de stultis mulieribus. » Non ait quasi una ex mulieribus, sed « quasi ex ineptis mulieribus, » videlicet quia non sexus, sed voluntas mulieribus in vitio est, et quod pravum sapiunt, accedentis stultitiæ, non autem conditæ est naturæ. « Si bona, » scilicet dona vel temporalia vel æterna « accepimus de manu Domini, « mala, » scilicet flagella præsentia, « cur non sustineamus ? » — « In omnibus his non peccavit Job labiis suis, » etc., id est, nec contra ferientem superba dixit, nec contra suadentem recta reticuit.

VERS. 11. — « Igitur audientes tres amici Job, » etc. Quod boni studii fuerint, non solum ex eo liquet quod veniunt ad consolationem afflicti, sed ex eo quoque quod tanti viri fuerunt amici.

B VERS. 12, 13. — « Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, » videlicet quia plaga percussi speciem mutaverat. Cætera per se satis patent. Sed utrum « septem continuis diebus et septem noctibus cum afflicto sederint, » an certe diebus et noctibus totidem instantia visitationis adhæserint, ignoramus. ALLEGORICE. Ibi nunc allegoriæ initium ponendum est, ubi post verba sæpius repetita novi aliquid adjungitur. « Commovisti me, » inquit, « adversus eum, » sed innocentem Christum, tunc scilicet, cum in primum hominem, propter quem hic secundus ad flagella venit, commotus sum. « Commovisti, » inquam, « frustra » scilicet, quia peccatum non fecit (*Isa.* LIII). « Pellem pro pelle, » et ut supra. « Verumtamen animam illius serva, »
C id est in infermo posse teneri ne confidas. « Egressus Satan, » etc. « A planta pedis usque ad verticem, » id est a puris hominibus, Abel et cæteris inchoans, usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit. « Qui testa, » videlicet carne sua, per resurrectionem solidata, « saniem rasit, » id est peccata nostræ carnis delevit, « sedens in sterquilinio, » id est requiescens gentilitate quam prius abjecerat, et gaudens super peccatore pœnitentiam agente. « Dixit autem illi uxor sua, » id est carnales quique qui sunt in Ecclesia dicunt corpori Christi, quod est vera Ecclesia quando est in afflictione posita. « Adhuc permanes in simplicitate tua, » videlicet transitoria despiciens, et sola æterna concupiscens? « Benedic Deo et morere, » id est æterna despice et mala præsentia moriens evade. « Locuta es, » inquit
D electus quisque, « quasi una de stultis mulieribus, » scilicet de illis unus qui fluxa sectando merito mulieres vocantur. « Si bona suscepimus de manu Domini, » id est si ad bona æterna tendimus, « cur mala » temporalia « non sustineamus ? » — « In omnibus his non peccavit, » etc., ut supra. « Igitur audientes tres amici Job. » Amici beati Job hæreticorum speciem tenent, videlicet quia et si bona intentione conveniunt, ad culpam tamen indiscrete loquendo dilabuntur. Quorum scilicet hæreticorum perversitas ex istorum quoque nominum interpretatione colligitur. Eliphaz namque *Dei contemptus*, Baldad *vetustas sola*, Sophar *speculum dissipans* interpretatur. Specu-

lum, » inquam, id est mysteria fidei contemplantes, A hæreticus impugnando dissipat. Nomine quoque locorum de quibus conveniunt, scilicet Theman, id est *Auster*; Sui, id est *loquens*; Naama, id est *decor*, ad idem respiciunt, videlicet, quia sunt hæretici calidi ut Auster, scilicet ad rixam calentes, sunt et elate eloquentes, sunt et decori, scilicet superfluo nitore eloquii. « Condixerant enim » sibi, videlicet quia concorditer adversus Ecclesiam sentiunt, licet inter se discordes sint, « ut pariter venientes, » id est in falsitate sibi concordantes, « visitarent eum et consolarentur, » videlicet quia dum sanctam Ecclesiam docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. « Cumque elevassent procul oculos suos, » videlicet, quia in imo sunt qui terrena sapiunt, « non cognoverunt eum, » id est Ecclesiam in B vulneribus positam pro spe futurorum non cognoscunt, quia præsentia ipsi pro magno appetunt. « Scissisque vestibus, » id est sequaces suos in multis scindentes partibus, « sparserunt pulverem, » id est terrenam intelligentiam, « super capita sua, » id est super corda sua in cœlum, id est contra supernæ locutionis præceptum. « Sederuntque cum eo in terra, » quia videlicet quasi infirmanti sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, « septem diebus, » id est in cunctis in quibus verum lumen intelligunt, nam per septenarium universitas, per diem designatur intelligentia, « et septem noctibus, » id est in cunctis in quibus ignorantiæ tenebras patiuntur. Vel in terra cum Job sedere est, cum sancta Ecclesia veram Redemptoris carnem credere. Unde C Dominus ait : « Altare de terra facietis mihi (*Exod.* xx), » id est in incarnatione mediatoris sperabitis. « Et nemo loquebatur ei verbum, » scilicet eo tacente, videlicet quia hæretici mutis nobis amici sunt, loquentibus adversantur, unde et causa subditur : « videbant enim dolorem esse vehementem, » videlicet quia tunc loqui metuit adversarius, cum per amorem **433** Dei vehementi dolore transfigimur. MORALITER. Quod Satan beatum Job « a planta pedis usque ad verticem » percussit, id significat juxta moralitatem quod cum licentiam percipit, omne corpus mentis illatis tentationibus transfigit : quod « testa saniem radebat, » hoc designat quod vigor districtionis dijudicando mundat omnes pullulutiones cogitationis. Quod « in sterquilinio sedit, » illud innuit quod humiliatus animus pœnitendo peccata sua D sibi apponit. Quod « uxor ait : Adhuc permanes in simplicitate tua, » etc., id significat quod carnalis suggestio mentem desperationis incursu fatigat. « Amici » quasi pro consolatione conveniunt, vitia sunt quæ sub specie virtutem se contegunt, verbi gratia, cum immoderata ira justitia, dissoluta remissio videri vult misericordia. Quod « nemo loquebatur ei verbum, eo quod viderent dolorem vehementem, » id significat, quia triste cor mox ut vitia pulsaverint reprobata resiliunt. Si enim cor veraciter dolet, linguam contra nos vitia non habent.

CAP. III, VERS. 1, 2. — « Post hæc aperuit Job os suum, » scilicet jam victor, in omnibus his non peccando labiis suis, « neque stultum quid contra Deum loquendo (*Job.* I). » — « Post hæc, » inquam, jam quietus, non commotus; sed tranquillus, jam supergressis omnibus propter quæ moveri potuerat, « aperuit os suum. » Quæ positio reverenter exspectanda indicat ea quæ subjecta sunt, quia videlicet pretiosum est, quod in illo tanquam clauso vasculo continebatur, quod nunc aperto ore depromitur. « Et maledixit diei suo. » Non enim sicut littera sonat, ita simpliciter ea quæ loquitur sunt accipienda. Nam cur vir tantus malediceret rei, quam nequaquam subsistere non ignoraret ? Nempe hoc esset verbum otiosum, de quo sine dubio in die judicii ratio reddenda est (*Matth.* XII). Maledicit ergo diabolum, et hoc non livore vindictæ, sed judicio justitiæ, quasi victor super victum dignas proferens sententias, hoc modo :

VERS 3. — « Pereat dies in quo natus sum. » Ac si aperte dicat : Pereat angelus apostata, qui Adæ in paradiso diem se simulans promittendo divinitatem emicuit dicens : « Et aperientur oculi vestri (*Gen.* III); » sed noctem se exhibens lucem immortalitatis eidem homini obscuravit. Non enim ait : Pereat dies in qua conditus sum, homo quippe in die justitiæ conditus est, sed « in qua natus sum, » inquit, qui in tempore culpæ omnis homo nascitur. « Pereat, » inquam, non ita ut non sit, sed ita ut male sit. Sequitur enim paulo post : « Et involvatur amaritudine. » Involvi namque amaritudine non potest, quod omnino perditum, penitus non est. « Pereat, » inquam, « dies, » scilicet diabolus, « et nox, » id est idem ipse qui simulate quidem dies, sed vere nox est, « in qua, » id est secundum cujus malitiam, « dictum est, » scilicet a Deo, « Conceptus, » id est deceptus est « homo. » Tunc scilicet quando dixit ironice : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est (*Gen.* III). »

VERS. 4. — « Dies ille, » videlicet qui illudit simulato lumine, « vertatur in tenebras, » id est qualis est, scilicet tenebrosus esse appareat, videlicet ne fictis prosperitatibus, quasi diei lumine, illudat et veris tenebris ad peccati tenebras pertrahat. « Non requirat eum Deus desuper. » Ac si dicat : Hominem quidem, qui ex infirmitate in culpam aliena malitia cecidit, « requirat, » id est redimat; eum autem qui nihil infirmum ex carne gestans superbiendo propria malitia corruit, « non requirat, » id est non redimat, « et non illustretur lumine, » id est nunquam pristini status lumen recipiat.

VERS. 5. — « Obscurent eum tenebræ, » id est erroris sui cæcitas eum obruat, « et umbra mortis, » id est oblivio, quia sicut mors vitam, ita oblivio exstinguit memoriam, ut videlicet nequaquam ulterius ad lucem pœnitentiæ per divini respectus memoriam surgat. « Occupet eum, » videlicet nunc ante extremum supplicium, « caligo, » id est sui erroris confusio, « et involvatur, » scilicet in futuro, « amaritudine, » id est æterno crucietur, et quasi in volucro, ligetur tormento gehennæ.

Vers. 6. — « Noctem illam, » scilicet, quæ ut dictum est, diem se simulat, « tenebrosus turbo possideat, » tunc scilicet quando « Deus noster manifeste veniet, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* xlix). » — « Non computetur in diebus anni, » id est cum electis hominibus vel angelis, qui quasi dies sunt illius anni, id est et pleni et perfecti temporis, imo infiniti sæculi, de quo Isaias in persona Christi : « Ut prædicarem, inquit, annum placabilem Domini (*Isa.* lxi) : » — « nec numeretur in mensibus, » id est cum multiplicatis Ecclesiis, vel cum ordinibus angelicis : nam sicut mensis multiplicatis diebus, sic singulæ Ecclesiæ de multis hominibus, et singuli ordines angelorum de multis angelis perficiuntur.

Vers. 7. — « Sit nox illa solitaria, » id est separetur a supernæ patriæ frequentia, « nec laude digna, » laude scilicet divinitatis, cujus appetitu cecidit, quamque sibimet usurpare ausus est in idolis.

Vers. 8. — « Maledicant ei, » subaudi nocti, qui tenebras ejus damnant omnes spiritus electi, « qui maledicunt diei, » id est qui fictæ ejusdem adversantur claritati, nolentes superbiam ejus sequi, « qui Leviathan, » quod interpretatur *additamentum eorum*, videlicet quia primis hominibus bene conditis divinitatem se addere spopondit, « Leviathan, » inquam, nunc in puteo abyssi clausum, « suscitare, » id est ad apertiora certamina in fine mundi revocare « parati sunt. »

Vers. 9. — « Obtenebrentur, » subaudi nunc interim, « stellæ, » id est hypocritæ, « caligine, » id est malitia « ejus, » videlicet ut tales foris appareant, quales apud semetipsos intus latent. « Exspectet lucem. » Hoc ad corpus ejus referendum est, id est ad eosdem hypocritas, vel ad omnes qui fidem, quam nomine tenus tenent, operibus destruunt. « Exspectet, » inquam, corpus ejus « lucem. » id est Christum, juxta illud : Tollatur impius ne videat gloriam Domini, « nec ortum, » subaudi, videat, « surgentis auroræ, » id est exordium in judicio clarescentis Ecclesiæ, quia in judicio quasi aurora, in regno autem erit quasi dies plena. Quod tamen in Judæa, quæ de hoc eodem est corpore, et dicitur Synagoga Satanæ, jam impletum est in eo quod lucem, id est Christum venturum exspectavit, et præsentem videre noluit.

Vers. 10. — « Quia non conclusit. » Ad ipsum caput revertitur, causasque tantarum maledictionum reddens, « quia non conclusit, » ait, id est conclusa esse non permisit, « ostia ventris, » scilicet paradisi, « qui portavit me, » id est concepit genus humanum in plasmatione Adam et Evæ. « Non conclusit, » inquam, sed potius ut ad ejiciendum hominem aperiretur, in corde ejusdem hominis cœlestia mandata dissolvit. « Nec abstulit mala ab oculis meis, » id est irrogavit. Nam quasi auferret, si quiesceret, et quasi clauderet, si ab irruptione cessaret. Sic de latronibus loquimur, qui captis suis

A donant vitam si non abstulerint. Moraliter. Beatus Job mortalitatis lapsum per prospera et adversa variantem cum despectabilem cerneret, maledicendo declaravit dicens : « Pereat dies, » id est prosperitas vel delectatio peccati, « in qua natus, » id est in opus peccati traductus sum, « et nox » id est adversitas vel cæcitas mentis, « in qua, » id est cujus occasione, « dictum est : Conceptus est homo, » id est ad consensum peccati perductus est infirmus. « Homo » enim aliquando pro infirmitate ponitur, sicut scriptum est ; « Maledictus qui spem ponit in homine (*Jer.* vii). » — « Dies illa, » id est eadem delectatio, « vertatur in tenebras, » id est in ipso sui exordio cognoscatur, **434** ad quem finem perditionis rapiat, et cum blandiri culpa inchoat, finem
B quoque, id est pœnam subsequentem, mens sollicita prævideat. « Non requirat eum, » id est ignoscat, « Deus desuper, » subaudit veniens in judicio, « et non illustretur lumine, » id est tunc in conspectu omnium non publicetur. « Obscurent eum, » scilicet diem, « tenebræ, » id est misericorditer occupent inscrutabilia judicia Dei ; « tenebræ, inquam, et umbræ mortis, » id est mors carnis Christi, quæ ideo dicitur umbra mortis, quia comparatione veræ mortis, quæ est animæ, qua nos mortui eramus, umbra tantum, id est quædam similitudo mortis exstitit. Unam enim et simplam tantum mortem, scilicet carnis misericorditer accepit, et duplam nostram, id est carnis et animæ, mortem subegit. Idem ipse quoque significare voluit, cum uno tantum die, sed noctibus duabus in sepulcro jacuit. Bene ergo di-
C citur, « et umbra mortis. » — « Occupet eum, » id est digno mœrore, perturbet « caligo, » id est pœnitentiæ afflictio, « et involvatur amaritudine, » id est cruciatu vel fletu ejusdem pœnitentiæ. « Noctem illam, » noctem scilicet supradictam, « tenebrosus turbo, » id est spiritus mœrore concitatus possideat vel conterat juxta quod scriptum est. « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis (*Psal.* xlvii), » id est spiritu pœnitentiæ confundes *explorationem gaudii*. Hoc enim interpretatur Tharsis. « Non computetur, » id est et hoc modo fiat, ut « non computetur in diebus anni, » videlicet completo vitæ præsentis tempore, quod significatur per annum, quando computabuntur hujus anni dies, id est præsentis vitæ virtutes, « non computetur » illa nox peccati
D « in diebus anni, » id est in virtutibus, quas, si in illis computetur, obscurabit, « nec numeretur in mensibus, » id est in multiplicibus factis virtutum, quæ facta ex virtutibus, sicut menses peraguntur ex multiplicatis diebus. Ac si aperte dicat : Quando bona computabis, Deus, ut remuneres, non etiam mala quæ commissa sunt, contra requiras. « Sit nox illa, » subaudi culpa, « solitaria, » id est nulla defensione geminata, quomodo geminavit Adam in eo quod ait : « Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit, et comedi (*Gen.* iii). » — « Solitaria, » inquam, « sit, nec laude digna, » id est nulla adulatione fota, sicut fit « quando laudatur peccator in

desideriis animæ suæ (*Psal.* x). » Qui vero culpam A suam veraciter insequitur, designatur, cum subditur : « Maledicant ei, id est pœnitendo feriant eam, subaudi culpam, illi « qui maledicunt diei, » id est qui despicientes calcant mundana, lucem prosperitatis videlicet, quia tales veri sunt pœnitentes. « Qui parati sunt suscitare Leviathan, » id est qui vera conversione sua malitiam contra se diaboli invidentis inflant, videlicet ita ut quasi excitatus tentationum jacula intorquendo confodere appetat cor sibi repugnantis, quod dudum quieto jure possidebat. Quod quia culpæ ejusdem meritum exigit, ut quandiu hic vivitur, nemo quamlibet sanctus ad plenam contemplari queat lucem divinitatis, per concessionem justitia subdit : « Obscurentur stellæ caligine ejus, » id est hi qui magnis virtutibus jam splendent, B invisa tamen claritate adhuc noctis ejusdem reliquias patiantur. Quod hæc eadem nox, id est ejusdem culpæ conscientia « exspectet, » id est desideret, » lucem, » subaudi æternam, et quandiu hic vivitur « non videat, » videlicet sicuti est, « nec ortum surgentis auroræ, » id est novam nativitatem resurrectionis futuræ. « Quia non conclusit, » id est aperuit, sicut superius dictum est, « ostia ventris qui portavit me, id est desideria concupiscentiæ carnalis, quæ pervertit me, « et non abstulit mala, » scilicet corruptionis, « ab oculis meis, » id est irrogavit et experiri fecit. Hactenus in ipsam noctem, id est diabolum peccati auctorem invectus est, nunc in seipsum invehitur in persona generis humani, videlicet quia verus pœnitens, non sic accusare debet deceptorem diabolum, ut excuset seipsum, cum C scriptum sit : « Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII). »

VERS. 11. — « Quare, inquit, non in vulva mortuus sum ? » etc. Quia quatuor modis peccatum perpetratur in corde, videlicet suggestione, delectatione, consensu et defensione : quod item quatuor modis consummatur in opere, scilicet quia prius culpa latens agitur, postmodum impudenter aperitur, dehinc in consuetudinem ducitur, ad extremum obstinatione desperationis enutritur, ipsos eosdem modos vel perfectus tali conquestione insequitur :« Quare non in vulva,» id est in prima serpentis suggestione, « mortuus sum, » id est quæ me mors sequeretur agnovi. « Egressus ex utero, » id est ab interiori suggestione ad exteriorem delectationem « non statim D perii, » id est interius perire me non intellexi.

VERS. 12. — « Cur exceptus genibus, » id est cur delectationi adminiculatus est consensus ? « Cur lactatus uberibus ? » id est cur excusatione blanditus sum mihi dicendo : « Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi, et comedi (*Gen.* III). »

VERS. 13, 14. — « Cur, » inquam, sic et sic feci ? « Nunc enim, » id est si enim non fecissem, « nunc dormiens, » id est nullam contentionem carnis patiens nullumque habens tumultuantis infirmitatis certamen, « silerem et somno meo, » id est profunda pace et securitate, « requiescerem, » videlicet sine morte carnis tandem ad æternæ patriæ ductus requiem. Requiescerem, inquam, cum regibus, » id est cum summis angelicæ potestatis dignitatibus. Qui bene reges dicuntur, juxta illud : Princeps Persarum restitit mihi (*Dan.* x), « et consulibus terræ, » videlidet cum eisdem spiritibus. Qui adeo bene consules vocantur, quia nos in ipsis voluntatem Conditoris nuntiantibus consultum ab angustia nostræ tribulationis invenimus. Vel ita : « Cum regibus, » id est cum venturis Ecclesiæ Christi rectoribus, quia videlicet quo nunc post passionem Christi homo Redemptus ascendit, illuc profecto si non peccasset, etiam sine redemptione pertingeret. Qui prædicatores bene reges et consules terræ vocantur : reges, quia semetipsos regunt ; consules, quia peccatoribus exstinctis, vitæ consultum præbent.

VERS. 15. — « Qui ædificant sibi, » scilicet fugiendo curarum sæcularium frequentiam, « solitudinem, » id est vitam tranquillam. « Qui » hoc modo « possident aurum, » id est sapienter vivunt, sapientiam vocavit aurum de qua Salomon : « Thesaurus, inquit, desiderabilis et oleum in habitaculo justi, requiescit in ore sapientis (*Prov.* XXI). »

VERS. 16. — « Et replent domos suas, » id est ornant conscientias suas, « argento, » id est eloquiis divinis. Nam « eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI). » Cum talibus, inquam, requiescerem. « Aut sicut abortivum absconditum, » id est sicut electi, qui ante tempus redemptionis, imo ante legem datam exorti, tamen seipsos mortificare naturali lege curaverunt, et ideo dicuntur abortivum, et quasi præter paucos, de quibus Moses scripsit : « Occultata est nobis multitudo illorum, » ideo cum dixisset « abortivum » addidit, « absconditum. » — « Sicut abortivum, » inquam, « vel sicut qui concepti, » scilicet, per admonitionem acceptæ legis, « non viderunt lucem, » id est non pervenerunt ad Christi Incarnationem. De quibus ipse : « Multi, inquit, prophetæ et justi cupierunt, desideraverunt videre quæ vos videtis et non viderunt (*Luc.* x). »

VERS. 17. — « Ibi, » id est in hac luce, quæ electorum omnium locus est, « impii, » scilicet gentiles populi, « cessaverunt a tumultu, » id est requiem suis invenerunt animabus, videlicet in adventu ejus conversi quem diu præstolati sunt patres in lege positi, « et ibi **435** requieverunt, » videlicet, quia suave jugum ejus per se tulerunt, « fessi robore, » id est deficientes ab illa qua in terrenis fortes erant, inutili fortitudine.

VERS. — 18.— « Fessi, » inquam, salubri defectione, « et quondam vincti, » id est, qui antequam ad illam lucem pervenirent, fuerant vincti, videlicet, molestia suæ corruptionis, pariter, subaudi requieverunt, « sine molestia, » scilicet corruptelæ animam aggravantis. Quare ? Propter hoc quod sequitur : « Non exaudierunt vocem exactoris, » id est, tentati in præsenti vita, audierunt quidem vocem exa-

A cloris, id est diaboli, qui inde exactor dicitur, quia homini in paradiso pecuniam, peccata, commodavit, et hanc iniquitate crescente quotidie cum usuris exigit. « Audierunt, » quidem, inquam, sed non exaudierunt, quia consentire contempserunt.

VERS. 19. — « Parvus et magnus ibi sunt, » id est, ibi, in illa luce, differentia est meritorum, juxta illud : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » — « Parvus, » inquam, « et magnus, » videlicet quia secundum merita illic in retributionem, alius alium transcendit, « et servus, » id est, qui fuerat servus peccati, ibi est liber a domino suo, videlicet ab eodem peccato liber, inquamquia transacti nullam omnino patietur confusionem peccati.

VERS. 20. — « Quare data est misero lux ? » Supra dixerat, « quare non in vulva mortuus sum, » et B deinceps contemplando supernam requiem, quam peccando perdidit homo, tandem et hoc dixit : « Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a Domino suo. » Nunc perpendens quod præsentis mundi prosperitas vel honor homini miseriæ sit augmentum potius quam solatium ; furtive namque blanditur, et fallit eum, ne peregrinum se esse sentiat, aut quid perdiderit recogitet. Hoc, inquam, perpendens ait : « Quare data est misero lux ? » id est, quare hi, qui in hac peregrinatione miseros se agnoscunt, claritatem transitoriæ prosperitatis accipiunt ? « Et vita » subaudi quare data est, id est, quare gloria temporalis arridet « his, qui in amaritudine animæ sunt, » videlicet pro eo quod longe huc a facie conditoris projecti sunt.

VERS. 21. — « Qui exspectant mortem, » id est, C desiderant plenissimam in se perfici ab omni vita gloriæ temporalis mortificationem. « Et non venit, » videlicet, quia sæpe occultis Dei judiciis, vel præesse in regimine compellentur, vel injunctis occupari honoribus. « Exspectant, » inquam, « mortem, quasi effodientes thesaurum, » id est, ad modum eorum, qui effodientes thesaurum tunc enixius in effossione laborant, cum se thesauro abscondito appropinquare existimant, ipsi quoque, quanto fiunt viciniores ad finem, tanto se in opere ardentiores exhibent.

VERS. 22. — « Gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum, » id est divinæ contemplationis secretum, in quo sic anima a terrenis tumultibus, sicut in sepulcro corpus absconditur.

VERS. 23. — « Viro, » subaudi quare data est lux, D « cujus abscondita est via, » id est qui sollicite cogitans ignorat ad quem finem perventura sit sua qualiscunque vita, vel, utrum Deo placeat, etiamsi videatur bona. « Et circumdedit eum Deus tenebris, » id est ignorantia, videlicet quia lucem suæ visionis nobis auferendo, « posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVIII). »

VERS. 24. — « Antequam comedam suspiro, » videlicet tenebris circumdatus, ut prædictum est, « antequam comedam, » id est, supernæ lucis contemplationibus pascar, « suspiro, » id est, gemitu afficior, et sic, cum per gemitum acquisiero, vix tandem contemplatione reficior. Nisi enim suspirem, non comedo, juxta illud : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes (*Psal.* XLI). » — « Suspiro, » inquam, « et tanquam inundantes aquæ, » id est, multiplicibus fluminibus intumescentes, « sic rugitus meus, » videlicet dum occultam sententiam Dei trepido, pervenire ad Deum confidens, sed ne non perveniam metuens, præterita deflens, et futura pertimescens.

VERS. 25. — « Quia timor quem timebam, » scilicet ne desererer, « evenit mihi, et quod verebar, » scilicet ne potestatem iræ tuæ incurrerem, « accidit. » Quam ob causam hoc accidit ?

VERS. 26. — « Nonne dissimulavi ? » Id est, nonne me potestate cæteros præire conspiciens, quasi hæc nescirem, ita humiliter de me in corde meo sensi ? « Nonne silui, » subaudi ore ? « Nonne quievi, » subaudi in opere ? Videlicet quia per hæc tria, scilicet in corde, in ore, in opere, animus effrenatur, cum mundi hujus prosperitate sublevatur. « Et venit super me indignatio, » subaudi cum sic bene egerim. Unde quisque consideret quæ peccantes supplicia maneant, si etiam justos hic tam valida flagella castigant. Amici beati Job in hoc, superius dictum est, hæreticorum speciem tenent, quod quædam valde recte sentiunt, sed inter hæc ad perversa dilabuntur, quæ jam subtiliter pensanda sunt. Ubi duas partes, videlicet accusationis et deffensionis, in auditorio totius Ecclesiæ Christi compugnantes audis, videlicet hinc amicis accusantibus, hinc beato Job seipsum ab illorum accusationibus defendente. Idcirco nunc locus admonet, ut utriusque partis intentiones manifestius discernantur. Quid ergo intendunt accusantes ? Videlicet in conjecturali constitutione causam ejus ponentes, multa pro argumentis conferunt, quorum omnium hæc summa est, ac si hoc modo proponant. Palam ostendimus quod Deus æquo judicio percusserit Job ; ac deinde rationem inferant, nam secundum quantitatem flagelli, quo durius feritur quam homines cæteri, quantitas quoque in eo est peccati, quo gravius quam cæteri homines Deum offendit. Hanc intentionem depellere vel infirmare nitens, ipse defensor suus beatus Job multa econtra et ipse reddit, quorum hæc summa intentio est, ac si ipse hoc modo proponat : Intelligat hoc universa quæ ab initio usque ad finem sæculi peregrinatur in hoc mundo, Ecclesia Dei, quod non æquo juxta sensum vestrum, judicio Deus me afflixerit ; ac deinde rationem subjiciat. Nam non secundum quantitatem flagelli, quo durius ferior quam homines cæteri, quantitas quoque in me est peccati, quo gravius offenderim Deum quam homines cæteri. Et hanc rationem confirmat, ubi inter cætera ait : « Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. » Sed jam intentione præmissa, disputatio ipsa hoc modo intensa sic incipit :

CAP. IV, VERS. 1, 2. — « Respondens Eliphaz Themanites dixit : Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. » Hoc quoque hæreticorum est, ut loqui molliter inchoent, et blanda proponendo aspera

subinferant. « Si cœperimus, » inquit, « loqui, » id est, causas tibi ostendere tuæ percussionis, « forsitan moleste, » id est impatienter, « accipies. « Sed, quanquam ita sit, « conceptum sermonem teneril quis possit [poterit]? » subaudi nullus. Hoc ex sui experimento colligit, quod desperate de omnibus sentit. Sed vitiosa ratio est quorumdam vitium commune facere omnium.

Vers. 3. — « Ecce, » inquit, « docuisti plurimos [mutos], » etc. Ac si dicat : Ecce claret qualis vitæ eras qui alios docebas. « Docuisti plurimos, » subaudi, dicens et non faciens, « et manus lassas, » id est, ab opere bono deficientes « roborasti, » subaudi tu ipse operans nihil. « Vacillantes, » id est, propositum firmum non tenentes, « confirmaverunt sermones tui, » id est admonitiones tuæ, « et genua trementia, » subaudi arduum iter aggredi, « confortasti. »

Vers. 5. — « Nunc autem venit super te plaga et defecisti, » id est, sed nunc claret quam infirmus eras ipse, qui alios confortabas, in eo quod « veniente plaga super te defecisti, » in eo quod « tetigit te et conturbatus es, » subaudi statim.

Vers. 6. — « Ubi est timor tuus, fortitudo **436** tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? » id est, ubi est hoc quod videbaris esse timoratus, et fortis, et patiens, et perfectus? Bene quatuor gradibus vitam ejus numerando distinxit. Nam in via Dei non audacia, sicut in via sæculi, sed timor fortitudinem gignit, idcirco post timorem recte, fortitudinem posuit. Et quia fortitudo non nisi in adversitate ostenditur, mox post fortitudinem patientia, et post patientiam viarum perfectio subinfertur, videlicet quia perfectio de patientia nascitur. Sed per hypocrisin virtutes illas eum habuisse criminatur cum subjungit :

Vers. 7. — « Recordare, obsecro, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? » Vitiosum argumentum dedit. Si enim nullus innocens periret, propheta non diceret : « Justus perit, et nemo [non] est qui recogitet (*Isa.* LVII). »

Vers. 8, 9. — « Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, qui seminant dolores, » scilicet perversa agendo, « et metunt eos, » videlicet inde temporaliter excrescendo, « flante Deo perisse. » Appellatione flatus anima adversionem Dei voluit exprimere, videlicet ad similitudinem nostri, qui cum irascimur, flatu furoris inflammamur. Nam sequitur exponens quid dixerit : « Et spiritu iræ ejus esse consumptos. » Sed et hoc vitiosum est. Nam tales plerumque diu subsistere et felices esse permittuntur, et « in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur (*Psal.* LXXII). » Postquam quasi clementer admonuit, jam aperta increpatione subjungit :

Vers. 10. — « Rugitus leonis, » id est severitas tua, « et vox leænæ, » id est loquacitas conjugis tuæ, « et dentes catulorum leonum contriti sunt, » id est edaces filii tui convivantes exstincti sunt. Quæ

A cuncta ridens Eliphaz quasi jure damnata denuntiat, et exsultationem dominationis sic ingeminat :

Vers. 11. — « Tigris periit, » id est, varietas tuæ simulationis exstincta est. Tigris enim animal aspersum masculis, beatum Job nota varietatis hic designat. « Tigris, » inquam, « periit eo quod non haberet prædam, » id est, hypocrisis tua deficit, eo quod ablata est adulatio laudis. In Septuaginta non tigris, sed myrmicoleon scriptum est, quod Latine dicitur *formicarum leo*, vel certe *formica et leo*. Et recte. Nam volatilibus formica est, ipsis autem formicis leo. Ac si aperte dicat : Non injuste percussus es, quia contra erectos timidus, contra subditos audax fuisti. Typice autem leo diabolum, leæna civitatem diaboli Babyloniam, catuli leonum quoslibet

B reprobos malignorum spirituum sequaces designant. Ac si aperte hæretici dicant : Nos ideo nullis flagellis atterimur, quia diabolum et terrenam gloriam, omnesque reprobos vitæ meritis superando calcamus. Tigris quoque vel myrmicoleon, id est, vetus adversarius, in nobis prædam non habet, quia nostris studiis victus jacet. Hæc insultando dicta sunt. Deinde his quæ dicturus est, reverentiam exigens, qui mos est hæreticorum.

Vers. 12. — « Porro, » id est, longe aliter, « ad me dictum est verbum absconditum, » id est sanctum, profundum, non de communi scientia cæterorum. « Et quasi furtive, » id est, non per communis intellectus ostium, « suscepit auris mea, » id est intelligentia mea, « venas, » id est, intimum sensum « susurri, » id est clausæ dictionis « ejus. » Et

C altiora dicere nitens ipse sibi testis fit, quia quæ profert vera non sunt, subjungendo :

Vers. 13, 14. — « In horrore visionis nocturnæ. » Sic namque dubie cernitur, quando solet sopor occupare homines, sed nobis, qui ad superna vigilamus multum inferiores. Et ne quasi vile despicias, pavor, scilicet mentis, tenuit me, et tremor, scilicet corporis.

Vers. 15. — « Et cum Spiritus, » scilicet divinus « me præsente, » id est, sensu meo pervidente, « transiret; » — « transiret, » inquam, non staret, ne facile comprehendi potuisse putes quod visum est, » inhorruerunt pili carnis meæ, » id est, adeo vera fuit visio ut corpus quoque divino palpitaret horrore. Et unde fuerit horror subjungit.

D Vers. 16. — « Stetit quidam, » inquit, scilicet invisibilium, « cujus non agnoscebam vultum, » utpote qui non erat de cœtu mortalium. « Stetit, » inquam, « imago, « scilicet hominis potius quam homo, « coram oculis mei, » et adhuc ne mortalem quempiam fuisse putes, « vocem » non crassi corporis sed « quasi auræ lenis, audivi. » Talis quidem hæreticorum arrogantia est, ut de se jactitent hæc vel his similia. Sed quia hæc in sanctis viris in veritate fiunt, eadem dicta subtilius disserenda sunt. Verbum absconditum, tum electorum mentibus dicitur, cum potestas unigeniti Filii Dei, qui est verbum, quod absconditum erat in principio, apud Deum (*Joan.* I),

per locutionem Spiritus sancti credentibus in corde manifestatur. « Et quasi furtive, » inquit, id est raptim et occulte « suscepit auris mea, » id est intelligentia mea, non tantum susurrum, id est locutionem ejus, subaudi spiritus, sed « venas susurri, » id est origines, causarum ejusdem locutionis, quæ sunt timor, amor, et talia. Quanquam intelligi et aliter valeat. Scilicet quandiu « ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII), » ipsa aspiratio qua in mente docemur, nondum locutio, sed quasi susurrum, vel venæ susurri recte dicitur. Et quia mens virtutem illius considerans repressa formidat, recte subditur : « In horrore visionis nocturnæ, » id est in pavore contemplationis occultæ, et ideo nocturnæ, quia non constanter quod futurum est, sed dubie videmus, et ex parte. Quia vero mens ad alta contemplationis non rapitur, nisi prius a terrenis desideriis sopiatur, recte subjungitur : « Quando solet sopor occupare homines. » Tunc enim anima sentire meretur cœlestia, quando veraciter dicit : « Ego dormio et cor meum vigilat (*Cant.* V). » — « Pavor, » inquit, « tenuit me et tremor, » id est, cuncta humanarum virium soliditas contremuit, « et omnia ossa mea, » id est acta fortia, « perterrita sunt, » id est, nullius momenti apud me reputata sunt. Et unde apprime fortem me credidi ante conspectum judicis, inde titubavi. « Et cum me præsente, » id est invisibilia cognoscente, « Spiritus » scilicet Dei « transiret, » id est non solide, sed raptim se videri sineret, « inhorruerunt pili carnis meæ, » id est, aufugerunt cogitationes superfluæ. Ut tamen paulo latius speculationi inhærerem, « stetit quidam, » scilicet idem Spiritus Deus qui transibat. Ipse enim est qui transit, quia cognitus teneri non valet, ipse qui stet, quia videlicet in quantum cognoscitur, incommutabilis apparet. « Cujus non agnoscebam vultum, » videlicet a visibilibus, quibus assuetus grossescit animus, ad invisibilem Deum vixparum quid intuitum mentis erigere valens. « Stetit, » inquam, « quidam, » scilicet « imago coram oculis meis » id est Filius Dei. Imago quippe Patris Filius est, et, ut ait Apostolus, « figura substantiæ ejus (*Hebr.* I). » — « Et vocem quasi auræ lenis, » id est, cognitionem Spiritus sancti interius. « audivi. » — « Auræ, » inquam, « lenis, » quia videlicet Spiritus sanctus lippientibus mentis nostræ oculis claritatem suam, quandiu in hac vita sumus, tenuiter ostendit. De hac aura leni ad Heliam dicitur : « Post commotionem ignis, » id est, post divinum terrorem pœnitentiæ, ignis amoris cor concremat conversi peccatoris, peccata sua erubescentis, quod significatur per hoc quod Helias « pallio vultum suum operuit : et post ignem sibilus auræ tenuis (*III Reg.* XIX), » qui dicitur hic vox auræ lenis, id est, sensus brevis et subitus de incomprehensibili substantia æternitatis. Jam qui vocem auræ lenis audivit dicat quid ex ipsa didicerit :

VERS. 17. — « Nunquid homo comparatione Dei justificabitur, » subaudi, non, videlicet hominis ju-
A stitia justitiæ Dei **437** comparata sic annullatur, quomodo lucerna in solis radio posita tenebratur. « Aut factore suo purior erit vir ? » Subaudi, ut tu tibi videris, qui contra flagellum querelam parans justitiam accusas ferientis? Subaudi, non.

VERS. 18. — « Ecce qui, » subaudi, argumentum de majoribus. « Qui serviunt ei, » scilicet in cœlestibus, « non sunt stabiles, » id est immutabiles, quod ab effectu probat subjungens, « et in angelis suis, » id est in apostatis spiritibus, « reperit pravitatem. » Sola quippe Divinitas immutabilis naturæ est, semperque id quod est. Et angeli sancti, qui cadentibus apostatis mutabilitatis suæ motum bonæ voluntatis studio fixerunt, hoc in remunerationem acceperunt, ut ei qui semper idem est, vinculis amo-
B ris colligati, amplius mutari non possint. Illi, inquam, « non fuerunt stabiles. »

VERS. 19. — « Quanto magis hi, » scilicet spiritus humani, « qui habitant domos luteas, » id est corpora de luto facta, « qui terrenum habent fundamentum, » id est terrenam de qua facta sunt materiam « consumentur, » scilicet vitiis « velut a tinea, » subaudi, consumitur vestis ? Ac si dicat : Sicut de veste tinea nascitur, et ipsam consumit sine sonitu sic peccata a te commissa consumpserunt te, dum nescis et dum videris justus. Aliter : In angelis reperitur pravitas, quia ipsi sacerdotes qui, ut Malachias ait, « angeli sunt Domini exercituum (*Malach.* II), » sine peccato non sunt, « quanto magis hi qui habitant domos luteas, » id est qui carnales se-
C quuntur voluptates, « qui terrenum habent fundamentum, » id est « qui terrenam vitam ducunt, » videlicet multo magis hi in peccatis sunt. Hoc est quod sequitur :

VERS. 20. — « De mane usque ad vesperam, » id est ab exordio vitæ usque finem ejus « succiduntur [*al.* succidentur], » id est iniquitatis ictibus vulnerantur.

VERS. 21. — « Qui autem reliqui, » id est despecti « fuerint, » videlicet quos præsens sæculum quasi minimos indignosque se derelinquit et abjicit, « auferentur, » id est erigentur « ex eis, » Paulo attestante, qui ait : « Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes (*I Cor.* I), » etc. Quod bene in libro Regum, per puerum Ægyptum signatur, qui
D lassus in via ab Amalechitis derelictus est, et a David inventus, atque refectus eumdem David super convivantes Amalechitis perduxit (*I Reg.* XXX). « Succidentur, » inquam, hi, quos supra dixi, hoc modo : « Morientur, et non in sapientia, » id est vitam simul et sapientiam perdant, et non intelligentes « peribunt, » scilicet « in æternum. » Talibus similem B. Job Eliphaz æstimans cum irrisione subjungit :

CAP. V, VERS. 9. — « Voca ergo si est qui tibi respondeat » ac si aperte dicat : Quia tu talis es, quantumbilet afflictus clames, Deum respondentem, id est adjuvantem non habes. Post hanc irrisionem in-

fert sententiam, veram quidem, sed in tantum virum injuste prolatam.

Vers. 2. — « Virum [*al.* Vere] stultum interficit iracundia. » Ac si aperte diceretur : Ira per zelum sapientem turbat, te autem, qui stulte contra Deum murmuras, per vitium trucidat. « Et parvulum occidit invidia. » Invidere non possumus nisi his quos nobis in aliquo meliores putamus. Qui ergo livore occiditur, parvulus est, videlicet comparatione ejus contra quem livore mordetur. Sed contra B. Job falso hoc dicitur, quia miser factus non invidebat felicibus.

Amici B. Job multa ex familiaritate ipsius mystica didicerunt. Unde eorum verbis etiam Paulus utitur, et hæc in assertionis suæ adjutorium assumens, prolata esse ex veritate testatur. Possunt ergo mystice Eliphaz verba pensari quibus ad B. Job loquitur dicens :

Vers. 3. — « Ego vidi stultum, » etc. « Vidi, » scilicet cum admiratione, « stultum, videlicet Judaicum populum, qui ipsam incarnatam sprevit sapientiam, « firma radice, » id est constantem ad exstinguendam electorum vitam, « et maledixi pulchritudini ejus, » id est prosperitati ejus, « statim, » id est nihil hæsitans. « Maledixi, » inquam, id est perditionis ejus judicio consensi, dicens :

Vers. 4. — « Longe fiant filii ejus, » id est omnes qui generati sunt prædicatione ejus, « a salute, » subaudi æterna. Quod sic erit. « Longe fient, et conterentur in porta, » id est in Christo, qui dicit : « Ego sum ostium (*Joan.* x), » — « et non erit qui eripiat [*al.* eruat]. » Quod ita fiet. « Non enim est in alio aliquo salus (*Act.* iv). »

Vers. 5. — « Cujus, » subaudi stulti, « messem, » id est scientiam legis litteralem, « famelicus comedet, » id est gentilis populus quondam a scientia Dei jejunus spiritualiter intelliget, « et ipsum, » subaudi Judæorum populum, comedere, id est intelligere nolentem « rapiet armatus, » scilicet diabolus qui in Evangelio dicitur fortis armatus, qui non inveniens requiem in gentibus conversis, dicit de hoc stulto, id est de Judæis : « Revertar in domum meam unde exivi (*Luc.* xi). » — « Et bibent, » id est suaviter accipient « sitientes, » id est iidem gentiles, « divitias, » id est divina eloquia « ejus » quæ bene appellat divitias : nam et alibi dicuntur « argentum igne examinatum (*Psal.* xi). » Comedere et bibere hoc loco differunt, quia quædam obscura, dum nonnisi interpretata intelligimus, quasi comedimus; illa autem quæ facilia sunt, quasi non mansa bibimus, dum ita suminus ut invenimus. Moraliter de eodem stulto. « Ego vidi stultum. » Inter stultum et insipientem hæc distantia est quod insipiens dicitur qui nescit, stultus qui non cavet malum quod scit. « Vidi, inquit, stultum firma radice, » id est temporali fultum prosperitate, « et maledixi, » id est, damnationem futuram dixi « pulchritudini, » id est

A gloriæ ejus, « statim. » Nota quod addidit, « statim, » id est non more quorumdam infirmorum hæsitavi, quorum est illa vox : « Mei autem pene moti sunt pedes, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns (*Psal.* lxxii). » Nonnunquam, more illorum qui tunc primum quando vident gloriosos morientes, dicunt : Ecce quam nihil est homo. Sed « statim, » id est in ipso cursu felicitatis « maledixi, » — « Longe fiant filii ejus, » id est imitatores ejus, « a salute. » Quod sic erit, videlicet quia « conterentur in porta, » id est in die judicii qui exitus præsentis et introitus erit futuri sæculi. « Et non erit qui eripiat, » scilicet quia redemptio non erit ultra. « Cujus, » subaudi stulti « messem, » habet enim stultus messem, id est prædicationis facultatem
B et interdum etiam officium ; hujus, inquam, « messem famelicus comedit, » videlicet quisquis scientiam non habens, tamen ad Deum sanctis anhelat desideriis, et juxta præceptum Domini dicentis : Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite (*Matth.* xxiii) (8), » a quocunque audiat discit quod audit, agit quod didicit bonum. « Et ipsum rapiet armatus, » id est stultitia ejus et fraude sua tectus diabolus. « Et bibent, » id est utiliter audient, « sitientes, » id est hebetes quidem, sed amantes « divitias ejus, » id est eloquia ejus. Hæc dicendo beatum Job stultitiæ redarguit, cui et supra dixerat : « Ecce docuisti plurimos (*Job* iv), » etc. Et quasi quæreres cur negligenti donum intelligentiæ tribuitur, et studioso plerumque non datur, protinus subdit : « Nihil
C fit in terra sine causa, » videlicet quia et stultus ideo donum accipit, ut justius prematur, et studiosus tardius consequitur, ut de labore quærendi amplius remuneretur. « Et de humo non, » subaudi, sed de dispensatione divina, « egredietur [*al.* oritur] dolor, » videlicet vel tuus qui nunc est, vel stulti alicujus cum punitur.

Vers. 7. — « Homo, » id est carnalis, videlicet similis tui, « ad laborem nascitur, » quis videlicet in omnibus laborat. Si acquirit, curis torquetur ; si perdit, subaudi, ut nunc te perdidisti, dolore fatigatur ; « et avis ad volatum, » id est ad gaudium, quia sicut Salomon ait : « Non contristabit justum quidquid ei acciderit (*Prov.* xii). »

Vers. 8. — « Quamobrem **438** et ego deprecabor, » id est non ut tu murmurabo, sed « deprecabor
D Dominum, et ad Deum, » id est ad Dei placitum, « ponam eloquium meum. »

Vers. 9. — « Qui facit magna, » subaudi mutando prospera in adversa, « et inscrutabilia, » subaudi humanæ rationi, « et mirabilia absque numero, » subaudi tam in terra quam in cœlo. Et in hoc beatum Job percutit quasi superius de adversis suis quæstiones contra Deum proposuerit, dicendo : « Quare data est misero (*Job.* iii), » et cætera. Et de mirabilibus mystice aliquid tangit, dicendo :

(8) « Omnia quæcunque dixerint vobis, servate et facite ; secundum opera vero eorum nolite facere »

Vers. 10. — « Qui dat pluviam, id est supernæ prædicationis gratiam, « super faciem terræ, » id est in cordibus hominum, « et irrigat aquis, » id est donis Spiritus sancti, « universa, » id est non solum Judæam, sed omnem absque personarum acceptione hominem.

Vers. 11. — « Qui ponit humiles, » id est humiliter eisdem donis utentes, « in sublimi, » videlicet ut cum Chirsto judices sint, « et mœrentes, » id est pro ipso prospera fugientes et adversa patientes, « erigit sospitate, » id est hilares facit de salutis æternæ certitudine.

Vers. 12. — « Qui dissipat cogitationes malignorum, » scilicet contra bonos insurgentium, « ne possint implere manus eorum quod cœperant, » id est ne quantum volunt nocere prævaleant.

Vers. 13. — « Qui comprehendit [*ad.* apprehendit] sapientes in astutia eorum, » vertendo scilicet in bonum hoc quod ipsi malevole agunt, sicut venditionem Joseph (*Gen.* XLV), sicut intentionem Saul, quando petivit a David centum præputia Philistinorum (*I Reg.* XVIII). « Et consilia pravorum dissipat, » videlicet ut non secundum eorum intentionem quidlibet proveniat, sicut verbi gratia, consilium quod de occidendo Domino dedit Caiphas (*Joan.* XI). Nunc quia persecutorum memoriam fecit, hæc de eorum cæcitate justo Dei judicio illata subjungit :

Vers. 14. — « Per diem incurrent tenebras, » id est in ipsa veritatis præsentia sua illos cæcabit perfidia, « et quasi in nocte, » id est sicut in antiqui erroris caligine, sic palpabunt, » id est offendentes ibunt « in meridie, » id est præsente sole justitiæ. Quod Judæis congruit dicentibus : « Quousque animam nostram tollis ? si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* X). »

Vers. 15. — « Porro salvum faciet. » Ac si dicat : Ipsi in cæcitate sua persequentur, sed ipse, scilicet Deus, salvum faciet de gladio oris eorum clamantium, et dicentium : « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX), » — « et de manu violenti, » id est gentilitatis, quæ manibus illum crucifixit, « pauperem, » id est Christum, videlicet resuscitando eum.

Vers. 16. — « Et, » illo resuscitato, « erit egeno, » id est humili fidelium populo, « spes, » id est æternæ vitæ vel resurrectionis fiducia. Et quia, cum venerit ut judicet, qui judicatus est, infideles obmutescent, bene subditur : « Iniquitas autem contrahet, » id est continebit, « os suum, » vel claudet, videlicet hactenus in contumelia Conditoris dilatatum. Moraliter. Nunc moraliter indaganda sunt qualiter a pravis generaliter fiant. Quia de bonorum actibus reprobi in extenso livoris sui aculeo torquentur, recte dicitur : « Per diem incurrent tenebras, » id est in luce bonorum operum clausis cordis oculis aliquid quod in electis accusare possint, quasi palpantes quærent. Unde et subditur : « Et quasi in nocte, » id est in tenebroso livore, « sic palpabunt in meridie, » id est in plena boni operis luce. Quod bene signatum est in eo, quod Loth protegentibus angelis Sodomitæ cæcitate percussi sunt, et ostium domus ejus invenire non poterant (*Gen.* XIX), videlicet quando lux bonorum lucet coram hominibus (*Matth.* V), mali telo cæcantur invidiæ, nec possunt bonum in proximis agnoscere, nec rursus circumeuntes criminandi aditum queunt invenire. « Sic, inquam, palpabunt. Porro salvum faciet, » subaudi Deus, « de gladio oris eorum, » id est de detractione, vel persuasione linguæ eorum, « et de manu violenti, » id est de adversitate elatæ potestatis, « pauperem, » videlicet, quales beatificat Dominus, dicendo : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V). » — « Salvum, inquam, faciet pauperem, » id est humilem. Quod hoc modo fiet : quod « erit egeno spes, » ad cujus spei cum pervenerit fructum, fiet quod hic subditur : « Iniquitas autem contrahet os suum, » id est omnis elatus qui nunc derogat obmutescet. Nec idcirco Eliphaz contra beatum Job loquitur, quia talem illum fuisse, et ob hoc percussum suspicatur : unde et subdit :

Vers. 17. — « Beatus homo qui corripitur a Domino. « Nam non probari putabat illum, sed corripi. Et ut ad beatitudinem tibi quoque perficiat, « increpationem ergo, inquit, Domini ne reprobes. » Nam ea quæ supra beatus Job dixerat, murmurando illum dixisse æstimabat. « Ne reprobes, » inquam.

Vers. 18. — « Quia ipse vulnerat, » scilicet carnem, « et medetur, » scilicet mentem; « percutit, » scilicet te nunc, et in futuro, « manus ejus sanabunt, « scilicet ne pereas in perpetuum. Hoc est quod sequitur :

Vers. 19, — « In sex, » id est in cunctis « tribulationibus, » scilicet mundi, qui in sex diebus perfectus est (*Gen.* II), et sex ætatibus volvitur, « liberavit, » scilicet, a peccatis tuis in mente, tribulando in carne, « et in septima, » scilicet ubi depositis corporibus requiescunt animæ. Septima namque die requievit Deus (*Gen.* II) : et ob hoc per hoc septima mundi ætas, qua nunc animæ requiescunt, significatur. « In septima, » inquam, tribulatione, « non tanget te malum, » subaudi, quod tangit nunc ante resurrectionem animas reproborum. Et his modis omnibus liberabit te, subaudi, si increpationem ejus non reprobes.

Vers. 20. — « In fame, » scilicet verbi, « eruet te de morte, » id est « pane vitæ et intellectus cibabit te (*Eccli.* XV); » — « et in bello, » id est in tentatione, « de manu gladii, » id est ab opere peccati, subaudi, « eruet te. »

Vers. 21. — « A flagello linguæ, » id est ab exprobratione illatæ contumeliæ, « absconderis » videlicet ut non quærens laudes, etiam non sentias contumelias detractionis. « Et non timebis calamitatem, » subaudi multiformis adversarii, « cum venerit, » id est cum te impugnaverit, videlicet quia paratus et munimine ejus septus eris.

Vers. 22. — « In vastitate, » scilicet reproborum,

A « et fame, » scilicet eorum qui tollentur ne manducent panem in regno Dei, « in vastitate, inquam, et fame illorum ridebis, » id est de tua securitate, et illorum interitu in æterno convivio gaudebis. Ridebis, inquam, quia tunc impiis et perditis compatiendum vel miserendum non erit. « Et bestias terræ, » scilicet diabolum qui de terra facto homini bestialiter invidit tunc sævientem « non formidabis, » videlicet quia nunc ab ipsa blandiente non seduceris.

Vers. 23. — « Non formidabis, inquam, sed cum lapidibus regionum, » id est cum sanctis et electis Ecclesiarum, quæ plures sunt pro diversitate duntaxat locorum, « pactum tuum, » id est cohabitatio tua erit. « Et bestiæ terræ, » id est malignus spiritus, « pacificæ erunt tibi, » id est pacem invenies B eos fecisse tibi, videlicet in eo quod te impugnando ad amorem Dei nolentem impellunt. « Pacificæ, inquam, » non pacatæ, quia pacem nullo modo habent, sed sua impugnatione, nolentes, ut dictum est, ad desiderandam pacem impellunt. Vel ita « Bestiæ terræ, » id est motus carnis, « pacificæ erunt tibi, » quia dum te tentando lacessunt, ad amorem quietis intimæ tendere cogunt. Utroque modo idem efficitur, scilicet hoc quod sequitur.

Vers. 24. — « Et scies, » videlicet per præsentem inchoationem, « quod pacem, » scilicet plenam et perfectam in futuro, « habeat tabernaculum tuum, » id est habiturum sit corpus tuum, quod mens inhabitat. Pax enim a vitiis hic inchoatur, quæ tunc plena erit, cum caro per resurrectionem immutata fuerit. C Et quia nulla est castitas quam non commendat charitas, subjungitur : « Et visitans speciem tuam, » id est diligens proximum **439** tuum, « non peccabis, » videlicet, quia non facies alii quod tibi fieri non vis (*Tob.* iv, 16; *Matth.* vii, 10; *Luc.* vi, 31). Recte proximus noster species nostra dicitur, quia in illo cernimus quid simus, aut quid fuimus, aut quales fieri possumus. Sed et juxta sæculares philosophos, unus homo et plures secundum speciem unus homo est.

Vers. 25. — « Et scies illud quoque, » scilicet hoc faciendo quod dictum est, « quoniam multiplex erit semen tuum, » id est præ numeratione multiplicabitur tibi prædicationis verbum, « et progenies tua, » id est imitatores tui, sicut herba terræ, id est innumerabiles, exsurgent, vel viriditatem omnium D terrenorum contemnent. « Multiplex, » inquam, « erit semen tuum, » adeo quod

Vers. 26. — « Ingredieris in abundantia sepulcrum, » id est contemplationis secretum. Sepulcrum hic significat vitæ contemplativæ, quietem ad quam non nisi vitæ activæ exercitatus labore debet quisquam aspirare. Alioquin non in abundantia, sed in penuria, sepulcrum ingreditur, timendumque est illi quod in Exodo dicitur : « Bestia si tetigerit montem lapidabitur (*Exod.* xix), » videlicet, quia mens irrationabilibus d[illegible], si ad alta contemplationis erigitur, lapidibus, id est superni ponderis ictibus necatur. Sicut ergo Jacob quoque ante Rachel pulchram quidem, sed sterilem, accepit Liam, lippam quidem, sed plus patientem (*Gen.* xxix), ita si activam, quæ operosior est, prius exerceas vitam, bene et ordinate ingredieris contemplativam. Vel ita : « Ingredieris in abundantia sepulcrum, » id est post congesta bona vitæ præsentis opera, in secreta requie patriæ cœlestis absconderis : « sicut infertur acervus tritici, » subaudi, in horreum, « in tempore suo, » scilicet post pluvias et ventos, post solis æstum, post trituram et separationem palearum. Sic, inquam, post eloquia veritatis, quibus quasi pluviis fidelis quisque nunc pinguescit, post ventorum, id est tentationum concussionem, post solis, id est superni luminis illustrationem, recedens a societate carnalium, tanquam ab involutione palearum, infertur supernæ pacis horreum. Quod non hæc juxta litteram dixerit ipse innuit, qui post cuncta subjungit :

Vers. 27. — « Ecce hoc quod [*al.* ut] investigavimus ita est. » Quia nimirum quod investigatur non jacet ante faciem; unde patet quia in his verbis sensus subtilior excedit litteræ superficiem. Sed post cuncta ad stultitiam jactantiæ pervenit dicens : « quod auditum mente pertractas : » quia videlicet gravem suam ostendit imperitiam in eo quod vult docere meliorem.

Cap. VI. — Quædam in verbis beati Job admista sunt, quæ apud humana judicia patientiæ limitem transire videantur. Sed internus Judex et ante probationem prætulit illum dicens : « Quod non sit similis ei super terram (*Job* i), » et post probationem ejus amicos redarguit dicens : « Non estis locuti rectum coram me sicut servus meus Job (*Job* xlii). » Recta ergo sunt, nec patientiam excedunt, nec de percussione murmurat : sed potius mortem, quæ per peccatum introivit in mundum (*Rom.* v), hoc modo.

Vers. 2. — « Utinam appenderentur, » etc. Non vane aut superflue quod nunquam futurum sit, optat, sed quod vere futurum est prophetat, et eum desiderio exspectat, voce humani generis dicens : « Utinam peccata mea, quibus iram, » id est mortem, « merui, et calamitas quam patior, » id est ipsa æterna mors, non enim ait, et calamitas quam videtis, sed « quam patior, » id est pro qua suspiro « cunctis diebus quibus nunc milito (*Job* xiv), » — « peccata, » inquam, « et calamitas, quam pro peccatis patior, utinam appenderentur in statera, » id est in mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu (*I Tim.* ii). Quem idcirco stateram appellat, quia in illo « misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Psal.* xxiv), » et positis peccatis nostris in lance veritatis vel, judicii, nostram econtra calamitatem, quam pro ipsis patimur, in lance misericordiæ appendit, moxque misericordia pondus calamitatis nostræ non sustinens, stateram ipsam, id est Deum et hominem Christum usque ad mortem inclinavit, et judicii lancem tanto impetu sustulit, ut peccata nostra decuteret, et, juxta pro-

phetam, In profundum maris projiceret (*Mich.* vii). Et hoc est, quod didit :

VERS 3. — « Quasi arena maris, » videlicet quæ valde gravis est, « hæc » scilicet calamitas, « gravior appareret. Unde, » scilicet, quia nondum hoc factum est, « verba mea dolore sunt plena, » videlicet.

VERS. 4. — « Quia sagittæ Domini minæ [in me], » id est sententiæ damnationis, quas homini pro peccato intulit. « Quarum indignatio ebibit, » introrsum trahit exterioribus intentum « spiritum meum, » videlicet carnalem et elatum « et terrores Domini, » id est minæ futuri judicii, « militant contra me, « id est ab inepta lætitia reprimunt me. Nunc ostendit oppositum, quod jure verba sua dolore sunt plena.

VERS. 5. — « Nunquid rugiet onager, » id est gentilis populus, qui quasi onager, id est agrestis asinus, nullis præceptorum Dei vinculis, nullis disciplinæ tenetur stabulis ; « nunquid, » inquam, « rugiet, » id est jejunus, ut nunc, a verbo Dei gemet, « cum habuerit herbam, » id est cum præsentem supradictam Redemptoris acceperit gratiam ? « Aut mugiet bos, » id est Judaicus populus, qui jugum legis consuevit trahere, « nunquid mugiet, » id est nunquid dicet, putas videbo ? putas durabo ? putas hic me inveniet illa nativitas ? « Nunquid, » inquam, sic « mugiet, cum ante præsepe plenum steterit, » id est cum ille carnem suam comedendam, et sanguinem suum bibendum dederit pleno præsepi (AUGUST., *in Purif. B. V.*), id est in sancto altari ? Aut si quæras cur non ante illud tempus gratiæ gentilitas ad Deum converti voluerit per instructionem Veteris Testamenti.

VERS. 6. — « Nunquid, ait, « poterit comedi insulsum, » id est nunquid poterit a gentilibus libenter accipi litterale Judaicæ legis mandatum insulsum, verbi gratia, circumcisio carnis, et tale quid, « quod non est sale conditum, » id est vivificante Spiritu temperatum. « Aut gustare, » id est observare, » aliquis, » subaudi gentilium, « poterit, quod gustatum affert mortem, » id est per quod invalescens peccatum, sicut apostolus ait (*Jac.* i), operatur mortem [Cum consummatum fuerit, generat mortem] : « Nam concupiscentiam nesciebam, » inquit, « nisi lex diceret : Non concupisces (*Rom.* vii). » Non, inquam, tunc « mugiet onager, » sed dicet :

VERS. 7. — « Quæ prius tangere nolebat anima mea, » videlicet illa Scripturæ veteris sacramenta, « nunc præ angustia, » id est præ amoris vi, « cibi mei sunt. » Et « nunquid » tunc « mugiet bos ? » Non, sed idem dicet : « Quæ prius tangere nolebat anima mea, » id est gentiles, quos prius ut brutos et immundos despiciebam, et illud genus hominum, « quod gustatum, » id est mihi confœderatum, afferebat « mortem, » videlicet prohibente Deo, ne cum alienigenis fœdus inirem, « nunc præ angustia, » id est præ filiorum Israel inopia, qui converti nolunt, « cibi mei sunt, » id est mihi per fidem concorporati sunt. Quando hoc bos, id est Synagoga, dixerit, habemus in Actibus apostolorum, dicentibus eisdem apostolis : « Quia vos indignos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* xiii). » MORALITER. Moraliter hæc ita accipi possunt, ut dicat fidelis anima, timore pœnarum correpta : « Quia sagittæ Domini minæ sunt, » et cætera. Quæ non mutantur a supradicto sensu. Sed quia « perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* iv), » ut videre cupiat eum quem prius serviliter formidabat, apte subditur : » Nunquid rugiet onager, » etc. Hic onager illos signat qui in campo fidei constituti illius officii loris ligantur ,bos vero illos quos suscepti officii vel ordinis jugum premit. Qui **440** nunc quasi rugiunt et mugiunt, cum a visione Dei, quem desiderant exclusi sunt. Sed « nunquid rugiet onager, » id est aliquid fidelis privatus, « cum habuerit herbam, « id est semper virentem ejusdem visionis Dei gloriam ? « Aut mugiet bos, » id est aliquis sacri ordinis jugo pressus » cum ad præsepe plenum steterit, » id est cum ad plene videntum Deum admissus fuerit ? Aut, si quæras quare ante illud cessare a mugitu vel satiari non potest, quid interim comedet ? « Nunquid poterit comedi insulsum, » id est nunquid illum delectare poterunt fabulationes, quas iniqui narraverunt (*Psal* cxviii), aut aliquid tale, « quod non est sale, » id est divina sapientia, conditum ? Aut si quæras : Quare non festinat ut hinc effugiat per martyrium ? Nunquid sua virtute poterit « aliquis gustare, » id est dicere vel facere pro veritate, « quod gustatum, » id est dictum vel factum, « affert mortem, » id est martyrium ? Sed magis ac magis proficiens postmodum dicit quod sequitur : « Quæ prius tangere nolebat anima mea, » id est amaritudines persecutionum, quas prius formidabam, « nunc præ angustia, » id est præ tædio peregrinationis meæ, « cibi mei sunt, » id est delectabiles mihi sunt, in tantum ut desiderans dicam :

VERS. 8. — « Quis det ut veniat petitio mea ? » Videlicet, quia peto ut de illis saturetur anima mea, « Et quod exspecto, » scilicet illud, propter quod has amaritudines desidero, « tribuat mihi Deus ? » Videlicet, ubi sanctorum patientia remunerabitur. Hoc desiderium ipse exaudiat.

VERS. 9. — « Et qui cœpit, » subaudi, contereret me, sicut videtis, « ipse me conterat, » videlicet, usque ad perfectam purgationem, ne quid remaneat in me rigidum, propter quod desertum me adversario ad contritionem tradat.

VERS. 10. — Ipse, inquam, « solvat, » id est nulla recessione vel aversione ligatam habeat « manum suam, » nec dicat, Zelus meus recessit a te (*Ezech.* xvi), « et succidat me, » subaudi, a statu elationis meæ, id est humiliet me. « Et hæc mihi sit consolatio, » id est in hoc scire me faciat, quod non sim suo dignus odio, « ut affligens me dolore non parcat, » videlicet, in præsenti. « Quem enim diligit Dominus corripit [castigat] (*Hebr.* xii). »

« Nec contradicam sermonibus Sancti, id est non murmurabo de rationibus adversum me propositis : Sancti dico, ne me tumenti aut reprehendenti animo hæc loqui arbitremini. Hæc est petitio mea præ angustia supradicta.

Vers. 11. — « Quæ est enim fortitudo mea, » id est quantam enim putatis esse cordis mei duritiam ? Nunquid tantam, « ut sustineam, » id est non moleste feram peregrinationem meam ? « Aut quis finis meus? » subaudi, nonne Deus, ad quem tendo toto cursu vitæ hujus ? « Quis, » inquam, id est qualis est, « hic finis meus ? » Nunquid talis, tam levis, « ut patienter agam, » id est ut me nondum comprehendisse non doleam, vel patienter feram ? Non. « Ista fortitudo, » id est duritia, « lapidum est, » id est insensibilium hominum, qui sæpe et supernos ictus accipiunt, et nulla tamen disciplinæ percussione mollescunt. Sed :

Vers. 12. — « Nec fortitudo lapidum, » scilicet talium, « fortitudo mea, nec caro mea ænea est, » id est non sicut æs absque sensu sonitum reddit, sonat enim et non sentit, non inquam, ita caro mea quæ percussa est, vocem confessionis absque devotione cordis emittit. Ne autem arbitremini quod hanc teneritudinem cordis mihi arrogem.

Vers. 13. — « Ecce, » subaudi dico, » non est auxilium mihi in me. » Sed nec in alicujus hominis exhortatione quæ ædificet me. Quod per hoc satis patet quia « Necessarii quoque mei recesserunt a me. » Quos nunquam tempore prosperitatis sibi per dilectionem adhæsisse comprobat, universali sententia subjungendo :

Vers. 14. — « Qui tollit ab amico suo misericordiam, » id est qui in adversis amico suo non est, neque compatitur, « timorem Domini derelinquit, » id est non habere se convincit : scilicet ejus timoris Domini partes sunt amor Dei et amor proximi. Non ergo in prosperitate me proximum vel amicum suum amaverunt, quem in adversis absque misericordia dereliquerunt. Consequitur quod mea dilexerunt, id est non propter me, sed propter mea mihi adhæserunt. Et hoc est quod per simile ostendit.

Vers. 15. — « Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in convallibus, » id est sicut torrens inundat pastus aquis, quæ decurrunt de montibus, et arescit eisdem aquis deficientibus, sic amici mei confluebat prosperis manentibus, nunc defluxerunt eisdem deficientibus. Nunc de talibus judicialem quoque profert sententiam.

Vers. 16. — « Qui timent pruinam, » id est qui abhorrent temporalem miseriam ; pruina namque inferius congelascit, et ideo frigus significat terrenæ adversitatis, qui, inquam, abhorrent pruinam ejus, quam in me vident, miseriæ temporali, « irruet super eos nix, » id est gravius judicium de supernis. Nix enim de superioribus ruit, et ideo significat desuper venientem iram Dei.

Vers. 17. — « Tempore quo fuerint dissipati peribunt. » Permanet in metaphora. « Irruet, » inquit, « super eos nix, » et sicut nix ad horam nitet, et mox ut incaluerit liquescit, et perit, sic ipsi ad tempus nitidi, « tempore quo fuerint dissipati, » scilicet per separationem animæ et corporis, « peribunt. » Et cum incaluerint [ut incaluerit], id est examine divino anxiati fuerint, « solventur, » scilicet sicut supradicta nix, « de loco suo, » id est de eo cui inhæserant suæ carnis oblectamento.

Vers. 18. — « Involutæ sunt semitæ gressuum eorum, » id est quia terrenorum amore nimio præpediuntur, etiamsi velint peccata effugere, in semetipsos relabuntur, et unum vitantes, in aliud, velut cæci, replicantur. Qui, quia sola quæ transeunt cogitant, et de his quæ secum permaneant, nihil curant, « ambulabunt, » inquit, « in vacuum, » videlicet nil secum præter peccata portantes, « et peribunt. » Ab illorum imitatione compescens auditores suos, convertitur ad eos. et dicit :

Vers. 19. — « Considerate semitas Theman, » id est Austri. Theman enim interpretatur *Auster*, et significat nunc fluxam vivendi remissionem, quia tepidus ventus est. « Itinera Saba, » scilicet, « considerate. » Saba interpretatur *rete*. Ac si dicat : Considerate vitam eorum, ad quem finem deveniat, qui fluxe et remisse vivunt, ei ideo peccatorum retibus involvuntur gressus eorum, ut supradictum est. « Et exspectate paulisper, » id est differte temporales hujus mundi delicias, ut inveniatis sempiternas.

Vers. 20. — « Confusi sunt, quia speravi. » — » Exspectate, » inquam, « paulisper, » et videbitis quomodo gementes turbabuntur timore horribili, qui jam confusi sunt et erubescunt (*Sap.* v), « quia speravi, » id est quia spem nequeunt extorquere mihi quam in Deo posui. « Venerunt quoque usque ad me, » id est non solum corporis vulnera viderunt, sed et mentis constantiam inter adversa deprehendendo nunc, in die autem judicii meam cum sancta Ecclesia gloriam conspiciendo, « venerunt » et venient « usque ad me, et pudore cooperti sunt, » nunc, quia, ut suppradictum est, « speravi, » tunc autem et pudore cooperientur, cum a gloria, quam videbunt, fuerint repulsi. Hæc sub persona Ecclesiæ locutus est de his qui ab illa tempore tentationis recedunt (*Luc.* viii) : nunc ex illorum numero amicos suos esse redarguit, dicens :

Vers. 21. — « Tunc [Nunc], » id est paulo ante, « venistis, » subaudi me consolari, et nunc [modo], id est tam cito, « videntes plagam meam timetis, id ast abhorretis, et cum horrore mei nunc primum tremendi judicii Dei recordamini, ac si dicat : Cur vobis tam cito gravis sum ? Nunquid in aliquo vobis onerosus fui ? Hoc est, quod subjungit :

Vers. 22. — « Nunquid dixi, Afferte mihi, 441 et de substantia vestra date [*al.* donate] mihi, » videlicet quia pauper factus sum ? hoc non dixi, quod vobis forsitan esset grave. Aut nunquid dixi :

Vers. 23. — « Liberate me de manu hostis, » id est de fortitudine vel percussione Satanæ ? « Et de

manu robustorum, » id est de viribus malignorum spirituum« eruite me?» Nec hoc dixi, quod profecto vobis esset impossibile. Nunc concedendo dicit ironice :

VERS 24. — « Docete me, et ego tacebo, » videlicet quia hoc vultis, ut vobis docentibus, id est reprehendentibus, « ego taceam, » scilicet veritatem conscientiæ meæ, « et si quid ignoravi, » id est ignoranter peccavi, « instruite, » id est corrigite « me. » Quam ironiam absque ullo tumore a se prolatam, manifeste innuit per hoc quod paulo inferius subjungit : « Super pupillum irruitis. » Ac si dicat : Hoc non est docere vel instruere, sed super me pupillum irruere. Qui in eo pupillus sum, quod totus mundus dereliquit me.

Nunc eosdem et corripit humiliter et docet sapienter.

B VERS. 25. — « Quare detraxistis, » scilicet in superiori sermone, quem sic finivit Eliphaz, « quod auditum mente pertracta (*Job* v). » — Quare, inquam, detraxistis sermonibus veritatis, » videlicet quos ego sic finivi, « et venit super me indignatio (*Job* III), » — « cum e vobis nullus sit, » subaudi, adeo simplicis oculi erga me, « qui possit arguere me, » subaudi, jure. Non enim debet arguere, nisi is qui irreprehensibiliter loquitur et ex charitate. Vos autem :

VERS. 26, 27. — « Ad increpandum tantum, » videlicet non etiam ad proficiendum « eloquia concinnatis, et in ventum, » id est absque pondere discretionis « verba profertis, et subvertere nitimini, » subaudi a spe sua, « amicum vestrum, » id est amantem vos etiam nunc, cum debitam subtrahitis benevolentiam. Sic videlicet sancta Ecclesia obtrectantium quoque hæreticorum salutem amat.

C VERS. 28. — « Verumtamen, » id est licet ego vos non amantes amen : « quæ cogitastis [*al.* cœpistis] explete, » videlicet si non cessatis solo veritatis amore « Explete, » inquam, scilicet ne putetis rationis conventum subterfugere. Præbete aurem, » id est cordis benevolentiam, et illa purgante oculum intelligentiæ : « videte an mentiar, » et hoc videntes, id est discernentes :

VERS. 29. — « Respondete, obsecro, » id est sensibus vestris consona dicite : « absque contentione, » videlicet quia fervor vel intentio contendendi facit hæreticos, et omnes perversos, cum verum sentiant, mendacium loqui, quod est dicere verbum contra Spiritum sanctum. « Respondete, inquam, et loquentes id quod justum est judicate, » id est ab injusto discernite.

D VERS. 30. — « Et » cum sic intenderitis, « non invenietis, » id est non confingetis, in lingua mea iniquitatem, » subaudi esse, « nec in faucibus meis stultitia personabit, « scilicet vestro quoque judicio. Abhinc incipiens et interloquentibus amicis prosequens omen, quod recte sentit, latius aperit.

CAP. VII, VERS. 1. — « Militia est vita hominis

A super terram. » Ac si dicat : Quid putatis, cur dixerim : « Pereat dies in qua natus sum (*Job* III), » et cætera. Putatis quod de particulari die nativitatis meæ dixerim, et non potius de universo humanæ mortalitatis tempore, quæ in maligno die posita est, et ut verius dicam, in nocte, id est in tenebrarum principe. De illo die dixi, ideo scilicet, quia in illo, id est propter illum, « vita hominis, » quæ debuerat esse visio æternæ pacis, « militia est super terram. » — « Et sicut dies mercenarii, » scilicet in labore et æstu præstolantis finem operis, ita « dies, » id est vita, « ejus, » subaudi hominis, videlicet qui ad hoc conditus est, ut non marcenarius esset, sed filius, civis; non peregrinus, non mendicus, sed dominus. Unde ego nunc doleo, videlicet quia :

VERS. 2. — « Sicut servus desiderat umbram, » sic in præsenti exsilio serviens in æstu afflictionis desidero umbram, id est refrigerium illius quietis, cujus plenitudinem primus homo perdidit : « et sicut mercenarius præstolatur finem operis, » videlicet a mercede vacuus antequam finiatur :

VERS. 3. — « Sic et ego habui, » id est transegi, « menses, » id est circuitus vitæ mutabilis. Luna namque circumeundo, ac se permutando mensem perficit. « Menses, inquam, vacuos, » id est circuitus nondum remuneratos, et adhuc sui finis ignaros, videlicet quia quamvis fideliter militans non me comprehendisse arbitror (*Philip.* III) ; « et noctes laboriosas, » id est adversitates non solum inopia, sed et cruciatibus plenas « enumeravi mihi, » scilicet mercedem in spe computans mihi pro singulis. Satis perspicuum est qualiter hæc dicta Ecclesiæ congruant universaliter. Quæ sequuntur, aperte in propria ejus patent persona, sed minus aperte, id est nonnisi per expositionem, hæc intelligimus in sancta Ecclesia.

VERS. 4. — « Si dormiero, dicam : Quando consurgam ? Et rursus evigilabo [*al.* Et rursum exspectabo vesperam]. » In nocte quippe dies, inde vespera desideratur, quia nimirum dolor non permittit placere quæ adsunt; « et replebor doloribus usque ad tenebras. » Et hoc in persona ejus clarum est, quia mens afflicti semper ad alia per exspectationem intendit. Sed et causa ejusdem doloris nota in eo, quam exprimit, dicendo :

VERS 5. — « Induta est caro mea putredine » et cætera. Videlicet quia « a planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas (*Isa.* I). » Sed et hæc in persona Ecclesiæ, quam sua mutabilitas in hac peregrinatione fatigat, exponenda sunt. « Si dormiero, » id est si in contemplatione rapta fuero, ita sum mutabilis ut « dicam : Quando surgam, » id est, quando ad exteriora relaxabor : dicit enim palpando sibi nonnunquam etiam fortis animus : Non semper tenditur arcus. « Et rursum, » scilicet cum fuero remissa in exterioribus, « expectabo vesperam, » id est desiderabo comtemplationis silentium, « et replebor doloribus usque ad tenebras, » id est donec præsens finiatur vita. Vel ita : « Si dormiero, » id est si in

torpore otii fuero, exercitationem desiderans dico : « Quando consurgam ? et rursus exspectabo vesperam, » id est et in quiete exercitum actionis, et in exercitatione, quæro otium quietis, Et hanc mutabilitatem mihi, scilicet Ecclesiæ, causa hæc maxime importat, quod « caro mea; » id est carnales, qui sunt membra mea, « industa sit putredine et sordibus pulveris, » id est per fidem quidem mundi, sed per operationem sunt immundi. Et hæc causa, « quod cutis mea, » id est hi qui solis exterioribus intendunt, sicut cutis exterius in corpore tenditur, « aruit, » scilicet ab humore cœlestium, « et contracta est, » scilicet diligendo præsentia, et non tendendo ad æterna.

Vers. 6. — « Dies mei, » scilicet dies præsentis mortalitatis, « velocius transierunt, quam a texente tela succiditur. » Congrua valde similitudo. Nam, sicut tela infra supraque ligata, duobus lignis innectitur, sic vita præsens ortu mortis occasu concluditur. Et sicut tela quanto inferius texta involvitur, tanto superius texenda deplicatur, et fit minus ; sic vitæ nostræ dies quo plures sunt præterii, eo pauciores sunt futuri. Sed « velocius, inquit, transierunt dies mei, » videlicet quia in texendo sæpe mora fit, et laborantis manus otio figitur, sed nulla est in evolvendis mora diebus. « Et consumpti sunt absque ulla spe, id est prætereundo nil reliqui faciunt cur in illis debeam sperare. Nunc ad Deum a prædictis miseriis erigens oculos dicit :

Vers. 7. — « Memento » mei Deus, scilicet « quia » nisi memineris, « ventus est, » id est inanis, et perdita est « vita mea et non revertetur, » scilicet ad pristinam tui visionem, « oculus meus, » videlicet suasu serpentis tenebratus, cum ille diceret, « Aperientur oculi vestri (*Gen.* III). » — « Non, **442** inquam, revertetur ut videat bona. »

Vers. 8. — « Nec aspiciet me, » subaudi si non memineris mei, « visus hominis, » id est misericordia, scilicet Redemptoris. Non « aspiciet me, » dico, id est non visitabit me Verbi tui humanatio. Nam visitatio Filii Dei humanam formam assumentis, pulchre notatur hic per visum hominis. Vel ita : Memento mei, scilicet dum vivo, quia jam exutam carne animam, nequaquam visus hominis, id est gratia Redemptoris ad pœnitentiam respicit. « Oculi tui in me, » id est districtio judicii tui, si non prius memineris, id est respexeris, stabit contra me, « et non subsistam, » id est ad perferendum judicium tuum non assurgam. Non subsistam, dico, sed.

Vers. 9. — « Sicut consumitur nubes et pertransit, » videlicet impulsa et calore solis dissipata ut evanescat, « sic qui descenderit ad inferos, » videlicet maligno spiritu abstractus, et calore solis, id est respectu superni judicii liquefactus, « non ascendet, » id est ad operationis usum non redibit.

Vers. 10. — « Nec revertetur ultra in domum suam, » id est in præsentem vitam, vel in corporis A habitationem, vel ad Conditoris sui contemplationem, « neque cognoscet, » id est non requiret « eum amplius locus ejus, » id est conditor Deus, qui fugitivum subsequens, ut ita dixerim, ad retinendum quam amiserat hominem locus invenit.

Vers. 11. — « Quapropter et ego, » scilicet dum vivo, dum pœnitentiæ locum habeo « non parcam ori meo, » id est contra meipsum os aperiam, et verbis propriæ confessionis sæviam. « Loquar, id est iniquitatem meam annuntiabo, « in tribulatione spiritus mei, » id est in planctu et lacrymis; « confabulabor, » id est consilium inibo « cum amaritudine animæ meæ, » qualiter me abscondam, vel fugiam ab æterno tanti judicis verbere. Confabulari cum amaritudine animæ est ratione obviare cogitationi-
B bus desperationis, quas in acerba adversitate suggerit amaritudo animæ, hoc modo :

Vers. 12. — « Nunquid mare sum ego, aut cetus ? » id est nunquid habitatio diaboli sum ego, aut ipse diabolus, « quia circumdedisti me carcere, » o amaritudo animæ meæ ! id est quia cogis me desperare, neque sinis meipsum in gaudio spirituali dilatare, multum me cogis.

Vers. 13. — « Si dixero : Consolabitur me, » scilicet in mea afflictione, « lectulus meus, » id est secretum conscientiæ meæ, « et relevabor, » scilicet ab hoc tristium curarum pondere « loquens mecum, » id est cogitans aliqua bona quorum mihi conscius sum, « in stratu meo, » id est in cordis mei secreto.

C Vers. 14. — « Terrebis me per somnia, » id est per imaginationes reduces mihi ea quæ passus sum adversa vel quæ restant adhuc in futuro judicio metuenda, « et per visiones, » id est, per cogitationes, « horrore » scilicet malorum meorum, « concuties. »

Vers. 15, 16. — « Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam jam vivam. » Hæc ad litteram stare non possunt, maxime quia mox sequitur : « Parce mihi, » Domine, quod non consonat cum desperatione. Nisi ita accipiatur quod ait, « confabulator cum amaritudine animæ meæ, » ut ea quæ supra dixit : « Nunquid mare sum ego, aut cetus, » et cætera, verba sint rationis, et hæc dicta, « suspendium elegit anima
D mea, Dei [*f.* despera.], » verba sint amaritudinis desperationem male suggerentis. Sed sic bene possunt mystice accipi. « Suspendium, » id est cor suspendere sursum ad Deum, « elegit anima mea, » id est intentio mea; « et mortem, » id est mortificationem, subaudi elegerunt, « ossa mea, » id est carnis fortitudo nociva, juxta illud : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram (*Coloss.* III), » et hoc modo sequitur hic sensus : « Desperavi, » id est, bona præsentis vitæ sprevi; « nequaquam jam vivam, » subaudi in illis, videlicet quia elegi mundo mori. Sic non repugnat hoc quod sequitur : « Parce mihi, Domine, quod dictum patet desperationis non esse. « Parce, « inquam : nam expedit ut parcas :

« nihil enim, » subaudi te non parcente, facti « sunt dies mei, id est dies vitæ præsentis, et hoc affirmat subjungendo :

Vers. 17. — « Quid est homo, » videlicet cum sit mortalis factus peccando? subaudi nihil. Hoc ideo miror, « quia magnificas eum ? » scilicet largitate rationis et honore ditando collatæ virtutis : « aut qui ponis [*al.* quid apponis] erga eum cor tuum ? » id est adducis ad inquisitionem examinis tui tam infirmum?

Vers. 18. — « Visitas, » id est luce tuæ cognitionis illustras, « eum diluculo, » id est post fugatas erroris sui tenebras, « et subito, » id est post visitationem, repentina tentatione « probas illum. »

Vers. 19. — « Usquequo, » subaudi extendetur hoc quod « non parcis mihi, » sicut supra dictum est, « nec dimittis me, » subaudi ab hac fatigatione mortalitatis respirare ita « ut glutiam, » id est in ventrem animæ, qui est ipsa mens, « excipiam [*al.* glutiam] salivam meam, id est divinitatis tuæ dulcedinem ? Saliva, quæ a capite descendit, significat suavitatem divinitatis. Caput enim Christi Deus, qui quasi saliva in ore tenetur, sed præ infirmitate non glutitur, quia dulcedo divinitatis nunc quidem a perfectis valet degustari, sed quia plenitudinem ejus mortalis infirmitas non capit, quasi saliva non potest glutiri. Cujus infirmitatis causam confitendo subjicit.

Vers. 20. — « Peccavi. » Et satisfacere cupiens addit : Quid faciam tibi, o custos, » id est inspector, « hominum ? » Subaudi, nescio. Nam quidquid possum, tibi deberem, etiamsi non peccassem. Prosequitur per conquestionem : Quare posuisti me contrarium, » id est inimicum tibi? Unde Apostolus: « Cum, inquit, inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* v). » — « Posuisti, inquam, me contrarium tibi, et » idcirco, « factus sum mihimetipsi gravis, » id est aggravo animam meam corpore corruptibili. Si ideo quia peccavi, imo quoniam ideo quia peccavi « factus sum mihimetipsi gravis. »

Vers. 21. — « Cur non tollis peccatum meum ? » subaudi, originale; et quare non aufers iniquitatem meam, » subaudi actualem ? « Cur, inquam, non tollis, » vel per adventum Redemptoris, qui tollit peccata mundi (*Joan.* i), vel per imitationem resurrectionis ? « Ecce, » scilicet quia peccavi, « nunc, » id est in morte carnis, « in pulvere dormiam, et si mane, » id est in die judicii, « me quæsieris, » id est sollicite remota pietate discusseris « non subsistam, » id est damnationem non evadam.

Cap. VIII, Vers. 1, 2. — « Respondens autem, » id est eruditionis verba diutius non ferens, « Baldad Suhites dixit : Usquequo loqueris talia ? » Injustis enim semper gravia sunt verba justorum. Unde et hic qui « usquequo » dicit, quod ædificationis verba jam portari non possint, ostendit. « Usquequo, inquit, loqueris et spiritus multiplex, » id est affluens, non dico sapientiæ cordis tui, sed « sermonis oris tui, » subaudi usquequo se non continebit ? Hoc di-

A cendo notat eum quod habeat eloquentiæ multum, sed sapientiæ parum.

Vers. 3. — « Nunquid Deus supplantat judicium, aut Omnipotens subvertit quod justum est ? « Hoc ex eo, quod beatus Job dixerat : « Utinam appenderentur peccata mea, et calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret (*Job* vi), » prave intellexit, et hanc in eum calumniam struit, quod dixerit, Deum supplantatorem esse judicii. Et superni examinis rectitudinem prætendens, ne non sua solummodo peccata otpet appendi in statera.

Vers. 4. — « Etiamsi filii tui, inquit, peccaverunt, et dimisit eos in manu iniquitatis suæ, » et cætera. Ac si diceret : Non solum pro tuis, sed et
B pro suis peccatis, fil i tui juste exstincti sunt. Sed licet ita sint.

Vers. 5. — « Tu tamen, » subaudi cujus negligentia perierunt, quia corripere eos debueras **443**, « si diluculo, » id est peccatorum tuorum nocte per pœnitentiam deleta, « surrexeris ad Deum, videlicet a quo elongatus es, dum in peccato jaces ? et Omnipotentem fueris deprecatus ; » et quia deprecatio non exauditur, nisi mundo corde fundetur.

Vers. 6. — « Si mundus, » videlicet in cogitatu, « et rectus, » scilicet in opere, « incesseris coram eo, » id est ubi ipse videt in interiori tuo, « statim evigilabit ad te, » subaudi, qui nunc ab adjutorio errantis videtur dormire, « et pacatum reddet, » subaudi quod nunc eversum est, habitaculum justitiæ, » id est statum præsentis vitæ eo modo quo dixi,
C justifica te. « Pacatum, inquit, reddet. »

Vers. 7. — « In tantum ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis. » Sic hæretici afflictis catholicis pacem, videlicet a contentione sua, et multiplicatione bonorum temporalium repromittunt, si convertantur ad sectam ipsorum, quam putant puram esse quasi diluculum. Et quia sententias quoque Patrum antiquorum in argumentum sui erroris proferunt, recte subditur :

Vers. 8, 9. — « Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam. Hesterni quippe, id est rudes, « sumus et ignoramus, » subaudi aliud quam quod a patribus discimus. « Investiga, » inquam, subaudi, et hoc ex præteritis invenies, « quoniam sicut umbra dies nostri sunt su-
D per terram » videlicet, quia sicut illla fugerunt quæ præterita sunt, sic ista quoque fugiunt quæ nunc præsentia sunt.

Vers. 10. — « Ipsi, » scilicet patres, « docebunt te, » subaudi, hoc quod non vis a nobis discere, » et de corde suo » scilicet, non ut in ore superfluo « proferent eloquia. »

Vers. 11. — « Nunquid virescere potest scirpus absque humore ? In hac similitudine intendit Baldad ostendere quod beatus Job, velut hypocrita, dudum in laude vel cultu Dei propter dona ejus temporalia viruerit, et nunc subtractis eisdem donis contra justitiam ejus murmurando nimium aruerit.

Et quidem fortia sunt valde quæ dicit, sed quia contra sapientem profert ea, æque dicere debuerat stultis, quasi hortis sitientibus aquam in flumina fundit, more hæreticorum, quorum linguam persæpe sic movet veritas ut vitam ipsorum feriat. « Nunquid virescere, » ait, id est virorem, aut speciem alicujus virtutis habere, » potest scirpus, » id est hypocrita, « absque humore, » id est, absque aliquo dono supernæ gratiæ, vel sine incitamento laudis humanæ ? Scirpus enim est herba absque nodo, qua segetes conteguntur, significans hypocritam, qui absque vitio se esse ostentans, veros justos opinione sanctitatis supergredi nititur. « Aut » subaudi nunquid, « carectum crescere potest sine aqua, » id est hypocrita nunquid conspicuus esse postest sine aliqua data sibi desuper scientiæ vel si- B gnorum potentia ! Carex enim est herba acutissima et durissima, sparto similis, hypocritam significans per hoc quod sequitur, videlicet quia :

Vers. 12. — « Cum adhuc sit in flore, » id est in laude, « nec carpatur manu ; » quisquis enim hypocritam corripere audet, protinus asperitate illius vita corripientis secatur ; « ante omnes herbas arescit, » id est ante vitæ terminum, quo omnis caro arescit, de qua dictum est : « Omnis caro fenum (*Isa.* xl), » ante vitæ terminum, inquam, vitæ hypocritarum vita siccatur, id est ab assumptæ rectitudinis viriditate arescit. In hoc acerbe nimis beatum Job denotat, quod velut scirpus cito in æstu tribulationis aruerit, eo quod hypocrita fuerit, et velit carectum manum carpentis secuerit, eo quod superioribus dictis Eliphaz tanquam spinosis obviasset C sententiis.

Vers. 13. — « Sic vita [viæ], inquit, omnium qui obliviscuntur Dominum, » subaudi ante vitæ terminum a virtute deficit ; et spes hypocritæ, » id est humana laus, quam magnis laboribus appetit, « peribit, » id est decrescet temporum impulsa momentis.

Vers. 14. — « Non ei placebit, » scilicet ea quæ nunc placet, vecordia sua, quia videlicet multum vecors est, qui, unde cœli regnum mereri potuit, inde transitorii sermonis nummum quærit. « Et sicut tela aranearum, » subaudi grandi labore texta levi vento dissipatur, sic « fiducia ejus » id est opus bonum, de quo sibi confidit, levi aura favoris humani tollitur.

Vers. 15. — « Innitetur » subaudi in examine in- D terni judicis, « super domum suam, » id est super laudatam ab adulatoribus vitam suam ; « et non stabit, » subaudi sed cadet, sicut in parabola decem virginum liquido cunctis apparet (*Matth.* xxv). « Fulciet eam, » scilicet enumeratione operum suorum, « et non consurget » videlicet dicente Judice : « Nunquid novi vos ? discedite a me (*ibid.*). » Sic in judicio reprobandus.

Vers. 16. — « Humectus » charitate, irriguus « videtur » scirpus, id est hypocrita, « antequam veniat sol, » scilicet Christus ad judicandum, « et in ortu suo germen ejus egredietur, » id est sicut scirpus cum flore suo nascitur, quod cæteræ herbæ non faciunt, sic hypocrita mox, ut boni quid agere incipit, quærit quod sancti viri non faciunt, ut a cunctis honoretur.

Vers. 17. — « Super acervum petrarum, » id est propter turbam hominum admirantium, « radices ejus densabuntur, » id est cogitationes ejus ad ostensionem boni operis multiplicabuntur, « et inter lapides, » id est inter homines illum aspicientes, « commorabitur, » id est in bono opere stare conabitur.

Vers. 18. — « Si absorbuerit eum, » scilicet internus arbiter, « de loco suo, » id est a præsentis vitæ favoribus, in quibus tota mente collocatur, « negabit eum, et dicet : Non novi te, » id est non approbo te, sicut in Evangelio fatuis virginibus : « Amen, » inquit, dico vobis « nescio vos (*Matth.* xxv). » Et merito.

Vers. 19. — « Hæc est enim lætitia viæ, » id est præsentis vitæ, « ejus ut rursum de terra, » id est de imitatione sua, « alii germinentur, » id est multi hypocritæ propagentur.

Vers. 20 — « Deus non projiciet simplicem. » Ac si dicat : Illum noli imitari, sed esto simplex quia Deus « non projiciet simplicem subaudi cujus nunc despicitur simplicitas « ne porrigat [nec porriget] manum malignis, » scilicet supradictis, id est quærentes terrenam, gloriam non elevabit ab imis.

Vers. 21. — « Donec impleatur risu os tuum, » id est exhilaretur abundantia lætitiæ sempiternæ os tuum, « et labia tua jubilo, » id est ineffabili supernæ laudis cantico. « Donec » autem dicitur, non quod post electorum jubilum Deus malignis porrigat manum, sed, sicut dictum est : « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* cix), » quod postquam factum fuerit, Filius ad dexteram Patris residere non desinet. Sic nunc dicitur, « donec impleatur risu os tuum, » quod postquam factum fuerit, malignos percutere, id est in inferno punire Deus desinet.

Vers. 22. — « Qui oderunt te, » subaudi si fueris simplex, « induentur confusione, » videlicet in extremo examine, quando confusio plena erit, scilicet quia et foris internus judex videbit, et intus ante oculos culpa versabitur. « Et tabernaculum impiorum, » id est ædificatio terrenæ felicitatis eorum, « non subsistet, » scilicet quia veritatis fundamentum non habet, irrecuperabili ruina in æternum interitum corruet.

Cap. XI, Vers. 1, 2. — « Et respondens Job ait : Vere scio quod ita est. » Beatus Job discernendis contradicentium sensibus æquissimus arbiter residens, qui bonorum omnium mos est, sic studet eradicare quod pungit, ut noverit servare quod reficit, id est sic perversos dijudicat ut quæ recte dicuntur, assumat, dicens : « Vere scio quod ita est, » scilicet quia, sicut dicis, Deus non supplantat judicium et quod non subsistet fiducia hypocritarum (*Job.* viii). **444** Moxque eumdem prosequitur quem incœptum

Baldad interruperat sermonem, recurrens ab verba Eliphaz et per disjunctionem interpositam hoc modo continuans : « Vere scio quod ita sit, » subaudi ut Baldad dicit, « et quod non justificetur homo compositus Deo » subaudi sicut Eliphaz superius dixit. Dixerat enim : « Nunquid justificari potest homo compositus Deo ? (*Job* xxv). Subaudi non. Homo quippe suppositus Deo justitiam percipit, compositus amittit. Hoc est quod ait :

Vers. 3 — « Si voluerit contendere cum eo, » id est, si voluerit gloriam suæ virtutis sibimet arrogare, et non Deo, non poterit respondere ei unum pro mille, » id est non poterit initium bene vivendi in se ostendere dum præsumit de perfectione vitæ. Unum enim pro bene vivendi initio, millenarius pro perfectione vitæ ponitur hoc loco. Nam quomodo denarius per semetipsum ductus in millenarium tenditur (decies enim decies mille sunt), sic monas multiplicando in denarium ducitur, hoc modo : Semel decem, semel decem sunt. Hic ergo per unum bene vivendi initium, per mille perfectio designatur. Ac si aperte dicat : Si perfectionem sibi arrogat, nec initium bene vivendi habet. Et ne quis facile putet esse cum Deo inire contentionem.

Vers. 4. — « Sapiens, inquit, corde est » scilicet quia occulta nostra subtiliter cognoscit ; « et fortis robore, « videlicet quia valenter cognita percutit. Et hoc probat ab effectis. « Quis, inquit, restitit ei et pacem habuit ? » Videlicet nec angelicus spiritus, qui resistendo cadens impacatus et inquietus factus est ipse sibi, nec primus humani generis parens, qui mox ut præcepto restitit, primus contumeliosam in se carnis pugnam sensit.

Vers. 5. — « Qui transtulit montes. » Hoc ad illud respicit quod superius Eliphaz adversus eum dixerat. « Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles (*Job* iv), » etc. Non quia contra ipsum hoc ille de superbientibus angelis dixerat, mira Dei cum beato viro agitur gratia, ut virtute prophetici spiritus remunerata ejus patientia, simile aliud futurum prævideat de humana superbia, id est de gente Israelitica, quia quod in illa gente Deus superbam reperit incredulitatem, simile est ei quod in angelis suis, ut ait Eliphaz, repererit pravitatem. Hinc est quod ait : « Qui transtulit montes, » id est apostolos, scilicet a Judæis ad gentes, « et nescierunt hi, » subaudi Judæi « quos subvertit in furore suo, » subaudi quantum lumen amitterent interius vel quod expellendo apostolos ipsi a gratia Dei subverterentur.

Vers. 6. — « Qui commovet, » subaudi per Titum et Vespasianum, « terram, » scilicet Judæam, « de loco suo, » videlicet subversa civitate et templo, « et columnæ ejus, » id est sacerdotes, principes, legis doctores atque Pharisæi, « concutientur [concutiuntur], id est in illa terra habitare non permittentur.

Vers. 7. — « Qui præcipit soli, » id est prædicantium vitæ fulgenti « et non oritur, » scilicet Judæis a quibus animum prædicantium Deus avertit. « Et stellas, » id est eosdem prædicatores, noctem vitæ præsentis doctrinæ claritate illustrantes, « claudit, » id est amovet ab illis, » quasi sub signaculo, » id est iia ut iterum ad eos quandoque mittantur, sicut aliquid idcirco sub sigillo claudimus, ut hoc, cum tempus congruit, ad medium proferamus.

Vers. 8. — « Qui extendit, » id est, in cunctarum gentium cognitionem dilatat, » cœlos solus; » id est apostolos a Judæis expulsos, de quibus dictum est : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* xviii), » — » et graditur, » scilicet per eosdem apostolos miraculorum operatione, « super fluctus maris, id est super elationes persecutionis, quas mundus extulit, scilicet ipse sublevata prædicantium virtute mirabiliter stravit.

Vers. 9. — « Qui, » subaudi hoc modo vel ordine, « facit arcturum, » id est sanctam Ecclesiam, quæ, sicut arcturus, septem stellis tota nocte versatur, et non occidit, imo versando erigitur ita quodammodo septiformi Spiritu disposita cunctis tribulationibus fatigata non deficit, sed potius adversis reficitur et convalescit ; « et oriona, » id est sanctos martyres. Oriona quippe in ipso pondere temporis hiema is oriuntur, et ortu suo tempestates excitant Sic martyres persecutionis molestias passuri ad cœli faciem quasi in hieme venerunt, et ipsis fidei testimonium perhibentibus, frigida mens in fidelium tempestatem persecutionis excitavit (9). « Et hyadas, » id est sanctos doctores, qui dum subductis martyribus fide Christi clarius lucente, ad mundi notitiam venerunt, quasi verbo tempore hyades post oriona ad cœli faciem prodierunt, « et secundum nomen hyadum (dicuntur enim hyades a Græco ὑητὸς quod latine dicitur *pluvia*, quia ortæ procul dubio imbres ferunt) secundum nomen, inquam, hyadum super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbrem fuderunt (10). « Et interiora austri, id est occultos ordines angelorum, in quibus est quasi calor austri, id est plenus amor Spiritus sancti ; angelorum, inquam, ordines, quos per interiora austri significans, ideo post oriona et hyadas posuit, quia supradictis martyribus atque doctoribus Deus angelorum cohabitationem præparavit.

Vers. 10. — « Qui, » subaudi Deus, præter hæc quæ dicta sunt, « facit magna et inscrutabilia, quorum non est numerus. » Magna » scilicet virtute, et inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate. Hic tantus ac talis, heu !

Vers. 11. — « Si venerit ad me, » videlicet alicujus doni largitione, « non videbo eum, » id est ignorabo dantis judicium, videlicet utrum sit remuneratio, an ad melio a provectio, id est utrum desertum hic remuneret, an in via nutriat ut ad patriam perducat. « Et si abierit, » id est si tentari me permise-

(9) D. Gregor. Moral lib. ix, cap. 11.

(10) *Ibid.*

rit, « non intelligam, » scilicet utrum ad probationem fiat, an ad damnationem. « Non intelligam, » inquam, quia postquam semel sponte perdidi mentis oculos, quasi nec ortum jam nec occasum solis agnosco.

VERS. 12 — « Si repente interroget, » videlicet ad suum examen inopinatos vocando, vel duris percussionibus pulsando, « quis respondebit ei » subaudi de suis confidens meritis : « vel quis dicere potest ei : Cur ita facis ? » subaudi nemo. Nam, « o homo, » inquit Apostolus, » tu quis es qui respondeas Deo ? nunquid potest dicere [nunquid dicet] figmentum ei qui se finxit : Quare me fecisti sic ? » (*Rom.* IX.)

VERS. 13. — « Deus » subaudi sic sapiens corde, et sic fortis robore est « cujus resistere iræ nemo potest, » videlicet nisi ab ipso accipiat, quemadmodum Moses, cui dicebat ipse : « Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos (*Exod.* XXXII), » quod dicendo, qui utique, si nollet, teneri non poterat, deprecandi magis ausum præbebat. Cæterum invito eo iræ ejus verbi gratia, dum eamdem gentem Judaicam abjicere vult, « nemo resistere potest, sub quo curvantur, » id est econtra dum Judæi abjiciuntur, ad fidem ejus inclinantur « qui portant orbem, » id est reges quoque gentium. Portant enim qui regunt orbem. Unde et dicuntur Græce *basilæi*, id est bases populi. Βασιλεύς quippe componitur ex Latino basi et Græco λαὸς, quod Latine dicitur *populus*. Vel ita, « qui portant orbem, » id est angelici spiritus, qui cum omnes administratorii spiritus sint (*Hebr.* II), bene portare orbem dicuntur, sub illo curvantur, id est fortitudini ejus trementes inclinantur.

VERS. 14. — « Quantus ergo ego sum, » subaudi, qui pondere corruptionis angustor « ut respondeam ei, » videlicet quem angelica quoque, ut dictum est, creatura tremit, vel considerare non sufficit. « et loquar verbis meis, » **445** subaudi multum in comparatione sapientiæ ejus infantilibus, cum eo, subaudi de judiciis ejus disputando ?

VERS. 15. — « Qui si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, » subaudi si districte judicare velit, « sed meum judicem deprecabor, » videlicet quia imperfecta et timida hominis justitia est, et ideo prece indiget.

VERS. 16. — « Et cum invocantem me exaudierit, » quod videlicet agnoscitur interdum per hoc, quod infusione amoris sui attentius oranti gratiam suam ostendit, « non credo, » id est, non secure confido « quod audierit vocem meam, » videlicet repentina tentatione animam, quæ ad Deum erecta fuerat, percutiente, juxta illud Psalmistæ : « Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos (*Psal.* CVI, XXVI. »

VERS. 17. — « In turbine enim, » id est, in elementorum commotione, scilicet quando manifeste veniet, « conteret me, » videlicet, nisi me conteri nunc metuam sollicite : « Et multiplicavit (*al.* multiplicabit) vulnera mea, etiam sine causa. » Ac si dicat ;

A Et ex eo quoque colligitur, quam terribilis est, quod multiplicavit vulnera mea, id est, damnationem humani generis, « sine causa ; » quod maxime in parvulis mirum, non tamen injustum est, qui « sine causa, » scilicet actualis peccatis, pro solo originali peccato detruduntur apud inferos. Quod tamen in beato Job specialiter accipi potest, eo modo quo et Dominus dixerat de illo : « Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra (*Job* II). »

VERS. 18. — « Non concedit requiescere spiritum meum, » scilicet de mala opinione sollicitum, quia credunt me homines ob scelera mea percussum. « Et complet me amaritudinibus, » scilicet hoc modo, dum exterius tormenta lacerant, et interius tentationes turbant.

B VERS. 19. — « Si fortitudo quæritur, » subaudi ad evadendem hæc mala, « robustissimus, » id est omnipotens est, scilicet et ideo frustra quæritur. « Si iniquitas [*al.* equitas] judicii, » subaudi quæritur, videlicet, ut non sine causa multiplicet vulnera mea, frustra quæritur et hoc, videlicet cum in judicio soleat res testibus agi, « nemo audet pro me testimonium dicere. » Sed nec ego ipse causam meam audeo justificare, quia :

VERS. 20. — « Si justificare me voluero, eos meum condemnabit me, » videlicet ipsa sua præsumptione damnabilem me ostendet esse. « Si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit, » videlicet quia, ut supra dictum est, « sapiens corde est (*vers.*). »

C VERS. 21. — « Etiam si simplex, » id est innocens, « fuero, » videlicet propter illa quæ supra dicta sunt, « hoc ipsum ignoravit [*al.* ignorabit], » id est non sibi arrogavit « anima mea. » Vel certe, « quia nemo scit utrum amore an odio dignus sit (*Eccle.* IX, I). » Cui sensui bene congruit quod sequitur : « Tædebit me vitæ meæ, » subaudi pro hac incertitudine.

VERS. 22. — « Unum est quod locutus sum, » id est summa est eorum quæ locutus sum. « Innocentem et impium ipse consumet, » videlicet, quia innocens justitiæ ejus comparatus, non esse innocens convincitur, et sic innocentem ipse consumit, impium autem pœna æterna consumit. Vel certe innocentem et justum ipse consumere dicetur, quia, D quamvis in mentis vita divisa sint, primæ tamen culpæ merito æque ad carnis interitum pertrahuntur, « moriturque, » ut ait Ecclesiastes, « doctus similiter ut indoctus (*Eccle.* II). » Quod remedium exoptet, indicat adjungens :

VERS. 23. — « Si flagellat, » id est, quia flagello vindice pro culpa atteritur vita nostra, « occidat semel, » id est, ille veniat, qui pro nobis semel moriatur sine culpa, suaque simpla, id est solius carnis morte, duplam nostram, id est, corporis et animæ mortem auferat. » Et non de pœnis innocentum rideat, » id est longa desideria justorum. Omne enim desiderium cum differtur pœna est, unde et

Salomon ait : « Spes quæ differtur affligit animam (*Prov.* XIII) ; » longa, inquam, desideria exspectantium Salvatorem pro peccato semel moriturum, non rideat, id est non parvipendat. Ridere namque Dei est humanæ nolle afflictioni misereri. Hoc optando dixit, et protinus ipsum ordinem passionis ejus adjungit, dicens :

VERS. 24. — « Terra, » id est, caro Christi quam de terrena materia sumpsit, « data est, » scilicet crucifigenda, » in manus impii, » id est in ministros et satellites diaboli. « Vultum judicum ejus operit, » id est mentes sacerdotum et principum, Pilati atque illudentium militum, ne auctorem suum cognoscerent, malitiæ nubilo diabolus velavit. « Quod si non ille, » subaudit diabolus vel judaicus populus, qui hoc egit, « est, » subaudi impius, « qui ergo est, » scilicet putandus impius ? Unde suspirans, videlicet quod ad tempus illud pervenire non mereatur, subjungit :

VERS. 25. — « Dies mei velociores fuerunt cursore. » Cursoris quippe officium est tantillum exspectare, donec videat quid nuntiet. Unde omnes electi cum ante præstolatum redemptionis tempus dies suos finiri prævident, recte subtrahi se velocius cursore dolent. Unde aperte subditur : « Fugerunt, » id est, ante adventum Christi elapsi sunt, « et non viderunt bonum, » id est eumdem Christum, qui cum sit Deus, summum est bonum.

VERS. 26. — « Petransierunt, » scilicet sola spe potiti, « quasi naves poma portantes, » id est sicut hi qui poma aliis deferunt, quorum ipsi solo odore perfruuntur. Sic, inquam, sola spe venturi Redemptoris dies mei potiti sunt. Vel certe sicut cum navibus poma portantur, paleis admiscentur, ut illæsa ad terram perducantur, sic in Scripturis suis fructum spiritualem per interfusam historiæ stipulam proferunt dies electorum adventum Christi præcedentium. « Pertransierunt, inquam, sicut aquila volans ad escam, » id est, et erecta mente Creatoris lucem contemplantes more aquilæ solis radios aspicientis irreverberata acie, et incarnandum illum prospicientes, atque anhelanti spe hoc perfici exspectantes, more ejusdem aquilæ de supernis ad ima avide volantis ad escam.

VERS. 27 — « Cum dixero, » scilicet ego antiquus Dei populus ; in persona namque hæc dicuntur antiquorum, qui adventum Christi præcesserunt : « Cum, inquam, dixero : Nequaquam ita loquar, » id est, cum Christum præsentem negavero, quem præstolabor venturum « commuto faciem meam, » id est, interioris hominis aspectum ita confundo et perverto, ut jam non cognoscar a Creatore meo, « et dolore torqueor, » id est æternæ damnationis addicor. Moraliter eadem hoc modo replicanda sunt « Dies mei, » id est dies hominis, qui ad hoc conditus fuit, ut ad videndam lucem staret, velociores fuerunt cursore, id est, ad finem tendunt quotidie velocius cursore, videlicet quia evolvuntur absque ulla intermissione, cursor autem non omnino currit absque ulla respiratione. « Fugerunt, » scilicet a suo statu, « et non viderunt bonum, » videlicet quia gustando vetitum oculos perdidit homo, quibus videre non poterat summum bonum. « Pertransierunt quasi naves poma portantes, » scilicet fructus terræ per fluctus ferentes : sic homo naturalia bona animi, quæ in paradiso conditus accepit, nunc periculose vehit inter fluctus sæculi. Et sicut in pomis est odor sine pondere, sic nobis memoria spirat boni, quod perdidimus absque fruendi virtute, « pertransierunt, inquam, sicut aquila volans ad escam, » id est sicut aquila volans, subaudi rursum per appetitum ventris sese deorsum fundit ad escam, sic ipsa, quæ solum Deum contemplari debuerat mens, quia contra præceptum cibum contigit, nunc corporeis voluptatibus lætatur.

« Cum dixero, nequaquam ita loquar, » id est, nequaquam perscrutari tentabo cur Deus **446** qui summe bonus est, hominem, cujus dies ita, sicut dictum est, pertransituros sciebat, fecerit, « commuto faciem meam, » id est, supernæ reverentiæ consideratione refreno mentem meam, « et dolore torqueor, » hoc videlicet dolens quod ad ea, quæ de me ipso sunt, intelligenda coarctor. Neque nunc primum pro eo quod sub flagello positus sum, ori meo silentium indico, sed et in omni vita mea communi humani generis damnationi propria metuens adjungere peccata.

VERS. 28. — « Verebar omnia opera mea, » id est, ipsa etiam in me timebam bene gesta, videlicet ne forte interveniret aliqua humanæ ambitionis fraus vel desidia, quæ semper in bonis operibus studiose sunt formidanda. Verebar, inquam, « sciens quod non parcis [*al.*, parceres] delinquenti, » videlicet quia delicta nostra sive per nostram pœnitentiam sive per temetipsum resecas, etiam cum relaxas. Unde et David dicentis : « Peccati, » dictum est per prophetam, « Dominus quoque transtulit peccatum tuum (*II Reg.* XII), » scilicet ab æterna damnatione ad temporalis angustiæ flagellum. Hinc et ego sub occulto judicio trepidans, dico :

VERS. 29. — « Si autem et sic impius sum, » subaudi et tibi displicent opera mea, sicut nunc videntur hominibus per hypocrisin fuisse gesta, « quare frustra laboravi, » scilicet absque pondere præmii ? Quod a majori probat subjungendo :

VERS. 30. — « Si lotus fuero quasi aquis nivis, » etc. Ac si aperte dicat : Vere si ita sum impius, tum frustra laboravi. Nam etiam « si fuero lotus quasi aquis nivis, » id est, lacrymis candentibus coram te nitore veræ humilitatis, vel desiderio non terreno, sed superno perfusis, sicut nix non de terra, velut fons scaturit, sed ab aere descendit ; si, inquam, sic fuero lotus, « et fulserint, » subaudi coram te, « velut mundissimæ, » non vere, inquam, mundissimæ, quod impossibile est, quandiu sum in hoc mortali corpore, sed « velut mundsisimæ manus

meæ, » id est, habentes pro posse aliquam imitationem perfectæ munditiæ :

Vers. 31. — « Tamen sordibus intinges me, » id est, sordibus intinctum esse demonstrabis me, « et abominabuntur, » id est, abominabilem facient, « me vestimenta mea, » id est membra corruptibilia. Unde hoc sequitur.

Vers. 32. — « Neque enim viro qui similis mei est respondebo, » id est : Neque enim tu, cui respondere habeo, talis es sicut vir similis mei, videlicet qui benevole quidem laudat quod laudabile esse conspicit, sed nescit quid desit perfectioni. « Nec, » subaudi tu es sicut vir, « qui mecum in judicio ex æquo possit audiri, » videlicet quia et patent tibi cuncta quæ facio, et tamen ipse nescio per quanta reprehendor. Æquum hic pro pari accipe, qualia sunt audiri et audire, videri et videre, quæ non disparantur, cum judicatur homo cum homine. De qua æquitate adhuc subditur :

Vers. 33. — «Non est qui utrumque valeat arguere. » Ac si dicat : Neque ego per me ex æquo possum audire, neque mediator adhuc venit, « qui utrumque, » id est, hinc Deum judicio præsidentem, hinc hominem sub judicio stantem, « valeat arguere, » videlicet hoc modo quo sequitur, « et ponere manum suam in ambobus, » id est, ut et culpam hominis justitiam aspirando corripiat, et iram Dei moriendo temperet.

Vers. 34. — « Auferat a me virgam suam, » id est ille veniat et auferat a me legis severitatem dicentis, qui hæc vel illa fecerit, morte moriatur, « et pavor ejus, » scilicet servilis timor, « non me terreat, » videlicet consolante me spiritu adoptionis filiorum.

Vers. 35. — « Loquar, » subaudi hac fiducia, « et non timebo eum, » videlicet quia » perfecta charitas foras mittit timorem (*Joan.* iv). » « Neque enim possum metuens, » id est, « spiritum servitutis in timore (*Rom.* viii) » habens « respondere, » id est, factis illius digna opera repensare.

Cap. X. Vers. 1. — « Tædet animam meam vitæ meæ, » id est, cum sicut dictum est profecero, tunc dilectio præsentis vitæ vertitur mihi in tædium præ desiderio futuræ. Et qui me ante defendebam, tunc « dimittam adversum me eloquium meum, » id est quod erravi, accusare incipiam, et non sicut multi, qui lugenda gaudentes dicunt : sed « loquar in amaritudine animæ meæ, » id est, confitebor peccata mea in tristitia pœnitentiæ.

Vers. 2. — « Dicam Deo : Noli me condemnare, » quod utique non est culpam defendere, sed confitendo veniam implorare. « Indica mihi, » subaudi tu qui me judicas, « cur me ita judices, id est, ostende quod ad judicium futurum per flagella securum reddas, et non sicut impio per mala præsentia irrogare jam tormenta sequentia incipias. Vel si specialiter ad ipsum referatur, hoc quærit quia, ignorat pro qua, qui simpliciter vixerat, feriatur culpa. Nam quia dolet in verbere, et causam verberum non valet deprehendere. Sequitur :

Vers. 3. — « Nunquid bonum tibi videtur, » subaudi qui summe bonus es, « si calumnieris me, » id est, conquisitis circumvenias causis, « et opprimas me opus manuum tuarum, » id est, vim facias mihi tuo plasmati, videlicet quod te gratuito fecisse recordaris, « et consilium impiorum, » id est, intentionem spirituum malignorum « adjuves, » scilicet libenter suscipiendo illorum accusationes ?

Vers. 4. — « Nunquid oculi carnei tibi sunt, » id est, non valentes interius hominis pervidere spiritum, videlicet, ut non me agnoscas nisi alienis accusationibus publicatum ? « Aut sicut videt homo, » scilicet tentando et inquirendo, « ita et tu videbis ? » tu, inquam, qui me perfecte et ante tempora scisti ?

Vers. 5. — « Nunquid sicut dies hominis dies tui, » scilicet temporales et fugitivi, « et anni tui, » subaudi deficientes et transitorii, « sicut humana sunt tempora, » subaudi nunquam in eodem statu permanentia (*Job.* xiv).

Vers. 6, 7. — « Ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris ? Et scias quia nihil impium fecerim, » id est, nescies utrum mali quid gesserim, nisi dicatur tibi, « cum sit nemo de manu tua possit eruere, » id est, testimonium perhibere de homine apud te, quia scis quid sit in homine (*Joan.* iii). Materiam tam piæ confessionis sumpsit ex eo quod Eliphaz adversus illum dixerat : « Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut a tinea ? » (*Job.* iv.) Unde et subditur :

Vers. 8. — « Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me. » Ac si dicat : Domus corporis lutea quidem, sed a Deo facta ; fundamentum terrenum quidem, sed a Deo plasmatum. Quibus etiam verbis perversum Manichæi dogma destruitur, qui a Deo spiritum, a Satana vero carnem conditam asserere conatur. Misericordiæ quoque judicis dignitatem suæ conditionis opponit. « Cuncta quippe dixit et facta sunt (*Psal.* cxlviii). » Cum vero facere hominem decernit, hoc quod reverenter pensandum est, præmittit dicens : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* i). » Hoc igitur pietati opificis opponit. Ac si dicat : Cur tanta vilitate despicis, quem cum tanta dignitate fecisti, quod « manus tuæ, » id est studium et consilium tuum, « fecerunt me, » videlicet non ut cæteras creaturas sola jussionis voce, sed operationis dignitate, « et plasmaverunt me totum in circuitu, » subaudi cæteris animalibus elegantius ? Et, cum ita feceris, « sic repente præcipitas me, » scilicet sicut angelum, qui ex infirmitate nullam habuit occasionem peccati, et idcirco irremissibiliter præcipitari debuit ?

Vers. 9. — « Memento, quæso, » id est, conside-

ra infirmitatem meam, « quod sicut lutum, » subaudit fit aqua terræ se conspergente, sic anima carnem rigante, « feceris me, et in pulverem, » videlicet materiam originis meæ, per mortem « reduces me. » Et qui hoc modo dictum est condidisti, quo ordine infirmitatis propagasti ?

VERS. 10.— « Nonne sicut **447** lac mulsistime, » videlicet in semine, » et sicut caseum me coagulasti, » scilicet in carne ?

VERS. 11. — « Pelle et carnibus, videlicet per coagulationis incrementa, « vestisti me ossibus et nervis, » subaudi paulisper roboratis, « compegisti me. » Et quia angusta essent hæc dignationis beneficia :

VERS. 12. — « Vitam et misericordiam tribuisti mihi, » scilicet mira aspiratione non solum vivificationis quæ mihi communis est cum bestiis, sed et indultæ rationis. « Et » rursus, quia dona tua custodia indigent, « visitatio tua custodivit spiritum meum. » Sed hæc eadem, quæ dicta sunt de exterioris hominis formatione, hoc modo rursus accipi possunt in interioris hominis reformatione. « Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, » videlicet sancti Spiritus gratiam terrenæ menti infundendo, sicut aqua pulveri infunditur ut lutum fiat; « et in pulverem reduces me, » scilicet per substractionem ejusdem gratiæ aliquantulum in hora tentationis deserta mente. Qua tentatione concussus dona tua jam subtilius cogitans, dico : « Nonne sicut lac, » videlicet per dulcedinem sancti Spiritus, « mulsisti, » id est abstraxisti me ? subaudi ab usu conversationis vetustæ, « et sicut caseum me coagulasti, » videlicet ut nequaquam jam diffluerem per desideria carnis ? Et ne nunquam caro submurmuret (aliquando enim tentatio utilis est) « pelle et carnibus vestisti me, » id est carnalium motuum obsidione vallasti me ; sed ne ab illis concussus deficerem, « ossibus et nervis compegisti me, » id est virtutibus et præceptorum vinculis roborasti me. Et tali modo vel ordine, « vitam, » subaudi qua a peccati morte resurgerem, « et misericordiam, » videlicet in bono opere subsequenter adjuvantem, « tribuisti mihi, « scilicet quia sine te nihil facere potui, « et visitatio tua, » id est vel flagelli percussio, vel amoris tui compunctio, « custodivit spiritum meum, » scilicet humanum, ne non custoditus donum perdat acceptum.

VERS. 13. — « Licet hæc, subaudi opera vel beneficia tua, « celes in corde tuo, » scilicet ita ut « finem suum nesciat homo (*Eccle.* IX), » et sciens qualis hodie sit, ignoret qualis eras futurus sit, « tamen, » cur de me trepido, qui « scio quod universorum memineris, » id est quod universas gentes colligis ? et hoc sciens cur desperem ?

VERS. 14. — « Si peccavi, » id est si volens culpam feci, « et ad horam, » id est protinus « pepercisti mihi, » scilicet in eo quod concessit fletibus pœnitentiæ culpam diluisti « cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris, » videlicet ut nolens

A quoque ejusdem culpæ memoriam cum delectatione tolerem ? Si, inquam, venia culpam abstulit, cur hanc et a memoria non detersit ?

VERS. 15. — « Et si impius fuero, » id est si ad culpam rediero et te reliquero, « væ, » id est æterna damnatio, « est mihi. Et si justus, » id est in culpa perseverare cavens, subaudi fuero, « non levabo caput, » videlicet dum culpæ resisto labore certaminis afflictis. Hoc est quod sequitur : « Saturatus afflictione et miseria, » quia videlicet cum hoste concertando vulnera doleo præterita, timeo futura.

VERS. 16. — « Et propter superbiam, » id est ideo ne mens conscia virtutis in superbiam se elevet, « quasi leænam capies me, » id est sicut leæna quærens escam catulis in foveam lapsa per appeti-

B tum suppositæ pecudis et in caveam recepta, vectibusque circumsepta levatur, ita propter cibum vetitum in hanc mortalitatis foveam dejectum hominem, misericordiæ subsidiis ad superna unde corruit sublevabis. Sed et quotidie « propter superbiam » quis « quasi leæna » capitur per vitium elationis in foveam concupiscentiæ dispensatione divina ruere permissus, infirmitate sua cognita, tandem superna miseratione ad veniam reducitur. Unde et apte subditur : « Reversusque mirabiliter me crucias, » id est, qui relinquendo me insensibilem reddideras, « reversus, » scilicet tangendo cor meum, et quam sim lugendus demonstrans, « mirabiliter, » per lacrymas et gemitus « me crucias. » — « Mirabiliter, » inquam, non pœnaliter, quia vi-

C delicet mens in fletibus compunctionis suæ pœnam gaudens miratur. Et ne per otium remissa mens torqueat, imo nigredinem suam in se erubescat.

VERS. 17. — « Instauras, » id est multiplicas « testes tuos, » id est electos pro veritate passos, « contra me, » ut videlicet eorum exemplis provocer viriliter agere. « Contra me, » inquam, quia cuncta quæ agunt illi vel egerunt, pravitati nostræ adversa sunt, sicut et ipse tuus sermo, de quo dicis mihi : « Esto consentiens adversario tuo (*Matth.* V). » — « Et multiplicas, » subaudi per illos quos cum ames sic mirabiliter crucias, « multiplicas, » inquam, id est multiplicem esse ostendis « iram tuam, » videlicet, dum argumentamur quod multiplici districtione vel judicio percutias pravorum duritiam,

D qui levem illorum sic punis offensam, vel exerces constantiam. « Et pœnæ, » id est afflictiones pœnitentiæ, « militant in me, » videlicet exagitatæ ex illorum consideratione. Tandem reddita ratione cur vel quomodo superius dixerit, « quare non in vulva mortuus sum (*Job* III), » nunc quasi per complexionem hoc ipsum repetit, dicens :

VERS. 18. — « Quare de vulva, » videlicet in qua conceptus sum, id est de paradiso in quo plasmatus sum, « eduxisti me ? » — « Qui » videlicet quoniam juste educendus eram, « utinam consumptus, » id est in humilitate absconditus « essem, ne oculus me videret, » subaudi diaboli, id est ne sentiret me per-

mentis elationem in præcipitem posse abduci transgressionem. Si ita « consumptus essem. »

Vers. 19. — « Fuissem quasi non essem, » videlicet quia a diabolo inventus non essem, « de utero, » id est de paradiso absque morte carnis « translatus ad tumulum, » id est ad quietem cohabitationem angelorum.

Vers. 20. — « Nunquid non, » subaudi inde est hoc quod, « paucitas dierum meorum finietur brevi ? » videlicet cum ita conditus fuerim, ut possem esse vitæ interminabilis. « Dimitte ergo me, » id est sensum doloris nolis tollere, vel culpas meas oculis meis objiciendo adjuva, « ut plangam paululum dolorem meum, » videlicet quia nisi a reatu culpæ misericorditer me dimittas hoc modo, exire ad pœnitentiam non valeo, ligatus consuetudine in conscientiæ sepulcro. Ut plangam, inquam.

Vers. 21. — « Antequam vadam, » subaudi illuc ubi fructuosus planctus non est, et non revertar, » videlicet quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quo semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. « Antequam vadam, « inquam : Quo ? « Ad terram tenebrosam, » id est ad infernum, qui non immerito terra dicitur, quia quicunque ab eo capti fuerint stabiliter tenentur. « Tenebrosam, dico, et opertam mortis caligine, » id est damnatos disjungentem a vera luce perennis vitæ.

Vers. 22. — « Terram miseriæ, » id est doloris, « et tenebrarum, » id est æternæ cæcitatis, « ubi umbra mortis, » id est obscuritas separationis a Deo sine quo anima non vivit ; « et nullus ordo, » subaudi ibi est, non quod damnatum quemque non juxta modum criminis retributio sequatur ultionis, sed quia nec flamma lucet ibi sicut hic, nec præsente dolore abest timor, sed timor in dolore, et dolor est cum timore. Unde et subditur : « Et [*ul.* Sed, sempiternus horror inhabitat, » videlicet quia traditi ignibus, et in suppliciis dolorem sentiunt, et in dolore semper diro pavore feriuntur.

Cap. XI, Vers. 1. — Beato Job in hominum angelorumque spectaculum tanquam forti athletæ prodeunti, ubi primum Eliphaz, secundo Baldad indefesso robore repugnavit, ad extremum Sophar Naamathites sese opponit, cujus responsio **448** a contumeliis inchoatur, cum ait :

Vers. 2. — « Nunquid qui multa loquitur non et ipse audiet ? » Qui mos procacium esse solet, ut recte dictis semper e diverso respondeant. « Nunquid, ait, qui multa loquitur, » id est qui nimium loquax est, subaudi ut tu (sapientia quippe ab ore justorum superfluam sonat loquacitatem in auribus stultorum), « non et ipse audiet, subaudi » responsum juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur ? (*Prov.* XXVI.) » — « Aut vir verbosus justificabitur ? » Subaudi, non ; sed e contrario, cultus justitiæ silentium. Sed veræ sententiæ jaculum virus perdit, imo retusum resilit, quia forte est quod ferit [*al.* videt], dum boni viri rectitudinem impetit ; et

A more pravorum omnium, qui audire bona patienter nequeunt, ad respondendum se accingens.

Vers. 3. — « Tibi soli, » inquit, id est propter te solum, « tacebunt homines, » scilicet nos, et plures et sapientes ; « et cum cæteros irriseris, » id est nimia verbositate fatigaveris, « a nullo confutaberis, » id est longe minus quam tibi videtur sapiens esse convinceris ? Subaudi nequaquam ita fiet, quia confutandus es.

Vers. 4. — « Dixisti enim : Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu ejus. » Habet hoc pravorum malitia proprium, ut eo se criminosos non æstiment, si crimina fingant de innocentia bonorum, sicut hoc voci beati Job falso impingitur, quod supra dixisse nusquam legitur. Quos et in hoc
B Sophar exprimit, quod cum ironica concessione verbotenus bona præoptans, ait :

Vers. 5. — « Atque utinam Deus loqueretur tecum, » id est utinam non tu ipse loquereris inflatus sensu carnis tuæ, sed Deus loqueretur in te, « et aperiret labia sua tibi, » id est nota facere judicia sua tibi, quorum effectu Dei voluntas innotescit, sicut animus hominis apertis per sermonem exprimitur labiis.

Vers. 6. — « Et ostenderet tibi secreta sua, » videlicet illa de quibus ait : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » (*Rom.* XI.) Qui etiam eorumdem secretorum scientia se super amicum pollere ostentans, protinus addit : « Et
C quod multiplex sit lex ejus. » Vere enim multiplex est lex Dei, id est charitas, quæ « plenitudo legis est (*Rom.* XIII), » quæ ideo vere multiplex dicitur, quia studiosa sollicitudine ad cuncta virtutum facta expanditur, sicut una radix in multos ramos dilatatur. Hoc, inquam, utinam « tibi ostenderet, et intelligeres, » subaubi hoc modo, « quod multo minora exigaris, a Deo, » id est minus vapules « quam meretur iniquitas tua. » Jam hoc dictum a magna iniquitate non vacat, quo virum justum usque ad objectionem iniquitatis increpat, et tanquam turbidus lignorum cæsor, dum incaute vibrat securim, ferro labente de manubrio acriter amicum percutit. Et adhuc ironice adjungit :

Vers. 7. — « Forsitan vestigia Dei comprehendes, » id est unde, quo, quibusve modis Spiritus
D ejus dona venient : scies quoties vocem ejus audieris ; et usque ad perfectum omnipotentem reperies, » quem videlicet nec angelica nec humana mens, quantumvis dilata, comprehendere sufficit.

Vers. 8. — « Excelsior cœlo est. » Et in hoc magna est injuria, quod supradictam propositionem ironicam tanquam beatus Job concedat, id est vere Omnipotentem reperire, usque ad perfectum vestigia ejus comprehendere se posse confidat, repugnantiam multitudine destruit, dicens : « Excelsior cœlo est, » etc., in quibus argumenta ejus sic colliguntur. Tu per angustiam sensus tui, utpote cum sis homo, altitudinem cœli, cursumque vel loca stel-

larum metiri vel attingere non potes. At ille « excelsior cœlo est, » non tantum cœli fabrica, dico, quam sicut altissima sapientia stabilivit, ita circumscriptione sui spiritus transcendit; sed his qui in cœlo sunt electis spiritibus excelsior est, quia videlicet visionem tantæ celsitudinis perfecte non penetrant. Ergo, « et quid facies, » subaudi ut illum comprehendas? Item tu profunditatem inferni non pervides. At ille « profundior inferno » est, non tantum loco illo tenebroso et pœnali, quem transcendendo subvehit, sed et cunctis qui in inferno sunt malignis spiritibus, quorum astutias longe subtilius, quam ipsi putaverunt judicans damnat. Ergo, « et unde cognosces, » subaudi tam profundum sensum Domini? Item: Tu terræ longitudinem nescis, nisi forte de geometricis præsumas conjecturis, et maris latitudinem non potes metiri. At ille.

Vers. 9. — « Longior est terra, et latior mari, » non solum quia sub potentiæ suæ præsentia coagustando circumdat hæc elementa, sed quia longanimitatem justorum omnium qui in terra sunt, et facta peccantium qui per mare significari possunt, et investigat, et pro meritis damnat aut remunerat. Ergo, « et quid facies? » Vel moraliter ita: « Excelsior cœlo est, » id est quovis homine justo, cujus « conversatio id cœlis est (*Philip.* III). » quem sua magnitudine vincit. « Profundior inferno » est, id est homine peccatore concupiscentiarum suarum caligine perturbato, quem investigat et judicat plus quam se ipse homo investigare possit; « longior terra » est, id est homine fixo et fructificante in ubertate spei qui fructus quos retribuet nequaquam nunc ipsa spes nostra comprehendit; « latior mari » est, id est homine qui adhuc fluctuat et aura suæ mutabilitatis agitatur, quem consolatur et instruit majori quam putat ipse latitudine charitatis. Dic nunc qui de tua solius subversione murmuras, et tantam majestatem te comprehendisse putans præfinire audes quid tibi debeat, et quid non debeat. Dic, inquam.

Vers. 10. — « Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, » videlicet ita ut cœlum ruat et terra dehiscat, itemque cœlum et elementa cætera in unum antiquum chaos coarctentur, aut ita ut is qui per cœlestem conversationem, cœlum erat, repente tenebris tentationis possessus, infernus fiat. « Si, » inquam, « sic vel sic subverterit omnia aut in unum coarctaverit, quis, » scilicet fortior, « contradicet ei, » vel quis videlicet sapientior dicere ei potest cur ita facis? subaudi nemo.

Vers. 11. — « Ipse enim, » subaudi solus » novit hominum vanitates, » id est vanas deprehendit et prævenit cogitationes, unde et nemo ei resistere potest. Et videns iniquitatem, » quod pejus est, a vanitate enim deceptus animus ad iniquitatem labitur, « nonne considerat, id est, juste et competenti tempore judicat? Ita plane: Tunc scilicet quando.

Vers. 12 — « Vir vanus, » videlicet a vanitate ad iniquitatem lapsus, idem adhuc etiam ab iniquitate « in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri, » id est quodlibet agreste animal quod nullius possessione tenetur, « liberum se, » subaudi a lege vel imperio Creatoris, « natum putat. » Quod peccatum jam diabolicum est, et veniam non meretur. Hoc universaliter propter ipsum proposuit; quod sine dubio concedendum, quia verum est; nunc de ipso particulariter assumit, non solum false, sed et nimis, injuriose.

Vers. 13. — « Tu autem firmasti, » id est obdurasti, « cor tuum, et expandisti, » id est in superbiam extulisti, « ad Deum manus tuas, » id est opera tua, videlicet quia dona Dei tibi arrogasti.

Vers. 14. — « Si iniquitatem, » etc. Ac si aperte concludens dicat: Ego, o homo, judicium quod pateris non aliter effugies nisi ita. « Si iniquitatem quæ est in manu tua, » id est, culpam quæ in aperto est opere, abstuleris a te, et non manserit, » id est non perseveraverit, in tabernaculo tuo injustitia, id est, in mente tua superbia.

Vers. 15. — « Tunc levare poteris » videlicet per studium orationis, » faciem tuam absque macula, » id est, animum tuum non accusante conscientia: « et eris stabilis, » scilicet nequaquam **449** faciendo quod iterum plagas, « et non timebis, » videlicet quia timorem pellet conscientia stabilitatis.

Vers. 16. — « Miseriæ quoque, » id est omnium malorum vitæ præsentis, « oblivisceris, » subaudi præ dulcedine Dei quam prægustabis, « et quasi aquarum prætereuntium [*al.* quæ præterierunt], (præterit enim calamitas vitæ præsentis) non recordaberis, » videlicet quia nulla concessione obrueris.

Vers. 17. — « Et quasi meridianus fulgor, » subaudi qui cum fervore fulget, « consurget tibi, » subaudi lucida et fervida renovatio virtutis, « ad vesperum, » id est post tentationem. Vel ad vesperam, id est ad vitæ præsentis finem, « quasi meridianus fulgor, » id est externa claritas consurget tibi, juxta illud: « Timenti Deum bene erit in extremis (*Eccli.* I). » « Et cum te consumptum putaveris, » id est cum antea pene usque desperationem inclinatus fueris, « orieris ut lucifer, » videlicet qui solem præcurrit, et advenientis diei prænuntius est, id est qui casurus paulo ante timebas noctem culpæ, nunc aliis annuntiabis futuræ claritatem vitæ, et monstrabis diem justitiæ. Vel ita: « Et cum te consumptum putaveris, » videlicet exterioribus pressuris, « orieris ut lucifer, » id est foris cadens intus renovaberis.

Vers. 18. — « Et habebis fiduciam, » subaudi quod in gaudio metes, « proposita tibi spe, » videlicet pro qua seminatur in lacrymis. « Et defossus. » id est exterius inquietatus, « securus dormies, » id est ad perpetuam securitatem pervenies. Vel ita: « Et defossus, » id est intima tua penetrans noxiasque cogitationes effodiens, « securus dormies, »

juxta illud : « Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* v). »

Vers 19. — « Requiesces » subaudi, in suavitate conscientiæ, « et non erit qui exterreat, » id est qui te a charitate Dei separet. « Et deprecabuntur faciem tuam plurimi, » videlicet ut pro illis apud Deum intercessor adsis. Sic hæretici seu perversi quilibet dum sancta loquuntur, in suis repente sponsionibus ostendunt quod amant, videlicet quod ideo quasi innocenter vivunt, quia videri pro hominibus intercessores volunt. Sed mox ad verba rectitudinis recurrens.

Vers. 20. — « Oculi autem, inquit, impiorum, » id est intentiones eorum, oculus enim intentionem significat, juxta illud : « Si oculus tuus fuerit simplex (*Matth.* vi,), etc. « Oculi, inquam, impiorum, » id est intentiones carnalium desideriorum, « deficient, » id est cum vita terminabuntur, » et effugium peribit ab eis, » id est quo se ab ira judicis occultare valeant, non invenient, « Et spes illorum, » id est illud quod ipsi appetiverunt, « abominatio animæ, » subaudi erit videlicet quia desideria illorum abominabitur quisque spiritualis, et arbitrabitur ut stercora (*Philip.* iii).

Cap. XII, Vers. 1. — Beatus Job, qui utique sanctæ Ecclesiæ membrum est, quæ elatos quoque ab æstimationis suæ culmine revocat et discretionis, manu ad æqualitatis compagem reformat, videns quod amicorum mens per verba prolatæ eruditionis intumuit, « respondens dixit : »

Vers. 2. — « Ergo vos estis soli homines ? » Videlicet, quoniam jam cuncti vobis vicissim, diversa licet derisione, pari tamen intentione, adversum me successistis, dum unus leoni rugienti et contrito ; aut tigridi pereunti eo quod non habeat prædam ; alius scirpo qui apparente sole arescit ; tertius pullo onagri qui se liberum natum putat, me comparavit. « Ergo vos estis soli homines, » subaudi et non ego, « et vobiscum oritur [*al.* morietur] sapientia, » scilicet tanta, ut vestri comparatione sim bestia ? Non ita æstimare debetis. Nam :

Vers. 3. — « Et mihi est cor, » subaudi rationale, « sicut et vobis, nec inferior vestri sum, » id est non minus quam vos rationis et disciplinæ perceptibilis sum.

Vers. 4, 5. — « Qui deridetur ab amico suo sicut ego, » videlicet immerito, qui rationabiliter loquens bestiis comparor, « invocabit Deum, » videlicet quia foris non habet in quo requiescat, fiducialius intus recurret ad Deum, videlicet ita ut cum sit modo. « Lampas contempta apud cogitationes divitum, » id est vera lucens scientia, sed propter vilem personam, aut temporalem miseriam despectus in cordibus superborum, testimonium ex Deo habeat, « parata, » scilicet in oculis omnium, non ad præsens. sed « ad tempus statutum, » videlicet quando « oportebit nos stare ante tribunal ejus, ut recipiat unusquisque propria corporis sui prout gessit sive bonum sive malum (*II Cor.* v,). « Nunc autem

A tempus est illorum, apud quorum cogitationes contemnitur ; tempus, inquam, illorum est, ut divites sint ; sed mihi in sterquilinio sedenti quæ cura de hujusmodi divitiis ? quas, quia falsæ erant, et ego perdidi.

Vers. 6. — « Talibus abundant tabernacula prædonum. » Et ipsi abundantes in sæculo, de ipsis divitiis quas obtinuerunt (*Psal.* lxxii,), « audacter provocant Deum, » videlicet superbe sapiendo et sperando in incerto divitiarum, » cum ipse dederit, id est permiserit « omnia in manibus eorum. » videlicet quia nonnunquam eis quos prædantur proficit ad purgationem, sibi autem ad ampliorem damnationem. Quod intelligi potest, et de his qui doctrinæ dona percipientes ex eisdem donis intumuerunt (*I Tim.* vi), et magni præ cæteris videri volentes, tali superbia provocant Deum, vere prædones, quia dum loquuntur quæ non faciunt, in usum locutionis suæ verba justorum tollunt. Hæc ad tres amicos communiter dicta sunt Nunc ad Sophar sermo convertitur, qui novissime locutus dixerat : « Excelsior cœlo est, profundior inferno est, et unde cognosces? » (*Job* xi).

B

Vers. 7, 8, 9. — « Nimirum, ait, interroga jumenta, » etc. Ac si dicat : Cur cognitionem Dei quærenti mihi altitudinem cœli et profunditatem inferni objicis ? Et « interroga, » id est considera, « jumenta, » videlicet quia ex operibus, quæ nobis quoque multa præsto sunt, opificem cognoscimus. Vel ita : « Interroga jumenta, » id est sensibiliores,
C « et docebunt te. Volatilia cœli, » id est sublimia sapientes, « et indicabunt tibi. Loquere terræ, » id est terrena sapientibus, « et respondebunt tibi, et narrabunt pisces maris, » id est curiosi hujus sæculi docebunt, inquam, hæ diversitas hominum, « et indicabunt tibi, respondebunt et narrabunt tibi, » videlicet aliquam laudem vel confessionem de majestate Creatoris, quia « unusquisque in suo sensu abundat (*Rom.* xiv), » licet altitudinem cœli non ascenderint, neque profunditatem inferni penetraverint quam tu objicis. « Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit, » subaudi et idcirco ex his debeat agnoscit ? Tam juxta litteram quam juxta moralitatem, hæc possunt utiliter accipi, quia omnis respecta creatura quasi dat vocem propriæ attestationis ipsam quam habet speciem suam. Ex
D his, inquam, debet agnosci ipse :

Vers. 10. — « In cujus manu, » id est potestate, « est anima omnis viventis, » subaudi sive ad dandum sive ad auferendum, « et spiritus universæ carnis hominis, » id est spiritualis intelligentia, qua vivificare potest animas in carne commorantes ex gentibus universis.

Vers. 11. — « Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem ? » Ac si dicat : Quid mirum si non omnes æqualiter intelligentiam accipiunt? Nonne et quinque sensus corporis de uno cerebo prodeunt, et tamen dispares sunt? Nonne auris verba tantummodo dijudicat, solummodo so-

nitum patiens, et fauces comedentis etiam agendo, id est salivam cibis admiscendo saporem dijudicant. Sic non in omnibus, sed tantum.

VERS. 12. — « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia, » id est hi qui jam in usu bonorum operum exercitati sunt, verba Dei non solum audiunt, sed et per intelligentiam gustant et sapiunt, tantumque ab intellectus eorum prudentia differt auditor piger, quantum **450** ab auditu fauces quæ saporem dijudicant. In quo amicorum quoque imperitiam [*om fort.*, redarguit], quibus ipsa doctrina verba quæ proferunt, per arrogantiam non sapiunt. Qui et verba Sophar quæ imperite protulit, ad usum rectitudinis pertrahit cum subjungit :

VERS. 13. — « Apud ipsum est sapientia et fortitudo. » Ac si dicat : De fortitudine Dei multa dixisti, sed de sapientia ejus, quæ sese revelat parvulis (*Matth.* XI), tacuisti. Sed apud ipsum non sola est fortitudo, sed et sapientia. Et primum sapientia, deinde fortitudo, videlicet quia prius per incarnationem veniens sapientia, id est verbum Dei, sese revelat parvulis, deinde fortitudo contra superbos per judicium sese exerit. « Ipse habet consilium, » scilicet disponendo sua, « et intelligentiam » cognoscendo nostra. De fortitudine, inquam, Domini multa dixisti, quod verum est. « Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei ? » (*Job.* XI.) Et ego sic dico, sic sentio.

VERS. 14. — « Si destruxerit, » id est hominem reliquerit, « nemo est qui ædificet, » id est repleat, juxta illud : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam (*Psal* CXXVI,). » « Si incluserit, » id est si aperire noluerit ei qui se misera consuetudine involvit, « nemo est qui aperiat, » videlicet ut per pœnitentiam effugium inveniat. Sic inquam, de fortitudine quod dixisti sentio, sed de sapientia, de qua tacuisti, adjicio :

VERS. 15, 16. — « Si continuerit aquas, » scilicet sapientiæ suæ « omnia siccabuntur, » videlicet quia nemo nisi illo dante aqua sapientiæ salutaris potabitur (*Eccl.* XV,). « Si emiserit eas, subaudi per septem sancti Spiritus derivationes, « subvertent terram, » id est humanæ mentis terrenitatem, et quod mirabile est, ubi terra erat, ibi cœlos apparere facient, qui gloriam Dei enarrent (*Psal.* XVIII,), ut si unde cognoscatur, qui dixisti, unde cognosces ? « (*Job* XI.) Nunc quasi per complexionem repetit quod proposuerat : « Apud ipsum est fortitudo et sapientia, » scilicet hic præposteratum est, quia supra dixerat : « Apud ipsum est sapientia et fortitudo, » nunc ait, « fortitudo et sapientia, » videlicet quia supra innuit, quod ea quæ prius docuit post exiget in fortitudine judicii. Hic demonstrat quod prius reprobos destruet in fortitudine judicii, et post electis plenitudinem sapientiæ perficiet in luce suæ visionis. Quod nunc latius de utroque, id est de fortitudine et sapientia disserit. « Ipse novit, » id est deprehendit, « decipientem, » et tamen decipere permittit, juste, ut semper de malo proruat in pejus, juxta illud : « Qui nocet, noceat adhuc (*Apoc.* XXII, 11). » « Et eum qui decipitur, » scilicet novit, et tamen decipi permittit, nihilominus juste, ut quia sæpe faciunt mala quæ sciunt, cadant etiam in mala quæ nesciunt. De fortitudine simul et sapientia dicturus, præmisit a sapientia incipiens, causa exercendæ fortitudinis, quæ hoc modo cum eadem sapientia exeritur.

VERS. 17. — « Adducit consiliarios, » id est prædicatores illos qui ideo consilia vitæ prædicant, ut temporalia lucra consequantur, « in stultum finem, » id est in eum finem ad quem stulti devenient ; « et judices, » scilicet non recte vel ante tempus judicantes, « in stuporem, » id est in mentis confusionem. Et in hoc amicos suos percutit, ut per arrogantiam doctrinæ consilia fundantes, et percussum incaute judicantes.

VERS. 18. — « Balteum regum » id est castitatem illorum qui seipsos regere sciebant, « dissolvit, » videlicet propter superbiam quæ spiritum illorum erexit, « et præcingit fune, » id est carnalis peccati delectatione, « renes eorum, » scilicet ut luxuria dominetur in renibus eorum.

VERS. 19. — « Ducit sacerdotes, » scilicet eos qui sacerdotio indigni sunt, « inglorios, » juxta illud : « Qui autem contemnunt me erunt ignobiles (*I Reg.* II), » videlicet ut de subditorum salute quam non quæsierunt, nulla habeant gloriam ante Deum, « et optimates supplantat, » videlicet ut pro æterna gloria de principatu temporaliter gratulentur.

VERS. 20. — « Commutans labium veracium, » videlicet ne loqui audeant verum quod non operentur. « Et doctrinam senum auferens. » Quod apertius de Judæis valet intelligi, quorum labium commutatum est, quia quem venturum dixerant, negaverunt præsentem, et doctrina eorum quasi senum ablata, et juvenculæ Ecclesiæ de gentibus tradita est. Quæ et dicit : « Super senes intellexit (*Psal.* CXVIII,). » Et hoc modo :

VERS. 21. — « Effundet despectionem super principes, » id est Judæos qui principari videbantur, despicabiles faciet et « eos, » subaudi gentiles, « qui oppressi fuerant, » id est in infidelitate jacuerant, « relevans, » scilicet in veram fidei libertatem.

VERS. 22. — « Qui revelat, » subaudi eisdem gentibus, « profunda, » subaudi mysteria, « de tenebris, » id est de occultis prophetarum verbis, « et producit in lucem, » videlicet per allegoricum sensum ; « umbram mortis, » id est legem quæ peccantes sanciebat morte corporis puniri. Sed et in omni gente vel ordine quotidie « effundit despectionem super principes, » id est despicabiles facit superbos et humiliat de sua virtute præsumentes, et « eos qui oppressi fuerant, » scilicet a vitiis, elevat scilicet in virtutibus cum fuerint peccatis suis humiliati. Quod hoc modo « revelat profunda de tenebris, » id est opertam sententiam indicat ex occultis suis consiliis. Et perducit in lucem umbram mortis, id est pravam

operationem, quæ imitatione agitur antiqui hostis, de qua scriptum est : « Nomen illi mors (*Apoc.* VI). » Hanc, inquam, umbram mortis producit in lucem, id est peccatori antea non videnti, ut evadat, facit conspicabilem. Sequitur de eadem fortitudine et sapientia :

VERS. 23. — « Qui multiplicat gentes, » subaudi quotidie nascentes, « et perdit eas, » videlicet quotidie morientes, « et subversas, » scilicet per mortem, « in integrum restituet, » videlicet quia mortui resurgent. Vel ita : « Et perdit eas, » videlicet quia nunc in infidelitate relinquit, « et restituet, » id est quandoque statum fidei reducet.

VERS. 24. — « Qui immutat cor principum populi terræ, » id est scribarum et Pharisæorum, id est corda summorum sacerdotum gentis Judaicæ, « et decipit, » id est decipi sinit eos, juste, « ut frustra incedant per invia, id est ut frustra moliantur exstinguere nomen Christi, ad quod pergendum nulla patet via. Ideo dixit, « per invia. »

VERS. 25. — « Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, » id est tentabunt Christum et errabunt. quasi sint in tenebris ignorantiæ, « et non in luce, » subaudi scripturæ propheticæ, et præsentium miraculorum ejus, per quæ poterant credere, « et errare eos faciet, » videlicet, non admirantes mortuos suscitantem, nunc despicientes quem conspiciebant mortalem.

CAP. XIII, VERS. 1. — « Ecce omnia, hæc, » scilicet, de sapientia et fortitudine ejus, « vidit oculus meus, » scilicet interior prophetico spiritu, « et audivit, auris mea, » scilicet intus ex voce divina, « et intellexi singula, » videlicet quo ordine vel fine semper sint agenda. Qui autem non intelligit quod videt, sicut Pharao somnium (*Gen.* XL), vel sicut Balthasar scribentis manus articulum, propheta non est (*Dan.* V). Hactenus ab eo loco quo ait nimirum : « interroga jumenta (*Job.* XII), » dictis Sophar respondit ; tunc tribus pariter amicis, quia cunctos audierat, hoc modo respondet :

VERS. 2. — « Secundum scientiam vestram, » subaudi quam vicissim ostendistis, « et ego novi, nec inferior vestri sum. » Nisi humilitate se deprimeret, poterat dixisse superior vobis sum, utpote quos transibat prophetiæ spiritu. « Et ego, inquam, novi, » subaudi, quia apud ipsum et fortitudo et sapientia.

VERS. 3. — « Sed tamen ad Omnipotentem loquar, videlicet quia charitas foras mittit **451** timorem illius magnæ fortitudinis. Tali fultus præsidio « disputare cum Deo cupio, » videlicet quia fiduciam dat ipse, qui loquitur per prophetam, « venite et disputemus (*Isa.* I). » Hoc postmodum facturus est, ubi dicet, « responde mihi, quantas habeo iniquitates, » etc. Prius, subaudi, quam cum Deo disputem [arguite me].

VERS. 4, 5. — « Vos ostendens, » scilicet esse « fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum, » videlicet quia vera dicenti contradi-

A centes, libenter ac studiose perversa confingitis. Quibus verbis aperte ostendit quod ex hæreticorum specie suis adversentur judiciis. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. « Stultus enim si tacuerit, inquit Salomon, sapiens putabitur (*Prov.* XVII). »

VERS. 6. — « Audite correptiones meas, scilicet prædictas et judicium labiorum meorum, » subaudi quod dicturus sum, « attendite, » id est attente audite.

VERS. 7. — « Nunquid Deus » subaudi apud quem fortitudo et sapientia sibi sufficiens est, « indiget vestro mendacio, » id est vestra adulatione, « ut pro illo loquamini dolos, » scilicet falso me criminando ?

VERS. 8. — « Nunquid faciem, » id est auctoritatem ejus, « accipitis, » videlicet quasi vos ita ut ille irre-

B prehensibiles sitis, « et pro Deo, » id est sicut Deus, qui alienus a peccato est, « judicare nitimini, » videlicet, absque respectu communis infirmitatis ?

VERS. 9. — « Aut placebit ei, » subaudi præsumptio « talis, quem celare nil potest, » subaudi qua mente quis judicet, vel qua culpa judicantem quoque redarguat ? « Aut decipietur ut homo, » scilicet quatenus vobis consentiat, et judicium suum vestro sensu super me disponat ? « Decipietur, inquam, vestris fraudulentiis ut homo, » subaudi decipitur ab adulatoribus suis ? Non ita, sed.

VERS. 10. — « Ipse vos arguet, » scilicet, dicendo : « Non estis locuti rectum coram me (*Job* XLII), « quoniam in abscondito, » id est in duplicitate « faciem ejus accipitis, » id est auctoritatem judicandi

C pro illo vobis arrogatis, videlicet aliter sentientes et aliter loquentes, quod est judicare in abscondito vel dupliciter.

VERS. 11. — « Statim ut se commoverit, » id est mox ut is qui nunc tacet suam de me, ac de vobis sententiam, elocutus fuerit, « turbavit vos, » scilicet dicendo tale quid, quale est hoc contra vos : « Existimasti inique quod ero tui similis (*Psal.* XLIX) ; » — « et terror ejus irruet super vos, » id est a somno torporis, quo vestros contra veritatem clausistis oculos, evigilare faciet vos.

VERS. 12. — « Memoria vestra, » scilicet quam terreno sensu vobis in sæculo exstruitis, « comparabitur cineri, » videlicet « quem ventus a facie terræ projicit (*Psal.* XII), » subaudi nisi pœnitentiam egeri-

D tis. Hæc ita accipienda sunt, ut in persona illorum cunctis dicta credantur hæreticis. « Comparabitur, inquam, cineri memoria vestra, » subaudi quæ nunc agitatur inflante scientia, « et redigentur in lutum, » id est despectæ in putredine jacebunt, « cervices vestræ, » id est omnes gestus vel affectiones superbiæ vestræ.

VERS. 13. — « Tacete paulisper, » id est nolite contentiose agere, « ut loquar quodcunque mihi mens suggesserit, » id est non uti vos sensu carnis, sed sensu mentis, id est virtute intellectuali.

VERS. 14, — « Quare lacero carnes mea, » — « quare, inquam, id est quid putatis, qua spe, nunquid pro humanæ laudis intentione, « lacero carnes meas, » id est

districte compesco carnales cogitationes? «Lacero, inquam, dentibus meis, » id est interioribus sensibus mentis, ad modum ejus qui iratus cuilibet hosti indignationem animi strictis dentibus ostendit. « Quare, inquam, lacero, » id est viles habeo, « carnes meas, et animam meam, » scilicet pretiosiorem, « porto in manibus meis, » id est servo, ne propter curam carnis peccet in omnibus his quæ patitur.

Vers. 15. — « Etiamsi occiderit me, » subaudi ipse qui percussori tradidit me, « in ipso sperabo, » id est diligam, cum neque stultum quid loquar contra ipsum. « Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, » id est non de meis meritis resumam hanc spei meæ fiduciam.

Vers. 16. — Et ipse erit Salvator meus, » videlicet, dum non in meis meritis fuero confisus. Hoc probat a remotione contrarii dicens : « Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita, » videlicet quia non arguit coram eo vias suas, sed seipsum coram hominibus justificat.

Vers. 17. — « Audite sermonem meum » id est apertam locutionem meam, « et ænigmata mea, » id est verba mystica virtutem intus habentia, « percipite auribus vestris, » id est audite interioris hominis.

Vers. 18. — « Si fuero judicatus, » scilicet ego talis, qui non ut hypocrita defendo, sed in conspectu ejus, » ut dixi, vias meas arguo, « scio quia justus inveniar, » non ut vos asseritis, hypocrita; « justus, » inquam, videlicet purgata iniquitate per præsens judicium. Sed altius considerare hoc tota quæ sequitur disputatio compellit. Abhinc enim incipit disputatio, de qua paulo ante dixit, « disputare cum Deo cupio. » Quæ ergo causa proponatur discutienda quærendum est, in qua justum se inveniendum esse confirmat. Non enim hoc proponere vult ad discutiendum vel concludendum quod sine peccato sit; quippe qui paulo ante dixit, « vias meas in conspectu ejus arguam, » et paulo post dicturus est, « quis potest facere mundum de immundo conceptum semine (*Job* XIV), » et pene ubique continuet id quod et superius dixerat : « Abominabuntur me vestimenta mea (*Job* IX). » Quam ergo nunc inter se ac Deum causam cum tanto vigore vult proponere? Illam utique, utrum deceat Deum adducere hominem secum in judicium. In hac propositione per miram humilitatis virtutem securus quod perveniat ad victoriam judicium ejus ait :

Vers. 19. — « Quis est qui judicetur mecum, » id est pro Deo contra me respondeat, « veniat. » — « Quare tacens consumor? » Non tacebo, audientiam postulo. Superatum te fateberis, Deus, cum hominem eliges assumere potius quam tecum in judicium adducere.

Vers. 20. — « Duo tantum ne facias mihi, » videlicet quæ mox præfiniam, « et tunc a facie tua non abscondar, » id est apposita tecum disputatione non fugiam. Ac si dicat : Quoniam in hac disputatione tu idem qui adversarius es, judex mihi præsides, benevolentiam præbe per hæc duo tantum quæ postulo.

A Vers. 21. — « Manum tuam, » id est fortitudinem tuam, videlicet legem in fortitudine percutientem, « longe fac a me, » videlicet, ut non multa fortitudine, vel magnitudinis tuæ mole, sed sola nunc utaris ratione, et formido tua « non me terreat, » videlicet sed potius dilectio fiduciam loquendi præbeat.

Vers. 22, 23. — « Voca me et respondebo tibi, » etc. Ac si jam captata benevolentia dicat : De eo utrum peccator sim, nulla nunc quæstio; nulla inter me et te controversia est. « Voca me, » id est interroga me, « et respondebo tibi » quantas habeo iniquitates. « Aut certe loquar, » id est interrogabo, « et tu responde mihi quantas habeo iniquitate, » videlicet quia de meis iniquitatibus idem sentio quod tu. Hanc quasi divisionem more peritissimi rhetoris faciens prudenter excipit, in quo sibi et Deo conveniat, mox

B dicturus in quo sit controversia. Prius notandum quia ait, « iniquitates et peccata, » quæ in usu loquendi hoc differunt, quod plus iniquitas quam peccatum sonat. Et omnis homo libere se peccatorem fatetur, iniquum vero dicere nonnunquam erubescit. Item quod ait : « Scelera mea et delicta ostende mihi, » subaudi, aut ego tibi. Scelera namque et delicta hoc distant quod scelus magis quam delictum pondus peccati transit. Et nonnunquam scelus in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. De his, inquam, idem sentio quod tu. Illud jam dicam unde disputare cupio.

Vers. 24. — « Cur faciem tuam abscondis? » Id est cur visionis tuæ lumine me privasti, « et arbitraris, » subaudi tu tantus, me, **452** scilicet tantillum, « ini-

C micum tuum, » at si peccavi, decet fortitudinem tuam, decet sapientiam hoc quod facis.

Vers. 25. — « Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, » id est contra hominem, qui in paradiso ab arbore vetita cecidit, id est cadendi vel transgrediendi materiam habuit, et ideo bene folium dicitur, unde et Isaias ait : « Cecidimus quasi folium universi (*Isa.* LXIV). » Contra hominem, inquam, qui ita tentationibus, quomodo folium vento rapitur, ostendis potentiam tuam, » id est dignaris exercere fortitudinem tuam, « et stipulam siccam, » id est eumdem hominem de terra ortum, quondam in gratia tua virentem, beatitudinis grano copiosum, nunc in peccato aridum, et immortalitatis beatitudine, tanquam grano suo viduatum, et ja-

D centem tanquam stipulam siccam, « persequeris, » videlicet ut ignibus tradas æternis. Hanc propositionem acerrimam subjecta ratione probat, totamque argumentationem partibus quinque perficit, quas distinguere libet, et hoc non incassum, quoniam disputationem ipse facere proposuit hoc loco, dicens : « Disputare cum Deo cupio. » Propositionem ergo subjecta ratione probat dicens :

Vers. 26. — « Scribis enim, » id est diligenter notas « contra me amaritudines, » id est amaritudinum causas, scilicet peccata tanquam persecutor. Hoc est quod sequitur : « Et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. » In quo considerandum est quam

sint gravia peccata juvenum et senum, si et illud justi sic metuunt, quod in infirma ætate deliquerunt. Et hanc rationem confirmatione roborat.

Vers. 27. — « Posuisti, inquit, in nervo pedem meum, » id est forti sententia ligasti sensum meum propter originale peccatum, ita ut volens quoque non possim evadere hoc exsilium, « et observasti omnes semitas meas, » id est actualia quoque peccata, « et vestigia pedum meorum, » id est exempla actuum meorum, « considerasti. » Tanta intentione persequeris me talem.

Vers. 28. — « Qui quasi putredo consumendus, » id est carnis corruptione conterendus, « sum et quasi vestimentum quod comeditur a tinea, » id est qui plerumque etiam nesciens in mente peccatis confodior, sicut sine sonitu vestimentum a tinea comeditur.

Cap. XIV, Vers. 1. — « Homo natus de muliere, » etc. Ab hoc loco exornationem facit, quæ quarta pars est argumentationis, in qua videlicet exornatione, tota pene consistit columna fortitudinis, id est nimiæ humilitatis qua Deum premit; per quam et Moses eum dicentem : « Dimitte me ut irascatur furor meus (*Exod.* xxxii), » tenere potuit, stans in conspectu ejus in confractione cordis (*Psal.* cv). « Homo, » inquit, subaudi quem tu persequeris, « natus de muliere, » id est de infirmitate, sive, per quam cœpit initium culpæ, « brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, » quod videlicet infelicissimum est, quia et tempore angustiatur et miseriis dilatatur utpote.

Vers. 2. — « Qui quasi flos egreditur, » id est nitens in carne nascitur, et hujus mundi varietatibus, tanquam multis aurarum injuriis, tener et fragilis exponitur, « et conteritur, » id est per mortem carnis in putredinem redigitur, et non cum longa mora, sed certatim, « fugit velut umbra, » id est frigidus a calore divini amoris instabiliter prætervolat, et donec omnino conteratur nunquam « in eodem statu permanet, » videlicet ab infantia ad pueritiam, de pueritia in adolescentiam, et sic per singulas ætates et ad ultimum in mortem transiens.

Vers. 3. — « Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, » id est exerere iram tuam. Hoc est quod sequitur, « et adducere eum tecum in judicium, » videlicet de eo quod sibi est impossibile ?

Vers. 4. — Nam « quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? » subaudi per te ipsum mundus ? Adhuc de brevitate vitæ ejus adjungit :

Vers. 5. — « Breves dies hominis sunt, » subaudi tu æternus es, « numerus mensium ejus, » subaudi quantus sit, « apud te, « id est in tua potestate, « est. » Unde sequitur : « Constituisti terminos ejus, » scilicet tam vivendi quam proficiendi, « qui præteriri non poterunt. » Statutum quippe est a te quantum temporaliter vivat, nec potest vivere ultra, licet Ezechiæ quindecim ad vitam annos esse additos historia sacra referat (*IV Reg.* xx; *Isa.* xxxviii). At ille tem-

A pus quo mori merebatur, præterire meruit perveniam, non autem terminum quem tu illi constituisti, præterire potuit per totam regni sui potentiam. Finita exornatione jam complexionem subinfert vera sapientia totius eloquentiæ dominatrix :

Vers. 6. — « Recede » ergo, inquit, id est iram tuam amove, « ab eo, » non quidem jam ex toto, sed « paululum, » id est « ut » pœnam quidem mortalitatis in corpore sustineant, sed in anima « quiescat, » videlicet a perturbatione vitiorum, a quibus te irato nullus quiescere potest, sed traditur ignominiæ passionibus is cui tu propter superbiam ejus fueris iratus. « Quiescat, » inquam, subaudi interim, « donec optata, » id est ea quam ipse optat, « veniat dies ejus, sicut mercenarii, » id est quando æternam re-

B quiem accipiet pro recompensatione laboris sui ?

Vers. 7. — « Lignum habet spem. » Jam in fine orationis quæ flectere intendit judicium nunc in conclusione instruit misericordiam, per simile indicans quam prædictis miseriis sperat vel optet medelam. « Lignum, » inquit, id est Christus, bonorum omnium robur, in quo omnis justitia radicatur, « habet spem, » subaudi, meam in se reconditam, certam et magnam, pro qua se præcidi patietur. Nam, « si præcisum, » subaudi per passionem mortis, « fuerit, rursum virescit, « scilicet per gloriam resurrectionis, « et rami ejus pullulant, » id est fideles ejus multiplicantur.

Vers. 8. — « Si senuerit in terra radix ejus, » id est si viluerit, et abjecta fuerit in gente Judaica

C prædicatio ejus, « et in pulvere mortuus fuerit truncus ejus, » id est exstincta et sepulta fuerit caro ejus.

Vers. 9. — « Ad odorem aquæ germinabit, » id est per virtutem Dei surget a mortuis, « et faciet comam, » scilicet apostolorum et omnium fidelium collectionem, « quasi cum primum plantatum est, » id est talis esse agnitus vel creditus, qualis erat antequam Deus homo fieret, et clarificatus apud Patrem claritate quam habuit priusquam mundus esset (*Joan.* xvii).

Vers. 10. — « Homo vero, » id est peccator, quicunque noluerit huic per fidem se inserere ligno, « cum mortuus fuerit, » scilicet in culpa, « et nudatus, » videlicet a justitia, « atque consumptus, » subaudi in pœna, « ubi quæso est ? »

D Vers. 11. — « Quomodo si recedant aquæ de mari, » subaudi sic « in illa die peribunt omnes cogitationes ejus (*Psal.* cxlv), » et quomodo ? « si fluvius vacuefactus arescat, » cui videlicet post subductam animam vacuum corpus recte comparatur.

Vers. 12. — « Sic homo, » scilicet talis, « cum dormierit, » videlicet in morte, « non resurget, » subaudi sæculo huic, ut vel adversis, quæ significantur per mare, vel prosperis mundi, quæ per fluvium intelliguntur eo quod sit dulcioris aquæ et potabilis, rursus inundetur. Nam alii sæculo resurget, non huic quod amabat. Hoc est quod sequitur :

« Donec atteratur cœlum, » id est donec mundi hujus finis.

Quæ hic desiderantur, vide in Moralibus B. Gregorii l. XII, cap. 5 post principium, usque ad 17 cap. ejusdem libri, Patrologiæ, t. LXXV.

CAP. XV, VERS. 15. — « Ecce inter sanctos, » subaudi quod majus est, « nemo innocens [immutabilis] est, et cœli, » id est hi, qui cum essent per naturam homines utique terreni, cœlestia sectando facti sunt cœli, « non sunt mundi in conspectu ejus, scilicet suomet judicio, quorum unus ait : « Si diximus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus (*I Joan.* I. »

VERS. 16. — « Quanto magis abominabilis et inutilis homo, » scilicet **453** qualis tu es, « qui bibit quasi aquam, » id est qui operatur absque ulla retractatione, « iniquitatem ? »

VERS. 17. — « Ostendam tibi, » subaudi quid de te sentiam. « Audi me ; quod vidi, » id est non aliquos rumores, sed « quod vidi, » quod intellexi, quod expertus sum, « narrabo. » Et narrare debeo.

VERS. 18. — « Nam sapientes, » subaudi quos imitare debeo, « confitentur et non abscondunt patres suos, » id est patrum suorum sententias.

VERS. 19. — » Quibus solis, » subaudi non etiam stultis, « data est terra, » id est stabilis et fructifera electorum Ecclesia. Et hæc quoque hæreticorum propria est jactantia. « Et non transibit, inquit, alienus per eos, » id est non prævalebit diabolus adversus eos, subaudi qui adversum te prævaluisse probatur. Alienus dicitur diabolus juxta illud, « quoniam alieni, » id est spiritus maligni, « insurrexerunt in me » (*Psal.* LIII).

VERS. 20. — « Cunctis diebus impius superbit. » Hoc est quod narrare proposuit, et nimio præ judicio ausu, quem in prima locutione suo de hypocrisi coarguerat iste Eliphaz, in hac secunda congressione impium esse confirmat. Nam sic de impio loqui incipit, tanquam in beato Job expertus sit id quod universaliter de omni impio se didicisse asseruit supra dicendo, « quod vidi narrabo tibi. » Adhuc tamen parum quid habet de reverentia amici, in eo quod non ipsum nominatim impium esse dicit, sed propter ipsum de impio universaliter proponit dicens : « Cunctis diebus suis impius superbit. » Ac sic dicat : Quod in te palam est, qui in prosperitate superbieras, et nunc in adversitate desperas quod et ipsum magna est superbia. Nam in sequentibus sic contra eum vel propter eum loquitur, tanquam sit impius vel desperatus. « Superbit, » inquam, et mirum est. Nam « numerus annorum incertus est tyrannidis ejus, » id est mirum est quod quasi de certo extollitur, cujus vita sub pœna incertitudinis tenetur.

VERS. 21. — « Sonitus terroris, » id est exspectatio damnationis, « semper in auribus illius, » id est in conscientia a qua accusatur, « et cum pax sit, » id est cum venia peccatorum pœnitentibus promissa sit, « ille, » scilicet desperatus, « insidias, » id est falsum, « suspicatur, » hoc est quod sequitur :

VERS. 22. — « Non credidit, » id est non sperat, « quod reverti possit, » scilicet per penitentiam, « de tenebris, » scilicet suæ damnationis, « circumspectans undique gladium, » id est certum habens ejusdem damnationis judicium.

VERS. 23. — « Cum se moverit ad quærendum panem, » id est, præsentis vitæ stipendum, « novit, » scilicet accusante conscientia, « quod paratus sit in manu ejus, » id est in opere ejus, « tenebrarum dies, » id est quod facit, pavet, sed non cavet quod pavet.

VERS. 24. — « Terrebit eum tribulatio, » scilicet eadem tenebrarum dies parata, « et angustia vallabit eum, » scilicet semper anxie agitantem quid contra veritatem objiciat, « sicut regem qui præparatur ad prælium, » videlicet, contemnens, legatione missa rogare ea quæ pacis sunt (*Psal.* CXXI).

VERS. 25. — « Tetendit enim adversus Deum manum suam, » quod videlicet maxime facturus est iniquorum omnium caput Antichristus, « et contra omnipotentem roboratus est, » scilicet ad breve tempus prosperatur.

VERS. 26. — « Cucurrit, » id est sine obstaculo egit, « adversus eum erecto collo, » id est cum audacia, et pingui cervice, » id est superbia, rerum affluentia quasi multis carnibus fulta, « armatus est. »

VERS. 27. — « Operuit faciem ejus, » id est mentem ejus, « crassitudo, » id est terrenarum rerum desiderata abundantia, « et lateribus ejus, » id est de conjunctis illis atque adhærentibus, « a ruina dependet, » videlicet quia quisquis potenti et iniquo adhæret, ipse quoque de ejus potentia, vel ex pinguedine rerum tumet.

VERS. 28. — « Habitabit in civitatibus desolatis, » id est placebit perversorum cuneis a Deo desolatis, » et in domibus desertis, » id est in laudibus hominum quos Deus deseruit, quæ « in tumulos sunt redactæ, » id est quæ de ædificatione vitæ cecidere.

VERS. 29. — « Non ditabitur, » subaudi interius, « nec perseverabit substantia ejus, » scilicet quia tumet exterius. Nec mittet in terram radicem « ejus [*al.* suam], » videlicet quia cito ad motum occultæ sententiæ vita ejus eruitur, et quia nunquam in æternæ vitæ desiderio cogitatio ejus plantatur.

VERS. 30. — « Non recedet de tenebris, » id est nunquam pœnitendo lucem justitiæ requirit. « Ramos ejus, » id est adhærentes illi clientes ejus, « arefaciet flamma, » id est accendent carnalia desideria. « Auferetur, » id est condemnabitur « spiritu oris sui, » id est propter effrenationem oris sui, quod in cœlum posuit, et contra Deum loqui non cohibuit.

VERS. 31. — Non credat, » subaudi quisquis ejusmodi est « frustra errore deceptus, » scilicet si crediderit, « quod aliquo pretio, » id est eleemosyna quæ de rapina est, « redimendus sit, » scilicet quia se a vitiis non compescit.

VERS. 32. — « Antequam dies ejus impleantur, » scilicet quos longo animo suo proponit, « perit [*al.* peribit], » id est a præsenti vita rapitur, « et manus ejus arescit [*al.* arescat], » id est ab omni operatione bona sicca invenitur.

VERS. 33. — « Lædetur quasi vinea in primo flore, » id est sicut levi aura læditur vinea, sive oliva dum florem projicit, « botrus ejus, » id est operatio ejus, quæ per hypocrisin perfecta videbatur. Hoc est quod sequitur :

VERS. 34. — « Congregatio hypocritæ sterilis. » In quo beatum Job, sicut et in cæteris supradictis, adhuc oblique percutit : quod quasi qui in prosperitate fructum Deo fecisse videbatur, nunc flagello discussus ita cito læsus sit, ut in rebellionem contra Deum efferatur. De cujus quasi merita damnationem universalem profert sententiam dicens. « Et ignis, » scilicet gehennæ, « devorabit tabernacula, » id est corpora eorum, in quibus animæ illorum habitant, « qui munera libenter accipiunt ; » sive munus a manu, quod est nummus ; sive munus ab ore, quod est laus quam amant hypocritæ.

VERS. 35. — « Concepit dolorem, » Tandem in calce sermonis ad auditores sese convertit, et impium supra dictum, qualem procul dubio beatum Job vult intelligi, quasi supremo ictu percutiens, « concepit, inquit, dolorem, » quod est malum mente pertractare, « et peperit iniquitatem, » quod est malum opere perpetrare, « et uterus ejus, » id est sensus cordis ejus, « præparat dolos, » quod est excusationes in peccatis quærere.

CAP. XVI, VERS. 1, 2. — « Respondens autem Job dixit : Audivi frequenter talia. » In hac responsione beatus Job in seipso ostendere intendit, quod sancta Ecclesia in tempore afflictionis libertatem quoque loquendi perdat, quia videlicet apud reproborum mentes nulla est auctoritas, quam non commendat temporalis prosperitas. Agit et de patientia ejusdem Ecclesiæ, quæ mala aliena quasi sua falso sibi objecta, consuevit patienter tolerare, et ab ejusmodi injuria suos studet hoc modo amicos compescere, « Audivi frequenter talia, » subaudi, qualia vos dicitis : « Audivi, inquam, frequenter, » id est consuevi ferre patienter. « Consolatores onerosi omnes vos estis, » videlicet quia cum consolatoris officium sit dolorem lenire, non debet tempore luctûs verba increpationis inferre. Nam et si sunt quædam quæ increpari jure debeant, in afflictione postponenda sunt, ne increpando dolorem afflicti augeat, quem lenire proposuerat.

VERS. 3. — « Nunquid habebunt finem, » id est A certitudinem, vel aliquam utilitatem « verba ventosa, » id est inflationi potius quam rectitudini servientia ? « Aut aliquid tibi molestum est, si loquaris ? » subaudi non. Ac si aperte dicat : eo plus loqueris, quod a me molestum aliquid de teipso non audis. Unde et subditur :

VERS. 4. — « Poteram et ego similia vestri loqui, » subaudi nisi justitiam servando similia loqui declinarem. « Atque utinam esset, » id est potius si esset « anima vestra pro anima mea. » Hoc dictum oratio potius quam **454** maledictio esse monstratur videlicet ut amici, quid dolori illius per charitatem compati nesciebant, ab experimento discerent alienæ afflictioni qualiter misereri debuissent.

VERS. 5. — « Consolarer et ergo vos sermonibus, » B id est non sicut vos me, ita ego vos importunis onerarem increpationis. « Et moverem caput meum, » id est commoverem mentis meæ affectum, « super vos, » subaudi qui super me, sine affectu mentis, imo cum exsultatione, capita vestra movistis.

VERS. 6. — « Roborarem vos, » subaudi ne in tribulatione desperaretur, « ore meo, » id est ore concordante affectui vel compatienti animo, « et moverem labia mea, » id est temperarem verba mea « quasi parcens vobis, » subaudi qui mihi nullo modo parcitis. « Quasi parcens, » inquam, id est non quidem parcens, « sed quasi parcens, » videlicet si qua in vobis reprehendenda essent, non parcerem, quia non omnino tacerem, et C quasi parcerem, quia tempus increpationi opportunum exspectarem.

VERS. 7. — « Sed quid agam. » Hæc assumptio ad illud respicit quod dixerat, « poteram et ego similia vestri loqui. » « Sed quid agam ? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus. Et si tacuero, non recedet a me. » Sic profecto sancta Ecclesia, quando locutione sua perversos corrigi non conspicit, dolor ejus non quiescit, et cum tacet, pro illorum incorrectione hoc ipsum quod tacet, amplius gemit.

VERS. 8. — « Nunc autem oppressit me dolor. » Hæc alia assumptio ad illud respicit quod dixerat : « Utinam esset anima vestra pro anima mea, consolarer et ego vos sermonibus. » Ac si dicat : Nunc autem auctoritas sermonis mei per hoc frangitur, quod vita mea dolorem, quem patior, commeruisse D judicatur. Hæc et cætera quæ sequuntur pene omnia qualiter beato Job congruant nullus ignorat. Sed ad statum sanctæ Ecclesiæ trahuntur hoc modo. Dolore suo sancta Ecclesia prunitur, quando in malitia sua crescere perversos intuetur, « et ad nihilum rediguntur omnes artus » ejus, quando ex imitatione pravorum infirmi quique deterius infirmantur.

VERS. 9. — Et rugæ meæ, « inquit, id est duplices qui in corpore meo duplicitatis suæ malitiam non emendant, ipsi adversitatis tempore me insequendo increpent. » Et suscitatur, « id est confortatur, » falsiloquus, « videlicet omnes, qui de æternitatis promissione diffidunt, » contra faciem meam, « id

est in aperto, « contradicens mihi, » subaudi quam in prosperitate non audentem palam contradicere, quasi post dorsum patiebar.

Vers. 10. — « Collegit furorem suum in me, » subaudi malignus spiritus mentibus eorum principatur, « furorem, » inquam, « suum, » qui hactenus per occultas tentationes sparsus erat, « collegit in me, » id est in afflictione mea tota coacervat et constringit intentione, et comminatis « dentibus suis, » id est sæviens in persecutoribus et carnificibus suis, « hostis meus, » scilicet diabolus, « terribilibus oculis me intuitus est, » id est pravorum consiliis, qui propter astutiam vel sæcularem scientiam oculi ejus recte dicuntur, crudelia in me supplicia machinatus est.

Vers. 11. — « Aperuerunt super me ora sua, » id est mala erroris sui contra me prædicare non metuunt, « exprobrantes, » id est rectæ fidei prædicamenta irridentes. « Percusserunt maxillam meam, » id est illos præcipue persequuntur, quos in aperto positos, et aliis utiliter prælatos esse conspiciunt, quique vitam carnalium verbo correptionis quasi quibusdam dentibus conterunt, ut eos mihi incorporent. Juxta litteram quoque satis dolenter abjectionem suam exprimit, quia videlicet qui in maxilla percutitur, omni honore vel reverentia reputatur indignus. Et hoc faciendo, « satiati sunt pœnis meis, » videlicet quia tunc reprobi grande aliquod se fecisse æstimant, cum vitam prædicatorum necant.

Vers. 12. — « Conclusit me Deus, » subaudi his omnibus modis, « apud iniquum, » id est apud hostem antiquum, videlicet carnem meam, potestati ejus permittens, « et manibus impiorum, » scilicet spirituum malignorum vel hominum crudelium, « tradidit me, » subaudi in interitum carnis, non animæ.

Vers. 13. — « Ego ille quondam opulentus repente contritus sum. » Et hoc in ipso beato Job nimis clarum est. Sancta vero Ecclesia in eo repente conteritur, quod infirmorum mentibus improvidis mala tanto graviora fiunt, quanto ab eis inopinate tolerantur. « Tenuit cervicem meam, » id est repressit libertatem meam. Nam cervix, sicut in malis superbiam, sic in bonis libertatis erectionem significat. Hoc contra illud redditur, quod Eliphaz superius de impio loquens in beati Job suggillationem dixerat hoc : « Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est (*Job* xv). » Ac si dicat : Idcirco nunc videor adversus Deum erecto collo et pingui cervice armatus cucurrisse, quia nunc hostis « tenuit cervicem meam, » id est compressit libertatem meam, « confregit me, » scilicet primum in rerum exteriorum perditione, deinde mei quoque corporis pessimo ulcere, « et posuit sibi quasi in signum, » id est nullo resistente multis oneravit ictibus, sicut signum licentiose ad hoc ponitur, ut sagittarum emissione feriatur. Hoc tam in littera quam in typo satis patet, quia et beatus Job undique plagis operatus est, et sancta Ecclesia persecutoribus suis, quasi in signum posita est, juxta quod ait Apostolus : « Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus (*I Thess.* III), id est quod ad hoc venimus, ut feriamur.

Vers. 14. — « Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit. » Et hæc tam ipsi quam universaliter sanctæ Ecclesiæ congruunt. Sed quod sequitur « et effudit in terram viscera mea, » nequaquam ad litteram stare potest, nisi per viscera in terram effusa filiorum affectum, qui oppressi et exstincti sunt, accipias. Et fortassis ita congrue potest intelligi. Sancta vero Ecclesia, dum lanceis ab hoste suo circumdatur, id est tentationum jaculis in membris suis impetitur, viscera ejus, id est hi qui interioribus sacramentis deservire videntur, in terram effunduntur, id est plerumque ad sæcularia negotia pertrahuntur.

Vers. 15. — « Concidit me vulnere supra vulnus. » Et hoc in beato Job juxta litteram perspicuum est, quia cum nuntius quilibet damna ejus nuntiaret, adhuc illo loquente veniebat alius, et tandem ipse in semetipso percussus est (*Job* I). Ecclesia vero in infirmis suis vulnere super vulnus conciditur, quando peccatum peccato additur, ut culpa vehementius exaggeretur. Et quia tali successu antiquus hostis roboratur, recte subjungitur : « Irruit in me quasi gigas, » quia videlicet malignus adversarius, dum sibi resisti non valet, quasi more gigantis pugnat. Sed et in hoc, et in omnibus supradictis juxta litteram beatus Job pie intelligentibus aperte innuit, quia non sic impius erat, ut merito dicerentur in eum illa quæ paulo ante Eliphaz de impio protulerat, videlicet dum invidiam diaboli contra se exarsisse tali similitudine describit, qua perduellionem eumdem diabolum adversus se hostiliter insurrexisse, et corporalia tantum bona sibi ademisse per odium ipsius animæ, quam a Deo non poterat avertere, solerter intuentibus indicat luce clarius. Unde et sequitur :

Vers. 16. — « Saccum consuit, » id est visibilem afflictionem continuavit, « super cutem meam, » id est super exteriorem hominem meum, « et operuit cinere carnem meam, » id est ad hoc tamen valuit saccus, id est asperitas plagæ, quam mihi intulit, ut me cinerem esse recognoscerem. Quod si ad universam referre libet Ecclesiam, ipsius quoque caro vel cutis sacco et cinere operitur, dum propter peccatum **455** carnis pœnitentia quibuslibet membris ejus inditur. Unde et bene subditur.

Vers. 17. — « Facies mea intumuit a fletu. » Quod dictum, in illo quidem perspicuam exprimit doloris magnitudinem, in Ecclesia autem, prælatorum, qui, quasi facies in aperto positi sunt, magnum nihilominus significat dolorem, subditorum suorum mortem interiorem materno affectu plangentium. « Et palpebræ meæ, inquit, caligaverunt, » quod et ipsum quidem in littera patet, quia videlicet præ nimio fletu oculi plorantium nonnunquam obscurantur. Typice vero illi sanctæ Ecclesiæ palpebræ sunt, quia prævidenda, subje-

ctæ plebis itinera per noctem vitæ præsentis invigilant. Qui dum occulta Dei judicia non intelligunt, profecto palpebræ sanctæ Ecclesiæ caligant.

Vers. 18. — « Hæc, » videlicet omnia quæ prædicta sunt, « passus sum absque iniquitate manus meæ » id est non propter peccatum aliquod certum aut nominatum, quod mihi sim conscius me admisisse, « cum haberem mundas ad Deum preces » id est cum absque fermento hypocrisis, de qua me arguitis, hostias Deo offerrem acceptabiles. Quod tamen verius atque constantius sanctæ Ecclesiæ congruit dicere de illo suo capite, de quo scriptum est : « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » Et tamen passus est, cum haberet mundas ad Deum preces, id est cum etiam pro persecutoribus suis exoraret (*Luc.* XXIII). Sed et ipse beatus Job in eo mundas ad Deum preces habuit, quod conviciantibus quoque amicis benevolus existitit, et accepta Deo sacrificia pro illis obtulit.

Vers. 19. — « Terra, ne operias sanguinem meum. » Mira intentione per propheticam gratiam terram illam, quæ sanguinem Christi non operit, sed confitetur, et utrumque postem, scilicet animæ et corporis, manifesta et publica passionis ejus confessione consignat; terram, inquam, id est sanctam Ecclesiam, obtestatur ne operiat, id est ne opertum esse sinat, sanguinem ejus in sanie defluentem, hoc scilicet magna devotione peroptans ut in memoria æterna inter eos inveniatur, qui ab initio sæculi sanguinis Christi testimonio communicaverunt. « Neque inveniat, inquam, locum, » id est occasionem, « latendi in te, » id est absque memoria transeundi. « Clamor meus, » id est desiderium meum, quod interius vociferatur ad Deum.

Vers. 20. — « Ecce enim in cœlo testis meus, » « in cœlo, » inquam, tantum, nam in terra amici quoque mei me detestantur. « Et conscius meus, » scilicet qui solus cor meum cognoscit, « in excelsis, » subaudi est, ubi ab homine mortali conveniri non potest. Quod si in typum ipsius Salvatoris accipitur, cujus sanguinem, ut prædictum est, terra, id est Ecclesia, non operit silentio, sed et in sacramento celebrat, et fide publica confitetur, testis « et conscius » ejus Ipse et Pater, de quo idem ait : « Et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater (*Joan.* VIII). » Item in Psalmo : « Domine, probasti me et cognovisti me (*Psal.* CXXXVIII), » etc.

Vers. 21. — « Verbosi amici mei, » subaudi estis, videlicet, quia rebus omissis verba tantum concinnatis loquentes quæ ad rem non pertinent, idcirco « ad Deum stillat oculus meus, » id est defluit lacrymosa compunctione intentio mea, dicendo : « Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus. »

Vers. 22. — « Atque utinam sic judicaretur. » id est et si (quod utinam fieret), « sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum

A collega suo, » videlicet ut sicut sentit quod dicit, sic etiam agnosceret quidquid contra dicitur. Hic subaudiendum est : Aliam profecto, quam vos opinamini, percussionis meæ audiremus ab illo causam. « Ad Deum, inquam, stillat oculus meus. » Nec frustra.

Vers. 23. — « Ecce enim breves anni transeunt, » id est tempus interest modicum, subaudi ut testem illum inveniam, « et semitam, per quam non revertar, ambulo, » semitam utique mortis, quæ via est universæ carnis, angusta et difficilis, per quam non revertar ad hæc mala quæ nunc patior, iterum toleranda.

Cap. XVII, vers. 1. — Cujus semitæ recordatione, imo divini judicii timore, « spiritus meus B attenuabitur, » id est non crassescet ex superbia, sicut iniquorum spiritus, sed « attenuabitur, » id est humiliabitur. « Dies mei breviabuntur, » id est breves esse, ut vere sunt, a me reputabuntur, « et solum mihi superest sepulcrum, » videlicet quia cuncta præsentia negligenti hoc solum restat considerare, qualis in sepulcro futurus sum.

Vers. 2. — « Non peccavi, » scilicet tantum ut, sicut opinamini, impius vel hypocrita sim ; « et in amaritudinibus morabitur, » id est in flagellis præsentibus, non, uti vos existimatis, desperabit, sed « morabitur » et perseverabit, « oculus meus, » id est intentio mea.

Vers. 3. — « Libera me, Domine, » subaudi, hoc dicam non desperans. « Libera me, inquam, Do- C mine, » id est liberatorem meum Christum, quem missurus es, mitte, « et pone me, » id est, substantiam meam in illo Unigenito tuo fac consedere, « juxta te, et cujusvis manus, » id est sive Judæi, sive pagani, sive hæretici crudelitas, « pugnet contra me, » id est contra fidem Ecclesiæ, quæ mea fides est.

Vers. 4. — « Cor eorum, » scilicet quorum in typum amici mei contra me pugnant, « longe fecisti, » id est longe esse justo judicio permisisti, « a disciplina, » — « cor, » inquam. quia et si corpus sub disciplina est, dum forte aliquando flagellatur, sicut, verbi gratia, Judæi a Romanis occiduntur, et in omnes gentes captivi ducuntur, cor tamen, subaudi disciplina, non est, dum tot malis ad humilitatem et pœnitentiam non reducitur, D « propterea non exaltabuntur, » subaudi apud te, quia videlicet exaltantur apud se, imo propterea dejicientur, sicut scriptum est : « Dejecisti eos dum allevarentur (*Psal.* LXXII). »

Vers. 5. — « Prædam pollicetur sociis. » Cum de multitudine iniquorum loqueretur, subito ad caput rediit, qui mos est frequens in Scripturis. « Prædam, inquit, pollicetur, » scilicet hostis antiquus, « sociis, » id est spiritibus malignis, videlicet eorum animas, quorum cor, ut dictum est, longe est a disciplina. « Oculi filiorum ejus, » id est pravæ intentiones sequacium ejus, « deficient, » quia videlicet hoc amant, quod diu tenere non possunt. Quod

tamen in ipso maxime patet, quem hostis suus, ut supra dixit : « Lanceis suis cicumdedit (*Job* XVI), » hoc utique intendens, ut animam hac tentatione victam tolleret in prædam ; de quo et subdit :

VERS. 6. — « Posuit me in proverbium vulgi. » Quod consequenter exponit dicens : « Et exemplum sum coram eis, » videlicet quia dum quilibet cuiquam maledicere appetit, ex mei similitudine maledictionem sumit, eamque pœnam suo optat adversario, quam mihi evenisse conspicit. Quod et sanctæ Ecclesiæ, cujus hic typum gerit, in suis martyribus multiformiter accidit.

VERS. 7. — « Caligavit ab indignatione oculus meus, » id est sensu alicujus in sese lumen veritatis habentis admiratione divini judicii turbatus est, dum se a pravis despici, ac dedignari conspicit, « et membra mea, » membra, inquam, sola, non etiam anima, « quasi in nihilum redacta sunt, » videlicet quia sanie defluunt.

VERS. 8. — « Stupebunt justi super hoc, » scilicet, qnod bonis eveniunt mala plerumque et malis bona. Hoc est quod supra dixit : « Caligavit ab indignatione oculus meus, » — « et innocens, » scilicet, qui necdum perfectus est, innocens enim dici potest qui nec boni, nec mali quidquam gessit, » innocens, » inquam, id est imperfectus « contra hypocritam suscitabitur, » id est temporalem illi gloriam invidebit, dicens tale quid quale est illud : « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns (*Psal.* LXXII). » Hoc **456** modo « contra hypocritam suscitabitur innocens, » si imperfectus scilicet est ; si autem perfectus est, melius « suscitabitur, » videlicet quia florentem illum cum flore suo contemnet.

VERS. 9. — « Et tenebit justus viam suam, » id est non omittet propositum suum dicens : « Mihi autem adhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII), » « et mundis manibus, » id est sanctis operibus, « addet fortitudinem, » bona scilicet initia provehendo ad perfectionem.

VERS. 10. — « Igitur, » id est cum hæc ita sint, o auditores, « convertimini et venite, » id est humilitatem habete, et benevolentiam præbete, « et non inveniam in vobis, » subaudi si convertamini, « ullum sapientem, » id est qui sibi videatur sapiens et non potius velit ea quæ a vobis dicta sunt contra me innocentem. Hoc est quod auditoribus suis sancta et apostolica dicit Ecclesia : « Si quis in vobis videtur esse sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens (*I Cor.* III). »

VERS. 11. — « Dies mei transierunt » id est prospera mea defecerunt, subaudi quæ veram, ad quam vos invito, solent impedire sapientiam, « cogitationes meæ dissipatæ sunt, » id est curæ terrenæ, quæ non desunt in prosperitate, a corde meo depositæ sunt, « torquentes cor meum, » id est torquebant cor meum.

VERS. 12. — « Noctem, » id est ipsam percussionis meæ adversitatem, cogitationes meæ, in eo quod dissipatæ sunt, « verterunt in diem, » id est in magnam exsultationem, videlicet quia justis nonnunquam amplius placet ex adversitate mala perpeti quam ex prosperitate terrenis curis fatigari. « Et rursum post tenebras, » scilicet præsentis vitæ « spero lucem, » id est quam perdidi in primo parente divinæ claritatis visionem. Vel quia hic adversitas et prosperitas vicissim sibi succedere non desinunt, sicque fit ut in luce nox in suspicione, in nocte vero lux in præsumptione sit. Ita dictum potest accipi, « rursus post tenebras spero lucem, » ac si dicat, post præsentem doloris adversitatem exspecto divinæ consolationis prosperitatem.

VERS. 13. — « Si sustinuero, » id est etiamsi patienter mala præsentia portavero, « infernus domus mea est, » videlicet quia quicunque ante adventum Christi de hoc mundo exierunt, id est mortui sunt, quamlibet sancti fuerint, adhuc ab inferni locis liberari non poterant. Attamen quia sine tormento illic tenebantur, protinus addit : « Et in tenebris stravi lectulum meum, » id est bonis actibus studendo præparavi mihi requiem in loco illo tenebrarum. Et quia hoc ex pœna infirmitatis venit,

VERS. 14. — « Putredini dixi : Pater meus es. » Ac si dicat : Idcirco « infernus domus mea est, » quia primus homo peccando putredo factus est. « Dixi, inquam, putredini. » id est in interiori meo, humiliter de te, o putredo, sensi, « quia pater meus es, » videlicet quia de te natus sum cum peccato, quod est causa putredinis, et « vermibus, » id est eidem putredini dixi, « mater mea et soror mea » estis. « Mater mea, » scilicet, quia de te, o putredo, natus sum, « soror mea, » quia tecum veni in hunc mundum.

VERS. 15. — « Ubi est ergo nunc præstolatio mea ? » id est quæ nunc potest esse justorum præstolatio, nisi solus justus et justificans Deus, nisi, qui veniens captivos peccati et mortis justitiæ suæ virtute liberabit. « Et patientiam meam quis considerat ? » Subaudi non ignoro. Sed quod disponenti breve est, desideranti longum est. Illo namque differente :

VERS. 16. — « In profundissimum inferni descendent omnia mea, » non quidem corpore, sed sola illuc descendente anima. Ibi namque totum me esse reputo, ubi quod recipiam sentire potero, quia videlicet ibi ex omnibus quæ egi, quietis retributionem inveniam. Superiora loca inferni profundissimum infernum vocat, quia videlicet, quantum ad sublimitatem cœli jam hujus aeris spatium non immerito dici infernus potest. Unde cum apostatæ angeli in hoc caligoso aere sint demersi, Petrus apostolus dicit : « Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed ruentibus inferni detractos in tartarum tradidit, in judicio cruciandos reservari (*II Petr.* II). » — « Putasne saltem ibi erit requies mihi ? » Videlicet quia et desidero, et tamen adhuc de suscipienda requie dubito, videli-

cet, quia quamlibet justus, dum vivit, quisque de se dubitat, neque ante finem suum se comprehendisse putat.

Cap. XVIII, vers. 1, 2. — « Respondens autem Baldad Suithes dixit : Usque ad quem finem verba jactabitis ? » In hac responsione hoc idem Baldad intendit, quod et Eliphaz proxima superius responsione intenderat, videlicet hoc astruere quod beato Job impius esse in oculis Dei præsenti flagello teste convictus sit. Subtiliter ergo distinguendum est in verbis eorum, et quid sit quod vere de reprobis sentiunt, et quid quod contra B. Job fatuum sonant. Primo illud Baldad jactantiæ coarguit, dicendo, « usque ad quem finem verba jactabitis ? » simulque negat eum finalem habere causam, id est utilitatem verborum suorum dicendo, « ad quem finem, » ut subaudias nullum. Deinde imperitiam illi exprobrat subjungendo : « Intelligite prius, et sic loquamur. » Sic et hæretici sanctæ Ecclesiæ constantiam putant esse superbiam, et eam nec intelligere suspicantur ea quæ dicuntur, se quoque despici superba conqueruntur indignatione, dicendo quod sequitur.

Vers. — « Quare reputati sumus ut jumenta, » subaudi esse, absque intelligentia, « et sorduimus, » id est viluimus coram vobis ?

Vers. 4. — « Qui perdis animam tuam in furore tuo, » videlicet sicut jam corpus peditum est ulcere pessimo. Furoris enim esse putant, tam hi quam omnes hæretici, hoc quod ab electis agitur, vel dicitur per fervorem bene zelantis animi. « Nunquid propter te, » id est propter hunc furorem tuum, « derelinquetur terra, » subaudi a Deo, nisi universa tibi soli concordet, et tecum sentiat ? « Et transferetur rupes de loco suo, » id est viri firmi atque eminentes in sapientia, movebuntur de sensu suo, ut declinent cum sensu tuo ?

Vers. 5. — « Nonne, » subaudi, velis nolis, « lux impii exstinguetur, » id est fugitivæ vitæ prosperitas, propter abutentis impietatem, citius terminabitur, subaudi, sicut in te comprobatur, « nec splendebit flamma ignis ejus, » videlicet quem in corde suo ex fervore carnalium desideriorum accendit ? Subaudi, non splendebit, sed ad tenebras pertrahetur. Sic procul dubio fiet.

Vers. 6. — « Lux obtenebrascet, » id est temporalium rerum gaudium omnino deficiet, « in tabernaculo, » id est in conscientia illius, « et lucerna, » id est gaudium carnale. « Lucerna enim lumen est in testa, lumen autem in testa gaudium est in carne (11). » — « Lucerna ergo quæ super eum est, » id est gaudium carnale quod non apud ipsum, id est in regimine ejus est, videlicet ita ut ipse illo bene utatur, sed super ipsum est, id est totum enim possidet, et facit peccatis servum, « exstinguetur, » ut dictum est, id est ad tenebras pertrahetur.

Vers. 7. — « Arctabuntur, » id est pœna con-

A stringentur, « gressus virtutis ejus, » id est profectus qui nunc dilatantur robustæ malitiæ ejus, « et præcipitabit, » id est in æterni supplicii tenebras merget, eum consilium suum, subaudi, quod nunc habet, quod nunc sibi placet præsentia appetere, et æterna despicere. « Præcipitabit, » inquam, et juste permittetur devenire in præcipitium.

Vers. 8. — « Immisit enim in rete pedem suum, » id est ipsum quo non volens tenetur, volens admisit peccatum, « et in maculis ejus ambulat, » id est cum expedire se nititur, tunc veraciter conspicit quam duris nexibus tenetur. Hoc est quod sequitur :

Vers. 9. — « Tenebitur planta illius laqueo » videlicet quia stringitur finis in peccato, juxta illud :
B « Peccatum cum consummatum fuerit, generat **457** mortem (*Jac.* i), » cujus, subaudi peccati, consummatio per plantam, quæ finis corporis est, exprimitur. Planta ergo laqueo tenetur, dum peccatum consummatum non facile evaditur, quia vitiosa consuetudine tenetur peccator dum effugere conatur. Unde et sequitur, « et exardescet, » subaudi, per ipsam obligationem, « contra eum sitis, » id est, diabolus, qui sitit ut bibat mortem peccatoris, vel ita, « exardescet contra eum sitis, » id est, ex consuetudine peccati magis ac magis accenditur desiderium peccatoris, videlicet, quia delectationem sitit, quamvis mortem metuat quæ posita est secus introitum delectationis.

Vers. 10. — « Abscondita est in terra pedica ejus, » id est, involutus est in terreno lucro laqueus
C peccati ejus, quia videlicet inimicus insidians ostendit lucrum quod appetat, et occultat peccati laqueum quo animam ejus stringat, « et decipula, » videlicet, quæ sic ponetur, ut dum esca ostenditur, ipsa nequaquam a transeunte videatur, « decipula, » inquam, « illius, » id est, periculum deceptionis, « super semitam, » id est, ubi tendentem videt hostis cogitationis ejus viam.

Vers. 11. — « Undique terrebunt eum formidines, » id est, tales omnes contra se esse suspicatur, qualis ipse esse contra omnes nititur, « et involvent eum pedes ejus, » id est, in rectam non sinent eum exire actionem prædictæ formidines ejus, quia videlicet sæpe contingit ut idcirco quisque bonus esse metuat, ne hoc a pravis ipse patiatur,
D quod se bonis fecisse reminiscitur.

Vers. 12. — « Attenuetur fame robur ejus, » id est, rationalis animæ ejus, qua ex parte homo roboratur, qui utique ex alia parte, id est ex corruptibili carne, infirmatur, « robur, » inquam, id est anima ejus, « fame, » subaudi Verbi Dei, « attenuetur, et inedia invadat costas illius, » id est, eadem fames longa consumat sensus mentis illius, quibus ita latentes cogitationes sicut viscera costis muniuntur. « Invadat, » inquam, scilicet ad hoc ut viscera cogitationum, quæ in occulto sana latere po-

(11) D. Gregor. Mor. lib. xiv, cap. 8.

terant, foris ad appetendam exterioris gloriæ speciem.

Vers. 13. — « Devoret pulchritudinem cutis ejus, » id est, gloriam temporalem, quæ tota in cute, id est, extrinsecus est, quo contra dicitur: « Omnis gloria ejus, filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV), « et consumat brachia, » id est, opera, « illius primogenita mors, » id est, primogenitum peccatum, videlicet superbia. Nam cum peccatum sit mors, scilicet animæ, superbia vero primum peccatum, bene ergo superbia dicitur primogenita mors.

Vers. 14. — « Avellitur de tabernaculo suo, » id est, de terra in qua ad tempus militamus, « fiducia ejus, » videlicet, quam in abundantia rerum temporalium habuerat, « et calcet super eum quasi rex, interitus, » id est, peccatum vel ipse diabolus, videlicet, quia hic vivus premitur, et mortis suæ tempore per hoc quod ad supplicium rapitur, potestati dæmonicæ subjugatur.

Vers. 15. — « Habitent in tabernaculo illius, » id est, in mente ejus per cogitationes nequissimas conversentur, « socii ejus, qui non est, » id est, apostatæ angeli, qui socii sunt ejus, « qui » jam « non est, » videlicet, qui a summa essentia recessit, et quasi ad non esse tendit, quia semel ab eo qui vere est cecidit. « Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur, » id est, in mente ejus peccatum carnis dominetur, quod mentem quibusdam fetoribus replens æterna præparat incendia, et ideo bene per sulphur, quod fomentum ignis est, significatur.

Vers. 16. — « Deorsum radices ejus siccentur, » est, cogitationes ejus deorsum infimis rebus inhærentes nequissimis adurantur tentationibus, « sursum autem, » id est, a superno judicio, « atteratur messis ejus, » id est, post hanc vitam ad nulla vivendi subsidia perducantur, imo ad remunerationem justorum rejiciantur opera ejus.

Vers. 17. — « Memoria illius pereat de terra. » Latenter ad caput omnium iniquorum, scilicet Antichristum, verba vertuntur. « Memoria, » inquit, « illius, » id est, laus terrenæ postestatis ejus, « pereat de terra, » videlicet ubi illam extendere nititur, « et non celebretur, » id est, non, ut ipse intendit, glorificetur, « nomen ejus in plateis » id est, in latitudine mundi, plateæ, quippe Græca appellatione a latitudine sunt vocatæ.

Vers. 18. — « Expellet eum, » subaudi Deus, « de luce in tenebras, » id est, a præsenti honore ad æterna supplicia, « et de orbe, » id est, de hoc mundo, « transferet eum, » subaudi ad inferni profundum.

Vers. 19. — « Non erit semen ejus, » id est, non subsistet doctrina ejus, « neque progenies ejus in poculo suo, » scilicet omnes qui de ejus iniqua persuasione in malis nascuntur actibus, » nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus, » videlicet quia omnes iniquitates illius cum fine mundi concluduntur.

Vers. 20. — « In die ejus stupebunt novissimi, » id est, tanta tunc signa monstrabit, tamque crudelia faciet, ut stupeant quos in fine mundi inveniet, « et primos, » scilicet Enoch et Eliam, « invadet horror, » quia videlicet carnalis mortis eos dolore transfiget, quibus licet constantia sit ex virtute, pavor erit ex carne.

Vers. 21. — « Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, » id est, non illa quæ nunc multis apparatibus tumidus construit, et in quibus nomen gloriæ suæ nunc extendit, sed illa quæ prædicta sunt (*supra vers.* 15), in quibus aspergitur sulphur, et habitant socii illius, qui non est, « hæc » inquam, « tabernacula sunt iniqui, » scilicet in suppliciis æternis, « et iste, » id est, talis, « est locus ejus, qui ignorat Deum, » id est, non probat habere in notitia, sed extollitur contra eum.

Cap. XIX, vers. 1, 2. — « Respondens autem Job dixit: Usquequo affligitis animam meam? » Memoriter tenendæ sunt utriusque partis intentiones, quæ superius dictæ sunt, videlicet quod amicorum beati Job eo tota intendat disputatio, ut ex quantitate flagelli quantitatem in illo velint constare impietatis, ipsius autem defensio eo intendat, ut non solum se, sed et omnes justos, qui in hoc sæculo flagellantur, ab hujusmodi purget præjudicio, videlicet, ne, quando adversa patiuntur, statim pro peccatis suis ea pati credantur. Quæ intentiones nisi clare discernantur, difficile intelligitur, hoc præcipue, quod mox dicturus est. « saltem nunc intelligite quod Deus non æquo judicio afflixerit me, » etc. (*Infra vers.* 6.) « Usquequo » inquit, « affligitis animam meam, » scilicet dolentem ac sollicitam pro eo quod ream illam statuere vultis, apud omnem quæ hæc auditura est in præsenti sæculo Dei Ecclesiam, « et atteritis me sermonibus, » scilicet sola sententiarum multitudine, non etiam causæ, quam intenditis, veritate? « Usquequo, » inquam?

Vers. 3. — « En decies confunditis me, » videlicet quia quinquies locuti estis, et quinquies me respondere oportuit, dolendo quod inutiliter contra vestra objecta ratione veritatis disputaverim, « et non erubescitis, » id est, nec tenet vos reverentia amici, « opprimentes me, » id est, vim facientes causæ meæ, et irascentes de eo quod constat vobis non obesse.

Vers. 4. — « Nempe, et si ignoravi, » videlicet sicut sæpe calumniati estis, « mecum erit, » id est, mihi, non vobis, oberit « ignorantia mea. »

Vers. 5. — « At vos contra me erigimini, » id est, non eo contenti estis ut vobis non obsit, sed mihi per industriam insultatis, « et arguitis me opprobriis meis, » videlicet impium esse ex percussione me judicantes.

Vers. 6. — « Saltem nunc, » id est, postquam decies confudistis me, tandem erubescentes opprimere me, « intelligite, » id est, ex præterita vita mea colligite, « quod Deus non æquo judicio, » id est, non flagella factis meis æquando, non enim

dixi injusto judicio, sed « non æquo, » id est, æ- A
qualia æqualibus compensando, ut arbitramini vos. « afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit, » 458 id est, undique percusserit me videlicet, ut nullius terræ vel amici supersit consolatio, qua possit animus respirare.

Vers. 7. — « Ecce clamabo, » subaudi sub eisdem flagellis, « vim patiens, » scilicet vestro præjudicio, « et nemo, » subaudi vestrum, « audiet, » id est, condolebit, « vociferabor, » id est, loquar secundum quod vehemens et acutissimus exigit dolor « et non est, » scilicet in vobis, « qui judicet, » subaudi causam meam sicuti est. Quid clamabo, quid vociferabor? videlicet hoc, quia.

Vers. 8. — « Semitam meam, » id est, rationem meam, « circumsepsit, » scilicet in eo, quod flagel- B
lis suis cinxit me, « et transire, » id est, cum auctoritate vobis respondere, « non possum » videlicet quia nimis undique manifesta sunt mala mea quæ vos mihi objicitis, pro argumento meæ impietatis. « Transire, » inquam, hæc « non possum, » quia nimis difficile, et pene impossibile mihi est ut concedere vos faciam, quod ego et tanta mala a Deo perpeti, et non impius esse possim. Ita namque sentitis quod nemo, nisi impius sit, sic a justo Deo percuti possit. « Circumsepsit, » inquam, « semitam meam, et in calle meo, » id est, in sensu meo, « tenebras posuit, » id est, ignorantiam occulti judicii sui, quia cur ita flagellor penetrare non potui.

Vers. 9. — « Spoliavit me gloria mea, » Ac si di- C
cat: Ideo, cum clamo et vociferor, nemo vestrum audit, quia « spoliavit me gloria mea, » videlicet, quam vos olim in me reverebamini, « et abstulit coronam de capite meo, » videlicet in qua cum fulgerem, vos videntes me cessabatis loqui, et ori vestro digitum superponebatis (*Job* XXIX).

Vers. 10. — « Destruxit me undique, » scilicet in omni facultate, quæ solebat diviti honorem exigere, « et pereo, » id est, in paupertate et inopia dego, « et quasi avulsæ arbori, » subaudi, cui aufertur spes viriditatis cum avellitur, « sic abstulit spem meam, » videlicet per filiorum meorum mortem subitam, qui si superessent, minus apud vos contemptibilis essem. Post hæc:

Vers. 11. — « Iratus est contra me, » id est, contra ipsum corpus meum, « furor ejus, et sic D
me habuit, » id est, ita me extra custodiæ suæ murum projecit, « quasi hostem suum, » id est, civium suorum cohabitatione indignum.

Vers. 12. — « Simul, » id est, statim ut viderunt me tutela ejus destitutum, « venerunt latrones ejus, » id est, ab eo missi maligni spiritus « et fecerunt sibi viam per me, » id est, audacter proruperunt ad conculcandum me, « et obsederunt in gyro tabernaculum meum, » id est, percusserunt a planta pedis usque ad verticem corpus meum (*Isa.* I), quod videlicet in hac peregrinatione degentis animæ est tabernaculum.

A Vers. 13, 14. — « Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant obliti sunt mei. » Hoc perspicuum est, quia cuncti affines percussum reliquerunt, imo et abhorruerunt eum. Discedunt enim siccatis, quod minus est, fæce tenus cadis amici, quanto magis cum rebus perditis solus paterfamilias sedens in sterquilinio sane defluit? Sed illud non est omittendum, quia Dominum nostrum cujus hic, ut sæpe dictum est, typum gessit, quia mori potuit, fratres sui, id est, Judæi, fratres ejus et propinqui secundum carnem noti quoque et noscentes illum per Legem et Prophetas, spernentes dereliquerunt eum. Nam « in propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I). »

B Vers. 15. — « Inquilini domus meæ et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me. » Et hoc in littera patet, quia, sicut hirundines æstate præsto sunt, in hieme vero dilabuntur, sic inquilini, ancillæ, et servi et cuncta domus frequentia, quæ in serena ætaste prosperitatis circa mensas divitis præsto aderat, ubi vidit tantam adversitatis hiemem, universa devolavit. Sed in persona Domini hoc modo accipiuntur hæc: « Inquilini domus meæ et ancillæ, » id est, sacerdotes templi mei et Levitæ, « sicut alienum habuerunt me, » id est, incarnatum suscipere aut venerari noluerunt me, « et quasi peregrinus fui in oculis eorum, » videlicet quia, modicum declinans ad eos quasi viator ad hospitandum, mox pertransivi ad regnandum super electionem gentium.

C Vers. 16. — « Servum meum, » scilicet populum Judaicum, « vocavi, » id est, multa illi miraculorum benificia præstiti, « et non respexit [respondit], » id est, digna opera non reddidit; « ore proprio deprecabar illum, » id est, exhibita incarnatione mea humiliter per memetipsum docebam illum. « Non respondit, » inquam. Quin etiam:

Vers. 17. — « Halitum meum horruit uxor mea, » id est, divinitatem meam credere dedignata est juncta mihi quondam Synagoga. Juxta litteram satis despectionem et miseriam suam exprimit, cui servus vocanti, imo ore proprio deprecanti, non respondit, cujus halitum ipsa sua uxor exhorruit. « Et orabam, » inquit, « filios uteri mei, » id est, eos qui ex consanguinitate mihi fuerant intimi, et

D Vers. 18. — « Stulti quoque despiciebant me, » videlicet quem olim ut sapientem solebant timere. « Et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, » videlicet nunc palam facientes quod mensæ fuerint amici, cum in prosperitate adhærebant mihi. Vel ita in persona Christi. « Et orabam filios uteri mei, » id est, humiliter docebam illos quos per invisibilem divinitatem potenter condidi, vel quos per occultam prædestinationem ante sæcula concepi, ut producerentur per sæcula creati. « Stulti quoque, » id est, non solum Pharisæi et legisperiti, sed et turbæ, indocti populi sequentes illos, « despiciebant me, et

cum recessissem ab eis, » id est, quando signa non ostendebam coram eis, « cum, » inquam, « recessissem, » id est, tentantibus signum non dare, « detrahebant mihi, » videlicet dicentes, « Dæmonium habet (*Matth.* XI), » et, « Nonne hic est filius fabri ? » J(*Matth.* VIII) et talia. Et

VERS. 19. — « Abominati sunt me, » id est, multos consiliis suis diviserunt a me « quondam consiliarii mei, » id est, legis doctores, qui consulebant me. Is, « et quem maxime diligebam, » id est, idem ordo Pharisæorum et legis doctorum, quem in sortem meam assumendo maxime honoraveram in populo, « adversatus est mihi [aversatus est me], » videlicet trahendo turbas populorum ad suum consensum, ut affigerer cruci. Et tandem :

VERS. 20. — « Pelli meæ, » id est, solummodo paucis feminis, « consumptis carnibus, » id est, discipulis meis fugientibus, « adhæsit os meum, » id est, perseverantes juxta se passionis meæ fortitudo invenit. Per pellem ideo sanctæ feminæ figurantur, quia pellis exterior carne manet in corpore, et sanctæ feminæ quasi in corpore tunc nascentis Ecclesiæ tendebantur, quæ ad præparanda subsidia corporis serviebant Domino ministeriis exterioribus. Per carnem ideo discipuli signantur, quia dum populis prædicarent, quasi ossi suo carnes adhærebant, tempore vero passionis dum infirmi trepidaverunt, eædem carnes quasi consumptæ sunt. « Et derelicta sunt tantummodo labia, » id est, virtute fidei labefactata remanserunt sola verba, « circa dentes meos, » scilicet apostolos, id est, ipsi qui vitam carnalium corripiendo mordere debuerant, tantummodo inter se sola de me confabulationis verba retinebant. Juxta litteram vero evidentius patet quid dicat: « Pelli meæ consumptis carnibus, » quia videlicet doloris eas magnitudo consumpsit, « pelli, » inquam, quia carnes sanie defluxerunt, « adhæsit os meum, et derelicta sunt, tantummodo labia circa dentes meos, » id est, toto jam corpore inutili, sensu tamen integro, verba recta non desunt, et ratio suppeditat ad loquendnm quæ vera sunt.

VERS. 21. — « Miseremini mei, miseremini mei. » Ac si dicat: Quoniam his omnibus modis Deus semitam meam circumsepsit, **459** idcirco clamabo, et nemo audiet, ut supradictum est, sed « saltem vos, amici mei, » id est, saltem pro eo quod fuistis amici mei, pro antiquæ reverentia pietatis, « miseremini, miseremini mei, » id est compatimini mihi. « quia manus Domini tetigit me, » videlicet quæ de nobis ipsis quid disponat non potestis prænoscere. Sub eadem manu vos esse mementote, et naturæ vestræ mutabilitatem vel impotentiam ex me perpendite.

VERS 22. — « Quare persequimini me sicut Deus, » id est ac si ipsi more Dei infirmitate nil habeatis, « et carnibus meis saturamini, » id est pœnis meis delectati detrahitis mihi ?

VERS. 23, 24. — « Quis mihi tribuat, » videlicet, quoniam nunc me clamante, ut supradixi, nemo audit, quis mihi tribuat, « ut scribantur sermones

A mei, » scilicet quia de patientia mea multi erunt qui valeant ædificari ? « Quis mihi det ut exarentur in libro, » id est in cordibus hominum, « stilo ferreo, » id est forti sententia Dei, « et plumbi lamina, » id est in gente Judæa, « vel certe [*al.*, celte] sculpantur in silice, » id est in ea quæ lapides colit, et duri cordis est, gentilitate? Nam per plumbum quod ferro mollius est, idcirco Judæa significatur, quia facile quidem legem recepit, dicendo Moysi : Omnia quæ præcepit Dominus faciemus, sed citius eadem lex de corde ejus deleri potuit, quia paulo post vitulum conflatilem adoravit (*Exod.* XXXII), et multa similia diversis temporibus egit. Per silicem vero ideo gentilitas intelligitur, quia fides Christi difficilius quidem in illa scribi potuit, sed semel scripta jam nulla

B persecutionum violentia deleri potuit. Vel, ita, absque distinctione gentilis et Judæi, « ut exarentur, inquit, in plumbi lamina, » id est in cordibus eorum, in quibus dudum regnabat avaritia. Nam in propheta quoque Zacharia per talentum plumbi significatur avaritia, quod ideo projectum dicitur in medio amphoræ, quia cor avari semper dilatatur in ambitione, et mulier sedet in illa, de qua et dictum est : « Hæc est impietas (*Zach.* V), » quia nimirum impietas semper tenetur in avaritia. « Vel certe sculpantur, inquit, in silice, » id est in quovis gravi et duro corde. Quærentique cur suos tantopere optet scribi sermones, causam reddens :

VERS. 25. — « Scio enim, inquit, quod Redemptor meus vivit. » Ac si aperte dicat : Nam ego, qui modo clamans et vociferans non audior, scio quod

C quandoque videndus et audiendus sim, videlicet quia Redemptor, subaudi, qui inter manus impiorum occubuit. Non enim ait conditor, sed « Redemptor meus vivit, » videlicet passione ejus a morte perpetua genus humanum liberandum esse prævidens, « et in novissimo die de terra resurrecturus sum, » scilicet, quia resurrectionem quam in se ostendit, quandoque in nobis procul dubio facturus est.

VERS. 26. 27. — « Et rursum, » id est postquam exspoliatus fuero, « circumdabor pelle, » non alia sed « mea, et in carne, » subaudi, non alia sed mea, alia quidem per gloriam, sed non alia per substantiam, « videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et non alius. » Non, inquit, ita ut

D ego moriar, et alius resurgat, sed ego ipse resurrecturus, et Deum visurus sum, « et oculi mei conspecturi sunt. » Plenius aut fidelius vera atque perfecta resurrectio exprimi non potuit. « Reposita, » id est certa est « hæc spes mea in sinu meo, » nihil enim certius nos habere credimus quam quod in sinu tenemus.

VERS. 28. — « Quare ergo, « subaudi cum in tanta quoque pressura fides in me tam pura sit; quare, inquam, « nunc dicitis : Persequamur eum, » id est rationibus convincamus esse impium, « et radicem verbi inveniamus contra eum, » id est loquendi originem sumamus, ex qua ramos accu-

sationum dilatemus contra eum, subaudi quia peccatum tale requiretur in illo resurrectionis et judicii die.

Vers. 29. — « Fugite ergo a facie gladii, » id est pœnitentes cessate perversa loqui vel agere præ timore illius judicii, « quoniam ultor iniquitatum gladius est, » subaudi divinæ animadversionis, « et scitote, » id est per formidinem sentite « esse judicium, » id est exigendam rationem bonorum et malorum.

Cap. XX, vers. 1, 2. — « Respondens Sophar: Idcirco, » inquit, videlicet quia video in te pœnam malorum, et audio ex te repositam in sinu esse tuo spem justorum, « cogitationes meæ variæ succedunt sibi, » scilicet dubitando, cui magis concedam, an flagello te arguenti, an tibi de justitia præsumenti, « et mens in diversa rapitur, » scilicet quia diversa, imo repugnantia sunt ea quæ in te video, illis quæ ex te audio.

Vers. 3. — « Doctrinam qua me arguis audiam, » videlicet quia mihi superius arguendo dixisti, quod ostenderes nos fabricatores esse mendacii, et his similia, « et spiritus intelligentiæ meæ, » videlicet quo possum, an recte prolata sint discernere, « respondebit tibi [*al.*, mihi], » subaudi juxta quod audire mereris.

Vers. 4, 5. — « Hoc scio, » subaudi rebus ipsis esse probatum, « a principio ex quo positus est homo super terram; » scio, inquam, hoc extunc, et nunc quoque in te experimentum habeo, « quod laus impiorum brevis sit, » subaudi ut tua quoque laus nunc evanuit, « et gaudium hypocritæ, » videlicet qualis tu quoque fuisti, « ad instar puncti, » subaudi breve sit. Hoc, inquam, in te probatum est, et semper sic fiet.

Vers. 6, 7. — « Si ascenderit in [*al.*, usque ad] cœlum superbia ejus, » subaudi ut tua dudum ascenderat, « et caput ejus nubes tetigerit, » subaudi ut tu super alios eminens, cœlum tangere videbaris tibi; si inquam, in cœlum ascenderit, id est cœlestem vitam agere visa fuerit, « superbia ejus, et caput, » id est elatio mentis ejus, nubes tetigerit, id est sanctorum meritis sese coæquaverit, « quasi sterquilinium in fine perdetur, » subaudi ut tu, qui nunc in sterquilinio solus sedes, miser et perditus; quasi sterquilinium, inquam, perdetur, id est vel sicut tu vel alio quolibet modo, pro vitiorum suorum fœtore damnabitur, « et qui eum viderant, » scilicet superexaltatum et elevatum, « dicent: Ubi est? » videlicet non interrogando, sed brevitatem laudis, et gaudii ejus admirando.

Vers. 8. — « Velut somnium avolans non invenietur, » videlicet quia gaudium ejus dum quasi tenetur amittitur, velut somnium, quo sæpe nonnulli pauperes factos se divites admirantur, deferri sibi honores, divitiarumque moles, et cætera talia, gaudentes admirantur, sed repente cum evigilant, inveniunt quam falsum fuerit quod gaudebant. Sic, inquam, gaudium hypocritæ avolat et non invenietur, subaudi neque hic, ubi elatus fuerat, neque in æterna requie, unde se esse putabat. « Transit [*al.*, transiet], » subaudi laus vel gaudium ejus, « sicut visio nocturna, » quia videlicet dum in morte carnis evigilat, cognoscit procul dubio quia favores hominum dormiens circa se videbat.

Vers. 9. — « Oculis qui eum viderat, » id est amatores ejus, qui eum admirando conspiciebant, « non videbit, » scilicet in morte subtractum, « neque ultra eum intuebitur locus ejus, » id est lingua adulatorum, in quorum favoribus requiescebat, non eum ultra admirabitur.

Vers. 10. — « Filii ejus, » scilicet hi qui de imitatione ejus nascuntur, « atterentur egestate, » quia, videlicet satiari non merebuntur pane sapientiæ, « et manus, » id est opera illius, « reddent ei dolorem suum; » reddent, inquam, id est quasi quoddam debitum solvent ei æternum supplicium. Quare? Quia dum vivit hoc modo se exhibebit.

Vers. 11. — « Ossa ejus, » id est, sensualis et ratio quibus homo regitur, « implebuntur, » id est consuetudinaliter corrumpentur; « vitiis adolescentiæ suæ, » id est quibus se ipsum in adolescentia sua cœpit corrumpere, « et cum eo in pulvere dormient, » id est usque ad finem vitæ, quando pulvis convertitur in pulverem, **460** in illo perseverabunt, et ideo veniam non merebuntur, quia peccatum tale quod est impœnitentia, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur.

Vers. 12. — « Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, » id est, cum ex corde delectetur operari peccatum, « abscondet illud sub lingua sua, » id est operiet malitiam suam locutione. Blanda, juxta illud: « Simulator ore decipit amicum suum (*Prov.* XI). » Hoc recte de hypocrita dicitur, de quo et subditur:

Vers. 13. — « Parcet illi, » subaudi malo quod sub lingua sua abscondit; parcet, inquam, videlicet quia diligit, et non vult illud pœnitendo persequi, « et non derelinquet illud, » subaudi donec, ut prædictum est cum eo in pulvere, dormiat, « et celabit in gutture suo, » id est in cogitationis occulto, nolens prodere humili confessione; justus quippe videri vult, non esse.

Vers. 14. — « Panis ejus in utero illius, » id est satietas temporalis delectationis ejus in mente ejus, idcirco, quia perseveranter in malis delectatur, « vertetur in fel aspidum intrinsecus, » id est, in retributione amaricabit animam ejus, societate malignorum spirituum. Vel, ita: « Panis ejus, » id est scientia ejus, « in utero, » id est in mente ejus, « vertetur in fel aspidum, » id est in erroris et deceptionis venenum, videlicet quia doctrina verbum, quod male quærit, prave intelligit, et ad corrumpendos auditores pejus exponit.

Vers. 15. — « Divitias, quas devoravit, evomet, » id est eloquia divina, quæ legit, justo judicio Dei cæcatus oblivioni tradet, « et de ventre, » id est de mente ejus, « extrahet eas Deus, » videlicet quia,

quod servare noluit, justo judicio de memoria ejus A Deus avellit. Et sicut in Zacharia de volumine volante dicitur: « Omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur (*Zach.* v), » sic in hypocrita completur, quia sacræ Scripturæ fur judicatur, dum per hoc quod justa dicit, laudem sibi vitæ justorum rapit.

Vers. 16.— « Caput aspidum surget [*al.*, suget].» Ac si dicat: Idcirco sic punietur, quia caput aspidum, id est principium et præcipuum omnium vitiorum, videlicet superbia, surgit, id est magna est, et adversus Deum in mente ejus se erigit, « et occidit eum lingua viperæ, » id est sua lingua, qua inficit alios, dum corrumpit mores bonos mala collocutione.

Vers. 17. — « Non videat, » subaudi quia talis B est; non videat, inquam, « rivulos fluminis, torrentes, » id est dulcedinem Spiritus sancti cum impetu euntis, juxta illud: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV), » quod flumen est « mellis et butyri, » videlicet quia cum dulcedine Divinitatis, quæ significatur per mel, conficitur enim de rore cœli, mysterium quoque inspirat humanæ menti Dominicæ incarnationis, quæ per butyrum recte designatur, quod de carne animantis extrahitur. Non videat, inquam, neque hic per prævenientem gratiam Spiritus sancti neque in futuro per plenam visionem Dei, sed potius:

Vers. 18. — « Luet quæ fecit omnia, » scilicet inter inferni tormenta, « nec tamen consumetur, » videlicet quia flammis ultricibus traditus et semper C moritur, et semper in morte servatur, ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic mors ejus vivat in pœna. « Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit, » id est, sicut multas iniquitates ex suis desideriis adinvenit, sic et graviora tormenta recipiet, quam cæteri.

Vers. 19. — « Quoniam confringens, » scilicet per potentiam, « nudavit, » id est spoliavit, pauperis [*al.*, pauperes] pomum, videlicet per avaritiam. Ac si dicat: Quia non peccavit, ut multi, per infirmitatem vel per ignorantiam, sed per violentam superbiam suam explevit avaritiam. Fregit, inquam, et nudavit domum pauperis rapuit, « et non ædificavit eam, » id est cum ad damnationem sufficeret non ædificasse, vel sua non dedisse, venturus enim D judex dicturus est reprobis: « Esurivi, et non dedistis mihi manducare (*Matth.* xxv), » et, non solum non ædificavit, sed et diripuit domum pauperis, quod proficit ad cumulum damnationis.

Vers. 20. — « Nec est satiatus venter ejus, » videlicet, quia avaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur, more ignis, qui cum ligna, quæ consumat, acceperit, excrescit, et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari. « Et cum habuerit quæ concupierat, » id est, cum omnes ex iniquitate congregaverit divitias, « possidere non poterit, » scilicet, quia cito rapietur illuc, ubi illæ non poterunt cum sequi.

Vers. 21. — « Non remansit de cibo ejus, » id est nec de micis quæ cadebant de mensa ejus, dedit pauperibus, « et propterea nihil permanebit de bonis ejus, » scilicet, apud inferos, nec tantum, pro quanto guttam aquæ recipere mereatur.

Vers. 22. — « Cum satiatus fuerit, arctabitur, » id est cum ditatus fuerit, anxiabitur, quia, videlicet et vivens curis præfocabitur, et mortuus in inferno sepelietur. « Æstuabit, » scilicet et prius pœnas concupiscentiæ, et postmodum cura custodiendæ pecuniæ, « et omnis dolor irruet super eum, » videlicet quia et in præsenti fatigatur desideriis, et in futuro torquebitur suppliciis. Et quoniam tantis tormentis perversum punitur desiderium:

Vers. 23. — « Utinam impleatur venter ejus. » Tam perniciosa quippe sunt ea quibus supradicto modo impletur ut malo suo illi optentur. Illa namque impletio ventris, id est cupidæ mentis, proveniat illi ad hoc quod sequitur: « Ut emittat, » subaudi Deus, « in eum iram furoris sui, » id est damnationem judicii æterni, « et pluat super eum bellum suum, » id est abundanter emittat densa jacula sententiarum suarum.

Vers. 24. — « Fugiet arma ferrea. » Ac si hanc excusationem objiceret aliquis. Idcirco ille tanta violenter acquirit, quia præcavet necessitates vitæ præsentis. Sed esto. « Fugiet arma ferrea, » id est præsentes necessitates, quæ duræ quidem, sed tamen transitoriæ sunt, sicut ferrum durum quidem est, sed tamen ærugine consumitur, « et incurret [*al.*, irruet in] arcum æreum, id est Dei judicium, quod et durum est et æternum, sicut æs et durum est, et difficilius ærugine consumitur; et, sicut arcus ex insidiis percutit, ita dum non attenditur iniquis judicium illud supervenit. « Incurret, inquam, arcum æreum. »

Vers. 25. — « Eductus et egrediens de vagina sua, » id est, de pravæ cogitationis machinatione occulta ad manifesta progressus opera. Eductus, inquam, scilicet, per diabolum se ducentem, et egrediens, videlicet per propriam voluntatem ad proximorum deprædationem, « et fulgurans, » id est ad breve, ut fulgur splendens, et ante posita percutiens; unde enim iniquus clarus ostenditur, inde agitur ut multi feriantur. « Fulgurans, inquam, in amaritudine sua, » quia videlicet, post brevem splendorem ad amara rapietur tormenta. « Vadent, et venient super eum horribiles, » scilicet maligni spiritus, qui dicent animæ ejus, incurvare ut transeamus. Vadent, inquam, et venient, quia videlicet dum sic educitur, et egreditur, omnia vitia mentem ejus devastant, et si alia mala deserunt, alia vicissim occupant. Hoc est quod sequitur:

Vers. 26. — « Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus, » id est, omnes malitiæ reconditæ sunt in insidiosis cogitationibus ejus. « Devorabit

eum, » scilicet propter hæc mala, « ignis qui non succenditur » id est ignis gehennæ, quem miro modo justitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine ita creavit, ut in pœnam reproborum semel esse inciperet, sed ardorem suum, etiam sine lignis, nunquam finiret. « Affligetur, » subaudi eodem igni, « qui, ut dictum est, non succenditur, relictus in tabernaculo suo, » id est cum emori optet retentus in carne sua, in qua habitabat prius volens, cum se delectationibus pascebat. Ad illum ignem **461** sic perveniet.

Vers. 27. — « Revelabunt cœli, » id est judicabunt sancti, « iniquitatem ejus, » scilicet, quam contra ipsos est operatus, « et terra, » id est peccatores quoque, quia ipsis etiam nocuit, sive electorum minus perfecta plebs, quæ ad comparationem cœlorum, id est apostolorum terra quidem, sed fructifera est, « consurget adversus eum. »

Vers. 28. — « Apertum erit, » scilicet in accusatione, subaudi supradictis cœlis revelantibus, « germen domus illius, » id est, omne quod nunc occultum est, peccatum conscientiæ ejus. « Detrahetur in die furoris Dei, » id est in die judicii. Detrahetur, inquam, scilicet ab interni judicis vultu, coram quo nunc recte operando per hypocrisim stare videtur, nam nunc est dies patientiæ Dei, tempore autem vindictæ, dies furoris ejus super impios erit.

Vers. 29. — « Hæc, » subaudi damnatio, « est pars hominis impii a Deo, » subaudi separati, videlicet, quia non ipsum Deum pro parte sua habere, sed a Deo partem elegit sibi dividere, quæ utique bona non est. « Pars, inquam, et hæreditas verborum ejus, » scilicet omnium quæ superbe vel otiose locutus est, « a Domino, » subaudi illi reddenda. Hæc Sophar ita intulit, ut per ea quæ contra hypocritam dixerat, beati Job vitam finiret, utpote cujus iniquitates, ut ipse putabat, etiam juxta litteram, revelassent cœli, et terra adversus eum consurrexisset, in eo quod ignis de cœlo cecidit, puerosque et oves ejus consumpsit, et Chaldæi atque Sabæi boves et asinas atque camelos tulerunt, et pueros gladio percusserunt, et nunc affligebatur « relictus in tabernaculo suo, » id est, in corpore quod percussum erat ulcere pessimo, at ille humilitatis suæ tramitem non relinquens subjungit :

Cap. XXI, vers. 2. — « Audite, quæso, sermones meos, » etc. In qua responsione infirmam esse ostendit rationem supradictam, qua sic cœperat Sophar : « Hoc scio, a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit (*Job* xx). » Nam secundum ejus intentionem hoc consequitur, quod nemo impius usque ad finem vitæ suæ in via sua prosperetur, quod procul dubio falsum est. Unde et ipse Job sic paulo post oppositurus est : « Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis ? » (*vers.* 7), etc. Quo dicto rationem vehementer infirmat, quam Sophar novissime confirmare visus est sibi. Nam sicut non omnes

A impii in præsenti sæculo ante mortem a felicitate sua præcipitantur, ita sane eodem Dei judicio non omnes justi in præsenti bono meritorum suorum fructu remunerantur. Primum suo more benevolentiam ad audiendum expetit, dicens : « Audite, quæso, sermones meos, et agite pœnitentiam, » videlicet, quia nimium prava de me sentitis, et per infimam conjecturam astruitis. Audite, inquam, ut vobis prosit. Quod si vobis prodesse nequit,

Vers. 3. — « Sustinete me : » sustinete, inquam, saltem, « et ego loquar, » scilicet, quia hoc mecum est ut etiamsi prodesse vobis nequeo, tamen propter alios loquar, « et post mea, si videbitur, verba ridete. » Ac si dicat : Si audieritis, pœnitentiam agetis, si sustinueritis inviti, post mea verba ridebitis,
B quia videlicet superbis mentibus grave pondus oneris est doctrina humilitatis. Diceret aliquis : « Cum justus accusator sit sui (*Prov.* xviii), » quare objecta tantopere depellere niteris ? Ad hoc respondet :

Vers. 4. — « Nunquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari ? » Id est, nunquid contra hominem peccasse me arguitis quod quidem esset humiliter concedendum, et non potius contra Deum, quod est diabolicum et venia indignum. Nam si paccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, Si autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo ? Nunquid ergo contra hominem est disputatio mea, id est, causa a vobis mihi objecta, propter quam disputo, videlicet, quia dicitis me impium, et quod tumet spiritus meus contra Deum, et similia. Nunquid hoc tale est, ut merito
C non debeam contristari ?

Vers. 5. — « Attendite me, » scilicet ut contrister et loquar, « et obstupescite, » videlicet, considerantes quid egi et quid patior, « et superponite digitum ori vestro, » id est, compescite vos a tanto præjudicio, vel quia digiti discretionem significant, « superponite digitum ori vestro, » id est cum discretione loquimini.

Vers. 6. — « Et ego, » id est etiam ego, « quando, » id est quoties, « recordatus fuero, pertimesco, » id est perhorreco, videlicet, audisse quod dicitis, quanto magis esse nollem talis, qualem esse me asseritis ? « Et concutit carnem meam tremor, » scilicet, præ horrore tanti criminis quod mihi objicitis.

Vers. 7. — « Quare ergo impii vivunt ? » Ac si
D dicat : Si, ut arbitramini hæc ideo patior, quia impius sum, « quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, » scilicet honoribus. « confortatique divitiis, » videlicet, quia diu ac fortiter in hac vita quasi stare permittuntur ? Nunc eorum felicitatem per partes enumerat.

Vers. 8 — « Semen eorum permanet coram eis, » id est, in augmentum magnæ felicitatis, cum magno patrimonio, et hæredes dantur eis, mihi autem adepti sunt, nec ipsi hæredes eorum sunt steriles. Nam « propinquorum turba, et nepotum in conspectu eorum. » Sed nec eorum gaudia domestica rixa contristat.

VERS. 9. — « Nam domus eorum securæ sunt et pacatæ, » videlicet,securæ in vitiis, pacatæ ab adversis, « et non est virga Dei super illos, » subaudi, quia extra disciplinam sunt, ideo filii non esse intelligendi sunt (*Hebr.* XII). Sic intus prosperantur, et in agris quoque non minor illis prosperitas arridet.

VERS. 10. — « Nam bos eorum, » id est vacca eorum, litteraturæ namque locutio bovem communis generis appellat; « bos, inquam,eorum concepit, et non abortivit. » Hæc prima est felicitas gregum Domini, si grex sterilitatem non habens concepit. Secunda, si ad partum conceptus venit,unde et sequitur, « vacca peperit. » Tertia, si per nutrimentum ad provectum ducatur, unde et sequitur, « et non est privata fetu suo. » Post fecunditatem gregum, fecunditas familiæ subrogatur.

VERS. 11. — « Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, » videlicet,ut sicut multa ad habendum concessa sunt, ita multi germinent ad custodiendum. « Et infantes eorum exsultant lucibus, » scilicet his :

VERS. 12. — « Tenent tympanum,et citharam,et gaudent ad sonitum organi, » ac si dicat : Cum Domini honoribus et rebus tument, subjecti in ludicris actibus gaudent.

VERS. 13. — « Ducunt, » scilicet hoc modo, « in bonis dies suos. » Sed quid tandem ? « Et in puncto, » inquit, id est cito, non cum longo rerum vel honorum dispensio,sed vitam cum prosperitate terminando, « ad inferna descendunt, » videlicet, de brevibus et subitis gaudiis ad æternos dolores ex improviso trajecti. Et merito eis accidit.

VERS. 14 — « Qui dixerunt Domino Deo, » moribus scilicet, dixerunt et si non verbis, « recede a nobis, » quod dicere est non per ignorantiam sed per industriam peccare, et animum per defensionem vitiosæ voluntatis contra omnipotentem claudere. « Scientiam viarum tuarum nolumus,» id est non probamus. Scire quippe nolunt quod facere contemnunt.

VERS. 15. — « Quis est, » inquiunt, « Omnipotens, ut serviamus illi ? » subaudi nullus. « Dixit enim insipiens in corde suo : non est Deus (*Psal.* XIII, LII). » Esse quippe non credunt quem corporaliter non intuentur. « Et quod nobis prodest, » aiunt, « si oraverimus illum, » scilicet, cum non det id pro quo adoramus eum ? videlicet, hi dicunt in eo quod mundum amantibus in fastidium venit ipse Deus, quoniam non vult dare quod amatur, et cum in oratione Deus non quæritur, animus citius in oratione lassatur.

VERS. 16. « Verumtamen, » id est, licet ducant in bonis dies suos, et non nisi cum vitæ termino finiatur eorum prosperitas, **462** quæ mihi viventi ablata est,« quia non sunt in manu,» id est in dominio mentis, « eorum bona sua,» sed potius ipsi servi sunt pecuniarum suarum,et ab eis colligati, « in puncto,ut prædictum est, ad inferna descendunt, » — « consilium eorum longe sit a me,» id est, absit ut ego in impietate similis illorum sim quod vos arbitramini. Malo sub præsenti flagello gemere,quam cum eis nunc gaudendo æterna postmodum supplicia tolerare.Diceret aliquis : Quomodo nunc dixisti, « quia non sunt in manu eorum bona sua, » cum superius dixeris, « ducunt in bonis dies suos (*vers.* 13),» etc. Ad hoc respondet dolendo sive admirando :

VERS. 17. — « Quoties lucerna impiorum exstinguetur, » id est, quoties gaudium eorum, dum plenum esse videtur, obscuratur, vel immatura morte filii, vel quolibet alio damno rei familiaris, vel invidia superiorum, vel dura contentione parium,« et supervenit eis inundatio doloris,» id est, inopinate veniet fluctus alicujus adversitatis, dum inter varietates vitæ præsentis prospera se credunt navigatione ferri.« Et dolores dividet furoris sui ?» Subaudi Deus,id est, particulatim mittit,vel alternat furorem suum eis, quos et hic et in futuro percutit. Nunc, inquam, lucerna eorum exstinguitur, qui mei comparatione felices putantur, in futuro autem :

VERS. 18. — « Erunt sicut paleæ ante faciem venti, » id est,ita per sententiam judicis in ignem æternum asportabuntur,sicut paleæ leves magno vento auferuntur, « et sicut favilla quam turbo dispergit,» subaudi, sic animæ illorum aridæ, qui ad momentum virides apparuerant, in turbine manifeste venientis Dei nostri æternæ deputabuntur consumptioni.

VERS. 19. -- « Deus servabit filiis illius dolorem patris, » videlicet qui reddit, sicut scriptum est, peccata patrum in filios ac nepotes, usque in tertiam et quartam generationem (*Exod.* XX), reddet, inquam, filiis, videlicet patrum sequentibus ; nam de his qui non sequuntur,item scriptum est : « Filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.*XVIII),» « et cum reddiderit, tunc sciet, » id est, tunc primum intelliget, qui ante « intelligere noluit ut bene ageret (*Psal.*XXXV). »

VERS. 20. — « Videbunt oculi ejus interfectionem suam, » videlicet,quia videre noluit culpam suam, « et de furore Omnipotentis bibet, » scilicet, quia, dum offertur sibi venia, impœnitens est : et merito « bibet. »

VERS. 21. — « Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se ? » videlicet, utrum negligentia,vel etiam malo exemplo pereat ? Hoc beato Job non ab re commemorat, juxta quod, ut paulo ante dixerat (VERS. 16), « consilium eorum longe sit a me.» Nam ita sollicitus fuerat de domo sua ut consurgens diluculo holocausta per singulos offerret filios,dicens: « Ne forte peccaverint filii mei Domino (*Job* I),» et cætera. Nihil, inquit, « ad eum pertinet de domo sua,» id est non curat,utrum exemplo suo pereat, ut dictum est, vel pro peccato suo percutiatur,« et si numerus mensium ejus dimidietur, » id est, etiamsi propter peccata sua vita ejus abbrevianda

sit, superbia tamen instigante a peccato non compescitur. Quod si quæras cur ita illos cæcari permiserit:

Vers. 22 26. — « Nunquid, ait, Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos judicat? » Ac si aperte dicat: « O homo tu quis es, qui respondeas Deo? » (*Rom.* IX). « Qui excelsos, » inquit, id est, angelos « judicat, » alios videlicet in æterna luce statuens, alios sponte lapsos in æternæ damnationis ultione prosternens. Incomprehensibilia judicia ejus hoc disponunt, quod « iste moritur robustus et sanus, dives et felix, viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa ejus irrigantur; alius vero, » videlicet similis mei, « moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis opibus. Et tamen simul, id est similiter, « in pulvere dormient [*al.*, et vermes operient eos], » ac si dicat: Quia similiter ad terram redeunt, nec divitiæ debent mentem extollere, nec inopia perturbare.

Vers. 27. — « Certe novi cogitationes vestras, » videlicet, quia ex præsenti flagello me impium esse conjicitis, « et sententias contra me iniquas, » id est factis meis non æquas, subaudi novi, quia quas de impio universaliter dicitis, propter me concinnatis. « Novi, » inquam.

Vers. 28. — « Dicitis enim, » scilicet insultantes: « Ubi est domus principis, » videlicet, quondam in principatu superbientis, et quasi in exemplum aliorum me ad spectaculum proponentes, « et ubi sunt, » dicitis, « tabernacula impiorum, » subaudi sic omnes, velut iste, cum tabernaculis suis pereunt. Possunt hæc quæ dicta sunt, de iniquo divite accipi etiam allegorice. « Viscera, inquit, ejus plena sunt adipe (*vers.* 24), » id est, mens ejus plena est tumore superbiæ, quæ sic ex abundantia rerum tenditur, sicut adeps ex cibo nascitur, « et medullis ossa ejus irrigantur (*ibid.*), » id est divitiis dignitates, quibus velut ossibus fulcitur, vel malis desideriis duræ consuetudines ejus impinguantur. « Alius in amaritudine animæ suæ moritur (*vers.* 25), » divitias habere concupiscens et non valens. « Et tamen simul omnes in pulvere dormient, » id est, in terrenis desideriis mentis oculos claudent, « et vermes, » id est curæ carnales, « operient eos (*vers.* 26), » in illis, tam eum qui habet quam eum qui concupiscens non habet. « Certe novi cogitationes vestras, « videlicet, verbis vel operibus demonstratas. Sequitur enim, « et sententias vestras contra me iniquas, » et cætera similiter ut supra dictum est:

Vers. 29, 30. — « Interrogate, » subaudi ea quæ dixi, quemlibet de viatoribus, id est, de his qui hoc mundo non pro patria, sed pro via utuntur, « et hæc eadem, » subaudi, quæ dixi, « illum intelligere cognoscetis, quia in diem perditionis servatur malus, » scilicet, qui hic in via sua prosperatur, « et ad diem furoris ducetur, » videlicet, dum hic florere permittitur. Attamen:

Vers. 31. — « Quis arguet coram eo vias ejus? » Quod quidem etsi non de omni impio accipi posse

A videtur, videlicet quia multi impii multis modis arguuntur, de universæ iniquitatis capite Antichristo recte edictum accipitur, cujus facta ab homine argui non valent, nisi in absentia ejus, unde bene additum est, « coram eo. Quis, inquam, arguet, et quæ fecit quis, » nisi Deus. « reddet ei? »

Vers. 32, 33. — « Ipse ad sepulcra ducetur, » id est in putentibus reproborum cordibus recipietur, quia videlicet, illi soli eum recipiunt, in quibus Deo mortuæ animæ reperiuntur, « et in congerie mortuorum vigilabit, » id est, in congregatione peccatorum astutiæ suæ insidias confidenter exerit. Et ne mireris quod ad teles Dei judicio ducetur, vel eos seducere permittetur Antichristus, quia « dulcis fuit, » subaudi, etiam antequam veniret; « dulcis, » B inquam, « fuit glareis Cocyti, » id est, eisdem reprobis idem spiritus erroris magis quam spiritus veritatis, in corde et in ore acceptus fuit, qui semper sunt fluxis voluptatibus dediti, ideo glareis, quæ sunt lapilli fluminum, merito comparantur, tendentes ad luctum, qui significatur per Cocytum, quem fluvium sapientes sæculi apud inferos currere putaverunt. Dicitur autem Cocytus, Græca lingua *luctus*, qui tamen luctus feminarum solet intelligi vel quorumlibet infirmantium. Dulcis itaque fuit vel erit, Antichristus glareis Cocyti, id est, fluxe viventibus reprobis, quorum luctus vere infirmantium luctus est. Et hic cum venerit, « post se omnem hominem trahet, » id est, omnem humana tantum sapientem, nam reprobi omnes post illum confluent. « Et ante se, » id est antequam veniat, non quidem omnes, C multi enim a diabolo convertuntur ad Deum, sed « innumerabiles, » subaudi trahet. Idcirco præmittit, « post se omnem hominem, » quod minus est, et addidit, « ante se **463** innumerabiles, » quod plus est, quamvis plus esse videatur omnis homo, quam innumerabiles homines, quia videlicet innumerabiles, quos per quinque annorum ante se trahit, multo plures sunt, quam omnes, quos suo tempore, id est tribus annis, præsentes inveniet. Et ideo recte præmisit, « post se omnem hominem, » quod minus est, « et ante se, » id est quod, ut prædictum est, plus est.

Vers. 34. — « Quomodo igitur consolamini, » id est criminamini me frustra; nam per antiphrasim dixit, « consolamini, » videlicet conjiciendo ex ad- D versitate ista, quod impius sim hypocrita, cum impii multis felices videantur, et ille præcipue prosperabitur, qui est procul dubio universæ impietatis caput, « cum responsio vestra reougnare ostensa sit veritati? »

Cap. XXII, vers. 1, 2. — « Respondens Eliphaz Themanites dixit: Nunquid Deo comparari potest homo? » Ecce jam tertio Eliphaz B. Job aggreditur aperta fronte, et nihil habens de amici reverentia, videlicet quia non jam universaliter loquendo contra impium, ex obliquo percutere curat, quod semel et iterum fecerat, sed in personam ejus invehitur, et falsa in eum crimina nominat, in exprimendo con-

cinnat. Quod a laude Dei incipit, utpote qui se illi obsequium præstare arbitratur. « Nunquid, ait, Deo comparari potest homo etiam cum perfectæ fuerit scientiæ ? » Subaudi : Non. In comparatione etenim Dei scientia nostra ignorantia est.

Vers. 3. — « Quid prodest Deo si justus fueris ?» subaudi : Nihil. In omnem quippe quod recte agimus, nosmetipsos, non autem ipsum Dominum juvamus.« Aut quid ei conferes, si immaculata fuerit via tua ? » subaudi : Nihil. « Quoniam bonorum meorum, inquit Psalmista, non eges (*Psal.* xv). »

Vers. 4. — « Nunquid timens,» subaudi, fortitudinem tuam, « arguet te, » videlicet more regum terrenorum, qui suspectam sibi aliquorum, qui sibi subjecti sunt, potentiam, ne increscat, propositis occasionibus præveniunt, ut imminuant vel penitus auferant. « Nunquid, inquit, hoc timens te arguit, et veniet tecum in judicium ? » Hoc nimis otiosum est, et eorum qui omnino verba sua meteri nesciunt. Sed de otiosis ad contumeliosa protinus prorumpit, dicens :

Vers. 5.— « Et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas, » subaudi arguet te ? « Abstulisti enim pignus » viduæ, et cætera quæ, quia valde juxta historiam patent, exponenda ad litteram non sunt, sed, quomodo hæreticorum falsitati congruant, demonstrandum est.

Vers. 6. — « Abstulisti, » inquiunt sanctæ Ecclesiæ hæretici, « pignus fratrum tuorum, » id est ab his qui a nobis ad te veniunt, inutiliter confessionem erroris exegisti, per quod pignus perdiderunt, id est donum Spiritus sancti, quod acceperant a nobis. « Et nudos, » id est simplices et incautos, « spoliasti vestibus, » id est diversarum gratiarum privasti ornatibus.

Vers. 7. — « Aquam lasso, » id est veritatis poculum sitienti, « non dedisti, » sed errorem propinasti. « Et esurienti panem, » id est doctrinam sanam, quam dederamus, » subtraxisti, » scilicet doctrinis aliis.

Vers. 8. — « In fortitudine brachii tui, » id est in vehementia tuæ prædicationis possidebas terram, scilicet universam, « et potentissimus, » non ratione veritatis, sed potentia fortitudinis, « obtinebas eam. »

Vers. 9. — « Viduas, » id est plebes a nobis legitimis pastoribus separatas, « dimisisti vacuas, » videlicet prædicatione sana, « et lacertas pupillorum, » id est opera discipulorum nostrorum bene cœptas « comminuisti. »

Vers. 10. — « Propterea circumdatus es laqueis, » scilicet perfidiæ tuæ, id est adversitas condigna invenit, « et conturbat te formido subita, » id est angustia qua considerare negligebas dum tibi arderet prosperitas.

Vers. 11. — « Et putabas te tenebras, » id est conturbationem gaudii tui, quo te lucere præsumebas « non visurum, et impetu aquarum inundantium, » id est vehementia tribulationum supervenientium, A « non oppressum iri ? » Tribulationes idcirco aquis tumentibus comparat, quia dum aliæ super alias irruunt ; quasi aquis tumentibus, unde undas putabas, inquit, insultatio est et irrisio. qua et subjungit :

Vers. 12. — « An non cogitas, » subaudi modo, sicut tunc quando mala ista faciebas, « an non cogitas, inquam, quod Deus excelsior cœlo sit; et super stellarum verticem sublimetur, » subaudi et ideo quæ in terra fiunt non videt ? An non cogitas hoc ?

Vers. 13. — « Et dicis : Quid enim novit Deus, » scilicet superioribus intentus, « et quasi per caliginem judicat, » subaudi si quid videt.

Vers. 14. — « Nubes latibulum ejus, » subaudi B nunquid dicis, videlicet quia inter nos, et cœlestem sedem aeriæ partes intersunt, « nec nostra considerat, » inquis, id est minus ima perpendit superiora curans, « et circa cardines cœli perambulat, » subaudi ita ut interiora non videat. Videlicet, hæc cogitans falleris ; ille namque sicut adest singulis ut simul omnibus nunquam desit, sic omnibus intendit ut singulis adsit, sic exteriora circumdat ut interiora impleat, sic summa regit ut ima non deserat, sic imis præsens est ut a superioribus non recedat. Tu autem aliter, ut dictum est cogitans :

Vers. 15. — « Nunquid semitam sæculorum custodire, » id est perseveranter superbire, « cupis ?» Semita namque sæculorum est superbia, sicut econtra semita Redemptoris nostri est humilitas. Unde et de eadem superbiæ semita subditur, « quam C calcaverunt, » id est consuetudinaliter ambulaverunt, « viri iniqui, » scilicet quicunque vitam hanc transigunt elati.

Vers. 16. — « Qui sublati sunt, » scilicet a præsenti vita, « ante tempus suum, » id est citius quam arbitrati sunt, dum longiora sibi ejusdem vitæ spatia repromittunt. Nam quia accepta tempora non ad fructum pœnitentiæ, sed ad usum iniquitatis vertunt, quod a divina misericordia mereri poterant spatium vivendi amittunt. « Sublati sunt, » inquam, « et fluvius, » id est mortalitatis decursus, « subvertit fundamentum eorum, » videlicet quod in terrenis rebus fixerunt, quia ad æterna transire non curaverunt, utpote ad terrenam pertinentes generationem Cham. qui primus in terra civitatem con- D struxisse describitur, in quo videlicet aperte monstratur quia ipse in terra fundamentum posuit, qui a soliditate æternæ patriæ alienus fuit. « Fluvius » ergo, inquit, « subvertit fundamentum eorum. »

Vers. 17. — « Qui dicebant Deo : Recede a nobis. » Hoc et a B. Job dictum, et superius expositum est. « Et quasi nihil possit facere Omnipotens, æstimabant eum. « Et hoc a B. Job eadem sententia, sed alio sermone dictum est, « quis est Omnipotens ut serviamus ei ? » (*Job* xxi). Ita, inquam, « æstimabant eum quasi nihil posset facere. »

Vers. 18.— « Cum ille implesset domos eorum bonis, » subaudi temporalibus, quia videlicet dona sua

etiam ingratis non denegat, ut duriora eos tunc supplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt. « Quorum sententia longe sit a me.» Hoc et per beatum Job dictum est. Ait namque: « Quorum consilium longe sit a me (*Job* XXI). »

VERS. 19. — « Videbunt justi, » subaudi interitum eorum,« et lætabuntur, » tunc videlicet,quando districto judici perfecta jam securitate exsultationis inhærentes,nil de se quod metuant habebunt, « et innocens, » scilicet qui nunc gemit videns eos in iniquitate morientes,tunc « subsannabit eos,» id est nulla commiseratione movebitur erga eos summæ concordans justitiæ in æterna peccatorum ultione.

VERS. 20. — « Nonne succisa est erectio, » id est superbia eorum, tunc videlicet,cum vel a præsenti vita ad interitum,vel a conspectu æterni judicis ad æternæ gehennæ pertrahuntur incendium,« et reliquias eorum, » id est carnem quoque quam hic relinquunt in resurrectione receptam, « devorabit ignis, » videlicet ut **464** cum carne ardeant in qua peccaverunt.

VERS. 21, — «Acquiesce ergo ei, » id est nostræ consenti quæ pro illo est sententiæ, « et habeto pacem, » videlicet supernis judiciis non resistens,» et per hæc habebis fructus optimos, » id est opera facies placentia Deo. Sic et hæretici solis acquiescentibus sibi pacem promittunt, et fructus optimos, quia videlicet contra eos qui secum sentiunt jurgari desistunt, et solos consentientes sibi opera bona posse agere æstimant.

VERS. 22. — « Suscipe, » inquit,« ex ore illius,» subaudi egressam, quam nos docemus,legem, « et pone sermones ejus in corde tuo, » subaudi, quos nunc usque per hypocrisin habebas non in corde, sed tantum in ore tuo.

VERS. 23. — « Si reversus fueris ad Omnipotentem. » Ut ex hæreticorum persona procedat, quoniam satis, ut dictum est, patet in littera : « Si reversus, » inquit, « fueris ad Omnipotentem,» scilicet, a quo per errorem discessisti,« ædificaberis, » id est, prospera recuperabis, « et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo, » id est tam a corde, quam a corpore tuo, quia videlicet,et in cogitatione mundaberis, et in opere.

VERS. 24. — « Dabit pro terra silicem, » id est pro his omnibus in quibus tui infirmantur actus, solidam reddet fortitudinem, « et pro silice torrentes aureos, » id est pro robusto opere claritatem doctrinæ, quia videlicet quasi ex fortitudine defluunt torrentes aurei, cum ab ore bene viventium sacræ doctrinæ claritas affluit.

VERS. 25. — « Eritque Omnipotens contra hostes tuos, » id est protestabit contra spiritus malignos. « et » illo per suam virtutem eos depellente « argentum coarcervabitur tibi, » id est lucidum exuberabit intus talentum eloquii divini,videlicet,te dicente juxta Psalmistam : « Declinate a me, maligni,et scrutabor mandata Dei mei (*Psal.* CXVIII) : » quæ profecto perscrutari non poterat, cum malignorum

A spirituum insidias in mente tolerabat. Quod etiam in Isaac opere sub Allophylorum pravitate designatum est, qui puteos, quos Isaac foderat,terræ congerie replebant (*Gen.* XXVI). Immundi namque spiritus dum Scripturæ sacræ studentibus terrenas cogitationes ingerunt,quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt.

VERS. 26. — « Tunc, » scilicet, cum hoc argentum tibi coacervatum fuerit,« super Omnipotentem deliciis afflues, » id est in amore illius sacræ Scripturæ epulis satiaberis, et juxta illud : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens (*Cant.* VIII), » dum mysticis intelligentiis pasceris,ad superna quotidie contemplanda sublevaberis.« Et elevabis, » scilicet, hoc modo,« ad Deum faciem,» id
B est mentem tuam,per interiorem imaginem Deo notam atque conspicabilem,quam videlicet dum reatu culpæ quisque deprimitur, levare ad Deum conscientia reverberata veretur.

VERS. 27. — « Rogabis eum, et exaudiet te, » subaudi, qui sua hactenus præcepta contemnentem noluit audire. « Et vota tua reddes, » id est bonum propositum tenere valebis, videlicet, remota culpa vel culpæ pœna, qua nunc obsistente reddere non potes. Sæpe enim ex culpa agitur ut volenti bonum posse subtrahatur.

VERS. 28. — « Decernes rem, et veniet tibi, » subaudi, qui nunc, dum injustus es, adipisci non potes quod appetis, « et in viis tuis splendebit lumen tuum, » id est in operibus tuis justitia tua aliis erit in exemplum. Hos optimos fructus
C habebis, si, ut supra dixi, legem ex ore illius susceperis.

VERS. 29. — « Qui enim humiliatus fuerit, » id est humiliter legem ejus susceperit,« erit in gloria,» videlicet, juxta illud, « Qui autem se humiliaverit, exaltabitur (*Matth.* XXIII ; *Luc.* XIV, XVIII), » — « et qui inclinaverit oculos,» id est nullum despiciendo respexerit, sed se minorem atque imparem cunctis quos aspicit æstimaverit, « ipse salvabitur, » id est altitudinem ascendet veritatis, quia falsum superbiæ verticem deseruit.

VERS. 30. — « Salvabitur innocens, » scilicet, in retributione regni cœlestis «Salvabitur autem munditia manuum suarum, videlicet,quia illum in extremo examine justitia judicis interni salvat,quem
D hic non in sua virtute præsumentem pietas ejus ab immundis operibus liberat.Cuncta hæc Eliphaz etsi recta protulit, cui tamen proferret ignoravit, quia docere meliorem audere non debuit, « frustra » autem, ut per Salomonem dicitur, « jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov.* I), » quia videlicet pennati sunt bonorum spiritus, qui dum ad altiora per spem veritatis evolant, apposita pravorum hominum deceptionis retiacula declinant.

CAP. XXIII, VERS. 1.— « Respondens autem Job,» mores suos planioribus verbis inchoat, sed dicta sua alta mysteriorum persecutione consummat.Qui quam invitus atque coactus bona sua enumeret,

videlicet quia falsa crimina sustinebat, et hoc modo, juxta Apostolum, insipiens cogebatur fieri (*II Cor.* II), qui potius ab amicis debuisset commendari; quam invitus, inquam, hoc faciat, ipse indicat, dum respondens hoc modo inciipit:

VERS. 2. — « Nunc quoque, » id est, dum vos qui me consolari debuistis, potius adversando cogitis ut ipse me consoler commemorando bona quæ gessi. « in amaritudine est sermo meus, » id est, non cum vana gloriatione, sed cum amaro animo loquor, » et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum, » quia videlicet, inordinatæ consolationis intentio percussionem, quam imminuere debuit, multiplicavit, vel ut subtilius in typum sanctæ Ecclesiæ referatur, « manus, » inquit, « plagæ meæ aggravata est, » quia primam electi percussionem considerant, quod a conditoris sui visione divisi sunt, sed cum adhuc etiam adversa in hac vita accedunt, manus, id est fortitudo plagæ eorum super gemitum ipsorum gravatur. Jam vero testem habere Deum cupiens quod vera de seipso dicturus sit:

VERS. 3. — « Quis mihi det [tribuat], » inquit, « ut cognoscam et inveniam illum, » videlicet ut mihi perhibeat testimonium, « et veniam usque ad solium ejus, » scilicet, ut inter me et vos causa mea illo præsidente agatur. Quod omnino non vane optat, quia sic futurum est paulo post, cum amicos ejus Deus redarguit, et testimonium perhibet de illo, dicendo: « Non estis locuti rectum coram me, sicut servus meus Job (*Job* XLII). »

VERS. 4. — « Ponam, » inquit, « coram eo judicium, » id est, conscientiæ meæ testem invoco eum, « et os meum replebo increpationibus, » increpationibus, inquam, meis, ne dicam laudibus, quia bona ipsa quæ dicturus sum non tam laudes quam increpationes sunt, quia non cum jactantia, sed cum amaritudine tristitiæ a me proferuntur.

VERS. 5. — « Ut sciam verba quæ mihi respondeat, » quod videlicet, meretur amara et humilis conscientia, « et intelligam quid loquatur mihi, » id est quod testimonium perhibeat æquitate judicii sui. Et ad hoc tendens.

VERS. 6. — « Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. » Mens etenim quælibet justi si ab Omnipotente districte judicatur, mole premitur. Quis vero coram illo justus inveniri valeat, si secundum suæ fortitudinis majestatem vitam hominum discutiat? ergo nolo. Sed quid?

VERS. 7. — « Proponat æquitaatem contra me » subaudi, potius quam fortitudinem, id est mensuram humanam perpendens ita se conformet et aptet, ut eum humana infirmitas sustinere valeat. Quo dicto, mirabiliter adventum mediatoris Dei et hominum Christi Jesu implorare videtur, qui a fortitudine divinitatis suæ descendens, infirmitatem nostram suscepit, ut infirmus homo ad eum invenire accessum gratiæ quandoque potuisset. « Proponat, » inquam, « æquitatem contra me, » ut dictum est, « et perveniat ad victoriam judicium meum, » id est, et tunc insidiantem adversarium per absolutionis meæ judicium **465** victor excludam. Sed quid agam? Quomodo ad solium ejus perveniam?

VERS. 8, 9. — « Si ad Orientem iero, non apparet, » et cætera. Anhelantius exprimi non potuit desiderium quærentis in veritatem faciem Domini. Et hæc quidem satis in littera constant, videlicet, quia Creator omnium in parte non est qui ubique est, et invisibilis atque incircumscriptus intra semetipsum omnia continet, et omnia videt. Unde et sequitur:

VERS. 10. — « Ipse vero scit viam meam. » Ac si dicat: Videre non valeo videntem me et eum qui me subtiliter intuetur, intueri non possum. Sed tamen hæc aliter intelligi possunt: « Si ad Orientem iero, » id est si mentem in consideratione majestatis ejus extulero, « non apparet, » quia videlicet, qualis sit a cogitatione mortali videri non prævalet. « Si ad Occidentem, » id est si ad considerandam humanam mortalitatem mentis oculos deflexero, « non intelligam eum, » subaudi sed potius indignum me ejus visione esse cognoscam. « Et si ad sinistram, » subaudi iero, id est peccatorum delectationibus consensero, « quid agam, » id est quid proficiam? subaudi non enim in delectatione peccati valet agnosci. « Si me vertam ad dexteram, » id est si de meis virtutibus me extollam, « non videbo illum, » subaudi sed amplius exercebor per superbiam. « Ipse vero scit viam meam, » ac si dicat: Quamvis illum non videam, tamen coram illo confido dicere me quæ de me bona dicturus sum, quia videlicet, « ipse scit viam meam, » id est et quæ egerim, et qua intentione, vel humilitate nunc illa commemoratus sim, « ipse scit. Et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit, » id est flamma desiderii, quo anima mea liquefit, dum, ut supra dictum est, « illum quærit et non invenit, » simul cum ipso flagello quo crucior, puriorem me reddet sibi. Nunc quoniam, licet cum non videamus, ante solium ejus, qui ubique præsens est, sumus; audite quam, ut dixi, « ipse scit viam meam. »

VERS. 11. — « Vestigia ejus secutus est pes meus, » ac si dicat: Nequaquam ita, sicut vos dixistis, ambulavi in iniquitate, sed « vestigia ejus, » id est exempla pietatis ejus, « secutus est pes meus, » id est omnis propositi mei motus, sive profectus. « Viam ejus, » id est legem ejus, scilicet illam quæ etiam absque Scriptura naturaliter scitur ab omnibus, cujus hæc summa est: « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris (*Tob.* IV), » — « custodivi, et non declinavi ex ea. »

VERS. 12. — « A mandatis labiorum ejus, » scilicet illis quæ præter naturalem legem sanctis Patribus est locutus, « non recessi, » et hæc non superficie tenus observavi, « sed in sinu meo, » id est in secreto cordis et radice puræ intentionis, « abscondi, » id est memoriæ mandavi, « verba oris ejus, » id est dicta mihi ex auctoritate ejus. Et si quæras

cur tam sollicite vel tanta intentione egerim, causam tibi reddo terribilem dicens.

Vers. 13. — « Ipse enim solus est,» id est similem non habet, idcirco non negligenter coram illo ambulandum est. « Solus,inquam,est,» quia videlicet esse ejus non tale est quale est esse angelorum, aut hominum, aut cœli, aut terræ,aut maris, aut aeris; et ideo sollicite timendus est, quia « et nemo potest avertere cogitationes ejus,» id est quia semel fixa nequaquam ab aliquo mutari possunt judicia ejus, et « quia horrendum est incidere in manus ejus (*Hebr.* x),» — « et anima ejus,» id est omnia penetraris,cuncta disponens vis ejus,« quodcunque voluit, hoc fecit, » quia videlicet tam in apostatis angelis quam in hominibus perversis ; inde quoque voluntatem suam implet, unde voluntati illius repugnare videntur. Ideo,inquam,timendus est, quia,

Vers. — « Cum expleverit in me voluntatem suam, » id est cum præsentibus flagellis me afflixerit,quantum voluerit,« et alia similia multa præsto sunt ei, » id est si ferire cogitat, adhuc invenit, unde plagam tam temporalem quam æternam augeat.

Vers. 15. — « Et idcirco a facie ejus turbatus sum, » id est in omni vita mea timui eum,« et considerans eum, » videlicet in cordis secretario per contemplationem, idcirco majestatis ejus assistens « timore sollicitor, id est sententiam ejus super me semper suspectam habeo. Et hunc spiritum timoris Domini non ex me habeo, sed ex ejus domo. Hoc est, quod sequitur :

Vers. 16. — « Deus mollivit cor meum, » scilicet ut timerem eum,quem non timent obdurati,quorum corda lapidea sunt,« et Omnipotens conturbavit me, » scilicet utili pavore, ne duræ mentis essem, et proinde in malum corruerem.

Vers. 17. — « Non enim perii propter imminentes tenebras, » ac si dicat: Hunc in me timorem Domini esse non vobis præsens flagellum faciat incredibile, neque dicatis : Si ita timoratus fuisti, quare ego peris ? Ne inquam,ita dicatis : « Non enim perii, » scilicet in præsenti, « propter imminentes tenebras,» id est ideo ut futuras tenebras meæ,ut putatis, impetiati debitas tali plaga communitus per pœnitentiam evadam,« nec faciem meam,« id est mentem meam,« operuit caligo,» id est Dei oblivio, ita ut opus sit tali me excitari flagello. Vos istud latet, sed Deum non latet. Hoc est,quod sequitur :

Cap. XXIV, vers. 1. — « Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora, « videlicet nec præterita nec futura ; quanto magis nec mea præsentia ?« Qui autem noverunt,»id est nosse sibi videntur,« eum,» scilicet qui altum sapiunt (*Rom.* xii), et apud se sapientes sunt (*Rom.* xi), subaudi sicut vos qui super me præripitis, et sensu vestro profertis ejus judicium, « ignorant dies illius, » id est antiquam et maturam dispositionem æternitatis ejus, qua ea quæ circa me sunt et similia disponuntur.

Vers. 2. — « Alii terminos transtulerunt, » id est A qui impii sunt, et ea faciunt quæ vos me fecisse dicitis quasi impium, longe alii, id est longe a me diversi sunt, imo et econtrario mihi incedunt. Hoc et cætera quæ sequuntur talia sunt, ac si dicat sancta Ecclesia de perfidia hæreticorum : « Alii, » id est a me extranei, qui ex me exierunt quia mei non erant « terminos transtulerunt, » — « terminos, » videlicet antiquos Scripturarum, quos sancti Patres posuerunt. « Diripuerunt greges, » id est imperitos populos, « et paverunt eos, » scilicet pestiferis doctrinis ad interficiendum nutriendo.

Vers. 3. — « Asinum pupillorum abegerunt, » id est quemlibet indoctum quidem, et terrenis rebus insudantem, sed pupulis, id est electis Dei teneris utilem et subsidia ministrantem a via veritatis in B errorem suum averterunt. « Et abstulerunt pro pignore bovem viduæ » id est nonunquam etiam prædicatorem fidei catholicæ, ut alii sequantur illum. Nam hoc est quod ait « pro pignore. » Pignus namque cum tollitur, aliud quidem est cum tenetur; sed tamen adhuc aliud est quod quæritur. « Pro pignore » ergo bos tollitur, quando idcirco ipse prædicator rapitur, ut alii sequantur. De quibus subditur :

Vers. 4. — « Subverterunt pauperum viam, » id est eorum vitam, qui divini eloquii non habent argentum et aurum,et ideo facilius subverti possunt, « et oppresserunt pariter mansuetos terræ, » eos videlicet quorum mansuetudo cum discretione non est, et terræ dedita est.

C Vers. 5. — « Alii » inquam, non ego, quem onagro comparastis, qui se liberum natum putat, sed alii longe dissimiles mihi, « quasi onagri in deserto, » id est a timore Domini soluti, « egrediuntur, » scilicet a communi conversatione hominum, ut quasi per solitariam viam reverentiores videantur. « Egrediuntur, inquam, quasi onagri ad opus,» non Dei, sed suum, sicut scriptum est : « Onager assuetus in solitudine in desiderio animæ suæ, attrahit ventum amoris sui (*Jer.* ii), » id est vir **466** vanus a vinculis fidei et rationis alienus, in ambitione cordis sui eam, quæ non ædificare, sed inflare novit, attrahit scientiam. « Egrediuntur, inquam, quasi onagri. Vigilantesque ad prædam, » id est, intenti ad depravandam sacram Scripturam, et ad sui D sensus servitium detorquendam, « præparant panem liberis suis, » id est doctrinam mendacii sequacibus suis.

Vers. 6. — « Agrum non suum demetunt,» id est cordibus auditorum qui a fidelibus viris bonum verbi Dei semen acceperunt, zizaniam superseminant, quæ malo suo demetant, « et vineam ejus, quam vi oppresserint vindemiant, » id est riligiosum laborem ejus quem contentionibus superare possunt annihilant.

Vers. 7. — « Nudos, » subaudi a bonis operibus « dimittunt homines; videlicet sic eos docentes vivere, ut appareat turpitudo eorum, « quibus non

est operimentum in frigore, » id est opus bonum in infidelitate.

Vers. 8. — « Quos imbres montium rigant, » id est sacra verba doctorum instruere nunc primum cœperant,« et non habentes velamen, » subaudi quo illorum tegantur peccata, « amplexantur lapides, » id est sanctos ambiunt martyres, ut habere mereantur intercessores Talibus inquam,

Vers. 9. — « Vim fecerunt, » quia verbis blandioribus persuadere non possunt,verborum et operum violentia grassantur,« deprædantes pupillos, » videlicet quos Pater misericors in sinu sanctæ Ecclesiæ collocavit tenere nutriendos, « et vulgum pauperem spoliaverunt, » id est populo indocto fidei tulerunt vestimentum.

Vers. 10. — « Nudis, » id est nullo bono opere ornatis, « et incedentibus absque vestitu, » id est quod pejus est,mala et dedecorosa facientibus, « et esurientibus,» id est ad pœnitentiam quandoque redire cupientibus, « tulerunt spicas,» id est in mentibus eorum repositas perniciosis suasionibus destruxere Patrum sententias, quæ non immerito per spicas signantur ; quia, dum sæpe per figurata eloquia proferuntur ab eis, tegmen litteræ quasi aristarum palea subtrahitur, ut ad medullam spiritus perveniatur.

Vers. 11. — « Inter acervos eorum meridiati sunt,» id est persecutionum potestatem per se non habentes, eorum multitudini sese adjungendo delectati sunt, « qui calcatis torcularibus, » id est cruentati factis crudelibus, unde et David propheta sanctæ Ecclesiæ afflictionem conspiciens psalmum pro torcularibus scripsit (*Psal.* viii). « Calcatis, inquam, torcularibus, id est respersi sanctorum cruore et satiati sedibus, « sitiunt, » id est adhuc facere crudeliora insistunt. Et hoc agendo :

Vers. 12. — « De civitatibus, » id est de multis ecclesiarum locis vel conventibus,« fecerunt viros,» id est fortes et perfectos, « gemere.» Sic videlicet, quomodo gemebat, præ omnium Ecclesiarum sollicitudine Paulus, cum diceret : « Quis scandalizatur, et ego non uror (*II Cor.* xi) ; » et : « O insensati Galatæ,quis vos fascinavit (*Galat.* iii), » et multa talia. « Et anima vulneratorum, » id est de alieno lapsu tabescentium justorum, « clamavit, » scilicet ad Deum, » et Deus inultum abire non patitur, » subaudi quamvis illud fieri patiatur, qui nonnisi justo ordine injustum aliquid fieri patitur.

Vers. 13. — « Ipsi fuerunt rebelles lumini, » id est non per ignorantiam peccaverunt, sed per superbiam,lumini scientiæ quod habebant rebellantes ore et opere, quod est, blasphemare in Spiritum sanctum. « Rebelles,inquam, fuerunt, » id est elationis suæ scutum, ne salubriter in corde ferirentur,jaculis veritatis objecerunt. Et quia prius sciendo « rebelles fuerunt, » postmodum cæcati sunt, ut nescirent. Hoc est, quod sequitur : « Nescierunt vias ejus,» id est traditi sunt » in reprobum sensum, et obscuratum est insipiens cor eorum,quia Deum cognoscentes non sicut Deum glorificaverunt (*Rom.* i),» — « nescierunt,inquam, nec reversi sunt per semitas ejus,» id est non conversi sunt ad Deum per arctam pœnitentiæ viam, quia videlicet justo judicio tam obscuratum quam obduratum est cor eorum. Adhuc sub nominibus duorum nequissimorum scelerum, homicidii videlicet et adulterii, nequitiam detestatur hæretici.

Vers. 14. — « Mane, inquit, primo, » id est in prosperitatis suæ gaudio, neque enim ita ut littera sonat magis in die quam in nocte fiunt homicidia, sed in prosperitate sua,ut dictum est, quasi « mane primo consurgit homicida, id est erigitur in præsentis vitæ gloria ; « interficiet egenum et pauperem,» id est infirmitatis conscium et humilem. « Per noctem vero, » id est in adversitate, cum,disponente Deo, subito gloriam acceptæ potestatis amiserit, « erit quasi fur, » quia videlicet locum mutat, mentem non mutat, dum occulte consilia mala probet, quia vi nocere non prævalet.

Vers. 15. — « Oculum adulteri observat caliginem. » Hoc etiam juxta litteram nil obstat intelligi, ut qui adulterium perpetrare desiderat,tenebras exquirat.Sed quia contra hæreticos sententia promitur, « oculus, inquit, adulteri observat caliginem, » id est sicut adulter per tenebras in carnali coitu non prolem quærit, sed voluptatem ; sic hæreticus in hypocrisi adulterat Dei verbum, quia videlicet non spirituales Dei filios gignere, sed suam scientiam prædicando desideret ostentare, et quasi alienam conjugem tollit, dum fidelem animam in suum errorem allicit. « Oculus, » inquit, id est intentio ejus, « observat caliginem, » videlicet ut homines lateat, « dicens : non me videbit oculus, » subaudi humanus : nam Dei oculos non revere tur. « Oculus, » inquam, humanus, quia videlicet quod, ut prædictum est, in mente agitur, valde difficile est, ut ab humano visu penetretur. » Et operiet vultum suum, » id est per hoc quod agit eveniet, ut in eo similitudo Dei, quæ est vultus cordis humani, ita confundatur, ut dicat ei Christus in die judicii : Non novi te. Operiens ergo sic vultum suum quid agit ?

Vers. 16. — « Perfodit in tenebris domos, » id est conscientias justorum sauciare conatur, maxime in tenebris, id est in tempore adversitatis, quibus prospere viventibus perversa non audebat loqui. « Perfodit, inquam, sicut in die, » id est in prosperitate illorum « condixerant sibi, » quia videlicet dum loqui non audebant, ad maligna tantum contra eos consilia vacabant.

Vers.17. — « Si subito apparuerit aurora, » id est si post adversitatem justus quispiam fulciatur sublimiter potestate aliqua, « arbitrantur umbram mortis, » quia videlicet qui se perversa egisse meminerunt, corripi pertimescunt. « Et » hoc ideo, quia « sic in tenebris,» id est in peccatis,« quasi in luce,» subaudi justitiæ « ambulant, » scilicet ita securi quasi justorum facta habeant, et sic in præsenti cæ-

citate læti sunt, ac si jam æternæ patriæ luce perfruantur.

VERS. 18. — « Levis est, » subaudi quilibet talis, « super faciem aquæ, » id est plusquam superficies aquæ, quia videlicet si quælibet hunc aura tentationis attigerit, sine tarditate aliqua retractationis trahit. « Maledicta sit pars ejus in terra, » videlicet quia ad tempus benedicitur, id est prosperatur, in reatu tamen perpetuæ maledictionis tenetur, « nec ambulet per viam vinearum, » id est per rectitudinem Ecclesiarum, quæ via recta fides, vel justitiæ rectitudo est.

VERS. 19. — « Ad nimium calorem, » id est ad impatientiam semper contentiose agentem, et ad rixas calentem, « transeat ab aquis nivium, » id est a lectione Scripturarum per frigus perfidiæ seu male intellectarum. Ac si aperte dicat : Quia humiliter sub disciplinæ vinculo non constringitur, ab infidelitatis suæ frigore, per immoderatam sapientiam in errorem labatur. Nam de hujusmodi scriptum est : « Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam (*Jer.* VI). » — « Et usque ad inferos peccatum illius, » subaudi ducatur, quia videlicet ante finem vitæ præsentis **467** per correctionem ac pœnitentiam non emendatur.

VERS. 20. — « Obliviscatur ejus misericordia, » id est Omnipotentem quem nunc justum non timet, post invenire misericordiam non valeat, scilicet, quia peccatum quod hic non corrigitur, ejus illuc venia frustra postulatur. « Dulcedo illius vermis, » subaudi, est, dum vivit, id est caro, quæ vere putredo est et vermis, cujus concupiscentia totum est hoc quod appetit in mundo prosperari, cæteros excedere, rebus et honoribus tumere. Qualis autem sit, imo quod vere vermis sit carnis substantia, testantur sepulcra ; quæ quis parentum, quis amicorum tangere velit, quantumlibet viventem dilexerit ? Caro itaque, dum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, et tunc intelligitur quid amatur. Sanctus vir per vulnera et verba sic loquens sua, ut etiam significet nostra, adhuc de pœna ejusdem impii subjicit, dicens : « Non sit in recordatione, » subaudi Dei, quia videlicet dignum non est tantæ majestati ut ante conspectum memoriæ ejus pareat hic, non dicam homo, sed reptile tantæ abjectionis, cujus, ut supradictum est, « dulcedo est vermis. » — « Non sit, » inquam, « in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum, » id est non solum succidatur per carnis mortem, sed et conteratur per æternam damnationem, « quasi lignum infructuosum, » subaudi, et ideo jure succidendum, et in ignem mittendum. Et vere infructuosum.

VERS. 21.— Pavit enim sterilem, id est fovit delectationibus carnem, quæ nullam gignit bonam cogitationem. « Sterilem, » inquam, et « quæ non parit, » id est quæ nunquam desinit esse sterilis, sed perseverat in suis concupiscentiis. « Et viduæ bene non fecit, » id est animæ suæ noluit misereri. Quam, quia a Deo viduata fuerat, Christus sibi jungere venit, « tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Cui viduæ benefacere est in ejus quæ mortui Viri sui amore atteritur consolatione laborare. Sed hic illi bene non fecit, quia videlicet pro illa nihil laboravit. Vel ut de hæretico cœpta prosequatur expositio : « Pavit, » subaudi hæreticus, « sterilem, » id est, pascendo prædicatione erroris sui fecit sterilem atque erroneam plebem. « Et viduæ bene non fecit, » id est sanctæ Ecclesiæ, cujus vir Christus nunc absens est, servire et collaborare contempsit.

VERS. 22. — « Detraxit fortes, » id est in errorem suum rapuit superbos, sæculi potentes. « In fortitudine sua, » id est in eloquentia clara et contentiosa, « et cum steterit, » id est quandiu vivit, « non credet vitæ suæ, » id est, contemnit de Deo vera sentire. Sed et qui in corpore Ecclesiæ rectam videtur fidem tenere, dum perverse vivit, vitæ suæ non credit, quia videlicet confitetur se nosse Deum, factis autem negat (*Tit.* I). Diceret aliquis : Quare ergo vivit ! Ad quod respondetur.

VERS. 23. — « Dedit Deus ei locum pœnitentiæ, » id est idcirco illum in iniquitate tolerat, ut per patientiam suam ad pœnitentiam illum exepectando ab iniquitate compescat, et ille abutitur eo, subaudi pœnitentiæ loco, in superbiam, id est secundum duritiam suam thesaurizat sibi iram (*Rom.* II), nec si centum annis exspectetur, resipiscit, unde et justius damnatur, sicut scriptum est : « Peccator centum annorum maledictus erit (*Isa.* LXV). » Ubi centenarius pro infinito ponitur, quia videlicet a peccati perpetratione nulla temporis longinquitate compescitur. « Oculi enim ejus, » id est intentiones cordis ejus, « sunt in illius viis, » id est scienter errans, et meliorem viam sciens, a præsentibus non separatur, et solis vitiis, ut per hoc animo satisfaciat, semper intendit.

VERS. 24. — « Elevati sunt ad modicum, » subaudi impii, « et non subsistent, » videlicet juxta quod alibi scriptum est, « Vidi impium, superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat (*Psal.* XXXVI). » Sic fumus, ubi in altum ascenderit, dissipatur, et nebula mane densata, solis radiis abstergitur, et matutino rore herba gaudens, subito calore siccatur ; sic et spumosæ aquarum bullæ certatim prodeunt, et certatim diruptæ depereunt, « et humiliabuntur sicut omnia, » subaudi quibus ipsi innituntur : omnia enim terrena quasi humiliantur, videlicet, quia transeunt ipsa elementa, atque immutantur. Ac si aperte dicat : Stare omnino nequeunt, quia ipsa quoque quibus innituntur fugiunt. « Humiliabuntur, » inquam, « et auferentur, sicut omnia, » videlicet, quia non hærent ei qui est super omnia. « Et sicut summitates spicarum, » id est aristæ, videlicet quæ conjunctæ prodeunt, sed paulatim crescendo paulisper ab invicem hirsutæ et rigidæ disjunguntur, sic ipsi, qui naturæ quidem communione sibi conjuncti sunt, sed contra se vicissim crescendo dividuntur,

et diversis vitiis contendentes, alius alium supergredi nititur, sic, inquam, contereutur, videlicet, ut illis contritis, grana, id est justi, appareant, qui stantibus aristis, id est, eisdem injustis, latebant, et illis in æterna supplicia cadentibus, sanctorum justitia quanta veritate candeat demonstretur. Tunc scilicet, quando per ventilabrum, qui, juxta Joannem, in manu Judicis est (*Matth.* III), area sanctæ Ecclesiæ permundabitur, et eventilatis ad comburendum paleis, triticum in horrea cœli recondetur (*Luc.* III).

VERS. 25. — « Quod si non ita est, » inquit, « quis me potest arguere esse mentitum ? » Ac si aperte dicat : Ita sunt cuncta ut protuli. Quæ tamen si ita non essent, a vobis redargui nequaquam possem, quia, dum adhuc propriæ succumbitis, alienam reprehendere fallaciam non valetis. « Et ponere ante Deum verba mea, » scilicet in examine veritatis, quia vobis ipsis peccando faciem ejus absconditis. His dictis contra eos qui fugitiva potestate superbiunt, et ventosis honoribus intumescunt, beatus Job ea quæ supra cœperat de moribus suis prosecuturus erat, sed Baldad.

CAP. XXV, VERS. 1. — Non ferens silentium, motusque eo dicto, quod nunc novissime intulit, dicens, « Si non ita est, quis me poterit arguere esse mentitum, et ponere ante Deum verba, » interrumpit cœpta ejus verba, dicens :

VERS. 2. — « Potestas et terror apud eum est, » etc. Ac si dicat : Dixisti : « Quis me poterit arguere esse mentitum. » Ego autem dico : « Apud ipsum, qui facit concordiam in sublimibus suis, » id est qui superbientes adversum se spiritus dejiciendo, pacem et humilitatis concordiam firmavit in cœlo, « apud ipsum, » inquam, « potestas est, » subaudi arguendi etiam te, « et terror, » videlicet præsens flagellum, quo jam terribiliter arguit te, ita ut terreantur alii videntes te. Quod contra virum sanctum acerbe nimis dictum est. Vult enim intelligi quod eadem justitia, vel eamdem ob culpam, B. Job percussus sit, pro qua diabolus de cœlo projectus, concordiam quam turbabat in sublimibus, id est in cœlestibus, reliquit. « Potestas, » inquam, » apud eum est, » et,

VERS. 3. — « Nunquid est numerus militum ejus, » videlicet, quia dixisti, « et quis poterit ponere ante Deum verba mea (*Job.* XXIV), « quasi non habeat qui in conspectu ejus nuntiet verba tua, « Nunquid, » inquam, « est numerus, » id est nunquid non sunt innumerabiles spiritus, qui hominum dicta vel facta coram Creatore quotidie die noctuque referre valeant ? omnes utique concordes, ut supra dictum est (*vers.* 2), licet Danieli dicat : « Angelus princeps Persarum, » id est angelus qui præest Persis, « restitit mihi (*Dan.* X). » Non enim per discordiam contra se angeli veniunt, sed per justitiæ concordiam, quia videlicet subjectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. « Et super quem, » inquit, non « fulget [*al.* surget] lumen illius, » id

A est et præter hoc, quod ab angelis illi cuncta nuntiantur, quem non vident oculi ejus ? Et cum coram illis oculis qui bonos et malos contemplantur, aliqui ex dictis vel factis suis justificentur ? 468

VERS. 4. — « Nunquid justificari potest homo comparatus Deo, » id est tu ille homo, qui te comparas Deo, dum dicis : « Disputare cum Deo cupio (*Job.* XIII), » et talia multa, et nunc novissime dixisti : « Quis me poterit arguere, » tanquam Deo sis compar, quem solum nemo potest arguere ? « Nunquid, inquam, justificari potest, aut apparere mundus natus de muliere ? » Id est etiamsi non haberes etiam maculam, præter hanc, quod natus es de muliere, videlicet viro injecta est persuasio culpæ.

VERS. 5. — « Ecce etiam luna, » id est cœlestis
B Ecclesia, quam præsens sol divinitatis illustrat, « non splendet, » videlicet nisi solis ejusdem lumen habeat, « et stellæ, » id est quique sanctorum angelorum, « non sunt mundæ in conspectu ejus, » id est in comparatione ejus, imo qui ex eis comparaverunt se illi, facti sunt tenebræ.

VERS. 6. — « Quanto magis homo putredo, » id est non solum quicunque homo, qui unquam futurus est putredo, sed homo qui jam est putredo, utpote sedens in sterquilinio, et saniem radens de latere suo ?

CAP. XXVI, VERS. 1, 2. — Hæc ultima contumelia finitis amicorum verbis, beatus Job altiori acumine innitens, cœpta prosequitur, ejusque dicta tam sunt valida quam extrema ; quia et sic usus jurisperitis esse solet, ut argumentum, quo adversariis
C suis eminere se prævident, ad conclusionem servent. « Cujus, inquit, adjutores ? » Magna et digna potentis animæ indignatio, non ferentis quod Baldad adjutor Dei videri appetat, quia videlicet, etsi sunt aliqui Dei adjutores, tales ille nunquam dignatur habere adjutores, qualis hic erat, qui in condemnationem innocentis proximi Deum se adjuvare putabat, quod utique faciendo, non tam adjutor quam adulator, non tam laudator erat quam irrisor. Cujus, inquam, adjutor es ? « Nunquid imbecillis, » id est ejus, cujus baculum fregerim ? « et sustentas brachium ejus, qui non est fortis, » scilicet ne me reluctante teneri et delicati lassetur brachium Domini ? videlicet ut qui conducti plorant in funere, dicunt et faciunt prope plura dolentibus ex animo,
D sic et tu derisor vero plus laudatore moveris. « Et sustentas, inquam, brachium ejus, qui non est fortis, » id est ita ad adjuvandum ingeris, quasi me non satis fortiter percusserit, cum econtrario ut constantius percutere possit, cum econtrario velit ipse teneri, sicut per quemdam illi dicitur : « Non est qui consurgat et teneat te (*Isa.* LXIV). »

VERS. 3. — « Cui dedisti consilium ? » Tenet hoc quod longe superius dixerat : « Apud ipsum est fortitudo et sapientia (*Job.* XII). » Nam, postquam de fortitudine dixit, « cujus adjutores, » etc., nunc de Sapientia subjungit, « cui dedisti consilium, » etc. « Consilium, » inquam « cui » quasi jurisperitus

« dedisti, » multa videlicet adversum me crimina A componendo, quæ is qui me percussit adversum me numeret, ne videatur injuste percutere, dum reclamo dicens : « Disputare cum Deo cupio (*Job.* XIII) » — « Forsitan illi, » subaudi dedisti consilium, « qui non habet sapientiam ? » Illud quidem charitatis esset, scilicet ei consilium dare, qui sapientiam non habet, quia consilio indiget ; dare autem Deo, qui ipsa Sapientia est, nimis perversæ et importunæ adulationis est. « Et prudentiam tuam ostendisti plurimam, » scilicet plus appetendo sapere quam oportet sapere, et contingendo quasi in favorem Dei mala contra proximum tuum, quæ constat non esse.

VERS. 4. — « Quem docere voluisti ? » subaudi qui contra me debeat loqui, « nonne eum qui fecit spiramentum ? » subaudi et ideo melius per se novit B quæ in eodem spiramento sunt.

VERS. 5. — « Ecce gigantes gemunt sub aquis. » Nunc tumorem vanæ sapientiæ increpat per doctrinam ejusdem fortitudinis et sapientiæ Dei, et plena mysteriis verba personat. « Gigantes, » inquit, id est apostatæ angeli, vel homines superbi, « gemunt sub aquis, » id est sub abysso judiciorum Dei nescientes ea quæ sunt Dei, quæ Deus per Spiritum suum illis non revelavit, « et qui habitant cum eis, » id est qui eorum gloriæ ex delectatione sociatur, subaudi pariter gemunt. Hoc procul dubio divinæ fortitudinis est quod genuerit, videlicet dignis astricti vinculis, et rudentibus inferni detracti reservantur in diem judicii, quando recipient ab illo consummatam sententiam, contra quem tumuerunt C per superbiam. Hoc vero sapientiæ ejus est, quod sequitur :

VERS. 6 — « Nudus est infernus, » id est malitiam suam non valet obtegere diabolus, « coram illo et nullum est operimentum perditioni, » id est cunctis damnationis ejus sociis, quia videlicet non est ubi abscondantur ; « omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus » (*Hebr.* IV).

VERS. 7. — « Qui extendit aquilonem super vacuum, » subaudi « apud illum est fortitudo et sapientia (*Job.* XII), » — « qui aquilonem, » id est diabolum ab electorum cordibus ejectum vasisque et armis suis spoliatum, « extendit super vacuum, » videlicet ut contentus sit operire corda illorum, qui a gratia Dei vacui sunt, « et appendit terram, » id est sanctam Ecclesiam in fide solidam, et bonorum operum D terram fructiferam, « super nihilum, » id est super gentiles populos, propter nullum eorum meritum, sicut scriptum est in psalmo : « Pro nihilo salvos facies illos (*Psal.* LV). » Hoc vero quo ordine factum sit, mirifica subdens ratione contexit.

VERS. 8. — « Qui ligat aquas in nubibus, » quod est opus procul dubio sapientiæ ejus. « Ligat, inquam, aquas, » id est cum discretione distribuit doctrinæ suæ munera, « in nubibus, » id est in apostolis cæterisque sanctis prædicatoribus, « ut non erumpant pariter deorsum, » id est, ut non æqualiter omnibus expendantur, sed pro capacite audientium doctrinæ mensura contemneretur, ne rudes auditores, qui adhuc tanquam parvuli fovendi sunt, immensitate mysteriorum obruantur. Qualibus apostolus : « Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus (*I Cor.* II). » Et in lege scriptum est : « Si quis foderit cisternam, et non operuerit eam, » id est si quis intellectu valido Scripturæ arcana penetraverit, et coram his, qui non capiunt, per silentium non texerit, « cecideritque bos vel asinus in ea, » id est scandalizatus fuerit aliquis simplex, sive munda sive immunda sit ejus vita, « Dominus cisternæ reddet pretium jumentorum (*Exod.* XXI), » id est reus tenebitur pro illis ad agendam pœnitentiam.

VERS. 9. — « Qui tenet, inquam, vultum solii sui, » id est supra dicto modo occultat gloriam regni sui, videlicet ne quandiu in hac mortali carne subsistimus, quanta sint illa angelorum ministeria vel cætera Dei secreta, videamus, vel quia contra amicos suos hæc loquitur, qui rationes percussionis ejus se comprehendendum arbitrabatur, recte hoc modo dicitur : « Qui tenet vultum solii sui, » id est qui non ostendit vobis, vel vestri similibus, rationem judicii sui, « et expandit super illud nebulam suam, » videlicet quia manens invisibilis occulta judicia sua super nos exerit.

VERS. 10. — « Terminum circumdedit aquis, » id est modum præfixit scientiæ humani generis, videlicet ut perfecta æternitatis suæ scientia nulli tribuatur, « usquedum finiantur lux et tenebræ, » id est quousque cursus justorum injustorumque finietur, quorum adversa distantia recte per lucem signatur, et tenebras, quibus utique, ut ait Apostolus, nulla est ab invicem societas (*II Cor.* VI).

VERS. 11. — « Columnæ cœli contremiscunt, » id est angeli sancti vel prædicatores summi tremore concutientur, subaudi propter **469** hoc divinæ dispositionis judicium, « et pavent ad nutum ejus, » scilicet, non pœnali timore, sed reverenti admiratione, omnipotentiam Creatoris contemplantes. Adhuc manifestius de eadem fortitudine et sapientia subjungitur.

VERS. 12. — In fortitudine, inquit, illius, » id est per incarnatum Verbum illius, « repente maria congregata sunt, » id est discordantia prius sæcularium corda ad concordiam unius fidei congregata sunt, « et prudentia ejus percussit superbum, » id est patientia et humilitatis mortis ejus, in qua nobis providit, vicit diabolum.

VERS. 13. — « Spiritus ejus, » subaudi post istam victoriam de cœlo missus, « ornavit cœlos, » id est sanctos ditavit apostolos, videlicet, faciendo de infirmis fortes, de timidis zelo bono ferventes, de imperitis doctos. Quod bene Spiritus sanctus fecisse dicitur, quia videlicet, nisi apostoli promissa ejus dona perciperent, nullo fortitudinis, vel cæterarum virtutum decore claruissent. Hoc sapientiæ Dei est, quod vero sequitur, fortitudinis ejus laus est. « Et obstetricante, inquit, manu ejus, » id est parvulos

custodiente, vel ad regenerandum filios Adam suscipiente, dextera ejus « egressus [*al.* eductus] est coluber tortuosus, » id est ejectus est de atrio suo fortis armatus diabolus. Qui ideo coluber tortuosus dicitur, quia per colubrum accepit humanum genus, quem et idcirco intrare permissus est, ut ex ipso vase cognosceretur, qualis ipse est, scilicet tortuosus et lubricus ; tortuosus, quia in veritate non stetit ; lubricus, quia si primæ suggestioni ejusdem non resistitur, repente totus ad intima mentis, dum non sentitur, illabitur.

Vers. 14. — Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus, id est fortitudinis et sapientiæ ejus, « et cum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, » scilicet hæc pauca, quæ de primo adventu ejus prophetico spiritu prænuntiamus, « quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri, » id est sonorum atque terribilem secundum adventum ejus tolerare ? Parvam enim stillam sermonum ejus appellat notitiam primi adventus ejus, quia videlicet quidquid terribile de ejus consideratione per primum adventum cognoscimus, tantum est ad comparationem immensitatis secretorum cœlestium, quæ per secundum adventum revelanda sunt, tanquam si grandi tonitruo parva stilla comparetur.

Cap. XXVII, vers. 1. — « Addidit quoque Job » subaudi, postquam ad ea congrue respondit, quæ Baldad in contumeliam ejus dixerat. Dixerat enim de fortitudine Dei, qua principem discordiæ diabolum de sublimibus cœlorum projecit, qui facit concordiam in sublimibus suis et cætera, et beatus Job responderat prophetice de eadem fortitudine simul et sapientia, qua eumdem diabolum de cordibus quoque hominum quos elegit, ejecturus erat. Ad hæc, inquam, addidit athleta fortissimus, superatis triplici congressu quasi tribus gladiatoribus victor in media consistens arena, virtutumque suarum, quibus vicisset, arma spectatoribus ostendens aurea. Addidit ergo assumens parabolam suam, non utique aliquod musicæ organum quod appelletur parabola, musica enim in luctu importuna narratio est, sed parabolam suam, id est sui similitudinem, videlicet verba quibus parabolice divina loquitur mysteria, statum Ecclesiæ in sua uberius describens persona, plana tamen locutione suo more inchoans :

Vers. 2, 3. — « Vivit Dominus, » subaudi de quo dixit insipiens. Non est Deus, aut si est, res humanas curare non est credendus, cum sæpe bonis mala, et malis eveniunt bona. « Vivit inquam, Dominus [Deus], » id est testor viventem qui est Dominus, « qui abstulit judicium meum, » subaudi de ore hominum, ut contra quod merui me nunc opinentur esse impium, qui abstulit, inquam, qui non dedignatur humana curare, sicut insipientes putant, qui videntes pacem peccatorum zelati sunt « et dixerunt : Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso (*Psal.* LXXII), » sed cum consilio quod ipse

A scit « abstulit judicium meum, et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam, » dando, videlicet percussori meo potestatem justam, quamvis habenti voluntatem injustam ; testor, inquam, viventem, testor Omnipotentem, « quia donec superest halitus, » id est, discretio boni et mali, « in me ; sequitur enim : « et spiritus Dei in naribus meis, » id est inspiratio Dei in munere discretionis, discretio namque in Scriptura sacra per nasum solet significari, quandiu, inquam, superest in me virtus discernendi inter bonum et malum.

Vers. 4. — « Non loquentur labia mea iniquitatem, » et ut apertius intelligas quam iniquitatem, « nec lingua mea, inquit, meditabitur mendacium. » Vide, quia hoc est blasphemiam dicere in Spiritum

B sanctum, habere dono Spiritus sancti discretionem boni et mali, et cognito videlicet mendacium econtra scienter machinari quod faciunt hæretici.

Vers. 5. — « Absit a me, » subaudi hoc peccatum, « ut justos vos esse judicem, » scilicet in eo quod ad præsens pertinet negotium, dum vos ab eventu temporalium commodorum sive incommodorum, pensanda æstimatis merita bonorum, sive malorum. Nam si vos in hac sententia justos judicarem, peccarem mentiendo, non solum contra conscientiam meam, sed et contra sanctos omnes, qui cum justificent cor suum, et lavent inter innocentes manus suas, flagellantur tamen tota die, et castigatio eorum in matutinis (*Psal.* LXXII), id est in præsenti, « quando incipit judicium de domo Dei (*I*

C *Pet.* IV). » Absit, inquam : « Donec deficiam, » id est quandiu flammantem in me habebo veritatis lucernam, « non recedam ab innocentia mea, » id est nihil contra veritatem eamdem loquar lingua dolosa.

Vers. 6. — Justificationem meam, quam cœpi tenere, » subaudi, ab ineunte ætate, videlicet nunquam adversando veritati mihi cognitæ, « non deseram, » subaudi vestra victus contentione cœpi, inquam, tenere. « Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. » Non dico quidem quod nunquam peccaverim, cum et supra dixerim : « Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum (*Job.* VII), et iterum « si lotus fuero quasi aquis nivis, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea (*Job.* IX), sed hoc dico, quod nunquam

D sciens vera econtrario locutus sim falsa, vel, quod agendo mala simulaverim bona, fuerimque sicut nunc opinamini, hypocrita. De hujusmodi, inquam non reprehendit me cor meum in omni vita mea. Imo :

Vers. 7. — « Sit ut impius inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus. » Ac si dicat : Adeo non sum hypocrita vel impius sicut vos astruitis, ut quicunque inimicus vel adversarius meus est, pius vel æquus esse non possit, sed potius, quod oppositum est pio, id est impius vel iniquus sit. Poterat dixisse, vos potius, qui mihi adversamini, impii vel iniqui estis. Sed humilius elocutus est, quomodo et

Dominus noster, cum dicere potuisset Pharisæis blasphemantibus, vos contra me estis, vos spargitis, temperavit eamdem increpationem, quia tunc illorum primi assultus erant, et dixit : « Qui non est mecum, adversum me est, et qui non congregat mecum, spargit (*Luc.* XI). » Ita et hic, quia amici ejus quondam fuerant, qui nunc adversabantur, temperavit increpationem, sicut jam dictum est : Et, quia cum prava loquerentur, causam justitiæ, tanquam pro Deo agerent, prætendebant, non absolute ait, impius vel iniquus, sed, sicut impius, quasi iniquus. Ac si dicat : Non præjudico, de intentione cordis, quod forte per ignorantiam fallitur, hoc scio **470** quod vere impiis et iniquis assimilamini in eo quod mihi adversando mendacia cincinnatis. Non sum, inquam, hypocrita.

VERS. 8. — « Quæ est enim spes hypocritæ, » id est si enim essem hypocrita, quæ mihi spes, id est merces speranda superesset? Subaudi, nulla. Videlicet, quia nulla spes hypocritæ superest, « si avare rapiat, » id est si per ambitionis intemperantiam laudem in præsenti præoccupet, et non liberet Deus animam ejus, videlicet in futuro, qui nunc recepit mercedem suam. Hoc est quod sequitur :

VERS. 9. — « Nunquid Deus audiet clamorem ejus, » scilicet, dicentis : « Domine, Domine, aperi nobis (*Matth.* XXV), » — « cum venerit super eum angustia, » scilicet, cum sicut alibi scriptum est : « Irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit (*Prov.* I). »

VERS. 10. — « Aut poterit in Omnipotente delectari, » id est laudem habere ex Deo, qui laudem ex hominibus quæsivit et recepit, « et invocare Deum omni tempore, » videlicet quem contempsit in terrenæ prosperitatis tempore, nunquid eum efficaciter invocabit in tempore angustiæ ?

VERS. 11. — « Docebo vos per manum Dei. » Postquam notam hypocriseos a se removit, quæ valde infirmare solet auctoritatem docentis ; postquam, inquam, multimoda responsione amicorum elationem destruxit, jam se docere perhibet ut videlicet aperte videatur in his quæ subdit, recta plantare, in his vero, quæ præmisit, perversa evulsisse. « Docebo vos, inquam, per manum Dei, » id est per auctoritatem non meam sed Dei, vel per manum Dei, id est per sapientiam, quæ est Filius Dei, quia vos in vestra sapientia præsumitis : « Docebo, inquam, quæ Omnipotens habeat, » subaudi in nobis servis suis, non enim ex nobis nihil habemus, sed si quid habemus, Dei donum, et opus est ejus, « nec abscondam, » subaudi, ut glorificetur Deus, qui hoc vult, ut ad gloriam suam luceat lux nostra coram hominibus.

VERS. 12. — « Ecce vos omnes nostis, » subaudi, etiam me non docente quid sapientiæ vel bonorum operum habeat Deus in me. « Et quid sine causa vana loquimini, » id est sine ignorantia, quæ solet excusabilis causa esse vana loquendi ? Hoc interrogando quodammodo dicit illud Apostoli : « En insipiens fio, vos me coegistis, ego enim a vobis debui commendari (*II Cor.* XII) » Deinde docet qualis ipse non sit, tandem dicturus, qualis sit aut fuerit.

VERS. 13. — « Hæc est, inquit, pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient ; » violentorum, inquam, id est eorum qui Verbo Dei vim faciunt, et præcepta ejus ad pravum intellectum violenter inflectunt. Quam videlicet partem vel hæreditatem protinus dicam :

VERS. 14. — « Si multiplicati fuerint filii, » id est sequaces, « ejus, » subaudi, impii vel omnes hæretici, « in gladio erunt, » id est venturi judicii sententia ferientur, « et nepotes ejus, » id est qui de errantium filiorum prædicatione nascuntur, « non saturabuntur pane, » id est non reficientur veritatis cognitione.

VERS. 15. — « Qui reliqui fuerint ex eo, » id est qui aliquibus conversis ex ejus populo in perfidia remanserint, « sepelientur in interitu, » id est inferni cruciabuntur ignibus, « et viduæ illius non plorabunt, » id est subjectæ illi plebes feliciter destitutæ ab eodem corruptore, jure gaudebunt. Vel certe non plorant viduæ, quia in suo remanentes errore, dum sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe falsa ne lugeant, consolantur se.

VERS. 16. — « Si comportaverit sicut terram argentum, » id est si expenderit in terrenis laudibus Dei eloquium, « et sicut lutum præparaverit vestimenta, » id est fluxe et inquinabiliter sacræ Scripturæ ad tuendum se contraxerit testimonia :

VERS. 17. — « Præparavit quidem, » id est multa docte dixit quidem, « sed vir justus vestietur eis, » id est ad usum veritatis collectis utetur sententiis, « et argenteum innocens dividet, » id est, a prave dictis recta dicta discernet, et ea minute ac discrete disponet, videlicet, ut unicuique quod digne congruat, coaptet, et hoc faciens lætabitur, juxta Psalmistam « super Dei eloquia, sicut qui invenit spolia multa (*Psal.* XVIII). »

VERS. 18. — « Ædificavit, sicut tinea, domum suam, » id est corrumpendo mentes auditorum, faciet in illis perfidiæ suæ locum, sicut tinea in vestibus corrumpendo ædificat sibi domum. Sed quid dico domum, cum talis locus ejus non permaneat? Hoc est quod quasi corrigendo subjungit : « Et sicut custos fecit sibi umbraculum, » id est non vere domum sibi ædificat, quæ habeat fundamentum, sed umbraculum, quia videlicet cuncta requies, quam velut custos aut mercenarius sibi vel suis repromittit, cum tempore destruitur, et post hanc vitam nulla invenitur, sicut umbraculum custodis nullo fundamento solidatur.

VERS. 19. — « Dives cum dormierit. » A speciali hæreticorum, vel omnium, qui accepta scientia male utuntur, interitu, ad generalem electorum omnium diffinitionem sermo dirigitur. Dives, inquit, scilicet qui sperat in incerto divitiarum (*I Tim.* VI), vel superbus, qui undecunque superbit, « cum

dormierit, » id est cum obierit, « nihil secum auferet, » videlicet, quia « non descendet cum eo gloria ejus (*Psal.* XLVIII), » — « aperiet oculos suos, » cum enim carne moritur, tunc anima ejus videre cogitur ; « aperiet, inquam, oculos suos, et nihil inveniet, » videlicet, juxta illud Psalmistæ : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (*Psal.* LXXV), » sicut dives ille, cum apud inferos torqueretur, nec guttam aquæ, qua linguam suam refrigeraret, invenit in manibus suis (*Luc.* XVI).

VERS. 20. — « Apprehendet eum quasi aqua inopia, » subaudi omnis refrigerii, quæ inopia recte aquæ comparatur, quia susceptos infernus absorbet in profundis suis, quæ etiam solent lacus nomine designari. « Nocte opprimet eum tempestas, » id est repente, dum non cavet, judicii turbo illum dissipat.

VERS. 21. — « Tollet eum, » scilicet morientem, « ventus urens, » id est diabolus, qui afflatu suo viventem quemque accendit ad vitia, de quo et Jeremias : « Ollam, inquit, succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis (*Jerem.* I), » a qua quisquis temperatur adustione dicit illud de Canticis : « Sub umbra illius, quem desideraveram sedi (*Cant.* II) ; » qui viventem, inquam, succendit ad vitia, ventus urens diabolus morientem ad æterna tollit tormenta. « Et velut turbo rapiet eum, » scilicet extremo die territum ac stupidum ; « rapiet, inquam, de loco suo, » qui videlicet locus illi est carnalis voluptas, et cuncta temporalis vitæ delectatio.

VERS. 22. — « Et mittet super eum, » subaudi Deus flagellum suum nunc, « et non parcet,» subaudi in futurum, id est et in præsenti percutit et in futuro non parcit. Neque enim illud quod dictum est, non judicat Deus bis in idipsum, sic accipiendum est, ut quicunque hic pro scelere suo percutitur, in futuro consequenter a flagello liberari credatur. Alioquin Herodes et Antiochus, qui in præsenti percussi sunt, salvi esse putabuntur. Si tamen consensum præbeas quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussis atque in peccato suo morientibus debet æstimari, quia eorum percussio hic cœpta illic finitur, atque ideo unum flagellum et in correctis, quod temporaliter incipit, sed in æternis consummatur suppliciis, juxta illud : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » Emittit ergo super eum et non parcit. « De manu ejus, » subaudi ferientis, « fugiens fugiet, » id est quilibet pœnitens evadet, juxta illud : « Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit, id est opera sua per pœnitentiam mundabit in sanguine, » id est in pœna, **471** quam conspicit, « ut peccatoris (*Psal.* LVII). »

VERS. 23. — « Stringet super eum manus suas, » id est corrigit et confirmat propter illum opera sua, scilicet timens ne et ipse similiter pereat, « et sibi-

A labit, » id est intente admirabitur, « super illum, » scilicet intuens ejus interitum, vel ad verba spiritualia conversus, os prius dissolutum quasi in sibilo constringet, ut jam credat et prædicet quæ prius non credebat, dum iniquum florere cerneret. « Sibilabit, inquam, intuens locum ejus, » id est interitum ejus, quo fixus in sempiternum tenebitur.

CAP. XXVIII, VERS. 1. — « Habet argentum venarum suarum, principia. » Ac si dicat : Et vos quidem super me sibilitatis intuentes locum meum, id est admirantes istud, in quo sedeo, sterquilinium ; sibilastis, inquam, id est multa subtilia dixistis, sed « habet argentum venarum suarum principia, » id est habet divinum eloquium, intentionum certas origines, pro quibus a sanctis ho-
B minibus dictum vel conscriptum est, quæ a vobis non perspectæ sunt, et ideo non recte coacervastis contra me, vel in despectum paupertatis meæ totum, quo vobis divites esse videmini, sacri eloquii argentum. « Habet, inquam, argentum venarum suarum principia, » ut dictum est, « et auro locus est in qua conflatur ; » — « auro, » inquam, id est veræ sapientiæ fides recta quasi locus proprius est, in qua sola invenitur, sine qua sapientia nulla est, licet esse videatur, nec, si corpus suum tradiderit quis ut ardeat, splendere potest, aut aurum verum esse ante Deum, nisi patiatur in fide catholica. Pro seipso tamen hoc intulit, qui et supra dixit : « Et probavit me Dominus sicut aurum (*Job.* XXIII), » seque in fornace tribulationis purgari æstimans,
C « et auro, inquit, locus est in quo conflatur, » ac si aperte diceret : Quoniam non clarescit anima mea fulgore æternæ pulchritudinis, nisi prius hic arserit in officina tribulationis, vel in igne charitatis. Neque solum tali in loco conflatur aurum, sed etiam, ad hunc eumdem locum conflationis.

VERS. 2. — « Ferrum de terra tollitur, » id est vir fortis mox defensor veritatis futura de terrena conversatione separatus educitur, « et lapis, » id est ille quoque qui duri cordis et insensibilis erat a « calore solutus, » id est igne divini amoris compunctus, » in æs vertitur, id est in bono proposito solidatur, ita ut in prædicatione veritatis tanquam sonorum æs longe audiatur. Modo quidem nesciunt homines, quid in hac fornace agatur, sed « veniet
D Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum (*I Cor.* IV). » Hoc est quod sequitur :

VERS. 3. — « Tempus posuit tenebris, » subaudito quo tempore illas illuminet, et consilia cordium manifesta faciat ; « et universorum finem ipse considerat, » id est novit et qualis nunc in fornace tribulationis quisque sit, et qualis inde exiturus sit ; item, qualis in conscientia sua nunc quisque sit, et qualis post hæc idem futurus sit. « Lapidem quoque caliginis, » id est lapideum cor impiorum, quod charitas non emollit ; « lapidem, inquam, caliginis, » id est duram mentem in subtilitate divinorum judiciorum caligantem, « et « umbram mor-

tis, » id est quemlibet imitatorem diaboli, qui ita A diabolum imitatur, sicut umbra corpus.

VERS. 4. — « Dividit torrens a populo peregrinante, » id est male sentire, et discordi animo male judicare facit ardor supradicti conflatorii de sanctis viris, qui in hoc mundo peregrini, cives autem sunt cœli. Nam idcirco hi qui pietatis viscera non habent, nunc detestantur sanctos velut impios, quia vident camino tribulationis injectos; sicut vos nunc me impium judicatis, quia torrente miseriarum oppressum videtis. Hos, inquam, lapidea corda gerentes nunc dividit, id est male sentire facit, torrens afflictionis sicut jam dictum est; in futuro autem dividet torrens tremendi judicii, de quo in Daniele scriptum est : « Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus (*Dan.* VII), » subaudi Antiqui dierum, B sedentis ad faciendum judicium. Hic fluvius, hic torrens, dividet tunc a sanctis eos qui nunc divisi sunt ab illis per odium. « Eos quos oblitus est pes egentis hominis, » id est quos non perambulat prædicator veritatis. Nam prædicator veritatis, « pes, » id est, portitor est Christi, « qui cum dives esset pauper pro nobis factus est (*II Cor.* VIII). » — « Quos oblitus est, inquam, et muros [*al.* invios], » id est viam aperire verbo Dei nolentes, verbi gratia, ut Judæi facere noluerunt, quibus dixerunt speciosi pedes pacem portantes (*Rom.* X) : « Quia repulistis verbum Dei, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » De hac etenim gente subditur :

VERS. 5. — « Terra de qua oriebatur panis, » C id est Judæa, quæ prima habuit panem verbi Dei, id est scientiam legis, « in loco suo igni subversa est, » id est in superbia sua, vel in semetipsa igne invidiæ contra Christum, et nascentem ejus Ecclesiam exardescens consumpta est.

VERS. 6. — « Locus sapphiri lapides ejus, » id est habitaculum cœlestis gratiæ, quæ per sapphirum, quia ætherei coloris est, pulchre exprimitur, fuerunt sancti ejus, videlicet patriarchæ et prophetæ, vivi videlicet et electi lapides, de qualibus venienti quoque Ecclesiæ per prophetam Dominus pollicetur, dicens : « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos (*Isa.* LIV), » id est sanctas in te animas meritorum diversitate distinguam. « Et glebœ, inquit, illius aurum, » id est iidem sancti, qui cum se pulverem esse recognoscerent, rore cœlestis gra- D tiæ perfusi : glebæ enim ex pulvere et humore constringuntur, cum, inquam, pulverem se esse recognoscerent, vel ut ille qui dicebat, « loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* XVIII), » quia vitæ virtute claruerunt, quasi aureæ in illa terræ glebæ jacuerunt.

VERS. 7. — « Semitam ignoravit avis, » id est non credidit ascensionem Salvatoris, qua carnem corpus ascendendo ad æthera libravit, « nec intuitus est eam oculus vultureus, » id est non claruit ei intentio mortis ejusdem Redemptoris, qui se ad cadaver nostræ mortalitatis de cœlestibus ad ima submisit : et ideo recte vulturi comparatur, qui plerumque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de summis volando deponitur. Nam et ipse dum mortuum animal, id est damnatum hominem petiit, mortem apud nos, qui apud se erat immortalis, invenit.

VERS. 8. — « Non calcaverunt eam filii institorum, » sive negotiatorum. Institor namque dicitur negotiator, videlicet ab insistendo, eo quod exercendo insistat operi. Institorum autem nomine designantur sancti prophetæ, qui Synagogæ mores ad fidem prophetando curaverunt instituere. Quorum nimirum filii sancti apostoli nuncupantur. « Non inquit, calcaverunt eam filii institorum, » id est vitam ejus apostoli calce virtutis prædicando non presserunt, quia videlicet a finibus ejus repulsi sunt. « Nec pertransivit per eam leæna, » id est populum ejus a perfidia funditus non exstinxit sancta Ecclesia. Quæ ideo recte dicitur leæna : quia videlicet uxor est leonis de tribu Juda; de qua et Jacob, cum præmisisset de Christo : « Requiescens accubuisti ut leo (*Gen.* XLIX), » protinus addidit, « et quasi leæna (*ibid.*), » qui videlicet Christus per semetipsum infernum deprædatus est fortiter, « ut leo ; » mundum autem totum aggressa est post illum a Judæa prodiens Ecclesia, fortiter et ipsa agens contra veterem idololatriam, « ut leæna. » — « Non, inquam, pertransivit per eam leæna. » Sed quid ?

VERS. 9. — « Ad silicem extendit manum suam, » id est ad duritiam gentium prædicationis elevavit brachium. « Subvertit a radicibus 472 montes, » id est humiliavit ab intimis cogitationibus hujus sæculi potentes.

VERS. 10. — « In petris rivos excidit, » id est in cordibus duris timore suo percussis fluenta sacræ Scripturæ aperuit. « Et omne pretiosum, » id est omnem humilem, et in oculis suis parvulum : nam apud Deum pretiosus est, qui apud semetipsum vilis et despectus est ; « omne, inquam, pretiosum vidit oculus ejus, » id est omnem humilem illuminavit respectus gratiæ ejus.

VERS. 11. — « Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem, » id est dum illis intelligentiæ spiritum infudit, antiquas per eos prophetarum obscuritates aperuit, quæ quasi « profunda fluviorum, » de pectoribus patrum antiquorum, videlicet Moysi et cæterorum, proruperunt. « Et abscondita, » scilicet Judæis : « Velamen enim positum est super cor eorum (*II Cor.* III), » — « produxit in lucem, » ut videlicet jam sancta Ecclesia per Spiritum sanctum agnoscat, quod prius per litteram intelligere omnino non voluit Synagoga. Et hæc omnia quæ dicta sunt sola scilicet gratia sua. Nam, nisi ad nos ultro ipse veniret, quando, vel ubi nos quæsissemus hanc Dei sapientiam, vel quo pretio comparassemus eam ? hoc est quod sequitur.

VERS. 12. — « Sapientia vero ubi invenitur, » subaudi quæ nos invenit? « Et quis est locus in-

telligentiæ ? » quæ profecto non est alia, quam sancti Spiritus gratia, per quam intelligitur eadem Dei sapientia : « ubi, » inquam, « sapientia Dei Christus » invenitur, « et ejus Spiritus sanctus, » « qui spirat ubi vult (*Joan.* III), » ubi quæritur ? et præterea, nisi gratis seipsum tribuat, quo pretio comparabitur ? Subaudi nullo, unde et subditur :

VERS. 13. — « Nescit homo pretium ejus, » scilicet quia nullum est. « Nec invenitur in terra suaviter viventium, » id est in terrena anima divitum carnalibus voluptatibus servitientium. His duobus propositis, « ubi invenitur, » et, « nescit homo pretium ejus, » duo subdendo reddit.

VERS. 14. — « Abyssus dicit : Non est in me, » id est corda hominum per lapsum fluida et per duplicitatem tenebrosa. Quæ dum sapere carnaliter appetunt, stulta se esse in spiritualibus ostendunt ; « et mare loquitur : Non est mecum, » id est amara sæcularium mentium malitia suis ipsis actibus testatur, quod a vera sapientia divisæ sunt, utpote quam nullus bene percipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit, juxta illud : « Sapientiam scribe in tempore otii, et qui minoratur actu, ipse percipiet eam (*Eccli.* XXXVIII). » Et Psalmista : « Vacate, inquit, et videte, quoniam ego sum Deus (*Psal.* XLV). » Hoc est quod ait : « Abyssus dicit : Non est in me ; et mare loquitur : Non est mecum, » redit ad illud quod proposuerat : « Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ ! » Ad illud vero, quod item proposuit : « Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium, » redit hoc quod sequitur :

VERS. 15. — « Non dabitur aurum obrizum pro ea : nec appendetur argentum in comparatione [*al. commutatione*] ejus. » — « Aurum, inquit, obrizum, » id est claritas angelorum, qui in ea quæ sunt conditi innocentia perdurantes, et fulgent claritate justitiæ, et nullis vel minimis maculantur sordibus culpæ, non dabitur pro ea, quia videlicet ad redemptionem generis humani nullus angelorum pro hac sapientia, quæ Christus est, mittendus fuit : sed per Creatorem ipsum necesse erat et decebat ut creatura liberaretur. « Nec appendetur, inquit, argentum in comparatione ejus, » id est vita justorum prædicantium non adæquabitur puritati justitiæ ejus. Argento enim sæpe eloquia divina signantur. Vita ergo scriptorum, vel prædicatorum sanctorum quantalibet sanctitatis luce polleat, adventum vobis supernæ sapientiæ per suam præsentiam non commutat ; quia quamlibet sancti fuerint, in comparatione unigeniti Filii nullius pensantur fuisse meriti.

VERS. 16 — « Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, » id est fucatis, et ornamenta eloquentiæ fæditatis suæ super ducentibus mundi sapientibus. Per Indiam enim, quæ nigrum populum mittit, hic mundus accipitur, in quo vita hominum per culpam obscura generatur. Indiæ vero tincti colores sunt iidem mundi sapientes, qui, cum rerum virtute careant, aliud se esse quam sunt, verborum compositionibus, quasi superductis coloribus, mentiuntur. « Non ergo conferetur, » subaudi vera sapientia, « tinctis Indiæ coloribus, » quia dum fucata eloquentiæ ornamenta non habet, quasi vestis sine tinctura placet. « Nec lapidi sardonycho pretiosissimo, » id est cuilibet homini terreno ; sardonychus quippe rubræ terræ similitudinem habet, et ideo possunt in sardonycho significari omnes, quia de terra sunt homines, quorum primus parens Adam de terra formatus, Latino quoque sermone terra rubra nominatur. « Nec sardonycho ergo, vel sapphiro, » id est nec homini terreno, nec cuivis conferetur angelo. Sapphirus enim aeriam habet speciem ; idcirco congrue sanctos designat angelos. Vel ita : « Nec lapidi sardonycho pretiosissimo, » id est Veteris Testamenti Patribus, « vel sapphiro, » id est Novi Testamenti doctoribus, subaudi conferetur. Nam per sardonychum qui, ut dictum est, terræ rubræ similitudinem habet, primus homo terrenus (*I Cor.* XV), et qui secundum illum nati sunt, possunt recte signari ; per sapphirum vero qui, ut dictum est, aeriam speciem habet, novus homo Christus, qui et cœlestis (*ibid.*) dicitur et qui ex illo regenerantur, apte figurantur. Sciendum vero est, sardonychum et sapphirum, quos constat pretiosos non esse, idcirco pretiosos describi, ut dum pretiosos non esse cognoscimus, aliud in eorum intelligentia requiramus.

VERS. 17, 18. — « Non adæquabitur ei aurum vel vitrum. » Hoc quoque juxta litteram quis sapiens sentire dignetur, quod, postquam dictum est, aurum huic sapientiæ non adæquari, adhuc quasi crescendo subjungitur, quod ei quoque nec vitrum possit æquari, quod auro longe vilius est ? Per aurum ergo et vitrum illa superna patria, illa beatorum omnium signatur societas, quorum corda et claritate fulgent, et puritate translucent. Quod in Apocalypsi memorat Joannes dicens : « Ipsa vero civitas aurum mundum, similis vitro mundo (*Apoc.* XXI). » Sed « non adæquabitur, inquit, ei, » subaudi sapientiæ, quæ est unicus Filius Dei, » aurum vel vitrum, » quia videlicet, quamvis scriptum sit : « Cum apparuerit, similes illi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III) ; » rursum tamen scriptum est : « Aut quis similis erit Deo inter filios Dei ? » (*Psal.* LXXX). Quia sancti omnes pretiosi ut aurum, sibique invicem translucentes, quod signatur per vitrum. Huic sapientiæ et similes erunt ad imaginem, ei tamen non erunt similes ad æqualitatem. « Nec commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia, » videlicet qualiter fuit vas auri, vas pretiosum per infusam gratiam Dei, Elias, Jeremias, Joannes Baptista. Quisquis Christum Dei sapientiam unum ex illis esse putavit, sicut quærenti illi : « Quem me dicunt esse homines ? Dixerunt discipuli : Alii Eliam, alii Jeremiam, alii vero Joan-

nem, aut unum ex prophetis ; » quisquis inquam, hoc putavit, vas auri excelsum et eminens pro sapientia commutavit. Sed « non commutabuntur, inquit, pro ea vasa auri excelsa et eminentia, » quia videlicet electi quique sanctorum vitam et venerantur ob sublimitatem, et tamen non suscipiunt ad errorem, quosque puros homines esse sciunt, Deo homini omnino non conferunt 473 Non commutabuntur, inquit, pro ea, sed « nec memorabuntur comparatione ejus, » quia videlicet « vasa auri excelsa et eminentia, » quæ ex participatione sapientiæ nobis venerando sunt in comparatione sapientiæ etiam commemoranda non sunt. Nam participatione illius sapientiæ electi omnes aliquid sunt, per semetipsos vero prope nihil sunt. Quod prudenter agnoverat ille qui dicebat : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* XVIII). » — « Trahitur autem sapientia de occultis. » Id est, non enim de nihilo facta subsistit, sicut illa omnia quæ supra dicta sunt ; sed « trahitur de occultis, » id est de secreto corde Patris ; et cum sit invisibilis, nonnisi invisibiliter invenitur. Quæ recte quoque trahi dicitur ; quia, sicut flatum trahimus ut corpus vivat, sic ab intimis sapientiæ spiritus ducitur « ut ad vitam anima subsistat : » unde Psalmista : « Os meum, inquit, aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII). »

VERS. 19. — « Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, » id est nullus sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, quod significatur per topazion : qui lapis est pretiosus, et dicitur topazion quasi topandium, eo quod omni luce resplendeat. *Pan* enim Græca lingua dicitur *omne*. Nullus, inquam, ex hujus mundi nigredine collectus, quæ significatur per Æthiopiam, æquari potest ei, de quo dictum est : « quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Cui se æquare voluit quoddam topazium de Æthiopia, cum quidam hæresiarches dixit : Non invideo Christo Deo facto ; si volo, et ipse possum fieri. Quorum ut superbia refutetur, apte subjungitur : « Nec tincturæ mundissimæ componentur [*al.* componetur] ei, » id est nec illi qui non superbiunt, ut supradicti hæretici, sed sunt veraciter humiles, et veraciter sancti, æquabuntur ei ; quia videlicet sciunt quod non semetipsis, sed ex dono gratiæ supervenientis virtutum habeant speciem. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent. Notandum, quod cum superius dixisset, « non conferetur tinctis Indiæ coloribus, » non addidit mundissimis. Hic vero ut tincturam verarum virtutum ab illa philosophorum functione distingueret, tincturas dicens, addidit, mundissimas.

VERS. 20. — « Unde ergo sapientia venit ? » subaudi quam ab omnibus tanto distare jam dictum est, scilicet ab angelis, qui signantur per « aurum obrizum ; » ab omnibus sacri eloquii tractatoribus ; qui signantur per « argentum » a mundi philosophis ; qui notantur per « tinctos Indiæ colores ; » a cunctis

A patribus veteris et novi testamenti ; qui signantur per lapides « sardonychum et sapphirum ; » ab illis qui jam pervenerunt ad illam supernam patriam ; qui et signantur per « aurum et vitrum ; » a prophetis quoque, qui vasa auri excelsa et eminentia fuerunt ; ab hæreticorum quoque superbo splendore, quasi qui « topazium » sibi videntur, obliti per superbiam quod « de Æthiopia, » id est de gentilitatis nigredine venerunt. « Unde, inquam, venit ? » Potestne adiri et inde huc adduci ? subaudi non. Nam inde venit unde orta est, id est ab invisibili Patre nascitur, et via ejus occulta est. Nam « generationem ejus quis enarrabit ? » (*Isai.* LIII). Sed dicis : per intelligentiæ spiritum percipitur. Bene. « Et quis est locus intelligentiæ ? » Ac si dicat : A quo oritur hæc

B sapientia, ab illo procedit hæc intelligentia. « Unde ergo venit » illa, vel « quis locus » ejus.

VERS. 21. — « Abscondita est ab oculis omnium viventium, » videlicet, quia « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I) » cujus ex corde invisibili hæc invisibilis invisibiliter nascitur sapientia, et procedit intelligentia.

Postquam dictum est de æterna Dei Sapientia, « abscondita est ab oculis omnium viventium, » recte subjungitur : « Volucres quoque cœli latet ; illas utique volucres, non quæ semen « secus viam comederunt (*Matth.* XIII) ; » nam illud dixisse non magnum est, quod malignos spiritus hæc Sapientia lateat : sed illas quoque volucres, quæ in arboris magnæ ramis requiescunt (*ibid.*) ; arboris, inquam, quæ de seminato excrevit grano sinapis, quæ utique

C Christus est, qui granum fuit sinapis, cum moreretur in humilitate carnis, arbor, cum resurgeret per potentiam majestatis. Illas, inquam, volucres, quæ in illius ramis requiescunt, id est, spirituales quoque viros, qui in apostolorum ejus dictis ab hujus mundi fatigatione respirant, latet ista Sapientia, quia videlicet in hac corruptibili carne constituti naturæ ejus omnipotentiam, ipsi quoque videndo non penetrant, qui jam per meritum sanctæ contemplationis volant.

VERS. 22. — « Perditio et mors, » scilicet diabolus mortis et perditionis inventor, et omnes superbiæ ejus subjecti spiritus, « dixerunt, » subaudi de hac sapientia quæ Deus est : « Auribus nostris audivimus famam ejus, » subaudi non etiam vidimus :

D videre namque Deum hoc est quod habere. Iniqui autem spiritus hanc Sapientiam non vident, quia per superbiam nequaquam eam habent. « Famam » ergo, inquit, « ejus audivimus, » subaudi sed rebellantes lumini ejus nequaquam vidimus. Hoc videlicet dicunt in eo quod ex sua perversitate palam cunctis faciunt quod in veritate non steterunt. Quis ergo illam novit ? Sequitur :

VERS. 23. — « Deus intelligit viam ejus. » Hoc procul dubio illud est, quod eadem Sapientia de se ipsa loquitur : « Nemo Filium novit nisi Pater (*Matth.* XI). » — « Deus, inquit, intelligit vias ejus, et ipse novit locum illius. » Habet enim hæc Sapientia viam,

habet et locum. Sed aliter viam, aliter habet locum. Viam videlicet per humanitatis transitum, locum habet per divinitatis statum. Via quoque ejus hoc ipsum est, quod venit ad cor nostrum, seseque nobis intrinsecus infundit; locus vero ejus fit cor ad quod veniens permanet. Nos ergo sapientiæ hujus, quæ est Dei Filius: intelligentiæ quoque, quæ est Spiritus sanctus, cujus adventu ad nos efficitur, ut illam Sapientiam cognoscamus: hujus, inquam, Sapientiæ, vel intelligentiæ homo quidem vocem audit, sed « nescit unde veniat aut quo vadat (*Joan.* VIII). » — « Deus vero intelligit viam ejus, » id est vulnus amoris sui, per quod illam in humanam animam effundit, utpote semen suum sibi naturaliter insitum, « et ipse novit locum illius, » scilicet eamdem animam, vel angelicam quoque creaturam, cujus in intima per complexum conjugii spiritualis, velut in uterum sponsæ amantis, semen, id est, verbum illud vel Sapientiam infundit. Illum, inquam, « ipse novit locum illius, » videlicet non solum qualis nunc sit, sed et qualis futurus sit. Hoc est quod sequitur :

VERS. 24. — « Ipse enim fines mundi intuetur, » id est omnium, qui sunt in mundo, finem ad quem quisque perventurus sit, sub suo præsentialiter habet conspectu ; « et omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit, » videlicet ex omnibus eligens, in quibus eamdem gratia sua collocet sapientiam suam.

VERS. 25. — « Qui fecit ventis pondus, » id est levibus quondam gravitatem et stabilitatem dedit animabus, quia videlicet, dum prædicta sapientia sua replet animas, quæ prius fuerant leves, maturas reddit et graves. Vel certe « ventis pondus » est facere, concessam electis hic de virtutibus gloriam permista infirmitate temperare. Unde et subditur : « Et aquas appendit in mensura, » id est ejusdem sapientiæ vel Spiritus sui dona sanctis suis ad mensuram dat, videlicet ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt, ut non extollantur in superbiam. Verbi gratia, ut Elias, qui dum tot virtutibus in altum profecisset, quadam mensura suspensus est, postmodum Jezabel, quamvis reginam, **474** tamen mulierculam, fugiens (III *Reg.* XIX), itemque Paulus, qui cum lumen corporis, quod ad tempus perdiderat, cum perpetuo cordis lumine recepisset, per murum in sporta demissus de civitate eadem effugit (II *Cor.* XI), quam post visionem Jesu ingressus fuerat; imo, qui usque ad tertium cœlum raptus fuerat, adhuc sub stimulo carnis, ceu puer colaphis affectus plorabat (II *Cor.* XII). Sic ergo electis suis aquas donorum suorum appendit in mensura (*Rom.* XII), ut miraculis monstrentur, infirmitatibus serventur. « Deus, inquam, intelligit vias ejus, et ipse novit locum ejus. » Et dicam vobis quando cognovit eam.

VERS. 26. — « Quando ponebat pluviis legem, » id est quando misit illam ad Incarnationem, tunc vidit illam, id est videri fecit incarnatam Sapientiam suam. « Quando, inquit, ponebat pluviis legem, » id est mandatum custodiæ prædicatoribus dabat, hoc scilicet mandatum, hanc legem, ut vivendo implerent, quod loquendo suadere festinarent. « Legem, inquam, ponebat pluviis, et viam procellis sonantibus, » id est eisdem prædicatoribus aditum faciebat ad hominum corda terrore futuri judicii percussa. Prius enim lex pluviis, id est mandatum vivendi prædicatoribus ponitur, ut posmodum prædicationis eorum via pandatur, quia vox illa cor audientis penetrat, quæ hoc quod sonuerit opere conservat. Quando hoc faciebat.

VERS. 27. — « Tunc vidit illam, » id est videri fecit, ut jam dictum est, incarnatam Sapientiam suam, « et enarravit, et præparavit, et investigavit, » id est enarrari, et præparari fecit, scilicet a prædicatoribus, et investigari, videlicet ab auditoribus. Sibi quippe illam præparat quisquis bene vivendo propitiam parat. Et notandum, quod quatuor de ea dicta sunt. « Vidit, enarravit, præparavit, investigavit. » — « Vidit » namque quia substantia vel species est ; « enarravit, » quia verbum est ; « præparavit, » quia remedium est ; « investigavit, » quia occultum est.

VERS. 28. — « Et dixit homini, » id est quia ab humana mente non poterat penetrari, quis namque intelligat verbum sine tempore, vel speciem sine circumscriptione ; quia, inquam, non potest ab homine comprehendi « dixit homini, » id est hoc signum cognoscendæ ejusdem sapientiæ dedit homini. « Ecce timor Domini ipsa est sapientia ; et recedere a malo, intelligentia. » Ac si aperte dicat : Ad temetipsum homo revertere, et cordis tui secreta perscrutare. Si te Deum timere deprehendis, profecto constat quia de hac sapientia nonnihil habes. « Initium enim Sapientiæ timor Domini (*Eccli.* I). » Et si recedis a malo, id est si non servili timore malum facere omittis, sed casto timore Domini malum odisti, et voluntatem omnem a malo avertis, tunc scito quod habeas intelligentiam, id est Spiritus sancti gratiam, per quam a timore Domini incipiens perseveraturus ad eamdem pervenias sapientiam.

CAP. XXIX, VERS. 1. — « Addidit quoque Job assumens parabolam suam. » Hæc intercisio opportune posita est, quia videlicet hactenus sapientiam quam Deus illi dederat exposuit amicis, a quibus velut insipiens despiciebatur, deinceps opera sua bona humiliter narrabit, qui malorum operum esse videbatur, et tanquam hypocrita vel impius condemnabatur. Constat vero quod per exteriorum verborum formas mysteria loquitur, qui ad loquendum parabolam assumpsisse memoratur, « Parabolam, inquam, suam. » Cum enim sua narrat, quæ sanctæ Ecclesiæ ventura sunt denuntiat, et ipsa ordinis ratio postulat ut per verba ejus ultima dies extremi sanctæ Ecclesiæ designentur, quando draco ille, qui nunc, sicut per Joannem dicitur, in abyssum clausus tenetur, de puteo abyssi educetur (*Apoc.* XX), id est quod modo timore tegitur, tunc contra Ecclesiam publice de iniquorum cordibus omne serpentinum

virus aperietur. Et electi omnes reminiscentur nostri, qui quieta fidei tempora duximus, quia dictis et factis malorum tribulabuntur et expugnabuntur. Illa ergo, ut dictum est, tempora, beatus Job intuens sua transacta narrat, et aliis ventura denuntiat, dicens :

Vers. 2. — « Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos ? » Primo secundum propriam ipsius moralitatem dicendum hoc modo. « Quis mihi, » subaudi quem per hypocrisim justum fuisse arbitramini, « quis mihi, inquam, tribuat, ut sim juxta menses pristinos, » id est juxta præteritæ vitæ meæ intentionem ut inveniam consolationem et misericordiam, « secundum dies, » id est juxta opera dierum, « quibus Deus custodiebat me, » videlicet ab omni, quam imponitis mihi, hypocrisi vel impietate ?

Vers. 3. — « Quando splendebat lucerna ejus, » id est simplex et lucida intentio dilectionis ejus « super caput meum, » id est super mentem meam, in omne opus bonum quod agere incipiebam, « et ad lumen ejus ambulabam in tenebris, » id est oculorum ejus testimonio cuncta commendabam abscondita cordis mei ? Ut sim, inquam,

Vers. 4. — « Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, » id est ut talis in testimonio Dei appaream, qualem me in conspectu illius esse memini, cum justitiæ propositum arripui et in bono adolescere, id est proficere cœpi, « quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, » id est quando in mediis curis vel actibus sæculi Deum, quod omnes homines latebat, amplectebar in corde meo.

Vers. 5. — « Quando erat Omnipotens mecum, » subaudi in conscientia mea dulce amantis animæ solatium, piumque et unicum intimæ familiaritatis gaudium, « et in circuitu meo, » id est exterius « pueri mei, » subaudi non neglecti propter interiorem occupationem. Non enim inhabitatio Dei angustat, sed potius dilatat mentem et exhilarat faciem ad impendendam curam provisorum utilitati vel saluti.

Vers. 6. — « Quando lavabam pedes meos butyro, » id est quando hilariter et affatim delectabar in Domino. Et eleganti similitudine dictum est, videlicet quod tanta dulcedo erat in domo cordis ejus diligentis Deum et proximum, quanta est copia lactis, ubi, si butyro laventur pedes, satietas familiæ damnum non sentit. « Et petra, inquit, fundebat mihi rivos olei ? » Id est soliditas divini auxilii locupletabat me, tam pace rerum quam lætitia animi.

Per allegoriam eadem quæ dicta sunt hoc modo in persona Ecclesiæ accipienda sunt. « Quis mihi tribuat, » inquit sancta Ecclesia ultima persecutione dissipata, « quis, inquam, mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, » id est ita sanctis studiis adornata religiosisque conventibus ordinata, sicut olim quando florebant per villas et urbes sanctorum congregationes, ita in ordinibus suis certo communiter viventium numero consistentes, sicut dierum numero in ordine anni singuli procedunt menses, « ut sim, inquam, secundum dies, quibus Deus custodiebat me, » scilicet a tantis pressuris quantis coangustor nunc undique, soluto antiquo dracone, qui multos nunc devorat seducendo ex filiis meis quos nequeo custodire. « Quando, inquit, splendebat lucerna ejus super caput meum, » id est sancta Scriptura ejus decorabat conventum meum et cor meum. Sancta enim Scriptura lucerna est, « cui, » inquit Petrus apostolus, « bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, » etc. (*II Petr.* I). « Splendebat, inquit, super caput meum, » id est mentis meæ tenebras publice prædicantibus, et studentibus sanctis viris irradiabat, quos nunc persecutio partem occidit, partem effugat. « Et ad lumen ejus ambulabam in tenebris, » id est ex eruditione ejus consolabar tenebrosam ignorantiam vitæ præsentis, **475** in qua, velut in nocte, non apparet verus sol (*I Cor.* XIII), cujus facies videnda repromittitur nobis in futuro (*Apoc.* XXII). Ut sim, inquam, « sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, » id est quando jam adulta nupsi Christo Deo incarnato, et per prædicationis ministerium filiorum conceptione fecundata sum. « Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, » id est intus in abscondito cordis illam componens gloriam meam, quæ foris parebat quasi in fimbriis aureis, per doctrinæ et miraculum gratiam. « Quando erat Omnipotens mecum, » videlicet cooperando, et sermonem confirmando sequentibus signis (*Marc.* XVI). « Et in circuitu meo pueri mei, » scilicet, quam plurimi, qui cœlestibus deserviebant mandatis, qualium multorum nunc charitas abundante iniquitate refriguit (*Matth.* XXIV). « Quando lavabam pedes meos butyro, » id est infundebam atque emundabam pinguedine boni operis pulverem collectum de gloria prædicationis. Vix enim prædicatio sine aliquo transitur admisso. Vel certe butyro pedes lavantur, dum sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, quo butyro Paulus erat unctus, cum diceret : « Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit (*II Tim.* I). » Sed et cum præpositi auditores ad cor revocant, ut ea quæ forte admiserint mala defleant, pedes butyro lavant, quia vulneribus eorum, quæ exterioribus intendendo pertulerunt, unguenta pœnitentiæ subministrant. « Et petra, » inquit, « fundebat mihi rivos olei, » id est Christus, de quo Paulus, « Petra autem, » inquit, « erat Christus (*I Cor.* X). » sacræ Scripturæ rivos meo fundebat usui, verbi gratia, librum Matthæi, librum Marci, libri Lucæ, librum Joannis, qui nunc quasi fluere desinunt, quia meatus eorum, id est sanctos prædicatores, obstruit violentia persecutorum. Vel rivi olei dona sunt Spiritus sancti, de quo scriptum est, « Computrescet jugum a facie olei (*Isa.* X) : » quæ, dum Christus ascendens in altum hominibus dedit (*Ephes.* IV), profecto petra fudit rivos olei, quæ in illa ultima persecutione, nec

publica prædicatione, nec consolatoriis fluunt miraculis.

Vers. 7. — « Quando procedebam ad portam civitatis. » Ut primo simplicem tractatus teneat historiam, secundum, quia paulatim sese aperit prodire coacta veritatis cum socia pietate de conscientia beati viri, et pudoralis sese defendit testimoniis, quod non sit, secundum criminationem amicorum ejus, impietas vel hypocrisis. « Procedebam, » inquit, « ad portam civitatis, » videlicet ut doctrinæ vel disciplinæ vox atque exemplar adessem, » et in platea cathedram parabant mihi, » id est omni simulatione carentem, et publice comprobatam, obtinebam auctoritatem districtionis vel magisterii.

Vers. 8. — « Videbant me juvenes, » id est lascivi, « et abscondebantur, » scilicet metuentes incorruptam æquitatem judicantis, ac severitatem reprehendentis, « et senes assurgentes stabant, » videlicet maturi et graves gratam sibi sapientiam reverentes.

Vers. 9. — « Principes cessabant loqui, » subaudi, ne dum homines extremi audebant ineptis garrire fabulis. « Cessabant, » inquam, » loqui et superponebant digitum ori suo, » id est etsi loquebantur, modestiam discretionis habere curabant.

Vers. 10. — « Vocem suam cohibebant duces, » subaudi, antequam adessem loqui cœpissent, quod reprehensione dignum esset, « et lingua eorum gutturi suo adhærebat, » id est me loquente summum ad audiendum silentium erat.

Vers. 11. — « Auris, audiens, » subaudi, judicia, proloquentes, « beatificabat me, » scilicet non uti vos, ita tunc impietatis quisquam arguebat, vel denotabat me,

Vers. 12. — « Eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. » Quod videlicet impietati, quam mihi imponitis, valde repugnans est.

Vers. 13. — « Benedictio perituri, » id est ejus, qui nisi subvenirem, perire habeat, « super me veniebat, » quia videlicet injuste periclitantem ego a calumniatore juste eripiebam, et cor viduæ consolatus sum, quod profecto non modo non impium, sed et piissimum erat. Sed his dictis in veneratione sacræ historiæ, mysteria jam indaganda sunt allegoriæ. « Procedebam, » inquit sancta Ecclesia, « ad portam civitatis, » id est ad modum veterum, quibus mos fuit, ut seniores in porta consisterent, et causas introeuntium judicarent (*Deut.* xv ; *II Par.* xviii ; *II Reg.* xv ; *Ruth.* iv), exercebam me in actionibus sanctis, per quas, velut per portas, aditus percipitur regni cœlestis, de quibus Psalmista : « Ut annuntiem, » inquit, « omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion (*Psal.* ix). » — « Et in platea cathedram parabant mihi, » id est in magnæ auctoritatis latitudine mihi exhibebatur libertas magisterii. « Videbant me juvenes et abscondebantur, » id est immaturi et nulla consilii gravitate fulti, deprehendi in suis occultis actibus metuebant, « et senes, » id est perfecti quique, et morum maturi grandævitate,

A quorum cani erant sensus, et ætas senectutibus vita immaculata (*Sap.* iv), « assurgentes stabant, » id est humilitate indicabant quantum in bonis actibus profecissent. « Principes, » id est hæreticæ pravitatis auctores, « cessabant loqui, » id est prava dogmata contra fidem catholicam machinari, « et superponebant digitum ori suo, » id est falso querebantur, non ratione vocis, se reprimi, sed violenta manu ecclesiasticæ virtutis. « Digitum, » inquam « superponebant ori, » id est indignantes et murmurantes significabant se per vim ad silentium cogi. « Vocem suam, » subaudi, solam, non etiam mentem suam, « cohibebant duces, » scilicet iidem ipsi hæreticorum auctores, « et lingua eorum gutturi suo adhærebat, » id est perversa quidem loqui non au-

B debant, sed intus apud se cuncta contegentes nihilominus in silentio suo peribant. Subaudiendum est ac si dicat : Nunc autem, id est in novissima tempestate, juxta illud, quod longe ante Jeremias intuens ait : « Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos (*Thren.* iv), » nunc, inquam, hæretici, quasi lamiæ, nudam mammam, id est errorem suum, libere prædicantes, lactant catulos, id est ad impietatem confirmant sequaces suos « Auris audiens, » id est auditor fidei vel disciplinæ obediens, « beatificabat me, » id est de doctrina sana proficiens bonis actibus suis lætificabat me, « et oculus videns, » id est illuminatus a Deo veritatem intelligens « testimonium reddebat mihi, » id est ad defendendam eamdem veritatem jungebatur mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, « etc., quæ non

C mutantur, sed ut supra exposita sunt in persona beati Job, ita in persona quoque Ecclesiæ accipienda sunt, quæ duplici ex causa beatificatur ab auditoribus suis, videlicet eo quod filios suos et loquendo pascat, et defendendo protegat, tanquam lignum fructiferum, quod subjacentes et pabulo reficit, et umbraculo ab æstu defendit. » Et non solum corporaliter, ut dictum est, sed et spiritualiter Ecclesia sancta hoc exhibet. Nam pauperem vociferantem liberat, cum peccatori pœnitenti culpam relaxat. Pupillum quoque liberat, dum unumquemque mortuo antiquo patre diabolo, Deo regenerat, et benedictio perituri venit super eam, quia videlicet dum converti facit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvat animam ejus a morte (*Jac.* v). Cor quoque viduæ

D consolatur, dum fideli animæ quasi viri sui bonam memoriam revocans, æternas Domini retributiones narrat. Sequitur.

Vers. 14. — « Justitia, » inquit, « indutus sum, » et non ita, ut partem mei aliquam peccato nudam relinquerem, sed « et vestivit me, » subaudi eadem justitia, « sicut vestimento, » quia videlicet « sicut vestimento, » **476** cum vestior, ex omni parte circumdor, sic justitiam observavi, ut non hinc peccato fores obsstruerem, et aliunde aditum panderem. « Indutus sum, inquam, justitia, sicut vestimento, et sicut diademate judicio meo, » subaudi ornavi vel coronavi me scilicet quotidie quid Deo, quid pro-

ximo deberem solerter inspiciens, sicut scriptum est : « Cogitationes justorum judicia (*Prov.* XII). » Quæ judicia recte diademati comparantur, videlicet quia per magni operis gloriam ad æternæ retributionis ducunt coronam,

VERS. 15. — « Oculus fui cæco. » Justitiæ partes, quas se indutum dixerat, apte ab operibus pietatis enumerare inchoat ; quia videlicet tunc est apud Deum vera oblatio rectitudinis, cum rami justitiæ de radice prodeunt pietatis. « Oculus, inquit, fui cæco, et pes claudo, » id est et cæco manum per memetipsum præbui, et claudum portando ipse sustinui. Et quare colligitur super egenos et pauperes quantum misericordiæ illius viscera fundebantur. Unde et subditur :

A VERS. 16. — « Pater eram pauperum, » videlicet vis misericordiæ illius naturam fuerat imitata, dum, non ex timore damnationis, sed præ amore Dei proximi tribuendo patrem se pauperibus exhibebat. Juxta allegoriam sancta Ecclesia, « oculus fui cæco et pes claudo,» dum illum qui quo pergat non videt, prædicando illuminat ; et eum qui præ infirmitate amici non potest ire quo videt, id est operari quod intelligit, opitulando sustentat, itemque et pater et mater pauperum est. Alia namque membra sunt in corpore Ecclesiæ, quæ intuendæ luci Scripturarum deserviunt ; alia quæ tanquam pes a terreno actu minime disjuncta corpus omne in præsentis vitæ negotiis sustineant ; alia quæ tanquam manus eleemosynam porrigendo pauperibus patrocinantur. « Pater, inquam, eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam, » id est ad proferendam sententiam nunquam præceps fui, nec temere indiscussa judicavi. Quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri exempla subtiliter pensamus, qui cum omnia nuda et aperta sub suis habeat oculis, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, sed ait : « Clamor Sodomæ et Gomorrhæ multiplicatus est ; descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non ita est, ut sciam (*Gen.* XVIII). » Hoc enim ideo dictum, ideo scriptum est ut nos qui homines sumus, et falli possumus, a præcipitatæ sententiæ prolatione compesceremur. Investigata vero causa :

VERS. 17. — « Conterebam, inquit, molas iniqui, » id est illum, qui in causa quæ investigabatur a justitia cadebat, vehemens et districtus occultas insidias, quas velut molares dentes ad lædendum proximum stringebat, causabam et elidebam, « et dentibus illius suferebam prædam,» id est eum, quem jam tenere se putabat, æquitate judicii liberabam. Ecclesia quoque spiritualiter hoc agere non desinit : toties enim ex iniqui dentibus prædam tulit, quoties ex erroris morsu animam prædicando eripuit. O qualem de ore et de dentibus iniqui, scilicet diaboli, prædam tulit, quando ipsum raptorem Saulum convertendo rapuit (*Act.* IX), et dum persequendo fideles congregaret plebem diabolo, egit, ut cognoscendo

A fidem ipse aggregaretur Christo ! Hæc et hæc quæ prædixi faciebam.

VERS. 18. — « Dicebamque : In nidulo meo moriar,» id est nulli quidquam rapiam vel malum inferam, sed potius eos qui aura et protectione mea indigent confovebo, donec moriar, « quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas (*Matth.* XXIII).» Et hoc faciendo pro posse meo, « sicut palma multiplicabo dies, » id est sicut palma inferius corticum suorum involutionibus angustatur, sed superius per amplitudinem pulchræ viriditatis expanditur, ita ego, etsi in præsenti fuero angustatus, et ad æquitatis regulam constrictus, apud Deum in futuro dilatabor et multiplicabor æternorum longitudine dierum. Ecclesia vero nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construens, in qua filios crescentes, donec ad cœlum evolent, charitatis gremio confovet, dicit et ipsa : « In nidulo meo, » id est in hujus fidei sancto et pacifico otio, usque ad mortem perseverabo, « et sicut palma multiplicabo dies. » Hoc non mutatur.

VERS. 19.— « Radix mea aperta est secus aquas, » id est tota cogitatio mea ad percipienda fluenta veritatis aperta est. Vel, ut ad Ecclesiæ vocem hoc deducatur, « radix, inquit, mea, » id est Redemptoris mei Incarnatio « aperta est, secus aquas, » id est secundum humanam naturam visibiliter hominibus demonstrata est. Incarnatio quippe Redemptoris sanctæ Ecclesiæ radix est : quia videlicet tota in fide illius Ecclesia, quasi arbor una viret, « et ros morabitur in messione mea, » subaudi dicebam, id

C est gratia Dei superveniens hoc aget, ut usque ad maturitatem bonorum operum propositum meum perducatur.

VERS. 20. — « Gloria mea semper innovabitur, » id est ad hoc ut gloriosa sim, semper in me veteris vitæ culpa per novitatem spiritus delebitur ; quia videlicet vita nostra dum lacrymis lavatur et bonis operibus exercetur, dum sanctis meditationibus eruditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur. « Et arcus meus, » id est Scriptura sacra ; arcus enim Scripturam significat. Unde et Psalmista : « Arcum suum, inquit, tetendit et paravit illum (*Psal.* VII) ; » quia videlicet cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. « Arcus, inquam, meus in manu mea instaurabitur, » id est in operatione mea

D Scriptura sacra perficietur. Instauratur enim arcus in manu, dum, quidquid in sacro eloquio studendo cognoscitur, vivendo completur. Hæc et hæc docebam : tunc, inquit, sancta Ecclesia, subaudi nunc autem in pluribus quidem vera fuit spes mea, sed plerique illorum, de quibus majorem habebam fiduciam, nunc acriores fidei hostes facti sunt.

Non immutato dicendi ordine, dum sua propria beatus Job per per sermonem indicat, causas sanctæ Ecclesiæ, ut sæpe dictum est, per intellectum sonat. Ait enim :

VERS. 21. — « Qui me audiebant, spectabant sententiam meam, » etc. Hanc etenim apud illum fuisse

subjectorum reverentiam indubitanter credendum est; sed hæc verba ejus talia sunt, ut cum sua dicat, nostra prædicat, hoc modo: « Qui me audiebant, exspectabant sententiam meam, et intenti tacebant ad consilium meum, » subaudi non ut hi protervi ac tumidi qui, dum veritatis verba suscipere renuunt, prædicationis sententias quasi docendo percurrunt, et me recte consulentem impugnare audent.

Vers. 22. — « Verbis meis addere nihil audebant, » subaudi ut nunc hæretici pessima libertate effrenati, « verbis meis addere » præsumunt, cum prædicationis meæ rectitudinem quasi emendare moliuntur. Tacebant, inquam, « nihilque addere audebant. Et super illos stillabat, » id est pro capacitate audientium, conferebatur ad mensuram, « eloquium meum. » Per hoc quod ait, « verbis meis addere nihil audebant, » reverentia laudatur audientium; per hoc, quod subdit, « et super illos stillabat eloquium meum, » indicatur dispensatio magistrorum quæ et in eo mystice signatur, quod, jubente Domino, non solum phialæ, sed etiam cyathi præparantur ad mensam tabernaculi (*Exod.* xxv), quia videlicet in doctrina sacri eloquii, non solum exhibendo sunt magna et arcana, quæ debriant, sed etiam parva et subtilia, quæ quasi per gustum notitiam præstant. Ubi ergo stillare **477** suum perhibet eloquium apte subjungitur :

Vers. 23. — « Exspectabant me sicut pluviam, » id est cum vera humilitate, ariditatem sui cordis agnoscentes, sanctæ prædicationis potum sitiebant dicentes Deo in cordibus suis, « Anima mea sicut terra sine aqua tibi (*Psal.* CXLII), » — « et os suum, « id est cor suum aperiebant, » subaudi ad doctrinam meam, « quasi ad imbrem serotinum, » id est diu desideratum, quia videlicet, imber quasi serotinus (*Luc.* xxvi), est Christi Evangelium.

Nam juxta quod scriptum est : « Dabo vobis pluviam temporaneam et serotinam (*Deut.* xi), » — « temporaneam » plurimam Dominus dedit, dum priori tempore legis intellectum contulit ; « serotinam » vero, dum prædicari ultimis diebus Incarnationis suæ mysterium fecit. Post reverentiam et attentionem auditorum, quam expressit, de sua severitate subjungit:

Vers. 24. — « Si quando ridebam ad eos non credebant. » Hoc et juxta historiam credi necesse est, et juxta moralitatem sentiendum quod et sanctus vir talis fuerit, et sancta Ecclesia talis esse studeat in suis prælatis, ut etiam ridens timeri possit. In illo valde laudabile est quod in tanta lenitate et mansuetudine pietatis, qua pater pauperum erat, tantæ simul severitatis exstitit, ut etiam ridens posset timeri. In dispensatione quoque ecclesiastici regiminis sic est morandum, quatenus et ridens prælatus timeri, et iratus debeat amari, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. « Et lux vultus mei, » inquit, id est oculi cordis mei, de quibus scriptum est : « Oculi sapientis in capite ejus (*Eccle.* II) ; » — « oculi autem stultorum in finibus terræ (*Prov.* XVII). » — « Lux, inquam, vultus mei non cadebat in terram, » quia videlicet oculi cordis mei, quæcunque terrena sunt per concupiscentiam non aspiciebant, subaudi sed in capite meo erant, id est ad Deum qui omnium Conditor est intendebant. Hoc juxta historiam non inconvenienter accipitur ; et in intellectu quoque mystico perspicuum est quod « lux, » id est, oculi interiores Ecclesiæ caput suum contemplentur, id est Christum. Una enim persona est caput Christus cum suo corpore quod est Ecclesia. Cui quoque, subaudi Christo, quasi irridenti nos non credimus, dum multis jam donis ejus testantibus et gratiam favoris ejus accipimus, et tamen adhuc sub ejus judicio de nostra infirmitate titubamus ; et lux ejus non cadit in terram, quia videlicet visionis ejus claritas peccatoribus non apparet, qui in quantum peccatores, in tantum terra sunt. Peccanti enim dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). » Super quem non cadit lux vultus Domini, sicut scriptum est : « Tollatur impius, ne videat gloriam Domini. » Quia vero et quæ sequuntur secundum historiam perspicua sunt, ex eodem capite sanctæ Ecclesiæ, sicut cœptum est, persequenda sunt.

Vers. 25. — « Si voluissem, inquit, ire ad eos, » « voluissem, » inquam, scilicet quia meus adventus ad hominem, non est secundum ejus meritum, sed secundum voluntatis meæ consilium. « Si ergo voluissem, inquit, ire ad eos, » id est illustrare visitatione sancti Spiritus cor eorum, « sedebam primus, » videlicet ita ut « quærerent primum regnum Dei et justitiam ejus (*Matth.* VI), » quia desiderii mei appetitus in cogitatione eorum cæteris desideriis æqualis non est. « Cumque sederem, » subaudi in cordibus eorum, « quasi rex, » videlicet circumstrepens regens motus animorum, « circumstante exercitu, » id est turba virtutum adversus seditiones vitiorum, « eram tamen mœrentium consolator, » ea videlicet consolatione qua dico : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Et rursum : « Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, » etc. (*Joan.* XVI). Sed ea quæ de capite dicta sunt, nihil obstat intelligi de corpore, quod est Ecclesia. In ea quippe ordo doctorum quasi rex præsidet, quam fidelium suorum turba circumstat, ubi cum auctoritate pietas, et cum pietate non deest auctoritas, « Cum sederem quasi rex circumstante exercitu, » ecce auctoritas regiminis. « Eram tamen mœrentium consolator, » ecce ministerium pietatis : disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Unde semivivi vulneribus a Samaritano non vinum solum vel oleum, sed utrumque infunditur (*Luc.* x), quia videlicet, ut Psalmista ait : « Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt (*Psal.* XXII). » Virga disciplinæ percutimur, sed pietatis baculo sustentamur; utriusque exemplum Moyses præbet, qui ex pietate et amore subditorum Deum tenebat dicentem : « Dimit-

te me, ut irascatur furor meus contra eos (*Exod.* XXXII). » Sed mox ad eumdem populum veniens, cui veniam impetraverat : « Ponat, inquit, vir gladium super femur suum, ite et redite de porta ad portam, et occidat unusquisque proximum suum. Cecideruntque in illa die, quasi viginti tria millia hominum (*ibid.*) »

CAP. XXX, VERS. 1. — « Nunc autem, inquit, derident me, » id est verba mea despiciunt, « juniores tempore, » videlicet hæretici, quos omnes universali Ecclesiæ comparatos recte juniores tempore vocari non dubium est ; quia videlicet ipsi ab ea, non autem ipsa egressa est ab illis. « Juniores, inquam, quorum non dignabar patres ponere, » id est inventores erroris eorum, verbi gratia, Arium, Albionem, Macedonium, et cæteros connumerare « cum canibus gregis mei, » id est cum sanctis prædicatoribus fidelis populi mei, quia dum Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intenti clamaverunt, magnos, ut ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. De quibus Psalmista : « Lingua, inquit, canum tuorum ex inimicis (*Psal.* LXVII), » id est vox prædicatorum tuorum ex conversis gentibus, quondam inimicis, prodiit. « Cum » his, inquam, « canibus non dignabar patres, » id est hæresiarchas eorum, « ponere. »

VERS. 2. — « Quorum virtus manuum, » id est magnitudo operum, quæ præ cæteris magna agere videbantur, « erat mihi pro nihilo, » videlicet quia per charitatem non operabantur, ideo nihil illis proderat. « Et vita ipsa putabantur indigni, » id est a me judicabantur, retributionem vitæ non mereri, utpote qui per ostentationem operis sub nomine Christi militabant contra nomen Christi.

VERS. 3. — « Egestate et fame steriles, » quia videlicet dum secreta Dei plus student perscrutari quam capiunt, nulla bona vitæ germina producunt, sed magis ac magis egestate gratiæ rorantis desuper et fame verbi Dei arescunt. « Qui rodebant, » videlicet quia medullam interiorem verbi Dei non penetrantes juxta exteriorem paleam carpebant. « Rodebant, inquam, in solitudine, » scilicet disjuncti ab universalis Ecclesiæ societate, « squallentes calamitate et miseria, » id est despecti morum pernicie et sensuum pravitate.

VERS. 4. — « Et mandebant herbas et arborum cortices, » id est in sacra Scriptura vix quædam tenera et exteriora cognoscebant. Per herbas quippe dicta planura, per arborum cortices, exteriora Patrum eloquia signantur. Vel certe herbas mandere, est de Scriptura sacra minima præcepta servare, majora contemnere verbi gratia : « Decimare mentam et anethum, et cyminum, et reliquistis, inquit Dominus, quæ graviora sunt legis (*Matth.* XXIII). » — « Et radix juniperorum, » id est avaritia : juniperus namque pro foliis punctiones habet, nam hirsuta et spinis similia sunt quæ profert, « radix, » inquam, juniperi avaritia, « quæ radix omnium malorum est (*I Tim.* VI), » ex qua pecca-

A torum omnium spinæ producuntur, « erat cibus eorum, » videlicet quia totis sensibus mentis suæ illam cogitabant, et **478** quasi alimento pascebantur.

VERS. 5. — « Qui de convallibus ista, » subaudi quæ prædicta sunt, « herbas et arborum cortices, » — « de convallibus, inquam, rapientes, » id est de humilibus dictis Patrum superbo spiritu colligentes, « cum singula reperissent, » videlicet suis partibus eos concordare gloriantes, « ad ea cum clamore currebant, » id est omne quod sentiebant, cum appetitu laudis ad aures hominum diffamare festinabant.

VERS. 6. — « In desertis habitabant torrentium, » id est in eorum prædicatione confidebant, quorum

B eloquia catholicorum jam responsione siccata sunt. Inventores enim perversorum dogmatum jure torrentes vocantur, quia videlicet a charitatis calore frigidi, quasi in torpore temporis hiemalis excrescunt, nec perpetua plenitudine profluunt, sed catholicorum allegationibus quasi solis exsiccantur æstibus. « Torrentium » ergo deserta sunt, quia vitæ temporalis commodis inhiantes cœlestia lucra deserunt. « In desertis, inquam, torrentium. » — « Et in cavernis terræ, » id est in occultis et clandestinis conventiculis sectæ terrenæ, juxta quod apud Salomonem mulier in typum hæreseos suadet dicens : « Aquæ furtivæ dulciores sunt, » etc. (*Prov.* IX). « Vel super glaream, » id est apud illorum mentes hominum qui nulla gravitatis stabilitate

C solidantur, similesque sunt glareæ id est minutissimis lapillis, quos fluvialis aqua trahit, videlicet quia fixi vel fundati non sunt supra petram fidei (*Luc.* VIII).

VERS. 7. — « Qui inter hujuscemodi lætabantur, » scilicet quia perversæ mentes in suis, quas flere debuerunt, gaudent iniquitatibus, « et esse sub sentibus delicias computabant, » id est cum peccatorum spinis hærerent, virtutum opulentiam se cumulari credebant.

VERS. 8. — « Filii, » id est imitatores, « stultorum et ignobilium, » eorum scilicet qui fuerunt magistri errorum. Idcirco « stultorum, » quia a vera sapientia aberraverunt, idcirco « ignobilium, » quia ad illum nobilem non pertinent : de quo dictum est : « Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum se-

D natoribus terræ (*Prov.* XXXI), » id est nobilis in exitu sæculi Christus sponsus Ecclesiæ, quando sederit cum apostolis, terram, id est vivos et mortuos judicare. « Filii, inquam, stultorum et ignobilium, et in terra penitus non parentes, » id est in sancta Ecclesia, quæ utique in illo sæculo « terra viventium (*Psal.* XXVI) » est, nullam sortem habentes, quæ non recipiet nisi sapientes, et divina regeneratione nobiles. Sed quod in hæreticorum typo dictum est, nihil obstat sentire de perversis atque carnalibus, quamvis in recta fide positis, quos Ecclesia non minus adversarios quam illos, qui extra fidem positi sunt, jure computat. Dicit ergo : « Qui rodebant, » id est

qui violenter aliena rapiebant, quod contra de his, qui aliena blandiendo tollunt scriptum est : « Et inimici ejus terram lingent (*Psal.* LXXI.) » — « Qui rodebant, » inquam, id est per vim quasi dentibus rodendo aliena rapiebant, « in solitudine, » id est in totius boni destitutione. Aliena quippe non tollerent, nisi prius ipsi in interioribus suis soli ac vacui a virtutum cultura remansissent. « Squalentes calamitate et miseria, » id est non sola « calamitate » vel infirmitate naturæ, quæ bene condita in primo homine vitio propriæ voluntatis ad infirmitatem lapsa est; sed « et miseria, » scilicet peccatorum actualium, quæ dum naturæ infirmæ necessitatibus superadduntur, quasi foras erumpente calamitate, miseri squalent horrida cute. « Et mandebant herbas, » id est irridendo consumebant bona infirmorum initia, juxta illud : « Corrumpunt mores bonos colloquia mala (*Cor.* XV), » — « et arborum cortices mandebant, » id est quorumdam fortitudinem in alta surgentem detrahendo concidebant. « Et radix juniperorum erat cibus eorum, » id est avaritiæ studentes, ut supra dictum est, dum ad rerum temporalium ambitum tendunt, non sentiunt quantam eadem avaritia, quæ quasi juniperus, ut ante dictum est, pro foliis punctiones, id est pro delectationibus curarum sentes habet, nunc quidem in radice delectat, sed postmodum quasi ex ramis pungit in pœna. « Qui de convallibus, » scilicet quas per ascensum virtutis excedere non curant ; « de convallibus, » inquam, vitæ præsentis, quæ in comparatione supernorum vallis ima est et profundum exsilii, in quo vir sanctus ascensiones disponendo plorat, « ista rapientes cum singula reperissent, » id est subortis occasionibus rapere potuissent, « ad ea cum clamore currebant, » id est etiam pro parva stipe litigabant ; nonnunquam et sanctorum Patrum, quorum merita adipisci non quærunt, loca atque regimina, dirupta quotidie pace, apprehendere satagebant. « In desertis habitabant torrentium, » id est ea in hac vita adipisci appetebant quæ torrentes nostri, id est prædicatores sancti, dereliquerunt, qui velut torrentes quasi in hieme exundant multitudine aquarum, dum in præsenti vita quæ ad comparationem futuræ obscura et frigida est divinis nobis eloquiis fluunt; æstivo autem sole adveniente se subtrahunt ; quia cum æternæ patriæ lux emicuerit, prædicare cessabant. « In » horum, inquam, « torrentium desertis habitabant, » id est in illis quæ justi deserunt et contemnunt ; inhianter incubabant « et in cavernis terræ, » id est in cogitationibus pravis, in quibus sese ab humanis oculis abscondunt, tanquam in cavernis. « Vel super glaream, » subaudi habitabant, id est super præsentis vitæ fluxum innitentes, et ibi gressum ponere intendentes, ubi quasi super glaream cum pes in superficie ponitur, ipsa ejus volubilitate labitur, et ad ima devolvitur. « Qui inter hujuscemodi lætabantur, » quia videlicet juxta Salomonem : « tales lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II), » scilicet attendentes temporalia quæ percipiunt, et negligentes æterna bona quæ perdunt. « Lætabantur, inquam, inter hujuscemodi, et esse sub sentibus, » id est sub gravibus curarum molestiis, « delicias putabant, » quia videlicet peccatorum delectationibus pressi et affectu vitæ præsentis, quam sint aspera quæ patiuntur, scilicet juxta Jeremiæ lamentum, « inebriati absinthio (*Thren.* III) ; » quia, sicut qui absinthio inebriatur, et quod sumpsit amarum est, et tamen non intelligit eamdem amaritudinem qua repletur (ebrius enim quisque quod patitur nescit), sic et amara sunt quæ avarus pro hujus vitæ amore tolerat, et tamen eamdem amaritudinem cupiditate cæcus ignorat. Qui et per prophetam denotatur dicentem : « Ephraim vitula docta diligere trituram (*Oseæ.* X), » id est cupidi quique ita etiamsi sibi vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinant, sicut vitula trituræ laboribus assueta relaxata, plerumque ad eumdem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Cur hoc ? Videlicet quia sunt, sicut sequitur : « Filii stultorum, » id est imitatores iniquorum præcedentium, ex quorum pravitate hoc didicerunt. « Stultorum, inquam, et ignobilium, » id est non eorum qui nobiliter stulti sunt, juxta Apostolum dicentem : « Si quis videtur sapiens inter vos in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens (*I Cor.* III) ; » sed eorum qui « peccati servi sunt (*Rom.* VI), » quæ procul dubio magna ignobilitas est, et ab hoc « in terra penitus non parentes, » id est sancta Ecclesia coram oculis divinis propter abjectionem operum suorum ignoti existentes, quibus quandoque dicendum est : « Amen dico vobis : Nescio vos (*Matth.* XXV), » quia videlicet quidquid prius in sancta Ecclesia positi verbotenus quasi venerabantur, econtrario postmodum deridentes impugnant. Unde aperte subditur :

479 VERS. 9. — « Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium, » quia videlicet iniquis crescentibus, in opprobrium fides et veritas erit in crimine, et tanto quisque erit abominabilis, quanto laudabilis.

VERS. 10. — « Abominantur me, » subaudi omnes iniqui, « et longe fugiunt a me, » scilicet non passibus gressum, sed qualitatibus morum, « et faciem meam conspuere non verentur, » id est non tantum in absentia mea mihi detrahunt, sed etiam in præsentia contumeliam mihi facientes fluxa verba quasi defluentes salivas mittunt. Et quia mala hæc novit se permittente Domino pati, subjungit dicens :

VERS. 11. — « Pharetram suam aperuit, » subaudi Dominus, id est de occulto consilio suo sententiam apertam, quasi de pharetra emisit sagittam, « et afflixit me, » scilicet ea, quam in tempore prosperitatis meæ quasi clausa pharetra continebat, sapientiæ suæ sagitta.

« Et frenum posuit in os meum » scilicet, ut ta-

ceam, quia non sunt qui audiant prædicationem meam, et tacens dicam :

« Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena (*Psal.* CXXXVI) ? » et item faciam quod dicit Apostolus : « Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est (Tit. III). » « Frenum » ergo « posuit in os meum, » id est quia in quibusdam provectum non vidi prædicationis, ab eis impetum temperavi. Et quia ab illis mala sancta Ecclesia patitur, in quibus germano prius amore confidebat, quia sub nomine Christi militare videbantur.

VERS. 12. — « Ad dexteram, » inquit, « Orientis, » id est ab illis quos quasi pro dextera, id est pro magno reputabam, quique ad illum pertinere videbantur, ejus nomen Oriens est, cujus justitiæ lumine nox injustitiæ nostræ illustratur; ab illis, inquam, quasi « ad dexteram Orientis, calamitates meæ illico surrexerunt, » id est mox in adversitatis tempore tribulationes mihi auctæ sunt. Sin vero dextera hi qui veraciter fideles sunt appellantur, ad dexteram Orientis calamitates surgunt, quia, erumpente persecutionis articulo, crudeles pravorum impetus justi patiuntur. « Pedes meos subverterunt, » id est eos qui quasi extrema membra in corpore, ita sunt in me, videlicet quia ad opera terrena deserviunt, et ideo celerius ab adversariis falli possunt, ad sui dogmatis errorem traxerunt, « et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis, » id est sectis suis, quas machinati sunt, quasi tempestate, ut ita dixerim, cordium naves obruerunt.

VERS. 13. — « Dissipaverunt itinera mea. » Dicat hoc beatus Job de malignis spiritibus, videlicet hostibus occultis ; dicat universa Ecclesia de persecutoribus suis. « Itinera mea dissipaverunt, » id est infirmorum vias callida persuasione perturbaverunt, « insidiati sunt mihi, » id est meos, quos aperte ad mala pertrahere nequiverunt, bona simulando perverterunt, « et prævaluerunt, » id est insidiando voluntatem suam ad effectum perduxerunt, « et non fuit qui ferret auxilium, » quia videlicet Omnipotens Deus eos quos in æternum diligit aliquando ad tempus relinquit. Unde scriptum est : « Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te (*Isa.* LIV), » et talia multa.

VERS. 14. — « Quasi rupto muro, » id est quasi destructo fidei Christi munimine, murus enim Redemptor noster appellatur, sicut scriptum est : « Salvator ponetur in ea murus et antemurale *(Isai.* XXVI), » quasi rupto, inquam, fidei muro, vel disciplinæ munitione, « et aperta janua, » id est potestate sibi permissa, « irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt, id est irrationabiliter miserum debacchati sunt (*Deest aliquid*).

VERS. 15. — « Et velut nubes » scilicet quæ in alto eminet, sed hanc ad cursum flatus impellit, « pertransiit salus mea, » id est, omnis felicitas terrena, quæ perversis alta est, sed fixa non est. In qua A quondam et ego pollebam, et idcirco perversis quoque reverenda eram.

VERS. 16. — « Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, » subaudi, ut æterna exsultatione viridescat, « et possident me dies afflictionis, » videlicet, sicut scriptum est, « Humiliasti nos in loco afflictionis (*Psal.* XLIII). » Locus namque afflictionis est vita præsens, dies autem lætitiæ postea secuturi sunt.

VERS. 17. — « Nocte os meum perforatur doloribus. » Ejusdem afflictionis partes enumerat, et, ut sæpe dictum est, sic sua insinuat, ut cadentibus ab Ecclesia possint congruere quæ narrat, « Nocte, » inquit sancta Ecclesia, « os meum, » id est in hoc tribulationis quasi nocturno tempore, forte, qui in B corpore meo sunt, et sicut ossa carnes, ita mores infirmantium stabiliter portant. « Os meum, » inquam, « perforatur doloribus, » id est ipsi quoque fortes victi tormentis ad perfidiam delabuntur. « Et qui me comedunt non dormiunt, » id est maligni spiritus qui carnales consumunt, ita a tentationibus quiescere nesciunt, sicut vermium multitudo per sinus ulcerum scaturiens sancti viri corpus lacerabat, quæ non dormiens nec ipsum sinebat capere somnum.

VERS. 18. — « In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, » id est corpus meum secundum historiam. Juxta allegoriam vero sanctæ Ecclesiæ vestimentum est religiosa vita fidelium, maxime communiter viventium, quæ tunc velut a multitudine vermium consumitur, quando infestatione ma- C lignorum spirituum, vel hominum crudelium dispersis fidelibus religio dissipatur. Nec solum in me vitam fidei exstinguere conantur, sed « et quasi capitio tunicæ succinxerunt me, » id est omnes verbum prædicationis a me nituntur tollere, ut quomodo, cum tunicæ capitium collo induentis circumdatur, si collum stringitur, vocis usus et vitalis flatus necatur, sic omnino non audeam loqui de fide vel nomine Christi. Sic,

VERS. 19. — « Comparatus sum luti, » id est, viliter quasi lutum conculcor, « et assimilatus sum favillæ et cineri, » videlicet judicio reproborum, qui interius nihil de igne alicujus boni remansisse arbitrantes, talem intus me esse judicant qualem foris vident. Cur hoc? Videlicet pro eo quod sequi- D tur :

VERS. 20. « Clamo, » inquit, « ad te, » Deus, « et non exaudis me. Sto, et non respicis me. » Ac sic dicat : Idcirco securius, ut lutum, conculcor, et velut favilla et cinis despicior, quia clamantem in doloribus me non audis, stantem, id est, perseverantem in supplicatione non respicis, id est non sanas, imo non cessas affligere me.

VERS. 21. —« Mutatus es mihi in crudelem. » Quomodo sine zelo zelans, et sine ira Deus dicitur irascens, et sine dolore vel pœnitentia pœnitens, sic a sancto viro per nostræ mutabilitatis verba, nunc dicitur, « Mutatus es mihi in crudelem, » id est di-

stricte feriendo non parcis,ut videlicet hoc loco crudelis districte feriens,et ulciscendæ culpæ non parcens possit intelligi. Sicut et ibi : « Ecce dies Domini veniet crudelis,et indignatione plenus, » etc. (*Isa.* XIII). « Mutatus es mihi, » inquam, « in crudelem,» subaudi,qui in temetipso crudelitatis nihil habes « Et in duritia manus tuæ, » id est in plaga fortitudinis tuæ; quæ dura est,id est contraria voluntati meæ,« adversaris mihi,» videlicet,quomodo ferramentum medici vulnus abscidens ægrum offendit.

Vers. 22. — « Elevasti me,» scilicet,gloria præsentis vitæ, quæ alta cernitur, sed nulla stabilitate solidatur.Hoc est, quod sequitur.

« Et quasi super ventum ponens elisisti me valide, » quia videlicet ad hoc solum quemlibet fugitivæ felicitatis aura sublevat,ut repente in infinis deterius sternat, et repente cadens discit quia elevatus in ventum sedit. Hæc personæ ipsius specialiter congruunt, non ad quod erat, sed ad id quod esse videbatur, **480** quia videlicet,dudum rebus exterioribus fultus, unde æstimabatur surrexisse, inde nunc videbatur elisus cecidisse.« Elisisti me, » inquam, et tandem.

Vers. 23. — « Scio,quia morti tradas me ubi constituta est domus omni viventi. Et hoc aperte juxta historiam illi congruit,quia videlicet, ante Redemptoris gratiam, ad inferni claustra etiam justi descenderunt. Allegorice autem sanctæ Ecclesiæ ex persona congruit infirmorum qui dum carnaliter vivunt ad domum mortis perveniunt. Sunt vere nonnulli qui postquam in voluptatum suarum foveam corruerunt, ab imis citius pedem per pœnitentiam reducunt. Ex quibus aperte subjungitur :

Vers. 24. — « Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, » scilicet quia feriendo a peccatis salvas ; « et si corruerint ipse salvabis, » id est si peccaverint, in salutem corporis vulneras, ut prostrati exterius interius surgant.

Vers. 25. — « Flebam quondam super eo qui afflictus erat » Ac si dicat:In tantum impietas,quam mihi exprobrastis,vel hypocrisis semper longe fuit a me, quantum ex eo colligi potest, quod ego non solum pauperi tribuebam,quod hypocrita facere potest per inanem gloriam, sed et flebam super eo qui afflictus erat,et compatiebatur anima mea pauperi, quod videlicet nec hypocrita potest,nec impius facere novit. Quod vocibus quoque sanctæ Ecclesiæ congruit, qua dum afflictos quosque per lamenta pœnitentiæ conspicit,suos eis in oratione continua fletus jungit, et toties egeno compatitur,quoties virtutibus nudato interventionis suæ precibus opitulatur. Et hoc faciens :

Vers. 26. — « Exspectabam, » inquit, « bona, » subaudi per renovationis gratiam adfutura,« et venerunt mihi mala,» scilicet præsentia,« præstolabar lucem,» id est retributionis gaudium, « et erupe-

A runt tenebræ, » id est mala præsentis tristitiæ quæ scilicet jam dixi, et adhuc de his dicturus sum.

Vers. 27. — « Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie. » Quod cum juxta historiam satis pateat : nam « interiora » ejus ita « efferbuerant » ut, sicut superius dixit, « halitum quoque ejus exhorruerit uxor sua (*Job.* XIX),» juxta allegoriam dicendum est quia sanctæ Ecclesiæ interiora effervescere, id est ipsos quoque quos per amorem fidei velut viscera ante gestaverat,in persecutionis atrocitate tolerare.Qui secreta illius prius cognoscentes,quanto sciunt ubi magis doleat,tanto deterius eam affligere non quiescunt. De quibus et aperte subjungitur : « Prævenerunt me, » subaudi ante istam ultimam

B persecutionem ; « prævenerunt me, inquam, dies afflictionis, » videlicet quia pacis quoque tempore malos eorum mores tolerabam in afflictione animi.

Vers. 28. — « Mœrens incedebam. » Juxta litteram mirandum est quod vir sanctus, quia supra dixerat, « elevasti me (*vers.* 22), » inferius adjungit : « Mœrens incedebam,» quia videlicet uno eodemque tempore convenire in actibus bonorum solet, et foris honor culminis,et intus afflictæ mœror humilitatis. « Sine furore consurgens, in turba clamavi. » Et hoc in eodem sancto viro laudabile est. Amica etenim potestati pœnæ semper impatientia est. Quo magis laudabile est in sanctis viris,quod, dum subjectorum strepitus sufferunt, per amorem increpant quos per mansuetudinem portant, quo

C contra tumultus insolentium clamorem habet,furorem non habet. Et ne leve putes quod cum tranquillitate tanta se habuit.

Vers. 29. — « Frater fui draconum, et socius struthionum.» « Draconum, » inquam,id est malitiosorum hominum,de quibus et per prophetam dicitur : « Traxerunt centum quasi dracones (*Jer.* XIV), » id est malitiosa superbia inflati sunt.« Draconum, inquam, frater fui, » id est cum malitiosis hominibus habitavi, « et socius struthionum, » id est simulatorum socius fui. Struthio etenim, quæ pennas habet,et volatum non habet,simulatores significat,qui speciem sanctitatis habent,sed virtutem non habent.Hoc tam beato Job specialiter congruit, qui ad culmen magnæ fortitudinis bonus inter malos

D fuit quam generaliter electo sanctæ Ecclesiæ populo, qui pacis suæ tempore intra se quosquam malitiosos ac simulatores patitur. Abel quippe esse renuit, quem Caini malitia non exercet.Hinc est quod Pergami angelo dicatur : « Scio ubi habitas,ubi sedes est Satanæ, etc. (*Apoc.* II).

Vers. 30. — « Cutis mea denigrata est super me.» Juxta historiam virtus sermonis patet ex pœna passionis. Juxta allegoriam vero bene hoc sanctæ Ecclesiæ vocibus congruit. « Cutis, inquit, mea denigrata est,» id est infirmi qui in me exteriori utilitati deserviunt, timore persecutionis, candidum justitiæ colorem perdiderunt,et ad nigredinemini-

quitatis venerunt. Quod Jeremias sub præcipui metalli specie deplorat, dicens: « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? » (*Thren.* IV.) « Et ossa mea aruerunt præ caumate, » id est fortes viri, in quibus tota corporis mei compago solidatur, zeli sui igne crucientur, videlicet pro eo quod « cutis mea, » id est infirmorum vita, « denigrata est, » dolentes et dicentes : « Quis infirmatur, et ego non infirmor, quis scandalizatur, et ego non uror? » (*II Cor.* XI), et cætera talia.

VERS. 31. — « Versa est, inquit, in luctum cithara mea. » Ac si aperte dicat : Pacis quidem meæ tempore per alios parva more citharistæ, per alios vero more organistæ magna et sonora prædicabam. Sed nunc « in luctum cithara, et organum » versum est « in vocem flentium, » quia dum me contemni conspicio, eos qui prædicationis canticum non audiunt deploro, quia nimirum defleo quos exhortando trahere non valeo.

CAP. XXXI. — Hoc ex loco incipit narrare subtilius bona quæ fecit, quæ ex magna parte, juxta solius historiæ textum tenenda sunt, ne, si plusquam necesse est, investigentur, a verborum ejus uberibus sanguis pro lacte respondeat, juxta illud Solomonis : « Qui ubera vehementer emulget, elicit sanguinem (*Prov.* XXX), » Sic enim sacræ Scripturæ serie, partim, prout ratio exigit, intellectus litteræ solus tenendus ; partim candor allegoriæ requirendus est. Sicut in facto Jacob mystice figuratur qui, virgas positurus ante oculos ovium ut in earum conspectu conciperent, « ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus, in his partibus quæ excoriatæ fuerant, candor apparuit ; quæ vero integra erant, virides permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius (*Gen.* XXX). » Sic, inquam, in hujus, cæterorumque Patrum præcedentium sententiis, dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus, et dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reservamus. Enumerando itaque virtutes quibus objecta sibi ab amicis crimina hypocriseos et impietatis rationabiliter a se depellit, primum qua se fortitudine construxerit, insinuat dicens :

VERS. 1. — « Pepigi fœdus cum oculis meis, » videlicet, ut cogitationes cordis caste servarem, ne prius incaute prospicerem quod postmodum invitus amarem, quomodo propheta David (*Psal.* L), qui mente sublevata sæpe mysteriis internis intererat, quia conjugem alienam incaute vidit (*II Reg.* XI), obtenebratus postmodum sibimet illicite conjunxit. « Pepigi, inquam, fœdus cum oculis meis, » id est menti meæ consentaneos et obedientes oculos esse coegi, « ut ne cogitarem quidem de virgine, » videlicet jam illius habens spiritum, qui non solum carnis, sed et cordis compescens luxuriam dicturus est : « Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V). » Causamque vel intentionem, qui munditiæ studuerit subjicit, quam nemo hypocrita **481** curat, qui hominibus placere appetit.

VERS. 2. — « Quam enim, » inquit, « partem haberet Deus in me desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis? » subaudi, nullam. Quia videlicet, si mens mea ante conspectum illius in infirmis desideriis tabescit, excelsorum conditor, qui munditiæ auctor est, possessionem suam habere me renuit. Quo dicto nequaquam vult intelligi quod ejus animum culpa in cogitatione non contigit, sed quia nunquam ex consensu superavit. Et quia festina consolatio bonorum est, consideratus finis malorum, protinus adjungit :

VERS. 3. — « Nunquid non perditio est iniquo? » subaudi, est utique, illa scilicet ut partem in ea Deus non habeat desuper : « Et alienatio, » quod apud Hebræos dicitur *anathema*, « alienatio, » inquam, ab hæreditate Dei « operantibus iniquitatem, » subaudi, nunquid non est ?

VERS. 4. — « Nonne ipse, » subaudi, qui alios intuetur, « ipse idem « considerat vias meas, » id est actiones meas, « et cunctos gressus meos, » id est mentis meæ motus, « dinumerat, » subaudi, ut ad judicium reducat? Et quidem perfectionis vitam inter veteres tenuit, sed, quia ejus intentio ad Redemptoris adventum prophetico spiritu erumpit, qui sic vias cujusque considerat, sic » dinumerat gressus, » ut ne minutissimæ quidem cogitationes ac verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, ejus judicio indiscussa remaneant, ad illum, inquam, tendens pensat quam multa de perfectione minus habeat, unde et subdit :

VERS. 5. — « Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus, » id est si qua unquam leviter, si qua perniciose perpetravi.

VERS. 6. — « Appendat me in statera, » id est in mediatore Dei et hominum, veniat, « et sciat Deus simplicitatem meam, » id est ex subtilioribus ejus præceptis scire me faciat quantum adhuc a vera simplicitate discrepem. Cur Dominum Christum stateram appellet, jam alias dictum est, ubi ait : « Utinam appenderentur peccata mea, et calamitas quam patior in statera (*Job.* VI). » Sed nunc addidit, « justa. » Statera namque justa, ipse est in quo omnia merita nostra æqua lance pensantur, et in cujus præceptis agnoscimus quia vita nostra minus habeamus. Toties enim in hac statera appendimur, quoties ad vitæ ejus exempla provocamur.

VERS. 7. — « Si declinavit, » inquit, « gressus meus de via, » id est si rectitudinis iter consensum erroris reliquit cogitatio mea ; « et si secutum est oculos meos cor meum, » id est si videndo unquam secutus sum, quod forte sinistra delectatione pulsante, concupivi ; « et si manibus meis adhæsit macula, » id est si protinus ad operationem transiit cogitationis immunditia.

VERS. 8. — « Seram et alius comedat. » Superius dixerat : « Pepigi fœdus cum oculis meis, » et cætera,

videlicet sciens, quod plerumque prava cogitatio per oculos veniat ad mentem, nunc ait: « Si secutum est oculos meos cor meum, » scilicet, perpendens quod nonnunquam prius in mente oritur, et obortum oculi perverse famulantur. Ac si aperte dicat: Nec passim videre volui quæ concupiscerem. Si, inquit, hæc vel hæc feci, « seram, et alius comedat, » id est quidquid loquor, mihi non prosit, sed alius bono opere saturetur et progenies mea eradicetur, id est sequaces mei terram viventium, in qua electi omnes quasi plantantur, quia stabiliter permansuri sunt, non ingrediantur. Doctoris enim progenies eradicatur, quando is qui verbo ejus nascitur per exemplum necatur. Quod apud Salomonem pulchre figuratum est, quando mulier filium, quem vigilans lactare consueverat, dormiens interemit. Sed tamen veram matrem infantis vivi sapientis gladius invenit (*III Reg*, III), quia videlicet, cujus fructus vivat vel intereat, in extremo examine districti judicis ira demonstrat. « Eradicetur, » inquam, « progenies mea, » si supradicta feci, vel post dicenda.

Vers. 9. — « Si deceptum est cor meum super muliere, et si ostium amici mei insidiatus sum. » Per hoc quod ait, « si deceptum est cor meum super muliere, » nec cogitasse de fornicationis macula demonstratur; per hoc quod subjicit, « et si ad ostium amici mei insidiatus sum, » patenter innotescit quod a reatu adulterii innocens fuit. Quod si hoc unquam fecerit, eamdem culpam verti sibi in pœnam expetit, dicens :

Vers. 10. « Scortum sit alterius uxor mea, et super illam incurventur alii. » Quod quam grave sit pati, exprimendo manifestans.

Vers. 11. — « Hoc enim, » inquit, « nefas est, et iniquitas maxima, » videlicet, ut subauditur : Ergo qui hoc ideo cavi, quia « nefas » vel « iniquitas est, » non sum iniquus, non sum, ut vos amici mei criminati estis, impius. « Iniquitas, » inquam, « est maxima. » Et eamdem iniquitatem luxuriæ definiens,

Vers. 12. — « Ignis, » inquit, « usque ad perditionem devorans, » id est, non solum usque ad inquinationem maculans, sed « et omnia » virtutum «eradicans, genimina, » quia videlicet quantalibet alia fuerint bonorum operum studia, si luxuriæ scelus non abluitur immensitate hujus criminis obruuntur. His de castitatis virtute dictis, mox ostendit, quam humilis quoque fuerit.

Vers. 13. — « Si contempsi, » inquit, « judicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me, » subaudi, « humerus meus cadat a junctura sua. » Hanc enim maledictionem posterius inferet. Magnum sane est in eo tantam humilitatem esse cordis, ut ex æquo ad judicium venire permittantur ancillæ, vel servi, in quo tanta erat auctoritas regiminis, ut eo præsente vocem suam, sicut supradictum est, cohiberent duces, et principes cessarent loqui (*Job*. XXIX).

Vers. 14. — « Quid enim faciam, » inquit, subaudi, si cum illis judicium subire contempsissem, « quid, »

A inquam, « faciam, cum surrexerit ad judicium Deus, » scilicet cum quo mihi natura non est communis, et cum « quæsierit, » subaudi, cur in servis vel ancillis naturæ communionem contempserim, « qui respondebo illi, » videlicet, quia nihil est, quod temporaliter præsum cæteris, quando sub illo sum rationem redditurus, qui sine fine omnibus in omni loco dominatur. « Quid respondebo ? » inquam.

Vers. 15. — « Nunquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus »? Ac si dicat : Manu humillimæ considerationis deprimendus est tumor elationis. Nam omnes homines æquales natura genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis occulta dispositio præponit. Nam et

B Dominus, cum diceret : « Crescite et multiplicamini, et replete terram, » non ait : « Et terror vester ac tremor sit » super homines qui futuri sunt, sed « super cuncta animalia terræ (*Gen*. IX). » In eo ergo, quod metum sibi sancti viri a perverse viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed brutis animalibus dominantur, quia videlicet, ex qua parte bestiales sunt, subditi ex ea debent etiam formidini jacere subtrahi.

Vers. 16. — « Si negavi, » inquit, « quod volebant pauperibus. » Quem amici impium esse criminabantur, econtra pietatis insignia per partes opportune proferens post castitatis atque humilitatis acta, liberalitatis opera subjungit : « Si negavi, inquit, « quod volebant pauperibus, » illis, inquam, pauperibus quos beatificat Dominus dicens : « Beati pauperes spiritu

C (*Matth* V). » Nam qui veraciter pauperes, id est humiles non sunt, ea sæpe volunt quæ sibi profecto non expediunt, et ideo neganda sunt. « Si negavi, » inquam, « pauperibus, » id est humilibus, « et si oculos viduæ exspectari fecit, » id est, nec lumen misericordiæ dandi tarditate fuscavi, juxta illud : « Ne dicas : Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare (*Prov*. III). » Et ut insinuet se non solum externis multa præbuisse, sed etiam apud se quosque inopes in domestica conversatione recepisse,

Vers. 17. — « Si comedi, » inquit, » buccellam **482** meam solus, et non comedit pupillus ex ea, » scilicet, quia pietati præjudicium facere existimarem, si solus comederem, quod Dominus omnium

D communiter creavit. Et hæc pietatis viscera non a seipso, sed a conditoris gratia habuisse indicat, dum dicit :

Vers. 18. — « Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. » Miseratio etenim et si ejus fuit arbitrii ut cum ipso proficeret, liquet tamen quia ejus arbitrii non fuit, ut cum ipso de utero exiret.

Vers. 19. — « Si despexi, » inquit, « prætereuntem eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. »

Vers. 20. — « Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. »

Ac si diceret : In amore proximi uno eodemque ordine, et superbiæ vitium, et impietatis premens, prætereuntem quempiam et humiliter aspexi, et misericorditer calefeci. Ignoto se proximo misertum indicat, quem prætereuntem vocat, quia videlicet apud piam mentem plus natura valet quam notitia.

Vers. 21. — « Si levavi super pupillum manum meam, » id est neque tunc humilitatis meæ negotia virtute contra pupillum exsequi volui, « cum viderem me in porta superiorem, » id est quando me in judicio etiam ex justitia vidi superiorem. « In porta » enim, id est in judicio, quia mos apud veteres fuit ut in porta seniores sederent, qui certantium jurgia judiciaria examinatione discernerent, quatenus urbem, in qua concorditer oportet vivere, discordes minime intrarent. Tandem maledicti sententiam subjicit, si quid horum quæ dixerat opere non impleverat dicens :

Vers. 22. — « Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur. » Ac si aperte dicat : Si ea quæ dixi operari renui, ipsum, quod mihi ad operandum datum est, corporis membrum perdam ; vel, si hæc maledicti sententia ad spiritualem intelligentiam referenda est, liquet profecto quod brachium corpori per humerum jungitur, et, sicut per brachium bona operantium, ita per humerum, socialis vitæ conjunctio designatur, quam propheta intuens : « Et servient, » inquit, « ei humero uno (*Sophon.* III). » — « Humerus » ergo, ait, « a junctura sua cadat, » per impatientiam animus fraternam concordiam relinquat, et a bonorum omnium abscindatur universitate. « Et brachium meum, » id est cuncta operatio mea, « cum suis ossibus, » id est cum suis virtutibus, conteratur. Sed qua consideratione bona egerit, et ab his malis abstinuerit, adjungit dicens :

Vers. 23. — « Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, scilicet, » ne mortem æternam, quam minatur, in cura rerum temporadum navigans incurrerem : « et pondus ejus ferre non potui, » videlicet, quia consideratione terroris, quo cœlum et terra movebuntur, metu animus palpitat, et intentionis suæ oculos declinans, intueri quod prævidet recusat.

Post virtutum supradictarum enumerationem, quid jam superest, nisi ut ipsas quoque divitias qua mente possederit innotescat ? Ait enim :

Vers. 24 — « Si putavi aurum robur meum, » quod videlicet fuisset de Creatore desperare, si spem in creatura posuissem. « Si, » inquam, « putavi aurum robur meum, » et obrizum [« et obrizo dixi : Fiducia mea »], id est rudem auri molem, dixit fiduciam meam. Obrizum enim dicimus rudem auri molem, in qua fiduciam suam non posuit, quia spem et dilectionem suam in solius Conditoris gratia figens, neque de quantitate auri, neque de specie peccavit, scilicet illud metuens audire : « Stulte, hac

A nocte animam tuam repetent a te, quæ autem præparasti, cujus erunt ? » (*Luc.* XII.)

Vers. 25. — « Si lætatus sum, » inquit, « super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea, » videlicet quia sancti viri in hujus peregrinationis ærumna omnem præsentis vitæ copiam, inopiam deputant, quam et pro amore cœlestis patrimonii aut largiendo dispergunt aut despiciendo deserunt.

Vers. 26. — « Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare, » quæ videlicet luminaria aliter ad usum, aliter videntur ad venerationem. « Si » ergo, inquit, « vidi, » subaudi, eo more quo a cultoribus suis venerari solent.

Vers. 27. — « Et lætatum est in abscondito cor
B meum, et osculatus sum manum meam, » scilicet gratia venerationis eorum. « In abscondito, » inquam, subaudi, quia dicitis me fuisse hypocritam ; nam in aperto malum hoc me non fecisse scitis.

Vers. 28. — « Quæ est iniquitas maxima, » scilicet, servire creaturæ potius, quam Creatori, « iniquitas, » inquam, « et negatio contra Deum altissimum. » Sed quid nunc mirum memorat, si solem ac lunam non se adorasse manifestat ? Unde subtilius hoc accipiendum est, quod postquam in auro non se habuisse fiduciam, nec in multis divitiis lætatum se fuisse testatur, adjungit dicens : « Si vidi solem, » etc. Ac si post despectum terrenæ abundantiæ patenter insinuet : Quid dicam, quia nequaquam in auro lætatus sum, qui in ipsa quoque luce cor-
C porea delectatus non sum ? Cui par est illud quod propheta vitæ exterioris appetitum fugiens dicebat : « Diem hominis non desideravi, tu scis (*Jerem.* XVII). » Quod si ea quæ dicta sunt, juxta historiam, per allegoriam quoque perscrutari libet, hoc loco, quo ait : « Si putavi aurum robur meum, » et obrizum dixi fiduciam meam, quid per aurum accipimus, nisi præclari intellectus ingenium ? quid per obrizum, nisi mentem ? Ita enim clara sanctorum ingenia vel mentes divinis muneribus humiliter subternuntur, et distincta super se gratiarum dona percipiunt, sicut in ornamento aurum, subaudi ponitur, ut gemmarum desuper ordo disponatur. De quo auro scriptum est : « Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? » (*Eccli.* XX, XLI.)
D — « Si ergo putavi, » inquit, « aurum robur meum, » quia videlicet, quantolibet ingenio fulserim, nihil me esse mei viribus æstimavi. Si lætatus sum super multis divitiis meis, id est super multis donis, quæ a Deo quasi mutuam pecuniam accepi, juxta illud : « Cui multum datum est, multum quæretur ab eo (*Luc.* XII), » etc. Quæ, videlicet, dona interdum superbienti animo tolluntur, et humiliato redduntur. Quod mystice in eo figuratum est, quod eum filii prophetarum in Jordane ligna cæderent, uni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit, moxque Elisæus veniens manubrium deorsum misit, et ferrum in superficie natans ad manubrium rediit

(*IV Reg.* VI). Ferrum quippe in manubrio est, donum intellectus in corde. Ligna vero per hoc cædere, est prave agentes increpare. Quod cum per vanam gloriam agitur, ferrum in aqua, id est donum in dissoluto opere perditur. Sed Redemptor noster, qui per Elisæum figuratur, quasi lignum deorsum mittit, et ferrum redit, dum cor peccatoris humiliat, et perditam intelligentiam reformat. « Si ergo lætatus sum, inquit, super divitiis multis, et quia plurima reperit manus mea, » id est nequaquam superbivi, quod multa intelligentiæ dona cœlitus accepi. « Si vidi solem cum fulgeret, » id est nec lætatus sum de claritate boni operis mei, quod coram hominibus luceret, ita ut quod aliis exemplorum lucem tribui, præsumptionis gratiam attenderem. » Et lunam incedentem claro, « id est famam meam non lætatus sum esse in multorum ore. Lunæ quippe, quæ illustratur a sole, nonnihil assimilatur fama, quæ vires accipit a bono opere, et gratiam favoris quasi claritatem luminis aspergit. Multi autem intuentes lunam semetipsos non vident, quia semetipsos **483** nescire incipiunt, dum mentis oculos in transitorium favorem defigunt. » Et « si « lætatum est in abscondito cor meum, » id est nullo modo, non solum in verbis, sed nec etiam in tacita cogitatione arrogans fui. « Et » si « osculatus sum manum meam, » id est nec laudavi ore meo quod feci. Manum enim suam osculatur ore suo qui laudat quod fecit, et testimonio propriæ locutionis virtutem sibi operis attribuit, « quæ est iniquitas, in quam, maxima, » scilicet quia superbia est. Superbire enim contra auctoris gratiam convincitur quisquis sibi attribuit quod operatur. » Et negatio contra Deum altissimum. « Liquet enim, quia Deum negat, cujus despecta gratia sibi vires boni operis arrogat.

VERS. 29. — » Si gavisus sum, inquit, ad ruinam ejus qui me oderat, » quod videlicet a charitate alienum est, quæ sola omnipotentis Dei discipulos probat, sicut ait ipsa Veritas : « In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII). » Nam, licet dicat Psalmista : « Lætabitur justus cum viderit vindictam (*Psal.* LVII), » non accipit justus ita, quasi dictum de ruina inimici sui, sed de ruina inimici Dei. Nec sibi invicem adversantur id quod dictum est : « Lætabitur justus cum viderit vindictam ; » et illud quod dictum est: « Diligite inimicos vestros (*Luc.* VI). » Non enim ait : Diligite inimicos » Dei, sed « inimicos vestros. » videlicet quia proprias ignoscere, Dei autem debemus injurias ad vindictam expetere. Non ergo, « gavisus sum, ait, de ruina ejus qui me oderat, » nec « exsultavi, quod invenisset eum malum, » ut videlicet et inimicum diligens, dum adversario ruenti condolui in malis, ipse ad bonum crescerem.

VERS. 30 — » Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. « Mirandum valde est ubi vir iste legerat : » Diligite inimicos vestros, » ubi legerat : « Benedicite et nolite maledicere (*Rom.* XII). » Qui non dederat « ad peccandum guttur suum, » videlicet, in eo quod sequitur, « ut expeterem maledicens animam ejus, » id est ut maledicerem illi, et dicerem Deo : Occide quem odi.

VERS. 31. —. « Si non dixerunt, » scilicet impune, me ultionem non exigente, « viri tabernaculi mei, » id est interius viventes, mecumque quotidie conversantes, familiares mei, « qui det de carnibus ejus ut saturemur, id est quis det ut mortem ejus vel pœnas de illo videamus, quas vehementer desideramus? Quod tamen potest per mysterium ex voce Redemptoris intelligi, quia » viri tabernaculi ejus, » scilicet Judæi et gentiles, de carnibus ejus cupierunt saturari, illi molientes eum consumendo exstinguere, isti mentem suam esurientem desiderantes per quotidianum immolationis sacrificium de ejus carnibus satiare. Sed nunc solius historiæ virtutem sequendo pensare libet, quanta fortitudine animus ejus extra intra quæ sollicitus ad omnia partitur.

VERS. 32.—« Foris, inquit, non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. » Ac si dicat : Quia munus ab omnipotente Deo non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur, quod contra scriptum est : « Respexit Deus ad Abel et ad munera ejus (*Gen.* IV), » dicentibus viris tabernaculi mei, ut supra dictum est, « quis det de carnibus ejus ut saturemur, » ex corde dimisi, et tunc exteriora munera per hanc internam cordis munditiam condita obtuli, scilicet hoc, ut « foris peregrinus non maneret, et ostium meum viatori patuit, » et hoc ut peccata mea confitendo [diluere] mererer, quamvis illa cœlestis Pater dimitteret. Hoc est quod sequitur :

VERS. 33. — « Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. » Quo dicto humilitas ejus simul et fortitudo commendatur. Nam iniquitatem suam quemque agnoscere, et cognitam voce confessionis aperire, non solum humilitatis, sed etiam fortitudinis est, quia videlicet, per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis commissa peccata prodere, quam non admissa vitare. Et quia humilitate vera secura semper auctoritas nascitur.

VERS. 34. — « Si expavi, » inquit, id est non « expavi ad multitudinem nimiam, » videlicet turbatis contra me extrinsecus aliis ipse in me intrinsecus imperturbabilis mansi. « Ad multitudinem, inquam, nimiam, » subaudi despicientium me. Sequitur enim : « Et si despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui, » scilicet in eo quod non meipsum commendare studui. Quare ? videlicet quia magna est securitas cordis, nil habere concupiscentiæ sæcularis. Quam ego non habens omnino despici non metuebam, neque laudabilis judicari, et sapiens videri appetebam. Si, inquam, « non magis tacui, et non egressus sum ostium meum, » id est os meum, quod videlicet fecissem, si verbis quibus possem secreta cordis mei aperirem, et, qualis intus

manerem in conscientia, talis foras egrederer per linguam. Cujus rei in ipso Dominus noster commendat exemplum, qui ut apertus homo mori potuisset, Deus mansit in occulto, « nec est egressus ostium, » dum requisitus a Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus, et corpus passioni obtulit (*Matth.* XXVII), quod pro electis assumpserat, et resistentibus noluit demonstrare quod erat, sed sanctus vir tot virtutibus se ad summa pervenire non posse sciens quærit adjutorem.

VERS. 35. — « Quis, inquit, mihi tribuit adjutorem [*al.* auditorem], » scilicet unigenitum Dei Filium, qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem suscipiens adjuvet, « ut desiderium meum Omnipotens audiat, » scilicet illo in die, se « carnis suæ preces et supplicationes cum clamore valido offerente, qui solus exaudiendus est pro sua reverentia (*Hebr.* V). » Quod hunc adjutorem quærat ipse subjunctis verbis aperit, dicens : « Et librum scribat ipse qui judicat. » — « Ipse, inquam, qui judicat, » sicut idem ipse ait : « Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio (*Joan.* V), » ipse, antequam veniat ut judicet, veniat ut, « librum scribat, » id est Novum Testamentum condat, qui et in Ezechiele per virum significatus est, « vestitum lineis, et atramentarium scriptoris habentem ad renes (*Ezech.* IX), » videlicet quia de tribu sacerdotali parentes habere dignatus quasi lineis vestitus est, vel certe quia linum de terra, non autem de corruptibili carne nascitur, sicut lana, vestitus esse lineis scribitur ; quia non de corruptione commistionis, sed de matre Virgine sumpsit indumentum corporis, « et atramentarium scriptoris habens ad renes, » quæ utique posterior pars corporis est ; quia, postquam consummatis omnibus in cœlum rediit, per posteros suos, id est per apostolos, Novum Testamentum conscripsit. « Librum, inquam, scribat. »

VERS. 36. — « Ut in humero meo portem illum, » id est, in operando observem quod tradit per prædictum Testamentum Novum, « et circumdem illum quasi coronam mihi, » id est in retributione pro eadem observatione accipiam coronam victoriæ, librum quippe in humero portare est Scripturam sacram operando perficere, et circumdari sibi quasi coronam, id est accipere remunerationem æternam. Et quia nemo in observatione mandatorum Dei repente fit summus.

VERS. 37. — « Per singulos, inquit, gradus meos, pronuntiabo illum, » id est ambulando de virtute in virtutem alios docebo quod ipse faciam. De his gradibus, id est profectibus in Evangelio, ait Dominus : « Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde frumentum plenum in spica (*Marc.* IV). » Itemque Daniel de his profectibus : « Manus, inquit, tetigit me, et erexit me super genua mea (*Dan.* X), » deinde adjecit, **484** « et steti, » sed addidit, « tremens. » Et protinus adjungit : « Et ait ad me : Noli metuere (*ibid.*). » Profecto per hæc tria, quæ sic distinxit : « Erexit me : et steti tremens ; et dixit : Noli metuere : » per hæc, inquam, tria, in semetipso nobis omnem ordinem nostri provectus innotescit, quia, ut supradictum est nemo infima deserens repente fit summus, sed primo provectum quasi in genibus, quia manuum suarum articulis incurvatus, magna jam ex parte a terra suspenditur ; deinde voci Dominicæ quasi tremens assistit, cum a terrenis desideriis sublevatus verba Dei eo plus timet, quo plenius cognoscit. Et, quia tandem « perfecta charitas foras mittit timorem (*Joan.* IV), » quasi ex divina voce dicitur ei : « Noli metuere (*Dan.* X). » Per singulos ergo gradus meos, inquit, pronunciabo illum, id est aliis exemplum præbebo, ut et ipsi ambulent de virtute in virtutem. Quod si non faciam in retributione ultima, id est quando æternis gaudiis remunerabuntur operarii justitiæ, dolores æternos metam. Hoc est, quod sequitur :

VERS. 38. — « Si adversum me terra mea clamat, » id est si contra regentis injustitiam rationabiliter subjecti dolent, cum enim vel privata domus contra patremfamilias, vel sancta Ecclesia contra quemlibet prælatum suum juste murmurat. « Si, inquam, adversum me terra mea clamat, » id est si hi, qui jam aratro doctrinæ exculti sunt, gravari a me quemlibet innocentem aspiciunt, quod pia compassione juste plangant, et,

VERS. 39. — « Si fructus ejus, » subaudi terræ meæ, « comedi absque pecunia, » id est si subditorum carnalia metens non seminavi illis spiritualia, « et si animam agricolarum ejus, » subaudi terræ, « afflixi, » id est si in opere Dei laborantibus invidi.

VERS. 40. — « Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina, » id est pro bonis quæ in æternum reficiunt, retribuantur mihi in judicio mala, quæ pungunt. Et notandum quod sicut frumentum melius hordeo, sic et spina tribulus est mollior. Ac si dicat : Si non est ita, pro bonis magnis quæ significantur per frumentum ; mala minima, quæ intelliguntur per tribulum : et pro bonis minimis, quæ accipientur per hordeum, mihi respondeant mala majora, quæ signantur per spinam.

CAP. XXXII. — Nunc Eliu verba supersunt, quæ tanto graviori circumspectione pensanda sunt, quanto per juventutis audaciam spiritu ferventiore proferuntur. Et hæc non facile intelliguntur, nisi ea ex subsequenti Dominica correctione pensantur. Ait namque de illo Dominus : « Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis ? » (*Job.* XXXVIII.) Cum dicit » sententias » sed non addit protinus quales, vult procul dubio bonas intelligi. In bono enim semper sententias accipimus, quæ sine reprobationis adjectione ponuntur, sicut scriptum est : « Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus sententias (*Prov.* XXVI). » Sed, ut sæpe bonum non bene dicitur, et idcirco, cum ipsum bonum probetur, studium dicentis recte reprobatur ; sic iste, dum « sententias involvit sermonibus imperitis, » jure,

ut ignotus et alienus, reprobatur a Domino dicente: « Quis est iste ? » quod utique non dicitur, nisi de eo qui nescitur. Nescitur autem, id est reprobatur: idcirco, quia arrogans est. Et istic ex persona ejus species quorumdam doctorum fidelium, sed tamen arrogantium designatur, totusque illorum tumor in verbis hujus proprie satis exprimitur. Differt autem intentio hujus ab intentione amicorum, qui superius locuti sunt, scilicet quia, quod jam dictum est, ad hoc illi, intendebant, ut secundum quantitatem flagelli, quo beatus Job gravius feriebatur quam homines cæteri, impius quoque fuisse crederetur amplius quam homines cæteri. Hic autem ad hoc intendit ut suam ostendat scientiam, utpote vanæ gloriæ sectator, cunctisque hominibus se præferre nitens. Et amicos quidem de fatuis sensibus, ipsum autem Job de indignis meritis reprehendens. In qua arrogantia sua diabolicæ similitudini vicinius appropinquat, qui despecto bono societatis angelorum Altissimi similitudinem superbe appetens, quasi ad quoddam culmen singularitatis assurgere conatus est. Igitur ad arrogantiæ ejus sermones perventum est, cum finitis sermonibus beati Job subditur :

VERS. 1. — « Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod sibi justus videretur. » Hoc quod de eo dicitur, « eo quod justus sibi videretur, » sacræ hujus scriptor historiæ ad amicorum judicium retulit, qui videlicet, omittentes respondere talia dixisse videntur: « Non effundamus sermonem, ubi non est auditus (*Eccli.* XXXII). » Justus hic sibi videtur, et ideo corripientium sermo non proficit, quia defendendo opera sua, flagellantis Dei justitiæ contradicit.

VERS. 2. — « Et iratus indignatusque Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram. » Quantum ad præsens negotium pertinet, nihil amplius, nihil minus hæc personæ descriptio habet, quæ per ipsa, vel ejus, vel parentis, vel loci, vel cognationis nomina, notam exprimit arrogantiam intra sanctam Ecclesiam positorum. Eliu quippe interpretatur, *Deus meus iste*, vel *Dominus Deus*; Barachel, *Domini benedictio*; Buzites, *contemptibilis;* Ram, *excelsus*, scilicet *Dei populus*. Per hæc, inquam, ut prædictum est, omnis arrogans exprimitur, cujus per fidem rectam « Dominus Deus » est, et dicit, « Deus meus, » id est quod intelligitur per proprium nomen Eliu; et in quo superni muneris « benedictio » est, quod intelligitur per paternum nomen, ut facunde prædicat quique a communicatione Christiani populi non secernitur, quod intelligitur per cognationem Ram. Sed pro hoc ipso quod arrogans est, « contemptibilis est, quod intelligitur per nomen loci, quod est Buzites. « Iratus, » inquit, indignatusque est. Iratus est autem adversum Job eo, quod justum se esse diceret coram Deo, » id est eo quod de se opera justitiæ commemorasset, tanquam in fine hoc modo conclusisset: Justus ergo sum, quod ille non fecit.

VERS. 3. — « Porro adversus amicos ejus indi- A gnatus est, » id est ex magnitudine recte sentiendi super illos tumuit, « eo quod non invenissent responsionem rationabilem, » id est cum multa invenissent et multa disputando dixissent, nihil dignum, nihil secundum quam habebant sapientiæ professionem ad concludendum illum invenissent aut dixissent; « sed tantummodo condemnassent Job, » subaudi nec propositam condemnationem, idonea ratione confirmassent. Videlicet hic mos est arrogantium. Alios censent nihil scire, alios non bene vivere, et intra Ecclesiam positi, adversarios premunt virtute dicti, ipsam autem Ecclesiam vitio impugnant elationis.

VERS. 4. — « Igitur Eliu exspectavit Job loquentem, eo quod seniores essent qui loquebantur. » Ac B si aperte diceretur : Cur ergo tandiu siluit, et, cum esset arrogans, pati silentium potuit, præsertim cum ea quæ dicebantur adversus Job inferiora suo sensu judicaret ? scilicet idcirco, « eo quod seniores essent qui loquebantur, » id est ut, cum post dicta seniorum altiora diceret palmam dicendi obtineret ; quippe qui quasi desideratus et necessarius athleta robustum gladiatorem, qui alios superasset, dilato congressu sterneret. Juxta typicum quoque intellectum recte Eliu, per quem arrogantes designantur, junior fuisse describitur illis per quos hæretici figurantur, quia videlicet, post exorta hæreticorum bella, propter quæ subtiliora sunt in Ecclesia sensuum spicula requisita, post illa, inquam, bella, esse intra eamdem sanctam Ecclesiam fastu scientiæ C 485 inflati arrogantes cœperunt, qui ferventes ingenio dum congrue inveniunt, arroganter intumescunt.

VERS. 5. — « Cum autem vidisset quod tres respondere non possent, » id est quod Sophar Naamathites in ultima responsione defecisset, trina quippe congressione facta, cum in tertio congressu, juxta observatum hactenus ordinem dicendi respondere debuisset, conticuit ; cum, inquam, hoc vidisset, « iratus est vehementer, » scilicet ut ipso motu, vel libertate iræ suæ palam intelligi daret, quod magnæ sibi sapientiæ conscius esset, quodque illa, in quibus defecerant seniores, ipse cum junior esset, leviter supplere posset.

VERS. 6. — « Respondensque Eliu filiu Barachel D Buzites : Junior sum tempore, » etc. Quod solent observare sapientes, videlicet, ut in principiis inventionum suarum benevolentiam captent auditorum, hoc iste, quanquam arrogans, in principio suæ inventionis facere studet, sed protinus ab hoc studio resiliit ; quia videlicet superbis mentibus humilitas ardua res est. « Junior, inquit, sum tempore. » Cum hoc dixisse sufficeret : addit quod superfluum est, « vos autem antiquiores, » quia videlicet omnis arrogans in dictis suis etiam superfluus est. « Idcirco, demisso capite, veritus sum indicare vobis meam sententiam. » Quo dicto virtutem quoque humilitatis et reverentiæ sibi arrogat, quam in ve-

ritate non habet, sicut satis testantur sequentia : « Veritus sum, inquam. »

Vers. 7. — « Sperabam enim, » subaudi id quod non evenit, scilicet « quod ætas prolixior, » subaudi quam mea, « loqueretur, » id est loquelam haberet, et non magis more infantium balbutiens sapientiam laceraret ; « et annorum multitudo, » subaudi quæ in vobis est, « doceret sapientiam, » subaudi tam per usum, quam per disciplinam.

Vers. 8. — « Sed ut video, » id est sicut nunc in vobis experior, « spiritus est in hominibus, » subaudi effector sapientiæ absque « annorum multitudine, et inspiratio Omnipotentis, » subaudi non quantitas ætatis, « dat intelligentiam. » Hæc recte diceret si eamdem intelligentiam sibi præ cæteris non arrogaret. Sed cum quatuor sint species arrogantiæ, videlicet cum aut a semetipso quis bonum se habere æstimat, aut si sibi desuper datum credit pro suis putat se accepisse meritis, aut jactat se habere quod non habet, aut despectis cæteris singulariter videri appetit habere quod habet ; cum, inquam, quatuor sint arrogantiæ species, hic, quamvis dari a Domino sapientiam confitetur, in hac tamen specie labitur, ut sapientiorem se cæteris gaudeat, et quasi de singulari bono sese inaniter extollat. Quod verbis sequentibus indicat dicens.

Vers. 9, 10. — « Non sunt longævi sapientes, neque senes intelligunt judicium. Ideo dicam, » subaudi qui junior quidem, sed sapiens sum, « audite me, » subaudi quia non potestis dicere, « ostendam et ego vobis meam sapientiam, » subaudi quia vestram, quæ nulla est, ostendistis. Et justum est, ut audiatis me.

Vers. 11. — « Exspectavi enim, » id est non interrupi, « sermones vestros, audivi prudentiam. » id est imprudentiam vestram. Ironice enim dixit prudentiam vestram. « Audivi, inquam, et exspectavi, donec disceptaremini sermonibus :

Vers. 12. — « Et donec, » id est quandiu « putabam vos aliquid, » subaudi auditu vel expectatione dignum dicere, « considerabam. » Quo dicto aperte declarat sese ad verba senum, judicantis potius studio, quam discentis tacuisse voto, et loquens indicat quam superbe tacuerit. Tales intra sanctam Ecclesiam positi, in adversariis ejus non annos temporum, sed intentionem solent pensare verborum. « Putabam, inquam, vos aliquid dicere, » et idcirco « exspectavi. » — « Sed ut video, » subaudi in præsenti experimento, « non est qui arguere, » id est convincere, « possit Job, et respondere ex vobis sermonibus ejus, » subaudi quibus cum Deo disputare, et se justificare nititur. Hoc ideo dico, et ideo loquar.

Vers. 13. — « Ne forte dicatis, invenimus sapientiam, » subaudi in illo, quia videlicet, quod valde repugnans est, « Deus projecit eum, » subaudi qui nullum sapientem projicit, « et non homo, » scilicet qui errans in judicio sæpe illud projicit quod projiciendum non fuit. Vel ita juxta typicam intelligen-

A tiam. « Deus projecit eum, et non homo. » Ac si dicant arrogantes, sed tamen fideles, dicant hæreticis : Per hoc quod sanctam Ecclesiam in honore hominum temporaliter florere cernitis, projectam esse a Deo non credatis. Non enim quia homo illam non projecit id est quia venerari illam a cunctis hominibus videtis, idcirco consequens est quod Deus illam projecerit. Imo sic ei terrenæ gloriæ adjumentum tribuitur, ut per hoc multiplicius etiam ad cœlestia subvehatur. « Ne dicatis, inquam, invenimus in illo sapientiam, » quia,

Vers. 14. — « Nihil locutus est mihi, » id est ego nihili pendo quidquid dixit: « Et ego non secundum vestros sermones respondebo illi, » subaudi altius consurgam, profundiora inveniam, firmiora dicam.

B Sed et sanctæ Ecclesiæ non sic arrogantes respondent ut hæretici, quia videlicet non contradicunt ei prava prædicando, sed perverse vivendo.

Vers. 15. — « Extimuerunt, nec responderunt ultra, » subaudi amici Job, qui locuti fuerant, « extimuerunt, » inquam, videlicet attoniti, exspectantes audire quid dignum tanto ferat hic promissorum hiatu. Vel quia sequitur ex voce Eliu : « Quoniam igitur exspectavi et non sunt locuti, » ut hoc quoque ab illo dictum accipiatur, indignantis est clamosa exprobratio. Ac si aperte dicat Eliu : Quia multa prædicavit Job quæ voluit, isti qui hactenus sapientiam professi sunt, « extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia, » id est muti et elingues præ pavore effecti sunt.

C Vers. 16. — « Quoniam igitur expectavi, » id est diu cessi, diu silentium præbui, « et non sunt locuti, » scilicet digna, « steterunt, » id est quasi loquelam non habentes cessaverunt, « nec ultra responderunt, » id est postquam Job sua prædicavit opera.

Vers. 17. — « Respondebo et ego partem meam, » id est propriam et scientiæ illorum dissimilem scientiam, « et ostendam scientiam meam, » subaudi quæ utilis quasi thesaurus esse potest, et ideo abscondita esse non debet. Hoc intolerabile arrogantiæ vitium est, quod suam ore proprio laudat omnis arrogans sapientiam, secundum istum qui ait : « Ostendam sapientiam meam. » Arrogantes enim omnes non eo fine loquuntur, ut prava docentes compescere, sed seipsos cupiunt ostendere, et hanc suam esse par-

D tem æstimant, si scientiam non tam habeant quam ostendant. Qua contra per Mosen dicitur : Vas quod non habuerit operculum, vel ligaturam desuper immundum erit (*Num.* XIX), » id est homo, qui non habuerit censuram disciplinæ silentii, velut immundus et pollutus reprobatur, et ejicitur foras de domo Dei. Annon vas sine operculo hic est qui sapientiam quantam habere se putat, importune ostentans, et quasi operculum desuper sibi amovens. Ecce videte, inquit :

Vers. 18. — « Plenus sum sermonibus, et coarctat me, » scilicet sermonum multitudine, « spiritus uteri mei » id est scientia concepta in profundo

cordis mei. Et ne putetis meam qualemcunque scientiam, vel talem qualis est cæterorum scientia mortuis aquis comparanda, ne, inquam, putetis, velut aquaticam esse meam sapientiam.

Vers. 19. — « En venter meus, » id est mens mea, « quasi mustum, » subaudi fervet, id est veræ et vivæ sapientiæ vigorem in se continet, et laborat silentio. Hoc est quod addidit : « Absque spiraculo, quod, » subaudi mustum, « lagunculas novas disrumpit ; » — « Novas, » inquam, ne dicam veteres, quod usitatum est. Ne quid simile contingat, id est ne disrumpatur **486** venter meus fervente sapientiæ musto.

Vers. 20, — « Loquar, et respirabo paululum, » id est loquendo ut relever, quasi lagunculæ aperiam spiraculum. Hoc idem est quod sequitur : « Aperiam labia mea, et respondebo. » Quod iste sibi per inanem arrogat scientiam, sancti viri plerumque per veram patiuntur sapientiam : nam « venter, » id est mens eorum, Spiritu sancto accensa quasi vas musto fervente plenum laborat, si est « absque spiraculo, » id est si ea quæ reprehendenda sunt videns comprimatur silentio. Quod testatur Jeremias, qui cum propter incorrectionem audientium dixisset : « Nequaquam ultra loquar in nomine Domini (*Jer.* xx), » illico adjunxit, « et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans *ibid.*), » id est dum foris tacui ex tædio locutionis, crevit intus ignis de zelo charitatis. Itemque David, cum dixisset : « Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis (*Psal.* xxxviii), » scilicet dum sermo meus non proficit, protinus adjunxit, « et dolor meus renovatus est : concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis (*ibid.*). » Et bene de hoc musto ait, « quod lagunculas novas disrumpit, » quia videlicet sancti Spiritus fervor, non solum veteri, sed etiam vix capitur nova vita. « Respondebo, » inquam, ita ut neque vos collaudem, neque Job in his quæ locutus est, approbem. Hoc est quod sequitur ;

Vers. 21. — « Non accipiam personam viri, » id est non laudabo scientiam vestram, nec favebo vobis pro eo quod seniores aut personati estis ; « et Deum homini non æquabo, » huic scilicet homini, qui disputat cum Deo, tanquam cum æquali suo : « non æquabo, » inquam, id est æqualem videri non feram. Et hoc celeriter et absque dilatione facere debeo.

Vers. 22. — « Nescio enim quandiu subsistam, » scilicet in hac vita, ubi vacat exercere sapientiam, vel operari justitiam ; « et si post modicum tollat me Factor meus, » subaudi nescio. Et bene ait « post modicum, » quia videlicet quamlibet longum fuerit tempus vitæ præsentis, eo ipso breve est, quo permanens non est. Notandum vero quod quatuor principales virtutes, ex quibus verus sapiens compositus est, hic sibi affectat mendaciter. Fortitudinem, in eo quod irascetur vehementer ; prudentiam, id est scientiam suam, quam ostendere se velle perhibet ; justitiam, in eo quod ait : « Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo. » In ea tamen quæ dicitur temperantia sibi contrarius est, dum illam nunc sibi arrogat, cum quasi benevolentiæ captandæ non immemor, « Demisso, inquit, capite, veritus sum indicare vobis sententiam, et exspectavi donec disceptaremini ; » nunc autem omnino se non habere illam sibi ipse testis est, cum attentos exigens auditores. « Venter meus, inquit, quasi mustum absque spiraculo : loquar et respirabo. » Testatur enim his verbis, quod tacendi intemperans sit. Tandem ad amicos hoc vitioso præmisso principio, convertitur ad ipsum Job.

Cap. XXXIII, Vers. 1. — « Audi igitur, inquit, Job, eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. » Ecce aliud principium non minus vitiosum. B Nam quasi in quodam sibi videtur summitatis culmine residere præses sapientiæ, attentionem ejus cui loquitur non postulans, more illorum qui prodesse volunt, sed cum austeritate et potentia erecto superbæ linguæ baculo, exigens et imperans quod proprium habere solet doctrina arrogantium, « Audi, inquit, eloquia mea, » videlicet quia nunc eloquenter dicam, « et omnes sermones meos ausculta, » scilicet quia tales sunt, ut ne unus [illegible] terram cadere debeat.

Vers. 2. — « Ecce aperui os meum, » subaudi ergo non vilem exspectes sapientes thesaurum, « loquatur lingua mea, » id est nemo mihi obstrepens commune silentii auditorium interrumpat. « Loquatur, inquam, in faucibus meis, » id est liceat silenter loqui, et non mihi sit opus clamoribus vociferari.

Vers. 3. -« Simplici corde meo sermones mei. » subaudi sunt effundendi ; « et sententiam, » id est non absque magni sensus pondere loquebam, « labia mea pura [puram], » id est omni simulatione carentia, « loquentur. » Hoc dicto sibi, ut putat, benevolentiam captat ; sed hanc manifesta superbia polluit, dum arrogat sibi illam, quæ magnæ virtutis et magnæ est laudis, simplicitatem locutionis.

Vers. 4. — « Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me. » Bono quidem ordine, factum se astruit prius, et deinde animatum ; sed quasi vir fluxum seminis sustinens, sicut per Mosen dictum est, immundus est (*Levit.* xv), D quia linguam per verba vanæ et non necessariæ locutionis movens, id est loco suo recte sentiendum et commemorandum est, fluendo commaculat, dum cui vel quid loquatur ignorat.

Vers. 5 — « Si potes, responde mihi, » id est quamvis projectus usque in sterquilinium sis, cum locutus fuero, do tibi locum respondendi, « et adversus meam faciem consiste, » id est obvia dictis meis, si potes, ulla ratione, non aspernabor te. Quare ? videlicet :

Vers. 6. — « Ecce, et me sicut et te, fecit Deus, » id est et, licet non sim abjectus ab illo, ut tu, « de eodem luto ego quoque formatus sum, » subaudi

sed merita diversa vitæ nostræ statum diversum effecerant.

Vers. 7. — « Verumtamen, » subaudi licet tanto me inferior sis, « miraculum meum non te terreat. » Quid dixerit ipse exponit subdendo : « Et eloquentia mea non sit tibi gravis, » id est quamvis mirabilis, imo quoddam miraculum, « eloquentia mea non te terreat, non sit tibi gravis. » Notandum quod, cum Paulus dicat : « Rogo vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii, etenim perpaucis scripsi vobis (*Hebr.* xiii) : » similiterque in cæteris dictis suis de magnis humiliter sentiat, qui mos est omnibus sanctis, iste de minimis se inaniter erigit, tamque distincti prodeunt sapores fructuum ex diversa radice cogitationum. « Non sit, inquam, tibi gravis ; » et, quantumcunque gravis sit tibi, vel terreat te, causa nunc poscit ut tibi debeat eloquentia mea respondere.

Vers. 8. — « Dixisti enim in auribus meis, » id est in præsentia mei videlicet viri intelligentis, « et vocem verborum tuorum audivi, » id est negare non potes quin dixeris :

Vers. 9. 10. 11. — « Mundus sum ego, et absque delicto : immaculatus, et non est iniquitas in me. Quia quærelas in me reperit, ideo arbitratus est in me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas. » Hæc in perversum assumpsit ex his quæ beatum Job dicentem audivit. Dixerat enim : « Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces (*Job* xvi). » Hoc ita pervertit ut dicat, « dixisti enim, mundus sum, et absque delicto, » et cætera. Dixerat et hoc beatus Job : « Scribis enim contra me amaritudines, et arbitraris me inimicum tuum. Posuisti in nervo pedes meos (*Job* xiii), » et cætera. Hoc quoque ita pervertit : « Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi, » et cætera, ut supra. Sed illa qualiter dixerit Job exposita sunt suo loco.

Vers. 12. — « Hoc est ergo, » subaudi ut cætera taceam : « hoc, inquam, est, in quo non est justificatus, » id est etiamsi nihil aliud reprehensibile dixisses aut fecisses, ex hoc solo satis constat quia tu non ut tibi videtur justus es. Hinc equino more in cursum suæ ostentationis fervens, in beati Job invectionibus ex afficta iniquitate campum sibi parat. « Respondebo, inquit, tibi, » subaudi, hoc unum : summa **187** enim omnium quæ dicturus sum, est hoc, « quod Deus major sit homine. » Quæris quid hoc ad rem ? Dicam :

Vers. 13. — « Adversus eum contendis, quod non ad omnia responderit tibi. » — « Contendis, » inquam, videlicet ubi dixisti : « Disputare cum Deo cupio (*Job* xiii), » et paulo post addidisti : « Responde mihi quantas habeo iniquitates, et peccata (*ibid.*). » etc. « Respondebo, inquam tibi, » scilicet hoc modo :

Vers. 14. — « Semel loquitur Deus, » Ac si dicat ; Quid adversus eum contendis exigendo ut ad singula respondebat tibi ? Non est hic mos ejus. « Semel loquitur, et secundo idipsum non repetit, » id est sententiam semel fixam non mutat : nec enim est mutabilis. Tibi vero jam semel locutus est, et respondit, quantas habeas, id est quod multas et magnas habeas iniquitates ; et respondit, inquam, videlicet in eo quod percutiens te digna factis tuis merita rependit, id est hoc ostendis, ut iterum atque iterum respondeat tibi ? Semel, et eo modo quo tibi locutus est, scilicet ex improviso, loquitur cæteris similibus tui.

Vers. 15. — « Per somnium in visione nocturna, » id est cum secure peccant et dicunt : « Pax, pax (*Jer.* vi) ; » per somnium, inquam, in visione nocturna, » id est in prosperitate illorum, quæ tanquam visio nocturna cito prætervolat ; » quando irruit sopor super homines, » id est quando in « nocte dormiunt, et in nocte ebrii sunt (*I Thes.* v), » — « et dormiunt in lectulo, » id est eamdem securitatem fovent deliciis et in otio.

Vers. 16. — « Tunc aperit aures virorum, » subaudi quas præceptis suis obstruxerunt, « et erudiens eos instruit disciplina, » quia videlicet, sicut scriptum est : « Sola vexatio intellectum auditui dat (*Isai.* xxviii). » Hic sensus est pro parte illorum, quibus Eliu beatum Job similem esse credebat. Sed quia dixit universaliter et indiffinite, « semel loquitur Deus, » Deus autem et bonis loquitur et malis, hoc idem secundum bonam quoque partem exponendum est. « Semel, inquit, loquitur Deus, » id est sanctam Scripturam, per quam voluntatem suam nobis indicat, semel per Spiritum sanctum condidit Deus ; « Semel, » inquam, quia non mutatur. Hoc est quod addidit, « ac secundo ipsum non repetit, » quia videlicet in singulorum cordibus privatis vocibus non respondet, sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quæstionibus satisfacit. Vel ita : « Semel loquitur Deus, id est Verbum aliud præter unigenitum non habet ; « et secundo ipsum non repetit, » quia videlicet hoc ipsum Verbum, id est Filium, nonnisi unicum genuit : et quando hanc Scripturam, quæ permaneat, « loquitur Deus, » id est inspirat dignis mentibus, vel ipsum Verbum suum quod unicum habet, de quo « omnis Scriptura divinitus inspirata (*II Tim*, iii) » pendet ? « per somnium in visione nocturna, » id est quando veraciter dicere potest fidelis anima : « Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* v), » scilicet quando tranquilla mente ab hujus sæculi actione quiescit : quomodo et Moyses in deserto fugiens quasi ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus, obdormivit, atque idcirco divinam vocem percipere meruit (*Exod.* iii). « In visione, inquam, nocturna, » quia videlicet quidquid in hac vita de Deo cognoscimus, ad comparationem futuræ lucis, in qua « videbimus eum sicuti est (I *Joan.* iii), » quasi visio nocturna est. « Quando irruit, inquit, sopor super homines, » quia videlicet ab exteriori actione cessare dormire est, « et dormiunt in lectulo, » id est suaviter quiescunt in bonæ conscientiæ testimonio, « tunc ape-

rit aures virorum, » scilicet ut a tumultibus sæcularium negotiorum quieti, ut dictum est, interni examinis causas audiant, et viri sint, id est viriliter agant: « et erudiens eos, » id est fletibus afficiens, « instruit disciplina, » id est per pœnitentiam et compunctionem mentem lacerat, quia videlicet lamenta compunctionis quasi quædam sunt plagæ percussionis. Et sicut percussio exterior plagas diluit, sicut Salomon ait: « Livor vulneris absterget mala (*Prov.* xx); » sic et extensam metem compunctio pœnitentiæ ultione transverberat, sicut idem Salomon protinus adjungit: « Et plagæ in secretioribus ventris (*ibid.*), » id est compunctionis vis in abdito mentis. Cujus videlicet compunctionis, quatuor qualitatibus anima vehementer afficitur, cum, aut considerans ubi fuit humiliat se; sicut ille qui ait: « Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* 15): » aut quærens secum et cogitans ubi erit timet et dicit: « Ne forte reprobus efficiar (*I Cor.* ix); » aut mœrens considerat ubi est, et dicit: « Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* v); » aut lugens conspicit ubi non est, et dicit: « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* xiii). » — « Instruit ergo, » ait « eos », Deus, ut dictum est, videlicet aut livore vulneris percutiens ut resipiscant, et sicut nunc, o Job, percussit te, aut plagis compunctionis lacerans in secretioribus ventris, id est mentis, ut et si boni sunt in melius proficiant.

Vers. 17. — « Ut avertat hominem ab his quæ fecit, » id est a peccatis præteritis; « et liberet eum de superbia, » videlicet ne præcepta ejus superbiendo transcendat.

Vers. 18. — « Eruens animam ejus de corruptione, » subaudi, vitiorum in præsenti; « et vitam illius, » subaudi in futuro eruens, « ut non transeat in gladium, » id est in damnationem æternam. Et notandum quod prius « de corruptione, » et postmodum de gladio liberat, quia nimirum illius vitam illic eripit ab ultione supplicii, cujus hic mentem subtrahit a delectatione peccati.

Vers. 19. — « Increpat quoque per dolorem in lectulo, » id est in requie temporali, scilicet juxta Psalmistam, « universum stratum ejus (*Psal.* xl), » id est omnem præsentis vitæ requiem in infirmitate versando, id est præsenti afflictione conturbando. « Increpat, » inquam, non solum prædicto modo, sed et ita ut sequitur: « Et omnia ossa ejus marcescere facit, » id est omnes virtutes ejus, de quibus inflari et extolli potuerat, si nulla tentatione pulsarentur, ita per commonitionem infirmitatis extenuari permittit, ut sibi nullæ esse videantur. Tunc nihil quod delectet aspicitur; triste est quidquid occurrit.

Vers. 20. — « Abominabilis ei fit panis in vita sua, » quia videlicet præ infirmæ conscientiæ tædio, in amaritudinem sibi verti considerat quidquid blande antea libenterque satiabat. Panis enim in

A Scriptura sacra cum multas significationes habeat, jucunditatem quoque humanæ delectationis significat. Unde et Jeremias de Synagoga: « Omnis, inquit, populus gemens et quærens panem (*Thren.* i), » id est transitoriam delectationem. Sequitur enim: Dederunt pretiosa quæque pro cibo, id est omnes virtutes mentis inclinaverunt in appetitus transitoriæ delectationis.

Vers. 21. — « Tabescet caro illius, » id est omnis exterior voluptas; per carnem enim delectatio carnis accipitur; voluptas, inquam, supradicto dolore atteritur. Et quid per hoc evenit? « Ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur, » id est ea, quæ dudum quasi sub carne latuerant virtutum fortia patefient, quia videlicet nemo quantum profecerit, nisi inter adver-

B sa, cognoscit, juxta illud: « Deus tentavit illos tanquam aurum in fornace (*Sap.* iii), » etc. Dum autem caro tabescit, factum est quod sequitur:

Vers. 22. — « Appropinquavit corruptioni anima ejus, » id est agnovit quantum de semetipso sit infirmus, videlicet ut hoc quod a perditione longe est, non sibi, sed Domino tribuat, quia, ex suis se viribus perditioni proximum non ignorat. « Et vita illius mortiferis, » subaudi appropinquavit, quia profecto **488** ex infirmitate carnis proximum se peccatis mortem ferentibus respicit, dicitque perterritus: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* vii.) Hoc autem in eo sibi utile est, in quo se suis viribus vicinium morti per adversa considerat, eo in cunctis fortiter egerit, ad

C divinum munimem fugiens solidius vivat.

Postquam ostendit Eliu in qua tentatione positum sit genus humanum, sic enim tentationum expressit quorumdam proprie singulorum, ut possit intelligi universaliter omnium; mox huic generali pestilentiæ remedium subintulit medecinæ.

Vers. 23. — « Si fuerit, inquit, pro eo angelus, » subaudi de cœlo missus, videlicet ille qui per prophetam dicitur « magni consilii angelus [consiliarius] (*Isai.* ix). » — « Si fuerit, » inquam, missus « loquens unus de millibus, » id est præter solam veritatem naturæ humanæ nihil cum peccatoribus hominibus habens commune, utpote natus quando vel quomodo voluit, mortuus quando vel quomodo voluit, et per cætera omnia dissimilis: « loquens, »

D inquam; id est ad interpellandum pro hominibus hominem se Patri ostendens (*Hebr.* vii), « ut annuntiet hominis æquitatem, » videlicet in eo quod se ipsum exhibet justum hominem.

Vers. 24. — « Miserebitur ejus, et dicet: Libera eum, » — « dicet, » inquam, scilicet hoc quod dictum est faciendo. Nam sic loqui pro eo, vel ejus æquitatem annuntiare, est profecto magnam misericordiam facere, et Patrem pro liberatione ejus orare, « ut non descendat in corruptionem, » videlicet ne sicut per prophetam extollenti se animæ dicitur: « Quo pulchrior es? descende et dormi cum incircumcisis (*Ezech.* xxxii), » descenderet in æternum

interitum, et cum infidelibus et impiis deficeret. « Inveni in quo ei propitier, » subaudi et hoc dicet, « inveni, » inquam, quia videlicet cum nullus coram Deo pro hominibus intercessor appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus, Deum hominem feci, juxta illud : « Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio (*Psal.* xxxix). »

Vers. 25. — « Consumpta est caro ejus a suppliciis, » id est in ipsa carne sua, in qua peccavit, supplicia recepit. Innumeris enim humanum genus carnalis vitæ premitur suppliciis. « Revertatur ad dies adolescentiæ suæ, » id est prioris vitæ renovetur integritate, atque ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuerat. Et quia pro eo quod talem advocatum habemus, fiducialius ad statum orationis accendimur, apte de hoc homine redempto subjungitur :

Vers. 26. — « Deprecabitur Deum, » scilicet sacrificium habens, quod deprecando offerat, qui antea non habuerat, « et placabilis ei erit, » subaudi Deus. « Et videbit faciem ejus in jubilo, » id est post immensas peccatorum amaritudines in occulto et ineffabili lux veritatis menti ejus erumpet gaudio. Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri. Unde David : « Beatus, inquit, populus qui scit jubilationem (*Psal.* lxxxviii). » Non ait, qui loquitur, sed « qui scit, » quia sciri quidem jubilatio intellectu potest, sed dictu exprimi non potest. « Videbit, inquam, faciem ejus, » scilicet per contemplationem, quæ cum non solida quidem aut permanens visio, sed quædam visionis imitatio sit, Dei tamen facies recte dicitur. Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito contemplationem Dei, per quam illum agnoscimus, faciem ejus vocamus. « Placabilis, inquit, erit ei, et reddet homini justitiam suam, » illam utique ad quam conditus fuerat, ut inhærere Deo libeat, et serpentis callidi blandis jam promissionibus non credat. « Justitiam, inquit, suam, » id est sibi datam, quomodo dicimus « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Matth.* vi). » Ecce et « nostrum » dicimus, et tamen ut detur nobis oramus. Recepta vero hac justitia sua quid faciet?

Vers. 27. — « Respiciet, inquit, homines, » id est attendet sanctos vel justos, quos recte appellat homines, id est rationabiliter viventes. Quo contra de his qui irrationabiliter vivunt, scriptum est : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel.* i). » De justis vero rationabiliter viventibus, ut dictum est: « Vos autem, ait Dominus, greges pascuæ meæ homines estis, quia videlicet vos carnis voluptas jumentorum more non afficit (*Ezech.* xxxiv). » — « Homines, inquam, » id est sanctos « respiciet. » — « Et dicet : Peccavi, » id est ex eorum comparatione cognoscet quantum infra homines peccando cecidit, quia videlicet statim ut bene agentium gesta respicit, semetipsum confusione intima ulciscente reprehendit. Unde bene per Ezechielem dicitur : « Fili hominis, ostende domui Israel templum (*Ezech.* xliii), » id est cujusque justi animam, quam inspirando Deus inhabitat, ut confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quæ fecerunt, id est ut in illa bonum quod negligunt videant, et in seipsis malum quod operantur erubescant. In eodem quoque propheta volantia animalia, et alas suas alteram ad alteram percutientia (*Ezech.* iii), hoc significat quod sanctorum mentes, quæ, dum terrena despiciunt ad cœlestia volando sublevantur, in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus excitantur. « Respiciet » ergo, inquit, « homines, et dicet : Peccavi, » scilicet velut ille qui dicebat : « Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus (*I Cor.* xv), » et cætera. « Peccavi, inquam, et vere deliqui, » id est non sic dico, « peccavi, » quomodo dicit plerumque et is qui se non pecasse credit, videlicet volens humilis et justus videri, quia scriptum scit esse : « Justus prior est accusator sui (*Prov.* xviii), » sed ex intimo cordis dico, « peccavi et vere deliqui ; et ut eram dignus non recepi, » id est, non tantum percussus sum quanto dignus sum. Hic itaque, quia liberatori suo semetipsum cognoscendo consentit :

Vers. 28. — « Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens in lucem videret, » scilicet lucem veritatis, quam corde mortuus videre non poterit, licet lucem quæ Christus est visuri sunt et mortui, id est impii. Sed illi solam videbunt formam humanitatis ; viventes autem, id est justi, videbunt eum liberis oculis cordis in forma divinitatis.

Vers. 20. — « Ecce, hæc omnia, » subaudi quæ prædicta sunt de hoc tentato flagellatoque homine, scilicet quod abominabilis sit ei panis in vita sua, et appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis, quodque subnexum est, « deprecabitur Deum, et placabilis ei erit ; et videbit faciem ejus in jubilo, et liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens videret lucem ; » — « Hæc, inquam, omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, » subaudi homines. Diligenter intuendum. « Tribus, inquit, vicibus, » id est conversione, tentatione, morte : « hæc operatur Deus per singulos, » scilicet quod secundum ea quæ supra congesta sunt, prius mœror afficit, et magna lætitia postmodum attollit. In prima quippe vice, id est in conversione cogitanti renuntiare omnibus et Christum sequi, familiaris sua delectatio carnalis obvians, et usus vetustæ perversitatis illam impugnans mœrore et anxietate cordis afficit, et sic abominabilis fit ei in vita sua panis, et appropinquat corruptioni anima ejus, et vita
489 ejus mortiferis, quia videlicet in hac rixa, dum hinc sponsus vocat, hinc caro revocat, in semetipso totus amarescit. Sed quia divina gratia cito subveniens sic angustatum latius ad libertatem no-

væ conversionis consolandum perducit, fit cordi ejus immensa lætitia, sicut sequitur, « deprecabitur Deum, et placabilis ei erit, » etc. ut supra dicta sunt. In secunda quoque vice, id est in tentatione, nihilominus eveniunt illi quæ supra congesta sunt, dum post dulcedinem consolationis, qua in conversionis initio plerumque excipitur, durum postmodum laborem probationis experitur. Quemadmodum et filii Israel, quos de Ægypto exeuntes suavius Deus lactaverat atque nutrierat, postmodum varia tentationum sustinuere certamina. Tunc, inquam, « abominabilis ei fit in vita panis, » et cætera, ut supra dicta sunt. Sed quia misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non reprobari, cujus consolationis opus occurrit, fitque iterum quod sequitur, deprecabitur Deum et placabilis ei erit, » et cætera, ut supra dicta sunt. In tertia quoque vice id est in morte, multo magis quam in supradictis duabus vicibus amarescit, dum de omnibus etiam cogitationum motibus superna judicia pertimescit, fitque timor tanto acrior, quanto retributio æterna vicinior. Nam cum Jacobus dicat : « In multis enim offendimus omnes (*Jac.* III); » et Joannes : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus (*I Joan.* I), » quid de cæteris sentiendum est ? Quid facient tabulæ, si tremunt columnæ ? aut quomodo virgulta stabunt immobilia, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur ? Sed justorum animæ ipso sæpe mortis pavore purgatæ etiam priusquam carne exspolientur, hilarescunt. Tribus igitur vicibus, id est conversione, tentatione, morte : « hæc omnia Deus operatur per singulos, » videlicet quod prius « abominabilis sit homini in vita sua panis, et appropinquat corruptioni anima ejus, et vita ejus mortiferis ; » deinde « deprecabitur Deum et placabilis ei fit, et videt faciem ejus in jubilo, et liberat animam suam, ne pergat in interitum, sed vivens videat lucem. » Et cur hæc operatur ?

Vers. 30. — « Ut revocet animas eorum a corruptione, » scilicet vitiorum, per hoc triplex exercitium solidatas, « et illuminet luce viventium, » id est ea luce quæ ipse est, in quo omnes vivunt. Nam hæc quæ corporis oculis videtur, lux est morientium.

Post sententias veraces et mysticas Eliu fastu scientiæ inflatus extollitur, et quod solent facere sapientes, scilicet sparsim inter orationes suas recreare vel renovare attentionem, vel benevolentiam auditorum, hic dum imitari nititur, se eumdem inflatum sensum suum ad inania verba derivatur.

Vers. 31. — « Attende, inquit, Job, et audi me, » id est attentus auditor esto, et respice ad me, « et tace, dum ego loquor. » Ego, inquam, subaudi qui pro sapientia, loquendi auctoritatem habeo. Sic imitationem captandæ attentionis turbat, et mox benevolentiæ quoque imaginem adulterat, subdendo :

Vers. 32. — « Si autem habes quod loquaris, responde mihi, » subaudi, sed non habes. Fidenter ego cum ironia concedit dicens : « Loquere : volo enim te apparere justum, » id est volo ratione si possibile sit, ut talem te esse probes qualem asseris, id est justum. Quam concessionem quia veraciter non protulit, non exspectans dici quod quæsierat, mox subjungit :

Vers 33. — « Quod si non habes, » subaudi imo quia non habes quod loquaris, « audi me, » subaudi quia habeo quod loquar : « Tace, et docebo te sapientiam. » Et in hoc sibi videtur observare id quod cum supradictis tertium esse solet, auditorem reddere docilem.

Cap. XXXIV; vers. 1. — « Pronuntians itaque Eliu. » « Pronuntians, » inquam, quo vocabulo pronuntiationis quid nisi inflatio elationis ostenditur ? « Etiam hæc locutus est, » scilicet a beato Job conversus ad auditores.

Vers. 2. — « Audite, inquit, sapientes, verba mea, et eruditi, auscultate me. » Ac si dicat : Sapientes atque eruditi audite quæ dico, qui soli potestis ea quæ fuerint a me dicta cognoscere.

Vers. 3. — « Auris enim, inquit, verba probat, et guttur escas gustu dijudicat. » Ac si dicat : Sicut nec auris escas, nec guttur verba cognoscit, ita nec stultus quisque sententiam sapientium intelligit. Hoc dicto illorum quoque attentionem exigit, et eo quod mox subjungit, quasi benevolentiam renovat ac reficit.

Vers. 4. — « Judicium, inquit, eligamus nobis, » subaudi condescendo enim vobis ad concordiam æqualitatis ; « et inter nos videamus quid sit melius, » scilicet ut concordibus sententiis iste condemnetur. »

Vers. 5. — « Quia dixit Job : Justus sum, et Deus subvertit judicium meum.

Vers. 6. — « In judicando enim me, mendacium est : violenta sagitta mea absque ullo peccato. » Hæc beatum Job non dixisse requisita vota verborum series testatur. Sed qui judicium quæsierat ex culpa quam finxit, protinus sententiam promulgavit.

Vers. 7. — « Quis, inquit, est vir, ut est Job ? » subaudi nullus, « qui bibit subsannationem quasi aquam, » id est qui sine timoris obstaculo Deum irridet, sicut aqua, cum bibitur, ita liquide sumitur, ut ad sorbendum nulla sui pinguedine retardetur. Sic isti, ait, in eo quod lingua superbit, nulla cordis trepidatio contradicit. Hoc arrogantium præpositorum proprium esse solet, ut afflictos auditores suos magis districte corripere appetant, quam blande refovere, quia videlicet, sicut scriptum est : « In ore stulti virga superbiæ (*Prov.* XIV), » percutere rigide sciunt, sed compati humiliter nesciunt : et cum ita sit, putat suum esse quod scriptum est : « Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi (*Eccle.* XII). » Sed verba vere sapientium ita stimulant, ut cum severe corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittant. « Bibit, inquam, subsannationem, » id est irridet Deum.

Vers. 8. — « Qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis? «

Vers. 9. — Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo. » Injuriosæ propositioni falsam rationem subjecit. Hoc enim illum non dixisse quisquis verba legit, agnoscit.

Vers. 10. — « Ideo, viri cordati, audite me, » subaudi quia vos habentes cor, ea quæ dico soli digni estis audire. « Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. » Quamvis inaniter, tamen veraciter hoc et solide protulit, quia videlicet Deum esse et impium, vel omnipotentem esse et iniquum, omnino contraria vel repugnantia sunt, neque simul unquam esse possunt. « Absit, » inquam. Hoc ab effectu subsequente probat.

Vers. 11. — « Opus enim, inquit, hominis, » subaudi boni; « reddet ei, » quod videlicet pietatis est et impietati repugnat, ut pote dare gratiam pro gratia, « et juxta vias singulorum, » subaudi malorum, « restituet eis, » quod profecto æquitatis est et iniquitati adversum est. Verumtamen hoc non semper in hac vita sit, sed sicut Salomon ait: « Sunt justi quibus multa eveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii, qui ita securi sunt, ac si justorum facta habeant (*Eccle.*, VIII). » Sed iste indeterminatam, ac per hoc vitiosam rationem adhuc confirmat, subjungens:

Vers. 12. — « Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertit judicium » subaudi sicut Job in se criminatur esse factum. Quod si dicat quis, non quidem « Deus subvertit judicium, » sed alius quis, qui ab eo rebus humanis præpositus est, falsum hoc quoque est. Nam,

Vers. 13. — « Quem constituit alium super terram, » id est super homines, « aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? » **490** id est super cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, subaudi nullum, sed per semetipsum regere non negligit: quod creavit, et quod bene creavit, utique bene regit. Quod quisque hoc modo experiri poterit.

Vers. 14. — « Si direxerit ad eum cor suum, » quod videlicet curvum et tortum est, dum appetit ima; dirigitur autem, dum sublevatur ad superna. « Si, inquit, direxerit homo ad eum cor suum, spiritum illius et flatum, » id est tam internas cogitationes, quæ significantur per spiritum, quam exteriores actiones, quæ designantur per flatum, « ad se trahet, » id est ad conversionem desiderii sui commutabit. Quo desiderio fiet quod sequitur:

Vers. 15. — « Deficiet omnis caro simul, » id est jam nullis serviet motibus, quia videlicet quodam gladio suæ districtionis, omne quod in illa mala vivebat interficit. Quo gladio Jeremias semetipsum interfecerat, cum dicebat: « Et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum (*Jer.* XXXI), » id est postquam spiritualia vidi, omne quod in me carnaliter vivebat exstinxi. Nam per femur carnis voluptas accipitur. « Deficiet, inquam, caro, » ut dictum est: « et homo in cinerem revertetur. » id est cinerem se esse recordabitur, juxta illud Psalmistæ: « Auferes spiritum, » id est superbiam eorum, « et deficient, et in pulverem suum revertentur (*Psal.* CIII), » id est nihil se esse cognoscent, et ex infirma conditione humiliabuntur. Hic quoque sentiens Eliu sese acute dixisse mox erumpens cum tumore:

Vers. 16. — « Si habes ergo, inquit, intellectum audi quod dicitur et ausculta vocem eloquii mei. » Ecce quomodo paulisper elatio per verborum incrementa proficit. Superius namque dixerat: « Si habes quod loquaris responde. » Nunc vero discutit si hoc quod dicitur saltem possit audire. Et mox eumdem acrius redarguens:

Vers. 17. — « Nunquid, ait, qui non amat judicium, sanari potest? » id est nunquid qui non amat correptionem, subaudi ut tu, qui contra flagellum Dei murmuras, liberari potest ab ea qua percutitur culpa? Subaudit, non et protinus assumit in eum, quia proposuerat propter illum. « Et quomodo tu eum, qui justus est, » subaudi Deum, « in tantum condemnas, » scilicet ut dicas illud quod ego supra memoravi, « in judicando me mendacium est » et cætera? Cur, inquam, « in tantum » Deum accusas.

Vers. 18. — « Qui dicit regi, apostata, » id est qui rectorum quoque tumentia corda subtiliter pensat et increpat. Nam increpare de superbia, hoc est dicere, apostata. » — « Qui dicit, inquam, regi, apostata, » subaudi, cur cum potestate imperas et cum potentia; qui vocat duces impios, » id est juste arguit eos qui cum præsunt dominando exemplo superbiæ suæ trahunt ad impietatem subditos. Dux namque impius est, qui per exempla tumoris viam ostendit erroris. Bonam quidem sententiam protulit, sed B. Job proferenda non fuit. Non enim idcirco Deus illum flagellabat, quod impius esset vel apostata.

Qui ab invisibilibus oculos claudunt, et visibilibus pascuntur, plerumque hominem, non ex eo quod ipse est, sed ex his quæ circa ipsum sunt, venerantur. Sed omnipotens Deus vitam hominum ex sola qualitate interrogat meritorum. Unde post illa, quæ supra dicta sunt bene per hoc dicitur:

Vers. 19. — « Qui non accipit personas principum, » id est superborum videlicet quia sæpe plus punit, juxta quod ipse ait: « Cui multum datum est, multum quæritur ab eo (*Luc.* XII), » « nec cognovit tyrannum, » id est superbum, « cum disceptaret contra pauperem, » id est contra humilem. « Non cognovit, » inquam, quippe qui superbis dicit: « Nescio vos unde sitis (*Luc.* XIII). » Et justum est quod personam non accipit. « Opus enim, inquit, manuum ejus sunt universi, » scilicet tam pauperes quam tyranni. Et hoc quod personam Deus non accipiat satis patet ex eo quod sequitur:

Vers. 20 — « Subito morientur, » id est ex improviso. Quamlibet enim sero de hac vita tollantur

iniqui, subito tolluntur, quia finem suum cogitando prævidere nesciunt. « Subito, inquam, morientur in media nocte, » id est in cæcitate ignorantiæ suæ, « turbabuntur populi, » id est quamlibet impii qui nunc turbari negligunt per humilitatem cordis, tunc turbabuntur per sententiam judicis. « Et pertransibunt, » scilicet quo quotidie per vitæ momenta transeunt, moriendo pertransibunt. « Et auferent, » subaudi superna judicia « violentum absque manu, » id est invisibiliter, ut videlicet subitum exitum urgente invisibiliter rapiatur, subaudi ut tu, qui cum violentus esses, invisibili virtute ablatus es.

Vers. 21. — « Oculi enim, inquit, ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat, » videlicet qui tunc nequaquam considerare credebatur quando violentus iste omne malum quod poterat inulte perpetrabat. Et quia nec minimæ cogitationes hominis latent illum, qui ait per prophetam, « Auferte malum cogitationum ab oculis meis (*Isai.* I), » apte subjungitur.

Vers. 22. — « Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, » id est non est ignorentia et non est oblivio, subaudi apud Deum. Idcirco per umbram mortis oblivionem designare studuit, quia sicut mors interveniens agit non esse, quod fuit in memoria : vel per umbram mortis immutatio potest accipi, quia videlicet omnis immutatio velut quædam mortis mutatio est. Id enim quod mutat quasi interficit ab eo quod erat. Quæ videlicet immutatio apud Deum non est, sicut scriptum est : « Apud quem est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I). » — « Non sunt » ergo « tenebræ, et non est umbra mortis, ut ibi, » id est per hæc, « abscondantur qui operantur iniquitatem, » quia videlicet solius divinæ naturæ est, umbras ignorantiæ mutabilitatisque tenebras penetrare.

Vers. 23. — « Neque enim, inquit, ultra in hominis potestate est, » subaudi violenti, quem, ut supra dictum est, judicia divina auferunt, « ut veniat ad Deum in judicium, » subauditur ac si dicat : Et ideo frustra dicis, « disputare cum Deo cupio (*Job* XIII), » et præsumis quod perveniat ad victoriam judicium tuum. Sed licet ignoret Eliu cui dicat, scit tamen quid dicat, quia videlicet quemcunque Deus per æternam retributionem punit, « non est ultra in potestate ejus, ut veniat ad Deum in judicium, » scilicet illud de quo Apostolus : « Si nosmetipsos, inquit, dijudicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI). » Et de quo alias conscriptum est : « Judicare cum Deo, et exspecta eum (*Job* XXXV. 1. » Itemque : « Cogitationes justorum judicia (*Prov.* XII). » In quibus videlicet judiciis non deest omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quo contra de negligente sub Ephraim specie dicitur : « Comederunt alieni robur ejus, et nescivit (*Ose.* VII), » id est devoraverunt maligni spiritus virtutes ejus, et pœnitentia non doluit ; « sed et cani effusi sunt in eo, et ignoravit (*ibid.*), » id est, in vitiis suis inveteravit, et non curavit spiritu mentis suæ renovari. Ad hoc ergo judicium reprobus quilibet damnatus ultra non veniet, ubi nunc utiliter judicat homo semetipsum, ubi juxta præceptum legis, « ignis refici, qui semper ardeat in altari, » id est in corde flamma charitatis, quæ peccata concremet, potest accendi, « quem nutriat sacerdos, » id est fidelis quisque qui magni sacerdotis Christi membrum est, « subjiciens mane ligna (*Levit.* VI), » id est cæcitate mentis depulsa, sanctorum ad excitandum se congerens testimonia.

491 Postquam de pœna malorum multa dixit, occultum subito infert judicium.

Vers. 24. « Conteret, inquit, multos et innumerabiles, » subaudi qui stare videbantur, « ut labatur pes eorum (*Deut.* XXXII) » a justitiæ statu, « et stare faciet alios pro eis, » videlicet ut locum vitæ aliis cadentibus sortiantur. Hoc quotidie agitur, scilicet quia finis adhuc utrarumque partium non cernitur, minus timetur. « Conteret, inquam, multos et innumerabiles, » scilicet quomodo Judas post apostolatus ministerium contritus est, « et stare facit alios pro eis, » videlicet ut latronem illum, qui causam vitæ etiam in ipso mortis articulo invenit. Cujus occulti judicii metus intentatur, cum angelo Philadelphiæ Ecclesiæ dicitur : « Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam (*Apoc.* III). » Hoc judicium occultum, sub quo semper timendum est, sicut qui se existimat stare videat ne cadat (*I Cor.* X), » maxime quia et alias scriptum est : « Multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX), » hoc, inquam, judicium Dominus occulte quidem, sed juste disponit.

Vers. 25. — « Novit enim opera eorum, et idcirco inducet noctem et conterentur. » Deus propter præcedentia peccata faciet, ut ad peccandum iterum, tenebris subsequentibus involvantur. « Inducet, ait, noctem, » id est non liberabit a nocte, quia videlicet hoc ipsum in nocte cæcasse, est a cæcitatis tenebris liberare noluisse.

Vers. 26. — « Quasi impios percussit eos in loco videntium, » id est in Ecclesia, quæ est locus videntium, in qua sola videndus est Deus, de qua et Dominus ad Mosen : « Est, inquit, locus apud me, et stabis super petram, et videbis posteriora mea (*Exod.* XXXIII). » — « In loco, inquam, videntium, » id est in Ecclesia, in qua cum veritatem fidei sciant, operibus negant, « percussit eos quasi impios, » id est vere impios. *Quasi* enim non semper pro similitudine ponitur, ut ubi, « quasi tristes, semper autem gaudentes (*II Cor.* VI), » sed et pro veritate, ut ibi : « Et vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre (*Joan.* I). » Quod autem ait, « in loco videntium, » manifestius exprimit :

Vers. 27. — « Qui quasi de industria, inquit, recesserunt ab eo, » id est qui non per ignorantiam vel per infirmitatem, sed, quod pessimum est, per studium peccaverunt, quomodo peccaverunt hi, de quibus Dominus dicit : « Si non venissem, et locu-

tus eis fuissem, peccatum non haberent (*Joan.* xv), » etc. « Et omnes, inquit, vias ejus intelligere noluerunt. » Non ait intelligere non potuerunt, vel non audierunt : « Sapientia quippe clamitat in plateis, ut ait Salomon (*Prov.* I), et prudentia dat vocem suam in mediis semitis stans ; sed vias ejus, vias incarnatæ Sapientiæ, quæ sunt vivendi ordines ; « vias, » inquam, visione despectas, sed intellectu reverendas, « intelligere noluerunt, » scilicet maxime Judæi, qui dum in gloria præsentis vitæ superbiunt, humilitatis Dominicæ celestitudinem non viderunt.

Vers. 28. — « Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, » quia videlicet hoc eorum casu factum est, ut cadentibus illis, egenus, id est humilis gentilium populus subrogaretur, « et audiret, » subaudi Deus, « vocem pauperum, » id est exaudiret eorumdem humilium gentilium miseriam vel desiderium. Quorum in typum vulnerati Lazari clamor ad Deum pervenit, dum secundum nomen suum adjutus, Lazarus enim interpretatur *adjutus*, « ab angelis in sinu Abrahæ portaretur, dives autem, » per quem Judaicus designatur populus, scilicet copia legis in elatione abutens, « in inferno sepeliretur (*Luc.* XVI). » Nec discutere quis audeat, vel reprehendere profunda Dei judicia.

Vers. 29. — « Ipso enim, inquit, concedente pacem, » id est reconciliante sibi populum gentilem, « quis est qui condemnet, » subaudi eosdem gentiles, ob præteritorum sordes peccatorum ? « Ex quo absconderit vultum, » subaudi a Judæis, qui prius quasi videntes erant ; ex quo, inquam, absconderit vultum, » id est gratiam vel notitiam suam, scilicet « posito velamine super cor eorum (*II Cor.* III), » — « quis est qui contempletur eum ? « Confiteor, inquit, tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* X.) » Quis hoc judicium discutere vel reprehendere audeat ? Et si Dominus vineæ novissimis operariis una hora laborantibus denarium dare velit, cui injuriam facit ? (*Matth.* XX.) « Et super gentes, inquit, et super omnes homines, » subaudi hoc judicium invisibili examinatione celebratur, scilicet ut alios repellat, alium eligat occulte, sed nullum injuste.

Vers. 30. — « Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, » id est qui te, o hypocrita Job, potentem quondam esse permisit, propter eorum peccata super quos potens fuisti. Allegorice autem ita : Quia verum super se regem habere Judæa supradicta noluit (*Luc,* XIX), hypocritam accipiet, « mittetque illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio (*II Thess.* II), » sicut ipse Dominus : » Ego veni, inquit, in nomine Patris mei, et non recepistis me, alius veniet in nomine suo, illum accipietis (*Joan.* V). » Universaliter quoque, id est, de omni gente, vel ordine sentiendum, quod, quando merentur, dat illis Deus regem in furore suo (*Ose.* XIII), quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Certum quoque est, quod sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium. Sed etsi jure vita illorum reprehenditur, oportet ut eos subditi, etiam cum displicent, venerentur. Sic debriato Noe verecundiora ejus boni filii aversi venientes texerunt (*Gen.* IX). Nam verecunda Patris quasi aversi tegunt, qui, cum prælati juste judicent factum, venerantur magisterium. Pro utilitate quippe subditorum, rectores temporalibus curis inserviunt, et unde subditi sine vexatione decori sunt, inde prælati quasi in pulvere fœdantur, quemadmodum ut in interioribus tabernaculi byssus fulgeret, coccus coruscaret, desuper pelles et cilicia, imbres et ventos pulveremque portabant (*Exod.* XXXV).

Nunc iterum Eliu, postquam multa interna et sublimia intulit, formam humilitatis verbotenus assumens, sub quadam discipulatus imagine beatum Job alloquitur, dicens :

Vers. 31. — « Quia ergo ego locutus sum ad Deum, » id est secundum Deum, « te quoque non prohibebo, » subaudi loqui. Et quia fortia se dixisse meminit, idcirco securus quod non erraverit :

Vers. 32. — « Si erravi, inquit, tu doce me. » Neque enim hoc diceret, si se errasse credidisset. Sed hæc arrogantium propria fraus est, ut tunc requirant de errore quando se noverint non errasse. Diu vero morari non valens in humilitatis imagine, quam specie tenus sumpsit : superbis enim mentibus humilitas alta est, et cum ejus formam conscendere ambivit, lassatis animi gressibus, quasi a clivosis atque asperis itineribus dilabuntur.

Vers. 33. — « Nunquid, ait, a te Deus expetit eam, » subaudi « iniquitatem, si locutus sum, » quis displicuit tibi ? Ac si diceret : Cur modo iniquitas mea a te reprehenditur, quæ in judicio a te non requireretur ? Ego coram Deo rationes positurus sum. Sed non est iniquitas quod te arguo. Tu enim cœpisti loqui, et non ego, subaudi et proinde culpabilis es, quia videlicet culpabiliores esse solent qui loqui in contentione inchoant, quam qui respondent. Quod si quid nosti melius, loquere. Ecce iterum sub requisitionis velamine palliatur, sed mox impatiens humilitatis vel simulatæ, rursus prorumpens in elatione :

Vers. 34. — « Viri, inquit, intelligentes loquantur mihi. »

Vers. 35. — « Job autem stulte locutus est. « Subaudi ergo non loquatur mihi. » Et verba ejus non sonant disciplinam, » quia videlicet judicantem se Deum de mendacio vel injustitia condemnat, et tam contra Deum, quam **492** contra homines contentiose se justificat. Mox quoque asperitate superbiæ, usque ad duritiam maledictionis extensia,

Vers. 36. — « Pater mi, inquit, probetur Job usque ad finem, » id est, o Deus Pater, adhuc Job feriatur, quia sub manu ferientis adhuc peccat, teque vindicem justum accusat de injustitia. Ac si dicat illud Ezechielis : » Fode parietem, et invenies

abominationes majores (*Ezech*, VIII), » id est si adhuc percusseris Job, magis ac magis ex rebellione ejus palam cunctis fiet, quam abominabilis est. « Probetur, inquam, usque ad finem, ne desinas ab homine iniquitatis, » subaudi percuticudo tandiu, donec os ejus obstruatur.

VERS. 37. — « Qui addit super peccata sua blasphemiam, » scilicet flagellatus blasphemat, cum deberet agere pœnitentiam de peccatis, pro quibus sustinet flagella. Post hanc maledictionem adhuc quasi pro Dei defensione loquens : « Inter nos, inquit, interim constringatur, » subaudi dum Deus necdum ad plenum respondet illi se ad judicium provocanti, « et tunc, » scilicet, cum per nos constrictus impotentiam suam senserit, « ad judicium provocet sermonibus suis Deum, » subaudi si vult.

CAP. XXXV, VERS. 1. — Igitur Eliu hæc rursum locutus est. Rursus incipere studet, utpote superfluus, ut auditores quasi novum quid audituros ad attentionem revocet.

VERS. 2. — « Nunquid, ait, æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres : Justior sum Deo ? » Hoc ab eo perverse detorsit quod B. Job dixit : « Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum (*Job*. XXIII). » Quod qua intentione dixerit, suo loco expositum est. Sed hic perversor pietatis, insuper et mendaciter adjicit :

VERS. 3. — « Dixisti enim, inquit, Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi proderit, si ego peccavero ? » Videlicet ut quasi juste possit reprehendere quæ sunt, fingit mentiendo quæ dicta non sunt.

VERS. 4. — « Itaque ego respondebo sermonibus tuis, ait, et amicis tuis tecum. « Verbis subsequentibus forti acumine discutit hoc quod sibi ad dicendi materiam fallaciter finxit.

VERS. 5. — « Suspice cœlum, » id est cœlestes spiritus, vel ipsam corpoream cœli materiam, « suspice, inquam, et intuere, contemplare æthera,» id est cœlestia omnia, subaudi ut saltem per illa conjicias id quod sequitur, « quod altior te sit » Deus, videlicet quia, ut in libro Sapientiæ scriptum est, per magnitudinem creaturæ vel speciem potest intelligibiliter Creator videri (*Sap*. XIII). Et cum non possis ea comprehendere quæ fecit, perinde intelligis « quod » multo magis « altior te sit. » qui hæc fecit. Cum ergo tanto « altior te sit. »

VERS. 6. — « Si peccaveris, quid ei nocebis, » subandi cum vel lapidem tam alte nullum jacere possis ? « Et si multiplicatæ fuerint iniquitatem tuæ, quid facies ei, » id est nunquid eisdem iniquitatibus, quasi multis armis poteris tam altum irrumpere firmamentum ?

VERS. 7. — « Porro si juste egeris, quid dabis ei, » subaudi possessiones cœlorum, et omnium quæcunque sunt potestatem habenti ? « Aut quid de manu tua accipiet, » subaudi qui nisi ille dederit nihil habes ?

A VERS. 8. — « Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua, » videlicet dum aut persequendo cruciat, aut pervertendo iniquinat,« aut filium hominis adjuvabit justitia tua, » scilicet eo modo, quo scriptum est : « Alter alterius onera portate (*Galat*. VI). » Et rursum : « Frater fratrem adjuvans exaltabitur sicut civitas munita et fortis (*Prov*. XVIII). » Fit tamen econtra plerumque ut, dum bonis nocere se putat, prosit magis humana impietas, quia videlicet trituræ more electorum vitam quasi grana a paleis separans, premit et purgat, quemadmodum et filiis Israel superbia Pharaonis profuit, in eo quod coacti laboribus clamaverunt ad Dominum, unde factum est ut exauditi ad terram repromissionis educerentur, et cœlestibus donis vel mirabili-
B bus glorificarentur. « Nocebit, inquam, homini qui similis est tui, impietas tua. » Sed nec illud impune fiet. Nam,

VERS. 9 — « Propter multitudinem calumniatorum clamabunt,» subaudi ad Deum. Calumniatores recte dicere possumus omnes iniquos, non solum qui exteriora bona rapiunt, sed etiam qui malis moribus vel exemplis interna nostra dissipare contendunt. « Clamabunt, inquam, propter multitudinem calumniatorum, » id est idcirco, quia calumniatores multi sunt. « Et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum, » id est idcirco quia non solum multi, sed et fortes sunt, et potenter opprimunt.

VERS. 10. — « Et non dixit, » subaudi aliquis ex illis clamantibus ad Deum ; « non dixit, inquam,
C ubi est Deus, qui fecit me ? » videlicet quia vindicabit tam manifeste ut non sit opus cuiquam dubitare,utrum viderit Deus violentiam « tyrannorum » vel « multitudinem calumiatorum. » Ac si dicat : Sic in omnes vindicabit juste ac severe, sicut et in te. Nunc enim omnium quos oppressisti nullus vindictam quærens dicere opus habet, « Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte ? » id est qui dare solitus est lætitiam in tribulatione ? Nam juxta quod in libro quem Ezechiel se accepisse testatur, « scriptæ erant lamentationes, et carmen,et væ (*Ezech*. II). » Sicut lamentationes pœnitentiæ et væ pressurarum vel tribulationum nobis in præsenti vita prædicant vel promittunt sacræ Scripturæ,Domino dicente : « In mundo pressuram habebitis (*Joan*. XVI), » et : « Pœnitentiam agite, appropin-
D quavit enim regnum Dei (*Matth*. III). » sic et carmen, id est spei gaudium habere jubemur, ut « spe gaudentes, in tribulatione simus patientes (*Rom*. XII). » — « Qui docet, inquam, carmina, in nocte,»

VERS.11. — Et « qui docet nos, » subaudi mysteria cœlestis vitæ, « super jumenta terræ, » id est plusquam illos qui ima appetunt usu carnalis vitæ, « et super volucres cœli erudit nos, » id est superbiam vel astutiam malignorum spirituum frustrare facit nos, ut jactum in cordibus nostris verbi Dei semen auferre non possint. Amplius autem super volucres cœli Paulus eruditum se noverat, cum dicebat : « Nescitis, quoniam angelos judicabimus ?

(*I Cor.* VI). » Hoc, inquam, non dixit aliquis illorum, qui cum multitudine calumniatorum, et brachio premeretur tyrannorum, clamavit ad Dominum.

VERS. 12. — « Ibi, » videlicet in tribulatione, « clamabunt, » ut supra dictum est, « et non exaudiet propter superbiam malorum, » id est exaudiet quidem quandoque, sed « propter superbiam malorum, » subaudi nequiter augenda, juxta illud : « qui nocet noceat adhuc (*Apoc.* XXII), » « non exaudiet, id est, exauditionem differet, ut, dum horum vita in purgatione teritur, illorum nequitia consummetur. Hoc justo judicio agitur, sicut et de ipso eorum capite scriptum est : « Faciat et prosperabitur (*Dan.* VIII), » itemque : « Et dolus in manu ejus dirigetur (*ibid.*). »

VERS. 13. — « Non ergo frustra audiet Deus, » id est non nisi prout oportet, et prout clamantibus utile est, « audiet Deus, » juxta illud : « Adjutor in opportunitatibus (*Psal.* IX). » — « Et Omnipotens singulorum causas, » id est quid cuique expediat, « intuetur, » quia videlicet ut sapiens medicus, abscidit virus putredinis ferro tribulationis, et quo voces ægri audire dissimulat, eo fidem ægritudinis procurat. Idcirco, o tu aliquis, quicunque ipsa adjutorii tarditate frangeris,

VERS. 14. — « Etiam cum dixeris : Non considerat, » id est cum desperationis procella turbatus putaveris, quod Deus non curet humana, « judicare coram illo, » id est bona ejus ad memoriam revocando, mentem concussam, citius in portu spei colloca, « et exspecta eum, » quia videlicet veniet auxillium ejus, et non tardabit, quamvis tardum videatur tibi. « Exspecta, » inquam, et « ne zelaveris pacem peccatorum videns (*Psal.* LXXII). »

VERS. 15, — « Nunc enim non infert furorem suum, » subaudi impiis, quibus in futuro **493** reservatur flagellum æternæ damnationis, « nec ulciscitur scelus valde, » subaudi nunc, eorum quos damnat in perpetuum. Quod bene in eo signatum est quod Cham peccante, filius ejus Chanaan maledicitur, dicente patre, « maledictus Chanaan puer, servus erit fratribus suis (*Genes.* IX). Quid est enim quod Cham peccante filius ejus sententiam ultionis accipit, nisi quod reproborum nequitiæ quasi non in se, sed in posteritate percutiuntur, dum hic quidem inulte perficiunt, sed in posterum feriuntur. « Ergo, inquit, Job frustra aperuit os suum, » subaudi dum dicit : « Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis (*Job.* XXI), » et his similia, « et absque scientia, » id est, nesciens quid dicat, « verba multiplicat. » Ac si dicat : Et nihil scit, et multa dicit.

CAP. XXXVI, VERS. 1. — « Addens quoque Eliu, etiam hæc locutus est, » videlicet quasi adhuc nihil dixerit rursus inchoat, et loquaciter infert quæ sentit, cum beatum Job de vitio loquacitatis accusat,

VERS. 2. — « Sustine me, inquit, paululum. » Ac A si dicat : Quamvis « eloquentia mea gravis sit tibi, et terreat te miraculum meum (*cap.* XXXIII), » sustine sapientiam, quam labor est tibi audire, et indicabo tibi ; adhuc enim habeo quod pro Deo loquar, videlicet cui obsequium præsto, dum te confuto.

VERS. 3. — « Repetam scientiam meam a principio, » videlicet quia cum eo loquor cui semel non est dictum satis, quia non intelligit. « Et operatorem meum probabo justum. » Hoc modo dum quasi pro Dei justitia loquitur, apud humana judicia, quidquid arroganter effluit, excusari arbitratur.

VERS. 4. — « Vere enim, inqnit, absque mendacio sermones mei. » Magis ac magis in impudentiam sui foras erumpit, utpote gloriam illam non habens, qua sancti doctoris anima gloriatur, sicut scriptum
B est : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV). » Unde et subdit : « Et perfecta scientia probabitur tibi. » Nimirum magna se dicturum sentit, sed nimirum corde, quod de semetipso æstimavit, docere non potuit. Postquam inflatas animi cogitationes per verba elationis exhalavit, fortem sententiam subdidit dicens :

VERS. 5. — « Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens, » videlicet quia potentia temporalis vel etiam copula conjugalis, et si aliquando nocent, non ex semetipsis, sed ex his quæ circa ipsa sunt, nocent, id est ex malis quæ circa illa ex hujus mundi cuca succrescunt. Bona namque est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita. « Deus ergo, inquit potentes non abjicit, » subaudi pro eo quod
C potentes sunt, cum et ipse sit potens, quod procul dubio repugnans esset. Nam potentem esse, et potentem pro eo quod potens est abjicere, manifestum est sibi repugnantia esse. Sed quoties abjicit, sicut et te quondam potentem abjecit, propter impietatem ipsorum hoc agit. Hoc est quod sequitur :

VERS. 6. — « Sed non solvat impios. » Ac si dicat : Nequaquam justam potentiam, sed pravam actionem damnat potentium. « Non salvat, inquam impios, et judicium pauperibus, tribuit, » id est humiles per judicium liberos reddit, vel certe judicium pauperibus tribuit, quia qui nunc nequiter opprimuntur, ipsos tunc judices super oppressores suos venire faciet, ut quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis sedibus
D majori culmine potestatis excrescant.

VERS. 7. — « Non auferet a justo oculos suos, » tunc scilicet cum hic injustorum crudelitatibus sine vindicta laceratur, propter quod ab illo Deus abstulisse oculos suos putatur. « Non auferet, inquam, oculos, » sed, vindictam provide differt. « Et reges in solio collocat in perpetuum, » id est illos qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere sed regendo præesse noverunt, ab hac potestate regiminis transfert ad potestatem retributionis « et illi eriguntur, » ut videlicet qui regendo semetipsos ad tempus fatigati sunt, in erectionis internæ solio in perpetuum collocentur, juxta illud : « Qui

vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo (*Apoc.* xxxi), » etc.

Vers. 8. — « Et si fuerint in catenis, » id est in ipsa adhuc retentione peregrinationis, vel etiam in pœna temporalis afflictionis, « et vinciantur funibus paupertatis, id est doleant, quod carent veris, quæ in futurum reservantur, divitiis.

Vers. 9. — « Indicabit eis opera eorum, » id est ad memoriam reducet eis, quia peregrinationem hanc vel afflictionem ipsi meruerunt, « et scelera eorum, quia violenti fuerunt, » subaudi indicabit eis, v, gr., sicut Paulo revelabat scelera sua dicenti : Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus (*I Tim.* i), etc.

Vers. 10. — « Revelabit quoque aurem eorum, » id est percipi faciet bonorum æternorum desiderium « ut corrupiat,» id est ut mala quæ perpetraverunt, agnoscere faciat, « et loquetur, ut revertantur ab iniquitate, » id est adversa illis evenire permittit, ut virtus eorum perficiatur in infirmitate (*II Cor.* xii), juxta illud : « In camo et freno maxillas eorum constringe (*Psal.* xxxi). »

Vers. 11. — « Si audierint et conservaverint, » id est si ejusmodi loquelam rationabiliter intellexerint, « complebunt dies suos, » subaudi præsentes, « in bono, » id est in recta actione, « annos suos in gloria, » id est in superna retributione.

Vers. 12. « Si autem non audierint, » id est si flagellis emendari noluerint, « transibunt per gladium, et consumentur stultitia, » quia videlicet et hic jam pœnas percussionis sentiunt, et in futuro justæ retributionis non evadunt. Quod ut justum esse demonstret, potinus subinfert,

Vers. 13. — « Simulatores et callidi provocant iram Dei,» ac si dicat : ideo non audiunt,id est non recognoscunt scelera sua,imo et ideo a flagellis præsentibus, ad æterna transferuntur, quia sunt « simulatores et callidi, » id est quia callide sancti voluerunt videri, et in hoc provocant iram Dei. Cum simulatores diceret, apte subjunxit et callidi, quia nisi ingenio calleant,quod videri appetunt, congrue simulare non possunt. « Provocant, inquam, iram Dei. » In quo ? videlicet in eo quod sequitur : « Neque clamabunt cum vincti fuerint, » id est peccata sua non confitebuntur in flagella percussionis deprehensi. Qui enim iniqua agens humana de se judicia sub specie sanctitatis incipit, etiam cum flagello percutitur, iniquum se prodere refugit, quia sanctus videri consuevit. Quapropter eveniet eis quod sequitur :

Vers. 14.— » Morietur in tempestate anima eorum, » videlicet quæ humanæ laudis pessima tranquillitate lætabatur.Quasi tranquillum namque videbantur vivere, cum de sanctitatis curarent laude gaudere. « Morietur, inquam, in tempestate anima eorum, » scilicet ut periculum vitari non possit, quod in tali tranquillitate prævideri non potuit, « et vita eorum, » subaudi qui viriliter vivere putabantur, « inter effeminatos, » subaudi morietur, id

A est inter luxuriosos, quorum mens rerum transitoriarum delectatione corrumpitur. Sed et sicut in alia translatione legitur : « Vita eorum vulneratur ab angelis, » id est a nuntiis veritatis. Effeminatorum enim vitam angeli vulnerant, dum nuntii veritatis eam jaculis sanctæ prædicationis impugnant, imo et in judicio cum Deo condemnant. Quia de damnatione reproborum dixit, de ereptione humilium subjungit.

Vers.15. — « Eripiet de sua pauperem angustia, » tunc subaudi cum unumquemque humilem de hac suæ peregrinationis afflictione liberat. « Et revelabit in tribulatione aurem ejus, » id est auditum cordis, quem sæpe hujus mundi prosperitas claudit, aperiet verberibus.

B Vers. 16. — « Igitur salvabit te de ore angusto latissime. Ac si dicat : Igitur et te, o Job, si non fueris simulator et callidus, et si clamaveris vinctus, id est si percussus tua **494** peccata confessus fueris,« salvabit te de ore angusto, » id est de voragine peccatorum,quæ quisquis incidit,semetipsum quasi in puteum,vel in foveam mergit. Unde Psalmista : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum (*Psal.* lxviii). » Quem enim iniquitas in mente commovit, quasi tempestas aquæ rapuit, jamque in puteum cecidit, qui iniquitatem opere perpetravit.Quem si longa consuetudo depresserit, jam puteus os suum coangustavit. « Sed salvalat te,inquit, de ore angusto latissime, » subaudi, C voraginis.» Latissime,inquam.» — « Et non habente fundamentum subter se. » Nam vorago inferni recte fundum non habere creditur, quia quisquis ab illo rapitur, in immensum devoratur. Quam immensitatem ejus exprimere volens propheta : « Dilatavit, inquit, infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino (*Isa.* iv).» — « Requies autem, inquit, mensæ tuæ, » id est refecto satietatis internæ, « erit plena pinguedine, » id est præparabitur in æternæ voluptatis delectatione. Hujus mensæ epulas esuriens Propheta : « Satiabor, inquit, cum manifestabitur gloria tua (*Psal.* xvi). »

Vers. 17. — « Causa tua quasi impii indicata est, causam judiciumque recipies. » Ac si dicat : Si talis et tu, o Job, fueris, causa quidem tua sorte quasi impii judicabitur, quia videlicet propter peccata paD terno flagello judicaris, vel tu vel quilibet filius quem Pater Deus diligit aut recipit. Sed postmodum « causam judiciumque recipies, » scilicet, ut tanto tunc potius cuncta judices, quanto nunc in te subtilius cuncta judicantur.

Vers. 18. — « Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas, » id est neque contra Deum murmures, neque contra hominem quempiam superbias ; « nec multitudo donorum, » id est nec quantitas sapientiæ, nec æstimatio judicii, quæ Dei dona sunt, « inclinet te, » subaudi a vera virtute. Notandum quod non ait multitudo donorum extollat te,sed ait,« nec multitudo donorum inclinet te,id est male humiliet

te. Omnis enim qui temporaliter extollitur, eo ipso quo extollitur inclinatur, quia cum se exterius erigit, intus cadit. In quibusdam codicibus scribitur, nec multitudo locorum inclinet te, ac si voce arrogantium sanctæ Ecclesiæ diceretur : Quia nunc ubique fidei reverentia coleris, cave ne ejusdem reverentiæ fastibus extollaris.

Vers. 19. — « Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, » id est etiam dum in tribulatione non es, et pacem vel prosperitatem habes, nequaquam magnitudinem te confidas habere. « Et omnes robustos fortitudine » subaudi depone, ne confidas te habere. Ne glorieris tibi dictum esse : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii (*Psal* XLIV), » id est priores quidem patres fortes et magni moriendo vocantur ad præmium, sed eorum vice debiles ad certamina roborantur.

Vers. 20. — « Ne protrahas, inquit, noctem, » id est ne sis insipiens, neque te in tantam ignorantiæ mergas obscuritatem, « ut ascendant populi pro eis, » subaudi robustis, id est ut in locum fortium numerositatem subroges popularium, id est infirmorum. Hoc arrogantes viri in eo dicunt, quod convalescere non credunt eos quos infirmos aliquando noverant, et permutatos aut prælatos venerari despiciunt, quos despicabiles aut privatos fuisse meminerunt. Vel ita moraliter. « Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, » id est quia jam in ipsa adversitate consideras quod frustra prius de te magna sentiebas, disce humiliter sentire, etiamsi non sis in tribulatione. « Et omnes robustos fortitudine, » id est omnes motus cordis nimium in sua fortitudine præsumentis, subaudi depone, ut jam dictum est, absque tribulatione. Robusti quippe sunt præsumptuosi motus cordis, quos tunc deponimus, quando pulsante molestia cogimur pensare quid sumus. « Ne protrahas noctem » id est ne habeas tristitiam usque ad desperationem perseverantem, ne ascendant populi pro eis,» id est ne prosiliant multiplices et indignæ cogitationes pro supradictis robustis vel superbis motibus cordis tui. Quos nimirum populos, id est cogitationes stultas, Propheta per divinum auxilium subigere confidens : « Protector meus, inquit, et in ipso speravi, qui subdit populos sub me (*Psal.* CXLIII),» videlicet, ut non per abrupta phantasmatum mentem rapiant, sed rationi subditæ cogitationes humiliter conquiescant.

Vers. 21. — « Cave, inquit, ne declines ad iniquitatem,» id est ne extollaris in superbiam,» hanc enim cœpisti sequi post miseriam. » Ac si dicat : idcirco nunc tibi consulo cavere superbiam, quia tu ex quo mala sustinere cœpisti ferventi corde impatientiæ te facibus inflammasti. Hæc in beato Job idcirco Eliu protulit, quia videlicet nesciebat quod omnia quæ dixit, non de iniquitate impatientiæ, sed de virtute veritatis protulit, qui ab interni judicis sententia nec cum se justificaret, erravit. Eliu doctus et arrogans profert aliquando quod mulceat, aliquando quod pungat. Ima enim jam moralitatis descrit, et ad prophetiæ summa conscendit. Nec mirandum quod vir arrogans impleri spiritu prophetico potuit, cum Saul Cham in numero Prophetarum fuerit (*I Reg.* x), et quod majus est, asina quoque ex visione angeli rationabilia verba acceperit (*Num.* XXII). Sed sicut eadem asina verba quidem rationis edidit, nec tamen ad permutationem naturæ rationalis accessit, sic nunc Eliu, vel quilibet indignus, sancta propheticæ verba nonnunquam accipit, sed tamen sanctitatis gloriam non attingit. Sic ergo sumendum est de hujus doctrina quod flagellat, ut tamen sollicite cavendum sit de elatione quod vulnerat.

Vers. 22. — « Ecce, inquit, Deus excelsus, » scilicet Redemptor humani generis, qui humilis in infirmitate videbitur, manet excelsus, excelsus, inquam, « in fortitudine sua, » quia videlicet etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (*II Cor.* XIII), imo ipsa est virtus et sapientia Dei (*I Cor.* I). Et nullus ei similis in legislatoribus, videlicet quales fuerunt Moses, Josue, vel etiam Prophetæ (*Matth.* 16), quorum unum dicebant homines esse eumdem Filium hominis, cum alii Joannem Baptistam, alii Heliam, alii dicerent esse Jeremiam (*Luc.* IX). « Nullus, inquam, ei similis in « hujusmodi « legislatoribus, » quia videlicet isti omnes gratuito vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt, hic autem homo sine peccato est, filius sine adoptione. Et illi quidem ab his, quod in semetipsis experti sunt, prædicando alios reducunt, hic vero nec perpetravit unquam quod redarguit.

Vers. 23. — « Quis, inquit, poterit scrutari vias ejus ? » subaudi nullus. Unde et Apostolus : « O altitudo, inquit, divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* II), » scilicet, tam in repulsione Judæorum quam in electione gentium, et in cæteris talibus. « Aut quis potest ei dicere, Operatus es iniquitatem ? » Ac si dicat : cujus perscrutari actio non potest, quo pacto eum tu reprehendere potes? Nemo enim bene judicat quod ignorat.

Vers. 24. — « Memento, inquit, quod ignores opus ejus, » id est judicia ejus, de quibus Psalmista : « Judicia, inquit, tua abyssus multa (*Psal.* XXXV). « Item : « Et posuit, inquit, tenebras latibulum suum (*Psal.* 17). » Et alibi : « Abyssus sicut vestimentum amictus ejus (*Psal.* CIII). » Opus, inquam, ejus ignoras, « de quo cecinerunt viri, » id est cujus nobis potentiam innotescunt vel spiritus superni, vel doctores quique perfecti. Ac si dicat : De quo fortes quique locuti sunt, ejus opera mensuram tuæ notitiæ eo ipso quo humanitate circumscriberis, transeunt. Sed licet magnitudo illius **495** nulla sensus humana subtilitate penetretur, tamen.

Vers. 25. — « Omnes, inquit, homines vident eum, » quia videlicet ex ratione conspiciunt. « Invisibilia » namque ejus, ait Apostolus, « a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciun-

tur (*Rom.* I). » Et « unusquisque intuetur procul, » id est non illum per speciem vident, sed adhuc per solam pensant ejus operum admirationem. Procul namque illum hic etiam electi conspiciunt, quia necdum claritatem illius per acumen intimæ visionis apprehendunt. Et quasi quæras ubi illum vident, aut ubi de procul intuentur, ne localem putes.

VERS. 26. — « Ecce, inquit, Deus magnus, » id est et hic et ubique est : « Deus magnus, » et incircumscriptus, « vincens scientiam nostram, » id est major quam nostra possit comprehendere scientia, quia videlicet quidquid nunc scimus de claritate magnitudinis ejus, infra ipsum est, cujus tunc aliquid quasi ex parte cognoscimus, quando eum nos digne cognoscere non posse sentimus. » Deus, inquam, magnus, » et non solum magnus, sed et æternus. Hoc est quod sequitur: « Numerus annorum ejus inæstimabilis, » quia videlicet æternitas ejus nec initio oritur, nec fine terminatur. Et licet æternæ quoque sint quædam creaturæ in hoc omnis æternitas summæ æternitati dissimilis est, quia præter illum quæcunque æterna sunt, æterna esse cœperunt, Deus autem, ut dictum est, et sine fine et sine initio est.

Post commemoratam magnitudinem atque æternitatem ejus, restat etiam ut quid agat audiamus.

VERS. 27. — « Qui aufert, inquit, stellas [stillas] pluviæ, » id est sanctos illos, qui sic vitæ suæ meritis lucent, ut etiam sermone prædicationis pluant videlicet, quales Moyses, Isaias, Jeremias, cæterique prophetæ fuerant. « Aufert, » inquam, dum eorum animas ab hac corruptibili carne eximit, « et effundit imbres ad instar gurgitum, » id est abundantiorem dat doctrinam per apostolos, qui post illos venerunt. Nam postquam illos ad secreta morientes abstulit, per istos vis uberior prædicationis emanavit. Vel ita : « Qui aufert, » scilicet a Judæis, stellas « pluviæ, » id est santos apostolos, ne pluant super eos doctrinam gratiæ suæ, « et effundit imbres ad instar gurgitum, » id est doctrina ejusdem gratiæ copiosius mundnm rigat universum. Vel ita ut utrumque factum in Ecclesia non inconvenienter intelligatur, dum apostolorum animas a corporibus solutas suscepit in secretis suis quasi a cœli facie stellas pluviæ abscondit, sed post in morem gurgitum imbres dedit, quia per expositorum sequentium linguas fluenta divinæ scientiæ largiore effusione patefecit. Nam quod illi sub brevitate locuti sunt, hoc isti exponendo multiciter auxerunt.

VERS. 28. — « Qui, » subaudi gurgites, id est doctores, « de nubibus, inquit, fluunt, » id est profundæ prædicationis originem ab eisdem sanctis apostolis acceperunt, quia videlicet si ex sanctis apostolis vis intelligentiæ non inciperet, nequaquam per ora doctorum largior manaret. « De nubibus, inquam, fluunt. Quæ prætexunt cuncta desuper, » videlicet, dum transire intellectus noster ad divina nititur, prius per sanctorum præcedentium exempla formetur, quomodo nubibus aerem prætexentibus, si in

A cœlum oculos attollimus, non cœlum, sed ipsas intuemur, et visus noster prius interfuso aere pascitur, ut postmodum solis radios contempletur ; verbi gratia, si in studio devotionis Dominicæ et charitatis accendimur, Petri et Joannis exemplo quasi nubium contemplatione formamur. Quid enim devotius Petro qui ad Dominum festinans fluida maris terga calcare non timuit ? (*Matth.* XIV.) Quid charius Joanne, qui per amorem in ipso Auctoris nostri pectore requievit ? (*Joan.* XXI.) Item quia et prophetæ nubes sunt, ut prædictum est, si præceptis cœlestibus obedire cupimus, ad obedientiam Abrahæ, qui filium suum unicum immolare jussus non renuit (*Gen.* XXII), oculos levamus. Et si patientiæ studemus, quid Isaac patientius intuemur, qui ligna

B portat, de holocausto interrogat, atque post paululum ligatur, et non loquitur, aræ superponitur, et non reluctatur ? (*Gen.* VI,) Sic et a cæteris virtutum exempla sumentes, quasi nubes intuemur, ut postmodum solem verum in seipsum videre possumus. « Prætexunt, inquit, nubes cuncta desuper, » et hoc non nisi per divinam voluntatem, vel gratiam. Hoc est quod sequitur.

VERS. 29, 30. — « Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, » id est per mundi latitudinem diffundere sanctos, vel ministros suos in quibus habitat, patens in opere, sed latens in corde, nubes enim, id est sancti prædicatores, recte tentorium ejus dicuntur, quia videlicet ad nos Deus per gratiam veniens, intra prædicatorum suorum

C mentes operetur. « Si voluerit, inquam, nubes extendere, » ut dictum est, « et fulgurare lumine suo desuper, » id est miracula sua facere per eosdem prædicatores quibus hominum tenebras illustret, « cardines quoque maris operiet, » id est ad fidem etiam terminos mundi perducet, et in una fide Orientis limitem Occidentisque conjunget.

VERS. 31. — « Per hæc enim, inquit, judicat populos, » id est per harum guttas nubium, quæ sunt verba prædicatorum, per hæc fulgura miraculorum vocat ad pœnitentiam territa corda populorum, quia videlicet dum superna audiunt, dum mira opera tendunt, æterna pertimescentes tormenta dijudicant semetipsos, ut non judicentur a Deo. « Et dat escas multis mortalibus, » scilicet per hæc eadem, quatenus et peccantes de æternis suppliciis sancti prædi-

D catores terreant, et pœnitentes de superni regni gaudiis pascant. Notandum quod non ait cunctis, sed « multis dat escas mortalibus, » quia videlicet scriptum est : « Non omnium est fides (*II Thess.* III). » Et bene atque ordinate dixit, quod « per » has « nubes » prius « judicat populos, » et postmodum « escas præbet, » quia nimirum verbum prædicationis prius peccatorem timore concutit, et postmodum per spem consolationis nutrit. Cum autem « præbet escas multis mortalibus, » ut dictum est, id est solis humilibus, econtra superbis agit quod sequitur.

VERS. 32. — « Immanibus [in manibus] abscon-

dit lucem. » Immanes quippe sunt qui se elatis cogitationibus extollunt, suntque sapientes in oculis suis, et coram semetipsis prudentes (*Rom.* XI).Quibus « abscondit Deus lucem, » id est veritatis cognitionem. Sicut ait in Evangelio Dominus : « Et revelat eam parvulis (*Matth.* XI ; *Luc.* X), » id est humilibus.Sed tamen aliquando et hoc immanes lux supernæ gratiæ respicit. Unde et subditur : « Et præcipit ei, » subaudi luci, « ut rursus adveniat,» quia videlicet veritatis lumen, quod elatis mentibus absconditur, eisdem afflictis humiliatisque revelatur. Potest hoc specialiter de Judæis intelligi, quibus ob superbiam lux veritatis nunc absconditur, sed rursus Domino præcipiente adveniet. Nam « si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX), » id est in fine mundi recipientur ad fidem.

VERS. 33. — « Annuntiat de eo, » subaudi luce, de illa cœlesti patria cui ipse præsidet, quam visione sua reficiens replet, cujus vera hæreditas lux est ; « annuntiat, inquam, amico suo,» id est animi sui custodi, qui voluntatem vel præceptum ejus custodit, amicus enim quasi animi custos dicitur.

Quid illi de hac luce annuntiat? « Quod possessio ejus sit, » scilicet, ex quo ipse summa pietate ima nostra suscipiens, ima summis conjunxit. Inde redempto homini annuntiatum est de illa luce,« quod possessio ejus sit, et ad illam possit ascendere, » quod videlicet impossibile esset, **496** nisi ipse, ut dictum est, « imminutus paulo minus ab angelis (*Psalm.* VIII), ad nos descendisset.

CAP. XXXVII, VERS. 1. — « Super hoc,inquit,expavit,« id est in admirationis excessum raptum est, « cor meum, et remotum est de loco suo, » id est a delectatione vitæ præsentis avulsum est, et translatum in amorem æternitatis. « Super hoc, » inquam, subaudi quod annuntiatum est posse hominem ad hanc lucem, ascendere, « expavit, » ut dictum est, « cor meum. » Cujus enim cor non in hujus pietatis admiratione exsiliat? Cujus torpor non in sublimitate tantæ considerationis expavescat? Quomodo autem annuntietur quod prædictum est, vel qualiter interna cogitatione tangatur quis, et ad spiritualia sensificetur, adjungit :

VERS. 2. — « Audiet auditionem in terrore vocis ejus. » — « Audiet [audite], » videlicet interius, id est repente divinæ gratiæ aspiratione tangetur, et hoc non in gaudio, sed « in terrore, » utpote adhuc peccator, qui cum cor oppressum in infimis cogitationibus gestat, hoc primum illi innuitur quod cuncta quæ agit districta æterni judicis animadversione puniantur. Notandum quod cum audiri aliquid per auditum in sacro eloquio insinuatur, audiri idem auditus dicitur,sicut Habacuc ait : « Domine, audivi auditionem tuam,et timui (*Hab.* III). » Unde et hic : « Audiet, inquit, auditionem in terrore vocis ejus. » Quia vero auditio quæ prius in terrore fit vocis Dei post vertitur in dulcedinem, sequitur. « Et sonum de ore illius procedentem, » id est spiritum dile-

A ctionis a Patre secundum promissum Filii procedentem. Nam per os recte unigenitus Filius designatur, ut ibi : « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I), id est tangat me dulcedine præsentiæ Redemptoris mei : oris enim nomine sic appellatur, ac si patenter verbum dicatur,sicut nos quoque pro verbis linguam dicere solemus. Per sonum quoque Spiritus sanctus recte accipitur, de cujus significatione scriptum est : « Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis (*Act.* II). » Quid vero hoc quod supradictum est, « annuntiat amico suo (*Job.* XXXVI). »

VERS. 3. — « Subter omnes, inquit, cœlos ipse considerat, et lumen illius super terminos terræ,» id est et summa rogat, et etiam extrema non deserit, sicque supernis spiritibus est præsens, ut hominibus non sit absens, quibus annuntiat, ut jam dictum est,interna locutione sperandam suæ lucis visionem (*ibid.*). Si autem cœlos illos intelligi placet, de quibus scriptum est :« Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII), » id est sanctos apostolos, qui maxime audierunt supradictum sonum, id est Spiritum sanctum procedentem de ore Dei, « subter omnes, inquit, cœlos, » id est internam claritatem sanctorum apostolorum vel omnium prædicatorum,« ipse considerat, id est novit quantum quisque intrinsecus gratia et veritate fulgeat. « Et lumen illius, » id est notitia ejus, « super terminos terræ,» id est peccatorum quoque fines respicit, quia videlicet post sublimem vitam sanctorum, etiam prædicatorum mores actusque gratiæ suæ illustratione comprehendit. Vel ita potest intelligi : « Lumen illius super terminos terræ, id est limites mundi intra semetipsam colligit ad fidem prædicatio supernæ gratiæ. Illo autem annuntiante modo supradicto, fiet quod sequitur :

VERS. 4. — « Post eum rugiet sonitus, » id est supradictam vocem ejus in terrore auditam sequetur pœnitentio rugitus. Cum enim mentem Deus ingreditur, constat procul dubio quod quanto magis valet jam quod justum est cernere, tanto ardentius appetit injustum se gemitibus punire : quia vero quo uberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur, recte de eodem terrore annuntiantis Dei subditur : « Tonabit voce magnitudinis suæ,» videlicet, ut incuria negligentiaque torpentem animum respectus gratiæ subito pavore percutiat.Tunc enim « voce magnitudinis suæ Deus tonat, » cum jam bene per lamenta præparatæ menti quam sit magnus insinuat. « Et non investigabitur, inquit, cum audita fuerit vox ejus, » quia videlicet vocem supervenientis spiritus nec ipsa mens investigat, quæ per hanc illustratur, juxta illud : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat (*Joan.* III). » Nam verbi gratia, quis investiget quomodo re una, quæ foris agitur, intuentium corda contrario modo penetrantur,velut, cum resuscitato Lazaro multi crediderunt (*Joan.*XII), multi exinde ad persecutionis zelum commoti sunt.

« Non investigabitur, » inquam. Unde et bene subditur.

VERS. 5. — « Tonabit Deus in voce sua mirabiliter. » Mirabile namque tonitruum est, quod occulta vi mentem humanam Deus incomprehensibiliter penetrat, quam et latentibus motibus premit in timore, et format in amore, Mirantem quod audit et quodammodo dicentem illud quod apud Mosen de manna superveniente dictum est, « Manhu, quod interpretatur *quod est hoc* (*Exod* XVI). » Cum enim manna supernum anima percipit, ipsam novam speciem suæ refectionis, utpote tonantis Dei vocem, obstupescit. « Qui faciet, inquit, magna et inscrutabilia, » quia videlicet ostendit foras perfectionem operis, sed latet intus ipsa qualitas operationis, et licet aliqui foris plantent aut rigent, solus ipse intus incrementum dat (*I Cor.* III). Quia vero is, cui gratia Spiritus sancti magnifice, ut prædictum est, ac mirabiliter intonat, postmodum cœlestis doctrinæ aquis abundat, recte in laude ejusdem intonantis, et lucem possidendam annuntiantis, subditur :

VERS. 6. — « Qui præcipit nivi, » id est candidæ sanctorum justitiæ, « ut descendat, » videlicet pro fraterna charitate, » in terram, » id est ad humilia prædicationis verba. Quasi enim nix in aere formata ad terras, de quibus sublevata utpote aqua fuerat, redit, dum condescendentes justi peccatoribus reminisci non desinunt quid fuerint. Quod cum faceret Paulus, « Charitas enim, inquit, Christi urget nos (*II Cor.* V). » — « Præcipit ergo nivi ut descendat, » sicut dictum est, « et hiemis pluviis, » id est illi quæ huic vitæ tanquam pluvia in hieme competit, sanctorum prædicationi, quæ quasi in æstate cessabit, dum in futura vita necesse non erit sanctorum nos prædicationibus irrorari. Recte autem additur : « Et imbri fortitudinis suæ. » Imber quippe fortitudinis Dei est prædicatio divinitatis; verbi gratia : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Et bene prius « pluviis hiemis, » et deinde præcipere illum asserit « imbri fortitudinis suæ, » quia videlicet quisquis ab intonante Deo completur, paulatim in scientia ejus proficiens, et mediocribus assuefactus, tandem in Spiritu sancto etiam profunda Dei scrutatur (*I Cor.* II), ut ille, qui jam senex scribere meruit, « in principio erat Verbum, » quod evangelium totum procul dubio quidam divinæ fortitudinis imber est, et, quia tam ab audiente quam a prædicante, opera bona exigit Deus, bene post imbrem prædicationis subditur :

VERS. 7. — « Qui in manu, » id est in opere, « omnium hominum, » videlicet tam doctorum, quam auditorum, » signat, ut noverint singuli opera sua, » scilicet, « ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum (*II Cor*) V). » — « Signat, inquam, in manu, » quod recte, utpote de rationali creatura, dicitur, quæ videlicet naturali lege nescire non permittitur, seu pravum, seu rectum sit quod operatur. Quod fortasse Psalmista intendens dicebat : « Abyssus abyssum invocat, in voce cateractarum tuarum (*Psal.* XLI), » id est in prædicatione sanctorum. Abysso enim abyssum invocare, est in voce cataractarum, de præsenti judicio conscientiæ convincentibus prædicatorum dictis ad **497** futurum damnationis judicium pervenire. Prolata sententia de pravitate singulorum, ad ipsum pravitatis auctorem sermo deflectitur, cum protinus subditur :

VERS. 8. — « Ingredietur bestia latibulum suum, » id est invadet diabolus in fine mundi damnatum hominem Antichristum. Bestia namque diabolus est qui per deceptionem primi hominis humani generis vitam laniavit, qui cum post supradictarum nubium tonitruum, id est post voces prædicatorum, hominem illum invaserit, quid nisi « bestia latibulum suum ingredietur ? » Nec ad tempus « ingredietur, » sed et, sicut sequitur, « in antro suo morabitur, » id est non quemadmodum bonorum quoque mentes intrare potest, quibus tamen immorari non potest ; sed sic « latibulum » illud vel antrum tenebit intrando, ut etiam possideat semper tenendo. Qui tamen omnium reproborum corda etiam nunc priusquam apertus appareat, quasi proprium antrum possidet, verbi gratia Judæorum, in quorum diu consiliis latuit, sed repente vocibus erupit contra Redemptorem nostrum clamantium : « Crucifige, crucifige (*Luc* XXIII). » Qui et eumdem, quem legaliter interimere ipsi non poterant, feriendum gentibus, id est Romanæ potestati tradiderunt. Unde et aperte subditur :

VERS. 9. — « Ab interioribus egredietur tempestas et ab arcturo frigus, » id est a Judæis surget malitia persequens, et a gentilibus potestas perimens. Nam per interiora, scilicet austri : Scriptura quippe sacra cum contra arcturum interiora memorat, diversam aquilonis partibus austri plagam designat : per interiora, inquam, austri, quæ sol ferventior tenet, plebs Judaica designatur, quæ unum Deum noverat quasi solem habens meridianum ; per arcturum vero, in quem sol omnimodo cursum non habet, gentilis populus exprimitur, qui nullam habens Dei scientiam, velut sine sole frigidus remanserat sub aquilone. « Ab interioribus, inquam, tempestas, atque ab arcturo frigus » prodiit, dum, quod ex invidia Judæa petiit, hoc gentilis judex ex Romana auctoritate perpetravit. Contra quam invidiam subditur :

VERS. 10. — « Flante Deo, concrescit gelu, » id est Spiritu sancto aspirante fidelibus, gravioris invidiæ torpor excrevit infidelium mentibus, verbi gratia, cum invidentes dicerent : « Ecce mundus totus post eum abiit (*Joan.* XII), » et similia. Sed quia potuit Deus tantum gelu infidelitatis solvere, et ad amandum se infidelium corda liquare, « Et rursum, inquit, latissime funduntur aquæ, » id est quæ congelata erant corda ex infidelitate, rursus liquescunt per lamenta pœnitentiæ, juxta illud in psalmo : « Converte, Domine, captivitatem nostram

sicut torrens in austro (*Psal.* CXXV). » V. G. Paulus quasi de glacie in aquam liquatus est, cum torpor interni ejus frigoris ad irrigationem versus est prædicationis. Unde et subditur :

VERS. 11. — « Frumentum desuderat nubes, » id est « electi omnes, qui utique frumenta Dei sunt cœlestibus horreis recondenda, prædicatoribus indigent, qui ut nubes verbis pluunt, et quasi operarii Dominicæ messis quod loquuntur agere non desinunt. « Et nubes, » inquit, id est idem prædicatores « spargunt lumen suum, » id est loquendo et agendo, ut prædictum est, vita præbent exemplum.

VERS. 12. — « Quæ lustrant per circuitum, » videlicet ad illuminandum animas eorum qui in tenebris sunt, « quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, » id est non quo volunt ipsi, sed quo vocat gratia Dei. « Ad omne, inquit, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum. » Eo enim apertiorem viam prædicationis inveniunt, quo ad hanc non suis, sed præceptoris sui nutibus ducuntur.

VERS. 13. — « Sive in una tribu, » id est in solo Juda, « sive in terra sua, » id est in tota Judæa, « sive in quocunque loco misericordiæ suæ, » id est in gentilitate, « eas, » subaudi nubes. « jusserit inveniri. » Una namque tribus profecto Judæ, tribus clara præ cæteris ac multiplex invenitur, terra autem sua totus Israel ; locus vero misericordiæ gentilitas, quæ ex sola misericordia reconciliationem accepit, et nunc juxta Osee misericordiam consecuta est. Unde et Paulus : « Gentes autem, inquit, super misericordia honorare Deum (*Rom.* 15), » et aliquando Deus nubes, id est, doctores suos, videlicet prophetas, soli tribui Judæ contulit, aliquando populum quoque Israeliticum ad antiquam gratiam post correptionem captivitatemque evocavit, aliquando cunctis gentibus miracula virtutum ostendit. Sed vir arrogans quia futura per propheticum spiritum sensit, mox per jactantiam adjungit :

VERS. 14. — « Ausculta hæc Job, » subaudi qui hactenus aures audiendi non habes. « Sta » subaudi qui per vitium jaces, « et considéra miracula Dei » Ac si dicat : Noli rebellium more apertis cadere oculis resistendo veritati quam intelligis. Quem adhuc de venturis discutiens, et quasi de ignorantia humilians :

VERS. 15. — « Nunquid, ait, scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus, » id est nunquid mittendos in mundum prædicatores jam conspicis, ut palam faciant, subaudi pluviæ, doctrinarum claritatem, vel gratiam eorumdem prædicatorum ejus. Ac si dicat : Nemo scit quando lucem nubium pluviæ ostendant, quia nemo comprehendit quando Deus virtutem prædicationis præbeat, vel quibus modis innotescat ipse, et prædicantium gloria clarescat.

VERS. 16. — « Nunquid, ait, nosti semitas nubium, » id est arctam et districtam vitam eorumdem prædicatorum, « magnas et perfectas scientias ? » Quia videlicet in hoc illorum scientia magna et perfecta est, quod et per scientiam ad alta se elevant, et per humilitatem se ad ignorantiæ suæ cognitionem inclinant, cum non a semetipsis fatentur se habere quam nunc ex parte habent scientiam. Quod solius sancti Spiritus dono agi per simile judicat subjungens :

VERS. 17. — « Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro ? » Ac si dicat : Sicut « vestimenta tua, » flante austro, calefiunt, sic omnes qui Ecclesiæ per adunationem fidei junguntur, de quibus et per prophetam eidem Ecclesiæ dicitur : « Vivo ego, quia omnibus his velut ornamento vestieris (*Isai.* XLIX) ; » sic, inquam, omnes electi non a semetipsis, sed a Spiritu sancto, qui per austrum solet designari, veram scientiam habent et perfectam humilitatem. Quod quidem sic generaliter hæc in sancta Ecclesia dicuntur, ut tamen per membra ejus singula specialiter teneantur. Nam quemadmodum adjuncta viventi corpori vestimenta, dum exhalantes poros contegunt, emanantem ab intimis calorem permendo calefiunt, et calefacta calorem quem acceperant retinendo ad corpus reddunt. Sic et auditores accenduntur verbo Doctorum, et docentium quoque vita proficit ex profectu auditorum. Ac si aperte dicat : Incassum tibi tribuis si quos per te profecisse contemplaris, quia nisi eos sancti Spiritus fervor attingeret, frigidi remanerent, quos per te caluisse æstimas. Sed postquam hæc fortiter dixit, levi arrogantia motus irridendo subjungit :

VERS. 18. — « Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, » id est spiritus angelicos vel homines sanctos, « qui solidissimi quasi ære fusi sunt, » id est in divina mole persistunt, et quemadmodum æs difficile consumitur rubigine, ita ipsi corrupti non sunt vitio superbiæ, et solidi persistunt in tentatione, sicut ipse Dominus ait : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.* XXII). » Et quidem fortia dicta permiscet, dum irridere nititur, sed semper ad supervacua verba revertitur.

VERS. 19. — « Ostende nobis, inquit, quid dicamus illi, » subaudi tu qui magna perfrueris luce intelligentiæ, **498** « nos quippe involvimur tenebris, » subaudi ignorantiæ. Moxque ab irrisione resiliens despiciendo, subjungit :

VERS. 20. — « Quis narrabit ei quæ loquor, » id est, ea quæ ego de Dei laudibus acute sentiens non audita loquor, quis coram Deo narrare vel postquam audierit potest ? « Etiamsi locutus, inquit, fuerit homo Deo, » id est qui cum de Deo tacet per rationem in qua conditus est, aliquid esse videtur. Si de Deo loqui cœperit, et intellectuali visu super se ascenderit, nihil esse ostendetur ; quia videlicet tanta sunt quæ in Deo considerantur, ut magnitudinis illius immensitate « devoretur, » id est nihil se esse fateatur. Quia vero tanta Dei magnitudo necdum per opera ejus revelata fuerat, adjungens,

VERS. 21. — « At nunc, inquit, non vident lucem, » videlicet quia juxta prophetam : « Populus sedebat in tenebris, et nondum exortum erat lumen

in eisdem tenebris (*Isa.* IX). Hæc ergo lux qualiter ab omnibus videatur protinus subdit: « Subito ergo aer cogetur in nubes, » id est populi vel gentes, qui velut aer nulla firmitate solidentur: nam mentes eorum huc et illuc more aeris fluide disperguntur; « aer, » inquam, id est sæcularium mentes, « cogetur in nubes, » id est per superni respectus gratiam roborabuntur, et astringentur ad fidem apostolicam. Qui videlicet apostoli sic prophetis sunt firmiores, quomodo nubes vacuo aere sunt graviores. Vel ut totum de apostolis dictum accipiatur, « subito aer cogetur in nubes, » cum ipsi apostoli, qui prius quasi aer in terrenis spargebantur desideriis, ad unius jussionis vocem Dominum secuti, imo repentino sono advenientis Spiritus sancti permutati sunt, ut per fidem firma saperent, et more nubium aquas scientiæ caperent. « Subito, inquam, aer cogetur in nubes: « Et ventus transiens fugabit eas, » id est vitæ temporalis excursus eosdem a carne subtrahet apostolos. Et illis subtractis quid fiet?

VERS. 22. — « Ab aquilone, inquit, aurum venit, » id est a gentilitate quondam peccati frigore districta, pretiosa fides per mortes illorum consurget, « et a Deo, » id est ab inspiratione gratiæ Dei, « formidolosa laudatio » — « Formidolosa, » inquam, ita scilicet ut Judæa prohibere formidet. Unde scriptum est: « His auditis tacuerunt, et glorificaverunt Deum dicentes: Ergo et gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit (*Act.* XI). » Postremo Eliu incomprehensibilem Dei magnitudinem sentiens:

VERS. 23. — « Digne, inquit, eum invenire non possumus; » — « Digne, » inquam, quia videlicet etsi invenire possumus, non tamen digne. Nam quidquid ex illo sentimus ex fide est, nondum ex specie. Et cur non digne? « Magnus, inquit, fortitudine, et judicio, et justitia, » subaudi, est. « Fortitudine, » inquam, scilicet quia fortem adversarium superat. « Et judicio, » quia videlicet et si hic electos suos deprimit, quandoque extollit. « Et justitia, » quia et si nunc diu tolerat, quandoque reprobos damnat.

VERS. 24. — « Ideo timebunt eum viri, » id est in intelligentia fortes, « et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur sapientes. » Non ait, sapientes; sed, « qui sibi videntur sapientes, » id est periti quidem, sed arrogantes, « non audebunt » eum « contemplari, » imo seipsos damnabunt vocibus suis Eliu ergo, dum multa fortiter sentit, in locutionis suæ fine seipsum tetigit. Viri namque arrogantes, scilicet docti sed non recte viventes dum prava agunt, ipsi damnationis suæ præcones fiunt. « Conversi » scilicet « in arcum pravum (*Psal.* LXXVII), » id est ita suis damnantes vocibus, quomodo arcus perversus ipsum percutit a quo tenditur.

CAP. XXXVIII, VERS. 1. — « Respondens autem Dominus Job de turbine. » In hac responsione Dominica illa est intentio consideranda quod idcirco B. Job discutiat ne per elationis gladium ipsa illum sua victoria sternat, et ob hoc per districtam increpet justitiam, ut servet ad vitam. Non profecto velut tuba ductilis ex percussione producta in laude Dei tanto elevatus est, quando majore est castigatione percussus. Sed humiliandus erat qui prostratus ulceribus sicut virtutibus stabat. « Respondens » ergo, id est æstimationem ejus, quæ forte oboriri poterat, quid enim pejus plerumque animam, quam conscia virtus, interficit? « Respondens, inquam, de turbine, » id est de terribili ac metuenda potestate, sub qua flagellatus Job magno utique erat in turbine, « dixit, » id est locutus est interius per semetipsum vim sententiæ cordi ejus sine verbis insonans. Qui modus divinæ locutionis omnibus modis, quibus sive per angelum, sive per aliam quamlibet creaturam, vel visionem loqui consuevit, efficacior est, quo interius sine strepitu sermo fit qui et auditum aperit, et habere sonitum nescit.

VERS. 2. — « Quis, inquit, est iste involvens sententias sermonibus imperitis, » id est bonas quidem sententias loquens; sed tempus, locum personam non ostendens, et arrogantiæ levitate cuncta confundens? Dum dicit, « quis est iste, » profecto se indicat illum reprobare. Nam, « qui est iste, » non dicimus, nisi de eo utique quem nescimus. Scire autem Dei approbare est; nescire, reprobare Hoc ergo despecto ad erudiendum Job verba vertens:

VERS. 3. — « Accinge, inquit, sicut vir lumbos tuos, » id est luxuriam refringe, « sicut vir, » id est fortis. Sed cum B. Job tanta castitate præditus fuerit, quid ei jubetur nisi ut restringat luxuriam cordis, id est gloriationem reprimat quæ nonnunquam subrepit ex conscientia virtutis? Ac si dicat: Qui prius luxuriam viceras corruptionis, nunc luxuriam restringe elationis, ne patientia vel castitate superbe glorieris, quod est circumcidere, sicut in lege jubetur, præputia cordis (*Jer.* IV). « Interrogabo te, » inquit, id est verbis meis discutiens quid nescias, ostendam tibi, « et tu responde mihi, » id est intellige et humiliter agnosce quantum de perfectione scientiæ tibi desit.

VERS. 4. — « Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ, » id est quando præscivi, et prædestinavi prædicatores et rectores sanctæ Ecclesiæ, de quibus scriptum: « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI), » quia videlicet sic ipsi in fide vel doctrina sua portant Ecclesiam, quomodo materialem fundamenta sustinent fabricam. « Indica mihi si habes intelligentiam. »

VERS. 5. — « Quis posuit mensuras ejus, » subaudi Ecclesiæ, « si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? » Quod videlicet tunc factum est, quando fines Ecclesiæ Dominus occulti judicii subtilitate distinguens prædicatores sanctos ad alias mundi partes vocabat, juxta illud quod Paulo per visum dictum est: « Transiens in Macedoniam adjuva nos (*Act.* XVI), » ab aliis arcebat, sicut cum apostoli tentarent ire in Bithyniam, non permisit eos Spiritus Jesu. Si habes, inquam, intelligentiam, quam videlicet multi non habent dum sibi arrogant mensuram quam forte non habent absque humilitate formidi

nis non considerantes omnia pendere in potestate mensoris.

Vers. 9. — « Super quo, inquit, bases ejus » subaudi Ecclesiæ, « solidatæ sunt, » id est cui doctores sancti innixi sunt, ut sic omne pondus Ecclesiæ fixa morum suorum gravitate sustentent, quomodo bases columnas? Columnæ autem totius fabricæ pondus portant. Quæ videlicet bases apud Mosen argento vestitæ sunt, dicente Domino: « Facies columnas quatuor, et bases earum vestitas argento (*Exod.* xxvi), quia videlicet prædicatores Ecclesiæ dvino eloquio decorati, quatuor evangelistarum dicta et ore et operibus portant. Vel bases prophetæ quoque sunt, qui dum primi aperte de Dominica Incarnatione locuti sunt, ipsi quoque superpositam ecclesiasticæ fidei fabricam portant. Sive itaque prophetas, sive **499** doctores significent, « super quo, » inquit, « bases ilius solidatæ sunt. « subaudi nisi super me, qui cuncta mirabiliter teneo, et bonis exterioribus intus principaliter originem præsto? « Aut quis demisit lapidem angularem ejus? « Omnia quæ supradicta sunt quasi de mundi origine narratione historica contexta viderentur, nisi hoc sic repente subjungeretur quod non in mundi origine factum est, per quod ostenditur, quia illud superius de mundi origine dictum non est. « Quis, » inquit, « demisit lapidem angularem, » id est, quis misit Christum ad ejusdem Ecclesiæ salvationem, qui veniens ita plebi Israeliticæ nationes gentium, imo beatis angelis homines in cœlo sociavit, quomodo in fabrica materiali lapis angularis diversos parietes conjungit. Nam de hoc lapide per Probetam dicitur: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Psal.* cxii). » Moraliter: « Ubi eras, » inquit, « quando ponebam fundamenta terræ, » id est, fidem in peccatoris corde? Per terram enim peccator valet intelligi, quia videlicet peccanti dictum est: « Terra es et in terram ibis (*Gen.* iii). » Cui terræ tunc fundamentum ponitur, quando peccatori convertendo prima virtus fides in corde aspirante Deo tribuitur. « Ubi eras? » inquam. Ac si dicat: Recole ubi te inveni, quando meo te timore solidavi, et noli contra me de meo munere extolli. « Indica mihi, si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus, » subaudi nisi ego, quando videlicet alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii fidem dedi? etc. (*I Cor.* xii). « Indica, » inquam, id est, recognosce unde habeas, « si habes, id est, humilitatem vel discretionem, qua reprimebat se sub manu mensoris ille qui dicebat: « Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus (*Psal.* cxxx). » Mensuras ergo cordis humani, id est terræ, posuit, scilicet ut nostra opera, vel minora perficiantur, vel majora moderentur, et tendendam super eam lineam, id est, Patrum præcedentium exempla, monstravit ad sumendam vivendi regulam. « Super quo bases » illæ « solidatæ sunt, » subaudi nisi super me? « bases, » inquam, id est, intentiones ejus, a quibus virtutes, tanquam

A a basibus columnæ portantur, quæ vere tunc, quasi bases in fundamento sunt, cum in Christo roborantur. Alioquin nisi hoc fundamento consistant, tanto graviora ruinæ super se damna ædificant, quanto altiora ædificia extra fundamentum portant. Vel « quis dimisit lapidem angularem ejus, » id est, intellectum in sacro eloquio duplicem, scilicet litteram simul et spiritum suscipientem atque conjungentem? « Quis, » inquam, « demisit, » id est dedit, subaudi nisi ego ipse qui humanam naturam suscipiens duos in me populos conjungo, et litteralem legis sensum spiritualiter intelligendum aperio? Et quasi quærens quando hæc fecerit, tunc, inquit,

Vers. 7. — « Cum me laudarent simul, » id est concorditer, « astra matutina, » id est prima in B tempore, quasi mane, condita rationalium spirituum natura, scilicet angeli, « et jubilarent omnes filii Dei? » id est homines electi, videlicet cantantibus astris matutinis, scilicet angelis, mane, id est in principio, ut jam dictum est, creatis, cantantibus, inquam, Gloria in altissimis Deo, et hominibus electis jubilantibus (*Luc.* ii), id est, tantam de Incarnatione Christi lætitiam habentibus, quanta per oris angustias exprimi non poterat. Quæ quia certo futura Dominus noverat, non tam facienda insinuat, quam facta narrat. Quia vero bonis ita jubilantibus econtra malos inflammat invidia, quam tamen Dominus pro nostra restringit custodia:

Vers. 8. — « Quis, » inquit, subaudi nisi ego, « conclusit ostiis mare, » id est, amarum sæculum C sanctorum virorum oppositione, ut eorum miraculis atque reverentia persequentium iræ quasi maris frangerentur undæ, « quando erumpebat quasi de vulva procedens, » id est, sæviebat opere, perficiens iniquam carnalis cogitationis conceptionem:

Vers. 9. — « Cum ponerem, » inquit, « nubem vestimentum ejus, » id est, stultitiæ suæ velamento obtenebrarem faciem cordis ejus, « et caligine, » subaudi ignorantiæ, « quasi pannis infantiæ obvolverem? » videlicet, ne tantum persequi valeret quantum vellet, quomodo infantis pedes et brachia pannis constringuntur, ne hac atque illac dissoluta libertate jactentur, Quis, inquam, hæc fecit, nisi ego?

Vers. 10, 11. — Ego « circumdedi illud terminis meis, » id est, undas irarum ejus quasi plano fregi littore occultæ dispensationis. « Et posui vectem, » D id est, fortem Incarnationis meæ fidem, « et ostia, » id est, prædicatores sanctos eadem Incarnatione mea roboratos, quomodo vecte roborantur ostia. Qui et idcirco ostia merito vocantur, quia et sequentibus aperti et resistentibus clausi sunt, verbi gratia, ut Petrus, qui et Cornelium investigantem sacramenta fidei recepit (*Act.* x), et Simonem pretio miracula quærentem repulit (*Act.* viii). « Posui, » inquam, « vectem et ostia. Et dixi. Usque huc venies, » id est, usque ad istos Incarnationis meæ prædicatores quandoque credendo pertinges, « et hic confringes tumentes fluctus tuos, » id est, contra fidem nequiter egisse te erubesces.

Quia in hac conclusione maris secundo de ostiis dicitur, secundo contra hoc mare ostia Dominus apposuit, quia et prius dando præcepta legis humanum genus ab idolorum cultu coercuit,et postmodum dato novæ gratiæ Testamento a carnali legis intellectu correxit. Verbi gratia : Per legem dixerat : « Non mœchaberis (*Exod.* xx), » per Evangelium autem : « Omnis, » inquit, « qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v). » Quis « ergo, inquit, conclusit ostiis mare, » id est, genus humanum coercuit præceptis legis antiquæ, « quando erumpebat quasi de vulva procedens, » id est, excurrebat ad libitus suos in provectum vitæ carnalis succressens. « Cum ponerem, » inquit, « nubem vestimentum ejus, » videlicet ut et pristina pravitatis acta relinquerent, et tamen ventura bona certius non viderent. « Et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem, » id est, nondum aperta spiritus prædicatione edoerem, sed figurata locutione et præceptis litteræ sensui ejus competentibus astringerem. Et quia præceptorum limite populum suum ab immoderatis animæ evagationibus cinxit : « Circumdedi, » inquit, illud terminis meis. » Quia vero misso quoque Mediatore motus humani generis coercuit : « Posui, » inquit, « vectem et ostia, » id est, misi Redemptorem, et novæ vitæ dedi prædicamenta. Nam sicut ostia vecte, sic nova præcepta Redemptoris qui illa dedit, roborantur auctoritate. Moraliter :

Sed quia idcirco hoc ad beatum Job dicitur, ut de tot virtutibus cordis ejus gloria premeretur, moraliter quoque hoc ipsum disseramus. « Quis, » inquit, subaudi nisi ego, « conclusit ostiis mare, » id est, contrinxit suo timore cor tuum, vel cujuslibet hominis, post occultas tentationem fluctuationes tandem a suis motibus deferventis, « quando erumpebat quasi de vulva procedens, » id est, quando solutum erat ab adolescentia prava cogitare incipiens. Vulva enim pravæ cogitationis adolescentia est. Nam « sensus et cogitatio cordis humani, » inquit Dominus per Moysen, « prona est in malum ab adolescentia sua. » — « Cum ponerem, » inquit, « nubem vestimentum ejus. » scilicet ut necdum quandiu mortalis est homo immortalitatis gloria pateat ejus obtutibus, « et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem, » videlicet ut a contemplandis sublimibus adhuc teneris sensibus suæ infirmitatis **500** ligetur. Quibus pannis obvolutus Paulus : « Videmus, » inquit. « nunc per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII), » etc. « Circumdedi illud terminis meis, » id est, sub mensura contemplationis humiliavi, ut licet plus appetat, ultra tamen quam sibi conceditur non ascendat. « Et posui vectem et ostia. » id est charitatem et vitutes cæteras, quas videlicet virtutes hoc mare sæviens dissiparet, nisi eas ex occulto mentis opposita charitas astringeret, quæ ut Apostolus ait, « vinculum perfectionis est (*Coloss.* III). » — « Posui, » inquam, « et dixi : Usque huc venies et non procedes amplius, » id est, tantum illo vel illo vitio tentaberis, et tamen suggesta mala non perficies. « Et hic contringes tumentes fluctus tuos, » id est, post tantam vel talem tentationem respectus timoris mei tumidos motus tuos per obserata virtutum claustra compescet. Hæc ita ab illo requiruntur, ac si aperte dicatur : Incassum te exterius in bonis operibus pensas, si non me qui interius tentationis undas compesco, consideras.

VERS. 12. — « Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum ? » subaudi ut ego. Perspicuum est quod divinitatis ortus ante et post non habet. Unde de ortu humanitatis ejus melius hoc accipitur, quæ cœpit et desiit, et ante et post habere a tempore cœpit. « Nunquid » ergo, ait, « post ortum tuum præcepisti diluculo, » subaudi ut ego, qui præcepta dedi novæ Ecclesiæ post tenebras erroris, quasi diluculo post noctem albescenti, quæ in præsenti vita tantum minus habet a futuræ vitæ claritate, quantum diluculum a meridiani solis fulgore. « Et ostendisti auroræ, » id est eidem Ecclesiæ, « locum suum, » subaudi, ad quem de præsenti sæculo transitura est, sicut ego illi dico : « Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (*Matth.* XXIV). » Et illud : « Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* XVII). » Hoc bene post ortum suum se fecisse perhibet, quia videlicet eum humanæ nativitatis infirma suscepit, prius a paucis intellectam notitiam venturæ claritatis in multitudinis innumeræ amore dilatavit. Hæc dicta sunt de illuminatione electorum ; sequitur de damnatione reproborum.

VERS. 13. — « Nunquid, » ait « tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea ? » subaudi ut ego, qui in fine sæculorum ad Synagogam veniens paucos ex illa abjectos et humiles, et ideo extrema terræ dictos, elegi ? « Tenui, » inquam, « concutiens, » id est, immensa formidine etiam reproborum corda movi, dicentium : « Ecce mundus totus post eum vadit (*Joan.* XII), » et similia. « Et excussi impios ex ea, » scilicet Pontifices et Pharisæos quos renuentes spiritualia fidei prædicamenta repuli etiam a carnalis sacrificii gloria. Quibus excussis, fiet quod sequitur :

VERS. 14. — « Restituetur ut lutum signaculum, » id est eadem plebs Israelitica, quam cognitionis meæ prophetica impletam scientia servandi mysterii signaculum feceram, quasi ad eos rediet lateres, quos in Ægypto reliquerat, quia scilicet me adveniente plus terram quam me diligit, et per infidelitatem ad spiritualem Pharaonem rediens in luto et latere terrena sapiendo servit, « Restituetur, » inquam, « ut lutum. Et stabit sicut vestimentum, » id est, mihi per charitatis intelligentiam non adhærebit. Sicque stabit, quomodo impolita et grossiora vestimenta tunc stare dicuntur, cum induentis membris non bene coaptantur. Quia vero stare illud ex superbia est :

VERS. 15. — « Auferetur, » inquit, « ab impiis lux

sua, » id est, a Judæis illa de qua superbiunt legis scientia, « et brachium excelsum confringetur, » id est, superba legis operatio reprobabitur, dicente Paulo, quia « ex operibus legis non justificabitur omnis caro (*Rom.* III). » MORALITER : « Nunquid, » ait, « tenuisti concutiens extrema terræ, » id est, nunquid tu sicut ego tenebris ultima tempora Ecclesiæ sub Antichristi persecutione « concutiens, » id est, immanissime turbari permittens, et excuties » impios ex ea, » id est, in infidelitatem cadere permittes ab Ecclesia quosdam, qui « confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I), » ut aura tentationis commovente in acervum palearum transeant? Sicque fiat quod sequitur. « Restituetur ut lutum signaculum, » id est, qui nunc videntur in Ecclesiæ sinu per fidem esse signaculum, tunc ante oculos omnium restituentur ut lutum, quia iniqui esse patebunt. Solet enim Scriptura sacra pro fide appellare signaculum, pro iniquitate lutum. « Et stabit sicut vestimentum, » id est, contractus atque abjectus jacebit. Sicut vestis quæ induta per corpus tenditur, exuta vero frangitur et complicatur. Vel ita : « Stabit sicut vestimentum, » id est, brevi perdurabit in hac vita quam diligit. Brevi enim perdurat vestimentum. Unde scriptum est : « Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur (*Psal.* CI). » Nunc verbis apertioribus subdens de eisdem : « Auferetur, » inquit, « ab impiis lux sua, » id est, ipsa sua qua male utuntur intelligentia, juxta quod ait Dominus. Ab eo autem qui non habet et quod videtur habere auferetur ab eo ((*Matth.* XXV). » Quod maxime tunc fiet, quando pulsante illo ultimæ persecutionis articulo iniqui omnes quod rectum credere videbantur, amittent. Mox autem de eadem persecutione Antichristi territos consolans : « Et brachium, » inquit, « excelsum confringetur, » id est superba Antichristi celsitudo, qua in tantum erigetur ut Deum se super homines esse mentiatur, extollendo se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*I Thess.* II), illustratione adventus Domini destruetur.

Cuncta tamen hæc et aliter adhuc intelligi possunt. Verba enim Dei, quo magis exponendo conterimus, eo amplius juvamus. Sicut pigmentum quanto plus teritur, tanto in poculo ejus virtus augetur. « Nunquid, » ait, « tenuisti, » id est, ad te retraxisti « concutiens, » scilicet salubri timore « extrema terræ, id est, peccatorem hominem, qui per terram designari solent? « Nunquid, » inquam, « tenuisti? Et excussisti impios ex ea, » subaudi ut ego qui in suis ultimis sæpe peccatores terrendo concutio, convertendo teneo, atque ab eorum cordibus impios cogitationum motus evello. Ac si aperte dicat : Misericordiæ meæ potentiam respice, et tuæ justitiæ elationem preme. Et quia conversum quoque per carnis mortem antiquæ culpæ pœna comitatur : « Restituetur, » inquit, « ut lutum signaculum, » id est, homo quem Deus ad suam similitudinem condens (*Gen.* I) quasi quoddam suæ potentiæ signaculum fecit, revertetur in terram de qua sumptus est (*Gen.* III), « et stabit sicut vestimentum, » id est, usque ad resurrectionis tempus inane exutumque perdurabit corpus, quo quasi quodam involucro, dum vivit, spiritus induitur. Sed hæc pœna superbis et humilibus communis est. Specialis autem superbientium pœna hæc est : « Auferetur, » inquit, « ab impiis lux sua, » id est, vitæ præsentis gloria. « Auferetur, » inquam, scilicet per mortem carnis, quæ electos suæ luci, videlicet æternæ, restituit, et reprobis lucem suam, scilicet præsentem tollit. « Et brachium excelsum confringetur. » id est, celsitudo cordis contra naturæ ordinem violenter abrepta divinæ justitiæ mole opprimente dissipabitur. Et quia nullus hominum quid post mortem sequeretur agnosceret, nisi vitæ Conditor ad mortem usque veniret, protinus adjungit :

VERS. 16. — « Nunquid ingressus es profunda maris. » Subaudi ut ego, qui non solum mare hujus sæculi, sed et profundum maris hujus, id est, inferni claustra penetravi, et « posui, » ut ait propheta, « profundum maris viam, ut transirent liberati, (*Isa.* LI), » **501** scilicet omnes electi? « Et in novissimis, inquit, abyssi deambulasti, » id est, inter mortuos liber existens (*Psal.* LXXXVII), insuper et alios absolvisti a vinculis peccati? Quam descensionem suam quanto mirabilem respicit, tanto eam redempto homini crebrius infundit. Nam adhuc replicans subdit :

VERS. 17. — « Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, » id est adversariæ potestates superabiles sunt, subaudi, ut mihi, qui fortitudinem moriendo superavi. « Et ostia tenebrosa vidisti, » id est earumdem adversariarum potestatum fraudulentam malitiam respiciendo pressisti, vel mortis præpositos moriendo damnasti? Quæ tenebrosa ostia, id est malignos spiritus, qui in insidiis dum non videntur viam mortis aperiunt, nos etiam cernimus dum supernæ lucis radiis illustrati dicimus : « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos (*Psal.* CXVII). » Quia vero post mortem resurrectionemque ejus cunctis in gentibus Ecclesia dilatata est,

VERS. 18. — « Nunquid, ait, considerasti latitudinem terræ, » subaudi, ut ego, qui dum angustias mortis petii, fidem meam in cunctis gentibus dilatavi, ut juxta prophetam dilataret Ecclesia locum tentorii sui, et pelles tabernaculi sui extenderet (*Isa.* LIV), et quæ ante in una gente Israel arctabatur, ad dextram lævamque penetrans dilataretur. MORALITER : Qualiter in singulis nobis hoc commune bonum agatur intuendum est. « Nunquid, ait, ingressus es profundum maris, » id est absconditum humanæ mentis, quæ tanquam mare fluctuans variis cogitationibus suis ipsa celeribus confunditur? « Nunquid, inquam, ingressus es? Et in novissimis abyssis, » id est ejusdem mentis, « deambulasti, » subaudi, ut ego, cui soli mens vel spiritus hominis penetrabilis est? Qui tunc profundum ejus ingreator,

quando per cognitionem meam ad pœnitentiam A conturbans concutio, et quasi in novissimis abyssi deambulo, dum obscurum cor penetrans fluctus invisibiles vitiorum calco. « Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, » id est nunquid notæ sunt tibi pravæ cogitationes cordis? Quæ idcirco portæ mortis dicuntur, quia per illas ad mortem introitur. « Et ostia tenebrosa vidisti, » id est easdem latentes cogitationes malas cordis humani? Vidisti, inquam, subaudi ut ego, cujus solius oculi vident quæ sunt in corde hominis? (*II Par.* VI). Nunquid considerasti latitudinem terræ, id est bonas cogitationes vel virtutes ejusdem mentis humanæ? Nam sicut omne vitium angustat, sic omnis virtus animum dilatat. Idcirco autem beatus Job utrum terræ latitudinem consideraverit inquiritur, ut exemplo alienæ latitudinis humilietur. Ac si aperte dicatur: Eos quos innumera mala præsentis vitæ nequeunt augustare considera, et de statu cordis tui inter verbera gloriari cessa. Deinde gravi quæstione eumdem Dominus discutit. « Indica, inquit, mihi si nosti omnia, » id est si plenam te habere scientiam putas.

VERS. 19. — « In qua via, » id est in cujus corde, habitet lux, » id est illuminaris [illuminans?] justitia, « et tenebrarum quis locus sit, » id est in quo perduret cæcitas iniquitatis.

VERS. — « Ut ducas unumquodque ad terminos suos, » id est dijudices si is qui nunc iniquus cernitur, in iniquitate vitam finiat, vel qui justus videtur vitam suam cum justitiæ perfectione concludat. « Et intelligas semitas domus ejus, id est quis in æterno regno mansionem, quis in pœna æternam accipiat damnationem. Ac si diceretur: Sicut qui de malis convertantur ad bona, vel qui de bonis ad mala redeant nescis; ita etiam nec de te quid tuis meritis exigentibus agatur intelligis. Ac ne conqueratur cur finem suum nesciat, commemoratur etiam quod nec initium suum intelligat.

VERS. 21. — « Sciebas, inquit, tunc, » subaudi antequam fores, « quid nasciturus esses? aut numerum dierum tuorum noveras? » scilicet quibus super terram vivere habebas, subaudi ut ego, qui me nasciturum novi, qui et ante humanitatis ortum in divinitate semper substantialiter vivens præscivi de me hoc quod per initium sumpturus eram in utero Virginis.

VERS. 22. — « Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? » Subaudi, ut ego, qui frigida ac dura corda pravorum, quæ per « thesauros nivis ac grandinis » figurantur, comprehendo, et utilitati electorum deservire facio, dum illos sævientes cruciant, sed nescientes purgant?

VERS. 23. — « Quæ præparavi, inquit, in tempus hostis, « scilicet hoc quod nunc est, quando « adversarius diabolus tanquam leo rugiens circuit (*I Petr.* V), « in diem pugnæ et belli, » id est tam occultæ quam aperte tentationis. Potest tamen hic ingressus in « thesauros nivis » in bono accipi quia videlicet frigida corda pravorum nonnunquam Deus ingreditur, ut ex ipsis operatores justitiæ ac defensores rectæ fidei facere dignetur. Nam, verbi gratia, quantam in manu sua grandinem sumpsit, dum per Saulum, qui utique nix vel grando fuerat, per frigidam insensibilitatem, tot resistentium sibi corda prostravit? Hanc denique nivem vel grandinem præparavit « in tempus hostis, » id est diaboli vel totius mundanæ sapientiæ contradicentis sapientiæ Dei, « in diem pugnæ et belli, » ut contra omnem inordinationem decertaret tam candore justitiæ quam districti eloquii correptione. Quod quia per adventum mediatoris agitur, recte subjungitur.

B VERS. 24. — « Per quam viam, » subaudi, nisi per me, qui « sum via, veritas et vita *Joan.* XIV), » « spargitur lux, » id est late fulget prædicationis vis emicans apostolorum vocibus? Spargitur, inquam, lux. « Et dividitur æstus super terram? » id est gratiarum divisio per Ecclesiam, quibus omnia membra ejus necessario sibimet juncta accendantur. Sed quia postquam spargi lux dicitur, divisio æstus subjungitur, potest intelligi quod per æstum persecutio designetur. Nam sparsa luce, id est vita fidelium clarescente, æstus super terram divisus est, id est perfidorum crudelitas accensa est, divisus, inquam, quando nunc Jerosolymis, nunc in Damasco, nunc in aliis longe regionibus persecutio sæviebat. Aliter: « Per quam viam spargitur lux, » id est Spiritus qui spirat ubi vult, et vocem ejus audis, « sed non scis C unde veniat et quo vadat (*Joan.* III). » Spargitur, inquam, videlicet nulli ejus cuncta dona tribuuntur. Ex hac luce sparsa dividitur æstus super terram, id est super animam, quia videlicet hostis callidus, quos enitescere luce justitiæ conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit. Dividi autem æstus dicitur, quia non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis ac juxta positis vitiis fatigantur. Nam prius perspecta uniuscujusque conspersione, alii lætis ex rebus, alii ex tristibus tentationis laqueos opponit adversarius. Et notandum quod per eamdem viam per quam lux spargitur etiam dividi æstus indicatur, quia videlicet eadem Spiritus sancti gratia, quæ luce sua nostras mentes irradiat, etiam tentationes adversarii dispensando D modificat, ne multæ simul veniant, animamque plus quam possit perferre contingant. Et quia sparsa luce divisoque æstu, sicut dictum est, exteriora quoque prædicationis verba conferuntur, recte subditur:

VERS. 25. — « Quis dedit, inquit, vehementissimo imbri, « id est prædicationi cum impetu eunti, « cursum, » scilicet ut inter ipsas persecutionis angustias sermo Dei curreret, non solum tanquam vehemens, sed et tanquam vehementissimus imber? Nam suadere hominibus **502** ut credant æterna vel invisibilia, vehemens quidem sed non vehementissimus prædicationis imber est; suadere autem ut pro

pter spem futurorum rem contemnant præsentium, vel diversa non timeant genera mortium, non tantum vehemens, sed et vehementissimus imber est. « Quis ergo, inquit, dedit vehementissimo imbri cursum, » scilicet ut electi tam multi non solum res desererent, sed et membra in cruciatibus ponerent, « et viam sonantis tonitrui, » id est effectum prædicationis superni terroris ; quæ dum ex antiquorum Patrum conveniente prophetia processit, quasi tonitruum ex nubium concussione terribiliter insonuit. « Quis, inquam, dedit hanc viam, » subaudi nisi ego ? « Nam neque qui plantat, » inquit Paulus, « est aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III). » Et si quæras ad quid dederit ?

VERS. 26. — « Ut plueret, inquit, super terram absque homine, » id est super gentilitatem viventem absque ratione, in deserto, scilicet nullam boni operis speciem ostendente, « ubi nullus mortalium, » id est hominum, « commoratur, » quia videlicet dum nullus in ea rationabiliter Deum quæreret, quasi solis erat occupata bestiis :

VERS. 27. — « Ut impleret inviam et desolatam, » id est eamdem gentilitatem, ad quam verbo Dei via non patuit, quæque rationem consilii et boni operis fructu destituta fuit. « Et produceret herbas virentes, » id est doctrinæ scientiam et congruas operationes, quia videlicet dum sanctæ prædicationis imbrem gentilitas percepit, et vitæ opera et doctrinæ verba germinavit. Sicque juxta prophetam in cubilibus in quibus prius dracones habitabant, id est in populis quos maligni spiritus possidebant, ortus est viror calami et junci (*Isa.* XXXV), id est et scriptores magni qui significantur per calamum, et auditores pusilli, qui intelliguntur per juncum. Hæc eadem, quæ universaliter de gentilitate dicta sunt, in singulis agunt intra sinum sanctæ Ecclesiæ, dum sicca dudum mens gratia veniente compluitur, et post ariditatem pristinam scientiæ viriditate quasi productis herbis vestitur. Quam Conditor noster gratiam adhuc altius commendans :

VERS. 28. — « Quis est, inquit, pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris, » subaudi, nisi ego ? qui cœlestis pluvia doctrinam temperatamque prædicationem velut stillas roris quasi pater genui, id est paterna gratia siccis hominibus effudi ? Postquam de munere dixit quo gentilitas vocatur, subdit de districtione qua Judæa repellitur.

VERS. 29. — « De cujus utero, inquit, egressa est glacies, » id est de cujus quasi secreto sinu Judæa per infidelitatem frigidi projecta est, « et gelu de cœlo, » id est eosdem Judæos per malitiam congelatos « de cœlo, inquam, quis genuit, » id est de sanctis Patribus nasci permisit. Nam cum de Abraham, Isaac, et Jacob, quorum vita sublimis atque cœlestis fuit, Caiphas et tota Judæorum plebs impia processit, quid aliud nisi gelu genitum est de cœlo ? De quorum dura obstinatione subditur.

VERS. 30. — « In similitudinem lapidis aquæ durantur, » id est sicut gentiles qui adorando lapides recte et ipsi lapides dicuntur, ita mollia quondam et penetrabilia fidei corda Judæorum in insensibilitatem vertuntur. Et dum ad fidem gentilium corda mollita sunt, Judæorum corda per infidelitatem obdurantur. « Et superficies, inquit, abyssi constringitur, » id est in his quæ dicta sunt, incomprehensibilitas divini judicii, unde scriptum est : « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV), » humanæ mentis oculo nullatenus penetrantur. Aliter : « De cujus utero egressa est glacies, » id est de cujus secretis cœlestibus frigidus iniquitatis magister Satan projectus est ? « Et gelu de cœlo quis genuit, » id est eumdem Satan bene in cœlestibus conditum in culpæ frigore mentes sequacium quasi gelu de cœlo cadentem astringere permisit ? Quo ad terram veniente, « in similitudinem, inquit, lapidis aquæ durantur, » id est ad imitationem ejusdem diaboli duri utique et tenebrosi lapidis homines indurantur, qui per aquas designantur. Aquæ namque sunt populi. « Et superficies abyssi constringitur, » id est fraudulenta ejus consilia deprehendi non possunt a seductis hominibus, et dum quasi bona suasionis ejus species velut solida desuper ostenditur, in profundum latens ejus malitia non videtur. Aliter : « De cujus utero egressa est glacies, » id est, de cujus occulto judicio actum est, ut nonnunquam is qui intra sinum sanctæ Ecclesiæ signis aut scientia sive prophetia pollebat, postmodum rejiciatur, ita ut dicam talibus « nescio vos unde sitis ? » (*Luc.* XIII.) Glacies enim fiunt, et quasi de utero egrediuntur, dum in virtutibus, quas acceperunt, laudes ab hominibus quærentes, a visceribus pietatis supernæ separantur. Hoc ideo beato Job dicitur, ut de virtutibus humilietur, ne in hoc quod bene vivendo calueràt superbiendo frigescat. Unde adhuc subdens : « Et gelu, inquit, de cœlo quis genuit » id est perfidiam hæreticam de sacro eloquio, quod utique cœlum est, dum diem intelligentiæ nobis aperit, exoriri permittit ? Hoc gelu Dominus semetipsum gignere perhibet, eodem modo quo ait : « Ego indurabo cor Pharaonis (*Exod.* IV.) » Nam et illud durare est misericorditer nolle emollire, et hoc gignere est gigni juste vel utiliter permittere. Oportet enim et hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant (*I Cor.* XI). Quo facto, « in similitudinem, inquit, lapidis aquæ durantur, » id est cum sint fluxi et molles hujusmodi homines, fortes et stabiles se esse mentiuntur, et cum ex proposito virtutem deserunt, fortes se in bonis operibus per hypocrisim ostendunt. « Et superficies abyssi constringitur, » id est per superductam sanctitatis speciem fluxa et instabilis eorum conscientia hominibus tegitur. Vel si in bonam partem quis hæc accipere velit, Dominus qui prius patrem se pluviæ insinuat idcirco postmodum de suo egredi utero glaciem, seque gelu gignere de cœlo pronuntiat, ut designet utilem esse interdum tarditatem profectibus virtutum. Nam veluti semen jactatum si post plu-

viam gelu premitur, quanto foras citius apparere repellitur, tanto fecundius radicatur, et quo vetatur progredi, eo cogitur multiplicari: sic nimirum suscepta verbi semina postquam occultæ gratiæ pluviis sunt infusa, interdum si disciplinæ rigor astringat, tandem fortius exuberat, et per castigationem perficitur opus bonum, quod si priusquam oportet ostenditur, a grano perfectionis inanitur. « De cujus » ergo, inquit, « utero, » id est internæ dispensationis secreto, « egressa est glacies? » Scilicet, ut voluntates electorum etiam in bonis desideriis infirmitas frenet. « Et gelu de cœlo quis genuit? » id est, repressionem virtutis confirmavit, ut velle quidem homini adjaceat, perficere autem non inveniat (*Rom.* VII). Et quia per excitationis usum sese electi in quodam vivendi rigore componunt, « In similitudinem, inquit, lapidis aquæ durantur, » id est in soliditate virtutum mentes infirmæ roborantur, « et superficies abyssi constringitur, » id est motus fluctuantis animi superducto rigore sanctæ deliberationis premitur. Sed et tunc Dominus quasi glaciem de utero suo, vel gelu de cœlo gignit, dum electis suis adversitatem vitæ præsentis evenire permittit, qua dum illos aspere comprimit, profecto valentiores reddit. Et tunc « in similitudinem lapidis aquæ durantur, » quia videlicet mentes quæ per prospera **503** molliter fluxerant constrictæ adversantibus durescunt, « et superficies abyssi constringitur, » id est profunda mens eisdem adversis supervenientibus utiliter tenetur, ne per lætitiam, quod evenire solet, arcana mentis aperiat, atque aperiendo amittat. Quod timens propheta dicit: « Secretum meum mihi, secretum meum mihi (*Isa.* XXIV). »

VERS. 31. — « Nunquid, » ait Dominus, « conjungere valebis micantes stellas Pleiades, » scilicet quæ vicinitate sibi conjunctæ sunt tam disjunctæ, et simul quidem sitæ sunt, sed tamen lucis suæ variatim radios fundunt? Id est nunquid sanctos omnes qui aliis atque aliis ad prædicandum temporibus apparentes, et disjuncti sunt per visionem suæ imaginis, et conjuncti per intentionem mentis; verbi gratia: Abel, Isaiam, et Joannem, qui divisi quidem fuerunt tempore, sed non prædicare: « nunquid, inquam, hujusmodi Pleiades, » id est sanctos, « conjungere valebis, » subaudi ut ego? Non. Quia videlicet solius divinæ virtutis est et disjunctis temporibus missos, et dissimilibus virtutibus præditos fulgore intentionis unire. Una namque intentio est Joannis dicentis: « Ecce Agnus Dei (*Joan.* I), » et Isaiæ dicentis: « Sicut agnus coram tondente se obmutescet (*Isa.* LIII), » et Abel (*Gen.* IV), qui hoc idem Agnum offerendo locutus est: « Aut nunquid gyrum Arcturi poteris dissipare? » qui videlicet per gyrum suum nocturna spatia non occasurus illustrat, quique septem stellis ita volvitur, ut modo tres ad summa elevet, atque ad ima quatuor inclinet, modo quatuor superius erigat, et tres inferius premat. « Nunquid, inquam, hujusmodi Arcturum, » id est

A sanctam Ecclesiam, quæ per totam noctem hujus sæculi gyrum laborum tolerans nunquam occidit vel deficit, « dissipare poteris, » quin semper ita volvatur, ut modo quidem Trinitatis quasi tres stellas elevet, opera vero quæ quatuor virtutibus, id est prudentia, fortitudine, temperantia, atque justitia constant, quasi quatuor stellas inclinet? Verbi gratia dum dicit per Paulum, quia « non ex operibus Abraham justificatus est, sed credidit Deo et reputatum est ei ad justitiam (*Rom.* IV), » modo autem fidem deprimens et opera efferens quasi tres stellas inclinat et quatuor elevat, cum dicit per Jacobum: Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). » Hunc Arcturi gyrum quandoque Dominus dissipat, quia labores Ecclesiæ ad requiem permutat, Pleiadesque jungit, quia sanctos omnes sibi copulat per
B speciem visionis. Potest tamen per Arcturum, qui a plaga frigoris nascitur, lex rigida et aspera; per Pleiades vero, quæ ab Oriente surgunt, Novi Testamenti designari gratia. At vero Conditor noster dum septiformis spiritus operationes simul in se et cunctas et manentes habuit, quasi Pleiades Novi Testamenti junxit, et Arcturum priscæ legis dissipavit, id est spiritualem intelligentiam aperiendo litteralem legis laborem solvit. « Nunquid » ergo, ait, « conjungere valebis? » etc., ut dictum est. Quia vero in ipso Dominicæ incarnationis mysterio aliis lux veritatis ostenditur, aliorum vero per scandalum corda tenebrantur.

VERS. 32. — « Nunquid, ait, producis Luciferum in tempore suo, » subaudi ut ego, qui Christum
C meum in plenitudine temporis mitto? qui tanquam Lucifer diluculo surgens a mortuis, fulgore sui luminis caliginem premat humanæ mortalitatis, « stella splendida et matutina, » ut Joannes ait (*Apoc.* XXII). « Et vesperum super filios terræ consurgere facis? » id est in cordibus infidelium Judæorum Dominari Antichristum eorum merito exigente permittis. Quia videlicet nequaquam super hos filios terræ vesper ille consurgeret, si filii cœli esse voluissent. Quod occultum Dei judicium ne homo perscrutari audeat,

VERS. 33. — « Nunquid, ait, nosti ordinem cœli, » id est supernarum dispositionum occultas prædestinationes comprehendis, « et pones rationem ejus in terra? » id est considerando discuties, aut
D manifestabis ante humana corda? Singularem tamen ob causam beatus Job nunc de judiciorum incomprehensibilium investigatione requiritur, ac si aperte dicatur: Cuncta quæ pateris tanto tolerare patientius debes, quanto secretorum cœlestium ignarus cur hæc pateris nescis. Quod mire a Domino fieri non ignoratur, inde divina voce Job multipliciter requiritur, cui adhuc dicitur:

VERS. 34. — « Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, » id est ad caliginosa infidelium corda prædicatorum tuorum linguam, « et impetus aquarum operiet te? » id est turba resistentium populorum persequetur te, subaudi, ut me, quem sibi prædican-

tem iniqui et indigni auditores, scilicet Judæi, A quorum cæcitas per illam quoque nebulam significata est in libro Regum, quæ implevit domum Domini (*III Reg.* VIII), circumdantes, « Quousque, inquiunt, animam nostram tollis ? » (*Joan.* X). Et deinceps omnes iniqui tanquam impetus aquarum me sibi operiunt, quia neque per prædicantes sanctos loquentem intelligunt, neque per morientes patientes vident. Hæc idcirco narrat quæ ab hominibus patitur Deus, ut dolor afflicti hominis mitigetur. Ac si illi aperte dicat : Mea subtiliter pensa, et tua æquanimiter tolera. Protinus, quia pravi homines prædicamenta despiciunt, adjungit etiam miracula quæ venerentur.

Vers. 35. — « Nunquid, ait, mittes fulgura, » id est coruscantes miraculis prædicatores, « et B ibunt, » id est superna reverentia corda transfigent auditorum,« et revertentia dicent tibi : Adsumus ?» Quod videlicet mihi dicunt, dum non suis viribus, sed mihi quod operantur attribuunt. It namque fulgur cum prædicator miraculum facit, redit cum non sibi sed auctori tribuit quod fecit. Unde alias scriptum est : « Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant (*Eccle.* I), » id est in auctorem prædicatores sancti respiciunt, ut gratiam quam perceperunt præsumendo de se non perdant. De eisdem prædicatoribus percunctando subditur :

Vers. 36. — « Quis posuit in visceribus, » id est in corde hominis, « scientiam ? » scilicet divinitus inspiratam, nec in solis vocibus, sed etiam in sensibus datam. Quam videlicet sapientiam per simile C pulchre commendat subjungendo : « Vel quis dedit gallo intelligentiam ? » id est,ut sicut gallus prius nocturnis temporibus horas discutit et tunc demum vocem excitationis emittit, ita sanctus prædicator prius in auditoribus suis qualitatem vitæ consideret,et tunc demum ad erudiendum congruam vocem prædicationis formet,et quasi gallus cantando vocibus suis somnum torporis excutiat venturam lucem nuntians ; verbi gratia, dum dicit : « Nox præcessit,dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII). » Et ut cum auctoritate prædicet, luxuriam restringere debet, sicut scriptum est (*Prov.* XXX) : « Tria sunt quæ bene gradiuntur :... leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum,» videlicet quia leo de D tribu Juda Christus : « Venit, inquit, princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV):» leo, inquam, fortissimus, et « gallus succinctus lumbos,» id est castitate præfulgens prædicator; « et aries, nec est rex qui resistat ei, » id est prælatus quisque cui populum subsequentem, quasi ovium trahenti gregem quilibet persecutor obvians præpedire non valet ejus intentionem. Prædicator itaque quasi gallus succinctus lucem præcinit. Et sicut gallus profundioribus horis noctis valentiores et productiores,mane autem appropinquante leniores et minutiores solet formare voces, sic et ipse dum iniquis adhuc mentibus prædicat, altis et magnis vocibus æterni judicis terrorem **504** quasi profunda nocte dormientibus, seipsum prius bonis actibus quasi quibusdam alis excitans, annuntiat, cum autem in auditoribus jam adest lux veritatis, clamoris sui magnitudinem in lenitatem vertit dulcedinis. « Quis, inquam, gallo dedit hanc intelligentiam, » subaudi nisi ego.

Vers. 37. — « Quis enarrabit cœlorum rationem, » id est supernorum vim secretorum, « et concentum cœli quis dormire, » id est concordem prædicantium sermonem conticescere,« faciet? » subaudi,nisi ego. Ipse enim Conditor noster cum cœlorum rationem narrare cœperit, concentum cœli dormire facit, quia cum jam nobis per speciem ostenditur, prædicantium verba subtrahuntur. « Nec docebit, inquit propheta, ultra vir proximum suum dicens : Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me, dicit Dominus (*Jer.* XXXI). » Quis, inquam, hæc fecit ?

Vers. 38. — « Quando fundebatur pulvis in terra,» id est in resurrectione, quando pulvis mortuorum in solida reducitur membra, « et glebæ compingebantur,» id est firma ex pulvere membra colligebantur ? Futura quasi præterita divinus sermo describit, vel ita, ut ad supradictam galli intelligentiam continuetur : « Quis, » inquit, subaudi nisi ego, « enarrabit cœlorum rationem, » id est scientia secretorum cœlestium mentes illuminabit electorum,« et concentum cœli quis dormire faciet ? » id est concordes hymnos angelorum,et cœlestium gaudia virtutum justo judicio reproborum cordibus abscondit,subaudi,nisi ego qui hoc tunc facere cœpi ; « quando fundebatur pulvis in terra, « id est quando me apparente per mysterium Incarnationis peccatores, quos omnis tentationum flatus rapiebat, ratione fidei solidati sunt in Ecclesia, « et glebæ compingebantur, » subaudi ex eodem peccatore, id est idem peccatores uniti sunt ex charitatis collectione, sicut pulvis in glebas coagulatus ex humore, ac si diceret : Tunc primum secreta spiritualia, et non sine misericordia, aliis aperui, et non sine justitia aliis clausi, cum alios respuens alios intra Ecclesiam per concordiam charitatis adornavi. De qua Ecclesia multas gentes rapiente subditur :

Vers. 39. — « Nunquid capies leænæ prædam ? » illi scilicet leænæ de qua et Job superius loquens contra superbientem Judæam, « Nec pertransivit, inquit, per eam leæna (*Job.* XXVIII). » — « Prædam,» inquam, id est numeros, de gentibus « nunquid capies » huic « leænæ ? » subaudi ut ego. « Aut animam catulorum ejus implebis, » id est per animarum lucrum esurientia apostolorum vel prædicatorum vota satiabis ? Apostoli namque quasi catuli, id est teneri, vel per formidinem infirmi vocantur, utpote qui passo Domino clausis foribus residebant propter metum Judæorum (*Joan.* XX). Unde et sequitur :

Vers. 40. — « Quando cubant in antris, et in spe-

luncis insidiantur, » id est mundi impetum formidantes congrua doctrinæ præstolantur, quomodo catuli leonum tandiu « cubant in antris, » donec accedente tempore ad aperte rapiendum roborentur, et quia gentilitas ipsa, quæ pro apostolorum ore capta est, alios item capere esurit.

Vers. 41. — « Quis præparat, inquit, corvo escam suam, » id est peccatis nigræ gentilitati Dei scientiam, « quando pulli ejus ad Deum clamant, » id est prædicatores ejus orant, « vagantes, eo quod non habeant cibos, » id est æstuantes in desiderio dum cunctos in sinum Ecclesiæ recipere ambiunt populos ? Vel ita : « Quis corvo præparat escam suam, » id est cuilibet docto prædicatori, qui apud se niger est sicut corvus, id est humilis, Verbi divini tribuit intelligentiam, « quando pulli, » id est discipuli ejus, « ad Deum clamant, vagantes eo quod non habeant cibum suum, » id est discurrentes eo quod doctrinæ sibi competentis indigeant alimento ? Corvus enim pullos suos priusquam plumescendo nigrescant inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Sic et doctor discipulis in fide sibi natis non ante prædicamentorum sublimium alimenta tribuit, quam illos præterita peccata deflere cognoverit, quia fortasse adhuc considerare infirmitatem propriam nesciunt, et per hoc contra hujus mundi gloriam humilitatis nigredinem non ostendunt. « Quis ergo, inquit, præparat corvo escam suam quando pulli ejus clamant ? » subaudi nisi ego. Quia videlicet dum prædicta discretio caute a prædicatoribus custoditur, ei divinitus largior copia prædicationis datur.

Cap. XXXIX, vers. 1. — « Nunquid nosti, ait, tempus partus ibicum in petris, » id est quo tempore ad pariendum spirituales Deo filios prædicatores mittendi sunt, qui petræ vocati sunt propter soliditatem fidei, « vel parturientes cervas observasti ? » id est eorumdem sanctorum Patrum affectus perpendisti. Verbi gratia, quorum unus ait : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV). » Nam hujusmodi patres similia quædam habent ibicibus quæ in petris pariunt, et si quando de altis saxorum cacuminibus ruunt, in suis cornibus illæsa suscipiunt, cervis quoque quibus moris est inventos serpentes morsibus dilaniare, et si quando flumina transeant capita sua dorsis præcedentium superponunt, et invicem succedendo laborem non sentiunt. Siquidem et ipsi quasi in petris pariunt, dum in doctrina Patrum, qui petræ ut jam dictum est pro soliditate vocati sunt, ad conversionem animas gignunt, et quidquid eis ruinæ temporalis accesserit, in testamentis Scripturæ sacræ quasi quibusdam cornibus excipientes salvantur. Ipsi nihilominus « sicut cervus desiderant ad fontes aquarum (*Psal.* XLI), » et vitæ præsentis momenta labentia quasi quadam flumina transeuntes caute illud observant quod scriptum est : « Invicem onera vestra portare, et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI). » Possunt vero per cervas doctores, per ibices autem quia minima animalia sunt intelligi auditores, qui quasi in petris pariunt, quia ad exercenda sancta opera fecundantur per exempla Patrum præcedentium. Quorum videlicet auditorum tempora, id est profectus, doctorum quoque labores quasi parturientes cervas cauta consideratione observare solius Dei est. Unde et subditur :

Vers. 2. — « Dinumerasti menses conceptus earum ? » id est longiturnitatem vel multiplicitatem sollicitudinis vel desiderii quo afficiuntur sancti Patres de profectu spiritualium filiorum, quos quasi conceperunt et solliciti sunt de salute illorum. « Dinumerasti, » inquam, « menses conceptus, » et scisti tempus partus « earum ? » id est quando hoc quod appetunt implere valeant, subaudi ut ego. Qui in illis considero et illud quod sequitur :

Vers. 3. — « Incurvantur ad fetum, » id est ab illa immensitate contemplationis quam capiunt condescendunt ad infirmitatem auditorum ; verbi gratia, ut ille qui ait : « Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus (*I Cor.* III), » et similia. « Incurvantur, inquam, et pariunt, » id est hoc modo magis auditoribus proficiunt, « et rugitus emittunt, » id est cruciantur præ dolore periclitantium parvulorum. Rugitum enim cerva parturiens emittit, cum Paulus dicit : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit (*Gal.* III), » et cætera. Quia vero ipsi qui Patrum prædicatione nascuntur, aliquando eosdem doctores suos ad regnum præveniunt, et eis in hac vita durantibus consummantur per martyrium, sequitur :

Vers. 4. — « Separantur filii earum : » quam separationem protinus exprimens, « et pergunt, inquit, ad pastum, » id est ad illud **505** æternæ viriditatis pabulum ubi nihil deerit : « Egrediuntur et non revertuntur ad eas, » quia videlicet angustias vitæ præsentis evadentes ultra a doctoribus prædicationem vitæ accipere non requirunt. Postquam figurata incurvatione cervarum multa de magistrorum virtute narrata sunt, sequitur de his qui secreta remotæ conversationis appetunt.

Vers. 5. — « Quis dimisit, » inquit, « onagrum liberum in solitudinem, » id est, vitam illorum qui remoti a populorum turbis conversantur ? « Quis, » inquit, « dimisit liberum, » id est, quis, nisi ego, talem dedit gratiam, ut calcatis terrenis desideriis a temporalium rerum appetitu secura mens exoneretur ? « Et vincula ejus quis solvit, » id est, voluptatum carnalium retinacula dirupit, ut angustum propositum dilatato corde currere possit ?

Vers. 6. — « Cui dedi in solitudine domum, » in solitudine, inquam, non tantum corporis sed et cordis. Nihil enim prodest solitudo corporis absque solitudine cordis. « Dedi, » inquam, « in solitudine domum, » id est, in solitaria vita silentium. « Et tabernacula ejus in terra salsuginis, » id est, conversationem ejus in accensione sitis ; salsugo enim

solet accendere sitim, et sancti viri in hujus vitæ tabernaculis accenduntur ut sitiant, sitiunt ut satientur, sicut scriptum est : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* v). »

Vers.7.— « Contemnit multitudinem civitatis, » id est, prava studia devitat humanæ conversationis. « Clamorem exactoris, » id est violentas tentationes diaboli non audit, videlicet, quia non consentit. Nam hujus exactoris sermo mala suggestio est, clamor vero ejus est violenta tentatio. Idcirco autem diabolus exactor dicitur, quia semel in paradiso homini malæ persuasionis nummum contulit, et hujus debiti reatum quotidie exigit. Potest per hunc exactorum etiam venter intelligi, cujus quasi clamantis verba viri abstinentes contemnunt, dum violentia vitæ desideria reprimunt. Nam cum contra innumera vitia, multa sint virtutum certamina, congrue tamen hic solus venter exactor dicitur, quia clamat solus. Neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non gulæ prius appetitus edomatur, qui dum non restringitur, simul cunctæ virtutes per concupiscentiam carnis obruuntur. Sicque princeps equorum destruit muros Jerusalem (*IV Reg.* xxv), id est, venter, cui a coquentibus diligentissima cura servitur, virtutes animæ perdit, dum non restringitur. Sermo hujus exactoris est necessaria postulatio naturæ, clamor vero ejus est mensuram necessitatis transiens appetitus gulæ. Quæ hic onager contemnens, ut dictum est :

Vers.8. — « Circumspicit montes pascuæ suæ, » id est, ascensiones virtutum in corde suo disponit per altas contemplationes refectionis æternæ (*Psal.* lxxxiii), per quas nititur sublimioribus angelorum virtutibus interesse. « Et virentia quæque perquirit, » id est, bona æterna quæ nulla temporalitate marcescunt desiderat. Cuncta hæc, quæ de onagro dicta sunt, intelligi etiam aliter possunt, videlicet, ut ostendatur per quem supradicta virtus prædicationis detur, illico commemoratio de Dominica Incarnatione subnectitur, ut dicatur : « Quis dimisit onagrum liberum in solitudine ? » nec indignum est per hoc animal Dominum figurari, cum dicat etiam : « Ego autem sum vermis, et non homo (*Psal.*xxi), » et per prophetam juxta LXX interpres dicitur : « Scarabæus de ligno clamavit. »— « Quis » ergo, inquit, « dimisit onagrum liberum, » subaudi, nisi ego, id est, misit Christum quasi agri animal, id est, agresti quondam gentilitati profuturum, « liberum, » inquam, « in solitudinem, » id est, omni peccato carentem et idcirco inter mortuos liberum (*Psal.* lxxxvii) in ea quæ quondam deserta erat gentilitate, et « vincula ejus quis solvit ? » id est, infirmitates, passionis commutavit in gloriam resurrectionis, suscitando eum solutis doloribus inferni (*Act.* ii). « Cui dedi, » inquit, « in solitudine domum, » in gentilitate corda hominum ad possidendum Gentilitas namque solitudo exstitit, in qua patriarcha non fuit, propheta non fuit, ad intelligendum Deum qui ratione uteretur non fuit. « In solitudine, » inquam, « domum, et tabernacula ejus, » id est, diversas Ecclesias, quæ in hac vita quasi tabernacula ad tempus figuntur, « in terra salsuginis, » id est, in eadem gentilitate, quæ nullam viriditatem boni intellectus proferens perversa sapiebat. » Contemnit multitudinem civitatis, » id est, eorum vitam ad quos venerat scilicet Judæorum despicit imitari, ita ut cum eum regem facere vellent, refugerit (*Joan.* vi), et cum eum interficere quærerent, sponte ad crucem venerit (*Joan.* xviii). Et quia « peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* ii), »— « clamorem, » inquit, « exactoris non audit, » id est, antiqui hostis insidias despicit, qui, ut supra dictum est, recte exactor dicitur, quia suadendo intulit culpam, sæviendo exigit pœnam. Cujus sermo est astuta persuasio ante hominis mortem, clamor vero violenta jam rapina post mortem. Quem clamorem exactoris hic non exaudit, id est, non timet cum dicit : « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* xiv). » Imo et juxta prophetam, sceptrum exactoris hujus superavit, sicut in die Madian (*Isa.* ix), id est, regnum diaboli gentilitatem eripiendo diruit, juxta quod similitudo præsignavit in die Madian, scilicet quando Gedeon pugnavit cum ccc viris contra Madian novo genere belli, ita ut dextris tenendo tubas, sinistris autem ardentes lampades intra lagunculas, fractisque lagunculis in tubarum sonitu illinc lampadum coruscatione territi hostes in fugam converterentur (*Judic.* vii). Sic enim in adventu suo Redemptor noster, qui significatur per Gedeon, quod interpretatur *circuiens uterum,* etiam et ipse Virginis uterum mira potentia introivit. Redemptor, inquam, cum ccc viris, id est, cunctis cultoribus Trinitatis, quibus et dedit tubas, id est, terribilia cœlestis doctrinæ verba, et lampades intra lagenas, id est, clare sancti Spiritus dona intra corpora fragilia, ita ut verbi tubas in dextera, et lagenas ferrent in læva, id est, verba Dei in majore cura, suisque corporibus haberent pretiosiora, cum his, inquam, et talibus viris regnum hujus exactoris invasit, et inita pugna sonantibus tubis, id est, emisso sonitu prædicationis, fractisque lagenis corporum per multa genera passionum miraculorum claritas splenduit quasi lux, fugitque hic exactor diabolus, quem suo quoque nomine designat Madian, interpretatur enim *declinans judicium;* fugit, inquam, de cordibus hominum victus in judicio, nec valens resistere victori Christo. Hic itaque clamorem hujus exactoris, non audit, imo vincens et ejiciens illum, circumspicit montes pascuæ suæ, id est, erigit altos et elatos homines, de quorum pascatur conversione et humilitate. Unde et scriptum est : « Altitudines montium ipse conspicit (*Psal.* xxxiv), » id est, elationem superborum ab iniquitate in melius convertit. « Et virentia quæque perquirit, » id est, eos diligit quorum caro per prædicationem ejus in virtutibus reflorescit, qui tanto vere virentes sunt, quanto in hæreditatis immarcessibilis sorte radicem cogitationis figunt.

Superato exactore, ut supradictum est, quia paulatim per infirma mundi confusa sunt fortia (*I Cor.* I), et dum in veneratione vita surgit humilium, elatio cecidit superborum, de eisdem superbis vel potentibus sæculi tandem leve jugum **506** Christi suscipientibus, subditur :

Vers. 9.—« Nunquid volet rhinoceros servire tibi?» subaudi ut mihi, cui potentes mundi dudum in elatione sua confisi tandem sunt subditi. Rhinoceros enim qui omnino indomitæ naturæ est, et si capitur ex impatientia moritur, habens unum tantum in nare cornu, unde et rhinoceros dicitur : rhinoceros enim in lingua Latina sonat *in nare cornu*. Rhinoceros, inquam, per suam feritatem et per narem cornutam potentium elationem vel elatam designat fatuitatem, quæ quia non viribus humanis, sed tamen divinis miraculis mansuescere, vel subdi potest : « Nunquid, » ait, « volet rhinoceros servire tibi ? » subaudi, sicut per eos quos misero servit mihi. Aut morabitur ad præsepe tuum ? » id est, quæret vel exspectabit a te pabula Scripturarum. Nam quasi ad præsepe Domini moratur hic rhinoceros, cum ad verbi pabulum quasi clausus stare æquanimiter tolerat, ut edendo et permanendo pinguescat. Et quia pastus sic etiam prædicando postmodum operatur.

Vers. 10.—« Nunquid, » ait, « alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo ? » id est, prædicare facies præcepto tuo. Nam lora Ecclesiæ præcepta sunt disciplinæ, quibus hic rhinoceros non solum ligatus, sed etiam ad arandum, id est, ad proscindendam vomere linguæ humani pectoris terram subjugatus est. « Aut confringet, » inquit, « glebas vallium post te ? » id est, illos qui per duritiam suam nec ipsi semina verbi recipiunt, nec alios fructum de suscepto semine ferre permittunt, sicut solent excultæ terræ super jacentes glebæ jacta semina premere et nascentia suffocare. « Confringet, » inquam, hujusmodi « glebas vallium, » id est, oppressores humilium, « post te, » subaudi, sicut post me, qui postquam mentem cujuslibet elatæ potestatis ingredior, etiam ad conterendos fidei hostes exerceo.

Vers. 11. — « Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus ? » subaudi, ut ego, qui vires quas temporaliter terreno principi confero ad cultum meæ venerationis inclino. « Et derelinques ei labores tuos ? » quod videlicet ego facio, dum converso principi terreno eam quam sanguine meo mercatus sum Ecclesiam credo.

Vers. 12.— « Nunquid credes illi, » id est, nunquid de secretis cordis ejus certus eris, « quod sementem reddat tibi, » id est, quod fideliter incorruptum servet, « et ad aream tuam congreget ? » subaudi, sicut ego credo et scio quod Ecclesiam meam recte gubernet, quam aliquando superbo cornu dispergendo ventilabat. Audit B. Job quid gentilitatis principes faciant, ut nequaquam se apud semetipsum de gloria tantæ suæ virtutis extollat. Sed sancta Ecclesia et si quando foris apertos hostes non habet, intus

A tolerat fictos fratres. Unde Dominus quia rhinocerota hunc loris ligatum dixit, illico pravorum hypocrisin subdidit.

Vers. 13. — Penna, » inquit, « struthionis, » id est, exterior habitus hypocritæ, « similis est pennis herodii et accipitris, » id est, spiritualium virorum veræ religionis. Hypocrita, qui bonorum vitam simulat, sed veritatem sanctitatis non habet, per struthionem designatur, qui pennis herodii vel accipitris similes pennas habet, sed volatus eorum celeritatem non habet, et sicut accipitris et herodii parva sunt corpora sed pennis densioribus fulta, et idcirco cum celeritate transvolant : struthio vero raris pennis induitur et immani corpore gravatur, sic et electis parum quid inest quod deprimut, multa
B autem quæ in superna sustollunt, hypocrita vero et si qua facit pauca quæ elevent, perpetrat multa quæ gravent. « Penna » ergo, inquit, « struthionis similis est pennis herodii et accipitris. »

Vers. 14.—« Quando derelinquit ova sua in terra, » id est, quia hypocrita negligit auditores suos per bona nutrire exempla. Nam dum hypocrita recta suis auditoribus dicit, quasi ova struthio parit, sed dum illos a terrenis actibus per bona exempla non suspendit, quasi ova sua eadem struthio in terra derelinquit. « Tu forsitan, » inquit, « in pulvere calefacies ea ? » ac si dicat, ut ego, qui quasi ova struthionis calefacio dum parvulorum animas et in medio peccantium, qui merito pulvis dicendi sunt, amoris mei igne succendo.

C Vers. 15. — « Obliviscitur, » inquit, « quod pes conculcet ea, » id est, non curat si transitus malæ operationis pervertat auditorum suorum animas, « aut bestia agri conterat, » id est, diabolus prædo mundi rapiat vel corrumpat. « Obliviscitur, » inquam, et absque pietate vivens :

Vers. 16. — « Duratur ad filios suos quasi non sint sui, » id est, proximum suum, etiam si ipse hunc Deo genuit, extraneum respicit, videlicet longe dissimilis ab illo qui mollia viscera gestans erga filios, « Nunc vivimus, inquit, si vos statis in Domino (*I Thess.* III). » Ita negligens hypocrita torpens quidem a cœlestibus, sed anxie flagrans terrenis rebus : « Frustra, » inquit, « laboravit nullo timore cogente, » id est, stulto labore terrena curando « illic trepidavit timore ubi non erat timor (*Psal.* XIII). »
D Sciendum vero est quod nonnunquam aliqui et sanctitatis habitum tenent, et perfectionis meritum exsequi non valent. Hos nequaquam credendum est in hypocritarum numerum currere, quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. Sed cur hypocrita cœlestia deserens terrenis incumbat, sed struthionis adhuc nomine subjungitur :

Vers. 17.— « Privavit enim eam, » inquit, « Deus sapientia, » id est, non dedit illi sapientiam. Sequitur enim : « Nec dedit illi intelligentiam. » Quamvis aliud sit privare, aliud non dare, hic tamen quod dixerat, « privavit, » repetiit subdendo, » non dedit. » « Privavit, » inquam, id est, « non dedit, » sicut di-

citur indurasse cor Pharaonis (*Exod.* xx), quia meritis ejus exigentibus non emollivit.

Vers. 18. — « Cum tempus fuerit, » id est, si qua eruperit tentatio fidei,« in altum alas erigit,» id est, hoc tempore pressas et quasi complicatas cogitationes superbiendo manifestat.« Deridet equitem, » id est, sanctam animam despicit corpus suum bene regentem, et ei quasi equo frenato præsidentem. « Deridet,» inquam,« equitem,et ascensorem ejus,» id est,usque ad injuriam prosilit Creatoris,qui dum animam possidet cujusque electi bene, ut dictum est,corpus suum regentis, profecto equitem ascendit). Ita succrescentibus defectibus hypocrita ad graviora pervenit, dum prius bonum se quod non est ostendit,postmodum vero bonos aperte despicit, ad extremum quoque usque ad injuriam Creatoris exsiliens in pejus proficit. Rursus etiam aliter posthabita mortalitate tam fera et superba rhinocerotis virtus, et struthionis hujus duræ atque obliviosæ fatuitas exponitur. Rhinoceros iste, qui in Græcis exemplaribus etiam monoceros nominatur, tantæ tamque indomitæ fortitudinis dicitur,ut nulla venantium virtute capiatur,aliquatenus,sed virgo ei puella proponitur, cui sinum aperienti, mirum in modum omni ferocitate deposita,caput deponit, sicque decepta fera repente velut inermis reperitur et capitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam cum elephantis certamen aggrediens,eo cornu quod in nare singulariter gestat,ventrem adversantium feriens vulnerat, ut impugnantem se facile sternat.

Potest ergo per hunc rhinocerota populus ille superbiæ singularis intelligi, de quo Dominus per Prophetam, « Libera me, » inquit, « de ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam (*Psal.* xxi). » Itaque B. Job sanctæ Ecclesiæ typum **507** tenenti dicitur : « Nunquid volet rhinoceros servire tibi ? » subaudi ut mihi,qui et contra me illum singulari cornu extolli conspicio, et tamen mihi cum voluero subdo. Sed hoc ut melius pateat, ille ex hoc populo ad medium ducatur Paulus, in superbia primus,et postmodum in humilitate præcipuus.Hic in nare cornu gestabat,cum placiturum se Deo de crudelitate confidebat.Hunc rhinocerotem omnis venator extimuit, quia sævitiam ejus omnis prædicator expavit. Sed ad capiendum illum virgo sinum suum expandit, quia videlicet dum pergeret Damascum incarnata Dei Sapientia sese illi manifestavit (*Act.* ix). « Nunquid » ergo volet rhinoceros servire tibi ? » subaudi ut mihi,« aut morabitur ad præsepe tuum ? » subaudi ut iste a me per Ananiam,ad baptismatis religatus est sacramentum.« Nunquid alligabis eum ad arandum loro tuo ? » id est ad prædicandum constringes præcepto tuo,videlicet ita ut dicat : « Væ enim mihi est si non evangelizavero (*I Cor.* ix).» — « Aut confringet glebas vallium, » id est impedimenta humilium,« post te,» scilicet sicut post me, verbi gratia, dum dicit : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Gal.* v). » Qui

A enim in humili mente fidelium legis duritiam redarguendo contrivit,quid aliud quam in valle post me glebas fregit ? « Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus,» subaudi ut ego, qui longe ad gentes mitto eum « ut portet nomen meum coram regibus et gentibus (*Act.* ix). » — « Et derelinques ei labores tuos ? » subaudi ut ego, qui hoc facio, ut dicat : « Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. » (*Col.* i). « Nunquid credes illi quod reddat sementem,» in est fructiferam prædicationem tibi, « et aream tuam congreget ? » id est Ecclesiæ latitudinem in unam fidem amplificet,subaudi non credes.Nam et Ananias, « Domine, inquit, audivi a multis de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis, » etc. (*Act.* ix). Non enim credebat quod aream

B Domini congregaturus esset,qui illam hactenus elationis cornu ventilaverat. Quod in Paulo actum est, et in aliis quoque factum esse credendum est. Multi quippe ad humilitatis gratiam ex illius populi elatione conversi sunt. Sed ex maxima parte Synagoga in infidelitate permansit,de qua et subditur : « Penna struthionis, » id est vox Synagogæ in infimis repentis et nunquam se a terra sublevantis, « similis pennis herodii et accipitris, » id est patribus antiquis, quid ad ea quæ potuerunt intelligendo prospicere, valuerunt etiam vivendo pervolare. « Similis, » inquam.« Nam super cathedram Mosi sederunt Scribæ et Pharisæi (*Matth.* xxiii). » — « Quæ derelinquit in terra ova sua, » id est de sua carne editos apostolos ad gentes effugat. « Tu forsitan, inquit, in

C pulvere calefacies ea ? » id est in abjecta gentilitate suscitabis fetus illorum, in quibus spes illorum qualis in ovo esse poterat, ad vitam multorum proficiat. « Obliviscitur, » id est non curat, « quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, » id est vitam non solum filiis non dedit, sed etiam postmodum invidit, quos pes conculcat et agri bestia conterit, dum persecutione edicta insurgit in eos bestialiter sævitia cujuslibet tyranni. Imo et ipsa conculcans atque conterens : « Duratur ad filios suos quasi non sint sui, » videlicet quos aliter quam se vivere deprehendit. Et hoc faciens frustra laboravit, quia videlicet non ipsa arbitrata est persequendo illos obsequium Deo præstitit (*Joan.* xvi). Laboravit,inquam, « nullo cogente timore, » subaudi,sed sola crudelitate.Non enim ut simulabat

D idcirco illos persecutus est, quod timeret ne religio divina deperiret,sed quod eum livor invidiæ torqueret. « Privavit enim, inquit, eam Deus sapientia, » id est justo judicio posuit velamen super cor ejus. Hoc est quod sequitur : « Nec dedit illi intelligentiam, » scilicet qua spiritualiter intelligeret legis litteram.

Vers. 18. — « Cum tempus fuerit, » id est cum Antichristus venerit,« in altum alas erigit, » id est aperta cum superbia persecutionem exerit.« Desidet equitem et ascensorem ejus, » id est blasphemat non solum humanitatem Domini,quæ profecto eques est divinitatis, sed ipsam quoque divinitatem, quæ

tunc equitem ascendit, quando animatam carnem sibi univit, quam de utero Virginis condidit.

Sane equi nomine aliquando lubrica pravorum vita signatur, sicut scriptum est : « Nolite fieri sicut equus et mulus (*Psal.* XXXI), » aliquando dignitas temporalis, sicut Solomon ait : « Vidi servos in equis (*Eccle.* x), » aliquando hoc ipsum præsens sæculum, sicut Jacob de colubro Dan, id est de Antichristo, « mordens, inquit, ungulas equi, » id est stringens finem sæculi, « ut cadat ascensor ejus retro (*Gen.* XLIX), » id est, in ea quæ ignorat æterna tormenta corruat quisquis elatus est in hoc sæculo. Aliquando sanctus quisque prædicator equi nomine accipitur juxta illud : « Misisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas, » id est misisti in hunc mundum prædicatores tuos, ut excitarent gentes multas sub vitiorum tempore male sopitas. Hac significatione nunc dicitur :

VERS. 19. — « Nunquid præbebis equo fortitudinem, » id est sancto prædicatori adversa tolerandi constantiam, « aut circumdabis collo ejus hinnitum, » id est prædicationis, qua ad superna vocat blandimentum? « Circumdabis, inquam, collo, » scilicet ne extra sermonem actio transeat, ne vita voci contradicat ?

VERS. 20.— « Nunquid suscitabis eum quasi locustas ? » id est sic illum, scilicet prædicatorem sanctum, in persecutionis ardore ad cœlestia facies subvolare, sicut locustæ matutinis quidem horis, id est teporis tempore vix a terra se sublevant, cum vero æstus exarserit, tanto altius quanto alacrius volant. Tunc enim locustæ calore solis excitatæ crura figunt et alas exerunt. Sic sancti in persecutione recta agendo se stabiliunt, et ad alta videnda exsiliunt. Ita ego suscitato equo : « Gloria, inquit, narium ejus terror, » id est visionem districti judicis gloriosa spe quasi de procul odorans exspectat, et cum injustus venire formidat, justus vehementer desiderat. Dumque in suis naribus, id est in sua spe gloriatur, quæ tamen exspectatio terror est peccatoribus :

VERS. 21. — « Terram, inquit, ungulo fodit, » id est ab auditorum cordibus terrenas cogitationes ejicit, seque primum, ut illis exemplo sit, sæcularibus evacuat curis, dicitque : « Imitatores mei estote sicut et ego Christi (*Philipp.* III), » et his similia. Unde bene Isaac apud alienam gentem puteos fodisse describitur, quos tamen puteos Allophyli insidiantes replent (*Gen.* XXVI), quia nimirum immundi spiritus cum nos studiose cor fodere conspiciunt, congestas nobis tentationum cogitationes mergunt, ne ibi ab ira Dei abscondamur, juxta prophetam dicentem « Abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini (*Isa.* II), » id est egestis cogitationibus terrenis quiesce in humilitatem mentis. « Terram, inquam, fodit, » et hoc faciens, « exsultat audacter, » id est gaudet in adversis constanter, juxta illud : « Ibant a conspectu concilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v) » — « Exsultat, » inquam. « Non enim contristabit justum, quidquid ei acciderit (*Prov.* XII). » Nec solum exsultat, sed et « in occursum pergit armatis, » id est pro defensione justitiæ perversis erumpentibus, ac sævientibus semetipsum objicit. V. g. ut Paulus, quando Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebatur, nisi eum frena charitatis tenuissent, rogantibus amicis ne se daret in theatrum (*Act.* XIX).

VERS. 22. — « Contemnit, inquit, pavorem. » — « Quis enim separabit nos a charitate Dei ? » (*Rom.* VIII). — « Contemnit, inquam, nec cedit gladio, » id est nullo deterretur genere mortis ab exsequendo sessoris **508** sui imperio.

VERS. 23.— « Super ipsum sonabit pharetra, » id est contra illum parabitur machinatio pravorum insidiosa, sicut per Prophetam dicitur : « Paraverunt sagittas suas in pharetra (*Psal.* x). » Hæc pharetra super Paulum sonuit, cum quadraginta viri, qui ejus mortem conjuraverant, dolo quærebant eum de carcere educi (*Act.* XXIII). Sed quia prædicator sanctus talibus minime terretur, « vibrabit, inquit, hasta et clypeus, » id est persecutorum crudelitas ad supplicia manifesta producitur. Atque vir sanctus ut feriri debeat, hasta vibratur, sed ne audiri possit, clypeo supponitur, id est dum corpus torquetur, os loquentis opprimitur adversis responsionibus, quia videlicet, hi qui in persecutione sæviunt non tam dolent quod cor prædicatoris non emolliunt, quam quod per ejus verba etiam alios amittunt. Sed nunquid prædicator sanctus, verbi gratia Paulus sæpe dictus, a fervore suo per ista compescitur ?

VERS. 24. — « Fervens, inquit, et fremens, » id est sancto Spiritu inflammatus et eloquens, « sorbet terram, » id est in ipsis pœnis suis trahit ad se peccatorem. « Nec reputat tubæ sonare clangorem, » id est non audit, non curat vocem sæcularium potestatum : « Obedire, inquit, nos oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* v) ; » dejici potest, superari non potest. Imo adhuc magis exsultat in adversis. Unde sequitur :

VERS. 25. — « Ubi audieris buccinam, dicit : Vah, » id est cum certum passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exsulat. Desiderium enim habet dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I). Et sicut homo nonnihil ex infirmitate trepidat, per spei tamen certitudinem ad præmium remunerationis gaudenter properat : « Dicit, inquam Vah, » quod profecto dicere non potest brutum animal. Ergo de rationali equo sermo est. Et idcirco quodlibet certamen hic equus exsuperat, quia videlicet « procul odoratur bellum, » id est mentem certamini ante certamen parat, quod admonebat discipulus Paulus cum diceret : « Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate (*II Cor.* XIII). » — « Bellum, inquam, odoratur ; exhortationem ducum, et ululatum exercitus, » subaudi « procul odoratur, » id est longe ante considerat quid vel auctores errorum contra electos valeant præcipere,

vel turba eis subdita quam possit unanimiter insanire. Duces ait exortari, exercitum vero ululare, quia videlicet hi qui infidelibus præsunt, quasi ex ratione persuadent prava quæ præcipiunt, turba vera subdita bestiali insania perstrepens sequitur voces eorum. Hunc ululatum Paulus odorans : « Intrabunt, inquit, post discessum meum lupi graves in vos (*Act.* xx). » De exhortatione vero ducum : « In avaritia, inquit, fictis verbis de vobis negotiabuntur (*II Petr.* ii). »

« Nunquid, ait, præbebis equo fortitudinem ? » subaudi ut ego, qui unicuique animæ cui præsideo ante omnia fidei fortitudinem præbeo. « Aut circumdabis collo ejus hinnitum ? » id est ejusdem fidei confessionem, videlicet ut quod credit ad justitiam, ore confiteatur ad salutem (*Rom.* x). « Nunquid suscitabis eum quasi locustas, » scilicet ut quamvis veterem adhuc vitam ex usu retineat, nova tamen per intentionem agat, more locustæ quæ flexis quidem poplitibus terræ inhæret, in quibusdam tamen expansis alis a terra se suspendit ? Cum autem sic bene vivere incœpit : « Gloria, inquit, narium ejus terror, » id est in spe quidem gloriatur : spes enim per nares exprimitur ; sed dum futurum judicium mente conspicit, hoc ipsum timet unde gloriatur. Quid ergo agit ? « Terram, inquit, ungula fodit, » id est per districtam abstinentiam domat vitia carnis Quo facto, « exsultat, inquit, audacter, » id est qui prius timebat, jam domitis vitiis adventum judicis exspectat. Sicque exsultans : « In occursum, inquit, pergit armatis, » id est insidias longe prævidet, quas intentant spiritus maligni, quibus tunc « in occursum pergit, » cum dolos illorum mirabiliter deprehendit. « Contemnit pavorem, » scilicet nullius habens tentationis formidinem, « nec cedit gladio, » id est non ad hoc usque terretur ut taceat, vel curam proximorum relinquat, quos ab eodem gladio, id est peccato prohibet dicendo : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (*Rom.* vi), » et similia. Sed antiquus hostis contra tam durum militem tanto acutiora tentationum spicula perquirit, quanto se despici robustius conspicit. Hoc est quod sequitur : « Super ipsum sonabit pharetra, » id est contra ipsum parabitur tentatio occulta. « Vibrabit hasta et clypeus, » id est tentatio quoque manifesta scienti objicitur. Equum enim Dei sagitta per insidias impetit, quando ei callidus hostis sub virtute vitium abscondit, verbi gratia, dum elationem de servata castitate suggerit : hasta eum cominus vulnerat, cum manifesta nequitia, verbi gratia, libidine vel ira etiam scientem tentat. Sed quid contra hæc agit equus Dei ? « Fervens, inquit, et fremens, » id id est nimio ardore semetipsum discutiens, « sorbet terram, » id est proficiendo in cœlestibus consumit terrenitatem suam. « Et clangorem tubæ sonare non reputat, » id est virtutes suas de quibus inanis gloria suggeritur quasi videre recusat. « Ubi audierit vocem buccinæ, » id est ubi cœpit cum tentatio pulsare, « Dicit : Vah, » id est gaudet et exsultat, quia videlicet utilitatem supernæ dispensationis considerans, ex ipsa validius tentationis adversitate confidit. Multos enim sua pejus securitas stravit. Et quia nonnunquam improvisus tentator adesse conatur, « Procul, inquit, odoratur bellum, » id est longe ex unaquaque re prænotat cujus vitii pugna succrescat « Exhortationes ducum, » subaudi prænotat, id est simulationes principalium vitiorum, « et ululatum exercitus, » id est irrationabilem turbam vitiorum eorum quæ de ipsis nascuntur, verbi gratia, primus dux vitiorum superbia ; radix quippe cunctæ malitiæ superbia est, devictum cor quasi ex ratione solet exhortari cum dicit : Debes majora appetere, ut quo potestate valueris excedere, eo etiam valeas prodesse. Sed equus Dei naso, id est virtute discretionis, « odoratur, » id est perpendit quod si hæc exhortatio ducis admissa fuerit, mox ululans exercitus sequitur, id est cætera vitia, quæ de superbia nascuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Septem hæc principalia vitia, contra quæ Redemptor noster septiformi Spiritu plenus venit, singula contra nos habent exercitum suum, id est turbam vitiorum, quorum ululatum, id est confusionem equus Dei dum virtute discretionis, ut dictum est, deprehendit, recte procul bellum dicitur odorari. Jam qui per equum didicimus sancti prædicatoris fortitudinem, etiam per avem discamus illius contemplationem.

Vers. 26. — « Nunquid, ait, per sapientiam tuam plumescit accipiter, et alas suas expandit ad austrum ? » id est nunquid cuilibet tu intelligentiam contulisti, ut, flante sancto Spiritu cogitationum, alas expandat, quatenus pondera vetustæ conversationis abjiciat, et virtutum plumas in usum novi volatus sumat ? Agrestibus enim accipitribus moris est ut, flante austro, vel si ventus desit, contra solis radium alas expandant, sicque apertis poris vel veteres pennæ exsiliunt, vel novæ succrescunt. Ita per singulos annos pennam veterem accipiter nova nascente projicit. Et quidem domesticis accipitribus, quo melius plumescere debeant, munita ac tepentia loca requiruntur. Potest autem per hunc accipitrem renovata gentilitas designari. Ait ergo : « Nunquid per **509** sapientiam tuam plumescit accipiter ? » Ac si beatus Job aperte diceretur : Futuras virtutum pruinas in gentilitate respice, et vetustas superbiæ pennas amitte. Sequitur :

Vers. 27. — « Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, » id est jussionibus tuis sicut meis obtemperans in supernis suspendetur fidelium vita ? « Et in arduis ponet nidum suum ? » id est mentis habitationem, et dicet : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* iii). » Hoc videlicet ad mei solius præceptum faciens.

Vers. 28. — « In petris manet, » id est in dictis antiquorum et fortium Patrum mentis stationem collocat, qui dicti sunt vivi lapides (*I Petr.* ii), vel in contemplatione cœlestium virtutum, quæ jam per æternitatis suæ fortitudinem certa soliditate fixæ

sunt. « In petris, » inquam, « manet, et in prærupitis silicibus commoratur, » id est eosdem fortissimos angelorum choros contemplatur. Qui prærupti sunt,quia videlicet pars eorum cecidit, pars remansit : et integri quidem, stant perqualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti. « In præruruptis, » inquam, « silicibus, atque inaccessis rupibus. » Nimirum qui prærupti silices, ipsi sunt inaccessæ rupes. Cordi enim peccatorum hominum valde inaccessa est claritas angelorum.

Vers. 29. — « Inde, » inquit, « contemplatur escam,» id est ex illis choris angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernæ majestatis, qua non visa,adhuc esurit. Et quia per interpositionem corruptibilis carnis gravatus Deum sicut est, videre non potest : « Oculi, » inquit, « ejus de longe prospiciunt, » id est necdum per speciem videt Deum, sed per œnigma et speculum (*I Cor.* xiii). Hæc et illa verba Isaiæ uno spiritu mire probata sunt : « Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus : panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe (*Isa.* xxxiii). » Nam quod ille ait, « in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, » hoc dictum est hic : « in petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus, » et quod ibi dictum est, « panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt, regem in decore suo videbunt oculi ejus, » hoc dictum est hic : « Inde contemplatur escam ; » et quod ibi dictum est, « cernent terram de longe, » hoc dicitur hic : « Oculi ejus de longe prospiciunt. » Sed prædicator sanctus cœlestia, ut dictum est, contemplans, cum auditores suos ea capere non posse conspicit, ad sola Dominicæ incarnationis verba descendit. Unde illico subinfertur :

Vers. 30. — « Pulli ejus lambent sanguinem. » Ac si aperte diceretur : Ipse quidem Divinitatis contemplatione pascitur, sed auditores ejus quia Deitatis secreta percipere nequeunt,cognito crucifixi Domini cruore satiantur. Quibus et dicit : « Non enim judicavi me aliquid scire inter vos nisi Christum Jesum,et hunc crucifixum (*I Cor.* ii). » Et « ubicunque fuerit cadaver, » inquit, « statim adest, » videlicet sicut alias dicitur : « Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ (*Matth.* xxiv : *Luc.* xvii),» id est ubi qui passus et mortuus est sedet Christus,ibi suspensa mente conversatur. Vel ita : « Ubicunque cadaver fuerit, » id est ubicunque peccatorem esse cognoverit, « statim adest, » scilicet ut ex eo quod jam spiritualiter vivit, aliis in morte peccati jacentibus prosit,velut Paulus jam sæpe dictus, qui nunc Judæam,nunc Corinthum, nunc Romam,nunc Ephesum, nunc Hispanias tendebat, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nuntiaret. Auditis tot virtutibus sanctorum, beatus Job obstupuisse intelligitur, et sub admirationis terrore siluisse. Nam sequitur :

A Vers. 31, 32. — « Et adjecit Dominus, et locutus est ad Job : Nunquid qui contendit cum Deo tam facile conquiescit ? Utique qui arguit Deum, debet respondere ei. » Hic subaudiendum est : Tu autem facile conquisisti, et non respondes mihi. Ac protinus inferendum : Non ergo sicut amici tui criminati sunt contentiose cum Deo disputasti, neque adversus me erecto collo cucurristi, quia quæcunque quasi arguendo Deum protulisti, non ex tumore superbiæ, sed ex qualitate vitæ tuæ collegisti, scilicet sciens non esse in te vitium, quod tanto deberet flagello resecari. Contentiosus enim sapientori non acquiescit.

Vers. 33. — Beatus iratus Job humanum genus virtutibus transiens, amicos loquendo superavit, B sed loquente Deo sublimius eruditus semetipsum cognoscendo reticuit,quia videlicet ad verba locutionis intimæ reum se juste cognovit. Ait enim :

Vers.34. — « Qui leviter locutus sum, respondere quid potero ? » Ac si dicat : Quod ego disputando requisivi cur me tuis flagellis cinxeris, cum ego juste vixerim, tantæ levitatis est, ac si dicat figmentum ei qui se fingit : Jam satis me informasti,cur adhuc tam asperos mihi digitos imprimis ? Vel si dicat sigillum sculptori : Jam placeo videntibus et laudor a cunctis, cur adhuc scalpello tuo me impetis ? « Qui » ergo « tam leviter locutus sum, » et hanc levitatem meam ex verbis tuis recognovi, te scilicet per multiplices similitudines ostende quod tuum sit,non meum, sanctos perficere vel quantum C cuique desit prospicere, « respondere quid possum ? » Subaudi nihil. Ergo « manum meam ponam super os meum, » id est conticescam, et victum me in causa confitens, continebo os meum « Manum, » inquam, « meam ponam super os meum, » id est virtute boni operis quod per manum solet significari tergam culpas incautæ locutionis. Hoc est quod sequitur :

Vers. 35. — « Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum,» id est : et ante flagella rectum me inter homines credidi ; hac est unum : et post flagello rigidum me inveni ; hoc est alterum. « Quibus, inquit, ultra non addam, » quia videlicet jam nunc quanto te loquentem subtilius intelligo, tanto memetipsum humilius investigo. Universaliter tamen per unum et alterum liquido D ostendit quod peccator omnis in pœnitentia duplicem habere gemitum debet, nimirum quia et bonum quod oportuit non fecit, et malum quod non oportuit fecit.

Cap. XL, vers. 1, 2. — « Respondens autem Dominus Job de turbine dixit : Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et indica mihi. » Hoc primo jam diu sermone tractatum est, quod idcirco Dominus nunc repetit, ut attentionem renovet audientis,quia videlicet qui superiori sermone de misericordiæ vel gratiæ suæ operibus multa protulit, ipse hoc alio sermone de terribili judicio suo magna et mira dicturus est, ut digno et probato ho-

mini universas indicet vias suas, quæ sunt misericordia et veritas (*Psal.* XXIV).

VERS. 3. — « Nunquid, » ait, « irritum facies judicium meum, et condemnabis me, ut tu justificeris? Ac si aperte dicat : Tua quidem bene acta considerans, sed mea occulta judicia ignorans, dum ex tuis meritis contra mea flagella disputas, quid aliud quam me addicere te justificando festinas?

VERS. 4. — « Et si habes brachium, » id est si gignis cuncta operantem Filium, « sicut Deus. Et si voce simili tonas? » subaudi voci meæ qui toti mundo consubstantialem mihi Filium terribiliter demonstro.

VERS. 5.— « Circumda tibi decorem, » subaudi ut ego, de quo solo scriptum est : « Dominus regnavit, decorem induit (*Psal.* XCII). » — « Et ea sublime erigere, subaudi ut ego, qui me in natura mea mentibus humanis demonstro impenetrabilem esse. « Et esto gloriosus, » subaudi ut ego, qui me ipso perfruens accedentis laudis non sum indigens. « Et speciosis induere vestibus, » subaudi ut ego, qui sanctorum angelorum choros in usum decoris mei assumpsi, et velut quamdam vestem exhibeo mihi gloriosam Ecclesiam non habendo maculam **510** aut rugam (*Ephes.* V). Hæc dicendo beato Job Dominus mira dispensatione pietatis eum dum increpat exaltat, quia videlicet eum quem sua comparatione superat, superiorem cunctis demonstrat.

VERS. 6. — « Disperge, » inquit, « superbos in furore tuo, » subaudi ut ego, qui eas et tranquillitatis tempore unitos contra me tolero, et districtus quandoque veniens in meo furore eos dispergo. « In furore, » inquam, non quod in me ulla furoris inæqualitas serpat, sed quia incommutabilis manens apud me, et tranquillus justis, et iratus parebo injustis. « Disperge, » inquam, » superbos. Et respiciens omnem arrogantem humilia, » subaudi ut ego, quia arrogantes quos nunc juste respicio ut convertantur, quandoque respicio ut puniantur.

VERS. 7. — « Respice cunctos superbos et confunde eos, » subaudi ut ego, « et contere impios in loco suo, » id est in peccato suo. Impiorum enim locus ipsa superbia est, quæ initium omnis peccati est (*Eccli.* X).

VERS. 8. — « Absconde eos in pulvere simul, » id est justo judicio cæcari permitte, ut terrenis negotiis opprimantur, sintque, juxta prophetam, « subcinericius panis, qui non reversatur (*Ose.* VII), » id est intentionem qua Deum quærere debent inferioribus occultent curis, sicut subcinericius panis mundiorem partem inferius premit. Qui et reversarentur, si desideriorum carnalium cinerem repellerent. « In pulvere, » inquam, « absconde eos. Et facies eorum demerge in foveam, » scilicet ut ad ima corruant, dum altiorem locum superbiendo appetunt. Hæc et hæc fac quæ dixi :

VERS. 9. — « Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. » Ac si aperte dicat : Si potes terribilia hæc facere quæ ipse protuli, tibi et non

A mihi deputo bona omnia quæ fecisti. Jam tandem servo bono Dominus nequitiam antiqui hostis ostendit, ut cognita calliditate disceret quantum timeret, juxta prophetam dicentem : « Leo rugiet, quis non timebit? Dominus locutus est, quis non prophetabit? » (*Amos.* III). Cunctas enim ejus machinationes insinuat, omne quod opprimendo rapit, omne quod insidiando circumdat, omne quod minando terret, omne quod suadendo blanditur, omne quod desperando frangit. Cuncta ergo tergiversationis ejus certamina exorditur dicens :

VERS. 10. — « Ecce Behemoth, » quod interpretatur *animal*, scilicet diabolus, « quem feci tecum, » id est rationalem sicut te, nullum quippe animal in cuncta conditione rerum rationale est nisi angelus

B et homo, « quem, » inquam, « feci tecum, » quidquid enim ratione uti non potest cum homine factum non est, « fenum quasi bos comedet, » id est sicut bos feno non nisi mundo vescitur, ita illos tantum pro magno habebit rapere, qui mundam, id est spiritualem videntur vitam ducere, sicut per prophetam dicitur : « Esca ejus electa (*Habac.* I), » id est hi qui apud humana judicia electi videntur, sed apud subtile examen Dei fenum sunt, illi incorporantur. Tali cuilibet et per quemdam sapientem dicitur : « Transi, hospes, et orna mensam (*Eccli.* XXIX), » id est laudem altaris Dei extende, ut aliis opinio tua proficiat, qui ipse tanquam hospes transis ; quia videlicet in gradu sanctitatis stare ad sacra non vis. « Comedet, » inquam, « fenum. » Et quomodo vel unde prævalebit?

C VERS. 11. — « Fortitudo, » inquit, « ejus in lumbis ejus, et virtus ejus in umbilico ventris ejus, » id est uterque sexus, scilicet virilis pariter et femineus, ex luxuriæ infirmitate illi substernitur. Viris enim luxuria in lumbis, feminis autem in umbilico ventris est. Et illi nimirum proprie corpus ejus fiunt, qui suggestorum turpium blandimentis decepti ei per luxuriæ fluxa succumbunt. « Fortitudo ergo ejus, inquit, in lumbis ejus, » id est in viris sibi adhærentibus, « et virtus ejus in umbilico ventris ejus, » id est in feminis quæ unitæ corpori ejus per mollitiem suam sunt quasi umbilicus ejus. Et ita fortiter agens per omne labentis sæculi tempus magis in fine mundi confortabitur. Hoc est quod sequitur :

D VERS. 12. — « Stringit caudam suam quasi cedrum, » id est extremitatem suam, quando vas proprium, scilicet illum perditum hominem ingredietur, qui specialiter Antichristus nuncupatur, modo honoribus sæculi, modo signis et prodigiis fictæ sanctitatis et potentiæ tumore elevabitur, ita ut recte cedro debeat comparari. Sicut enim cedrus arbusta cætera in altum crescendo deserit, ita tunc Antichristus mundi gloriam ultra mensuras hominum temporaliter obtinebit. Hæc de ipso iniquorum capite dicta sunt. Sequitur de membris ejus. « Nervi testiculorum ejus perplexi sunt, » id est assertiones prædicatorum nequitiæ ejus sub duplicibus argu-

mentis, verborum scilicet et operum, latentes corrumpunt animas innocentium. Tot enim Behemoth iste testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores possidet. Quos si quis redarguat, mox se sub quodam defensionis velamine occultant, quia videlicet « nervi perplexi sunt, » et male impliciti nequaquam correctione solvi possunt.

VERS. 13. — « Ossa, inquit, « ejus, » id est valentiores quilibet in corpore ejus, quorum duritia multitudines diabolo adhærentes ita fulciuntur, sicut ossibus carnes : « ossa, » inquam, « ejus sicut fistulæ æris, » id est efficaces sunt in persuasionibus perniciosis, utpote qui more metalli insensibilis sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent. Qui tamen ex eo loquendi habent auctoritatem, quod dum rebus subnixi sunt et opibus, quasi ærea fortitudine solidantur. « Cartilago illius, » id est qui non adeo fortes sunt, sed per ambitionem tendunt videri quales non sunt, sicut cartilago ossis, quidem speciem habet, sed ossis duritiam non habet : « Cartilago, » inquam, « illius, » id est hi qui in eo debiliores sunt, « quasi laminæ ferreæ, » id est sicut cæteris metallis durius est ferrum, ita ipsa ad perpetranda mala nequiores existunt. Sed jam secundum hæc verba Conditoris, quid antiquus hostis in hominibus etiam nunc antequam assumat illum damnatum hominem exploremus. « Stringit, » inquam, « caudam suam quasi cedrum, » id est finem vitii vel consummationem ita roborat, ut a captivo homine vix possit superari peccatum. Nam caput hujus Behemoth, id est prima suggestio quasi mollis ac tenera est et facile conterenda : cauda autem, id est consummata vel in usu homini habita nequitia quasi cedrus est, quia videlicet prava consuetudo pene insolubiliter innodatur. Et caudam suam tunc quoque stringit, dum plerumque eis quos cepit tunc graviores culpas ingerit, cum præsentis vitæ termino illos appropinquare cognoscit. Cujus astutiora argumenta panduntur cum subditur : « Nervi testiculorum, » id est pestifera argumenta machinationum ejus, « perplexi sunt. » Testes quippe sunt ejus suggestiones pravæ, quibus in mentis corruptione fervescit, atque in constuprata anima iniqui operis prolem gignit. « Perplexi, » inquam, sunt testes ejusmodi, quia videlicet plerosque ita peccare faciunt, quatenus si peccatum fortasse fugere appetant, hoc sine alio peccati laqueo non evadant. Quorum tamen nervorum perplexitas solvitur, dum ad virtutes maximas per commissa minora transitur. « Ossa, » inquam, « ejus sicut fistulæ æris, » id est consilia ejus dum dulcia sicut fistulæ resonant, ad noxia mentem inclinant. Hoc enim suggestiones a consiliis distant, quod per suggestiones aperte noxia inserit, per consilia vero quæ naturalis ejus ingenii subtilitas roborat, quasi ex bono consulens ad culpam trahit, verbi gratia, dum avaro dicit : Ea quidem quæ sunt in præsenti sufficiunt, sed his deficientibus quid acturus es? **511** Deesse potest citius quod est, si non provide paras quod deest. Similiter dum cuique vitio suum accommodat consilium, « ossa ejus sicut fistulæ æris sunt, » quia videlicet perniciosa ejus consilia auditori suo consulentis vocis suavitate blandiuntur. Sed et tunc Behemoth iste duriores tentationes excitat, quando ante tentati oculos iniquitatis laqueos sub specie virtutis occultat. Unde et subditur : « Cartilago ejus, » id est vitia quæ rectitudinis speciem prætendunt, sed ipsam rectitudinem non habent, velut cartilago ossis ostendit speciem, sed ossis non habent firmitatem. « Cartilago, inquam, ejus, » id est vitium quod virtus esse creditur, « quasi laminæ ferreæ, » id est quo sub prætextu boni calliditatem suam fraudulentius exhibet, eo in culpa mentem durius tenet. Sed jam nunc iste qui ad decipiendum in tanta insidiarum tergiversatione se exhibet cujus naturæ sit audivimus, cujus sit conditionis audiamus.

VERS. 14. — « Ipse, inquit, est principium viarum, » id est, actionum vel creaturarum Dei. Principium, inquam, quia nimirum cum Deus cuncta creans ageret, hunc primum condidit quem reliquis angelis eminentiorem fecit. Ac si aperte diceret : Idcirco ad tam multa fortiter sufficit, quia in natura rerum hunc creando per substantiam Conditor primum fecit. Unde propheta dicit : « Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus (*Ezech.* XXXI), » etc., id est, illa virtutum cœlestium agmina quæ proceræ celsitudinis, quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt nec æquata. Auditis tot antiqui hostis virtutibus vel magnitudine conditionis ejus, ne quis immensa formidine vel desperationis percussione corruat, infirmitatem nostram patefacta gratiæ suæ dispensationis refovet. « Qui fecit eum, inquit, applicabit gladium ejus, » id est restringuet malitiam ejus, videlicet ne ferire tantum mentes hominum quantum appetit permittatur, verbi gratia : quomodo in te quoque gladius ejus replicatur me dicente : « Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva (*Job.* II). » Malitiæ quippe ejus gladius quam sit replicatus, in Evangelio ostenditur, quando si potestas summa licentiam non præbuisset, grassari illi nec in porcos licuisset (*Marc.* V). Antiquo hosti superbi quique quanto familiarius serviunt, tanto vitæ hujus successibus apud semetipsos altius intumescunt. Unde et subditur :

VERS. 15. — « Huic montes herbas ferunt, » id est superbi fluxas ac lubricas voluptates suas offerunt, quæ profecto voluptates herbæ montium sunt, quia gignuntur ex cordibus superborum, quibus inventis Behemoth iste refectum suæ malitiæ ventrem tendit. « Omnes bestiæ, id est omnes immundi spiritus, « bestiæ, inquam, agri, » id est vastatores hujus sæculi, « ludent ibi, » id est in montibus illis. Ludere namque est spiritus immundis animam humanam diversis subjugare vitiis, dicendo juxta prophetam : « Incurvare ut transeamus (*Isa.* LI). » Et ubi per prava desideria requiescit?

VERS. 16.— « Sub umbra, inquit, dormit, » id est A in torpore frigidæ mentis in qua abundante iniquitate charitas refriguit (*Matth.* XXIV), secure cubat et quiescit, quia videlicet nullis pœnarum actionum vel cogitationum inquietatur stimulis, nullo fatigatur æstu cœlestis desiderii. « Sub umbra, inquam, et in secreto calami, » id est in occultis et contectis cogitationibus illorum, quia quamdam habent similitudinem calami, quia videlicet per fatuitatem sunt vacui, sed foris per speciem et ostentationem pulchri. Et miro modo ibi ipse quietus dormit, ubi eos quos possidet sicut levis ventus calamum quiescere non permittit. « In locis, inquit, humentibus, » id est in terrenorum hominum mentibus carnali concupiscentia fluentibus, quia nulla disciplinæ fortitudine a vitiorum humore siccan- B tur, qui si quando a virtutum magistris redarguuntur, invicem se justorum increpationibus obviando tuentur. Hoc est quod sequitur :

VERS. 17. — « Protegunt umbræ umbram ejus, » id est nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur. Dum enim nequiter agentem nequior alius defensat, quasi umbram ne a veritatis lumine illustretur obscurat. « Circumdabunt, inquit, eum salices, » id est familiariter illi obsequentur infructuosi homines, de quorum sterili vita contra Babyloniam dicitur : « In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra (*Psal.* CXXXVI), » id est, ideo quia fructum non reddunt auditores, cessat prædicatio nostra. « Salices, inquam, torrentis, » id est amatores hujus sæculi labentis Deo ut C dictum est infructuosi. Quid illi a suis clientibus impendatus audivimus, nunc etiam quid in illis ipse agat audiamus.

VERS. 18. — « Ecce, absorbebit, inquit, fluvium et non mirabitur, » id est a mundi origine humanum genus vix paucis electis evadentibus in ventrem malitiæ suæ trahens hoc pro magno non habet, sed illud magnum reputat quod sequitur : « Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus, » id est quod illorum quoque quosdam qui baptismi sacramentis signati sunt deglutire se posse confidit. Jordanis enim nomine, in quo Dominus noster baptizatus est, recte omnes baptizati designantur. Et toties Jordanis in os illius fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit. Jordanis nomen secundum interpretationem ad eum sensum res- D picit. Interpretatur enim *descensio.* Quam videlicet descensionem tunc iste Behemoth se posse deglutire confidit, dum illos insidiando rapere appetit, quos pro amore supernæ patriæ a præsentis vitæ gloria semetipsos dejicere agnoscit. Quod etiam toties efficit, quoties hi qui ejusmodi sunt inanis gloriæ telo percussi pejus de alto ruunt. Quid ergo? Nullumne erit consolationis adjutorium ? Erit certe ; nam sequitur :

VERS. 19. — « In oculis suis hamo capiet eum, » subaudi, qui fecit eum, ut supra dictum est. Hamo, inquam, capiet eum. Repente Dominicæ Incarnationis nuntiat adventum. Quis enim nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur ? Esca enim provocat ut aculeus pungat. Ibi autem, id est in Incarnatione Dominica humanitas inerat, quæ ad se devoratorem duceret, ibi divinitas quæ perforaret. Quasi hamo ergo captus est in oculis suis, id est, in eo quem ante se positum vidit, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Hoc per se caput nostrum fecit. Protinus subditur quid per membra sua facit. « Et in sudibus, inquit, perforabit nares ejus, » id est acutis sanctorum consiliis callidas ejus insidias penetrans enervabit. Nam per sudes, qui exacuuntur ut figantur, sanctorum consilia signantur, quibus hoc præcavent ne a Satana circumveniantur. Per nares autem, quibus res etiam longe posita odorando sentitur, astutiæ ejus exprimuntur. Quas videlicet nares tunc sudibus perforamus, quando subtiliter circumspicimus ne hoc quod mens bene inchoat, ipse in malitiæ finem vertat. Quod si illum is qui Deus et homo est non capiat, an qui homo tantum est capiet ? Non. Unde et sequitur :

VERS. 20. — « An extrahere poteris Leviathan, » id est, eumdem diabolum « hamo ? » Leviathan interpretatur *additamentum eorum,* subaudi, hominum, videlicet per irrisionem, quia dum homini divinitatem se addere perhibuit, immortalitatem tulit. Vel ideo quia culpam prævaricationis quam intulit, usque ad mortem quotidie pessimis suggestionibus extendit et superaddit. Hunc, inquam, Leviathan ad omnium mortem inhiantem, « an extrahere, **512** inquit, poteris hamo ; subaudi, sicut ego supradicto Incarnationis mysterio ? Cujus videlicet hami linea illa est per Evangelium antiquorum Patrum memorata propago : Abraham genuit Isaac (*Matth.* I), » etc. « An extrahes, inquam. Et fune ligabis linguam ejus, » subaudi, sicut ego ? Tunc namque illo de quo scriptum est : « Funiculus triplex difficile rumpitur (*Eccle.* IV) ; » fune, inquam, id est fide Trinitatis indissolubili, ligabo linguam ejus, ut videlicet veritate cognita falsæ doctrinæ conquiescant, verbi gratia, error academicorum, superstitiones mathematicorum.

VERS. 21.— « Nunquid, ait, pones circulum in naribus ejus, » id est omnipotentia virtutis ambies vel circumplectes insidias ejus, subaudi, ut ego? Nam sicut per nares insidiæ, ita per circulum designatur omnipotentia virtutis divinæ. Cujus occulti judicii adjutorio dum a callida crudelitate Behemoth refrenatur, quasi circulus in naribus ejus ponitur. « Aut armilla, inquit, perforabis maxillam ejus, » subaudi, ut ego, scilicet, ut eos quoque quos jam cepit amittat, et quasi ab ore illius cadant, dum post perpetratas culpas ad innocentiam redeunt ? Sane ab intellectu circuli armilla non discrepat, quæ ubi ponitur ambiendo constringit, significans et ipsa propensiorem circa nos occulti judicii protectionem : videlicet Petrum iste Behemoth in ore tenuit, cum negavit. David cum in adulterium simul et in ho-

micidium incidit. Sed dum uterque ad vitam per pœnitentiam abiit, Leviathan iste eos quasi per maxillæ suæ foramen amisit.

VERS. 22. — « Nunquid, ait, multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia ? » subaudi,ut mihi cui dicit : « Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum (*Matth.* VIII) : » imo cujus corporis vox erit in die judicii : « Domine, Domine aperi nobis (*Matth.* XXV.) »

VERS.23,24. — « Nunquid feriet tecum pactum : » subaudi, ut mecum a cujus judicio etiam discordando non discrepat, et adversando non minus proficit quam si juraverit se cooperari velle utilitatibus meis ? « Et accipies, inquit, eum servum sempiternum,» subaudi, ut ego, qui utor illo pro velle meo, verbi gratia, sicut faber malleo suo ? Servus, inquam, sempiternus, scilicet non solum in hac vita dum electos persequendo purgat, sed etiam in futuro sæculo,dum justi, conspectis cruciatibus ejus quos evaserunt,crescunt in laude mea ? In hoc profecto magna ejus fatuitas illuditur, quod semper eidem prodest, cui semper obesse nititur. Unde et sequitur : « Nunquid illudes ei quasi avi ? » Notandum quod qui prius Behemoth, quod est animal [bellua],postmodum Leviathan per quod intelligitur draco, nunc avis dicitur, videlicet propter brutum sensum quo cœlestia deseruit bellua est, propter malitiam qua hominem decepit draco est, propter naturæ suæ subtilitatem de qua superbit avis est. In illis quoque quos per luxuriam polluit jumentum est, in illis quos malitiosos efficit draco est, in illis quos per superbiam erigit avis est. « Nunquid illudes ei ut avi, » subaudi, ut ego, qui in passione unigeniti Filii escam illi ostendo, sed laqueum abscondo ? « Aut ligabis eum ancillis tuis, » subaudi, ut ego, qui dum non per fortia, sed per infirma mundi illum debello,quasi non per servos sed per ancillas meas illum alligo ? Quas videlicet ancillas juxta Salomonem (*Prov.* IX), sapientia misit ut vocarent ad arcem id est ad illam quam de carne Virginis ipsa sibi ædificavit domum, quia videlicet incarnata Sapientia Dei infirmos abjectosque prædicatores habere studuit. Quid ergo fiet de illo sic illuso, sic alligato ?

VERS. 25. — « Concident, inquit, eum amici, » id est, prædicatores sancti. Concident, inquam, gladio verbi Dei, « divident illum negotiatores, » id est idem amici. Nam qui amici per fidem, ipsi negotiatores sunt per actionem. Concident, ait, et divident, quia videlicet prædicando membra illius ab eo separabunt.

VERS. 26. — « Nunquid implebis, ait, sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite ejus? » subaudi, ut ego, qui vocans piscatores homines et faciens eos fieri piscatores hominum (*Matth.* IV), sagenam illam de qua scriptum est,« Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti (*Matth.* XIII), » primum pelle ejus impleo, id est extremos atque infimos colligo, et postmodum prudentes mihi adversarios subdendo quasi gurgustium piscium capite ejus impleo.

VERS. 27. — « Pones super eum manum tuam, » id est potentiam tuam ? Ac si aperte dicat : Nunquid virtute propria illum reprimes, subaudi ut ego ? Quod cur interroget subdendo manifestat.« Memento belli,nec ultra addas loqui,» id est memento quod fortis sit is contra quem te oportet præliari, et quod tu manum tuam super eum ponere non possis,nisi me adjuvante sustenteris. Ad quod tunc maxime adjuvaris cum flagello sinceris,quia videlicet dum exterioribus cruciatibus cingeris,ab interna passione liberaris.Hoc, inquam, « memento, nec ultra addas loqui,» quia videlicet melius tibi est duris in corpore flagellis subjici, quam blandimento occultæ tentationis decipi. Quia autem Leviathan hujus irremissibilis reatus est, et ab altitudine quam sibi arrogat, ruit ad ima, dejectus infra omnia.

VERS. 28. — « Ecce, inquit, spes ejus frustrabitur eum, » illa videlicet qua superbe præsumens, dixit : « Similis ero Altissimo (*Isa.* XIV). » Imo : « Et videntibus cunctis præcipitabit, » scilicet æterno judice terribiliter apparente, astantibus legionibus angelorum, cuncto assistente ministerio cœlestium potestatum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis ; tunc, inquam, ista bellua crudelis et fortis deducta in medium captiva æternis gehennæ incendiis cremanda præcipitabitur,dicente quoque judice cuncto corpori ejus : « Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Nunc quasi quæreres cur tam fortem in certamine nostræ infirmitatis suscitet ?

CAP.XLI, VERS. 1. — « Non, inquit, quasi crudelis suscitabo eum,» subaudi,sed quasi justus, videlicet quia non contra subditos,sed contra resistentes mihi illum grassari permitto. Et ideo time nec addas loqui,ut supra dictum est : « Quis enim, inquit,resistere potest vultui meo,» subaudi impune ?

VERS. — « Aut quis ante dedit mihi ut reddam ei, » id est, quis de suis meritis contra me potest gloriari ? Nemo quippe prior aliquid mihi contulit, neque boni quidquam operatur aliquis, nisi illum misericordia mea prævenerit.« Quis,inquam, dedit mihi ut reddam ei ? » Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.Sub cœlo, inquam, videlicet, quæ sola contingere aut videre potest homo.Et idcirco cum aliquod de his servitium vel munus impendit,non prior dat ipse mihi, cum a me cujus omnia sunt illud acceperit. Mea sunt, inquam, omnia, quæ sub cœlo sunt. Ergo et ipse Leviathan qui sub cœlum ruit, quia videlicet, beatitudinem quidem meam perdidit, sed dominium meum non evasit.

VERS. 3. — « Non parcam, inquit, ei, et verbis potentibus, » Hoc ad corpus ejus, id est,ad omnes iniquos referendum est,quia culparum suarum diabolus veniam non est petiturus. Sed et ille homo peccati,quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris

sui (II *Thess.* II), fortasse territus ad preces inclinabitur. Sed « non parcam, inquit, ei, verbis potentibus et ad deprecandum compositis, » id est non proderunt ei vel universo corpori ejus verba potentia et ad deprecandum composita, quin, ut supra dictum est, videntibus cunctis præcipitetur. Et quia nobis Dominus ejus insidias quanto subtilius occultari considerat, tanto misericordius manifestat :

Vers. 4. — « Quis, » inquit, subaudi, nisi ego, « revelabit faciem **513** indumenti ejus, » id est fraudem simulationis ejus, quæ tanta est, ut se in angelum lucis transfiguret? (II *Cor.* XI). Quod videlicet simulationis ejus indumentum tunc ipse revelat, quando servis suis inspirat ut caveant malitiam quam sub habitu sanctitatis occultat. Unde adhuc subditur : « Et in medium oris ejus quis intrabit, » id est verba ejus discussit et falsitatem ejus deprehendit et manifestavit, subaudi, nisi ego?

Vers. 5. — « Portas, inquit, vultus ejus, » id est doctores iniquos, per quos quisque deceptus ingreditur ut Leviathan iste quasi in potestatis suæ principatu videatur; « portas, inquam, quis aperiet, » subaudi, nisi ego qui electis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos perspicua cognitione manifesto? Quas portas cur impossibile sit cuiquam præter ipsum aperire subdendo manifestat. « Per gyrum, inquit, dentium ejus formido, » id est in circuitu et quasi in præsidio doctorum erroris ejus sæcularium potestatum est protectio. Nam hic per dentes insinuare voluit quos superius portas vocavit : nam et portæ sunt, quia ingressum perditionis aperiunt, et dentes sunt, quia quos in terrore capiunt, a veritatis soliditate confringunt. Circa quos formido est, quia videlicet circa ipsos sunt qui mentes infirmorum affligunt, et quod ab ipsis verbis blandientibus dicitur, hoc ab illis gladiis ferientibus imperatur.

Vers. 6. — « Corpus illius, » id est iniqui omnes, quorum ipse caput est, « quasi scuta fusilia, » id est, per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, quemadmodum scuta fusilia in suscipienda sagittarum percussione robusta sunt, sed casu fragilia. Sic, inquam, verba correctionis impenetrabiliter excipiunt scuto superbæ defensionis, sed suo lapsu dissolvuntur, et franguntur casibus suis. Et bene scutis comparantur, quia scutati sunt, id est, defendentes se in omni peccato quod faciunt, sicut de Judæis juste obduratis propheta dicit : « Domine dabis ei scutum cordis laborem tuum (*Thren.* III), » id est, ideo repellunt a se verba prædicantium, quia dedignantur in te labores passionum. « Corpus, inquam, quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus, » id est, defendens se et excusans, dum corripitur, quibus valet tergiversationibus, quemadmodum draconis corpus squamis tegitur, ne citius jaculatione penetretur. Nonnunquam etiam a similibus suis fulcitur, cum in suis excessibus malitiosus quisque comprehenditur. Unde et sequitur.

Vers. 7. — « Una uni, » id est squama squamæ, « conjungitur : » quia videlicet quos similis reatus sociat, concordi quoque pertinacia defensio perversa constipat. « Et ne spiraculum quidem incedit per eas, » id est nullatenus ad se intrare permittunt sanctæ exhortationis spiracula.

Vers. 8. — « Una alteri, » id est similis simili, « adhærebit, » ita ut per Salomonem dicitur : « Stuppa collecta synagoga peccantium (*Eccli.* XXI). » — « Et tenentes se nequaquam separabuntur, » id est, invicem defendentes ab invicem corroborabuntur.

Descripto corpore, ad caput sermo reducitur, et quid antiquus hostis semetipsum exerceat nuntiatur.

Vers. 9. — « Sternutatio, inquit, ejus splendor ignis, » id est extrema commotio, qua damnatum hominem ingreditur, multis prodigiis quasi quodam ignis lumine resplendebit. Et quemadmodum in sternutatione inflatio a pectore exsurgens, porosque apertos ad emanandum non inveniens cerebrum tangit, moxque per nares exiens totum caput concutit : sic ille homo peccati dignitate præsentis sæculi inflatus, dum quantum appetit contra justos prævalere nititur, quasi Satanæ cerebrum, id est, sensum elatum in fine mundi arctius percutit, et turbato capite, id est, illo qui in se habitat universæ iniquitatis auctore, quasi per nares egreditur, dum tota superbia ejus apertis malitiæ flatibus cum claritate miraculum quasi cum splendore ignis demonstratur. » Et oculi ejus, » inquit, id est consiliarii vel provisores ejus, scilicet antichristi; « oculi, inquam, ejus, » id est, potentes sæculi, qui adhærebunt illi, « ut palpebræ diluculi, » id est, simulantes se esse nuntios veræ lucis, quia videlicet fidem quam in Christo inveniunt quasi erroris esse noctem afferunt, et venerationem antichristi verum esse mane pollicentur.

Vers. 10. — « De ore ejus, » id est, de eisdem consiliariis ejus, qui et oculi vocantur, quia prævident, et os quia prædicant : « lampades procedunt, » quia videlicet mentes audientium ad amorem perfidiæ succendunt. « Lampades, inquam, sicut tædæ ignis accensæ, » id est, sanctitatis sibi speciem arrogantes, sed tamen opera iniquitatis exercentes, sicut tæda cum accenditur odorem quidem suavem habet, sed lumen obscurum. Olent per simulationem justitiæ, sed obscurum ardent per penetrationem nequitiæ.

Vers. 11. — « De naribus ejus, » id est de insidiis miraculorum ejus, « procedit fumus, » id est, caliginosa dubietas generatur, tanta videlicet, ut si fieri potest, etiam electi in errorem inducantur. « Fumus, inquam, sicut ollæ succensæ atque ferventis, » id est, ita efficiens animas cogitationum suarum impetu quasi spumis undarum ardentes, quomodo olla succensa aquas bullientes intrinsecus tenet, quia videlicet per tot se fervores afflata ejus tentationibus conscientia erigit, per quot intra se cogitationes intumescit. Unde adhuc subditur :

Vers. 12. — « Halitus ejus, » id est, occulta suggestio ejus, « prunas ardere facit, » id est, succensa

internis concupiscentiis reproborum mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Nisi enim ignis, id est, concupiscentiæ scintillam in se haberent, halitu, id est, suggestione diaboli prunæ ardentes non fierent « et flamma, inquit, de ore ejus egreditur, » id est, instigatio locutionis occultæ animo ingeritur, quia videlicet ardet in desideriis animus, cum enim suggestionibus instigatur.

Antiquus hostis extrema mundi, ut sæpe jam dictum est, atrocius aggreditur tentaturus, quia fit ferventior ad sævitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Tunc cervicem superbiæ altius erigit, et per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporaliter prævalet, nequiter ostendit. Unde nunc dicitur :

VERS. 13. — « In collo ejus morabitur fortitudo, » id est, in elatione qua contra Deum erigitur : sicut per prophetam dictum est : « Dolus in manu ejus dirigetur (*Dan.* VIII), » quia videlicet omne quod nequiter volet hoc ad tempus exsequi etiam fortiter potest. Et quia omnis qui perversis moribus amicitiis ejus innotescit, prius veras mentis divitias amittit : « Et faciem, inquit, ejus, » id est notitiam ejus, « præcedit egestas, » quia videlicet nullus illi adhæret nisi cui sicut angelo Laodiceæ per Joannem dicitur : « Miser est, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus (*Apoc.* III). » Et quia nulla sibi sui corporis discordant membra.

VERS. 14. — « Membra, inquit, carnium ejus cohærentia sibi, » id est, sævitiam suam tanto robustius exierit, quanto carnales omnes, qui utique membra ejus sunt, quo contra spiritualibus Paulus dicit : « Vos estis corpus Christi et membra de membro (*I Cor.* XII). » — « Membra, inquam, carnium ejus, » id est, omnes carnalibus vitiis subjacentes unitate perniciosa ad impugnandam vitam bonorum sese cum illo durius opponunt. Trepidantem ad hæc infirmitatem nostram Dominus sublevat, cum protinus subdit quid de tanta bellua faciat. « Mittet, inquit, contra eum fulmina. » — « Mittet, » inquam, subaudi, judex venturus, « fulmina, » id est, tremendi judicii sententias. « Contra eum, inquam, et ad locum alium non transferuntur, » quia videlicet, recepto tritico in horrea, solæ paleæ in ignem mittentur, id est, justis gaudentibus, soli **514** tunc reprobi ferientur. Sed quia Leviathan istum pœna non corrigit.

VERS. 15. — « Cor ejus, inquit, indurabitur quasi lapis, » quia videlicet nulla unquam conversione pœnitentiæ mollietur. « Et stringetur quasi malleatoris incus, » id est, solis ictibus æternæ damnationis aptabitur, sicut incudem malleator fingens solis aptat percussionibus. Ad hoc namque incus statuitur ut crebris ictibus feriatur.

VERS. 16. — « Cum sublatus, inquit, fuerit, » scilicet adveniente districto judice, extrema damnatione præcipitatus : « cum, inquam, sublatus fuerit, timebunt angeli, » id est, supernæ patriæ nuntii. Cum enim judicii turbine rapietur, hi qui in corpo-

A ribus reperiri potuerint, prædicatores sancti quamvis fortes atque perfecti contremiscent immenso terrore concussi, et territi purgabuntur. Quod tamen de sanctis angelis, id est, cœlestibus spiritibus nil obstat intelligi : sic tamen ut sub futuri temporis modum præterita describantur. Cum enim sublatus est cadendo ab arce beatitudinis, timuerunt angeli, et terrore purgati sunt, quia nimirum isto cadente unde punita est culpa superbientis, inde inventa et solidata sunt augmenta meritorum humilibus angelis. Erit ergo, et quando præcipitabitur, ut jam dictum est, erit, inquam, in eis, sive in sanctis prædicatoribus, quia et ipsi angeli dicuntur, quia vitæ nuntii sunt, tremor lætus, et timor securus. Sed quia de Leviathan istius fine cognovimus, in-
B terim priusquam pereat audiamus.

VERS. 17. — « Cum, inquit, apprehenderit eum gladius, » id est, cum eum susceperit in se ille suus homo quem per malitiam fraudis exacuit et infirmorum corda transfigit ; sive ira ipsius, quæ gladii nomine recte signatur, quæ in tantum apprehendet eum, ut dominari omnibus appetens, nequaquam suæ iræ dominetur : « cum, inquam, apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax, » id est, neque prædicationis jaculum, neque fortitudo patientium. Per hastam namque qua vulnera infligimus prædicatio, per thoracem qua tegimur patientia recte signatur. « Non, inquam, subsistere poterit, » subaudi, si supernum adjutorium desit.

C VERS. 18. — « Reputabit enim quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum æs, » id est, et prædicantium vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumet, et patientium constantiam, quæ significatur per æs quod rubigine difficile solvitur, « quasi lignum putridum, » in pulverem rediget, subaudi, nisi electos suos opitulatio divina roboret. Et ita reproborum mentes possidet, qui per paleas et lignum putridum designantur, ut nulla confossus veritatis jaculatione derelinquat. Unde et subditur.

VERS. 19. — « Non fugabit eum vir sagittarius, » id est, non recedit ab eorum quos possidet cordibus cujuslibet prædicatoris invectionibus, quasi sagittas potentis acutas (*Psal.* CXIX), id est, verba jam prædicantium contemnit quisquis ab illo apprehenditur. « In stipulam, inquit, versi sunt ei lapides fun-
D dæ, » id est, despectui sunt ei, velut infirmi omnes fortes Ecclesiæ : funda namque quæ in gyrum mittitur, sicque de illa exeuntes adversariorum pectora feriunt, sanctam designat Ecclesiam, quæ dum volubilitate temporum per tribulationum circuitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus tundantur verba iniquorum, propheta dicente : « Devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ (*Zach.* IX), » id est, confringent corda superborum per fortes viros Ecclesiæ. Sed quid mirum quod ei lapides in stipulam versi sunt ?

VERS. 20. — « Quasi stipulam æstimabit malleum, » id est, pro nihilo contemnet desuper venien-

tis et se ferientis divinæ animadversionis judicium. « Et deridebit vibrantem hastam, » id est, ipsum Deum in interitu ejus districtam præparantem sententiam. Et cum talis sit :

Vers. 21.— « Sub ipso, inquit, erunt radii solis, » id est, famulabuntur illi nonnulli etiam docti viri, qui per acumina sapientiæ quasi radius videbantur lucem aspergere, juxta quod in Apocalypsi scribitur : « Quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu homines affligere et igni, et æstuaverunt homines æstu magno (*Apoc.* xvi), » quia videlicet dum sapientes viri in errorem abducuntur, infirmi amplius temporalibus desideriis illorum exemplo afficiuntur. De quibus adhuc subditur : « Et sternet sibi aurum quasi lutum, » id est, quorumdam vitæ munditiam per illicita desideria conculcabit, ut solitis ejus vestigiis serviant etiam hi, qui contra illum prius virtutum splendore rutilabant. Nam hoc loco aurum claritatem sanctitatis, lutum vero avaritiam terrenarum rerum vel carnalium sordes signat voluptatum. Sciendum tamen quia aurum quod quasi lutum sterni potuit, aurum ante Dei oculos nunquam fuit. Quid autem faciet de illis qui omnino terrenis fluctuant concupiscentiis ?

Vers. 22. — « Fervescere, inquit, faciet quasi ollam profundum maris, » id est, vitam sæcularium studebit contra electorum vitam per flammam crudelitatis excitare. Tunc enim profundum mare quasi olla fervescit, cum corda dilectorum sæculi valide succendit. « Et ponet, inquit, quasi cum unguenta bulliunt, » id est, faciet eos arbitrari quod Deo præstent obsequium (*Joan.* xvi), et velut unguenta bullientia bonum odorem mittunt, sic bonam sibi videbuntur exhalare opinionem. Et ut magis in illo fallantur :

Vers. 23.— « Post eum, inquit, lucebit semita, » id est, dictis vel malitiæ ejus operantia splendebunt prodigia ; et ut deceptos ad præsentes voluptates rapiat. « Æstimabit abyssum quasi senescentem, » id est æstimari faciet infernum quandoque finiendum. Sunt enim nunc etiam, qui idcirco peccatis suis finem ponere negligunt, quia habere finem quandoque superna suspicantur judicia, cum Veritas dicat : « Ibunt hi in supplicium sempiternum : justi autem in vitam æternam (*Matth.* xxv). » Et dum Deum satagunt perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem. Nunc immanitatem virtutis illius Dominus breviter insinuans subdit :

Vers. 24. — « Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, » quia videlicet, et si actionis suæ merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ angelicæ conditione transcendit, cujus magnitudinem amissa dignitate non perdidit. « Qui factus est, » inquit, subaudi, sua perversitate talis « ut nullum timeret, id est, ut ei quoque a quo conditus est, quem caste timere debuisset, subesse despiceret. Cujus adhuc superbia describitur dum subinfertur :

Vers. 25. — « Omne sublime videt, » id est, cunctos velut infra se positos quasi de sublimi respicit, quia dum per intentionem contra auctorem nititur, existimare sibi quemlibet similem dedignatur. Et aperte antiquus hostis, qui per corporeum animal signatur, quasi de sublimi omnes videre describitur, quia videlicet superbia usque ad corpus prodiens, apertius oculis principatur. Nunc in fine locutionis Dominicæ unum aliquid manifestius exprimitur, unde umbra illius brevi nobis designatione monstrentur. « Ipse, inquit, est rex super universos filios superbiæ. » Quasi tyrannus quidam obsessam civitatem intercepit, cum per superbiæ vitium mentem irrumpit. Quia ergo Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan iste rex dicitur superborum, aperte cognoscimus quod evidentissimum signum reproborum superbia est : at contra humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat notam cognoscitur, sub quo rege militet invenitur.

Cap. XLII, vers. 1, 2. — Postquam fideli famulo Dominus Leviathan hostis ejus, quam sit e fortis et callidus, ostendit, beatus Job ad utraque respondit, videlicet **515** contra immanes vires ejus. « Scio, » inquit, « quia omnia potes, » contra occultas machinationes illius, « et nulla, » inquit, « te latet cogitatio. » Unde et mox eidem Leviathan exprobrat dicens :

Vers. 3.—« Quis est iste, qui celat consilium absque scientia ? » id est fraudes suas contra infirmitatem nostram occultat, tamen protectori nostro celare ignorat. Scio, inquam, quod nil te lateat : « ideo insipienter locutus sum, » id est in comparatione tuæ sapientiæ stultum est omne quod sapere visus sum. Hoc modo et Moyses eruditus omni sapientia Ægyptiorum, ex quo Dominum loquentem audivit, impeditioris et tardioris linguæ se esse deprehendit (*Exod.* iv). Et Isaias postquam Dominum vidit, virum pollutum labiis se esse cognovit (*Isa.* iv). Sic omnes sancti viri quanto magis contemplando proficiunt, tanto amplius despiciunt quod sunt. « Insipienter » ergo, inquit, « locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam, » quia videlicet in verbis tuis plus quam existimaveram sapientiæ tuæ secreta agnovi, et inde me ultra modum meum excessisse deprehendi. Quid ergo ?

Vers. 4. — « Audi, » inquit, « et ego loquar, » id est desiderium meum percipe, et ego promptis desideriis inhiabo ad te. « Interrogabo te, et responde mihi, » id est stultitiam meam utiliter agnoscam, et tu doce me.

Vers. 5. — « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te, » id est quantum visus superior est auditu, tanto illud quod post flagella profeci, differt ab eo quod prius exstiti.

Vers. 6. — « Idcirco ipse me reprehendo, » videlicet quanto magis me video, tanto magis mihi displiceo. » Et ago pœnitentiam, » videlicet quia nulla est recognitio reprehensionis, nisi sequantur etiam lamenta pœnitudinis. « Ago, » inquam, « pœniten-

tiam in favilla et cinere, » id est recognosco me favillam et cinerem esse.

VERS. 7. — « Postquam autem locutus est Dominus, » etc. Ecce assistentibus partibus et sententiam inspectantibus, profert Dominus ex invisibili regula suæ discretionis examen, ostendens quasi in contentione ista rectius locutus sit « Non estis, » inquit, « locuti rectum coram me, sicut servus meus Job. » Ecce Deo judice beatus Job victor laudatur, qui loquendo peccasse putabatur, et eodem judice addicti sunt qui ejus merita se transcendere pro Deo loquendo crediderunt. « Sicut servus meus Job, » inquit, videlicet dum interpositione servitutis eum quasi sub quadam peculiaritate commemorat, cuncta quæ cum defensione sua dixerat, non contumaci superbia sed humilitate dixisse comprobat. Deinde amicos ejus et per justitiam districte redarguens, et per misericordiam benigne convertens.

VERS. 8. — « Sumite, » inquit, « vobis septem tauros, » etc. Notandum quod conversionis suæ sacrificium Domino non per se, sed per Job, jubentur offerre, quia videlicet hæretici, quorum speciem illos tenere sæpe jam dictum est, cum ab errore redeunt, Deum sibi placare non possunt, nisi precibus catholicæ Ecclesiæ, quam beatus Job significat, salutem suam obtineant, cujus fidem perversis assertionibus impugnabant. « Septem, » inquit, « tauros et septem arietes sumite, » id est qui taurinæ fuistis superbiæ, et arietes, id est gregum diversorum erranei duces, septiformi Spiritui vos ipsos humiliate, « Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. » Ac si aperte hæreticis dicat : Sacrificia vestra non accipiam, petitionum vestrarum verba non audiam, nisi per intercessionem Ecclesiæ, cujus professionis verba de me veracia recognosco. Sola quippe est per quam sacrificium Deus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat ; sola, inquam, domus est, in qua vera hostia Redemptoris immolatur, sicut de agni hostia per Moysen dicitur : « In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras (*Exod.* XII). » — « Orabit, » inquit, « pro vobis. » Neque enim « locuti estis coram me rectum sicut servus meus Job. » Quod semel indicando dixerat, iterum replicando confirmat, quia videlicet quidquid in eloquio divino repetitur, robustius confirmatur.

VERS 9. — « Abierunt ergo Eliphaz Themanites, » etc. Horum interpretatio nominum in exordio disserta est. « Et suscepit Dominus faciem, » id est charitatis intentionem, « Job. » Et quia quisquis intercedere pro aliis nititur, sibi potius ex ipsa charitate suffragatur, recte subditur :

VERS. 10. — « Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis, » id est, etiam pro semetipso pœnitens tanto citius exaudiri meruit, quanto devote pro aliis intercessit. Et quantum pro se obstinuerit illico demonstratur cum subditur : « Et addidit Dominus quæcunque

A fuerant Job duplicia, » videlicet ut tentationis dispendium vincerent suffragia consolationum.

VERS. 11. — « Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, » etc. « Et comederunt, » inquit, « cum eo panem in domo ejus : et moverunt super eum caput. » In comestione panis charitas, in motione capitis admiratio designatur. « Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum, » id est super eo gavisi sunt. Percussi enim mœrorem consolari, est ei post percussionem de venia congaudere. « Et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam. » Licet cuncta hæc juxta historiam veraciter dicta sint, ipsis tamen muneribus quæ oblata sunt cogimur ad allegoriæ mysterium. « Addidit, » inquit, « Dominus
B omnia quæcunque fuerunt Job duplicia, » id est sanctæ Ecclesiæ, quæ cum capite suo una persona est, nunc solas gentes habenti, in fine mundi omnis quæ inventa fuerit Judæa consentiet, vel certe sanctæ Ecclesiæ in fine suo duplum recipere, est in singulis nobis et de beatitudine animæ, et de carnis incorruptione gaudere. Unde scriptum est : « In terra sua duplicia possidebunt (*Isa.* LXI), » quia videlicet in fine mundi binas stolas habituri sunt, id est cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt. Sed ea quæ subnexa sunt, in fine magis hujus sæculi conversionem Judaici populi nuntiare testantur. « Venerunt autem, » id est venient ad eum, credendo, « omnes fratres sui, » id est quotquot ex plebe Judaica fuerint inventi, « fratres, » inquam,
C « sui, et universæ sorores, » id est vel qui fortes futuri sunt velut fratres, vel infirmi velut sorores, « et cuncti qui noverant eum prius, » scilicet per legis et prophetarum notitiam, quem passionis suæ tempore dum despicerent ignorabant. Et comedent cum eo panem in domo ejus, id est in sancta Ecclesia quæ domus est ejus Sacri eloquii fruge pascentur, et movebunt super eum caput, id est principale quod est mens per formidinem veritatis ab insensibilitate sua patietur. Et consolabuntur eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum. Consolabuntur, inquam, scilicet illa consolatione quam in passione sua non inveniens : « Consolantem me, inquit, quæsivi, et non inveni. » Consolatio quippe magna est prædicanti subsequens profectus auditoris. Et dabunt ei unusquisque ovem unam, id est
D inclinabunt ei innocentem vitam, et inaurem auream unam, id est pretiosam virtutem, obedientiam De qua Samuel : « Melior est, inquit, obedientia quam victimæ (*I Reg.* XV). » Et notandum quod cum inaure ovis, cum ove offertur inauris, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, juxta illud : « Oves meæ vocem meam audiunt (*Joan.* X). »

VERS. 12. — « Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, » etc. Dum dicitur : « Addidit Dominus quæ fuerant Job duplicia (*v.* 10), » de animalibus palam quidem est quod duplicata **516** sint : de filiis autem quod dupliciter addiderit sic constat, quia de-

cem postmodum in carnem restituit, decem vero qui amissi fuerant in occulta animarum vita servavit. Juxta allegoricum sensum eodem modo de animalibus intelligendum est, quod et in prima parte libri expositum est, quia videlicet per Psalmistam Patri dicitur : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi (*Psal.* VIII). » Sancta vero Ecclesia, quæ in exordiis suis innumeris tentationibus pressa, tam Israeliticum populum quam multos ex gentibus amisit, videlicet quos lucrari non potuit, in fine duplicia recipit, quia ex omni natione fidelium numerus in ea multiplicior excrescit.

VERS. 13. — « Et fuerunt ei septem filii et tres filiæ, » etc. Septem quoque filios et tres filias recipit, quia mentibus eorum, quos septem virtutibus generat, ad perfectionis summam, fidem, spem, charitatemque conjungit, ut tanto verius proles sua gaudeat, quanto suis fidelibus nil de virtutibus deesse pensat. Nominibus quoque filiarum universum genus humanum designat, quod benignitate Conditoris, atque ejusdem misericordia Redemptoris eligitur. Quæ videlicet nomina subjunguntur :

VERS. 14. — « Et vocavit, » inquit, « nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii. » Nam quia et conditum genus humanum luce innocentiæ claruit, et redemptum exercitio bonorum operum odorem suavitatis aspersit, et prima filia recte Dies, et secunda non incongrue Cassia nominatur : et quia tertio ordine, genus humanum etiam carnis resurrectione renovatum in illum concentum æternæ laudis assumitur, tertia filia Cornustibii vocatur. Qui enim lux vel dies fuimus conditi, et nunc sumus Cassia redempti, erimus quandoque Cornustibii in exsultatione æternæ laudis assumpti. Hæc nomina, pro eo quod a virtutibus sumpta sunt, apte curavit interpres non ea sicut in Arabico sermone inventa sunt ponere ; sed in Latinum eloquium versa apertius demonstrare. Cornustibii ex cornu et tibia composuit, et quo voluit genere licite produxit.

VERS. 15. — « Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra, » quia videlicet priusquam ad nuptiarum thalamum sponsa perveniat, omnem a se vitæ fœditatem respuit, et amori sponsi præparans sese per species virtutum componit. De qua animæ pulchritudine in Psalmo dicitur sanctæ Ecclesiæ : « Concupivit rex speciem tuam (*Psal.* XLIV). » Et paulo post : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*ibid.*) » — « Deditque eis, » scilicet filiabus, « pater suus hæreditatem inter fratres earum. » Usus vitæ veteris non habebat ut hæreditatem feminæ inter masculos sortirentur. Sed pio Redemptore nostro, cujus hic typus est, adveniente, nullus infirmitatis suæ conscius de sortienda cœlestis patrimonii hæreditate desperet, quia « in domo Patris mei mansiones, » inquit, « multæ sunt (*Joan.* XIV), » ut sorores cum fratribus, id est infirmi admittantur cum fortibus. Ubi nemo disparilitatis damna sentit, quia tanto sibi quantum perceperit sufficit.

VERS. 16. — « Vixit autem Job centum quadraginta annis, » id est vivit Ecclesia post resurrectionem in perfectione æternitatis, quæ per hunc numerum recte signatur. Nam si quatuordecim per denarium ducimus, ad centesimum et quadragesimum numerum pervenimus. Quatuordecim autem ex decem et quatuor compositus perfectionem decalogi legis et Evangelii designat. Ecclesia ergo tam secundum legis decalogum quam secundum quatuor Evangelii libros usque ad perfectionis culmen extensa vivit in perpetuum. « Et vidit filios suos, » scilicet quos Deo acquisivit, « et filios filiorum suorum, » videlicet quos genuerunt successores apostolorum ; « vidit, inquam, usque ad quartam generationem, » id est usque ad resurrectionem. Primum namque tempus ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, quartum in resurrectione futura. Et quasi quarta generatione Ecclesia moritur, id est præsenti mundo penitus aufertur. Plena dierum, id est plene remunerata mercede bonorum operum. Explicit iste liber Job feliciter. Amen.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

IN LIBRUM ECCLESIASTES

COMMENTARIUS.

INCIPIT EPISTOLA SEQUENTIS OPERIS AD GREGORIUM

517 Domino Gregorio clarissimæ memoriæ viro, S. humilis atque Dominicum peripsema, salutem. « Beati, » ait Psalmista, « qui scrutantur testimonia Domini, ut in toto corde exquirant eum (*Psal.* CXVIII). » Hanc, ut reor, beatitudinem, dilectissime, invenisti, et ideo æquipollentissi-

mum arbitratus ut, qui eam invenisti, invenias vitam, et haurias salutem a Domino (*Prov.* VIII). Nam charitatis tuæ scripta percepi, quibus usquequaque hortatus es ut tibi aliquid ederem super Ecclesiasten, secundum nostram translationem, Hebraicam scilicet veritatem : quoniam beati opus Hieronymi juxta septuaginta Interpretum traditionem, quasi mutilatum esse et informe videretur, multumque distare ab Hebraico. Legi, atque relegi, et proculdubio ita esse, ut intimasti animadverti. Dilectio certe pretium non habet. Amicitia, quæ desinere potest, vera nunquam fuit. Fulgeat quilibet auro, et pompaticis ferculis corusca ex sarcinis metalla radient, charitas non potest comparari. Obsecro ergo te, ne amicum, qui diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur, pariter cum oculis meus amittat. Mihi crede, crede mihi, frater, non sic tempestate jactatus portum nauta prospectat, non sic sitientia imbres arva desiderant, non sic curvo assidens littori anxia filium mater exspectat, quemadmodum te semper desideravi. Oppido nunc pertimesco amoris istius carbunculum exstinguendum. Quomodo enim magisterii cathedram mihi tradere vis, qui sub ferula discipulus nunquam fui? Metiris nos virtutibus tuis, et parvos magnus extollis, ultimamque partem convivii occupas, ut patrisfamilias judicio promovearis. Non tamen frustra prædicatur mentes hominum nitere liquido die, coacta nube pallescere, meus credo animus faciet fidem exemplo. Nam, cum tibi scribam, ex sententia verborum usus suppeditabit, quorum alias mihi suppellex deest. Præterea merito inter omnes virtutes obedientia vindicat principatum, quæ facit plerosque tentare quod nequeunt. Et ideo devotionis laude habendi sunt qui, considerata sui possibilitate, jubentibus obsequuntur. De sola ergo charitate, qua nihil est imperiosius, confisus, satisfaciam voluntati vestræ. Quod dum audacter aggredior, præsumptionis reum me esse sentio. Sed petenti tibi sæpius negare non potui, ita duntaxat ut tibi soli lectio sit, nec ab oculo speculetur secundo.

COMMENTARIUS.

518 CAPUT PRIMUM.

CAP. I, VERS. 1. — « Verba Ecclesiastæ filii David, regis Jerusalem. » Ecclesiastes filius fuit regis David, qui etiam Salomon nuncupatus est, et Idida. His tribus vocabulis sanctæ et individuæ Trinitatis arcanum declaratur, quia sicut in uno homine tria sunt nomina, ita tres personæ dedicantur in una Deitatis substantia. Salomon, *pacificus* : Idida, *dilectus Domini* interpretatur. Porro Græce Ecclesiastes appellatur, *qui cœtum*, id est ecclesiam, *congregat*; quem nos nuncupare possumus *concionatorem*, quod ad populum loquatur ; cujus sermo non specialiter ad unum, sed generaliter ad universos dirigatur. Omnium ille vices agit, solus ad plures loquitur, universos unus docet. Modo, quasi majestate, manus vultusque moderamine varios motus sedat, tumultus quoque grandes ac supercil osos. Aliquando infirmi, aliquando sapientis personam assumit. Tanquam pauper sedet, luxuriatur, et grandia quæque molitur, ut dives. Avarum se simulat ut avaritiam destruat. Optat quæ carnis sunt, et quæ sunt spiritus desiderat. Nam, quot sunt homines, tot sunt hominum studia. Sub tam diversarum facie personarum librum suum scribit Ecclesiastes, ut cum Apostolo omnibus omnia factus, omnes lucrifaciat (*I Cor.* IX). Nunquid non unusquisque nostrum filius David erit, rex Jerusalem erit, si, quæ in hoc libro conscripta sunt, devota mente atque sollicita servaverit? Jerusalem rex erit, quicunque seipsum naviter et sapienter rexerit. Majus est enim seipsum bene regere, quam multorum regna tenere. Iste liber est quasi labrum quod fecit Moyses de speculis mulierum (*Exod.* XXXVIII). Docuit enim ille in talibus speculis speculari non solum facies, sed et mentes hominum. Hunc etiam librum Ecclesiastes fecit ex ære et speculis mulierum, ad speculandas mentes hominum. Speculo clarior est, sonoro ære sonorior. In verbis sonat ; designatur vita hominum in speculis mulierum. Igitur Ecclesiastes in hoc vi- A det speculo quodcunque agunt homines in mundo. Respicit ad certas artes quidquid fit ab hominibus, et nulla pene ars ab isto libro immunis est. Habet hic *scriba doctus in regno cœlorum* (*Matth.* XIII), unde proferat nova et vetera. Plato, Pythagoras Socrates, Aristoteles, et omnes qui logica et moralia tractant, suos libros condierunt de libri hujus pigmentis et plenitudine. Quis enim vel physicus, vel philosophus, naturæ viscera secretius rimari potuit, quis intima vidit acutius ? ipse enim, ut legitur, disputavit a cedro usque ad hyssopum. Aiunt vero Hebræi hunc librum Salomonis esse pœnitentiam agentis, quod in sapientia divitiisque confisus, per mulieres offenderit Dominum (*III Reg.* IV).

VERS. 2. — *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes,* B *vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Non est transcurrendo legendum, sive parvipendendum, quod ait : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes*, quis enim vana videre potuit magis quam Ecclesiastes ? Jure qui rempublicam gubernat scire et intelligere solus potest quænam sit vanitas, quæ vanitas vanitatum, quod omnia vanitas. Hæc enim tria evidentissima pronuntiavit. Quicunque tam vane vivit ut non intelligat se esse vanitatem, nisi Verbo Dei confirmetur, iste non potest intelligere quid sit vanitas vanitatum. Ideo qui talis est qui, vecors est, vanitas vanitatum est, eique jure fabula dicit quod dicit bos ad culicem, referentem illi grates quod algoris tempore hiemasset in aure ipsius : Neque sensi, inquit, venientem, neque redeuntem. De talibus ergo Ecclesiastes dicit : *Vanitas vanitatum.* Sed, unde puta- C mus cor Ecclesiastis nunc emersit ? naufragium quippe videtur incurrisse. Viderat animalia pusilla cum magnis, cœli altitudinem conscenderat, profundum abyssi penetraverat, viderat cete magnum in hoc mari magno et spatiose sine misericordia sævientem. Tradunt physici, cum aliquis absorbetur aquis, tertio mergitur, et tertio ab undis relevatur, sed vice tertia vel liberatur vel necatur. Sic in

naufragio mundi, periculi sentina crescente, tanta videns, et tanta timens mergitur et revocatur Ecclesiastes, et exclamat: *Vanitas vanitatum* ; iterum mergitur et revocatur cum clamore valido : *Vanitas vanitatum* ; tertio mersus et liberatus, jam stans in portu quasi naufragus vociferans prosequitur : *Omnia vanitas.* Cur autem hominem computamus intra numerum vanitatum, cum ipse factus sit ad imaginem Dei, et præsit cunctis quæ sub sole sunt, per quem adoratur Deus et colitur ? Certe, quia et David pater Ecclesiastis dicit : *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens* (*Psal.* XXXVIII). Quid enim fumo plus evanescit ? Quid umbra vanius ? Sicut **519** umbra mutat vias, sic homo mutatur in horas. Tanquam *fumus defecit* (*Psal.* LXVII) : ita homo stultus perdit tempus suum. Ergo *vanitas vanitatum* est homo, si terrena tantum sapere voluerit, et non cœlestia ; si quæ sunt carnis sapit, non quæ sunt spiritus. Si ergo vivens homo vanitas est, quid mortuus erit ? *Vanitas vanitatum* est, cujus vix jam superest vel imago. Esse et non esse, mori et non posse mori, nonne vanitas est vanitatum ? Si mortem mors finire non potest, quid unquam vanius ? Propterea *omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc*, quoadusque liberetur in spe gratiæ filiorum Dei (*Rom.* VIII). Sed, cum scriptum sit : « Vidit Dominus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona » (*Gen.* I) : cur non solum vanitas, verum etiam vanitas vanitatum opus ejus dicitur ? Legimus in Exodo, glorificatum vultum Moysi in tantum ut filii Israel eum aspicere non possent (*Exod.* XXXIV). Quam gloriam Paulus apostolus ad comparationem evangelicæ gloriæ dicit non esse gloriam. *Nam nec glorificatum est*, inquit, *quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam* (*II Cor.* III). Possumus ergo et nos in hunc modum, cœlum, et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, bona quidem per se dicere, sed ad Deum comparata pro nihilo computare. Quomodo si igniculum lucernæ videns contentus essem ejus lumine, et postea orto sole non cernerem quod lucebat. Stellarum quoque lumen jubare viderem solis abscondi : ita videns elementa, et rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operum magnitudinem, recogitans autem omnia pertransire et mundum suo fine senescere, solumque Deum id semper esse quod fuerit, compellor dicere : *Vanitas vanitatum*, etc.

VERS. 3. — « Quid habet amplius homo de universo labore suo quo laborat sub sole ? » Quare ille cujus cor erat, sicut arena maris (*III Reg.* IV), et sicut stellæ cœli, quasi ignarus et dubitabundus interrogat quid habeat homo de universo labore suo ? verbum suspendit, ut ambiguitate illius nostrum ad inquirendum provocaret studium. Quærit dubitans, ne dubitaremus : discere vult quasi discipulus, ut sciremus : interrogat, ut dicat nobis non omnino laborem nostrum esse vanum. Quamvis enim vane et sine fructu laboret qui supra petram, sive secus viam, sive inter spinas semen suum jecerit, quod men in terram bonam seminatur fructu pullulabit centesimo: qui bonum attulerint fructum, accipient a Domino præmia æterna laboris : qui vero malos fecerint fructus, igne cremabuntur æterno (*Matth.* XIII; *Marc.* IV; *Luc.* VIII). Adam ergo primus homo primam pro criminis magnitudine accipiens pœnam, primam vanitatis notam tradidit Ecclesiasti, nos secum esse faciens filios vanitatum. Propterea scriptum est: « Homo nascitur ad laborem, avis ad volatum » (*Job.* V). Amor quippe laboris sic insitus est per illum omnibus hominibus, nosque tanquam hæredes exercet ad laborem, et vanitatem. Iste congregat divitias, erudit liberos, ambit honores, ædificia construit, et in medio opere subita morte subtractus audit: « Insipiens, hac nocte auferetur anima tua a te, quæ autem parasti, cujus erunt? » (*Luc* XII.) Maxime, cum de omni labore nihil secum ferat, sed nudus redeat in terram unde assumptus est. Videat itaque quicunque laborat, ne fructu laboris sui careat. Quanquam etenim laboris fructum Ecclesiastes suspenderit, tamen in Evangelio a Domino revelatus est : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos » (*Matth.* XI). Nondum enim, dum hæc scriberet Ecclesiastes, hoc pretiosum unguentum erat effusum : necdum austeritas legis antidoto temperata erat.

VERS. 4. — Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat. » Prima mundi generatio fuit ab Adam usque ad Noe : secunda ad Noe usque ad Abraham: tertia ab Abraham usque ad David: quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis: quinta a transmigratione Babylonis usque ad adventum Domini: sexta ab adventu Domini usque ad finem sæculi. Præcessit quoque generatio Judæorum, id est Synagoga: successit generatio gentium, hoc est Ecclesia. Sic aliis morientibus nascuntur alii, et quos videras non videns, incipis videre quæ non erant. Quid hac vanius vanitate, quam terram in æternum manere, quæ hominum causa facta est, et ipsum hominem terræ dominum in pulverem repente dissolvi? Quamvis enim dicat Dominus: « Cœlum et terra transibunt » (*Matth.* XXIV), hoc non secundum substantiam, sed secundum renovationem ait. Tempore enim judicii effusa desuper flamma reparabitur, et sic juxta Ecclesiastis sententiam terra in æternum stat. Quod philosophi gentium sanxerunt de immobilitate terræ, et de sphærica volubilitate, hoc Ecclesiastes videtur approbare.

VERS. 5, 6. — Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens, gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem. » Brevibus verbis multa comprehendit, proponens nobis rerum historiam et allegoriam. Primo ergo gustemus quam dulcis sit allegoriæ nucleus. Dum enim nos rebus, et res nobis comparat, in cunctis, quæ dicit, causas notat vanitatis. Et, ut aiunt qui de physica ratione tractant, quæcunque patitur mundus, qui Græce κόσμος vocatur, patitur et homo, qui Græce μικροκόσμος, id est parvus mundus, appellatur. Quod mundus in se ge-

neraliter habet,hoc et homo specialiter habere dicitur. Igitur, sicut sol nunc oritur, nunc occidit, iterumque recurrit ad ortum,ita homo modo oritur, dum nascitur; modo occidit, dum moritur; et in matrem suam terram,unde assumptus est,revertitur.Quid hoc est,nisi vanitas vanitatum? Præterea sicut sol exorimur, quotiescunque fidei ignem suscipimus.Iterum veluti sol occidimus,quando ignem fidei perdimus.Hoc enim significant partes aquilonis, ubi perpetuum frigus est. De hujus vanitatis nebula nos liberavit Christus, qui est Sol justitiæ, et repellens peccatorum tenebras,atque in pectoribus nostris nascens calet aspirando, relucetque per nos operando. Quando ergo occidimus migrantes nocte peccati, occidit et recedit a nobis Sol verus Jesus Christus. Dum ergo flectimur propter peccatum ad aquilonem,et ipse pietatis auctor nobiscum flectitur,ut nos liberet de tenebris in regnum claritatis suæ. Gyrat per meridiem ad austrum, dum nos recalescere facit amoris sui igne. Nobiscum renascitur,quoties relicto peccato in filiorum ejus numero computamur. Nunc autem, ut ad historiam redeamus, sol ipse, qui in lucem datus est mortalibus, interitum mundi ortu suo indicat ex occasu. Qui postquam ardentem rotam Oceano inserit, per incognitas nobis vias,ad locum unde exierat regreditur, expletoque noctis circulo,rursus de thalamo suo festinus erumpit. Hoc propterea facit,ut doceat mutationibus temporum et ortu occasuque siderum, humanam ætatem labi,et interire dum nesciat.

« Lustrans universa in circuitu pergit spiritus:et in circulos suos revertitur. » Quisnam est iste spiritus? Hoc enim nomen homonymum est, et multa significat.Sunt enim, qui hunc spiritum solem esse dicant,putantes quod animal sit,et spiret,et vigeat, et annuos orbes suo cursu expleat: sicut et poeta dicit:

Interea magnum sol circumvolvitur annum.
(Virg.,*Æneid.* l. iii, 284.)

Et in alio loco:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
(Id., *Georg.* l. ii, 402

520 Sive quod,ut idem poeta:

Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infixa per artus
Mens agitat molem,et magno se corpore miscet.
(Virg., *Æneid.* l. vi.,424-26.)

Sunt alii qui putant quod spiritus iste ventus sit qui universa perlustrat et circuit.Propterea pictores solent pingere ventos cum alis et pennis, et quasi soleant corporeis spirare cicutis, cum calamis de aperto procedentibus ore conficiuntur. Sapientes hujus mundi,id est philosophi,Creatorem omnium Deum per ea quæ facta sunt,ut ait Apostolus (*Rom.* i), intelligentes, istum spiritum animum, sive mentem, sive animam appellaverunt,quasi omnia implentem, omnia vivificantem. Dicunt illi quod omnia vivificet,omnia vegetet, omnesque creaturas alat,intus sese infundendo per artus mundanæ mo-

A lis;hoc animam mundi Plato appellavit.Quam certis solidans numeris, ac cubica perfectione, simulavit artem naturæ in arte figuræ.Isti quamvis ad plenum veritatem videre non possent, tamen principium et finem ad unum referunt,credentes tenorem omnium rerum in se redire, sicut cyclus gyrando in se revolvitur.Spiritus autem noster anima quoque vocatur, per quam spirando sumus,vivimus, et movemur;illa corpus humanum regit, et vivificat omnia lustrando, meditando perlustrat, altitudinem cœli et profundum abyssi pererrat. Ipsa sentit,meminit, et sapit. Ipsa velox est, subtilis, acuta, mobilis, adeo ut neque dormiente corpore quiescat; videt in somnis futura, bona et mala intelligit, multa præscit, præsens cernit absentia, recolit sibi nota, fin-

B git in imagine non nota.In se tota teres et rotunda est (*Sap.* vi). Hæc omnia, non a se, sed a Deo habens gratias illi refert,et cum Psalmista canit:« Non nobis,Domine,non nobis,sed nomini tuo da gloriam» (*Psal.* cxiii). Erigat nunc nobis scalam sanctus ille David, ut altius scandere possimus, et cum Isaia contemplemur multo intuitu (*Isa.*xxxi): « Verbo, » inquit, « Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum » (*Psal.*xxii) Iste Spiritus Deus est, qui, sicut circulus, potestate, deitate, omnia quæcunque fecit penetrat, ambitque. Certe, si aliqua figura Deitati comparari potest, nulla est aptior circulo,cui nec principium,nec finis cernitur esse. Circulus a se incipit, et in se finitur Hujus circuli quasi unum, usum, et naturam Divinitas habet,quæ cœlum, terram, mare circuit, attingens

C a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (*Sap.* viii).

Vers. 7. — « Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat:ad locum unde exeunt flumina, relabuntur,ut iterum fluant.» Per metaphoram sub aquarum et fluviorum nomine homines significantur,quod in terram,de qua assumpti sunt,redeant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum. Qui autem de naturis disputant,multa quærunt,cur mare non redundet,cum omnia flumina,omnesque aquæ cadant et corruant in eo.Quidam aiunt solem humore nutrire calorem,et sic nimietate caloris superabundantiam maris imminui.Et approbant majus de minori.Si aliqua vestis aliquibus aquæ distillet guttis, calore solis solet exsiccari. Alii dicunt

D quod venti, dum mare perturbant, multitudinem secum afferunt aquarum,et spargentes eas per nubes iterum per pluviam in terram corruant.Et approbant majus de minori. Dicunt enim quod viæ et compita pluviis plerumque mollescunt,ventisque efflantibus iterum siccantur et indurescunt. Aiunt alii quia cœli arcus mare obit, revometque de cœlo aquas potatas. Probaturque ex hoc quod post apparitionem arcus pluviæ cadant.Disputant et alii subtilius. Dicunt quod terra stet in medio Oceano qui eam totam circuit. Sicut ergo caro nostra minutis solet exsudare poris, ita et terra suos habet poros, per quos salsos maris humores in se refluentes recipit,

et in suas deducit venas, donec salsugo maris bene et pure colata omnino deficiat, ac dulcem trahat saporem mutata. Fluctus maris in terras effluit, et flumina terrarum sese refundunt in magnum et sinuosum maris ventrem. Sed dum mare salsum dulces terrarum haurit aquas, quasi insuetam indignans dulcedinem, dulces a se aquas evomit, et in occultas terræ venas projicit. Adjuvat hanc opinionem et natura, quia contraria sibi sunt dulce et amarum, et in uno subjecto simul esse non possunt. Contra tam diversas hujus mundi sapientium opiniones noster Ecclesiastes, et ipsarum Conditor aquarum, dicit aquas per occultas venas ad capita fontium regredi, et de matrice abysso in sua semper ebullire principia.

Vers. 8.— « Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. » Non solum de physicis, sed et de ethicis quod scire difficile est, nec sermo valet explicare causas naturasque rerum, nec oculus, ut rei poscit dignitas, intueri, nec auris instituente doctore ad summam scientiam pervenire. Non tamen quidquid difficile, hoc totum est impossibile. Sæpe improbus labor vincit quod primo impossibile et difficile videtur. Aliquando explicat et reserat sermo quod ordo naturæ implicat. Sunt quædam res difficiles, quæ non explicantur sermone : et sunt res difficiles, quas philosophi et sapientes absolvunt. Sed quis loquendo satisfacere possit auri ? Semper illa prurit, semper nova audire gestit. Tot causæ rerum non possunt aures satiare, tot formæ rerum non possunt oculos informare. Licetque Ecclesiaste teste res cunctæ difficiles sint, aliquo utamur exemplo, quo difficilia superemus. Dicitur fabulose, et non sine causa, somnus duas habere portas, unam eburneam, alteram corneam. Sed cornu, quanquam durum sit et asperum, ita nen per aquam calidam sic aptatur, sic attenuatur, ut visu cum pertranseas, et quod erat natura impossibile, arte possibile reddidisti. Quis autem ebur, quamvis cornu protiosius sit, sic poliat, sic flectat, ut visui nostro penetrabile fiat ? Hoc omnino impossibile est. Cornu nobis translucet, cum valemus mente et actu, et quod natura nobis difficile est, arte et labore nostro facillimum redditur. Hoc ebur non patitur ut per illum aspiciamus, ideoque res signat penitus difficiles et latentes, a quibus et oculos nostros avertit, et aures.

Vers. 9, 10, 11.— « Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est ? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est : jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. Non est priorum memoria : sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo tempore. » Paucis verbis multa comprehendit, et cum Aristotele substantiam dividit et accidens. Omnis enim res aut substantia est, aut accidens, ita ut neque accidens sine substantia, neque sine accidente substantia esse possit. Accidens quip-

A pe sine aliquo substantiæ fundamento esse non potest : substantia vero ipsa sine superjecto accidenti videri nullo modo potest. Ut enim color sit, quod accidens est, in corpore erit, quod est substantia. Porro autem cum corpus, id est substantiam, videris, insignitam eam accidenti, id est aliquo colore, respicies. Itaque fit ut neque substantia præter accidens sit, neque accidens a substantia relinquatur. Ubi enim substantia **521** fuit, mox accidens consecutum est. Sic Ecclesiastes in eo quod ait, *fuit*, *est*, et *erit*, substantiam manifeste demonstrat : in eo vero quod dicit, « quid factum est, » et « quid faciendum, » varios eventus rerum ostendit cum accidentibus suis. Videtur ergo de his quæ supra enumeravit, generatione et generatione, mole terrarum, ortu
B solis et occasu, omnibusque, quod aut cogitatione, aut visu, aut auribus discimus, non communiter loqui, quod nihil sit in natura rerum, quod ante jam non fuerit. Ab initio enim mundi et homines nati, et mortui sunt, et terra super aquas librata constitit, et sol ortus occubuit. Et, ne plura loquar, et avibus volare, et natare piscibus, et terrestribus ingredi, et serpentibus labi Deo artifice concessum est. Huic quid simile sententiæ et Comicus ait : « Nihil est dictum, quod non sit dictum prius. » Quod si in sermonibus nihil novum dici potest, quanto minus in administratione, quæ ab initio sic perfecta est, ut requiesceret Deus ab operibus suis die septimo (*Gen.* II). Pereat ergo hæresis Epicureorum, qui plures mundos esse, vel fuisse mentiuntur, dicentes animas mortuorum in alia sem-
C per relabi corpora, et iterum vivere. Hinc Pythagoras, ut ipsi fingunt, in pavonem se transanimavit, anima Pythagoræ in Ennium, et sexta sorte in Virgilium requievit. Hæc omnia dissipat Ecclesiastes, qui ait : « Non est priorum memoria, nec eorum quidem, quæ futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo tempore.

Ecce quem subito stupebam, et mirabar exclamasse : « Vanitas vanitatum, » quid tardat, quid moratur reddere verbi et clamoris sui rationem ? Cur tantam fecit digressionem ? Suspendere et quasi fallere nos vult, ne reddat rationem pro se. Sed absit a me, ait Ecclesiastes, reddam rationem per me festinanter. Certe, qui dixi : « Vanitas va-
D nitatum, et omnia vanitas, » possum videri majestatis reus, et in Deum peccasse, si inter vanitatem creaturas ejus reputarem. Sed non recessit ita retro cor meum (*Psal.* XLIII), ut non sentirem de Domino in bonitate (*Sap.* I). Qui enim omnia bona fecit, nulla utique mala fecit. Qui nulla mala fecit, quomodo omnia vana fecit ? Respice triplicem creaturam, cœlum, terram, mare ; nihil est vanum in eis, nihil in eis nisi certum. Terra stat in æternum : homines quotidie aliis morientibus nascuntur. Militiam cœli, id est solem, lunam et sidera, a debito cursu quando errare videbis? Cohibet mare flumina, et fontes limes præfixus : nihil fortuna

potest in rerum natura. Si ergo intendas, homo, plus justo ad capiendas res tam difficiles, oculi tui vincuntur et aures. Nihil deest exemplo : Vel continuus ordo rerum auget fidem ; adhuc per totum orbem temporis, quod fuit, et quod factum est, et adhuc restat faciendum. Hæc causa fuit, quæ nos suasit tot et tanta præmittere, quæ non patitur inter vanitatem reputari opus Creatoris. Laudo enim creaturam : amplius laudo creaturæ Creatorem. Ne ergo vanus fiam, ne vanitatem recipiam, primus mihi occurro, arguam me, et statuam contra faciem meam (*Psal.* XLIX), et, ut te videas in me, prius exordiar a me.

VERS. 12, 13, 14, 15. — « Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem, et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de his omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. » Ecce causidicus noster palam omnibus ostendit unde tantam potuit habere scientiæ gratiam. *Proposui*, ait, *in animo meo*, cor apposui studio, favit doctrina studenti, et accessit acumen vivacis ingenii. Non duxi vitam, sicut quidam faciunt inertes, per otia, toto pectore anhelans ad investigandum opus Creatoris mei. Quæsivi, inveni, revolvi cuncta ruminando in animo meo. Alta et stupenda notavi, quæ, quod fiant, scio ; sed, cur ita fiant, nescio. Istam occupationem dedit nobis Deus, ut laboremus, inveniamus, inventa cur ita fiant non videamus. Esau antequam esset natus, quare reprobatus est ? quo merito adamatus Jacob nondum natus ? (*Rom.* IX.) Quibus culpis infantes a dæmonio cruciantur ? Quo crimine parvuli sine baptismo morientes infernali igne detinentur ? Justus et injustus sine ullo discrimine pariter cadunt, simul laborant, æqua peste conficiuntur. Injustus regnat : justum injuste, ut mihi videtur, male vexat. Præsto sunt mala bonis, et bona malis abundanter adsunt. Et talia hæc tanta videntur, et tanta leguntur, ut cœli stellas, pluviæ guttas, maris arenas citius enumerem. Sed in omnibus his justus Dominus ; et, sicut ait Psalmista : *Judicia Domini abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Et Paulus quoque de talibus ad Romanos : « O homo, quis es, qui respondeas Deo ? » (*Rom.* IX.) Igitur contra justitiam Domini disputare, vanitas vanitatum est, et afflictio spiritus. Nam « perversi difficile corriguntur : et stultorum infinitus est numerus. » Perversi dicuntur, qui depravati sunt a recto. Hoc contra hæreticos, qui quasdam naturas introducunt, quæ non recipiunt sanitatem. Vere Deus qui omnia fecit, et bona cuncta creavit, angelos et nos faciens rationales, et ad imaginem suam, omnibus creaturis præfecit (*Gen.* I) ; illos nobis, et nos cæteris creaturis. Illorum autem princeps diabolus cecidit *sicut fulgur de cœlo* cecidit (*Luc.* X), et beatitudinem, quam ipse perdidit invidens hominibus, perversus factus

A innumerabiles secum perversos facit, ut vera sit illa Domini sententia : *Multi vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX).

VERS. 16, 17, 18. — « Locutus sum in corde meo, dicens : Ecce magnus effectus sum, et præcessi sapientia omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. Dedique cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque, et stultitiam : et agnovi quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus : eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui addit scientiam, addit et laborem. » Philocritorum et vere philosophantium hic personam et causas agit Ecclesiastes : Quem divina repleverit gratia, ut dicere possit cum Psalmista : « Concupivit anima mea

B desiderare justificationes tuas in omni tempore » (*Psal.* CXVIII), hic vere sapiens est : et principium est sapientiæ, si dignitatem suam cognoverit, quod ad imaginem Dei creatus, et recreatus sit. Et ideo secundum excellentem gloriam, bonorum operum meritis templum Dei efficitur. Qui non solum cæteris creaturis irrationabilibus, sed etiam his præsunt, qui ritu pecorum irrationabilium vivunt. Certe qui vere Christianus est, præcellit eos qui fuerunt in Jerusalem, antequam illa in cœlestem urbem strueretur, antequam virtutum gemmis, et fidei auro renovaretur. Hæc est enim de qua Joannes loquitur in Apocalypsi : « Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam » (*Apoc.* XXI). Si quis ita sapienter contempletur res divinas,

C et speculetur quid divinarum velit sapientia rerum, quid mediocriter utilium rerum prudentia, errores et stultitias deculcans, iste per viam doctrinæ ambulans plurima videt, multa contemplatur. In talibus discendis, vitandis ac tenendis multus labor est, et afflictio spiritus. Viderat hæc sapiens Ecclesiastes, non tamen vanis annumerat scire bona et mala. Nam scire malum et **522** vitare virtus est, sicut bona semper facere perfectio bonorum est. Cogitavi universa quæ in mundo fiunt, et nihil aliud deprehendi quam vanitatem, et malitias, id est miserias spiritus, quibus anima diversis cogitationibus afflictatur. Multum tamen prodest discere quæ sit Pythagorica littera, quæ in sinistra lata est et spatiosa, in dextra autem arcta et angusta. Arcta nos gravat, spatiosa delectat, sed in utroque labor

D est, utrobique afflictio spiritus, quomodo quis latam declinet viam, quomodo transeat per arctam. Quis enim amet virtutes, nisi pugnet contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus ? (*Ephes.* VI.) Est labor in pugnando, labor in amando. Virtutes sequendæ sunt, stantes in medio vitiorum. Quis autem vitiis obsistat sine pugna ? Si sobrius fueris, latrat hinc canis, inde urget lupus rapax. Hinc humilem simulatio : inde superbia pungit. Sic una virtus duobus ambitur vitiis : et « nemo coronabitur, nisi legitime certaverit » (*II Tim.* II). Non enim cœpisse, sed perfecisse, virtus est. Præterea quos divinitus cœlestis illustrat sapientia, in his est labor et afflictio,

spiritus. Indignantur enim quodammodo, qui habent studium sapientiæ, quod sapientia multis sit clausa sigillis, et non possint aperiri, sine magno labore, et spiritus sui contritione, ejus thesauri : et, quanto plus laborant, minus se scire putant. Addunt quoque laborem, ut plus scire queant. Et, cum non possint omnia scire, additur illis labor. Ita multa scientia multum nos facit indignari. Alius aliter sapit, et quanta magis sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur subjacere vitiis, et procul esse a virtutibus quas reliquerit. Videt enim aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivum se ducentem in lege peccati, et mortis (*Rom.* VII) : suspiransque ad cœlestia quæ perdidit gaudia, cupit dissolvi, et cum Christo esse (*Philipp.* I). Sed hoc suspirare, et dolere, magna scientia est : illud ignorare magna dementia. Multum quippe est, scire quid nescias. Notandum autem de Salomone quod non fuit sapientior Abraham, et Mose, cæterisque sanctis, sed his tantum, qui fuerunt ante se in Jerusalem.

CAP. II, VERS. 1, 2. — « Dixi ego in corde meo : Vadam et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem ; et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ? » Modo Ecclesiastes illius assumit formam, qui nescit quæ sit natura boni, luxum carnis et deliciarum summum bonum existimans, et totam spem suam ibi reponens : quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error leviter attendens, vitam sibi ex tempore ducit. Hic qui talis est, dicit ex ore Ecclesiastis : Si multa indignatio gravat sapientem et qui addit scientiam addit et laborem, cur ego crucior die ac nocte amore studioque discendi ? Multa meditatio concutit ossa, consumit corpus, insanos et excerebratos plerumque reddit : quod satis est, sapio mihi : cur ego scire laborem artes quas liberales vocant ? cur legam Platonem, Socratem, et Aristotelem ? paupertas mea suggerit ut mihi præcaveam, assumam spem longam, cogam divitias, vivam cum eis, et tot affluendo bonis, gaudia carnis non perdam : delicietur caro mea libera animi imperio. Talibus verbis occurrit Ecclesiastes dicens : Non est bonum ita deliciari, et non spiritui, sed soli carni vivere : escis distendi, cor ebrietate gravari, vinciri curis carnis tanquam compede mortis. « Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis? » Ergo, sicut irasci hominis est, sed iram non perficere sapientis : sic omnis caro concupiscit quidem ea quæ carnis sunt, et quibusdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit. Sed bonorum est voluptatis ardorem majori Dei amore restinguere, et lasciviens jumentum frenis inediæ subjugare, ut non libidinem, sed cibos quærat, ac desideret sessorem, et suum Deum moderato atque composito portet incessu. Approbo tamen honestum risum : approbo seria mentis gaudia. Aliquando bonum est ridere, si causa bona, et modus adsit. Non sit excussus, non sit pronior ad vitium, ne vertatur in usum pravum. Sicut ebrius errat, et nescit quo eat ; ita qui excutit risum suum, devius errat. Præterea gaudere bonum est, si causa bona est, et modus adsit, si quis gaudet in Domino. Quandiu tamen vivit in isto mortali corpore, non est plenius gaudendum : quoniam autem videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, reputabit pro vanitate, quod nunc videt per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII) Qui autem gaudet plus quam necesse sit deliciando, hic stultus est, amans vacuam gaudendi umbram, et nunquam poterit veram comprehendere lætitiam. Hæc est decipula, et vacua umbra, per quam decipitur qui nunquam gaudere meretur. Hinc Dominus : « Videte, » ait, « ne graventur corda vestra in crapula » (*Luc.* XXI) ; et in alio loco : « Væ vobis qui gaudetis et ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis » (*Luc.* VI). Certe Crassus risum deputavit errorem, qui semel in tota vita risisse dicitur. Sed supra vel infra hominis naturam fuit istud. Nam proprium est hominis ridere, mirumque valde est quod proprio suo abstinere potuit. Infra naturam hominis fuit, si vitio mentis suæ risum fugiendo semper tristis fuit : supra naturam fuit, si risum fugiendo per virtutem Ecclesiastis præceptum complevit.

VERS. 3. — « Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitium, donec viderem quid esset utile filiis hominum : quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. » Non hic alius loquitur quam qui supra sed multorum sibi assumens personas, quasi bella vel duella movet; et nunc quid desideret spiritus, quid velit caro, insinuat. Qui superius carnalibus præcinctus armis deliciando, et spatiando regnabat in arce voluptatis, contra naturæ dignitatem spiritui imperabat. Hunc aliis armis, hunc ecce resumptis viribus spiritus impugnat et expugnat ; arma ejus aufert, in quibus confidebat : legibus suis leges ejus obliterat. Cedat, ait, superbia præsumpta domitæ carnis. Imperavit illa injuste ; nunc juste serviat juste imperanti. Nam, ut ait quidam, animi imperio, corporis servitio magis utimur. Igitur discat ferre jugum, frenum patiatur in ore, facile vincetur, si semen vitii tollatur. Vino abstineat, quia lascivit ebria vino. Qui vino sopitur, nescit se, sumet et quibus abstinebit vitiis qui seipsum nescit? Qui vino indulget, simplici victu non est contentus : et qui multis distenditur cibis, gravatus corpore et anima. Qui fuerit vegetus sensu, qui se simplici nutrit victu, investigare potest bona quæ a Deo sunt, quæ illi sapientia revelabit : investigabit etiam quæ vitare debeat mala. Iste videbit quid utile sit nobis, non semel aut crebro, sed toto vitæ tempore. « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit » (*Matth.* X).

Cum Deus multa bona creaverit in usus hominum, cur iste a solo vino carnem prohibet suam ? Scimus vinum a Domino pro jucunditate creatum

(*Eccli.* XXXI), quia scriptum est : *Vinum lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII). Virtus vini apparet etiam in florentibus vineis, quia nullus serpens, nullum animal venenatum odorem florentis vineæ diu potest pati Cum calida sunt adhuc et recentia musta, rumpunt integra vasa, si non habuerint spiracula. Ita nos sæpe rumpit et corrumpit vinum immodice **523** potatum, superflue sumptum. Sicut ignis probat ferrum : ita cor hominis vinum. Si bonum est ferrum, in varios usus parat ignis : si malum, in ignem totum minutatim concidit. Quis ignis nobis gravior quam vinum ? Sola viventium salamandra serpens in igne mori non potest. Quæ cum omnium serpentium gravior sit, solo enim tactu arboris poma inficit, ideo habet a natura ut vivat in igne. Certe ego plus miror, si mens bene aliquando vivere possit, sub igne vini. Multa habemus experimenta, quanta mala sæpe acciderint per vinum. Noe, qui primus apud nos usum vineæ invenit, jacuit ebrius et nudatus in tabernaculo suo, et maledictionis sententia Chanaan percussit (*Gen.* IX). Lot sulphur et ignem fugiens evasit, sed vini igne graviuscule vulneratus, filiarum suarum amplexus vitare non potuit (*Gen.* XIX). Sacerdotes tempore sacrificii a vino arcebantur (*Levit.* X), ne per vini dulcedinem mentis perderent rationem. Credo et vinum esse unum de quatuor, quæ Darius rex proposuit absolvenda (*III Esdr.* III) : hæc enim quatuor fuerunt : vinum, rex, femina, verum. Bene ergo sapientes a nimio vino abstinent, quia nisi cerebrum sanum fuerit, omnia membra in vitio erunt. Nam et Tullius ait: Caput est artis, docere quid facias. Sunt enim quidam ignorantes mensuram suam, et tantæ stoliditatis ac vecordiæ, ut et in motu, et in incessu, et in habitu, et in sermone communi, risum exspectantibus tribuant, et quasi intelligentes quid sint ornatus, comunt se vestibus, et munditiis corporis, et lautioris mensæ epulas parant. Quod autem doctrina a sacerdotibus exspectatur (*Malac.* II), et veteris præcepta sunt legis, et ad Titum Apostolus plenius scribit (*Tit.* I). Innocens enim et absque sermone conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est.

VERS 4-11. — « Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas ; feci hortos, et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus, et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium; possedi servos et ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque et magnos ovium greges ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem: coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum, ac provinciarum : feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiarum hominum scyphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda: et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum. Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram: et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. » Jam persona mutata, mutatur etiam et causa. Multa superflua in magnificentia sua locutus est Ecclesiastes: sed, si nudam sequamur litteram, nonne Heraclitus et Democritus, mundi sapientes, qui vario affectu damnant omnia vana Democritus ridendo, Heraclitus plorando, si hæc pervidissent, audituve didicissent, regem magnifica egregie nimis sapientem damnassent tam vana sequentem, tam vana probantem ? Si nihil innueret, nisi quod littera sonat, non fuisset Ecclesiastes melior Sardanapalo, qui qualis fuerit, tumulo superscripsit, dicens : Quanta habui, quam multa edi, quam multa reliqui. Hoc ipsum certe potuisset in sepulcro bovis aut asini scribi. Sed, licet talis sit littera in cortice, dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem. *Revela*, inquit David *oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII). Si tantus propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putamus parvulos et pene lactentes inscitiæ nocte circumdari? Sæculi ergo lætitia est impunita nequitia, luxurientur homines, et fornicentur, in spectaculis nugentur, ebrietate ingurgitentur, turpitudine fœdentur, et ista mala non castiget fames, non belli timor, non aliquis morbus, non aliquæ adversitates, sed omnia in rerum abundantia, in securitate malæ mentis, inde est sæculi gaudium. Sed alia est Dei cogitatio, alia hominis. Magnæ misericordiæ est, nequitiæ impunitatem Deum non relinquere, et, ne cogatur in gehenna damnare, modo flagello castigare. Pro magnitudine, inquit, iræ suæ non requirit, quia multum irascitur. Severitas, quasi sæva veritas. Redeamus ergo ad nostri Ecclesiastis mirifica opera. *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos.* Magnificat Deus species operum suorum, quæ in mundo facit, qui omnia sapienter facit. Ædificat suis plurimas domos, quia in domo Patris ejus mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). Quas nimirum mansiones bene nobis distinguit meritorum diversitas. Talibus itaque repletos virtutibus, Christus Dominus ad nos venit, et mansiones apud eos facit. Hinc et Apostolus ait : *Templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (*I Cor.* III).

Plantavi vineas. De plantis fidei nostræ crevit vinea Dei Patris, quam per certas horas conductis cultoribus pastinat, putat, propaginat, maritat, bis fodit, lætamine impinguat, ambit sepibus et maceria: unus datur denarius omnibus, primis et novissimis (*Matth.* XX).

Feci hortos et pomaria. Areolas horti sui bene Ecclesiastes digerit: noster autem Ecclesiastes mentes nostras, de quibus Apostolus ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* XII), colit et digerit virtutum areolis, ut jugi viriditate fructificent. Certe

tot areolæ ibi sunt quot spiritualia dona,sicut scriptum est : *Alii datur sermo sapientiæ* (*I Cor.* III), etc.Iste plantat, ille rigat, sed Deus incrementum dat (*ibid.*).

Et consevi ea cuncti generis arboribus. Pomaria consita cuncti generis arboribus,Christi est Ecclesia,ædificata sanctis hominibus,virtutum meritis a se invicem differentibus.Istæ arbores fructus ferunt spirituales.Nascitur enim ex his charitas,patientia misericordia, mansuetudo, pax, et cætera bona. Quamvis arbores proprie fructiferæ sint, sunt tamen ligna altitudine præstantia, quæ si non ferunt fructum, tamen ferentes sustentant. « Qui » enim «recipit prophetam in nomine prophetæ,mercedem prophetæ accipiet:et qui recipit justum in nomine justi mercedem justi accipiet » (*Matth.* X).

Et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium. Quid per piscinas, per quas aqua deducitur, nisi artem et ingenium, quibus usus suppleatur naturæ, designatur ? Cum multi ad credendum neque prædicatione, neque signis et prodigiis invitati paruissent, tandem respectu et inspiratione Dei per artis et ingenii adjutorium conversi sunt,et terra bona dedit fructum centuplum (*Matth.* XIII).

Possedi servos et ancillas. Servos et ancillas Ecclesia nutrit;servos fidentes robore,ancillas pudore ferventes exercent ad obsequium dominantis.Servi sunt utiliores meritis et viribus, quos non tamen cohibet timor servilis, sed adoptio præstat spiritualis,ut non jam servi,sed Domini dicantur amici (*Joan.* XV). Isti inter filios computati clamare jam didicerunt : *Abba, Pater* (*Rom.* VIII ; *Gal.* IV) Ancillæ vero sunt meritis et virtutibus inferiores, quos nondum perfecta solidavit dilectio, nec charitas adhuc expulit de cordibus eorum timorem (*I Joan.* IV).

Multamque familiam habui. Multam Ecclesiæ familiam et Apostolus describit dicens: « Unicuique **524** nostrum data est gratia,secundum mensuram donationis Christi »(*Ephes.* IV),etc. Quot sunt membra in corpore,tot sunt ministri in domo Ecclesiæ: et quot sunt vasa in domo, tot vult esse officiales domus. Illo conditio, devotio subjicit istos. Illos virga ferit : monet istos prona voluntas. « Et nos singuli membra sumus,alter alterius membra(*Rom.* XII).donec occurramus in virum perfectum,in mensuram ætatis plenitudinis Christi(*Ephes.* IV),ubi non erit servus et liber,Judæus et gentilis, barbarus et Scytha,sed erit Deus omnia in omnibus »(*Coloss.* III).

« Armenta quoque et magnos ovium greges,ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem.» Quod dicit « ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem, » non ad grandem gloriam pertinet Salomonis, uno patre suo rege ditiorem fuisse, quia sub Saule tantum regnatum est in Jerusalem. Altius itaque tractandum quæ sit Jerusalem,et quomodo Ecclesiastes ultra ante omnes qui se præcesserant in Jerusalem,ditior fuerit.Habet itaque et Ecclesia armenta,et magnos

A ovium greges. Boves et oves in Ecclesia sunt, qui simpliciter quidem vivunt, sed multa utilitate præcellunt. Nam quadrupliciter usus ovis nos alit, intus et extra. Validos enim carne cibat, lacte potat pusillos, vellere suo nuda membra tegit, repellit pelle frigus. Sic sancti Patres quos generant verbo prædicationis, verbi lacte rigant,et impinguant de carne Jesu Christi;et qui nudi sunt bonis operibus, et pigri frigore mentis, illos virtute tectos fovent calore pietatis internæ. Quid autem propius carni pelle cohæret?Sic filiis talibus auxilio illi viciniores erunt Diligentius nota quod in servis, et ancillis, et vernaculis multitudo non additur:in bobus vero et ovibus dicitur, *armenta et magnos ovium greges.* Plura quippe in Ecclesia armenta quam homines,
B plures oves quam servi, ancillæ, atque vernaculi. « Non » enim « sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in » sanctis(*Rom.* VIII). Satis autem delicati sunt, qui et hic volunt gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo. Veniet,veniet illa dies qua corruptivum hoc et mortale induat incorruptionem et immortalitatem : tunc et vocem tubæ pavebit terra cum populis (*I Cor.* XV).

« Coacervavi mihi argentum et aurum,et substantias regum ac provinciarum.» Si computemus argenti et auri magnos thesauros, et multam substantiam regum et regionum, ditior est Ecclesia non Ecclesiaste solum, sed omnibus regibus ubique terrarum, qui divites appellantur. Clara per argentum
C facundia, pura per aurum vita justorum figuratur. Unde David : « Eloquia Domini,eloquia casta,argentum igne examinatum » (*Psal.* XI). Confert aurum Ecclesiæ scientia mundana : addit et argentum philosophorum sapientia. Cum scriba doctus in regno cœlorum, proferens de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII), clarus sit ut argentum, probatus vita tanquam aurum, sapientes mundi irretit cassibus. quas struit sapientia mundi, et capit divini verbi astutia astutos. Vere suis artibus capitur carnis prudentia. Quam multi venientes ab Oriente et Occidente, et quanti reges semetipsos bene regentes replent Ecclesiæ Christi thesauros claro et nobili censu, argento videlicet fidei, et bonitatis auro ? Isti quodcunque decoris, quidquid honoris habebant, Domino devotissima et promptissima mente offeren-
D tes, nihil sibi reservaverunt ex omnibus. Voluntas eorum fuit, ut verus Ecclesiastes opibus et operibus eorum ditaretur, et propterea ab ipso liberarentur ab omni malo. Judicaturo enim Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole sua vere tunc ignitus Jupiter,adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc justi quique exsultabunt, et gaudebunt,dicentque : Ecce crucifixus Deus noster, ecce judex qui obvolutus pannis in præsepio vagiit : cerne manus, Judæe, quas fixeras ; cerne latus,Romane,quod foderas.

Feci mihi cantores et cantatrices, et delicias filiorum hominum. Cantores et cantatrices quibus Ecclesiastes deliciabatur, vix tenuis umbra fuerunt cantorum et cantatricum veri Ecclesiastis, qui jugiter in domo Ecclesiæ jucundantur, canentes, aliquando propria voce, aliquando pulsu manuum, aliquando flatu oris. Cantores adsunt *Moyses et Aaron in sacerdotibus suis, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (*Psal.* XCVIII) : non enim Samuel sacerdos fuit, sed Levita. Cantatrices adsunt soror Mosi Maria, *in medio juvencularum tympanistriarum* (*Psal.* LXVII). Cantores canunt David, Idithum, Ethan, Eman, Asaph, Isaias, Jeremias, Habacuc, Zacharias : cantatrices Debbora, et mater Domini Maria. Cantores autem cœlestia dulci in acutis voce modulantes exempla trahunt nos post se, ut curramus in odorem unguentorum eorum (*Cant.* I) : cantatrices terrena in gravibus decantant carmina, ut consolentur eos qui adhuc secum in omni pressura sunt (*II Cor.* I). Cantores et intelligunt et cantant mystica rerum : cantatrices adhuc discunt ut possint cantare mystica rerum. Cantores fortes contra omnia adversa, et pleni supernorum spe desideriorum, præcantant in acutis dicentes: « Nostra conversatio in cœlis est » (*Philipp.* III). Et David: « Lætabor et exsultabo in te, psallam nomini tuo altissime » (*Psal.* IX); altissime, inquit, id est altissima cordis devotione. Cantatrices bello carnis grassante subactæ, dolent culpas suas, et cantitant per diapason in gravibus, dicentes: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum » (*Rom.* VII). Et David: « Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea » (*Psal.* CXIX), et in Job legimus: « Militia est vita hominis super terram » (*Job.* VII). Ad hoc enim laboramus, et in sæculi hujus periclitamur militia, ut in futuro sæculo coronemur. Nec mirum hoc de hominibus credere, cum Dominus ipse tentatus sit (*Matth.* IV), et de Abraham Scriptura testetur, quod Dominus tentaverit eum (*Gen.* XXII). Cantant cantores angelicæ turbæ, gaudentes quod a Deo ita sint solidati, ut non possint neque velint ultra peccare. Cantant cantatrices angelicæ choreæ, congaudentes mulieri, quod drachmam decimam, quæ perierat, invenerit (*Luc.* XV). Angelus ut cantor ad cunas Domini altissima voce decantat: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis » (*Luc.* II). Angelus ut cantrix solatur agonem Domini Jesu, cernens de corpore ejus sanguineas distillare guttas (*Luc.* XXII).

Scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda. Non caret Ecclesia urceolis et scyphis. Ipse Filius Dei calicem bibit, quem dedit illi Pater (*Joan.* XVIII). Habet urceolos minores, habet graviores scyphos : habet scyphos pietatis, habet urceolos iræ : vitam dat pietas, mortem dat urceus iræ. Cum cœnaret ultimum pascha cum discipulis suis, bibit ipse urceolum legis, quæ removenda erat, dedit secundum
A calicem, Evangelii scilicet primordia, corporis et sanguinis sui sacramenta. Qui sanguis omnes redimit, sacrat redemptos. Bibit urceolum Dominus, quando de torrente in via bibit, transiens ad vitam, et solvens quod debuit Adam. Accepit scyphum magnum resurgens a mortuis, cum bibit novum germen in regno Patris. Hoc etiam et in Ecclesia aliquando contingit. Dat nobis confessio urceolum fidei, cum mortificatis membris
525 nostris in secreto mentis quasi martyrio cruciamur. Majorem dat suis Christus calicem ad bibendum, quando corpora sua pro illo tradunt ad supplicia : *majorem* enim *charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV). Quid jucundius his, quid deliciosius istis deliciis?
B Filiorum hominum deliciæ illis comparatæ nihil sunt. Istas delicias Ecclesiæ, sive Ecclesiastis, si numeremus, decem et septem inveniemus. Exempli gratia : ædes, vites, piscinas, pomaria, hortos, servos ancillas, pueros, armenta, greges, aurum, argentum, substantias regum, cantores, cantatrices, urceolos, scyphos. Istum semper numerum decem et septem mysteria sacrarum rerum sacrant, sive per decem legis præcepta, sive per septem sancti Spiritus charismata. Decem enim sunt præcepta legis, et septem charismata Evangelii. Quod species rerum hic numerus specierum parit? Nam decem et septem, sedecim, quindecim, quatuordecim, tredecim, duodecim, undecim, decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, tres, duos, et unam, si pariter
C numeres, quasi sub una nata teste, invenies centum quinquaginta pisces, quos traxit Petrus rete fidei, de magno mari hujus mundi ad littus Evangelii. Quot Petrus habuit pisces, tot opes habet per se multiplicatas Ecclesiastes: et, quod significant Petri pisces, hoc significant Ecclesiastis species. Igitur, sicut Ecclesiastes omnibus eminuit, qui fuerunt ante se in Jerusalem : ita regnum Ecclesiæ præcellit et præcellet in æternum super omnes populos terræ.

Sapientia quoque perseveravit mecum. Laudatur Democritus a philosophis, quod sic attente philosophiæ vacaret, ut non curaret quod ante oculos suos pecora aliena culta ejus vorarent et devorarent. Sed pluris fuit Democrito Ecclesiastes etiam in hac parte, quoniam in tantis, quæ narravit,
D divitiis constitutus, *Sapientia*, inquit, *perseveravit mecum*. Magnum quippe est, inter tantas opes et tantam gloriam animi virtutem non perdere. Quod vero dicit, *Sapientia perseveravit mecum*, non de plenitudine, sed de parte intelligitur. Solus enim Dominus noster Jesus Christus sine diminutione sapientiæ sapiens fuit; quia, sicut ait Apostolus : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II). Crescere autem perfecto nihil potest, pleno nihil deest. Quamvis enim de illo scriptum sit : *Proficiebat Jesus ætate et sapientia apud Deum et homines* (*Luc.* II); profectus iste non secundum se, sed secundum eos quibus proficere videbatur dictus

est. Ostendebat enim quotidie per partes sapientiam, de qua sine incremento plenus erat.

Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur. Oculi animæ et mentis intuitus contemplationem desiderant spiritualem, quam peccator ignorans prohibet a vera jucunditate cor suum. Hæc enim portio nostra est, præmiumque perpetuum, si hic pro virtutibus laboremus. Qui bene sapit, et tantis exuberat bonis nostri Ecclesiastis, non oculos, non cor suum fraudet quin delicietur fruendo bonis, sapienter vivendo paratis.

« Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. » Est quippe vanitas et afflictio spiritus, cum multo parare labore animi et corporis, quibus uti illicitum sit. Quod autem dicit in fine sententiæ, nihil manere sub sole, illos notat et arguit quos gloria mundi et res nimium delectavere secundæ. Stultum est ea velle appetere, quæ vana sunt, et permanere non possunt.

VERS. 12-14. — « Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam. (Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem factorem suum ?) Et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat. » Mira res. Qui modo plantabat, serebat, ædificabat ; qui modo quærebat quæcunqe jubebat cupido animæ suæ et desiderium, nihil aspiciens in rebus humanis nisi vanitatem, alterat affectum, usum cupiditatis variat, transit ad contemplandam sapientiam. Quæ si esset facilis ad inveniendum, non illam toties quæreret Ecclesiastes, non ad illam toties suspiraret, non toties quasi et impulsus et repulsus spe victoriæ ad illam repatriaret. Si illam inventam facile posset tenere, errores et stultitiam simul non quæreret. Sed, qui bona vult investigare et scire, expedit ut quærat et sciat contraria bonorum Nam qui rosam vult accipere, caveat ne a spina pungatur. Quid enim sapienter aget, qui nescit boni ac mali discretionem, qui non videt sapientiæ et stultitiæ contraria, sive opposita? Errores et stultitia sæpissime per simulationis studium et vitium usurpant sibi partes sapientiæ. Si prima virtus est malum non agere, sapientia summa stultitia caruisse. Carebit autem stultitia, qui cognoscendo Deum seipsum post illum agnoverit. Qui Deum cognoscit, ad exemplar ejus vivere debet. Dominum namque sequitur, qui imitatur. Quare autem dubitando dicit Ecclesiastes: *Quis est homo ut sequi possit Creatorem suum?* cum Dominus ipse homines moneat ad se sequendum dicens: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XIX.) Eritis sancti, perfecti, me sequendo. Gratia ergo dat nobis perfectionem et sanctitatem, quam ipse habet substantialiter ; et ipsum sequendo sumus, quod ille naturaliter. Cum ergo dicit dubitando, *Quis est homo qui sequi possit Creatorem suum*, detegit cor male credentis et arbitrantis levius esse contra torrentem manus extendere quam sequi hominem Creatorem suum. Moxque de corde suo loquens, excipit, et sustentat tanquam suppositis humeris labentem desperando, et ait : Curre, fili mi, curre, accipe fidei clypeum, labor et fides vincunt asperrima, audentes Deus adjuvat, viresque ministrat : curre, sequere Deum Creatorem tuum, se sequentes ille trahit post se. Prima rota carri cum trahitur, trahit ulteriorem post se, ista quidem sequitur, sed non assequitur anteriorem. Sicut prima facit posteriorem currere post se, sic te currentem adjuvat Deus, et trahit ad se. *Et vidi*, tuque vide, *quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.* Lux vera Filius Dei est (*Joan.* I) ; vera Patris sapienta est. Quod sapientes vocamur, quod filii lucis appellamur, hoc habemus ex gratia, non ex natura ; lux est in Domino, qui adhæret Domino lucis, comparationem lucis illius nos tenebræ nuncupamur. Sed qui hanc lucem oculis cordis et a longe intuetur, hic sapiens appellatur et est. Idcirco non incongrue ait : *Sapientis oculi in capite ejus.* Qui enim in perfectum virum venerit, et meruerit ut caput ipsius Christus sit, oculos suos semper habebit ad Christum, et eos in sublime elevans nunquam de inferioribus cogitabit. Sequitur enim regem factorem suum. *Stultus in tenebris ambulat.* Qui, carens lucis ratione, non os, non oculos, non cor ad altum suspendit, non sequitur, neque imitatur regem factorem suum. Non est ex illorum consortio de quibus dicit : *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII).

VERS. 15-17. — « Et didici quod unus utriusque esset interitus. Et dixi in corde meo : Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam ? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus. » Dixerat Ecclesiastes quod sapiens a stulto tantum differret quantum lux a tenebris, hocque rationabili explicuerat **526** ordine, veris confirmaverat sententiarum allegationibus. Quos ergo illa non accendant, non inflamment ad percipiendum sapientiæ vexillum ? Sed rursum duplici scindimur hamo dubitandi. Nam dubitans aliquis, quid talis sit distantia inter sapientem et stultum, cum sint omnes unius conditionis, contra Ecclesiasten quasi objurgando obloquitur: Quid, ait, distinguis quod unit Deus et natura ? Non sic distinguit quos ab initio de una terræ materia creavit, quibus unius naturæ animam est largitus, novas quippe in eis quotidie creat Deus animas. Indoctum itaque et doctum Deus et natura creavit. Quamquam distemus accidentibus, in specie genus nos unit. Coæquas stultum nocti, doctum diei. Dant promissa tua fidem, sed *spes quæ*

differtur affligit animam (*Prov.* XIII). Ne ergo efficiar nox, ut sim lux et filius lucis totas volo expendere vires, et quasi ad cœlestia paratus sum evolare, sicut aquila quæ solis claritate delectatur. Sed me deterret res quæ etiam stultum terret; scilicet quia datus est unus omnibu soccasus, et nihil differt sapiens a stulto moriendo, et multi dicunt: *Quis ostendit nobis bona?* (*Psal.* IV.) Moritur doctus ut indoctus, et cum mortuus fuerit, quæ erit illi memoria lucis? quid prodest ei quod majorem sapientiæ dedit operam? His altercationibus Ecclesiastes occurrit, et se ipse refellit dicens: Frustra causaris, quod majorem sapientiæ dedisti operam, hæc cum tuo corde, sed non locutus cum mente. Carneum cor habes, cor carnale sapit, vix spiritualia sentit; sed mens, quæ est excellentior pars animæ, melius sentit, vanitatem et falsitatem revincit. Mens cor et carnem superat, cœlestia meditatur, mystica contemplatur. Propterea locutus cum mente mea, non corde: scio, et bene scio quod non omnes unus manet occasus, sed sicut distant vivendo, ita distant moriendo. Quæ enim erit memoria stulti in perpetuum? Sicut pecora ex toto pereunt cum corpore, ita stultus ex toto deperit cum nomine suo, cum auro et argento et divitiis usquequaque acquisitis. Anima ejus, quia immortalis est, vivit quidem, sed in æternis suppliciis; melius ei esset, si mori substantialiter posset. Qui sapiens est, et sapienter vivit, statim ut moritur, liberatus de corpore mortis hujus ad cœlestia liber evolat, et vitam suam mutat in melius. Melius est ergo brevi tempore dimicare, ferre vallum, arma sumere, lassescere sub lorica, et postea gaudere victorem, quam impatientia unius horæ servire perpetuo. Nihil amantibus durum est, nullus difficilis cupienti labor. Respice quanta Jacob pro Rachel pacta uxore sustinuit. *Et servivit*, inquit Scriptura, *Jacob pro Rachel septem annos, et erant in conspectu ejus quasi dies pauci:* unde et ipse postea commemorat, *In die urebar æstu, et gelu nocte* (*Gen.* XXIX, XXXI). Amemus et nos Christum, ejusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile, brevia putabimus omnia quæ longa sunt. *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI): nisi pulsaveris, et vim feceris regno cœlorum, non capies.

VERS. 18-21. — *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis quibus desudavi et sollicitus fui; et est quidquam tam vanum? Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole. Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et solitudine, homini otioso quæsita dimittit: et hoc ergo vanitas, et magnum malum.* Transferamus ad Ecclesiam Christi verba Ecclesiastis. Patres sancti, doctores egregii, sanctis invigilantes Scripturis, thesaurizaverunt filiis suis: nos vero pejor avis nostris ætas, si male degenerando scripta Patrum non convertamus in usum vitæ nonne vanitas est et magnum malum? Boni enim hæredes bonorum parentum esse debemus, et meditari in scripturis eorum die ac nocte, ut simus parati contra eos qui sanctas corrumpunt Scripturas. Nam quamvis sancta rusticitas bona sit, melior est tamen sancta scientia. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: et quantum ædificat Ecclesiam Christi ex vitæ merito, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Daniel in fine sacratissimæ visionis: *Justi*, ait, *fulgebunt quasi stellæ, et intelligentes*, hoc est docti, *quasi firmamentum* (*Dan.* XII). Patet quantum inter se distent justa rusticitas, et docta justitia. Cur Paulus apostolus vas est electionis (*Act.* IX). Nempe, quia vas legis, et sanctarum Scripturarum armarium est. Quem quotiescunque lego, videor non mihi verba audire, sed tonitrua. Legamus Epistolas ejus, et maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est, et videbimus eum in testimoniis quæ sumit de Veteri Testamento, quam artifex, quam prudens, quam dissimulator ejus quod agit. Videntur verba ejus simplicia, et quasi innocentis hominis ac rusticani, et qui nec facere nec declinare norit insidias: sed, quocunque respexeris, fulmina sunt, hæret in causa, carpit omne quod tetigerit, tergum vertit ut superet, fugam simulat ut occidat. Redeamus nunc ad superiora. Videtur quidem Ecclesiastes de divitiis et opibus retractare, quod secundum Evangelium (*Luc.* XII) repentina morte subtracti, quali moriamur hærede, nesciamus, utrum stultus an sapiens sit qui nostro est labore fruiturus. Quod Salomoni quoque accidit. Non enim similem sui habuit filium Roboam, qui regnum David decem tribubus decurtavit (*III Reg.* XII; *Eccli.* XLVII). Ex quo intelligimus, ne filium quidem patris hæreditate dignum esse, si stultus sit.

VERS. 22-25. — *Quid enim proderit homini de universo labore suo et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti diei ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: et hoc nonne vanitas est? Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ sua bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est. Quis ita devorabit, et deliciis affluet, ut ego?* Quam varii sint in nobis naturæ nostræ affectus, in verbis patet Ecclesiastis, modo contra largum, modo voce frugi loquentis. Quid proderit, ait, quod homo semper laborat sub sole sine proventu aliquo? Vanus est labor sine fructu. Est aliquis durus, et immoderatius quam necesse sit immoriens operum studiis, patiensque laborum: non nocte, non die requiescit. Quis vitam istius totam ærumnis durisque laboribus excruciari non misereatur? Nunquam habet pacem, non requiem: non est illi honesta voluptas. Cum debet ei nox in tempesta quietem, jugiter cor ejus pernoctantis cura perurit. Et hæc nonne vanitas est? Hoc pro parte largi. Alius in affectu loquitur de parte frugi. Nequaquam, inquit prohibeas instare labori, ne corpus et cor otiosi gravi veterno torpeant. Sed,

quæso, sitne magis famæ, magis utile membris, ut aliquis edendo, bibendo, et labore suo fruendo, ostendens animæ suæ digna emolumenta laborum suorum, vivat convenienter humanæ naturæ, et non sit ingratus vitæ rerumque datori, de cujus manu data sunt ista sufficienter: certe, si sit utrimque modus, tunc erit tibi mundus et decens naturæ victus. Ecce patet quos affectus notavit, et proposuit Ecclesiastes, qui modo in multis, modo variantur in uno. Seipsum exemplar proponens ait: *Quis ita devorabit, et deliciis affluet, ut ego?* Quasi diceret: Affluo deliciando, sed non effluo luxuriando: **527** modus est in parcendo, modus in deliciando. Hæc interim secundum litteram, ne videremur penitus simplicem præterire sensum, et, dum spirituales delicias sequimur, historiæ contemnere paupertatem. Quid enim ad opes terræ pertinet sapientia, scientia, virtus, in quibus se laborasse testatus est; cum sapientiæ, scientiæ, atque virtutis sit calcare terrena? Quid boni est aut quale Dei munus, et suis opibus inhiare, et quasi fugientem præterire voluptatem: et alienum laborem in proprias delicias vertere, et hoc putare donum esse Dei, si alienis miseriis et laboribus perfruamur? Bonum est igitur veros cibos et veram sumere potionem, quos de agni carne et sanguine in divinis voluminibus invenimus. Quis enim et comedere, et, cum opus est, parcere potest, absque eo qui præcipit sanctum canibus non esse mittendum (*Matth.* VII), et docet quomodo sint in tempore conservis danda cibaria (*Prov.* XXXI), et juxta alium sensum, inventum mel tantum comedere quantum sufficit.

VERS. 26. — *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo: sed et hoc vanitas est et cassa sollicitudo mentis.* Principium sapientiæ est fons bene vivendi. Hanc bonus pro præmio meritorum accipit, et collata scientia levium rerum, lætitiam exagerat sapienti atque scienti. Unde noster Dominus nos exhortans ad bene sapiendum dicit: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). Nemo melius sapit quam qui quærit cœlestia. Quærenti cœlum et terram sciendo tenenti, additur ad cumulum meriti, gaudet in perpetuum. Econverso vir malus pro talione meritorum accipit, utique quaque insistens vanis curis semper deprimatur cassa sollicitudine mentis. Ecce peccatoris peccator filius Adæ adhuc audit quod peccans audivit Adam: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo; maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III). Magna est ergo vanitas, et cassa sollicitudo mentis peccatori, semper inhiare labori in acquirendis rebus, et multiplicandis, neque posse uti quæsitis, quia de his labores ejus tradidit ei qui placuerit Deo. Ideo in Evangelio legitur: *Omni habenti dabitur; ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XXV). Sic

A primogenita Esau ad dilectum sibi transtulit Jacob, et benedictione paterna consecratum (*Gen.* XXVII). Ita quoque Ruben primogenitus, quoniam maculavit stratum patris sui, amisit duplicem primogenitorum partem regnum videlicet et sacerdotium (*Gen* XLIX). Filius accrescens Joseph pro primogenito reputatus est (*ibid.*): Judas honorem regii nominis promeruit (*ibid.*): Levi sacerdotum infula decoratus est (*Deut.* XXXIII). Multum itaque valet natura, sed plus operatur gratia. Fertur enim simia geminum edere partum; unum amat, alterum odit: quando venatores audit et canes, dilectum pectore et manibus astringens fugere nititur, sed ille odiosus cernens se derelinqui dorso matris insilit, et hæret importunior: mater aggravata pondere gemi- B norum, dum periculum timet fugiendo dilectum projicit, et transfundit amorem suum in eum quem prius odio habuerat. Sic bona spes multo amplius valet quam mala res.

CAPUT II.

Amplius Deum tribuere quam rogatur, et ea sæpe concedere quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascenderunt (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II), licet ex sacrorum ministerio voluminum ante cognoverim, tamen in causa propria nunc probavi, Gregori charissime. Sed mensuram charitas non habet, et in patientia nescit modum, et desiderium non sustinet. Unde ego oblitus virium mearum, et non quid possim, sed quid velim tantum cogitans, magistrum cupio docere discipulus, et ut est vulgare proverbium, sus artium repertorem. Tu qui C primam scintillam nostro fomiti subjecisti, qui ad hoc studium et sermone hortatus es et exemplo, et quasi gallina congregasti pullos sub alas (*Matth.* XXIII), impolito licet sermone, suscipe quæ de nostro restant Ecclesiaste.

CAP. III, VERS. 1-8. — *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus* D *custodiendi, et tempus abjiciendi. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis.* Quare mirabamur quod sit distantia tanta inter bonum et malum, inter doctum et indoctum? Ecce sapientia ibi dilatans mentem et cor Ecclesiastis, per universum orbem circumduxit eum, et docuit quod mundus assidua vicissitudine varietur, statu, et actu, neque fieri aliquid nisi per rerum contraria. Notans igitur clarissimo mentis oculo res singulas, tempora, et causas, tempora opponens temporibus, res rebus, innumera contraria redigit ad numerum rerum, non ad

eum numerum quem forte invenit, sed quem naturæ ratio ad illud assignavit. Nam viginti octo a natura matre creati sunt, septem, sex, quinque, quatuor, tres, duo, et unum, si naturaliter conjungas viginti octo sunt, per septem quadruplicati. Iste etiam numerus, ut notum est aremitistis, post primum senarium perfectus est, et suis constat partibus, habet enim suam mediam, id est quatuordecim habet quartam decimam, id est duos, septimam, id est quatuor, quartam, id est septem, vicesimam octavam, id est unum, juncti ergo sibi quatuordecim, duo, septem, quatuor, unus, perfectam reddunt summam viginti octo. Itaque sicut per sex in primo ordine perfectum omnia perfecta perfecit, qui verbo omnia creavit (*Gen.* I, II), æque per numerum istum propriis æquum partibus ostendit natura, imo naturæ Deus loquens per Ecclesiasten, qualiter excurrant, quæcunque per tempora currunt, et quæ sub cœlo sole variantur. In isto mundo sapientia semper bene concordat naturæ, et nunquam natura aliud, aliud sapientia dixit. Notum est etiam, quia quidquid homines agunt, digitis manuum operantur, idque quod faciunt, digitorum figurat forma. Certe, quot sunt articuli, quot articulorum fluxuræ in manibus, scilicet quatuordecim in dextra, quatuordecim in sinistra, hoc est pariter viginti octo, tot sunt hic cunctarum variamina rerum. Sicut dextera adversa et contrapositæ sinistræ, ita adversantur cunctæ res sibi contrapositæ. Difficile quippe est humanam animam aliquid non amare, et necesse est ut in quoscunque mens nostra trahatur affectus, carnis amor spiritus amore superetur, desiderium desiderio restinguatur, quidquid inde minuitur, hinc crescat. Quin potius semper ingemina : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea* (*Cant.* III). *Mortificate*, ait Apostolus, *membra vestra quæ sunt super terram* (*Coloss.* III.) Unde et iste postea confidenter aiebat : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Nihil itaque prodest biduo **528** vel triduo transmisso vacuum portare ventre, si pariter obruatur.

Tempus nascendi, et tempus moriendi. Secundum temporum et rerum varietatem accepta occasione ab ore Ecclesiastis, hinc Ecclesia, inde Synagoga, quasi altercando quæ sibi videntur propria proloquuntur SYNAGOGA. Tempus mihi nascendi erat, cum pater meus Abraham ignem fugiens Chaldæorum, pene solus adorabat unum Deum (*Gen.* XI), qui omnia de nihilo creavit. ECCLESIA. Et mihi fuit utile tempus nascendi, quando Eva de latere viri dormientis facta (*Gen.* II); cum Christo nata, Christo coadulta, in figura illius de sanguine et aqua lateris ejus (*Joan.* XIX) sanctificata sum. Sanctificantur etiam mecum quicunque Christo credunt. Sed tempus est moriendi, quotiescunque aliquis a bono recedens opere, vitam perdit, et mortem invenit. Hoc ordine nascimur, hoc ordine morimur.

Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. SYNAGOGA. Tempus plantandi mihi erat, A cum me plantavit Deus (*Psal.* LXXIX), sicut olivam fructiferam (*Psal.* LI) in Domino Moses et Aaron et prophetæ me transplantaverunt, ut acidos succos naturalis legis mihi auferrent, et radicatam in lege secunda excolerent, ut possem dulces et deliciosos portare fructus. Sed tempus erit evellendi, quando fractis ramis per incredulitatem (*Rom.* XI), Judæi in olidam mutabuntur amurcam. Tempus plantandi, tempus evellendi mihi fuit. ECCLESIA. Et mihi plantandi tempus fuit, quando me Dominus plantavit ut essem vinea Soreth (*Isa.* V ; *Jer.* II). Ego sum vinea : Christus vitis : palmites Christiani (*Joan.* XV) toto orbe diffusi morimur. Post veniet tempus moriendi, quando filii Israel a cultura summi Dei recessuri sunt. Hoc ordine nascimur, hoc ordine morimur. Apostoli et discipuli credentes sunt botri : B botrorum uvæ, fructus operantium bona : sed tempus est evellendi, quia Dominus dicit : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet* (*ibid.*). Tempus plantandi, tempus evellendi mihi fuit.

Tempus occidendi, et tempus sanandi. SYNAGOGA. Tempus occidendi mihi fuit, quando Moab et Aggareni, Gebal et Amon, et Amalech alienigenæ cum habitantibus Tyrum, nec interficiebant, quando Philistæi, Chaldæi Assyrii diverso me tempore affligebant, et occidebant. Tempus sanandi fuit, quando per Mosem et Aaron, Josue, Samson, David, et Machabæos, fortes licet, sera tamen vindicta veniebat. Tempus occidenti fuit, et sanandi. ECCLESIA. Quis, obsecro te, soror mea Synagoga, quis occisum sanare potest ? C quid ultio tua prodest ? Ultio non sanat, sed auget mortibus mortes. Lex tua non sanat: lex tua reos morte multat. *Littera occidit* : *spiritus vero vivificat* (II *Cor.* III). Dominus noster Jesus Christus, natus de Virgine, teste Simeone, venit in ruinam et resurrectionem multorum in Israel (*Luc.* II). Ille prius occidit, deinde sanavit : occidit peccata ; virtutes fecit vivere. Propterea dicit : *Ego occidam, et ego vivere faciam* : *percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII). Tempus occidendi fuit, et sanandi.

Tempus destruendi, et tempus ædificandi. SYNAGOGA. Tempus fuit destruendi templi sub Nabuchodonosor (*Jer.* LII), quod me nimium contristavit et tempus ædificandi sub Dario (*I Esdr.* VI), quod me D usquequaque lætificavit. Sic destructa, sic ædificata sum. ECCLESIA. Exhilarat faciem meam spiritualis destructio, et ædificatio. Si habitat peccatum in nostro mortali corpore, exsurgat homo fortis, et induat arma virtutis : assiliat hostem, destruat urbem peccati, destructam diabolo restituat urbem Christo: verrat, emundet, exornet pectoris urbem, ut veniens Dominus, qui non habet ubi caput suum reclinet (*Matth.* VIII), habitet ibi. Non ergo possumus ædificare bona, nisi prius dextruxerimus mala, sicut Jeremiæ verbum a Deo datum est, ut ante eradicaret, et suffoderet, et perderet, et postea ædificaret, atque plantaret (*Jer.* I). Sic destructa, sic ædificata sum.

Tempus flendi, et tempus ridendi. SYNAGOGA. Tempus flendi mihi imminet, dum recordor et video civitatem sanctam Jerusalem cunctis reverendam gentibus, sic desolatam, sic filiis suis dulcissimis viduatam, esse sub opprobrio et prodigioso monstro. Heu! captivatæ, et sub servitio redactæ nostri generis reliquiæ, ab ipso Domino de omnibus gentibus electæ, et circumcidendo notatæ, cui Deus sua credebat mysteria! Ecce silet lex digito Dei secundo tabulis inscripta, arca Dei, sedes, et propitiatorium perdita, portentum, mihi male jam non propitiandum. Tamen tempus ridendi, repurgia templi mihi spondetur, et Jerusalem iterum circumdanda novis muris. Lex relicta et libertas reddita jam relaxatæ genti faciet pene res æquas prioribus rebus sub Zorobabel, Esdra, et Neemia. Illud pro fletu: hoc pro risu accipio. ECCLESIA. Vix mihi imperare possum, tempore flendi, ut parcam lacrymis, quas cordis compunctio tribuit. Prius enim timore post amore compungor. Recolens quippe mecum, quæ, qualia et quanta contra jus naturæ, et sanctæ religionis feci, cogor exclamare: *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L). Tandem accepta fiducia, et confidens veniæ amore compungor. Non jam mala formidans, sed sperans æternæ vitæ præmia; præ desiderio æternæ patriæ tota deficio, tota liquesco: sicut cera fluit a facie ignis sicut nix de montibus a facie solis. Sed gratia Christi tempus spondet ridendi: tum nos omnes consolabitur suprema dies, quando maxima dabitur merces, hic bene ridentibus æterna gloria in sæcula sæculorum. Illud pro fletu, hoc pro risu accipio.

Tempus plangendi, et tempus saltandi. SYNAGOGA. Tempus plangendi mihi est, quoniam Hebraicus populus duræ cervicis, et rebellis Deo suo, longe a terra sua cum radice sui nominis evulsus interiit. Quid memorem decem tribus, quas rex Assur victas transmigravit procul ultra montes Medorum, et alio pene posuit sub orbe? Nulla spes revertendi, nulla spes miserendi. Duos tribus, quæ Judæa vocabantur, devoravit bestia quarta, terribilis et magna, quam vidit Daniel, Romanum scilicet Imperium, per Titum et Vespasianum. Non plangam super ista, non tundam pectora? Exspecto tamen saltandi tempus, cum veniet Messias (*Joan.* IV), et restituet omnia nobis (*Matth.* XVII). Ita plangendum: ita mihi saltandum reor. ECCLESIA. Quod sit tibi, o Synagoga, et mihi tempus plangendi, et tempus saltandi, Dominus noster bene in Evangelio docet, qui incredulitatem et duritiam admirans Judæorum, ait: *Cui generatio ista similis erit? Similis est pueris qui clamant coævis suis dicentes: Lamentavimus vobis et non planxistis, cantavimus vobis et non saltastis* (*Matth.* XI). Pueri isti doctores sunt sancti, pueri propter simplicitatem appellati· Judæi pueri sensu et lege naturæ coævi, dum illis cantantibus et prædicantibus audirent verba salutis, credere noluerunt in eum cui credere vita est (*Joan.* VI, XI, XVII). Instabant pueri coævis suis, dare monita salutis dicentes: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV), illi ad hæc non planxerunt, peccata sua non doluerunt. Itaque neutrum tibi fuit utile tempus, o Synagoga: mihi autem per quinque ætates mundi tempus plangendi **529** fuit, periisse cultum dilecti mei, qui mihi sponsales arrhas per secretales patriarchas et prophetas miserat. Saltandi tamen, quamvis longam spem, certa tenebam: licet sero, sciens venturum certo tempore. Cum me sic variando traherent, inde dolor, hinc amor, tandem advenit *desiderium collium æternorum* (*Gen.* XLIX), *saliens in montibus, transiliens colles* (*Cant.* II). Et quis unquam sanctorum omnium saltus tales dedit? Primus saltus ejus fuit de cœlo in uterum Virginis, secundus de utero in præsepium, tertius de præsepio in crucem, quartus de cruce in infernum, quintus de inferno ad corpus suum resuscitans illud, sextus de terra ad cœlum. Duo adhuc restant saltus: septimus, cum venerit judicare vivos et mortuos; octavus cum de judicio saliet cum suis fidelibus in gloriam suam. Cujus calentes amore et odore fragrantes curremus, nec tantummodo curremus, sed etiam saliemus, qui si volumus currere ut comprehendamus, quo affectum cordis ostendat gestus in corpore. Ita plangendum, ita mihi saltandum reor.

Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. SYNAGOGA. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi simpliciter æstimamus, cum aliquis non bene directus clavo rationis, diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Spargendi etiam lapides tempus illud fuit, quando nobile Salomonis templum, et opus decorum, quod David construxit in arce Sion, hostilis subvertit virtus, opusque secundum, quod prophetarum cura ad instar primi ædificavit, sic omnino periit, sic omnino destructum est, ut non remanserit lapis super lapidem. Sed erit tempus colligendi et reædificandi, cum aurea venerit ætas, et omnia in antiquum restituentur statum. Et non solum Jerusalem, sed et Gomorrheas et Sodomiticas favillas in magnas restaurari mirabimur urbes. Hoc est spargere, hoc colligere lapides. ECCLESIA. Aliter est. Vos enim, o Judæi, vos hic credo figurari, vos estis lapides duritia quidem cordis, sed non naturæ conditione, ad nullum virtutis opus habiles, ubique spargimini tanquam viles per plateas et compita. Erit tamen colligendi vos tempus, quia *potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III), molitos prius moribus Abrahæ, *Si* enim *fuerit numerus* eorum sicut *arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX). Præterea lex scripta in tabulis lapideis, vos facit esse lapides, sive lapideos, vos spargere lapides cogit. Nonne durus lapis est hoc præceptum legis: Qui hoc et illud fecerit, morte moriatur? (*Exod.* XVIII et alib.) Nonne durus lapis est: Oculum pro oculo, dentem pro dente restitues? (*Exod.* XXI.) Tempus est colligendi hos lapides, atque reponendi,

quia clamat Evangelium, misericordiæ et pietatis visceribus plenum: « Nolo, » ait, « mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat » (*Ezech.* XVIII). Nonne vos Jesum tentare volentes, voluistis lapidare mœcham mulierem? Sed Dominus juste pius et pie justus, ratione vos conclusit, et colligens lapides et ream absolvit, legisque præcepta non resolvit (*Joan.* VIII). Hoc est spargere, hoc colligere lapides.

« Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. » SYNAGOGA. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus ostendit Dominus per Jeremiam, qui jussus solvere de lumbis suis lumbare, solvit et abscondit in Euphrate magno (*Jer.* XIII), post longum tempus jubente Domino recepit totum putridum, et nullis aptum usibus, et reddens causam, cujus ante dederat figuram: sicut lumbare, ait, arctius ambit lumbos, sic filios Israel ampliori complectebar dilectione, ut esset mihi populus, et ego essem eorum Deus; postquam autem computruit vitiis et peccatis, et a me recessit, a lumbis et cordis mei complexibus illum elongans, ab eo longius ipse recedo. Ecce tempus amplexandi, et tempus longe fieri a complexibus. ECCLESIA. Et nos, si bona fecerimus, lumbare procul dubio erimus. Si amaverimus eum, ipse amabit nos. Si vero fœdi et putridi, nec diligimus eum, nec diligimur ab eo. Tempus quoque fuit amplexandi apud te, o Synagoga, quando vigebat illa sententia: « Crescite et multiplicamini, et replete terram » (*Gen.* I). Nunc tempus successit longe fieri a complexu, dicente Apostolo: « Qui habent uxores, tanquam non habentes sint » (*I Cor.* VII). Si autem voluerimus ad altiora ascendere, videbimus sapientiam amplexari amatores suos (Honora quippe eam, ait, et amplexabitur te [*Proverb.* IV]), intraque ulnas suas et gremium strictiore eos tenere complexu. Porro, quia non potest humanus animus semper in sublime tendi, et de divinis et altioribus cogitare, nec jugiter in contemplatione esse rerum cœlestium, sed interdum necessitatibus corporis indulgere, propterea tempus est amplexandi sapientiam, et eam strictius continendi, et tempus relaxandi mentem ab intuitu complexuque sapientiæ, ut curæ corporis, et his quibus vita nostra absque peccato indiget, serviamus. Ecce tempus amplexandi, et tempus longe fieri a complexibus.

« Tempus acquirendi, et tempus perdendi. » SYNAGOGA. Tempus acquirendi fuit Judæis, quando vigebat in eis certa spes, et certa fides, cum adjuti meritis sanctorum Patrum, Abraham, Isaac et Jacob, victis et expulsis Chananæis, terram possessionum eorum sibi acquisierunt. Postea tempus venit perdendi, cum relicto Deo suo, qui eos eduxerat de Ægypto, ab hostibus suis cæsi sunt, et expulsi. Hoc fuit tempus acquirendi et perdendi. ECCLESIA. O mirabile tempus et miserabile! Mirabile quidem nobis, vobis miserabile. Hoc uno temporis momento concurrunt et nostra salus, et vestra perditio, cum perdis, acquiro; cum gemis, exsulto; cum cadis, resurgo. Moreris infidelitate, vivo ego fide et credulitate. Est

A et alius modus acquirendi, et perdendi. Acquiro terrena, et curis dedita activæ vitæ invigilo studiosius; dum vero tangor amore contemplativæ vitæ, gaudeo perdere omnia acquisita pro Christo, cujus amore suspiro, dicoque: « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum » (*Cant.* I). Est etiam alius « perdendi » modus, qui in Evangelio scribitur: « Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam » (*Joan.* XII). Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Hoc fuit tempus aquirendi et perdendi.

B « Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. » SYNAGOGA. Quam gratum et quam gloriosum mihi tempus erat, quando ille qui non dormit, neque dormitat, custodiebat me (*Psal.* CXX), quem qui habet custodem, nihil potest sinistri facere, qui habet custodem, non potest deviare! Sed quoniam venit tempus (*Psal.* CI) abjiciendi, propter iniquitates meas ille abjecit me: sanctorum custodias angelorum, quos ne a malis angelis premeremur, nobis præfecerat, jam removit. Propterea a custode meo destituta undique, premor, spernor et abjicior, projecta vilior alga. Sic est tempus servandi; sic tempus projiciendi. ECCLESIA. Est mihi quoque gratum et gloriosissimum tempus, quo in se credentes semper Christi servat gratia. Servat intrantes et egredientes; ingredientes ad se, cum credimus; egre-C dientes, cum de corpore isto solvimur. Est tempus ut abjicias, et ut abjiciaris. Abjicias credentes in Christo persequendo illos; abjiciaris a Christo, et a regno cælorum, a quo jamdiu **530** cecidisse te opera clamant tua. Sic est tempus servandi, et tempus projiciendi.

« Tempus scindendi, et tempus consuendi. » SYNAGOGA. Tempus scindendi fuit, quando Jeroboam scindens me de uno corpore inæquales fecit partes: diviso regno, sicut uncia assem dividit; regi Samariæ dexans concessit; Jerusalem sexantem retinere vix potuit; Samaria decem tribubus prælata superbit; Jerusalem duabus prælata est tribubus (*III Reg.* XI). Sic populus toto orbe olim fama diffusus et gloriosus, non tantummodo regno, sed etiam toto nomine D a cultura et cognitione Dei abscissus est. Verumtamen tempus suendi spondent nobis patriarchæ et prophetæ, quoniam a quatuor ventis non esse congregandos, et in Jerusalem regnaturos prædixerunt, Sed ista tam longa spes pene me facit exspem. Nam spes quæ differtur affligit animam. Hoc est tempus scindendi, et tempus consuendi. ECCLESIA. Esto ut dicis, o Synagoga: sed illa sessio amplius te destruxit, amplius attrivit, quando pro vita mundi moriente Domino nostro Jesu Christo, « velum templi scissum est (*Matth.* XXVII), et nudata sunt omnia mystica templi, quæ lex celabat Mosi tecta velamine. Scissura quoque petrarum lapidei te cordis esse ostendit, et a Deo scissam et a membris illius

projectam. Nobis vero tempus scindendi et tempus consuendi est, cum gratia Christi scindens velamen Mosi, quam lex velata celabat, plano revelat sermone. Scindit ipse et consuit, quod nullus alius scindere possit : scindens quippe legem, Evangelii mihi vestem consuit, exemplis a scissa lege acceptis Lex est vestimentum vetus, cui non est aptanda commissura novi panni, ne pejor fiat scissura (*Matth.* IX). Confundit enim vestimentum vetus novi panni reparatio. Scinduntur et veteres utres, quos lex tua consuit, si nova musta conservanda recepe-rint : nova lex, quam Christus dedit, novos utres fecit, quibus nova et candida musta Evangelii servanda sunt. Hoc tempus scindendi et consuendi significabat, quod Dominus in Evangelio aiebat : « Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient et fiet unum ovile et unus pastor » (*Joan.* X). Hoc est tempus scindendi, et tempus consuendi.

« Tempus tacendi, et tempus loquendi. » SYNAGOGA. Tempus tacendi mihi est, quoniam cuncta tacent, lex ipsa tacet, legis auctor, et legis dator tacet, iratusque propter peccata mea cunctos facit ille tacere. Non est dux, non est rex, non est propheta, non patriarcha, per quos solebant mihi verba Dei significari. Jam mihi nullus videt futura, nullus præterita commemorat. Quis dux cantat epinicia ? Tacent cuncta, quæ per allegoriam significandam præsignabant mihi recte vivendi normam. Non stola, non oleum, non est thus, non holocaustum : non sonat tuba pro bello, non buccina pro jubilæo ; nulla cithara pro mei memoria dulci cantu audientes lætificat. Muta diu fui : sed erit tempus loquendi, quando Messias veniet mea summa voluptas. Tum præ lætitia soluta lege naturæ, laudes Creatoris sui omnis creatura loquetur. « Tunc saliet, sicut cervus, claudus, et clara erit lingua mutorum. Montes et colles cantabunt coram eo laudem : et omnia ligna silvarum plaudent manu » (*Isai.* XXXV, LV). Tale tempus tacendi fuit mihi, et tale loquendi. ECCLESIA. Ego vero reor Pythagoricos, quorum disciplina est tacere per quinquennium, et postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti. Discamus itaque et nos prius tacere, ut postea ad loquendum ora reseramus. Sileamus certo tempore, ad præceptoris eloquia pendeamus : nihil nobis videatur rectum esse nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. Tale tempus tacendi fuit mihi et loquendi.

« Tempus dilectionis, et tempus odii. » SYNAGOGA. Heu ! quantis varior temporum discursibus ! Quam bene gaudebam, quando tempus dilectionis agebam ! Abraham pater meus Domino me conjunxit amandam, et Deus Jacob jam tunc reprobato Esau, non merito, sed gratuito me cœpit amore. Ex illo pio dominantis amore, dignatam me præponebam cunctis, mihi sola placebam, utpote dilecta Deo præ cunctis gentibus, mirabilis orbi lege nova, sacrisque novis. Quanto cordis amore me dilectam tenebat,

B qui dicebat : « Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei ! » (*Zach.* II).

« ... Sed quid non timeamus amantes ?
«... Quid perpetuum quis credat in ordine rerum ?

Tanta dilectio periit, tantus refriguit ignis, vix inter sopitos cineres parvula remansit scintilla, unde levis se resuscitat ignis. Plena sum malis, addicta odiis, gravata periculis. Sic amoris mihi tempus, sic fuit odii tempus. ECCLESIA. Natura, imo Deus auctor naturæ præcipit, ut nos invicem diligamus, sicut ipse dilexit nos (*Joan.* XIII). Sponsa virum, vir amet sponsam, se mutuo fratres ; patres filii, et filios parentes ; jubet ut per affectum dilectionis omnes sociemur in unum. Proximus meus sit mihi alter ego, sit amicus amico. Mandato novo Deus sic nos nobis unit. Quamodo his sequatur tempus odii, B Dominus indicst dicens : « Si quis venit ad me, et non odit patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, non potest meus esse discipulus » (*Luc.* XIV). Hæc nova lex est, ut quod amas odio insecteris, amare quod odis. Si pater aut mater, si sit tibi soror aut frater, qui sit virtuti contrarius atque saluti, iste odio tibi sit, nullo colatur amore. Quid amicius pede, manu aut oculo ? « Si ille scandalizat te, erue eum et prejice abs te » (*Matth.* V). Vel certe tempus amandi legem, et ea quæ a lege fuerant imperata, circumcisionem, hostias, Sabbatum, neomenias, et tempue odiendi eam Evangelii gratia succedente. Sic amandi mihi tempus, sic fuit odii tempus.

« Tempus belli, et tempus pacis. » SYNAGOGA.
C Heu mihi ! qui nescit tempus belli ?

« Causas bellorum, seriem per bella malorum, » si quis velit scire, hunc pigebit me vidisse, quod nihil reliqui est de priori prosperitate. Sola teneor spe, sed angor ea nimis longa. Cum venerit Messias, quando aurea erunt tempora, tanta erit pax, quæ fere omnem fidem superabit. Tunc præter multa alia commoda felicis vitæ, fiet quod Isaias nobilis propheta dicit : « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit ; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos ; vitulus et ursus pascentur simul, requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas, et delectabitur infans ab ubere super foramen aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet » (*Isai.* XI, LXV) ECCLESIA.
D Hoc vero satis nobis mirabile et venerandum est, quod Dominus Jesus noster pax, et nostrum gaudium, tempora belli præponit temporibus pacis, dicens : « Non veni pacem mittere, sed gladium » (*Matth.* X). Gladius iste districtus et durus tempore, omnes affectus cordis et corporis separat moventes bella contra se et contra salutem suam. Propterea dicit : « Veni enim separare » (*ibid.*), etc. Paulus apostolus in hoc procinctu belli ac pacis, scuto fidei, et lorica spei, galeaque salutis, nos accingendos esse præmunit, ut possimus contra spirituales nequitias resistere (*Ephes.* VI). In hoc procinctu quot turmas, et quot cohortes septemplex ducat exercitus, bene

notum est illis, qui septem capitalibus obstant vitiis. Cum talibus modo colluctantes, tempus belli habemus; tempus vero pacis tribuet nobis victoriam 531 cum debellatis vitiis, quæ contrahit usus carnis, pax erit in terra nostra, ubi erit summa libertas et summa voluntas. Propterea læti cantabimus : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris » (*Rom.* v). Unde ? Interroga horrearium Dominicum, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Si ergo divitem aliquem hospitio suscipias, pateris angustias ; ubi manens, tu non vides ; ubi illi lectus paretur, ubi conjux, ubi filii, ubi familia. Quid ago ? inquis, quo eo ? quo migrabo ? Suscipe divitem Spiritum Dei, dilataberis, non angustiaberis ; dices hospiti tuo : « Dilatasti gressus meos » (*Psal.* xvii); quando hic non eras, angustias patiebar ; implesti cellam B meam, at non imo exclusisti, sed angustiam meam. Suscipe hospitem istum, et non sit hospes quasi de transeuntibus. Non enim debet dare discedendo ; veniens habitet in te, et dabit. Ipsius esto, non deserat te, non inde migret. Tene illum omnino, et dic ei : Domine Deus noster, posside nos.

Vers. 9, 11. — « Quid habet amplius homo de labore suo ? Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. » Quis melius, quis acutius vidit Ecclesiaste, quam data sit hominibus afflictio mentis, qui distenduntur justo, volentes scire quæ sunt supra se ? Ille mente distractus per omnem creaturam, cujus cor erat sicut arena maris, quamvis C usquequaque elevatus, quamvis per multa retractus, tam latam mentem non potuit eo distendere et extendere ut omnia sciret quæ agit sapientia, « et suaviter disponit omnia » (*Sap.* viii). Quod quia minima potuit, neque nosse nos putavit, deterret ab inveniendo fessos quærendo Tempore suo cuncta bona, non cuncto tempore cuncta bona perfecit, qui fecit quæcunque bona sunt. Sunt quædam bona, nec tamen bona sunt nisi tempore suo fiant. Sunt bona, nec tamen bona sunt nisi bene fiant. Propterea et comicus ait (12) :

> « Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci
> Omne feret punctum qui temporis inspicit usum,
> Et scit personæ dare convenientia cuique. »

Quæ bona sint per se, quæ utantur causativa, cur bona sint, quando bona sint, qualiter bona sint, si D quis velit scire et omnia discutere, illum angor cordis gravat et afflictio carnis. Rerum omnium naturas, et naturarum causas, et rationes quas a principio Deus operatus est, hanc scilicet mundi molem, cœli cameram, pondus terræ, vel dependentis, pensumve sedentis, ortus, occasus, discursus, recursus stellarum, septem errantia contra aplanen, fulmina, ventorum flatus, fragorem tonitrus, postremo quæcunque Dei fecit sapientia quis homo ratione directus reperire queat quomodo subsistant, quare et quomodo fiant ? Non passus Deus non desidiæ torpore A veterno, ista nostris oculis et animis videnda tradidit, ut qui sibi arrogat artem disputandi et disceptandi, hinc proponat, inde assumens concludat, et quidquid fecit Omnipotens et permanet ab ævo in ævum, nullus ab ortu solis usque ad occasum ejus, meditando vel oculo cordis, vel verbo colligat oris. Sunt plures artes, ars quæque suo usu valet. Grammatica prima est, quam nos litteris instruit et casibus. Quantum valet ars cantandi, quantum numerandi, musica novit et arithmetica. Astronomia metitur stellas, geometria terras. Extendit rhetorica dextram, dialectica claudit. Sapientia ergo domum suam sepit spinis. Si repere volo per eas (quis enim mihi portas aperiat) rependo distendor; spinis pungor, si transeo. Tam plurimas artes pluribus angoribus illi investigabant, qui causas discutiebant, ut quod Deus facit, sed tam verbis quærere possint : Quare putas hoc Ecclesiastes dixerit ? Ut victus homo suspiciendo factorem suum, cujus non potest opus penetrare, sciat esse colendum, et perfectum facturæ factoris amplectatur honorem.

Vers. 12, 13 — « Et cognovi quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua. Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. » Qui carnaliter accipiunt quod signat littera ista, illi putant ore Ecclesiastis eos esse locutos, qui summum bonum credunt carnalibus uti deliciis, « quorum Deus venter est » (*Philipp.* iii). Non aliis alludunt sibi verbis Epicurei, dicentes : « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur » (*I Cor.* xv) Brevi victuri tempore, nunc luxuriando bibamus. Non est gratiosa brevi vitæ longa spes futuri. Ad tales enim epulas non nos provocat Ecclesiastes, sed præcipit nobis alias Salomone dicente : « Tu autem describe ea tripliciter, in consilio, et scientia, ut respondeas verbis veritatis his qui proponunt tibi » (*Prov.* xxii). Triplex in corde nostro descriptio et regula Scripturarum est, prima ut intelligam juxta historiam, secunda juxta tropologiam, tertia juxta intelligentiam spiritualem. In historia eorum quæ scripta sunt ordo servatur, in tropologia de littera ad majora consurgimus, et quidquid in priori populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum, et ad animæ nostræ emolumenta convertimus. In spirituali theoria ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine et cœlestibus disputamus, ut præsentis vitæ præmeditatio umbra sit futuræ beatitudinis. Itaque licet affectum ventricolarum monstraverit Ecclesiastes, nihil tamen melius esse docet quam lætari in vita sua, et exerceri in faciendis bonis, et, secundum Apostolorum « habentes victum et vestitum his contenti simus » (*I Tim.* vi), et quidquid supra habere possumus, in pauperibus nutriendis, et egentium largitate consumamus. Porro quia caro Domini verus est cibus, et sanguis ejus verus est potus (*Joan.* vi), juxta anagogen, hoc solum habemus in hoc sæculo bonum, si vescamur carne ejus, et cruore potamur, non solum in myste-

(12) Horat. Art. poet., 343. Posteriores duo versus forsan Ruperti ipsius. Edit. *Patrol.*

rio, sed etiam in Scripturarum lectione, verus enim cibus et potus, qui ex Verbo Dei sumitur, scientia Scripturarum est. Si ergo quotiescunque effunditur sanguis Christi in remissionem funditur peccatorum, debes illum accipere, ut semper tibi peccata dimittantur. Qui semper peccas, semper debes habere medicinam. Prædicare autem quod acceperis, non est superbia, sed devotio. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus est potus.

VERS. 14, 15. — « Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum, non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur. Quod factum est, ipsum permanet, quæ futura sunt, jam fuerunt, et Deus instaurat quod abiit. » Multa multi super ista disputaverunt, multum diversa diversi sapuerunt. Quidam dum viderent non respondere causas rerum causis meritorum, mala bonis, et bona malis sæpe provenire omnes nullo meriti discrimine pari sorte gaudere, vel gravari clade pari, victi factoris consilio, et omnia ad oculum intelligentes, incerti dubitabant, imo vero negabant esse Deum, mundumque regi casu, non providentia. Alii, quos ratio meliuscula **532** docebat, ex causis rerum comprehendentes veritatem, cognoverunt, quod idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus est, et jussit humanis visibus elementa servire, ut homines hæc videntes intelligant esse providentiam, ut timeatur, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine, atque constantia intelligunt Creatorem. « Invisibilia enim a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus et divinitas » (*Rom.* I). Istorum didascalis consentiens Ecclesiastes, philosophatus est dicens: Cum maximo « didici » studio, neque hoc temere finxi, « quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum » tanta integritate, ut « non » possimus « his quidquam addere nec auferre. » Qui regit et fecit mundum, cur hæc omnia fecit? Nimirum, « ut timeatur, » ut Deus verus esse credatur. Quare timeatur? Quia Deus est, et Græce dicitur Θεὸς id est timor. Cum ergo timor dicatur Deus, jure timetur qui Deus est. Deus ergo solus perfectus est, cujus opus in perpetuum perseverat, nec tamen coæternum est Creatori suo, quia Deus æternus est regnans sine tempore, opus vero perpetuum est manens cum tempore. Quod factum est ipsum permanet. Quæ futura sunt, jam fuerunt, et Deus restaurat quod abiit, vel præterita et præsentia et futura, et ipsa fuerunt, et sunt, et erunt, universa quæ cernimus. Sol qui nobis oritur, et antequam nos essemus, in mundo fuit, et postquam mortui fuerimus, oriturus est. Solem autem nominavimus, ut ex hoc intelligamus et cætera esse eadem

A quæ fuerunt. Quod si videntur per conditionem mortis perire, non pereunt, quia rursum rediviva succrescunt, et nihil in perpetuum interit, sed renascitur, et quasi cum quodam fenore reviviscit. Si autem istud de cunctis quæ in mundo sunt, dicitur, de homine nulla dubitatio est, quin mortuus renascatur.

VERS. 16, 17. — « Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. » Tam frequens est sub sole ista vanitas, et hoc vitium, quam late solem cognoscimus lucere per orbem. Gentes et populi, provinciæ, regna, vel urbes, omnisque super hoc expostulat orbis, quoniam impius et iniquus rex sedet in solio judicii Quid enim est pejus rege iniquo? « Ho-B nor regis judicium diligit » (*Psal.* XCIII), et econtrario illo pravorum rationibus corruptus judicat impietatem. Hæc est impietas, quas Zacharias hoc modo describit, et ait: « Hæc est amphora egrediens, et dixit: Hic est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ, et dixit: Hæc est impietas; et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus » (*Zach.* V), etc. Amphora quam alio nomine oculum appellavit, intentio illa est, de qua Dominus loquitur, « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit » (*Matth.* VI). Ergo oculus nequam intentio mala quam habent mali principes, quando opprimunt justum, quia pauper est, et iniquum extollunt, quia dives est. Notandum au-C tem, et sapienter considerandum, quod dicens, « hæc est amphora, » addidit, « egrediens, » quia profecto illa iniquitatis amphora prius versatur intus, quando privatim subditos opprimunt in conventiculis, et secretis consultationibus atterunt. Quando accepta damnandi fiducia, et accepta pecunia publice condemnant, amphora egreditur. Audiant quicunque prælati sunt hoc exemplum, timeant prius amphora esse latens in secreto, ne postea sit amphora egrediens in publico. Scriptum quippe est: « Si mordeat serpens in silentio, nihilominus habet qui occulte detrahit » (*Eccle.* X). Et Psalmista: « Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum » (*Psal.* XL) Talentum autem plumbi pondus est judicii, vel damnationis, magnum utique et grave secundum magnitudinem atque gravedinem irremissibilis delicti, id est cordis impœnitentis. D Nam hujusmodi delictum impietas est, cujus perseverantiam, quam hodieque in multis videmus, sessio mulieris in medio amphoræ congrue significat. Sedent namque huc usque principes et reges mali in cathedra pestilentiæ, propter munera quæ excæcant etiam animos sapientium, damnantes justum, justificantesque impium. Mirum vero valde quod et mulier, quæ est impietas, sedebat « in medio amphoræ, et projecit eam in medio amphoræ, » ut littera sonat, quomodo poterat projici in medio amphoræ, quæ sedebat in medio amphoræ? Sed profecto in amphora ista, quæ est peccatorum perseverantia, aliter est, quia videlicet peccato suo nemo traditur, nisi qui se tradiderit ut-

troneus, juxta illud : « Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum » (*Psal.* LXXX) ; et : « Qui nocet, noceat adhuc » (*Apoc.* XXII). Nam projicere impietatem, id est impiam animam, hoc est, non convertere eam. Quod tunc fit, cum ad quartum scelus pervenerit, sicut in Amos Dominus dicit : « Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non evertam eum » (*Amos.* II). Primum namque scelus est malam voluntatem habuisse, secundum malum quoque opus perpetrasse, tertium consuetudinem mali operis habere, quartum arguenti legi sive justitiæ Dei repugnare, et verba proferre blasphemiæ. Qualis vel quanta quarto huic sceleri, pœna debeatur, significat id quod dictum est, « et misit massam plumbeam in os ejus. » Massa namque plumbea sive talentum plumbi pondus, ut jam dictum est, significat damnationis, vel
B judicii Dei, quod videlicet impietas hujus amphoræ irremissibilis sit, testante ipso Domino : « Quia qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, » id est qui scienter de bono dixerit malum, et desperando non pœnituerit, « non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro » (*Matth.* XII). Quid tandem sunt duæ mulieres, quæ levaverunt amphoram inter cœlum et terram? Duas in Proverbiis mulieres notas habemus,
terram? Duas in Proverbiis mulieres notas habemus,
ubi sic scriptum est : « Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes : Affer, affer » (*Prov.* XXX). Sanguis enim suga diabolus est habens duas filias, luxuriam et avaritiam, quæ assidue dicunt « Affer, affer, » quia utræque inexplebiles sunt et insatiabiles. Istæ habebant alas quasi milvi, id est superbiam quasi diaboli, quia videlicet, sicut in Psalmo scriptum est : « Tenuit eos
C superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua » (*Psal.* LXXII). Qui ergo regnare malos, bonos defleo substare, possem jure desperare, possem mala de Domino cogitare. Sed occurrens hic Ecclesiastes dicit, quæ sapiens debet dicere ad talia. Quicunque recalcitrat contra justitiam non impune feret, et laborans pro justitia justam accipiat mercedem. Judex justissimus orbis, omnia discutiendo in generali judicio dabit justis præmium, injustis vero talionem. Tunc erit tempus omnis rei, et sub justa lance bonos et malos librabit.

VERS. 18-22. — « Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio : sicut moritur homo,
D sic et illa moriuntur, similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius, cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum ; de terra facta sunt, ut in terram pariter revertantur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum ? Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem **533** in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat ? » Qui voluit esse Deus sciendo bonum et malum (*Gen.* III), non moriturus si de ligno vitæ gustasset, cor-

A rupta primæ conditionis naturæ perdidit omnem posteritatem hæredem peccati sui. Ejus vicem modo deflet Ecclesiastes : « Dixi, » inquit, « in corde meo de filiis hominum, » quos genuerunt illi primi homines Adam et Eva, quod nihil reliquerunt nobis filiis suis illius æternæ et beatæ vitæ, sed culpæ hæredes, et hæredes pœnæ nos esse Deus voluit, ut probaret, et monstraret dominando quid essemus, quorum pater Adam transgressus Dei præceptum Deus esse voluit. Propterea omnes exsuperat querelas nostras, querela. Si patres nostri manducaverunt uvam acerbam, quare dentes nostri alieno cibo obtupescunt ? Sævæ addictus morti semper succumbo labori, quid ergo nisi bestia sum ? quid pluris ea possum ? Ortus et occasus, usus vitæ, spiritus unus par nobis cum brutis animalibus, jure ergo locamur utrique sub æqua conditione. Sexta quippe dies hominem et jumenta vidit simul creari, et illa prima terræ, de qua quadrupedia creata sunt, me primum fecit, propterea nos et pecudes merito ad unum revocamur locum. De terra facti in terram sumus pariter redituri. Spiritus autem unde venit, aut quo vadit ? Quis videre et judicare potuit naturam invisibilem ? Dicunt tamen qui se jactant scire causas et occultas rationes rerum, quod spiritus filiorum Adam sursum ascendat, victurus ibidem semper ; aiunt quoque quod spiritus jumentorum simul cum carne solvatur, aut in terram descendat periturus. Sed quis inde venit, ut me possit de non visis docere, quid mihi restat post mortem ? Hæc et his similia sub ambiguo dum nutans cogito mecum, tandem deprehendi nihil esse melius.

Quam carpendo operum fructum partemque laborum
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ
Dum licet, et tardis se mors procrastinat alis (13) :

quis enim adducet eum ad hoc, ut præsciat illa quæ sibi ventura sunt, et post mortem futura ? Ista miserantis et infirmantis ab ore locutus, sic arguit Ecclesiastes sensus carnales. Tu, si vis spiritualem quærere sensum, invenies aliquid quod te delectet quæsisse. Quantum enim ad spiritualem intelligentiam attinet, quoniam homines et jumenta salvos faciet Dominus (*Psal.* XXXV), et in alio loco : « Jumentum, » inquit, « ego sum apud te » (*Psal.* LXXII), et in omnibus prophetis homines et pecora in Jerusalem salvanda dicuntur, et impleri terram repromissionibus pecoris et armentis, quis scit utrum sanctus, qui hominis appellatione dignus est, ascendat in cœlum, et utrum peccator, qui jumentum vocatur, descendat in terram ? Fieri enim potest pro incerto vitæ hujus et lubrico statu, ut justus concidat, et peccator exsurgat. Et nonnunquam evenit, ut rationabilior et eruditus Scripturis, id est homo, non circumspecte, et ut scientia sui dignum est, vivat, et deducatur ad inferos et simplicior quisque atque rusticior, qui jumentum hominis comparatione dicatur melius vivat et martyrio coronetur et para-

(13) Versus medius Horatii totus (*Sat.* lib. II, sat. 6, vers. 52), reliqui duo partim Horatii (ibid., vers. 93, 97), partim auctoris nostri.

disi sit colonus. Sciunt autem et gentiles ex parte, A quod Ecclesiastes noverat. Mos enim fuit apud Romanos, in celebratione triumphi, inter aquilas victrices et coronas lauri, inter multa insignia ventosæ pompæ, ante oculos triumphantis caudam præferre animalis fixam super hastam pro vexillo, et post tergum triumphantis sedebat lictor, impellens latus victoris, et dicens ad aurem illius: « Memento te animal esse, et hominem mortalem. » In his designabant qui hæc faciebant, quod cum jumentis sit nobis quædam comparatio. Quid est autem, cuncta subjacent vanitati? Si terra vanitas, nunquid et cœli, et angeli, throni, dominationes, potestates, cæteræque virtutes? Sed quæ per se bona sunt, ut a bono Creatore condita, ad comparationem majorum vanitas appellantur, verbi gratia: Lucerna B lampadis comparatione pro nihilo est, lampas stellæ collatione non lucet: Stellam lunæ confer, et cæca est; lunam soli junge, non rutilat, solem Christo confer, et tenebræ sunt. « Ego sum, » inquit, « qui sum » (*Exod.* III). Omnem igitur creaturam si Deo contuleris, non subsistit. « Ne tradas, » inquit Esther, « sceptrum tuum his qui non sunt » (*Esth.* XIV), vel idolis scilicet, vel dæmonibus.

CAP. IV, VERS. 1, 3. — « Verti me ad alia, et vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos, quam viventes, et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. » C Qui flebat fragilem naturæ nostræ conditionem, et dolebat pares nos esse jumentis, modo flet quod non simus parilis conditionis, non simus contenti fœdere æqualis vitæ. « Vidi, » ait, « calumnias quæ sub cœlo geruntur, et lacrymas innocentium » magis inde oriri, quod nullum meretur consolatorem, et non queat bona vita innocentis resistere peccatori, sed tota in lacrymis sit consolatio eorum qui soli relicti sunt. « Et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est. » Ad comparationem miseriarum, quæ in hoc sæculo mortales premunt, feliciores judicavi mortuos quam viventes, secundum illud Job de inferis disputantis: « Ibi requieverunt fessi robore, omnes qui vincti fuerant, jam securi, non audientes vocem exactoris » (*Job.* III). Melior autem est utroque, vivente videlicet et defuncto, qui necdum D natus est. Alius enim adhuc mala patitur, alius quasi de naufragio nudus evasit; porro qui necdum natus est, in eo felicior est, quod necdum mala mundi expertus est. Hoc autem dicit, non quod qui necdum natus est, ante sit quam nascatur, et in eo felicior sit, qui necdum corpore prægravatus est, sed, quod melius est omnino non esse, nec sensum habere substantiæ, quam infeliciter vel esse, vel vivere, quomodo et de Juda Dominus loquitur, futura ejus tormenta significans: « Melius erat non nasci homini illi » (*Marc.* XIV), quod melius ei fuerit omnino nil esse, quam æternos cruciatus perpeti. Alii altius hunc locum intelligunt, meliores eos esse dicentes qui mortui sunt, ab his qui vivunt, licet ante fuerint peccatores, viventes enim adhuc esse in prælio, et quasi clausos corporis ergastulo retentari; qui vero mortem obierint, jam esse securos, et peccare desiisse, sicut et Joannes, cui major non fuit in natis mulierum (*Matth.* XI), minor est eo quo minus est in regno cœlorum, et corporis onere liberatus, nescit cum Apostolo dicere: « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom.* VII). Meliorem autem esse utroque eum qui necdum natus est, nec vidit mala quibus in mundo homines deprimuntur, animas vero nostras antequam ad corpora ista descendant versari apud superos, et tandiu beatas esse, quandiu cœlestis Jerusalem a choro teneantur angelico.

VERS. 4. — « Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi: et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est. » Quid amplius invidiæ vanitate regnat in orbe? Invidia, quæ prima fuit mortis via, vix dignata parem, et nunquam dignata priorem. Satanam dejecit de cœlo, et Adam de paradiso, ista primos fratres Cain et Abel commisit: primo Joseph, post ipsum Christum **534** vendidit. Ista Dathan et Abiron contra Mosen et Aaron commovit, et vivi descenderunt in infernum. Nihil gravius, nihil nequius, nihil justius illa est. Quid gravius, cum plerumque malum, quod nesciat alter, invidus ipse prius patitur? Quid unquam nequius, quam ridere malis, mœrere alienis bonis? Si doleas, ridet, dolebit econtrario, si riseris. Quis unquam felix effugere potuit dentem invidiæ? Et quid ea justius? Nihil illa impune operatur: vindicat enim in se quidquid in me peccaverit, roditur et rodit, quotiescunque nequiter invidus odit. « Et in hoc vanitas, et cura superflua est, » ut invideat alter, si sibi bona comparat alter.

VERS. 5, 6. — « Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas dicens: Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, et afflictione animi. Nunc videas alium alii vano succumbere. Supra fuerat conquestus, quoniam plenus divitiarum invidiæ vicinorum esset subjectus: modo stulti pigritantis verba, et habitum reponit, qui stulte vitans unum vitium, cucurrit in contraria, invidiam fugienti occurrit egestas, causa et altrix famis, neque abest vilis incuria. Iste est merito lapidandus de stercoribus boum, qui hyperbolice comedit carnes suas, nec operatur bonum, quod exigit usus corporis, neque instat bonis quæ postulat usus animæ. Iste in corde suo se consolatur dicens: Dives vitiis atque divitiis oneratus, pateat invidiæ, patiatur multa pericula de suo labore, ego aliter sapio, meliuscule mihi procuro: « Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, » paupertate mea contentus sine cura vivam, ut possim longam et securam ducere vitam, absit a me labor, absit contritio cordis.

Cantabit vacuus coram latrone viator.
(JUVEN. Sat. x, vers. 22).

VERS. 7. — « Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole : unus est, et secundum non habet, non filium non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat, dicens: Cui laboro et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima. » Qui curat et procurat eis quos nutrit domestica cura, fratribus, et uxori, et natis, et servis suis, illum excusare videtur pietas naturalis ; sed tamen a vanitate, quoniam sunt omnia vanitas, non eum absolvit, quia præfert terrena cœlestibus. Cui vero natura, et Deus naturæ omnes affectus naturalis pietatis abscidit, ut fratres, natos, sponsam, et charos non habeat propinquos, quibus et pro quibus instanter laboret, si ille « thesaurizat et ignorat cui congregabit ea » (*Psal.* XXXVIII), quid plus vanum, quid plus ineptum reputabitur ? Unus est, non est dignus habere Deum in consortio suo. Non est illi frater, quo nullus amicior est illi, frater, qui a fratre juvatur, inexpugnabilis est (*Prov.* XVIII), cui non est frater, quis eum juvavit pro fratre ? Non est ipsi filius, quibus ipse fuit loco patris, exemplo vitæ nullum Christo genuit ; subsidio rerum nullum sibi filium genuit. Iste bonis defraudat animam suam, vel cui laborat ? Ipse, cum oculos divitiis tantummodo pascat, nullis divitiis illius saturatur anima, quia non videbit bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI).

VERS. 9 12. — « Melius ergo est duos esse simul quam unum, habent enim emolumentum societatis suæ : si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habebit sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet ? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. Uno abjecto, et unius labore notato et reprobato, transit Ecclesiastes ad bene concordes, et sese mutuo diligentes. Quid melius, quid potest habere dulcius homo eo, cum quo quasi cum corde suo omnia secreta sua loquatur ? Amor vincit omnia, quem nulla vincit amaritudo. Altior a terris duabus hic semper subvolat alis. Hic nunc discindit, modo dissuit, modo jungit omnes affectus, quos parere videtur usus naturæ. Fortis ut mors dilectio (*Cant.* VIII), quæ vix fuit plena in quinque ætatibus sæculi, inter amicos quos numerare nihil mea interest. Quid enim ad nos, quod Phylade furiis amicus Orestem occidit, quod Pyrithoum devorasset tricerberus canis, nisi Theseus eripuisset eum ab ore triformi, quod Thydeus Polinicem, quod Patroclus Achillem dilexit, quod sic Damon Pithiam adamavit, ut ex eis unus Dionysius cuperet esse, qui nullius amicus, nec ei charus fuit ullus, ille miratus in his quod amor plus morte valeret :

Hunc in morte vadem, stupet hunc sub morte fidelem.

Sed decantent sua gentiles, garriat sibi fabula, quod fratrem redemit Pollux alterna morte, significans quod geminæ stellæ sub eorum nomine alter-
A nis oriantur, alternis occumbant. Nos divina revolvamus, nos ad nostra recurramus. « Væ soli. » A quo enim consolabitur solus ? Abel solum frater iniquus percussit et occidit (*Gen.* IV). Solus Lot captivus fuit cum Sodomitis, quem Abraham patruus ejus, percussis hostibus, liberavit (*Gen.* XII-XIV). Fratrem Mosen adjuvit frater ejus Aaron, econtra in fabricatione vituli lapsus periisset Aaron, nisi surrexisset adjutus oratione Mosi fratris sui (*Deut.* II). Dilexit Jonathas David, et David Jonathan singulari dilectione (*I Reg.* XVIII). Quid multa ? Cunctis profertur solus et unus Dominus Jesus Christus, quod cum dilexisset suos, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII). Ipse etiam dixit : « Si duo ex vobis consenserint, ex omni re quamcunque petierint,
B fiet eis a Patre meo » (*Matth.* XVIII). Et iterum dicit : « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Matth.* XVIII). Quis melior mediator eo ? Si tecum ille fuerit, si vos duo unum sitis, emolumenta felicis sodalis habebis : fulcit enim nutantem, sublevat ille te cadentem, fortis armatus si prævaluerit tibi soli, fortior illi resiste, Christo tecum compugnante. Non est amor solus, nec erit ille minor duobus. Uno quidem raro, multi amore solidantur, unus si duo sint, est firmum amoris fœdus. Unus si in Christo sint duo, nil firmius est isto nodo, nihil durius robore isto. Et si credis in unum Deum sub trino nomine satis citius poteris triplicem funem disrumpere, quam possis dissolvere nodum talis nexus.
C Sed, o quanti, proh ! dolor, nexu fidei triplicari, quamvis difficile, rumpuntur a pietate matris Ecclesiæ. Et in Juda enim apostolo iste fuit funiculus, sed quia post buccellam introivit in eum Satanas (*Joan.* XIII), funiculus iste disruptus est. Ait ergo : « Funiculus triplex difficile rumpitur. » Sapiens et prudens in verbis suis Ecclesiastes, quando hoc dicebat, nunquid funiculum triplicabat ? Neque triplicem, neque funiculum sine causa dixit. Sed nec funem, sed funiculum posuit diminutivum ejus. In funiculo ergo longus sæculorum ordo ostenditur, protendens atque convolvens multo sinuamine seriem causarum, et volubilitatem rerum, quas agitamus ab ortu solis usque ad occasum. Si hoc totum labile tempus conferre velis perpetuo ævo, longior erit una dies in atriis Domini super millia (*Psal.*
D LXXXIII), longius est ævum tempore, quam sit longus funis funiculo breviori. Cum ergo certis numeris signentur profunda mysteria, estne numerus quod jure sit sacratior tribus ? Sine tribus nulla res, nulla ars, nulla causa notatur. Ubicunque me vertam, quocunque legendo recurram, video pene omnia ligari funiculo triplici. Omnia quippe triplicantur, principio, medio ac fine. Absque nexu trium, nullum omnino corpus solidatur, **535** est enim longum, latum atque profundum. Tres sunt mundi ætates, et in his tres leges : lex naturalis, lex Moysi, lex Evangelii. Multum difficile solvitur funiculus triplex, quem dialectica nectit proponen-

do,assumendo, concludendo. Omnia Deus fecit ad exemplar numerorum,et extremam manum imposuit super cuncta per tres.Unus enim duo, tres, si conjunxeris,sex faciunt, et eccum suis tribus partibus ostendit,quod ipse Deus tribus, numero impare gaudet. Per tria, scilicet mensuram, numerum et pondus, creata fecit Deus,et in tria distribuit, cœlum, mare, terram, præsens, præteritum triplicans tempusque futurum.Nunquid his abesse debet fides spes, charitas? Tamen omnia vincit, quod tribus diebus et tribus noctibus Filius hominis in corde terræ fuit, sicut Jonas in ventre ceti (*Matth.* XII; *Jon.* II), et quod tertia die Dominus Jesus resurrexit a mortuis,imo vero, quod ipsa Dei sapientia omnibus hominibus incognita, tribus distincta personis, fidelibus suis secundum voluntatem suam revelatur. Talem itaque funiculum tibi triplicat Ecclesiastes,non tiliæ cortice,neque lino tortum, aut canabe, sed triplicato rerum fœdere sibi connexum.

VERS. 13,16.—« Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto,qui nescit prævidere in posterum. Quod de carcere,catenisque interdum quis egrediatur ad regnum,et alius natus in regno,inopia consumatur.Vidi cunctos viventes,qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.Infinitus numerus est populi omnium,qui fuerunt ante eum, et qui postea futuri sunt,non lætabuntur in eo,sed et hoc vanitas et afflictio spiritus. Cautissimus nosse vices omnium rerum Ecclesiastes, docet qualis rota agat regnantem, et volvat sub orbem, quem modo subtollit, modo dejicit alta vel ima, attollens de carcere ad regnum, claudens carcere a regno dejectum. Sed omnium rerum semper volvitur ordo. Qui delectantur simplici sensu verborum, his contenti sunt, studiosior et sapiens altiora requiret, quisnam sit rex, quis puer, quis adolescens, vel quis secundus. Ecce, homo, discere potes, quidnam sis; discere,inquam,potes, quis sis. Tu puer, tu senex,tu rex eris, aut exrex, stultus, vel sapiens, pauper, sive dives. Tu certe prior tibi sis adolescens,atque secundus. Omnia solus eris, es in omnibus omnis et unus, et varians personæ vicem sis, semper alter et idem. Est autem homo non simplex sed in uno corpore duplex, est homo carnalis, est et spiritualis,carnalis servit carni, spiritualis spiritui.

... Trahit sua quemque voluptas.

(VIRG., *Eclog.* II, v. 65).

Extra carnalis,intra viget spiritualis.Exterior annis, alter præponderat meritis.Quidquid extra habes, intra quoque retines.Et, sicut per ætatem carnalis proficit extra ita virtus hominis dat perfectum interiori. Hinc puer inde senex, hinc adolescens sive secundus, modo rex, modo sapiens, sic stultus es atque pauper. Rex puer exterior sine sapientia vivit, et quoniam lege caret vitiosa infantia,regnat tanquam puer impurus, nomine pueri indignus, non regit neque regitur,indignus nomine regis.Inde est illud: « Puer centum annorum maledictus erit »(*Isa.* LXV).Rex vero puer interior, quia non est sine lege Dei,puer est, pu-

A rus est,dignus nomine pueri. ipse regit et regitur, et est dignus rex appellari. Post generalem autem sententiam quæ omnibus patet, quod melior sit adolescens pauper et sapiens,quam rex senex et insipiens,et quod frequenter eveniat,ut ille per sapientiam suam etiam de carcere regis egrediens, imperet pro dominatore perverso,et rex insipiens perdat imperium quod tenebat. Super Christo et diabolo hunc locum interpretari possumus, quod puerum pauperem et sapientem Christum accipiamus puerum, juxta illud: Magnum tibi est vocari te puerum meum,pauperem vero, quia pauper factus est, cum dives esset (*II Cor.* VIII), et sapientem, quia proficiebat ætate et sapientia apud Deum et homines (*Luc.* II). Iste natus est in regno senis, et idcirco dicit: « Si esset de

B mundo hoc regnum meum, ministri utique mei decertarent pro me,ut non traderer Judæis,nunc autem non est de hoc mundo regnum meum » (*Joan.* XVIII). In illius itaque senis stulti regno,qui ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam ejus (*Matth.* IV), natus est optimus puer,et de domo vinculatorum, de quibus Jeremias in lamentationibus loquitur, dicens: « Ut humiliaret sub pedibus ejus omnes vinctos terræ » (*Thren.* III),processit ad regnum,et abit in regionem longinquam contra eos qui se regnare nolebant et post aliquantulum temporis rex reversus est (*Luc.* XIX). Præsago itaque spiritu vidit Ecclesiastes omnes viventes,qui possunt adolescentis participes esse dicentis: « Ego sum vita » (*Joan.* XIV), et veteri stulto rege dimisso,Christum sequi. Simulque duo ex Israel populi significantur. Prior, qui ante ad-

C ventum Domini fuit, et posterior, qui Antichristum pro Christo suscepturus est, quod prior non penitus sit abjectus,prima quippe Ecclesia ex Judæis et apostolis congregata est,et in fine Judæi quia Antichristum pro Christo suscepturi sunt,non lætentur in Christo.

VERS. 17. —« Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei,et appropinqua ut audias. Multo enim melior est obedientia,quam stultorum victimæ,qui nesciunt,quid faciunt mali. Jubet Ecclesiastes tantummodo pedem custodire, quando ingreditur domum Dei,quasi de reliquis membris nulla custodia præcipiatur.Sed nomine pedis designatur intentio mentis, per quam recte dirigimur, per quam omnium rerum causa notatur. Recte dirigitur, qui recto pede graditur. « Si oculus tuus fuerit simplex, to-

D tum corpus tuum lucidum erit » (*Matth.* VI) Scias ergo esse bonum si templum Dei bene frequentas, credas esse bonum,si sancte sancta frequentas. Ingrederis autem digne domum Dei, si poscis a Domino,unde jure debeas exaudiri. Custodis pedem tuum,si ad bona opera libenter progrederis. Si indigna petis,vario pede non bene vadis. Stans autem procul a Domino,et ab illo longe remotus,illum non audis eo quod ei promptus non obaudis. Ille Deo assistit, et Dominum propinquus audit, qui facit præcepta quæ sancit lex et gratia. Talis ingredere domum Dei,facis enim utile votum, dum mittis ad aures Domini preces mundo corde,non si mactes mille

boves, cum numoroso grege, accedet gratior hostia, quæ peccatum mundet. Stultorum enim Judæorum victimæ destructæ sunt, et damnatæ cum suis dominis, sicut scriptum est in Zacharia: « Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce volumen volans, et dixit: Quid tu vides? et dixi: Ecce ego video volumen volans, longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum, et dixit ad me: Hæc est maledictio quæ egreditur supra faciem omnis terræ » (*Zach.* v), etc. Hoc futurum erat, quia Judæi non crederent in Christo, et prædicatores Evangelii persequerentur, et occiderent, atque proinde venirent super eos omnes maledictiones legis, quas Moses in Deuteronomio scripsit, quæ sunt hujusmodi: « Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum » (*Deut.* xxviii), etc. Volatus ergo voluminis velocitatem advenientis significat maledictionis, quia videlicet, sicut Psalmista dixerat: « In generatione una deleatur nomen ejus (*Psal.* cviii), ita futurum erat, et ita factum est, ut ultra quadraginta annos maledictio **356** et vindicta super populum Judaicum non differretur. Longitudo voluminis, id est maledictionis, æternitas est damnationis, et latitudo ejus, temporalitas tribulationis. Nam et in præsenti et in futuro sæculo, damnati sunt increduli Judæi, in vindictam sanguinis Domini Jesu, et prophetarum ejus. Et latitudo quidem maledictionis decem cubitorum est, quia videlicet temporalis tribulatio, qua ceciderunt in ore gladii, et captivi ducti sunt in omnes gentes decalogi legis, quod prævaricati sunt, justa vindicta est. Porro longitudo ejusdem maledictionis viginti cubitorum, id est dupla est, quia nimirum æterna damnatio non solum corpus, ut præsens tribulatio continget, sed et animam et corpus gehennali igne puniet. Hæc igitur est maledictio, inquit, quæ egreditur super faciem omnis terræ, et profecto primum terræ Judaicæ. « Ira enim et indignatio, et tribulatio et angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci » (*Rom.* ii). Et revera prophetiæ præsentis ordo postulat, faciem omnis terræ hic intelligi universitatem terræ Judaicæ, quæ legem accepit, id est non solam civitatem Jerusalem, sed et omnes civitates Judeæ, quia super omnem terram illam maledictio advolavit, et super omnem gentem illam effusa est. Unde adhuc subditur: « Quia omnis fur, ut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur » (*Zach.* v), quomodo ibi scriptum est, scilicet in volumine maledictionis (*Deut.* xxviii). Præmisso, « maledictus eris in civitate, » usque « maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens, » quantæ, quam horribiles maledictionis sententiæ nominatim cursu continuo proferantur, volenti legere et numerare promptum est. Triginta namque sunt ejusmodi sententiæ et pleræque ex ipsis declamatione imprecatoria depromptæ, quarum prima est: « Mittet Dominus super te famem et esuriem, » tricesima: « Ipse erit in caput et tu eris in caudam. » Nam verba sive sententias esse maledictionis ipse confirmat, ita concludens: « Et

A venient super te omnes maledictiones istæ, et persequentes apprehendent te, donec intereas. » Post hæc et alia similiter ad maledictionem pertinentia declamat, non tamen imprecantis modo, sed annuntiantis, et loquentis more prophetico. Hæc idcirco dixerim, quod revera nonnihil habet consideratione, et admirstione dignum tot præscriptas fuisse sententias maledictionis, quot argentei dati erant in pretium sanguinis Domini. In psalmo quoque centesimo octavo, si diligenter computes, maledictiones totidem invenies, quarum prima est: « Constitue super eum peccatorem, » ultima, « et induantur sicut diploide confusione sua. » Nonne propter hæc magis delectatus animus, numerum voluminis, qui est in longitudine, et in numerum qui est in latitudine, recte conjun-

B git et componit ut sint triginta cubiti magnitudinis voluminis, sicut sunt triginta sententiæ maledictionis, sic triginta argentei fuerunt, quos in pretium sanguinis Domini fur ille, id est Judæorum cœtus dederat. Denique sicut longitudo et latitudo unam magnitudinem faciunt, ita et decem qui sunt latitudinis, et viginti cubiti longitudinis, recte simul veniunt, et triginta fiunt. Et quis nesciat, quis dubitet evenisse quod ait, « quia omnis fur, sicut ibi scriptum est judicabitur, et omnis jurans ex hoc judicabitur. — Educam illud, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam, et ligna ejus, et lapides ejus » (*Zach.* v). Quis nescit, quis non audivit, quia sic omnino factum est? Venit enim volumen illud maledictionis ad domum furis, ad do-

C mum illam, quæ cum debuisset esse domus orationis, facta erat spelunca latronum, et domus negotiationis (*Matth.* xxi), et ille fur qui hoc fecerat, et latrocinia sua in domo illa perjurio cumulabat, imo et ipsum Dei Filium mendaciter et in dolo adjuraverat, proloquente quodam: « Adjuro te per Deum verum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei » (*Matth.* xxvi). Omnis ejusmodi fur, et ejusmodi jurans sive adjurans, id est, tam populus quam sacerdos judicatus est, sicut ibi scriptum est, omnino sicut scripsit Moses, et consumpsit eum, et ligna ejus, et lapides ejus ita ut flamma concremarentur ligna, et non remaneret lapis super lapidem de omni domo illa (*II Par.* xxxvi; *Matth.* xxiv).

CAPUT III

D « Habemus, » inquit apostolus Petrus, « firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris » (*II Petr.* i). Dulce est auditu, dulcius experimento, quod propheticus sermo lucerna ardens et lucens sit (*Psal.* cxxxi), quam utique Spiritus sanctus Christo suo paravit, unde videri possit, ille in hac nocte per speculum in ænigmate donec illucescat ille dies, in qua videndus est facie ad faciem (*I Cor.* xiii) æterna visione. Hæc intentio nostra sit, ut in lumine hujus lucernæ non ad horam, sed ad æternam ejusdem Christi gloriam exsultare (*Joan.* v) nolimus,

cujus exsultationis hoc initium est, prophetica testi- A monia meditantes ex parte sciamus, et nos quoque ex parte prophetemus, donec veniat quod perfectum est, et quod ex parte est evacuetur (*I Cor.* XIII). Cum hac simplicitate oculi nunc usque progressi lucidum prosequamur ordinem nostri Ecclesiastis, revera lucentis lucernæ, cujus in lumine corde et ore dignum sit exsultare omni animæ, quæ Christi claritatem non ficta diligit charitate, et spes nostra hæc sit quam sapientia promittit, quia de fructu oris sui homo satiabitur bonis. Magni ergo et pulcherrimi Ecclesiastis pars aliquanta decursa est, nunc cætera, frater charissime Gregori, prosequamur.

CAP. V, VERS. 1, 2. — « Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram, B idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia. » Ab omni vanitate volens hominem retrahere Ecclesiastes, sollicite monet neque aliud sonet ab ore, ne aliquid susurret in corde ante Deum, qui videt cor et os gubernat. Cede et homo, cede Deo tuo, substerne te ei, quia te multo altior est. Ipse enim in cœlo habitat, videt ab alto infima summus et excelsus. Si potes de terra cœlum tangere manibus, poteris etiam humanis pertingere verbis, quænam sit natura Dei, quæ sit summa substantia. Inde si aliquid dices, si aliquid corde revolves, nil dicas temere, nihil corde temere revolvas. Esto brevis in verbis, esto fidelis et corde docilis. Sicut multis curis multa sequuntur somnia, ita plurima vana multis sequuntur verbis. C Raro loquaces fuerunt sine stultitiæ nota. Quis credat posse capi humanis sensibus eum qui est super omnes? Sed scriptum est: « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem » (*Rom.* X). Tu ergo sanctorum scripta legas, et quod intelligere non potes de Deo, sapienter credas. Utiliter enim nescis, quod perniciosum est quærere. Sed multi temere et velocius æquo coram Deo multa locuti, quando nolunt tenere utraque frena cordis et linguæ, intendere oculum in ipsos divinitatis radios, repercusso lumine vitiatæ mentis, **537** errant, et hominem exuti quasi pecudes fiunt et graves feritate, et loquaces garrulitate.

VERS. 3, 4. — « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcunque voveris, redde, multoque melius est D non vovere, quam post votum promissa non reddere. » Jubet lex divina et humana, antiqua et nova, si quid Deo voveris reddere, ne sis reus voti tui. Quando unquam impunita fuit votorum violatio? Vilior fuit Jephte voto unica filia, in cujus occisione votum suum implevit (*Judic.* XI). Sed mala vota non sunt adimplenda. Populus Israel in monte Sinai in caligine nubis, auditis verbis Domini dantis sibi legem: « Omnia, » inquit, « quæcunque præcepit Dominus faciemus » (*Exod.* XXIV), quos tamen et voto et culpæ reos ultio crebra premebat. Ista Dominus auctorizans dicebat: « Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei » (*Luc.* IX). Addidit etiam exemplum non retro respiciendi: « Memores estote uxoris Lot » (*Luc.* XVII). Illa Sodomam fugiens, sed ad illam mente recurrens, et respiciens retro, reflexo mento cum mente, est mutata in statuam salis (*Gen.* XIX), dans utile omnibus sæculis exemplum, non esse votum temerandum. Stat enim sicut stabat; ut tunc, ita respicit modo, ostendens culpam quæ formam sibi transvertit. Potes videre singula membra, crura, pedes, suras, ventrem, inguen, pectus, et ulnas, os, nares, oculos, frontem atque capillos. De hoc marmoreo salis corpore quidam humor liquitur, quem sine aliquo damno lingunt armenta et greges, et quo amplius lingunt, plus est quod possint lingere. Isto nos exemplo dulci atque saporo condit, et quasi piperatos nos facit ipse Deus. Exemplum quidem vivit, quamvis in imagine nihil vivat.

VERS. 5, 6. — « Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo: Non est providentia, ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri, tu vero Deum time. » Spiritus et caro multa sibi colluctatione adversantur in nobis, et sua cuique voluntas est: « Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam (*Joan.* VI); Spiritus promptus est, caro autem infirma » (*Matth.* XXVI). Ut ergo sis homo consultior, promptior et sapientior, monet te Ecclesiastes, ne laxes frena vagandi indomitæ carni, ne laxes frena loquendi indomitæ linguæ. Ne dederis, ait, os ad contagia carnis. Non prohibet reserare quando vis, claudere quando vis. Resera bonis, ad mala clave serabis. Sed nimis carni indulget, male temperat ori, qui aperiens os suum vanitati, se verbis derogat istis: Sum caro, sum substratus fragili conditioni, vita brevis superest, quid prodest vitam perdere pauculam, cum sim caro, cum sit caro mortis obnoxia, vivam tamen convenienter naturæ carnali, quis mihi minitetur futurum esse judicium, quando mihi reddatur quodcunque vita mea meretur? quæ facio, ignorantia celabit sive oblivio, casus agit mundum, quæ est dispensatio rerum? nulla omnino. Quicunque aperit os ut talia loquatur, iste datus est « in reprobum sensum, ut faciat quæ non conveniunt » (*Rom.* I). Sed quare dixit « carnem, » cum posset rationabilius dicere « mentem? » quis enim nisi per mentem faciat peccare carnem? Qui caro sunt peccant, non peccant qui caro non sunt, qui generantur Deo Patre mente magis quam carne. Errant ergo qui dicunt quoniam nulla sit dispensatio rerum in mundo, fortuna cuncta volvente. Nihil est enim non distinctum, nihil immoderatum. Deus tenet cœlum, angeli æthera, nos terram inhabitamus. Angelicus ordo novenis distinguitur ordinibus, unusquisque suo signat nomine quis eum deceat ordo. Isti sibi præsunt, aut concordi vice subsistunt, alii Dominum laudant, alii mittuntur in ministerium salutis nostræ, populus visitando, et regna regendo, unicuique nostrum suus datur ange-

lus, ut nos ad bonum dirigat, mala tollat, et ad recta perducat. In puero itaque nobis puerilem, ostendens Dominus Jesus humilitatem : « Quicunque, » ait « humiliaverit se sicut parvulus iste, hic magnus vocabitur in regno cœlorum » (*Matth.* XIV). Angelus ergo tuus sit tibi custos tutus. Illo quoque præsente si aperias os tuum ut mala loquaris, ille tibi non custos, sed erit gravissimus ultor. Quæcunque facies quæcunque loqueris, dum sordes crimine pro nihilo reputat. qui cordis secreta penetrat. Ægroti veteris somnia meditatur, qui innumeris innititur verbis. Qui scis quis et quid sit Deus, qui omnia gubernet, illum time amando, qui dominatur mundo.

Vers. 7,8. — « Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti. » Qui non vult credere, quod mundus lege regatur, propterea quoniam impietas injustitiæ dominatur, ejus mentem et voluntatem præoccupat Ecclesiastes. Ne mireris, inquit, quod iniquus vexet egenos, aut quia jus summum sit sæpe malum tibi summum. Quicunque iniquus erit, non impune abibit, et injuste punitus non ibit inultus. Veniet debita pœna malo, quamvis pede claudo. « Qui in sordibus est, sordescat adhuc, et justus justificetur adhuc » (*Apoc.* XII). Si aspicias conditionem nostræ naturæ, quibus est eadem sors eamdem sortiuntur legem. Sed libertas arbitrii, quæ jam omnia vitiavit, abstulit æqualem conditionem vivendi. Iste præest, ille subest, abundat tibi facultas, mihi deest et tenuis victus, alter regit, alter regitur, hic servit, hic dominatur, unus punit, alter punitur. Hoc autem libertate meremur. Virtus, vitium, vis, segnities, dolus, ars et jus reddunt dissimiles quos Creator creavit similes. Tales fecit culpa, non tales fecit gratia. Quis ergo ista arrogabit Deo? Quis ei deroget quod mala patimur, quæ perpetienda lucramur? Non homines soli hac disparilitatis sorte monentur, nec solos egenos vexat inflicta calumnia. Piscibus, feris, avibus, serpentibus atris, quos natura parens condidit, sorte dispares sunt. Unde dolus piscibus? unde fraus brutis animalibus? Decipit arte fera feram, piscis in aqua piscem. Est lupus in terris, est lupus in mari unius pene furoris ingluvia pleni. Raptorem alter devorat raptor, et alter eumdem. Locusta devorans multa a seleuce devoratur. Quis dedit aquilæ regnare inter aves? Quis dedit leoni regnare super omne genus ferarum? Omnes rugitu terret, ipsum nullus. Ne autem de me mirer, sic me magistrat natura, sciens certo distinguere fine jus et legem, me tenet sub jure suo, et refrenat lege sua. Tenet natura jus quod Deus ei præfixit. Accepit et leges tanquam impositos sibi frenos, ne vagetur liberius justo. Omnes æquales creati sumus, sed prohibemur æquales esse præscripta lege, quod magis et minus suscipit usus naturæ. Viribus, ingeniis, usu artis inæquales sumus, capientes plus sive minus. Sunt etiam inæquales mundi honores, et distinctus est gradibus suis orbis dominatus. Cum ergo mirer si ego jure aut lege refrener? Iste mihi præcellit, major illi supereminet. Sunt et alii qui istis altius præemineant, et gubernent, sicut rex præcellit, cui servit **538** machina mundi. Non aliud dixit Ecclesiastes, quam dicturus erat Petrus sive Paulus, et ipse Deus. Ait enim Paulus : « Non est potestas nisi a Deo » (*Rom.* XIII). Item : « Omnis anima potestatibus subjecta sit » (*ibid.*). Et Dominus : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo » (*Matth.* XXII). Unus qui præsit multis cognovit orbis subditum et alternam vicem miratur, ut unus et idem serviat et regnet, leo parvis, muscula magnis. Quem timent multi, multos et ipse formidat, et quem timent parvi, parvos ipse magnus timet. Quare elephas murem, quare leo gallum timet album? Scorpio fortissimum occidit pungendo leonem, atque draco tam grandem sternit fraudando elephantem. Accipe reges, qui aut præemineant principibus, quos verus rex hic exercet in umbra regnandi, aut quod verius est, cœli accipe primates, non quidem singillatim vel publica regentes regna. Ipsos etiam non merito, non ordine, sed nomine et actu pares esse cognoscas. Non est enim par aliqua potestas. In Deo autem solo par est et summa potestas.

Vers. 9-11. — « Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis, et hoc ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti sive parum, sive multum comedat : saturitas autem divitis non sinit eum dormire. » Vera est sententia, quia semper avarus eget, cujus cor neque ipse Deus implet. Sibilat illum populus, seipsum solus laudat avarus. Comparat idololatræ illum magnus S. Paulus vas electionis (*Eph.* V). Cum omnes exsecrentur avarum, Deus ipse illum suo magis damnat ore dicens : « Non potestis Deo servire et mammonæ » (*Matth.* VI); Mammon autem deus est avarorum, deus cupidorum. Qui colit illum, non me colit, sed longe recedit a me. Et si camelus gibbosus poterit per subtile foramen acus, et dives avarus intrabit regnum cœlorum (*Matth.* XIX). Sed utrumque repugnat. Nec enim camelus intrat acum, nec cœlum intrabit avarus. Qui thesaurizas tibi, at tuo animam tanquam pictura pascis inani, audi quod diviti dicitur in Evangelio : « Anima tua hac nocte tolletur a te, quæ autem parasti cujus erunt » (*Luc.* XII). Qui talis dormit, qui talis moritur, plenus divitiis, plenus vitiis, non est ei dulcis somnus in carcere mortis. Qui vero bona operati sunt, sive divites sive pauperes fuerint, dabitur eis dulcis somnus, et requies perennis.

Vers. 12-16. — « Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole, divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima, generavit filium, qui in summa egestate erit. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus in-

firmitas, quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris et in curis multis, et in ærumna atque tristitia.» Tales divitias plurima mala Domino suo daturas congregat, qui Ecclesiam schismate perturbat, qui thesaurizat sibi iram et indignationem (*Rom.* II). Filium quem generat, quoniam patre nequior efficitur, gravabit sensus paupertas et summa egestas. Ille indignus ornari prima fidei stola, nudus, et pauper, atque miser in terram revertitur pœnis addictus sine fine. Tale divitias quærunt qui sapiendo non sapiunt, et talem fructum accipient divitiarum, quos non ædificat sapientia, sed inflat. Discat ergo mens simplex quid dicat littera simplex. Exterret cupidos et avaros Ecclesiastes, ne aliquis plus justo mundi divitias amet, demonstrans quam si hoc infirmum, vanum, et miserabile tantis insistere curis, ad quærendas opes, quas fortuna sub pedibus suis rotatas. modo ad istum, modo transvolvat ad illum. Quicunque servat congregatas opes, non potest tenere ut proprias, sed reddit quasi mutuo acceptas; et qui quæsierat, magistra in lucrando formica, perditis omnibus per qualemcunque rapinam, fraudem, furta, sive ignes, pressus per omnia tristia curis et ærumnis, in tenebris comedens latet, et sicut rauca cicada deflet pauperiem, et lacrymis consolatur dolorem.

VERS. 17-19. — « Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, et hæc est pars illius. Et omni homini cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque et tribuit ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo, hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus. » Qui præmisit mala quæ vitare debemus, modo subjungit bona quæ facere debemus. Dixerat esse malum et vanitatem pessimam quærere et nimis amare fugitivas divitias. Et consulens semetipsum super hac relatione, quod rerum species, et dierum series fluitet, quæ fluendo nos atterit, et quæ fluendo peribit, animadvertit esse bonum ut capiat unusquisque fructus laborum suorum, ducens tempora jucundæ vitæ, nequaquam se fraudans de parte rerum sibi data. Si præsto est tibi potestas ex divitiis lætam degendi vitam, et rebus fruendi, quare recorderis prioris vitæ, quomodo præteritos peregeris annos? Quæ retro sunt oblitus, et in anteriora te exercens (*Phil.* III) continuabis tibi gaudia felicis cursus, quod Deus tua commoda augens gratuito dono, occupet cor tuum nectare deliciarum. Omnia « quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt » (*Rom.* XV), et dignum est ut pascamur istis deliciis. Ille fruitur bonis, ille jure lætificatur, qui rejecto pondere mundanarum rerum inde sibi aliquam accipit partem quam vita ejus requirit, secundum Apostolum, contentus victu et vestitu (*I Tim.* VI), et non recordatus quos voluit vita dierum, ad bravium

A vitæ currit (*Philipp.* III), dissolvi cupiens et cum Christo esse (*Philip.* I). Iste accipiet quod oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit (*I Cor.* II). Ille ergo bonis fruitur, illius cor lætificatur, qui verba sanctæ Scripturæ studiose meditans inde cibat, inde potat, potatur et cibatur, et ita parte sibi data fruens, laborat sub sole, nunc ex parte videns, et ex parte prophetat, sperat quod tatum videbit evacuata parte (*I Cor.* XIII). Itaque de dono Dei gratulans, lætatur in illo qui tantis cor ejus jam nunc occupat deliciis. Ille etiam bonis fruitur, et delectatur fruendo, quem panis Dominici corporis satiat, et debriat calix ille sacri cruoris, quo qui dignus est, felicem se esse sentiet. Talibus deliciis omnes electos Deus glorificat.

B CAP. VI, VERS. 1, 2. — « Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ ejus ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas et miseria magna est.» Si ista vertamus ad allegoriam, vir cui divitias sine deliciis, et honorem sine potestate utendi dedit Deus, Judæorum est populus. Dedit ei Deus divitias sacræ legis, quas veniente Domino nostro Jesu Christo perdidit. Populus enim gentium, illo non credente, vocatus est, et gloriam et divitias, quæ illis erant promissæ, accipere meruit. Unde in quodam propheta scriptum est: « Et levavi oculos meos et vidi, et **539** ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, et montes, montes

C ærei. In quadriga prima equi rufi » (*Zach.* VI), etc. Levemus cum propheta oculos nostros, quoniam nec ipse nisi levatis oculis vidit quadrigas, et equos istos. Levemus, inquam, mentis oculos, et prospectum extendamus per mundum universum, et ecce mundus plenus est, et ex quo B. apostoli de candelabro illo, quod vidit propheta, sunt illuminati, cœpit impleri quadrigis ferventibus, et equis currentibus, de quibus et Habacuc decantans Domino: «Qui ascendes,» ait, « super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio » (*Hab.* III). Quadriga prima, inquam, erant equi rufi: apostolorum est et martyrum. Quadriga secunda, inquam, erant equi nigri: pœnitentium est, qui ab apostolorum temporibus incipientes, in his qui sanguinem Christi fuderant vitam nobis cœnobialem sanxerunt,

D unde usque hodie per orbem niger tam in professione quam habitu perseverat ordo monachorum. Quadriga tertia, inquam, erant equi albi: ordo est virginum utriusque sexus totum candore suo perornans equitatum Jesu Christi Domini exercituum. Unde illud notandum, quia cum dixisset: « In quo erant equi nigri, egrediebantur ad terram Aquilonis, » ait, « et albi egrediebantur post eos.» Illos namque vitæ ordinem, qui facinorosis erat necessarius, quemque priores illi susceperunt, ut fructus dignos pœnitentiæ facerent (*Luc.* III), subsequuntur quamplurimi, neque homicidii neque adulterii, sive alterius cujuslibet criminis rei, imo et plerique corpore incorru-

pti atque integri, quos B. papa Gregorius, « Quid, inquit, nisi justos et pœnitentes dixerim ? » Plane hoc ipsum est egredi ad terram Aquilonis, vitam austeriorem exsequi, quæ tantum differt a remissiore multis utente deliciis, non tamen illicitis aut lege prohibitis, quantum rigor Aquilonis a suavitate differt Austri, sive Favonii, quantum hiemalis algor a vernis distat blanditiis. Unde notanda littera, quia sic dictum est : « In quo erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis, » ut sit sensus : propter quod erant sibi peccatorum conscii, in propositum se dimiserunt vitæ arctioris. Quadriga quarta in qua erant equi varii, fortes, pastorum atque doctorum est, et omnium, in quibus eminent illæ gratiarum divisiones, de quibus Apostolus, « alii, » inquit, « per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii genera linguarum, alii gratia sanitatum » (*I Cor.* XII), etc. Num parvum hoc est, aut indignum fuit inter illa magna quæ vetera erant, et de quibus jam dictum atque adhuc dicendum est, istos Ecclesiæ gentium ordines prophetica visione demonstrari ? Imo quis prophetarum de hujusmodi tacuit, et gentes salvandas unde ordines istos Divinitas assumpsit non declamavit in gaudio Spiritus sancti ? Qui porro sunt duo montes illi, quorum de medio quadrigæ iste videntur egredi, qui videlicet montes, montes dicuntur ærei ? Montes isti duo Testamenta sunt, lex et Evangelium, dicunturque montes, propter altitudinem sive dignitatem cœlestium sacramentorum quæ continent, quia videlicet altitudinem illud quoque significat, quod et lex et in monte data est (*Exod.* XIX), et evangelicum sermonem Dominus in monte sedens atque os suum aperiens exorsus est (*Matth.* V). Montes isti, montes ærei, videlicet propter sonoritatem atque diuturnitatem tam legis quam Evangelii, quia non potest solvi.

VERS. 18. — Scriptura tam legalis quam evangelica, nam « iota unum sive apex unus, » ait Dominus, « non præteribit a lege donec omnia fiant, et cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt » (*Matth.* V, XXIV) De medio montium istorum quatuor quadrigæ egressæ sunt, quia videlicet utrumque Testamentum quatuor jam dicti ordines Ecclesiæ recipiunt, et sicut in alia similitudine dictum est : « De medio petrarum dabunt voces » (*Psal.* CIII), ita hic recte dicas quia de medio montium duorum, montium æreorum, quadrigæ iste procurrent. Iidem de communi legis et Evangelii sensu sive consensu servabunt vitæ ordinem, scientiæ et doctrinæ puritatem. Quid tandem est quod percunctanti prophetæ : « Quid sunt isti, Domine mi ? » responderit angelus : « Isti sunt, » ait, « quatuor venti cœli, qui egrediuntur ut stent coram dominatore universæ terræ. » Quid nisi quod Sapientia dicit, quia « multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum ? (*Sap.* VI). Idcirco nimirum quatuor quadrigæ istæ quatuor venti cœli dicuntur esse, quia sicut venti perflando nebulas sive pruinas evertunt, aeremque qui per quietem corruptior fieret, inquietando saniorem efficiunt, sic ordines isti, A quos diximus, singuli imo suis officiis stando, et cum tempus postulat discurrendo atque festinando, suscitant homines ad cognoscendum Deum creatorem suum, qui nisi crebra commonitione solliciti redderentur, ne cogitarent quidem, corrupti mente, restare quidquam post præsens sæculum, aut in fine distare quidpiam inter hominem et jumentum. Hinc est illud quod Joannes in Apocalypsi : « Vidi, » ait, « quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos cœli, ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem (*Apoc.* VII). Quatuor namque angeli quatuor angulorum mali principes, id est, angelicæ fortitudines fuere quatuor regnorum principalium Babylonici, Persici, Macedonici, atque Romani, de quorum uno angelus bo-B nus qui Danieli loquebatur, « Princeps, » ait, « Persarum restitit mihi viginti et uno diebus » (*Dan.* X). Regnis sive regnorum principibus illis hoc fuit tenere quatuor ventos cœli, cohibere a cultu sive servitio Dei quadrigas istas, id est, colentium Dei quos diximus, et servientium Creatori. Sed inclamavit et compescuit illos alter angelus, qui ascendit ab ortu solis habens signum Dei vivi, qui non est alius nisi vir iste qui super equum rufum ascendit, et post eum equi rufi varii et albi, qui sunt sancti prioris populi Veteris Testamenti Nam istæ quadrigæ, isti quatuor venti cœli, qui abeuntibus illis mulieribus cum amphora sua, egressi sunt de medio duorum montium ut assisterent Dominatori universæ terræ, sancti sunt junioris populi, qui, negante Christum Synagoga, ut dudum negaverat David, mulier al-C tera, scilicet, decem tribuum scissura crediderunt in eum, et assistunt illi nunc usque sicut veraciter Dominatori terræ.

VERS. 3-6. — « Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat, de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali, etiamsi duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis. » Qui centum liberos habuit Judæorum populus est, et genuit typice sanctos patriarchas, reges atque prophetas. Centenarius quippe numerus quadratus est, et tertia vanitas. Et quem-D admodum decem drachmis et decem ovibus decies decuplatis angelicus significatur numerus et ordo supernus, ita modo per centum digne signantur illi qui sunt perfecti, et virtutibus pleni, et quadrati fide, faciunt bona quæ prædicant Gens ergo Hebræorum, quamvis hyperbolice dictum sit quia nemo tantum vixerit, venit ipsa ad duo millia annorum, quos inveniemus a tempore Abraham, quando vocatus est, usque ad passionem Domini Salvatoris, qui de stirpe ejus natus **540** est. Abraham quod interpretatur « pater excelsus, » Hebræus erat ex Heber, cujus in domo et familia remanserat lingua primitiva, quæ ex tunc ab eodem dicitur Hebræa, natus

anno 191 a nativitate Phaleg, cujus in diebus terra divisa est, a diluvio autem 502, a Sem filio Noe decima generatione editus. Sem namque genuit Arphaxad, Arphaxad genuit Sale. Sale genuit Heber, Heber genuit Faleg, Faleg genuit Reu, Reu genuit Saruch, Saruch genuit Nachor, Nachor genuit Thare, Thare genuit Abram. Cainan quippe qui apud Lucam evangelistam inter Arphaxad et Sale ponitur (*Luc.* III), in Hebraico non habetur. Porro causam cur tali viro terra sua, id est, terra Chaldæorum digna non fuerit, hanc Hebræi tradunt, et ecclesiastici illustres viri veram esse defendunt, scilicet quod Abram in ignem missus fuerit, eo quod ignem adorare noluerit quem Chaldæi colunt, et Dei auxilio liberatus de idololatriæ igne profugerit, et hoc esse quod dictum est : « Mortuus est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Hur Chaldæorum (*Gen.* XI), quod videlicet ignem nolens adorare igne consumptus sit. Nam, Abram, inquiunt, eodem vallatus incendio Dei auxilio liberatus est. Unde et postmodum eidem Dominus : « Ego, » inquit, « Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum » (*Gen.* XV) Alioquin indissolubilis, aiunt, erit quæstio in eo quod dictum est postmodum : « LXXV annorum erat Abram cum egrederetur de Haran » (*Gen.* XII). Si enim Thare pater Abram cum adhuc esset in regione Chaldæorum, LXX annorum genuit Abraham, et postea in Haran CCV ætatis suæ anno mortuus est, quomodo post mortem ejus Abraham exiens de Haran LXXV annorum fuisse memoratur, cum a nativitate Abram usque ad mortem patris ejus CXXXV anni fuisse doceantur ? Ergo vera est illa Hebræorum traditio, quod egressus sit Thare cum filiis suis de igne Chaldæorum, et quod Abram Dei auxilio sit liberatus, et ex illo tempore ei dies vitæ, et tempus reputetur ætatis. Ab illo ergo die usque ad passionem Christi duo millia annorum computantur, quos in morte sua gens iniqua explevit, quæ non meruit habere sepulcrum, id est sanctæ contemplationis secretum.

« Nonne ad unum locum pergunt omnia ? Omnia, » non « omnis, » inquit. Non hominem solum, sed quæcunque obnoxia morti signat, ut eorum verbis se monstret abusum, qui aiunt non esse vitam animæ post mortem carnis, sed hominem totum perire moriendo, et properare ad unum locum perditionis, et nos et pecudes morientes cum carne sua. Unde propriis verbis quasi contrarius Ecclesiastes, ait quod dicere solet qui nescit dicere verum. Quid differt, ait, si sit abortivus aut senex, castus an incestus, felix an infelix, si omnes simus venturi moriendo ad unum locum ? Hoc quærens, non tamen affirmans, sic dicit, ut eum dicere credas : Licet sit unus ortus et occasus mortalibus, non unum tamen locum dabit actio diversa vitæ, quia illis Abrahæ sinus, istis paratur avernus.

VERS. 7-9. — « Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur. Quid habet amplius sapiens a stulto ? et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita ? Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias, sed et hoc vanitas est, et afflictio [præsumptio] spiritus. » Non deviat a causis naturæ Ecclesiastes, ut suggerat nobis communis usus vivendi, et quæ mala vitemus, et quæ bona faciamus. Additus est labor homini ut serviat ori, subserviat os ventri. Stant organa rationabiliter nostri corporis, sibi bene sustentet fultura ciborum stomachum. Quando autem homini satis est tali indulgere labori ? Manducat et esurit, esuriens quæ manducare debeat requirit. Ne sitiat, bibit, bibit amplius quam necesse sit ut iterum sitiat. Paulus qui parvi pendebat maxima mundi, sciebat quid essent deliciæ, quid opes, quid escæ (*I Cor.* VI). omnia quæ sunt in mundo quasi stercora reputans (*Philip.* III). O labor, o fructus inanis vitæ pro stercoribus reputandus. Absque gravi labore nulli datur sors vitæ, iste ut Christo placeat, livore atque labore laborat ; ille ut mundo placeat, graviore labore laborat. Alter quod satis est sapiendo, alter minus sapiendo laborat. Et quid habet amplius sapiens a stulto ? quid minus a docto qui laborat desipiendo ? Est unius naturæ usus nobis mortalibus. Amplius habet iste illo si, directus recto acumine mentis, pergat ad vitam ubi nemo laborat ; ille minus, qui non ambulat ubi est vita. Pauper pro Christo, et in Christo multa bona tenet semper bona sperando. Qui discendo et docendo, sed non agendo bonum, laborat, illius in ore labor est, sed anima illius non impletur : « Qui enim, » ait Dominus, « fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regnum cœlorum » (*Matth.* V). Qui ergo desiderio discendi multa laborat, neque multum fructum potest capere laborum, ejus in ore stans labor non penetrat ad cor, nam solum os tangens, non sapit, non illuminat cor.

VERS. 10, 11. — « Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus, et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in judicio contendere. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem. » De Domino Jesu Christo clarissime pronuntiat Ecclesiastes, quod ad nos venturus, et assumpta carne homo futurus sit. « Notus enim in Judæa Deus et in Israel magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV). Parum dictum est, quia quidquid fruitur mentis ratione, venturum illum prædixit. Dominum Sabaoth cherubim et seraphim quotidie ipsum prædicabant (*Isa.* VI). Verum hominem salva deitate futurum jam tunc vidit eum Adam, quando ex costa illius condidit Evam (*Gen.* II). Christum illum prophetæ (*Thren.* IV ; *Psal.* LXXXVIII) ; Gabriel Jesum Salvatorem appellavit (*Luc.* I ; *Matth.* I). Nomen ejus præsaga sibylla in primis elementis versuum suorum Græce ita scripsit, ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΣ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. Jure Christum vocat, id est unctum, quia unctus est præ participibus suis (*Hebr.* I). Jesum, id est Salvatorem (*Isa.* XIX, XXVI, XLVI, LXIV ; *Zach.* IX ; *Luc.* II), quia omnia salvat ; ΥΙΟΣ, id est filius, quia Filius Dei est (*Rom.* I), ΘΕΟΣ, id est Deus quia omnia fecit (*Hebr.* I). ΣΩΤΗΡ, id est salutaris, quoniam venit salvare quod

perierat (*Matth.* XVIII). Gentiles etiam procul et a longe videntes hoc nomen Domini in carne futuri, ita in quibusdam templorum suorum sacellis scribebant : ΚΥΡΙΟΣ, ΚΥΡΙΟΣ. Et quamvis dubii essent, nec satis intelligerent nomen Domini, tamen illud venerabantur omnino quasi numen venturum. Paulus etiam scriptum invenit : « Ignoto Deo (*Act.* XVII). Neque solum in Jerusalem, neque solum in Bethlehem, stella duce, adoratus fuit Deus, et cognitus Deus (*Matth.* II), sed etiam ipsa Roma caput et decus omnium regnorum cognovit, quando Deus processit de Virginis utero « tanquam sponsus de thalamo suo (*Psal.* XVIII). Jam enim rem per tot sæcula cognoverat præfixo sibi signo. Nam cum Romani muris et mœnibus ita munissent urbem, ut esset inexpugnabilis, struxerant etiam turrim altiorem cæteris, in cujus cacumine hunc etiam titulum scripserunt : « Cadet ista turris, cum Virgo filium sine viro generabit. » Peractis multis sæculorum ætatibus, cum jam nisi per titulum nulla esset cognitio rerum, sanctissima nocte, qua Virgo filium genuit, repente turris prædicta cecidit, demonstrans omnibus Salvatorem venisse orbis terrarum. Ægyptus quoque multa de Christo cognoverat (*Isa.* XIX), quæ in delubris suis ita scripta legebat : « Vita est ventura. » Hermopolis **541** civitas Ægyptiorum, ubi fugit Dominus a facie Herodis, multa de Domino vidit, quia illo veniente omnia simulacra ejus ceciderunt. Verba sunt plurima, multamque in disceptando habentia vanitatem. Nam quam multis verbis, quam vanis, quam malesanis inde disputavit stulta mundi sapientia, quæ dum garrula multis insuit verbis, multis errorum involvitur vanitatibus !

CAP. VII, VERS. 1. — « Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, et tempore, quod velut umbra præterit ? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? » Quia in pluribus verbis plurimæ sunt vanitates, et in pluribus vanitatibus non est spes certa salutis, hoc aliquis metuens, et metuendo non sibi bene fidens ambigit et quærit, et ait quod Ecclesiastes dicit : « Quid necesse est homini majora se quærere cum ignoret quid conducat sibi in vita sua ? » Hic peregrinatur, quoniam nascitur ut moriatur. « Fugit velut umbra » (*Job.* XIV) cum temporis horis. Quis ei poterit indicare quid post eum futurum sit ? Vita brevis, via peregrinandi, umbra temporis, incerta spes rei nescia futuri, approbat non esse necesse majora se quærere. Quod quærit Salomon, ostendit tibi plus quam Salomon (*Luc.* XI) : « Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum » (*Matth.* XIII). Justus erit qui bene se majora requirit, damnabitur qui male se majora requirit. Hic est enim vita brevis, permanet ibi vita perennis. Hic est tempus umbratile, ibi tempus sine tempore. Hic vivis mundi peregrinus et advena (*Hebr.* XI), ibi incola cœli. Hæc æterna, hæc jucunda scias conducere vitæ tuæ. Verumtamen quis hæc habeat, nisi se majora requirat ? Necesse est ergo ut quæ-

A ras quod conducibile est. Quod non esse potest non esse procul dubio necesse est, et quod impossibile est non esse, hoc esse necesse est. Qui ergo scit quid prodest et quid obest, scit quale necesse est. Ergo si prodest quærere, si necesse est invenisse, dic affirmando, dic persuadendo, dic admonendo : Quid cessas, o homo, quid pigritaris, quid moraris ? Necesse est tibi etiam certando et laborando te majora quærere. Pertransire foramen acus gibbosum idque onustum tot peccatorum sarcinis, majus viribus est, sed tamen pertransire necesse est. Ut regnum cœlorum alieni et violenti sibi diripiant (*Matth.* XI) majus viribus est, sed etiam hoc audere necesse est. Qui vicerunt mundum fide (*Hebr.* XI) et martyrio coronati sunt, nisi quæsissent se majora, non obtinuissent palmam justitiæ. Sed licet B meritis dat pugna coronam. Si autem quod quæris obest, et non est necesse quærere, dic percunctando, dic dissuadendo, dic prohibendo : O homo, quid necesse est tibi majora te quærere ? Illis quid necesse fuit majora se quæsisse, qui multis et vanis ausi contendere verbis, pestiferas hæreses per orbem sparserunt prava docendo, et qui foventes fomente sua aspidis ova, quibus ruptis fecerunt erumpere basiliscum dantem discrimina mortis solo flatu oris ? Quod non sit necesse majora se quærere, expertus est primus homo Adam, qui captus fraude per Evam (*Gen.* III), factus est minor se, quia concupivit majora se. Per turrim Babel, qui volebant ad cœlos ire, ut contra Dominum facerent sibi nomen (*Gen.* XI), non necesse fuisset eis majora se C quæsisse, neque conduxit eis struxisse altissimam turrim, quorum victa est superbia confusis linguis.

VERS. 2, 3. — « Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. » Qui seipsum vincit, ut per virtutem brevitatem vitæ elonget, multa facit, et se majora requirit, quatenus faciens sibi nomen in æternum possit vivere. Bonum enim nomen redolet tanquam pretiosum unguentum, imo unguentis pretiosis est pretiosius. Maria Magdalene quando unxit caput et pedes Domini Jesu, meruit nomen melius unguento pretioso. Tunc repleta est tota domus ex odore unguenti, et adhuc replet universum D mundum redolentia nominis hujus (*Matth.* XXVI). Latro Judas taxavit hoc unguentum trecentis denariis (*Joan.* XII) ; Deus ipse bonum nomen mulieris taxavit dicens : « Bonum opus operata est in me » (*Matth.* XXVI). Felix unguentum tam præclarum, tam pretiosum, felix quæ meruit nomen habere bonum pretiosis melius unguentis. Quibus est nomen melius unguentis pretiosis, illecebræ designantur et curæ deliciosæ, quibus non alliciunt tanquam unguentis præclaris. Multi ergo bellando, multi philosophando, viribus, ingeniis, et utriusque hominis bonis, quærebant nomen quod ubique fragraret sicut unguentum. Qui quærit magnum sibi nomen faciendo bo-

num, quod gignit bonitas, et nutrit sancta voluptas, iste fet et non en fragrantius suavi unguento. Qui vero faciendo malum quærit sibi nomen magnum, quod ambitio parit, quod iniqua cupido nutrit, hujus nomen turpiter fetet, non redolet. Quare autem putamus dixisse Ecclesiasten, meliorem esse diem mortis quam natalis? Ideo plane, quod super his homo sapiens sapienter philosophatur. Interrogatus enim Plato philosophus, quid esset philosophia? Meditatio mortis, inquit. Nascendi ergo species, naturæ est species, homo vitæ. Cum cadit in terram pronus infans, sic nascitur: semper enim in terra recipitur, non in auro, neque argento, sive in serico, monstrat aperte quod factus de terra, iterum ex terra futurus. Ipse natus ad ærumnas et suspiria multa, prævenit illa lacrymando. Primam vocalem per primam disce vocem nascentis pueri cujus vix patenti ore littera prima sonat, ita ingeminans: Ita ha, ve ve. Præsagit quippe nascens mala, quæ vivendo videbit. Omnibus rebus natura ministrans, esse meliorem diem mortis quam natalis monstrat per cygnum, qui cum scit se esse moriturum, solet sibi celebrare funereos ludos, et per dulces modos exsequiales threnas canit. Quædam gentes barbaricæ, docente ratione, se credentes moriendo redire ad vitam, threnas cantabant, et celebrabant gaudendo exsequias funeris, dantes odas pro fletibus. Qui metuit mortem, quæ sunt bona vitæ. Mortem morte fugit, post vitam autem vita recurrit. Mors ad requiem trahit, dolorem ferre ortus facit. Nascentem excipit incertissima sors vitæ, nihil certius est sorte mortis. Si tu subis jura mortis, redolens pretioso unguento nominis, ad vitam æternam transibis. Cum autem peccator moritur, sentit sibi tandem imponi peccati modum, ne crescat summa malorum. Quemdam philosophum Silenum nomine rex Mida captum hoc absolvit pretio, quia didicisset ab illo non nasci esse bonum, et melius mori cito natum.

Vers. 4,5.— « Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia. Qui irascitur, » ait Dominus, « fratri suo, reus erit judicio » (*Matth*. v). Et David: « Irascimini et nolite peccare » (*Psal*. iv). Iste monet irasci, Dominus autem prohibet irasci. « Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis, et flebitis vos » (*Luc*. vi). Dicit et Job: « Os veracis, risu Deus implet » (*Job*. viii). Job ergo laudat risum, Dominus ipse damnat risum: Salomon autem dicit esse iram meliorem risu. Putas ergo dissentire tam varias sibi voces. Sed non ita est. Sicut consonat sibi harmonica vox variis chordis, ita consonat hic concors sententiam variis verbis. Populus Israel reus in vitulo quem fecerat Aaron, quando sedebat ludens et comedens et luxurians, multo melior tali risu fuit ira Mosi, cujus tristitia vultus, et ira pectoris, cor populi **542** delinquentis flexit correptio, ut flens pro peccato suo liberaretur ab ira atque furore Domini (*Exod*. xxxii). Mul-

A tum fuit iratus homo « mitissimus super omnes qui morabantur in terra » (*Num*. xii), quando fregit tabulas digito Dei conscriptas, et quando perimendo charissimos amicos et propinquos, cor atque manus suas consecravit in mortibus peccatorum. Sanctus Phinees ira, abstulit in Belphegor iram Domini (*Num*. xxv). Talis etiam in Joab ira fuit David, quando occidi jussus est a Salomone (III *Reg*. ii). Similis fuit Heliæ (*III Reg*. xviii), similis fuit ira Matathiæ, qui zelati sunt pro Domino gladiis atque ira (*I Machab*. ii). Talis ira Petri (*Act*. ii), talis fuit ira Pauli (*I Cor*. iv): Petrus enim verbo, Paulus virga feriendo contristari faciebant illos qui peccabant. Noluit irasci peccantibus filiis Heli (*I Reg*. iii), atque perierunt una nati et pater ruina. Si rides peccans,
B tu tibi irascere tristans. Si peccat frater tuus, irascere fratri peccanti. Si bene tristatur, si pœnitet, si reveretur, accedens ad eum gere compatiendi morem. Si ita contristaris ut fratrem tuum contristando lucreris, pro mercede debita nomen patientis habebis. Hic sibi contristandum cor existimat sapientis, ut sit ei spes certissima futura lætitiæ, Hic econtrario sibi lætandum cor credit insipientium, qui dicunt in triviis quotidie clamantes: « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur » (*I Cor*. xv). Tales tam stulti quæcunque sperant, desiderant carnaliter fieri.

Vers. 6,7.— « Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi, quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti, sed et hoc
C vanitas. » Quod Salomon dicit, pater Salomonis dicit in psalmo: « Corripiet me justus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum » (*Psal*. cxl). « Oleum peccatoris, » laudes peccatorum designat, laus ergo caput impinguat, laus cor fallendo saginat, sed quod impinguatum, nescit rerum subtilia. Ad mortem ergo peccat, qui peccatorum mala prædicat. Quot modis ergo peccando morimur, tot pene modis vivificamur. Est cuique morti sua justificatio. Mors erit mortalis, cui spes bona deerit. Occulte ergo moritur, qui cogitat scelus in corde suscitat illum Deus in filia Jairi duodenne (*Marc*. v; *Luc*. viii). Mortuus effertur, qui fortior, et majora delicta fecerat, reddit et illum Dominus redivivum ad portam in juvene suscitato (*Luc*. vii). « Quatriduanus fetet » (*Joan*. xi),
D quicunque sordet in veteri crimine. Quatuor autem dies, quatuor præsignant mortes, quoniam quidem moriuntur per Adam, per legem naturæ, per legem Mosi, per legem Evangelii. Ita Deus nos suscitat in Lazaro quatriduano. « Peccator in desideriis animæ suæ quando laudatur » (*Psal*. x), et stultorum adulatione decipitur, et in peccato suo moritur, a Domino nunquam merebitur suscitari. Discipulus ad sepulturam patris ire desiderans, Salvatoris prohibetur imperio (*Matth*. viii). Quanti monachorum dum patris matrisque miserentur, suas animas perdiderunt. Super patre et matre pollui nobis non licet (*Levit*. xxi), quanto magis super matre, sororibus, conso-

brinis, familia, servulis? Genus regale et sacerdotale sumus (*I Petr.* II). Illum attendamus patrem, qui nunquam moritur, aut qui pro nobis moritur, et qui ideo vivens mortuus est, ut nos mortuos vivificaret. Si quid habemus de Ægypto, quod princeps mundi suum possit agnoscere, tenenti Ægyptiæ cum pallio relinquamus (*Gen.* XXXIX). Reddamus parentibus, quæ parentum sunt, si tamen vivunt, si Domino filios suos præferri sibi glorientur. Pro otioso quoque verbo rationem reddituri sumus (*Matth.* XI), et omne quod non ædificat audientes, in periculum loquentium vertitur. Quid ergo ad mortis causam colubro est nequius unquam? Ita adulatoris lingua nihil nequius. Sicut varius coluber linguam trisulcam ore movet, ita adulator linguam habet trisulcam. Si detester bona, et ipse detestatur; si collaudem mala, nihilominus et ipse collaudat. Quæ dixi si forte dedixero, dedicet et ipse petulanter. Tam varios colores pardus minime habet. Cameleon non tot accipit species atque colores, qui variatur in specie quascunque videt, præter speciem albi et rubei coloris; omnibus ergo adulator arridet, et si condolet tunc etiam ridet. Stultus et iniquus adulator qui taliter ridet, dat sonitum sicut spinarum ardentium. Hoc vitium adulationis ita hoc tempore inolevit, et usquequaque concrevit, ut qui adulari nescit aut non vult invidus sive malitiosus ab omnibus judicetur.

VERS. 8. — *Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius.* Quis est iste sapiens quem conturbat calumnia et non leviter turbat, sed tanto turbine pulsat, ut robur cordis illius perdat, et totus fatiscat? Vera est illa philosophorum sententia, quod sapientis animum minime peturbent illæ quatuor passiones, quæ fere omnes involvunt, de quibus ita legitur:

Morales metuunt, cupiunt, gaudentque dolentque.
VIRG. *Æneid.* VI.)

Quatuor illa omnes perturbant præter sapientem. Nos parvi penderemus arguta mundi sophismata, nisi ipse Dominus videretur illa approbare, dum ait: ***Qui credit in me, et præcepta mea facit, similis est homini qui ædificat domum suam supra petram. Venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit quia fundata erat supra firmam petram*** (*Matth.* VII; *Luc.* VI). Justus et sapienter tenax propositi sui fortiter se affectum senserat, qui dicebat: Si cœlum terræ adhæreat, Ysidorus non formidat. Qui autem non est sapiens, sed sapiens esse videtur, iste ædificavit sibi domum super instabilem arenam, quam si propellant vel leviter ventus et pluvia, statim dabit horrorem, et magnum cadendo fragorem. Talis est sapiens, quem Ecclesiastes pronuntiat, qui projectis armis perdidit robur animi, et loco cessit si aliquando calumnia pressit.

VERS. 9. — *Melior est finis orationis, quam principium.* Multi in principio sapientes sunt, sed in fine desipiunt, et a bono recedunt, et multi qui in principio stulti sunt, sed in fine assumunt sibi habitum

A recte sapiendi, et moras principii redimendo per horas finis compensant honesto studio, quod perdiderant pigritando. Multo majoris et multo sunt melioris studii qui, spretis nugis, assumunt sibi habitum sapientis, quam illi qui in principio sapientes esse videntur, et postea desipiunt. Maximus Plato et magnum decus suo tempore, fecit esse meliorem finem orandi. Qui prius athleta, prius vires in certamine expendens, prius omnes vincens robore, quando cor ad studium philosophandi transtulit, vicit sapientia omnes qui corpore vicerat omnes. Quemadmodum prius luctando, ita postea victor philosophando. Porro noster Plato, et melior atque major Platone, Paulus primo *blasphemus et contumeliosus* (*I Tim.* I), athleta legis, atque Evangelii gra-
B vis hostis, edocuit finem meliorem esse principio, quando repromissam gloriæ accepit coronam (*II Tim.* IV). Finem principio prætulit latro in cruce, principium enim mortem, finis dedit illi paradisum. Principio finem sibimet fecerunt meliorem dives Zachæus, et Matthæus telonarius (*Luc.* XIX; *Matth.* IX). Quicunque aberrantes revocantur ad ovile et se, sciunt finem meliorem esse principio. Multo pejoris sunt et multo minoris illi, qui laudatis principiis postea desipuerunt, et conversi abierunt retro (*Joan.* VI) post Satanam. Talis fuit Judas Scarioth qui Dominum tradidit, talis Nicolaus hæresiarches. Tales fuerunt discipuli illi qui eum reliquerunt, quia verba vitæ æternæ cum B. Petro et cæteris apostolis intelligere noluerunt. Qui Balaam sapiendo peccans et videndo cadens? (*Num.* XXIV.) Qui primo di-
C gnus fuit verbis Domini, illum malus finis dignum verbis fecit asininis (*Num.* XXII); terrent asinæ verba, quem non terret ipse Dominus. Sed quare tam longe **543** exempla petuntur? Ecce quam habemus in manibus certis adest idoneis Ecclesiastes, qui dicit finem meliorem esse principio. Quis enim sic insignitus fuit honesto principio? Cui tantos thesauros sapientiæ Deus ostendit? (*III Reg.* III.) Sed habuit deteriorem finem principio, qui desipiens in fine senectutis suæ idola gentium adoravit (*Eccli.* XLVII; *III Reg.* XI).

Melior est patiens arrogante. Quidquid habemus bonitatis aut virtutis, ab illo habemus qui natura Deus est, quidquid autem habemus vitiorum extrinsecus, ab illo habemus qui est auctor peccati, qui
D vitiavit suam peccando naturam, et nostram infecit, quando nos delinquere fecit. Qui mendax est, et pater mendacii (*Joan.* VIII), quis ergo mendacior illo? quis sibi arrogat plus eo? Ille sibi arrogat quod sit princeps hujus mundi. Est profecto Deus patiens melior illo, qui patitur illum injuste regnare in hoc mundo, atque differt illi tartareas infligere pœnas, ut tempore judicii crucietur in igne, *qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Est patiens melior illo qui nos miserando dissimulans patitur mala quæ peccando meremur. Quanta ipse tulit homo factus et mortuus pro nobis, tanta nos pati exhortatur, dicens: *In patientia vestra possidebitis animas*

vestras (*Luc* XXI). Sancti quanta tulerunt spe vitæ æternæ? Philosophos autem quis non miretur, quod tanta potuerunt pati spe tantummodo laudis inani? Multi namque nullos ad suum discipulatum admittendos censebant, nisi patienter omnibus opprobriis et subjicerent tolerandis. Dicam aliquid quod mireris. Si nullus vellet eis dare colaphos vel plagas, et nullis opprobriis cruciaret pretia multa dabant mercenariis, qui colaphos, alapas, atque duras darent illis plagas, ut sic diu experti digni essent philosophari. Omnibus igitur plagis et gravibus, quidam affectus contumeliis, cum esset in suo gloriabundus ait: Sumne ego modo dignus nomine philosophi? Ita, inquit, ille, si tacuisses. Sic jure perdit laudem, quicunque sibi frustra arrogat artem. Quicunque ergo recte vivendi dederunt præcepta, hunc damnant, qui plus viribus suis sibi arrogat, illosque attollunt, quem patientiæ toraca castigat. Multa enim Jacob, Moses atque David tulerunt patiendo. Job speculum morum patientiæ, multo melior fuit Eliu tam magna minante. Job melior vixit, quoniam patienter omnia mala sibi illata vicit. Ille quippe primum Eliu, postea Balaam vocatus, dum plus æquo sibi arrogat, in Job tanta jactans, et in Israel tam mala tractans, occisus est gladio cum Madianitis.

VERS. 10. — *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Oculatus ante et retro Ecclesiastes, sic medium primo, atque sic ultimum copulat medio, ut stent quæ prius dixit, neque distent quæ modo dicit. Qui enim dixerat meliorem iram esse risu, ne forte aliquis eum frenos ira putaret laxasse, præcepit iram sapienter esse refrenandam. Et ne quis sit velox ad irascendum, causam subinfert, ira in corde viri requiescit. Hinc Jacobus ait: *Sit omnis homo tardus ad iram* (*Jac.* I), et doctor gentium apostolus Paulus : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV). Sicut enim flatus oris unius multa foramina implet, ut harmonicas voces fistula moduletur, ita gratia spiritualia pluribus aspirat, ut plures unum atque idipsum loquantur multi. Nec ergo cito, aut temere subdas mentem tuam iræ. Qui enim differt iram, minuit flammam de pectore. Cætera ergo nos delectant crimina? Quid autem lætum ira tenet, quid delectabile spondet? Corpus perturbat atque mentis vexat præcordia. Ira graves et magnos domat, domat ira pusillos. In sanctis etiam atque magnis pudet nimis iram valuisse. Et quid dulcius melle? quid amarius ira? Ira exstinguit apem, nec iram melle eluit apes. De septem vitiis est ira, quæ parit regina superbia mortis.

VERS. 11. — *Ne dicas : Quid putas causæ est quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? Stulta enim est hujuscemodi interrogatio.* Quod Salomon dicit, Dominus noster, qui est plus quam Salomon, qui dixit discipulis suis quærentibus de temporibus: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I). Tempora priora quod non sint meliora futuris, sed parili ductu omnia concurrant demonstrat, qui sibi tria tempora componens mundi, naturæ, veteris legis, et novæ gratiæ talia dicit de supremo tempore mundi, quale tempus in diebus Noe et in diebus Loth quando sibi vivebant, condebant et bibebant, nubebant, plantabant, et ædificabant, vendebant et aliena licenter emebant, donec sunt absorpti subito cataclismo (*Luc.* XVII), tale tempus erit quando mundus cœlesti igne peribit. Quoniam ergo tempora temporibus præferre prohiberis, res pro temporibus, pro rebus certis tempora si velis conferre nihil causæ videbis esse ut dicas melius tempus tempore concurrere. Qui summe bonus est, omnia tempora fecit bona, unicuique suum usum dispensans pro vice rerum. Si vero ratum usum pervertit eventus rerum sub dubia vice fluitantium rerum, tempus illud melius non fiet, neque pejus. Si mors, bella atque fames, tempestas, tabida clades aliquando aere corrupto ingruerint, non est in culpa tempus. Malum enim eventum malus usus temporis exquirit. Nos quippe cum peccando bonum usum vitæ invertimus, orbis terrarum contra insensatos pugnat pro factore suo, invertens temperiem et positum usum temporis. Nam indignatur subjici ad nostros usus, quos videt abuti donis Creatoris.

VERS. 12, 13. — *Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia, hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.* Multum variat verba sua in modum rhetoris Ecclesiastes, et qui pluribus loquitur, plurimorum voces imitatur. Dixerat ille suis loquens verbis, quod pretiosior esset sapientia cunctis opibus. Modo vero loquens verbis non recte sapientis confert illam opibus, et quodammodo opes præferre videtur. *Utilior est*, inquit, *sapientia, cum divitiis ; sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia.* Quasi diceret : Protegit et prodest sapientia, protegit et prodest pecunia. Non plena est per se, nec totum habet res in se, cui supplementum dat divitiarum copia. Ista locutus ex verbis non perfecte sapientis, cui est sapientia vilis sine divitiis, dicit modo quæ sit vera sapientia. Hoc habet plus eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. Hoc non possunt divitiæ conferre nec habere. Hic bene consonat Ecclesiasti, vox Evangelii. Nam cum juvenis dives, qui non potuit per opera legis perfectus esse, audivit a Domino : Unum tibi deest: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX), consideremus quam sapienter sapientia sit locuta : *Vende quæ habes*, ait ; non partem bonorum tuorum vende, sed *omnia*, cumque vendideris, quid sequitur? *et da pauperibus*, non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Sive sacerdos ille, sive agnatus sit et affinis, nihil in illo consideres, nisi paupertatem. Laudent te esurientium viscera, non ructuantium opulenta convivia. Igitur quod dicit Ecclesiastes: *Hoc habet plus eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo*, idem est quod Dominus ait : *Si vis perfectus esse, vende*

omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo. Quid contineat commoditatis sapientia cum divitiis testantur sequaces Christi, qui divites facti sunt per spiritalem paupertatem (*Jac.* II). Hinc testes sunt etiam mundi gymnosophistæ qui ostendunt **544** nudi quod possit sapientia nuda. Qualis fuerit Socrates, qui pro desiderio sapientiæ, omnia quæ habebat vendidit, et pretium eorum in mare jactavit dicens : Ego vos mergam, ne mergar a vobis. Quid loquar de te, qui pro voto sapientiæ, ne aliquid videres quod concupiscere posses, oculos tuos stolide sapiendo effodisti ? Est ergo sine divitiis sapientia vilis quamp!uribus, ignaris quo fine sapientia tenenda sit, quam multum sapientia distat a sua umbra.

VERS. 14. — *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Si totum transcurramus Ecclesiasten, hic tantummodo persuaderi nos videbimus, quanta Deus fecit et faciet, hoc præ magnis maximum est ; quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Cain quando peccavit, et fratrem suum occidit, Dominus benigne revocavit ; sed ille de medici medicina, et Dei misericordia desperans : *Major est, ait iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* IV). Pharaonem regem Ægypti frequentibus Dominus prodigus ad misericordiam provocavit, sed quia duri cordis ille fuit, emolliri minime potuit (*Exod.* IX). Nabuchodonosor Daniel sanctus admonebat ut peccata sua eleemosynis redimeret (*Dan.* IV) ; sed quoniam non flexit increpatio sana superbum, ita eum despexit Deus, ita reprobavit, ut per septem annos projectus ab hominibus fenum ut bos comederet. Veniens in mundum Filius Dei Dominus Jesus Christus, omnes corripuit, sed non omnes tamen correxit. Sicut sol oriens super bonos et malos, tanquam molle lutum indurabat corda malorum, quos nulla admonitio trahebat ad credendum, cum sicut ceram bonorum corda molliret quos ad credendum sana correctio attrahebat. Quare nemo possit corrigere, quos ille despexerit, ille symmysta Dei Joannes considerat, scribens quod didicit quando recubuit super pectus Jesu (*Joan.* XXI). Ideo, inquit, credere non poterant qui miracula Domini videbant, quia dixit Isaias propheta : *Indura cor populi hujus et aures ejus aggrava, ne forte videant et intelligant, et sanem eos* (*Isa.* VI). Omnipotens Dominus, *qui vult omnes homines salvos facere* (*I Tim.* I, II ; *Luc.* XIX, IX ; *Matth.* XVIII ; *Joan.* III), non hominis cor, non oculos, non aggravat aures, sed quoniam data est hominibus libertas arbitrii, talis est Deus hominibus, quales se efficiunt homines Deo, unde Psalmista dicit : *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* XVII), non cessando a natura bonitatis suæ, sed negando tibi pravo atque perverso dona suæ bonitatis.

VERS. 15. — *In die bona fruere bonis, et diem mala præcave ; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas queri-*

A *monias.* Nulla dies per se bona vel mala est, sed bonus aut malus eventus, bonus vel malus ordo causarum, aut rerum dabit unicuique dierum, ut bona vel mala sit. Hoc extrinsecus aderit illi ; aderit enim dies causæ, et causa diei : dies enim subjectum est, quale extra accidit. Est bona dies, cui rerum copia dives accidit, et totus temporis usus concordat ; econtrario mala dies est, cui deest copia rerum, cui totus temporis usus discordat. Quando jucunda dies res omnes tibi prosperat, utere rationabiliter acquisitis, et ita omnia mala sapienter præcavebis. Ille ergo bene fruitur acquisitis, qui peccare metuit, et ne dies judicii mala sibi superveniat veretur. Qui enim dedit nobis tempus bene agendi, ille tempus faciet malum luendi peccata, sic quippe dicturus est

B bonis : *Venite, benedicti Patris mei ; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV) ; et econverso iniquis : *Ite, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*ibid.*). Et quid in Creatorem nostrum justas volumus jactare querelas, quod nimium fragilis nos fecerit conditionis, ut possimus peccare, mori atque ad æterna tormenta perduci ? sed frustra causamur ; nihil est quod juste conqueri possimus de Domino nostro, qui tales creavit nos, uti nosmetipsos tueri queamus atque nobis dominari, si bene et sapienter vivendo mala destruxerimus cavendo. Per bona et per mala quæ sibi contraria sunt, sicut tibi subjectus stat mundus per contraria, in quo quidem compugnant, sed non repugnant sine pace, frigida cum

C calidis, concertant humentia siccis, atque bonis mala, et lux tenebris, mollia duris. Ea vis est cordis, ut hæc contraria jungat, quis modus vel ordo sit eorum aut causa videndo. Si prævaleant bona, tibi dat scutum moderatio, ut agas prudenter, ne te vincat jactantia. Si vero mala prævaleant tibi, dat scutum patientia, ut agas constanter, ne fatiscas desperando. Sicut miles in castris, ita homo vivens in membris, ut præcaveas mala, inter bona ne unquam de te securus vivas. Imitare hirundinis industriam, quæ a natura accepit ut de se sollicita sit, si domus ejus male firma nutat minitando ruinam, fugit inde, et ultra sine illa non nidificat. Quando unquam satis sibi confidit hirundo ? Nunquam comedit stando, sed volitando per aera prandet, timet enim sibi jugiter, atque præcavens mala vix credit sibi, certe quem ti-

D meat, aut quare timeat nescit, non illam auceps, non avis dura impetit, tuta undique tamen pavet, et cavet, ut paveas et caveas tu. Quis magis docet te ut caveas mala fruendo sorte bonorum ? Salomon verbis suis, an hirundo rebus a natura acceptis ? Nos alio quoque instruit exemplo nostra hospes hirundo, docta medicari pullos suos, qui cæci nascuntur, succo chelidoniæ, visum quem negat natura præstat medicamine. Sic oculos mentis tuæ disce medicari, o homo, ut præcaveas mala, sicut docet Ecclesiastes.

VERS. 16. — *Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ. Justus perit in justitia sua, et impius multo vi-*

vit tempore in malitia sua. Hic illud vanum præcipue notatum esse reor, quod qui in justitia sua moritur, putatur periisse, et qui perit videndo putatur diu vixisse. Justus enim cito moritur, *ne malitia mutet intellectum illius* (*Sap.* IV), impius autem ut in æternum pereat senescit in fæce peccati. Primus Adam qui cœpit vanam agere vitam, vidit justum periisse in justitia sua, quando Cain fratrem suum justum Abel occidit, et in malo suo Cain impius diu vixisse visus est, quia septima tandem generatione defunctus est (*Gen.* IV). Josias in justitia sua videtur periisse, quia vita brevi et regno usus breviori, quam cito periit ab iniquo occisus Nechaone (*IV Reg.* XXIII). Quanta tædia dedit vita longævi Manasse, qui in regno plus quam quinquaginta explens annos, Jerusalem de sanguine sanctorum quos occidit replevit usque ad os (*IV Reg.* XXI). Isaias pro justitia serratus est ab illo. Sed non periit ne sit; periit tamen ut melius sit. Ezechiel gladio, Amos decapitatus vecte, Jeremias post vincula, ferunt, et eorum lapidatus in justitia Domini perierunt, sed non perierunt. Quot sub veteri lege, quot tempore novæ gratiæ in justitia Domini pereuntes non perierunt, et quanti in malo suo diu inveterati vixerunt? Justus ergo delinquens in justitia perit ipsa, neque peccando perit, quia castigat illum Dominus, dicens : *Ego quos amo arguo et castigo* (*Apoc.* III) ; item : *Septies cadit justus et resurget* (*Prov.* XXIV). Justus ergo ne forte pereat perit retractus a peccato, et quasi tener vitulus stat ad aram factus victima. Impius autem et in malo vivens, peribit videndo, qui dimissus sibi sicut onager, et male liber, nunquam corripitur, nunquam retractus a peccato, ut sine fine pereat diu vivendo promeretur.

VERS. 17. — *Noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est ne obstupescas.* Sicut perpendiculum opus metitur faciendum, ita virtus justitiæ **545** reliquarum virtutum est perpendiculum, et directa linea morum. Justitiæ linea, minus sive plus nescit habere. Justitiæ linea virtutes illas dirigit stantes in medio vitiorum reduces utrinque, ut nihil illis desit, nihil inde supersit. Si prudens et fortis, si velis modestus esse ; sine ista neque prudens neque fortis aut moderatus eris. Omne quod est nimium vertitur in vitium. Lex ergo mundi, lex naturalis, lex religionis ita in justitia jacto recti fundamento, justus plus quam necesse sit, atque sapiens nimium esse vetaris. Nimium justus est, vindex culpæ immoderatus. Nimium justus est, non volens ignoscere peccatis. Nimia tibi justitia tibi justitiæ tollit præmia, verrucas fratrum, sed non sua damnans tubera. Sic justum prohibet nimis, qui ait : *Estote misericordes* (*Luc.* VI), ut idem ipsi consequamini : *Dimittite, et dimittemini* (*ibid.*). Monet Ecclesiastes ne plus quam necesse est sapias, quod et Paulus apostolus confirmat, dicens : *Noli alta sapere sed sapere usque ad sobrietatem* (*Rom.* XII). Dicit et Socrates : « Quæ supra nos, nihil ad nos. Tres unum dicunt, sed inspirat Deus unum tribus. » Paulus quod prohibuit vi-
A tans, quod docuit hoc fecit, neque nimium justus fuit, *omnibus omnia factus ut omnes lucrifaceret* (*I Cor.* IX). Ne plus quam necesse est saperet, arcana verba quæ audivit nulli locutus est (*II Cor.* XII.) Saul plus quam necesse fuit justus, contra præcepta, parcens Agag Amalechitæ obstupuit, quia traditus est spiritui immundo et male vexabatur (*I Reg.* XV). Cui dimittuntur decies millena talenta, non volens conservo suo parvam summam dimittere nimium obstupuit datus a Domino iniquis tortoribus (*Matth.* XVIII). Justus nimis erat et nimium sapuit Novatianus qui pœnitentibus veniam auferre conatus est. Justus nimis erat Pelagianus, dicens hominem non egere auxilio Dei ut bona posset operari. Ipsi etiam non desunt Ecclesiasti gentiles, quod multum nocet
B nimis esse justum, et nimis sapientem. Plurimos philosophos multum reddidit obstupefactos sapientia mundi, potatos et imbutos de fæce sua. Democritus, Chrysippus, Zeno, Cleanthos plus justo justi, atque plus se sapuisse volentes injecerunt sibi manus, ferendo morte sua stuporem. Obstupuit nimium Empedocles, nimium justus sibi, qui volens esse Deus, in ignes Æthnæ se projecit.

VERS. 18. — *Ne impie agas multum et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Qui supra justum certo cohibebat limite ne esse justus multum, neque plus saperet quam necesse sit, modo dare vult modum etiam nostræ impietati. Quoniam enim liberum habemus arbitrium ut peccemus; quia humanum est peccare, diabolicum perseverare, modus mala nostra sæpiuscule alleviabit. Impius est
C sed non multum, qui quando peccaverit erubescit, et festinat ad pœnitentiam. Impius multum est, qui sine pœnitentiæ remedio semper vult peccare. Mustela feniculo vincere scit serpentinum venenum medicando, et cervus aquarum fluento. Caprea extrahit a se ferrum gustu dictamni, ursus comedendo formicas, atque leo similam manducando sanantur. Sanguis capreæ sanat leopardum. Si aliquia fera infirmatur sanabitur hausto canis sanguine. O quam stultus, quam stolidus homo est, qui ignorat quod bestia non ignorat ! Quare stultus et nimium impius esse prohiberis hæc est causa, ne moriaris tempore non tuo. Core, Dathan et Abiron propter impietatem nimiam in tempore non suo mortui sunt, quia *vivi descenderunt in infernum* (*Num.* XVI). Videtur ergo
D Ecclesiasti contrarius esse Job qui ait : *Constituisti terminos ejus qui præteriri non potuerunt* (*Job.* XIV), quomodo terminos sibi constitutos non præterit, qui propter iniquitatem suam non suo moritur tempore? Sed habet natura tempus quod præteriri non potest, stultus autem suum se credit habere tempus, quod neque natura dat, neque gratia præstat, sed quod fingit sola præsumptio vanæ spei. Ita verax est Job, verax est Ecclesiastes. Job naturæ tempus quod præteriri non potest affirmat; Ecclesiastes vero non suum tempus imputat stulto, et suum tempus esse negat quando moriatur, quoniam quidem impie et stulte vivens perdit vivendi tempora. Tempus suum male

agendo perdiderant, quos ad bona revocat opera Paulus apostolus, dicens : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ecce patet ex verbis Apostoli et Ecclesiastis, quod perdat tempus suum qui nimiis sordet peccatis. Quem enim Deus creavit ut vivat bene sapiendo, si desipiendo non suo tempore moriatur, iste neque suo tempore vivet, neque morietur. Qui enim vivens moritur morienti iteratur mors, cum bene deberet vivere ne stultus moriatur.

VERS. 19. — *Bonum est te sustentare justum, sed et ab illo ne subtrahas manum tuam; quia qui timet Deum nihil negligit.* Vide quid in verbis Ecclesiastis subluceat, notantis perpaucis utramque legem. Lex Evangelii jacit umbram legis de se. Vetus lex est, ut ames amicum *et odio habeas inimicum tuum* (*Matth.* v). Qui male agit, timeat mala, qui vero bonus est B speret bona. Sed quoniam *nihil ad perfectum adducit lex* (*Hebr.* VII), lex evangelica non volens hoc claudi limite, transcendit præceptum legis, amans inimicos, et bene faciens his qui oderunt se (*Matth.* v). Vides ergo quod breviter utrumque Ecclesiastes adnotavit. Cum dicit esse bonum sustentari justum, consentit legi quia bona est, donans bona justo. Lex quæ odit inimicum suum, nescit utique parcere peccanti. Hoc est quod et Paulus apostolus ad Timotheum confirmat, dicens, *quod bona sit lex qui ea legitime utitur* (*I Tim.* III). Lex non est imposita justo, sed iniquo. Justus ergo libenter et spontanee operatur, quod iniquum cogit sua lex. Quod autem sequitur : *Ne retrahas manum tuam* a justo, hoc perfectio est evangelicæ gratiæ. Lex Evangelii millies ignoscit peccanti, et centies millies, atque sicut bonis vel malis datur communiter usus salis, aeris, ignis, aquæ, terræ et pluviæ, ita omnibus porrigit manum pietatis. Si justus peccando exorbitaverit ad tempus, non retrahas manum misericordiæ ab illo : *Dominus enim erigit elisos, Dominus diligit justos* (*Psal.* CXLV). Ut ergo justum revoces errantem, imitare elephantem, qui si aliquando viderit hominem errantem, miseretur, atque præcedens sequentem ad viam revocat.

VERS. 20, 21. — *Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Supra dixerat, et domesticis et alienis bene esse faciendum. Poterat ergo aliquis respondere. Si omnibus bene facere voluero, non habeo unde faciam, nec D potest justus tantas habere divitias, quæ solent magis peccatoribus abundare. Propterea nunc ait : Quos non potes rebus, consilio adjuva, solatio fove. Plus enim potest in augustia constituto præstare sapientia, quam quælibet maximæ potestates. Et hoc ipsum cum prudentia facito. Grandis quippe libra justitiæ est, et cui, et quantum, et quandiu, et quale, vel in re, vel in consilio tribuere. Decem igitur principibus bene regimen urbis convenit, hoc est Ecclesiæ, quoniam decem gradus in Ecclesia confortant sapientem. Est enim ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyA ter, episcopus, archiepiscopus, 546 et papa apostolicus. Isti quamvis juste vivant, et juste magisterium teneant, non tamen ad perfectum confortare possunt sapientem. Non enim est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. Sed si sapientia cordi aspiraverit sapientis, ut bona faciat quæ didicit, confortabit eum plus quam decem prædictam regentes Ecclesiam. Aliter. Decem principes qui potestatem habent et in urbe consistunt angeli sunt, qui ad perfectum numerum pervenere denarium, et auxiliantur humano generi. Sed si quis consideret omnia auxilia, majus est auxilium sapientiæ, id est Domini nostri Jesu Christi. Postquam enim dixerunt angeli : *Curavimus Babylonem et non est curata, relinquamus eam et abeat unusquisque in terram suam* (*Jer.* LI) : tunc magister medicorum ipse descendit, et respersos nos sanguine, et peccatorum madentes cruore, qui omnem substantiam expenderamus in medicos, tactu fimbriæ suæ sanavit (*Luc.* VIII). Sanavit autem in civitate, hoc est in mundo isto, et confortavit sapientem. *Omni enim qui habet dabitur, et adjicietur ei* (*Luc.* XIX). Quia autem indiguit homo positus in peccatis et *infixus in limo profundi* (*Psal.* LXVIII) majori auxilio, idcirco venit ipsa Sapientia. Sed qui nobis de cœlestibus ista rimari? Descendamus ad terram, redeamus ad nos. In cœlo quid quærit homo quod in se continet? Physici enim principes urbis, et urbem sic accipiunt. Homo minor mundus ex quatuor constans elementis, civitas est, et ipse de se principes dabit decem civitati. Decem quippe membra nostrum C corpus in altum sustollunt, duo videlicet articuli, pes, crus, coxa, pudenda, venter, pectus, faux, caput, quod eminet in arce civitatis. Ista pro principibus dat cuique suæ Deus civitatis. Pedum digiti decem, et totidem manuum, quale decus et quantum præstant munimen et usum, principibusque civitatis per naturam triplicatis, tutior ibit homo, atque tanquam potentissimus David habebit triginta fortes contra omnes animi hostes (*II Reg.* XXIII). Super istos principes, super istos in corpore proceres sola sapientia sapientem confortat, ne desperet, eo quod non sit in terra homo justus qui faciat bonum, et non peccet. Sed qui per sapientiam confortatus erit, sensus et corporis artus principum nomine, quos hic Ecclesiastes nominavit, ita regat, ut regnet sapientia in civitate cordis. Isti principes in corporis urbe potentes, si volunt contra mentem nimis esse potentes, contra illos sapientia confortat sapientem, ut reprimat membra regnantia potentis, et cogat subacta servire Spiritui sancto.

VERS. 22, 23. — *Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne forte audias servum tuum maledicentem tibi; scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis.* Plus vanis sermonibus quam ventis aer tunditur, et tot procellosos non sentit terra tumultus concusso aere multo ventorum turbine, quot motus homo patitur jactatus in alto cordis naufragio, cum auris ad omnia prurit.

Ut ergo veteris pruritu cordis et auris, non aures cordis et corporis flectas ad auras rumoris. Si levis aura exsufflaverit ab austro favoris, non te flectat a justitia gratia falsa. Si durus boreas irruat procellas intentando, neque sic a recto tramite violens te turbo repellat. Est alia vanitas, quid fama vanius est? Fama suas aures cunctis accommodat sermonibus. Audit fama tuum servum maledicentem tibi. Qui nimium famæ credit, quid illo vanius? Si tibi fortassis erit fama nuntia veri, quod tibi forte tuus maledixerit servus, esi ipse tibi judex, ne sis vindex, te judice, damnando servum, ne te et ille condemnet, qui alium maledixeris.

CAPUT IV.

Vidit Jacob scalam, de terra usque ad cœlum, et ascendentes per eam angelos et descendentes, et desuper innitentem Dominum (*Gen.* XXVIII), ut lassis manum porrigeret, ut ascendentes suo ad laborem provocaret exemplo, unde et vocatur locus ille Bethel, id est *domus Dei*, in qua quotidie ascenditur et descenditur. Etenim sancti corruunt si fuerint negligentes, et peccatores pristinum recipiunt gradum si fuerint conversi, et sordes fletibus laverint. Hoc ideo dico, non ut deterream descendentes, sed ut provocem ascendentes. Nunquam jure a malis exemplum sumitur, etiam in sæculi rebus semper a meliori parte incitamenta virtutum sunt. Oblitus propositi, et epistolaris brevitatis, plura dicere ad te cupiebam, frater charissime Gregori. Ad materiæ quippe dignitatem, et ad meritum personæ tuæ parum est omne quod dicitur. Sed redeamus nunc ad Ecclesiasten nostrum

VERS. 24, 25. — *Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me. Multo magis quam erat, et alta profunditas, quis investigabit* [inveniet] *eam* ? Quam bene homo tentat, quidquid in sapientia tentat? Quasi lux est homini sapientia, atque dux viandi. *Qui in luce ambulat*, ait Dominus, *non offendit* (*Joan.* XI). Qui omnia tentat in sapientia, quid amplius optat quam fieri sapiens, ut omnia tentet sapienter? Hic labor est. Ideo orabat amator sapientiæ, dicens : *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam* (*Sap.* IX), ut mecum sit, ut mecum laboret. Igitur nullus homo sapiens esse potest absque labore. Si dixero : *Sapiens efficiar, ipsa longius recedet a me*, infra se cohibens nostras sapientia vires. Qui enim multa sapit, minus sibi scire videtur, et quicunque scit quod nesciat, ille sibi sciolus esse videtur. Inde est quod qui vult sapiens fieri, Ecclesiastes, attonitus atque victus gravi labore sapiendi, *alta*, inquit, *profunditas, quis investigabit eam ?* Paulus apostolus et ipse cupiens insistere iter sapiendi, et recedentem a se sapientiam mente sequens, et apprehendere non valens, clamabat altissima voce, dicens : *O profundum divitiarum sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* ! (*Rom.* XI.) Quam multis locis notat Scriptura hoc altum atque profundum, quo latet sapientia Dei longe a nobis recedens ? Altus erat puteus, quem mulier Samaritana bibebat (*Joan.* IV) ; sed veniens Jesus fontem illi vivum demonstravit. Altus erat puteus, de quo Moses in deserto canebat : *Ascendat puteus concinnebant* (*Num.* XXI), et cætera. Istum puteum altum et profundum sapientiæ Dei effodiunt, quicunque cupiunt fieri sapientes, atque stupentes super tam alto et profundo exclamant, quis investigabit tantam altitudinem sapientiæ et scientiæ Dei ? Tres putei Abrahæ sunt tres putei sapientiæ. Tres putei sunt tres artes quas habet sapientia, moralis, naturalis, rationalis. Hoc altum atque profundum ipsos etiam philosophos deterruit, et usquequaque repressit. Socrates enim deterritus a philosophando, videlicet quod lateat sapientia tanto tecta profundo, et quasi projectis armis sine gloria nihil se scire, inquit, nisi quod se nescire sciebat.

VERS. 26, 27. — *Lustravi universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti* 527 *et errorem imprudentium, et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius ; qui placet Deo, effugiet illam ; qui autem peccator est, capietur ab illa.* Curru intelligentiæ suæ mentis pedibus, omnia quæ fiunt perlustrans, et requirens Ecclesiastes, scit, considerat, inquirit sensu, arte, sive labore quid sit sapientia, de qua omnia fluunt quæ ab initio facta sunt, et quid sit hominis ratio fluens de fonte sapientiæ. Scit etiam quanta sit impietas hominis si stultus et insipiens efficiatur, passus in se torpescere ingenium naturæ, et quantus sit error imprudenter sapientum, si scintillam sapientiæ ab igne micantem exstinguunt in se insipienter vivendo. Ecce quot mala humanam circumveniunt vitam. Qui impius est, aut qui errat imprudenter illius vita mors esse amara putatur. In omnibus rebus nihil est gravius morte. Et tamen morte est gravior amaritudo mulieris. Inde venatores laqueo texunt et retia ; illi, inquam, animarum nostrarum ventilatores, qui circumveniunt nos, qui nos indagine cingunt, et capiunt laqueis, et vinculis retentant. Talis *fuit robustus venator coram Domino Nemroth* (*Gen.* X), qui primus Babyloniam construxit. Non est vinculum vel gluten ullum tenacius quam amor mulieris, quo non est amaritudo major. Ecce quis amaritudinem non gustavit mulieris ? Evam diabolus seduxit in paradiso, atque per eam protoplastus expulsus est (*Gen.* III), *per eam mors introivit in mundum* (*Sap.* II). Quis sapiens, quis fortis, quis sanctus laqueos mulieris evasit? Sapiens fuit Salomon, fortissimus Samson, neque tamen retia mulieris evaserunt. Et David qui fuit secundum cor Dei laqueo muliebri captus est. Sed liberatus canit : *Anima nostra sicut passer ercepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, et nos, liberati sumus* (*Psal.* CXXIII). Samson quem laqueo Dalila constrinxit et vinculis, sero probavit quod mulier amarior esset morte (*Judic.* XVI). Ipse Salomon captus laqueo mulierum adorans deos alienos ostendit quod amarior est mulier mala morte (*III Reg.* XI). Nullus tamen existimare debet repro-

bari naturam mulieris ab Ecclesiaste. Non reprobat illam Paulus apostolus qui ait : *Caput mulieris vir, caput viri Deus* (*I Cor.* XI). Paulus naturam commendat; Ecclesiastes vero naturam non damnans, damnare videtur vitia quæ accidunt naturæ vitiatæ, personæ mala accusat, naturæ bona collaudat. Mulier quæ victo sexu fit virago, qualem Petrus commendat in ornatu et cultu virtutum, atque mundo pudoris amictu, quis credat quod amarior morte inveniatur? (*I Petr.* III.) Quæ autem mollitie sexus muliebris abusa in nos laqueos, rete et vincula nectit, quis nesciat quod amarior morte sit? Femina mala vivit amarior Sardoniis herbis, comedens Sardonias herbas moritur ridens, quis ridendo emoritur, nisi qui amat, sive amatur? Sardonia herba occidit solum corpus comedentis; mulier amara corpus et animam venenat amantis. Si autem vertamus causam mulieris ad allegoriam, tanta figurat notanda quanta mulier facit. Designatur et ipse diabolus in femina, quod Domini nostri virtus vires ejus effeminet. Peccatum vero carnis notat nomen mulieris, quia sicut est mollis mulier, ita mollescit caro peccati. Quos hæreses notant, illos notat etiam nomen mulieris. Sicut stulta mulier stultos homines ad se trahit, ut furtivo pane et aqua furtiva satientur, ita hæretici ad se vocant insipientes, ut furtiva baptismatis abluat unda, et pane, non vino, scilicet furtivo illos cibet. Convenit etiam idololatris mulieris nomen, sicut enim menstruus sanguis gravat omne mulieris genus, ita gravat idololatras sanguis ad aras sacrificatus.

VERS. 28 30. — *Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est, et quis novit solutionem verbi?* Hoc, inquit, reperi, universa diligenter eventilans, quod peccando paulatim, et ad unum delictum aliud apponendo grande numerum nobis effecimus peccatorum. Requisivit anima mea an recta mulier inveniatur, et cum vix paucos de viris bonos invenerim, ita ut de mille unus potuerit inveniri, mulierem bonam omnino invenire non potui. Omnes enim me non ad virtutem, sed ad luxuriam deduxerunt. Et quia appositum est cor hominis diligenter ad malitiam ab infantia, et quia pene omnes offenderunt Deum, in hac ruina generis humani facilior ad casum mulier est. De qua et poeta gentilis : Varium et mutabile semper femina. Et Apostolus : *Semper*, ait, *discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (*II Tim.* III). Et ne videretur communem hominum damnare naturam, et Deum auctorem facere mali, dum talium conditor est qui malum vitare non possint, argute præcavit, et ait bonos nos a Deo creatos, sed quia libero sumus arbitrio derelicti, vitio nostro ad pejora labi, dum majora quærimus, et ultra vires nostras varia cogitamus. Aliter.

A Quotidie mecum uniuscujusque rei rationem ponens, nullum invenire potui cogitatum, qui non cogitatione perversa extrinsecus turbaretur. In mille autem viris inveni verum hominem, qui juxta imaginem Creatoris est creatus, et in mille non quibuslibet, sed in mille viris, quorum numerum mulier explere non potest, in mille qui non appropinquaverunt ad mulierem, et propterea purissimi permanserunt. Hæc autem omnia tropice accipienda. In multis quippe studiosis, et quotidiana meditatione sudantibus, vix invenitur cogitatus purus, et viri dignus vocabulo. Possumus et cogitatus pro viris accipere, mulieres pro operibus accipere, et dicere, quod difficile cogitatio alicujus pura inveniri queat, opera, quia per corpus administrentur, aliquo semper errore commista sint.

B CAP. VIII, VERS. 1. — *Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit.* Supra docuerat, difficile bonum hominem reperiri, et venientem contra eliserat quæstionem, a Deo bonos homines conditos, sed sponte sua ad peccata delapsos, nunc quid boni homini dederit Deus quasi gloriabundus enumerat, sapientiam scilicet atque rationem, providentiam occulta Dei nosse mysteria, in arcana ejus sensu cordis intrare. Oblique autem de se loquitur, quod nemo ita fuerit sapiens ut ipse, et nullus sic scierit problematum solutiones, et sapientia ejus a cuncto laudata si populo, quæ non intrinsecus latuerit, sed et in superficie corporis, et speculo vultus eluxerit, ultraque omnes homines prudentiam mentis in facie sua pinxerit. Et revera C cum multi sint qui sapientiam repromittant, difficile invenitur qui discernere queat virum sapientem ab his qui videntur esse sapientes. Et cum sint plurimi qui Scripturarum occulta dicant posse se solvere, rarus est qui veram inveniat solutionem. Quod autem sequitur, sapientia hominis lucet in vultu ejus, ita possumus explanare, ut Pauli verba ponamus : *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes* (*II Cor.* III), et **548** Psalmistæ canentis : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Sapientiam autem hic hominis non aliam dicit absque sapientia Dei, quæ cum sapientia Dei sit, juxta possibilitatem capacitatis hominis, esse ejus incipit qui se habere meruerit. Omnis hæreticus et falsum dogma defendens, impudenti vultu est. De- D nique Marcion et Valentinus, melioris se dicunt naturæ esse quam Conditor est. Et hoc posset aliqua ex parte fieri, si spem se hujus rei habere contenderent, et non jam possiderent naturam. Neque super hoc verbo mundana tacuit sapientia, quod sapientia hominis luceat in vultu ejus, quia philosophi hoc in ipsa vultus viderunt figura. Ex illis enim Plato ubi disputat ore Timæi de anima mundi quam fabricata est sapientia, ostendit formam capitis teretem et globosam ad mundi exemplar in arce corporis a Deo factam, ut corpus subsit capiti tanquam servus, et partes capitis anteriores præponens postremis, oculisque et sensibus perornans, ancillas

mentis, et vultum atque faciem appellavit. Hæc utique verba Platonis veris ut reor proxima sunt. Mens enim sedet in solio capitis, et quasi dominatur in arce, regens quinque sensus et præbens unicuique debita stipendia. Sed quare dicit Plato formam capitis teretem esse et globosam ? Certe quod dixit Moses : Formavit Deus hominem ad imaginem suam (*Gen.* I) hoc dicit Ecclesiastes *: Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Quod ergo sensit Moses, quod sensit Ecclesiastes, forte sensit et Plato, qui philosophando pinxit formam capitis esse teretem et globosam. Quod philosophi corpus divinum esse putabant, dicebant illud esse teres et globosum. Sicut rotunda sine principio sunt et fine, ita Deus principium non habet aut finem, quemadmodum ipse dicit : Ego A *et* Ω *: principium et finis* (*Apoc.* I). Est autem intus solidum, quod globosum esse dicitur. Tale caput est Deus, in se teres et rotundus, circumdans omnia, virtute solida globosus. Forma vero humani capitis teres et globosa, quod imago Dei sit, teres et globosa in conum defluit. Quid est conus ? Conus res teres atque in longum deflexa vocatur linea ut a puncto, dias elongatur ab uno. Quid significet teres capitis in conumque figura reflexa, credo antiquos patres voluisse, non tam litteris quam signis prodere nobis. Nam pictura format humanam formam, videmus quemodo a tereti in conum deflexa figura pictura circumdet caput ad mentum usque reflexa. Picturæ litteræ sunt simplicium. Pictura demonstrat indocto, quod littera docto, quod si teres forma apta Deo, et reflexa homini. A tereti deflexa figura in conum significat quod de tereti mente Dei ratio fluit ad nos, et nos Deo similes, non æquales facit. Inde fluens sapientia in vultu hominis lucet, ut cognoscat homo quod ad imaginem Dei factus sit. Si autem non luceat sapientia in vultu ejus ut stet homo justus et rectus, facies ejus immutabitur, non mutato vultu naturæ, sed honore. Mutata quippe facie, quid est homo nisi nomen inane ?

VERS. 24. — *Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei. Ne festines recedere a facie ejus, neque permanens in opere malo, quia omne quod voluerit, faciet, et sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis ?* Videtur quidem præcipere, regibus et potestatibus juxta Apostolum obsequendum (*Rom.* XIII). Sed ego puto de illo rege nunc dici, de quo David ait : *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (Psal. LXXI), et in alio loco : *Domine, in virtute tua lætabitur rex* (*Psal.* XX). *Non enim judicat quemquam Pater, sed omne judicium dedit filio* (*Joan.* V), qui rex Filius Dei Patris regis est filius. Hujus itaque custodienda præcepta sunt, hujus voluntas patranda. Et hoc est quod in Tobiæ libro scribitur : *Mysterium regis abscondere bonum est* (*Tob.* XII). Et præcipue monet, ne retractemus quare Deus unumquodque præceperit, sed quodcunque viderit esse mandatum, hoc pia mens hominis implere festinet, *et sic in lege Domini erit voluntas ejus* (*Psal.* I). Igitur juramentis præcepta Dei

A sapientia servat. Cum verus Deus, et verax, atque verum sit ipsum, nihil dicens nisi verum, nihil faciens nisi fixum, quid est jurare nisi verum dicere ? Quod juramentum Dei, sit verum dicere, affirmat Dominus Jesus loquens in Joanne : *Amen, Amen dico vobis* (*Joan.* VIII). *Amen*, id est verum, verbum Evangelii confirmat. Quicunque jurat, causam confirmat nomine majoris. Sed per quem majorem se juraret super omnia magnus et summus ? Ergo Deus per seipsum jurat, jurando per *Amen, Amen.* Hoc ipsum jurare servat sapientia Dei, ut quod dicit verum atque fixum permaneat in ordine rerum.

VERS. 5-7. — *Qui custodit præceptum non experietur quidquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio.* Naturalis legis, veteris et novæ plurima sunt præcepta, quibus nos usus mancipat. Istis quod præceptum Ecclesiastes perpenderat, quod qui custodierit nihil mali experietur ? Multa sunt præcepta Dei, sed omnia unum sunt. Omnia ab uno oriuntur præcepto, quemadmodum plures rami ex una nascuntur arbore. Hoc est præceptum quod legifer noster, legifer supremus discipulis suis ait : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem* (*Joan.* XV). *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Joannes apostolus usque ad decrepitam ætatem hoc vetus, hoc novum præceptum semper in ore habuit : Charissimi fratres, amate vos invicem. Cumque a fratribus interrogaretur quare C hoc tam frequenter iteraret, respondere, quia hoc unum præceptum si fiat, cætera complebuntur. Naturæ etiam lex in hoc præcepto pendet, ut *quod sibi non vult aliquis fieri, alteri ne fecerit* (*Tob.* VI ; *Luc.* VI*; Matth.* VII). Hujus præcepti vim perpendit Ecclesiastes, et omnia concludens sub uno præcepto præceptum dedit generale : *Qui custodit,* inquiens *præceptum non experietur quidquam mali.* Servantes præceptum Domini multa mala passi sunt, quos induit armis fidei amor virtutis. Vidit hoc, et caute consideravit, atque cautissime ait: *Non experietur quidquam mali.* Non dixit, non patietur, sed *non experietur.* Quicunque servando præceptum mala passi sunt, satis et bene experti sunt quod non sunt mala passi, quando meruerunt accipere vitæ æternæ coronam. Unde et gen-D tium apostolus Paulus gloriatur, dicens : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in sanctis* (*Rom* VIII). Quos non adornat vera fides et sapientia Dei, illos perturbat temporis et rerum ignorantia, qui de præteritis atque de futuris incerti præsentia tantummodo concupiscunt, qui de temporibus et rerum ordine causantur, quasi mala sunt tempora, nec certus ordo rerum. Quos autem vera fides et sapientia Dei adornat, non causantur de temporibus atque rerum ordine sciunt momenta rerum et temporum vices. Cor enim sapientis intelligit, qua ratione responderi possit dubitanti de rerum causis. Scit quoniam mente Dei

moderante negotia mundi, nihil fiet in mundo nisi opportuno tempore. A minimis rebus **549** cor sapientis didicit argumentari, quia omnia mundi negotia tractentur ordine et ratione. Scit quoniam mens hominis nescia venturæ sortis atque præteritæ super præsentibus semper aperiatur.

Vers. 8. — *Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.* Omne nomen quod apud Aristotelem æquivocum est, res multas significat sub uno nomine. Sed si vera definitio facta fuerit, aut specie aut proprio singula res differet a se. Cum ergo spiritus æquivoco nomine multa significet, quo proprio hic segregat a se res æquivocas? Certe spiritus est hominis qui regit artus spirantes. Veniente die mortis quis eum prohibere potest, quin se dissolvat pondere carnalis molis? Solus enim potuit sua prohibere ditione qui ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* x). Die mortis imminente quid prodest homini præsumpta potestas? Quid potest moriens operari? Potentes qui superexcesserunt vires hominis, quid sit aut quid possit homo moriendo probaverunt. Quænam requies hominem morientem cessare facit? Bellum viventi, bellum utique ingruit et morienti. Vivo cum vitiis bellare necesse est, pro vitiis carnis patiatur necesse est moriens mala mortis. Impius assidue si in impietate vivit, non eum salvabit a laqueo mortis libertas impietatis. Quanta est mortis victoria? Allegoria etiam suum vult sensum hic ponere. Spiritus est Deus, Spiritus est Dominus. Sicut in Evangelio scriptum est: *Spiritus ubi vult spirat et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat* (*Joan.* III). Quis enim potest prohibere qui, ubi vult spirat: Spiritus in nobis vivit, quoties et quandiu ille bene vivendo vivimus. Si moritur illi, non ille morietur quidem, nos vero morimur qui non videndo in eo, meremur ne nos possit vivificare qui omnia potest. Ideo in die mortis nostræ nihil posse putatur. Unde et Paulus ait: *Spiritum nolite exstinguere* (*I Thess.*) v. Exstincti vitiis Spiritum sanctum exstinguimus in nos.

Vers. 9. — *Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.* Quam magno studio fertur multum sapiendi, qui quidquid Deus et quod homo inspiciendo facit intelligit in omnibus vanitatibus nihil esse vanius, quam quod homo homini dominans causa malorum illi est. Quomodo ergo causa mali præsumptio dominandi sit, ipsa docet sapientia, qui dominantibus. Vos, ait, optimates qui regna et urbes tenetis, horrendo atque duro cruciabo judicio, tormentabo potenter vos dominando potentes, et vobis fortibus durior instat cruciatus (*Sap.* VI). Duo enim modi sunt, qui jus dominandi vitiant. Causa est mali Domino, censura æquo remissior, et causa est mali Domino censura æquo severior. In dominando remissius Heli sibi viluit (*I Reg.* II). Rex Adonibereth in dominando æquo severior: *Sicut*, inquit (*Judic.* I), *feci, Domino reddente recepi.* Qui supremis digitis manuum et pedum præcisis, septuaginta reges pascebam sub mensa mea, heu supremis digitis manuum atque pedum recidor.

Vers. 10. — *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum, sed et hoc vanitas est.* Non est opus exemplificari verbis alienis quod Dominus proprio ore explanat. Prave viventes et ambitiose tumulatos quos vidit Salomon, melius vidit Salomone, qui major est Salomone. Hic foris vidit, videt intus Dominus Jesus. Nam Scribis et Pharisæis ore hominis loquens, ut Deus considerat interiora cordis. *Væ vobis*, ait (*Matth.* XXIII), *Scribæ et Pharisæi hypocritæ, similes estis sepulcris dealbatis, quæ plena sunt ossibus mortuorum*, quæ laudant homines stupentes super arte operis, non enim ossa vident quæ in pulchro putent marmore, ita vos foris justis apparetis, verumtamen intus putretis, carne quamvis vivi jam peccando sepulti. Esse in loco quos Ecclesiastes arguit sancto, arguit et Dominus in loco etiam sancto dicens: *Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.* Docendo bona probant, reprobant non faciendo ea. Clavim doctrinæ putantur tenere, sed non sunt bona opera eorum, quia portam cœli non reserant sibi, neque volentes intrare permittunt (*ibid.*). Esse in loco sancto virtus est magna, sed si stes pede recto et immaculato. Stare autem etiam in loco sancto temerarium est et supervacuum, si torto pede atque polluto ambulaveris. Sicut Salomon impios laudari vidit in civitate, ita Dominus impios laudari vidit in civitate: *Væ vobis*, inquit, *Pharisæi qui rutam, mentham, et anethum* decimando non estis justi, quod in hoc constare putatis justitiæ summam, et laudari vultis in civitate (*ibid*), *et Luc.* XI). Quod dicit Dominus, hoc dicunt et sapientes mundi: Qui laudari vult, nulla virtute beatus erit. Socrates requirenti cuidam quæ esset via virtutis: Ostendam, ait, tibi brevem, sed perfectam viam: ita vive, et talis, qualis vis ipse videri. Plerumque viros virtutis honore carere sepulcri, infames autem homines cum fama et laude sepultos, multi viderunt cum Salomone et admirati sunt. Vidit et gentilis ille stupens non absque dolore, qui carmen tumulo iniqui Carbonis inscripsit:

Marmoreo Carbo tegitur tumulo, Cato nullo,
Pompeius parvo, credimus esse deos?

Vers. 11, 12, 13. — *Sed et hoc vanitas est. Etenim quia non cito profertur contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini.* Est Deo naturaliter innata pietas, est innata et potestas. Nutrit nos pietas, regit et exercet potestas. Aliquando potestatem pietatis vincit gratia, et sic po-

testatis ense diu pendente, spem atque veniam reis offert mortis dilatio. Est hic gladius bis acutus qui procedit ab ore Domini, sicut in Apocalypsi Joannis legitur (*Apoc.* I), quia hinc percutit ut moriaris, Qualiter istud fiat, modo disputat Ecclesiastes. Quod sententia Domini non cito punit iniquos, propterea pietate Dei abusi liberius peccant, quos nunc cohibet timor nullus, neque credunt curare Deum mortalia nostra, ut sciat aut videat mala, aut si viderit, illa putant dissimulasse, quia non statim iniquos punit. Dedit impunita licentia iniquos. Quando impunita licentia fecit aliquid impune? Quid ait Dominus per prophetam suum Isaiam? *Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea* (*Isa.* X). Pro gradibus ergo meriti datur hic locus nocendi. Scopæ quæ pavimenta verrunt terendo teruntur. Ita impunita impietas est suprema malorum. Pietas quæ indulta malis fit malorum causa, hæc pietas indulta bonis fit bonorum causa. Res enim et causas discernens Ecclesiastes, argumentatur super hac Domini pietate, cujus sententia tandiu dilata pendet. Si mala peccatoris centies ingeminantis ultio differtur, ut ei detur spes veniæ, ex hoc cognovi, quod veniæ spem mereatur qui Dominum timendo **550** ejus faciem revereretur, vel non peccando, vel redimendo peccatum. Sit bona spes bonis, offertur spes et malis. Justos sustentat ferens patiendo et iniquos. Verumtamen est aliquis jactantior et veluti fortis, nihil patiendo ferens, sed carpens sinistro ore, quæ occulto judicio Deus patitur, atque quem Deus patitur non passus ei maledicit, istius ore loquens verba nunc alterat Ecclesiastes : Impiissime, non tibi sint bona, qui semper amasti mala, brevis tibi vita sit, quoniam tædet plerosque quia vivis : sicut umbra prætereant, quicunque Creatorem suum minime reverentur.

VERS. 14. — *Est et alia vanitas, quæ fit super terram : sunt justi, quibus multa proveniunt, quasi opera egerint impiorum ; et sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant ; sed et hoc vanissimum judico.* Quod multis variat verbis, unit sensu Ecclesiastes. Superius personis, et causis personarum notatis, alienus multorum unus expresserat, conquestus erat quoniam tarde veniret vindicta malorum, spe jam cognoverat, bona esse dando timoratis et iniquum maledictis vexaverat. Ecce aliam vanitatem de semine istius vani videt fieri in terra, inde stupens ita secum loquitur. Mene veraciter putabunt agnovisse boni, quod speranda sint bona timentibus Deum, cum videant plerosque sanctos atque justos tanta pati injuste mala, quæ soli perversi juste sustinere debuissent? Nam licet homo in delicatis impatienter ini quo tempore longævo vivit securus impius Deo sustentante, et nullo maledicto læsus, quanta vanitas est quod mala justis proveniant, injustis bona? Quanta vana homo existimat, quæ Deus vana esse negat. Quod non sit vanitas, sed certa dispensatio, quod plurima bona malo, et plurima eveniant mala justo, in Evangelio pater Abraham confirmat, qui refovens in gremio suo animam Lazari, divitem sepultum in inferno liberare non potuit. Et dixit quare. *Recordare*, inquit, *fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI). Quod non sit vanitas, sed dispensatio, quia aliquando proveniunt mala justis, ostendit adhuc Dominus Jesus, in cujus ore non est inventum mendacium, ut audivit, quoniam Pilatus libra et sanguinem miscuit in templo quorumdam sacrificantium ; aiebat turbis, Galilæos male cæsos ter sex, quos turris Siloe lapsos occidit, vos præ omnibus peccasse putatis. Minime hoc dico, sed vos nisi videro pœnituisse, quemadmodum illi perierunt peribitis et vos (*Luc.* XIII). Quam bene discernit, qui solus novit corda, quia judicio justi et mali probentur.

VERS. 15. — *Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet, et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit illi Deus sub sole.* Quid, quæso, dicere possum? Credamne quod vano pectore vanam lætitiam toties laudaverit Ecclesiastes? Hocne bono tantum nos credidit beatificandi si tantummodo delicientur corporeis epulis? Sed Dominus Jesus veracior Ecclesiaste, illos regnaturos, illos prædicat esse beatos, quos hic ditaverit spiritualis pauperies, qui flent, esuriunt, et plurima mala patiuntur (*Matth.* V). Certe quod dixit Veritas, necesse est ut verum sit. Sunt igitur gavisuri, et vere beati, lugentes, pauperes spiritu, sitientes, esurientes. Quæ verum probat assumptum vera conclusio, esse negat gavisuros, negat esse beatos, qui tantum delicientur corporeis oculis. Non ergo contrarius Salomon plus quam Salomoni, verum sæpe affectus pro personæ vice mutans, non ait hoc a se, sed ait ex verbis Epicureorum, quibus tanquam suprema boni placet voluptas illecebrosa, aut si a se dixit, illas laudat epulas, quas præparat et suo sapientia sale condit.

VERS. 16. 17. — *Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem, quæ versatur in terra ; est homo, qui diebus et noctibus somnum non capit oculis. Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat, etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Gravissima mentis distentio homines plerosque vexat, ad quam cognoscendam apponit cor Ecclesiastes. Quando enim aliquid apparet difficile, necessarium est utile est, ut cor ad investigandum apponatur. Versari in terra ista distentio dicitur, non vexat hæc distentio terram quam terimus. *Qui de terra est, de terra loquitur* (*Joan.* III) designantur nomine terræ qui terrena sapiunt (*Philipp.* III). Cor autem ad philosophos mundi applicat Ecclesiastes, qui usquequaque distenduntur ut terrena loquantur. Quod tantis et talibus libris convolvunt philosophi, pene tribus verbis Salomon explicat. Duas vero esse sectas phi-

losophorum novimus,diversis inter se partibus belligerantium. Antiqui philosophi nomen sapientiæ habentes, instabant quotidie naturæ causis discutiendis.Qui volentes invenire usque ad unguem omnia opera Dei,semper quærebant, semperque notabant quærenda, et quod quærebant ex aliqua parte inveniebant,quod autem invenire minime poterant se nescire sciebant.Tales distendebantur studio sapientiæ.Distentus autem Socrates sapiendi studio: Qui,inquit, vivendi mihi finis erit, erit et docendi. Multum distentus et ille fuit studio sapiendi, qui moriens cum esset pene centum annorum cum moreretur lacrymasse perhibetur, dicens : Heu mihi quia modo morior, quando sapere incipiebam ! Tales designat homo noctibus atque diebus vigilando,ita instans causis naturæ discutiendis,ut mirentur omnes, et præ cæteris Ecclesiastes.Ecce novis et magis assultibus incressando novi philosophi urgent veteranos philosophos,et invertunt nova doctrina philosophiam, cum de naturæ causis atque rerum tenore quæque dixerunt dedicunt,et illos refellunt, dicentes sciri nihil posse et nihil reperiri, quod fugit ab illis quasi scientia veri. His intendentes vanitatibus notat Ecclesiastes, dicens eorum verbis nullam esse rerum notitiam,sciri nihil posse et nihil reperiri. Istos philosophos pondere rerum tremefactos vulpibus esse similes putemus,quæ ita tremefiunt audito cœli tonitru atque mundi fragore, ut latebram sibi quærant fugiendo subtus terram. Istis antiquior et sapientior Ecclesiastes,istos notat et illos notat, hos docet et docet istos. Notat enim veteres,sciri omnia posse confitentes, notat et novos,sciri nihil posse putantes.Ostendit quid sapiant, ut si bene sapiunt quærant,vult ut sapiant veteres, sciri res posse, sed non omnes. Quod faciat Deus et solus omnia regat, certissime scimus, qualiter et quare velit Deus illa variare, cur ægrotet bonus, malus fortis sit, hic dominatur, ille serviat, quid istum ditet,illum pauperet,et multa alia cur fiant, sciri nullo modo possunt a nobis, quia illa scire soli Deo convenit. Qui vero nihil sciri, et nihil putant posse reperiri,quidnam scire putant,qui suum scire sibi tollunt?Nihil sciri quis unquam hominum dicet nisi multa sciendo?Utique multum scit, qui scit quare nesciat ista vel illa.Permultum scit, qui tollit suum scire scienti.Unicuique animali natura suum scire dedit. Se nihil scire putans,se subjecit pecori.Est ingenium pecori,sed non æquale nostro, quo ratio **551** pecori nos præponit omni. Si dicat sapiens se nosse, contra ait Ecclesiastes, non poterit reperire. Quis hoc verum neget esse ? Plurima Dei secreta nescit mundi sapientia. Iste sapiens quem discrete notat Ecclesiastes,forte Socrates fuit, qui quam putavit sapuisse, quando primus dixit, nihil sciri, nihil reperiri : aut fuit Archisilas, qui Socratis scire secutus,de nihil scire suam fecit sibi philosophiam.

Cap. IX, vers. 1-4. — *Omnia hæc tractavi in corde meo,ut curiose intelligerem : Sunt justi atque sapientes,et opera eorum in manu Dei:et tamen homo nescit utrum amore, an odio dignus sit:sed omnia in futurum servantur incerta,eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti, sicut bonus, sic et peccator:ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub cælo fiunt, quia eadem cunctis eveniunt.Unde et corda filiorum hominum implentur malitia, et contemptu in vita sua,et post hæc ad inferos deducuntur. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam.* Sicut unda super undam venit in mari magno et conturbato,ita cura super curam cor torquet Ecclesiastis vanitatem recensentis. Quæ gravior vanitatis species, quæ cura sciendi vanior esse potest ? Ecce ex persona alicujus intenti vanitati tractat scire quis Domini dignus, quis indignus amore.Quod nullus invenire potest, quidnam prodest quærere?Et quis homo intelligere potest mentem Domini?Sunt justi et sapientes, sunt et eorum opera in manu Dei,qui velle gubernat,et posse, ne plus velint scire quam necesse est. Et quis homo intelligere non potest, amore Dei illos esse dignos, qui juste vivunt et sapienter operantur?Veritatem confundit gravis hæc rerum confusio, quod perveniunt eadem justis et injustis,et bonos mundus neque amore colit neque honore. Sicut bona fama bonos, ita fama bona collaudat malos. Talibus distractus homo, ut nihil certum sciat esse, nescit utrum Deus suo illos dignetur amore.Ea igitur quæ per se nec bona nec mala sunt, sed a sapientibus sæculi media nuncupantur,quia æqualiter et justus eveniunt et injustis, simplices quosque conturbant cur ita eveniant,et propterea non putant esse judicium,cum omnium rerum in futuro discrimen sit, et hic confusa sint omnia. Nos autem aliter longe sapimus, et hæc omnia non casu, sed dispensante Deo fieri credimus.Quemadmodum enim mixtim terit area grana cum paleis,ita modo terit area mundi, justos cum injustis.Sicut absque palea non possunt grana crescere,ita debent crescere mali cum bonis. Veluti sunt grano paleæ pro tegumento, sic mali sunt bonis pro experimento. Istos et illos probat Deus, istos et illos discernit. Quando bona donat malis,probat illos,hic tribuendo bona, ut in æternum nulla spes sit bonorum. Quando mala dat bonis,probat eos hic mala donando, ut in perpetuum non sit formido pœnarum. At deteriora malum trahit hic data rerum copia:nam ingratus,abusus rebus gratis acceptis,et contemnens Deum,non illum putat esse colendum,quod non donet semper justis bona et pravis mala. Inde probata vita mali nescit se moneri,ne speret veniam, quia non cessat peccare.Ad meliora vero bonum trahit hic data rerum copia, bene viventem rebus quæ donat gratia. Inde probata vita boni credit se moneri, uti speret veniam, quia jam peccare cessat, atque ita placat quem peccando despiciebat. Omnia tamen judicio futuro hæc incerta servantur,donec separet a paleis

sua grana judex orbis Deus per ventilabrum. Nemo est qui semper vivat. Quis est qui semper vivit, nisi Deus qui omnia fecit ?

Vers. 5, 6. — *Melior est canis vivus leone mortuo. Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habebunt ultra mercedem quia oblivioni tradita est memoria eorum. Amor quoque et odium et invidia simul pereunt, nec habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur.* Quid sibi vult collata natura canis atque leonis? In genere quidem uniti sunt, sed specie canis et leo distant. Littera primo nobis insinuet naturam canis et leonis, spiritus dabit postea allegoriam, qui nos per sensum spiritualem vivificat, ne forte nos occidat littera per sensum carnis. Leo nulli conveniens vivit more tyranni, atque tuendo se naturali libertate nullum dignatur, tanquam jure feris omnibus dominatur. Quis rex ita homines terret, ut leo feras? Sæpe exanimantur feræ leonino rugitu. Quamvis ille prædas quærat, quamvis sanguine vivat, verumtamen in comedendo modus est, modus in bibendo; interpositis enim diebus manducat et bibit, ubicunque vadit, cauda vestigia abolens tollit venatoribus signa sequendi. Apertis dormit oculis leo, scit peregrino parcere, prostratoque homini. Hæc est leonis vita. Canina vita leoninæ contraria est vitæ. Gaudet dominari sibi hominem canis, et obsequitur tam prompte uti commereatur. Servi amore gaudet sine amore libertatis, non enim in edendo modus est illi: solet usque ad vomitum gravari, solet ingluviem vomitu relevare: rursus vomitu suo solet esuriem relevare. Ita natura canis atque leonis distinguitur. Est tamen ubi conveniunt leo et canis. Quando domitur captus leo vult semper secum habere catellum cujus blanditiis imminuat feritatis vim. Ut ergo timeat leo timendus naturæ feritate, ceditur qui non peccavit catellus, territus inde leo pavet et oblitus leonem vincula gerit collo, et pavet magistro subesse. Ecce potes cognoscere quod vidit Ecclesiastes, quid significet vel vita leonis vel vita canis. Sed nos ad majora tendamus, et Chananæam illam, cui dictum est : *Fides tua te salvam fecit* (*Matth.* xv), canem secundum Evangelium esse dicamus: leonem vero mortuum circumcisionis populum, sicut Balaam propheta dicit : *Ecce populus ut catulus leonis consurget, et ut leo exsultans* (*Num.* xxiii, xxiv). Canis vero vivus nos sumus ex nationibus, leo autem mortuus Judæorum populus, a Domino derelictus. Et melior est apud Deum iste canis vivens, quam ille leo mortuus. Nos enim viventes cognoscimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum; illi vero mortui nihil sciunt, neque exspectant aliquam repromissionem atque mercedem, sed completa est eorum memoria. Neque ipsi meminerunt quæ scire debuerant, neque illorum jam Dominus recordatur. Dilectio quoque qua aliquando Deum diligebant periit: et odium, de quo audacter David loquebatur : *Nonne odientes te, Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam* (*Psal.* cxxxvi)

A nec non et zelus eorum, juxta quem Phinees zelatus est (*Num.* xxv), et Mathathiæ intremuerunt poplites (*I Mach.* ii). Perspicuum autem, quod pars eorum non est in sæculo, non enim possunt dicere: *Pars mea Dominus* (*Psal.* lxxii). Præterea quis canis aut leo sit, quis vivat aut quis moriatur, invenies causam variendo alia figura. Canis impium significat, leo autem justum. Qui bene vivit confidentius tanquam leo vivens, nullius terretur occursu, nullius tumultu. Conjunctus Christo, non conjungit mundo. Libertate qua servit Domino sese tuendo, nullum dignatur nisi Deo mente tota famulatur. Justus feros corde et brutos terret. Sicut clamante leone feræ pavidæ **552** examinantur ; ita Dei clamante præcone, homines bruti et pecuales B deficiunt a ritu consuetæ feritatis. Quomodo leo prædatur, ita prædatur et justus. Feras ille, homines justus : fovet iste, necat ille. Nulli amplius modus est justo in comedendo. justo sobrietas est quasi deliciosa voluptas. Quemadmodum leo oculis dormit apertis, ita justus quasi dormiendo vigilat, sicut in Canticis canticorum legitur : *Ergo dormio et cor meum vigilat* (*Cant.* v). Justus prostrato parcit atque peregrino. Sicut leo exterretur patienter catuli flagello ; ita plerumque a culpa retrahunt aliena flagella. Sic enim dicitur in Proverbiis: *Pestilente flagellato sapiens sapientior erit* (*Prov.* xix, xxi). Ille enim peccare timet admonitus alienis plagis. Quotiescunque ita vivit leo, melius vivit vivo cane. Justus dum vivit ut leo, vivit melior cane vivo. Verum si pereat virtus mortua leonis in homine justo pecC cante, pejor cane vivo erit justus. Canis prius immundus et gulosus cum lingendo lingua sua vulnera curat, melior efficitur justo qui moriendo degenerat a virtute leonina et vita beata. Quod etiam Dominus insinuare videtur cum dicit : *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta justis qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* xv).

Vers. 7, 8. — *Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum : quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.* Quia in superioribus fuerat prælocutus, quod postquam mortui fuerint homines oblivioni tradita est memoria eorum secundum illud poetæ :

D *Nullum cum victis certamen, et æthera cassis,*

et quia sub sole nihil ultra post nunc quasi errorem humanum et consuetudinem, qua se ad fruenda hujus sæculi bona invicem hortantur, inducit et facit more poetarum et rhetorum, dicens : O homo quia ergo post mortem nihil est, et mors ipsa nihil est, audi consilium meum et dum vivis in hac brevi vita fruere voluptate, utere dapibus, vino curas opprime, et intellige quoniam a Deo tibi donata sunt ad utendum, candidis vestibus ornatus incede, unguentis spiret caput tuum: quæcunque tibi placuerit feminarum, ejus gaude complexu, et vanam hanc et brevem vitam, vana et brevi voluptate percurre: nihil

enim extra hæc habebis amplius quo fruaris, quodcunque te delectare potest festinus cape, ne pereat : neque enim frivola debes formidare commenta, quod singulorum operum vel bonorum vel malorum apud inferos tibi reddenda sit ratio. Non est enim aliqua in morte sapientia, nullus post dissolutionem vitæ hujus sensus.

Et hæc, inquit, aliquis loquatur Epicurus et Aristippus, et Tyreneici, et cæteræ pecudes philosophorum. Ego autem mecum diligenter retractans, invenio non ut quidam male æstimant omnia fortuito geri, et variam in rebus humanis fortunam ludere : sed cuncta judicio Dei fieri. Neque enim velox pedibus debet suum cursum putare si currat, nec fortis in suo confidat robore, nec sapiens divitias et opes æstimet prudentia congregari, nec eloquens et doctus per eloquentiam et doctrinam apud populum invenire posse gratiam, sed omnia Deo fieri disponente : et *nisi* ille cuncta suo arbitrio rexerit, *et ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, nisi ille custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* (*Psal.* CXXVI). Non est itaque ut illi putant unus eventus, et incertus vitæ hujus status, quia quando non æstimant, repentina morte subducti ad judicium venient : et quomodo pisces hamo capiuntur et retibus, et aves per aerem libere volitantes dum nesciunt laqueo alligantur ; sic homines pro merito suo ad æterna supplicia deducentur, cum repente mors venerit, et judicium in eos, qui putant incerto statu omnia volvi.

Hæc juxta eum sensum, quo breviter voluimus universa comprehendere ; nunc, quasi non ex alterius, sed ex sua persona loquatur interpretanda singula. *Vade et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum.* Quia dedicisti quod morte omnia finiantur, et in inferno non sit pœnitentia, nec aliquis ad virtutes recursus : dum in isto sæculo es, festina, concede, age pœnitentiam, dum habes tempus, labora : libenter enim Deus suscipit pœnitentiam. Aliter et simpliciter intellectum prodest, juxta illud : *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in nomine Domini facite* (*I Cor.* X). Et in alio loco : *Cum consilio vinum bibe* (*I Tim.* V). Non enim habet veram lætitiam et cor bonum, qui creaturis super modum abutitur. Melius autem est sic sentire. Cujus complacuerunt opera coram Deo, nequaquam poterit indigere vero pane, et vino quod calcatum est de vinea Soreth. Dato nobis itaque præcepto quo dicit : Desiderasti sapientiam, serva mandata, et Dominus ministrabit eam tibi, servemus mandata, et panem et vinum et spirituale invenire poterimus. Qui autem mandata non servat, et in panis et vini abundantia gloriatur, dicitur ei per Isaiam : *Ne dicas : Ecce cognosco eam : neque cognovisti, neque scis, nec a principio aperui tibi aures. Scio enim quia contemnens contemnis* (*Isa.* XLVIII). Quod autem dicitur : *Vade et comede in lætitia panem tuum,* ejus Ecclesiastis vox est, qui in Evangelio loquitur : *Qui sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII.) Et in Proverbiis : *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum meum* (*Prov.* IX).

Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. Habeto, inquit, corpus mundum, et esto misericors, vel ita : Non sit tempus in quo candida vestimenta non habeas, cave ne quando pollutis vestibus induaris. Populus quippe peccator in vestibus fuscis luxuriæ describitur. Tu autem induere lucem et non maledictionem quæ supra Judam scripta est : *Induat maledictionem sicut vestimentum* (*Psal.* CVIII). Induere viscera misericordiæ, benignitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ (*Coloss.* III). Et cum despoliatus fueris veterem hominem cum actibus suis, induere novum qui renovatur de die in diem (*Ephes.* IV ; *Coloss.* III). Quod autem ait : *et oleum de capite tuo non deficiat,* sciendum naturam hanc esse olei, ut et lumen alat, et fessorum solvat laborem. Est oleum spirituale, oleum exsultationis de quo scribitur : *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV ; *Hebr.* I). Hoc oleo vultus noster hilarandus est : hoc jejunantis ungendum caput, quod peccatores habere non possunt quibus dicitur : *Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas* (*Isa.* I). Habent enim oleum contrarium, quod vir justus detestatur, dicens : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL). Hoc oleum hæretici habent, et eo cupiunt deceptorum capita perfundere.

VERS. 9, 10. — *Perfruere vita cum uxore quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ : hæc est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Plerumque excedit homo naturæ jus violando, quod natura lex, **553** quod amor et gratia sancit, quando sponsus sponsam, atque sponsa molestat sponsum. Idcirco ne jus et fas velimus violare, et quos amor jungit, ne aliqua amaritudo dissociet, ad pacis, ad fidei mores non ordinat Ecclesiastes. Sponsus, inquit, vita, et sponsa perfruatur dilecta, sponsa nihilominus vita et sponso fruatur adamato, omnibus diebus quos dat hic vita instabilis. Vita perfruitur, qui sine quærela agit vitam. Quis unquam irata sponsa bene vita fruitur ? Quænam sponso irato sibi bene vita fruitur ? Quomodo instabilis donatur his tibi vita diebus ? Primo infans, deinde puer es, hinc adolescens, postea juvenis, es deinde senex, tandem decrepitus. Nunquam stabiliri potes, quia ita mutaris omnibus horis variabilis, tam affectibus cordis, quam motibus carnis. Qui super instabili vita causando doles, o homo, pars tibi proficui laboris datur sub sole, ut quodcunque potest manus tua facere instanter operares. Modo tibi, qui præstas ratione, scientia rerum additur, et sapientia confirmabit cor tuum. Hic opus facias, unde in futuro detur tibi æterna merces. Cum enim te mors ad infernum coget properare,

non ibi facies opus unde sperare possis pauxillum boni.

Dicit siquidem David, exterritus ab umbra mortis : *Non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?* (*Psal.* VI.) Huic quid simile et a Salvatore præcipitur : *Operamini dum dies est, venit nox quando nemo potest operari* (*Joan.* IX). Quod autem ait, *in inferno*, quo tu properas, nota ut Samuelem quoque vero in inferno credas fuisse, ante adventum Christi quamvis sanctos omnes et in inferni lege detentos. Porro quod sancti post resurrectionem Domini nequaquam teneantur in inferno, testatur Apostolus dicens : *Melius est dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I), qui autem cum Christo est, utique non tenetur in inferno. Qui vult instabiles dies operando stabilire, debet cum dilecta sibi muliere operari. Illi certe dilectam dabit allegoria sponsam. Quæ oro conjunctior et amicior est sponsa ; quam sapientia, quæ vita quoque dulcior? Illam amet, illam sibi desponset, quicunque bene vivere cupit. Omne quippe boni lucrum affert secum sapientia, sine qua quicunque animus neque speciem habebit amoris. Sicut arbor arida eris, nisi virescas sapiendo sapienter. Natura igitur exemplum mirabile super confert : Vipera superatur amore marinæ murænæ, et ad coitum ejus properans evomit omne venenum, ad littus ergo maris per sibila blandæ vocis vocat incestam incestus, amator amicum, neque muræna exhorret virus quo vipera livet. Quidnam evites homo, quid agas te docet serpentis figura. Adulterium evitet sponsus ne fiat vipera ; uti placeat sponsæ, omne virus evomat : sponsa patienter ferat venenosam viri sui iram, si evomat ille, et illa ferat sapienter venenum, vivendo stabilitur eorum vita instabilis.

VERS. 11. — *Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam : sed tempus, casumque in omnibus.* Qui vinctus est compedibus ferreis, et gravibus plumbi nexibus prægravatus (iniquitas enim sedet super talentum plumbi ; et in Psalmo loquitur : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me* [*Psal.* XXXVII]), non est aptus ad cursum illum de quo dicitur : *Cursum consummavi, fidem servavi* (*II Tim.* IV). Quis autem levis est et anima illius non gravatur, nihilominus et ipse absque adjutore Deo ad calcem non potest pervenire. Sed et cum prælium fuerit adversus contrarias potestates, de quo scriptum est : *Sanctificate bellum* (*Jer.* VI), licet robustus, propriis tamen viribus vincere non valebit. Perfectus quoque in filiis hominum et sapiens, viventem panem atque cœlestem habere non poterit, nisi per sapientiam cohortantem : *Venite, comedite panes meos* (*Prov.* IX). Et quoniam sunt divitiæ, de quibus Apostolus ait : *Divites fieri in operibus bonis* (*I Tim.* VI) ; et alibi : *Divites facti estis in omni sermone et in omni scientia* (*I Cor.* I), secundum prudentem virum has non posse divitias congregare, nisi eas a Deo acceperit, cujus ipsæ divitiæ sunt. Gratia quoque nisi scientiam comitata fuerit et concessa a Deo, quamvis eruditus vir, eam non poterit invenire.

Quod et Paulus sciens : *Plus*, inquit, *omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV). Et iterum : *Gratia ejus in me vacua non fuit* (*ibid.*). Et ad extremum nescitur ab homine quando tempus adveniat, in quo varius eventus et finis omnium subsequitur. Hæc secundum anagogen. Cæterum, ut simplius disseramus, Epistola ad Romanos huic loco congruit, quia *non volentis neque currentis, sed miserentis Dei sit* (*Rom.* IX). Quid autem ait : *Nec sapientium panem*, multorum quotidie probatur exemplo, qui cum sapientissimi sint, necessariis indigent. *Nec artificum gratia.* Videas enim in Ecclesia imperitissimos quosque florere, et quia nutrierunt frontis audaciam, et volubilitatem linguæ consecuti sunt, dum non recogitant quid loquantur, prudentes se et eruditos arbitrantur, maxime si favorem vulgi habuerunt, qui magis dictis leviori bus commoventur, et econtrario eruditum virum latere in obscuro, persecutiones pati, et non solum in populo gratiam non habere, sed inopia et egestate tabescere. Hæc omnia fiunt, quia incerto statu feruntur omnia, et non est in præsenti retributio meritorum, sed in futuro.

VERS. 12. — *Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, sicut aves laqueo comprehenduntur ; sic capiuntur homines tempore malo, cum eis exemplo supervenerit.* Jam et supra diximus, quod dum nesciunt homines ita eis aut angustiæ veniant, aut interitus.

Porro secundum allegoriam sciendum : *Regnum cœlorum simile esse sagenæ missæ in mare* (*Matth.* XIII) ; et econtrario habere sagenam hæreticos, per quam pisces capiuntur ad interitum. Sagena eorum est, sermo affabilis, blandum eloquium, simulata aut coacta jejunia, vestis humilis, virtutum imitatio. Quod si cœperint et de superioribus disputare, et in sublime levare os suum, et Dei altitudines quærere, laqueum ponunt in excelsis.

Quomodo igitur pisces et volucres capiuntur a tali sagena, et ab istiusmodi laqueo, sic cum multiplicata fuerit iniquitas, et refrixerit charitas multorum, et signa facta fuerint atque portenta ; ita ut seducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV), sciendum est ecclesiasticos quoque viros, qui filii hominis appellantur, et sunt modicæ fidei, cito posse corruere. Notandum etiam, quod per totum librum, ubicunque dicitur filii hominum in Hebræo habet filii hominis, hoc est filii Adam. Et omnis pene Scriptura hoc idiomate plena est, universum genus humanum filios Adam vocans.

VERS. 13, 14, 15, 16. — *Hanc quoque vidi sub sole sapientiam maximam : Civitas parva, et pauci in ea viri : venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps*

recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine : quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita? Aliis omnia incerta **554** ducentibus, et justum ab injusto amplius nihil habere, ego sapientiam in hoc maximam comprobavi, quod crebro evenit, ut parva sit civitas, et habitatores in ea pauci, et innumerabilium hostium cingitur exercitu, et obsidione et fame populus intus necetur, et repente contra omnium suspicionem inveniri virum humilem et pauperem, qui quia habet sapientiam, cunctis divitibus, magnis, potentibus et superbis in periculo positis, et ad obsidionem paventibus, cogitat, inquirit, et invenit quomodo de malis eruat civitatem. Et o integra hominum oblivio! postquam fuerint liberati, et soluta captivitas et reddita patriæ libertas, nemo meminit sapientis illius pauperis, nemo refert gratias pro salute, sed omnes honorant divites qui in periculo nihil subvenire potuerunt.

Aliter. Civitas parva homo est, qui etiam apud philosophos minor mundus vocatur, et viri in ea pauci, membra de quibus homo ipse contexitur? Cum autem venerit adversus eam rex magnus diabolus, et quæsierit locum per quem possit irrumpere, invenitur in ea humilis et sapiens et pia cogitatio interioris hominis, et servat urbem quæ ab hostibus cingeretur. Cumque homo de periculo sive persecutionis, sive angustiarum, sive cujuscunque rei adversæ atque peccati fuerit erutus, homo ille exterior qui inimicus est illius pauperis hominis sapientis, non recordatur interioris hominis, nec subdit se consiliis ejus, sed rursum sua fruitur libertate.

Aliter : Parva civitas, et viri in ea pauci, ad comparationem totius mundi, Ecclesia est, adversus quam sæpe consurgit rex magnus diabolus : non quod magnus sit, sed quod magnum esse se jactet; et circumdat eam obsidione, sive persecutionis, sive alio angustiarum genere : Invenit in ea virum pauperem, et sapientem Dominum nostrum Jesum Christum qui pro nobis pauper factus est, et ipse sapientia; et ille vir pauper liberat urbem in sapientia sua. Quoties vidimus sedentem leonem in insidiis cum divitibus, hoc est cum senatoribus et principibus hujus sæculi, et adversus Ecclesiam molientem pauperis istius sapientiam corruisse. Cumque pauper hic vicerit, et urbi pax fuerit restituta, vix aliquis ejus meminit, vix illius mundata considerat, sed totos se luxuriæ et voluptati concedentes, quærunt divitias quæ in necessitate non liberant.

Vers. 17. — *Verba sapientium audiuntur in silentio plus quam clamor principis inter stultos.* Alter homo distans moribus alterius hominis vivit. Plerumque unos specie non facit unos distantia. Specialis hominis species est rationalis, a specie distans quæcunque ratione carent. Sed non est omnibus individuis eadem gratia, ut omnis rationabilis ratione fruatur. Sapiens est enim quicunque sapienter ratione fruitur : ideo vix inter rationales ullus computatur. Istorum distinguens mores Ecclesiastes ait : *Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos.* Non enim clamat sapiens, sed quid, cui, quare, quomodo, quando, loquatur sapienter et opportune discernit. Iste color, ista pulchritudo decet sapientem. Sapiens omnia discernit, ut ad omnia possit. Dat pondus verbis sapientium rerum gravitas.

Dicit Amos : *Leo rugiet, quis non timebit?* (*Amos* III.) Qui sunt quorum verba audiuntur in silentio? Est sapiens Deus, et rugit tanquam leo. Ut timeamus nos terret, intentando gehennam peccatoribus. Qui timet audit sapientium verba in silentio. Et qui in silentio et timore Dei audit, libenter obedit verbis sapientis. In Deo sapiente sunt servi ejus sapientes. Unde idem Amos : *Dominus*, inquit, *locutus est, quis non prophetabit?* (*Ibid.*) Quisquis Deo inspirante prophetat, verba loquitur quæ possis audire in silentio. Agunt se sapienter, qui bona quæ dicunt prius exsequuntur. Ideo vivant verba eorum in silentio. Qui autem de se confidens princeps sibi esse videtur, si loquens clamando male vult uti ratione, nescit compescere clamorem per rationem, sed tantummodo per clamorem confundit rationem. Quamvis sit iste princeps confidens plus justo in se, non bene auditur si clamando loquatur confusis verbis magis quam articulatis. Talis sæpe in Ecclesia videtur docere, qui vociferando lenocinio verborum, ad gestus rhetoris frangit se toto corpore. Stulti sunt auditores ejus : stultus ipse magis, ille se vendens, et emens illos applausibus. Talis non rugit, sed rudit.

Vers. 18. — *Melior est sapientia, quam arma bellica; et qui in uno peccaverit multa bona perdet.* Revera melior est sapientia viribus, a qua principium et finem omnia bona accipiunt. Quis amabit Deum tota anima, tota virtute, totis viribus, nisi sapiendo quid Deus est? Hæc est *præcepti finis* (*I Tim.* I), fons credendi, sicut ait Paulus apostolus quæ pro rerum variamine, modo dilectio, modo sapientia vult appellari. Igitur ita sentiendum est, quod propter unum peccatum multæ justitiæ retro pereant, et invicem se virtutes sequi, et qui unam habuerit, habere omnes, et qui in uno peccaverit, eum omnibus vitiis subjacere (*Jac* II). Istis concordat etiam sententia philosophorum. Si aliquis vult omnes simul virtutes habere, una dabit cunctas, aut cunctas tollet una. Prudens certe justus erit, constans et modestus erit. Justus erit prudens et constans atque modestus. Prudens constans quicunque justus erit et modestus. Omni ergo virtute caret, qui peccat in una. Si deest tribus quarta, tres adesse dedignantur.

CAPUT V.

Loquitur Scriptura divina : *Musica in luctu, intempestiva narratio* (*Eccli* XXII). Unde et nos, frater charissime Gregori, leporem artis rhetoricæ contemmentes, et puerilis atque plausibilis eloquii venustatem, ad sanctarum Scripturarum gravitatem

confugimus, ubi vulnerum vera medicina est, ubi dolorum certa remedia, ubi recipit unicum filium mater in feretro (*Luc.* VII,); ubi turbæ dicitur circumstanti: *Non est mortua puella, sed* vivit (*Luc.* VIII); ubi quatriduanus mortuus ad vocem inclamantis Domini ligatus egreditur (*Joan.* XI). Et nos habemus mutuæ obicem charitatis. Diligamur spiritu, stringamur affectu, et fortitudinem mentis imitemur in sanctis viris, quos Christus Dominus in gloria sua recepit. Illos nostra pagella decantet, illos cunctæ litteræ sonent. Quos corpore non valemus, recordatione teneamus. Et cum quibus loqui non possumus, de eis loqui nunquam desinamus. Ad nostrum ergo Ecclesiasten redeamus.

CAP. X, VERS. 1. — *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria parva et ad tempus stultitia.* Animadverte, o homo quam parvuli existimentur ab Ecclesiaste, quos muscis morientibus voluit assimilare, quæ perdunt suavem odorem unguenti redolentis! Quale hoc sit unguentum, David nobilis citharœdus decantat, dicens: *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* (*Psal.* CXXXII), et cætera Hoc caput Christus est, barba homo corde virilis, Ecclesia vestis est, ora hujus vestimenti sumus nos. In caput, et in barbam Christi, et in oram vestimenti hoc unguentum descendit, quando eum **555** Deus præ consortibus ejus unxit (*Psal.* XLIV). Nos vero participes illius, sicut oram vestimenti perunxit stilla unguenti ex illo manantis. Sion Ecclesiam: mons Hermon significat Synagogam. Sive Sion bonos, Hermon peccatores intellige. Ita in Sion unguentum, sicut ros descendit in Hermon. Quid est ergo unguentum suave, nisi gratia spiritualis? In caput nostrum descendit cœlitus hoc unguentum, quando nos baptizatos Spiritus sanctus unxit, in barbam nostram descendit hoc unguentum, cum hos viventes facit opera viriles, de cœlo descendit hoc unguentum in ora vestimenti, cum sacro unguento in fine vivendi sacramur. Est unguentum quoque quod sapientia præstat, compositum de multiplici odore virtutis. O quoties perdunt unguentum muscæ morientes unguenti ipsius mistæ mistis speciebus? Sicut vident unguento mistas sapientia muscas: vides in Ecclesia mistos bonos et malos. Musca sæpe se ingerit sapientiæ, quando perdunt verba mala bonos mores sapientis, cum calliditas stulti sapientia vult appellari, seque suo nomine prætexit faciens mala caute, quando se prudentem mentitur dolosus. Quid replicabo omnes virtutum species? Mala nostra voluntates invertit genus virtutum. Virtus genus est virtutum individuarum, quæ honeste compositæ sicut pretiosum redolent unguentum. Qui genus suum perdit, quid in ejus detinet speciebus? Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Modo in se, modo in fratribus perdunt unguentum quando peccant, in seipsis perdunt; in fratribus vero, illos a recto tramite retrahendo. Quod ergo

A peccatores significent muscæ morientes, et Scriptura sacra, et muscarum natura probabit. Nam muscæ, quæ juxta Isaiam principantur parti fluminis Ægypti (*Isa.* VII), perdunt olei suavitatem in unoquoque credentium, relinquentes immunditiæ suæ odorem atque vestigia. Ab his muscis etiam princeps appellatus dæmoniorum Beelzebub, qui interpretatur aut *idolum muscarum*, aut *vir muscarum*, aut *habens muscas.* Quod Scriptura demonstrat, hoc et natura muscarum. Si mordet aliquam aranea ore venenoso, ex hoc aiunt qui de naturis tractant quod potest sanari desuper attrita musca; ita tu, o homo, humilitatis virtute vince venenum malitiæ et nequitiæ. Cassibus suis inclusas sugit muscas aranea; sic peccatorem vana sapientia sugit.
B Veluti muscam suxit vana sapientia quemdam, qui dum fastidiret muscas moriens tanquam musca, negavit omne animal Deum fecisse. Muscæ si necatæ fuerint in aquis, post horas aliquas revivificantur. Nihil frustra fieri, nihil credamus frustra dici. Non semper omnino, sed sæpiuscule reviviscit necata musca. Quando baptizamur, omnes in lavacro sepelimur. Qui bene vivit, surgens de fonte revixit. Qui vero prave vixerit, non revixit de justo fonte. Quicunque quasi musca vagans atque importune pererrans peccat contra Dominum stulte sapiendo, si postea factus sapiens pro Christo stultus efficitur, hujus stultitia pretiosior est alicujus gloria, quam ei tribuit vana sapientia. David ad tempus stultitia protexit ab hoste, quem virtus, quem sapientia, quem
C gloria belli non protexisset (*I Reg.* XXI). Pretiosior fuit hæc ejus stulta insania quam virtus et gloria bellorum. Nam et quidam ait: Stultitiam simulare loco, sapientia summa est. Sicut fortis exarmare solet, hostem suis armis, ita Deus diabolum fortem exuit suis armis, illius enim stultitia bene usus secundum tempus Deus, quemadmodum David Goliam gladio ejus occidit (*I Reg.* XVII), ita regem muscarum diabolum gladio ipsius peremit. Hoc et apostolus Paulus ait: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I).

VERS. 2, 3. — *Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius. Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Ecclesiastes semper cum natura concordans, contra
D naturam modo ponere videtur cor sapientis in dextera, cor stulti in sinistra. Nam physici tradunt, quia cor viris in sinistra parte sit, feminis in dextera. Si ita est, quomodo verum esse potest, quod ait iste: *Cor sapientis in dextera, cor stulti in sinistra?* Doctus et indoctus, bonus et malus, æquus et iniquus, si distant quando et quali, patiendo et agendo, non tamen distant natura aut positione membrorum. Non igitur est alias cor sapientis, alias stulti. Plurima de dextera atque sinistra tractaverunt philosophi fingendo, et poetæ philosophando. Littera Pythagoræ, quæ est humanæ vitæ formula, nonne bonis monstrat dexteram, et malis sinistram?

Virgilius compar philosophis et major poetis, hoc ipsum sensit ubi taliter scribit :

Dextera quæ magis Ditis sub mœnia ducit,
Hac iter Elysium nobis, at læva malorum
Exercet pœnas et ad impia tartara ducit :

Et in Evangelio præcipitur : *Nesciat sinistra quid faciat dextera* (*Matth.* VI) sapientis. Et quando percutimur in maxillam dexteram, non jubemur sinistram genam percutienti præbere, sed alteram (*Matth.* V). Justus enim sinistram non habet, sed totum in eo dexterum est. Et cum ad judicandum Salvator venerit, agni stabunt a dextris, et hædi a sinistris (*Matth.* XXV). Et in Proverbiis scribitur : *Dexteras vias novit Dominus, quæ autem perversæ sunt a sinistro sunt* (*Prov.* IV). Qui ergo sapiens est, semper de futuro sæculo cogitat quod ducit ad vitam, hoc est ad dexteram. Sed ne putemus huic sententiolæ illud esse contrarium quod dicitur : *Ne declines in dexteram neque in sinistram* (*Deut.* V). Hic enim dextera pars pro bono accipitur, ibi vero non tam dextera quam declinatio dexteræ accusatur, ne plus sapiamus quam sapere nos necesse est; quia virtutes in medio sunt, et nimietas omnis in vitio est. Sequentibus autem versiculis : *Et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*, hic sensus est : Stultus ut ipse peccat, sperat omnes peccare similiter, atque ex suo ingenio universos judicat.

VERS. 4. — *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris : quia curatio facit cessare peccata maxima.* Quis iste potens sit, quis spiritus iste potentis, o utinam nesciremus, utinam vel oblivisci possemus ! Sæpenumero super nos aut iste potens aut spiritus ejus, multum nos premit, et locum nostrum dimittere cogit. Vera fides locus noster est, quia in illa stamus. Iste autem potens ille est, de quo Dominus loquitur : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X). Iste potens tot iniquis spiritibus dominatur, quot vitiis succumbit homo ab illo deceptus. Iste spiritus potens locutus per serpentem ad mulierem, postquam illam seduxit, super Adam quoque ascendit tanquam victor, et dejecit eum de loco suo, et de paradiso (*Gen.* II). Super David etiam spiritus iste ascendit, atque illum confixit telis amoris et ambitionis (*II Reg.* XI; *I Par.* XXI). Concussit Petrum per ostiariam, ut Dominum negaret majestatis (*Joan.* XVIII). Neque Mariam pertransibo Magdalenam, super quam spiritus potenter ascendens cum septem dæmoniis regnabat in illa (*Marc.* XVI). Quis possit dinumerare super quot spiritus iste ascendit, et fidei suæ locum dimittere cogit ? Spiritus iste potens, iste princeps fortis, quamvis veniat ad nos cum decem millibus, noster tamen princeps occurret ei cum duplicato exercitu, viginti scilicet milibus (*Luc.* XIV). Quidnam sibi vult simplex exercitus, aut quid duplicatus ? **556** Spiritus iste pugnat cum simplici exercitu, qui nos occidere potest et non vivificare. Rex noster cum milite duplo fortior illo pugnat, quia nos ille potest mortificare et vivificare. Iste duos habet funiculos et legiones duas vitæ et mortis instar fortissimi David. Iste rex vivificat quos ille spiritus trucidat. Quos iste subruit, erigit ille. Hic levat in cœlum pulsos de paradiso; iste armilla sua maxillam Leviathan perforat (*Job* XL), ut retrahat peccatores ex ore potentis. Præsciens Salomon istius potentis bella, monet nos præmuniri armis libertatis, ne forte fugiendo cogamur cedere de nostro loco. Quicunque his libertatis armis se protegit, non ascendit super eum spiritus ille potentis. Si quis vero forte loco fidei cessit fugiendo, si resumat libertatem et virtutis arma, Spiritus ille potens descendet de illo et recedet. Tanti pretii est libertas, quam laus adornat virtutis.

VERS. 5 7. — *Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis : positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. Vidi servos in equis; et principes ambulantes super terram quasi servos.* Et hanc ergo iniquitatem in sæculo perspexisse commemorat, quod videat injustum Dei esse judicium, et sive per ignorantiam, sive absque ejus fieri voluntate, ut vel in mundi potestatibus, vel in Ecclesiæ principatu, sæpe hi qui divites in sermone sunt atque sapientia, divites etiam in operibus bonis ignobiles sedeant, et imprudens quisque in Ecclesiæ teneat principatum. Hoc autem fieri a vultu ejus qui in sæculo habeat potestatem, dum potentes quosque et doctos viros premat, nec eos in populis apparere permittat; illos vero quos scit esse imprudentes, in Ecclesiis faciat esse majores, ubi cæci a cæcis ducuntur in foveam (*Matth.* XV). In hunc sensum facit et illud quod sequitur. *Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos* : quod hi qui servi sunt vitiorum atque peccati, sive tam humiles ut servi ab omnibus computentur, subita a diabolo dignitate perflati vias inanes terant, et nobilis quisque vel prudens paupertate oppressus gradiatur itinere officioque servorum. Alii potentem et principem, a cujus facie ignoratio videtur egredi, Deum exponunt, quod putent homines in hac inæquitate rerum illum non juste, et non quod æquum est judicare. Porro quidam cum superioribus æstimant esse jungendum, ut ipse sit potens, de quo ante hos versus dicitur : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum non dimiseris* (*vers.* 4). Non simus itaque tristes si in hoc sæculo humiles esse videamur, scientes a facie diaboli et stultos sublevari et divites dejici, servos insignia habere dominorum, et principes servorum ingredi vilitate. Notandum autem quod et hic equus in bonam partem accipitur, ut ibi, et equatio tua salus (*Habac.* III, 8). Sic etiam servos natura in equis facit ambulare. Pythagoras vulgo celebratus philosophando, servus erat, quia hoc a natura acceperat; verum de scintilla naturalis rationis rapiens quasi de fomite flammam, ignem clarum accendit : unde philosophando

reluxit, servilem conditionem philosophia celante. Et quis oro equo ita currit, sicut ille philosophando cucurrit? Abstulit Platoni capto a piratis mala fortuna libertatem, quam dederat natura; sed quod eripuit fortuna, ut dicitur, natura recepit. Quod enim casu perdidit, sapiendo redemit. Quam multos tales servos natura in equis ire facit? quot dominos opibus dites et honore potentes, ire super terram sinit, et deorsum sedere, quod non alta petant terræ, pigritando resident? Ita sapientia mundi consonat Ecclesiasti.

Vers. 8. — *Qui fodit foveam, incidet in eam, et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Ex parte simplex, ex parte mysticus intellectus est. Siquidem et alibi ipse Salomon ait: *Qui statuit laqueum capietur in eo* (*Eccli.* xxv); et in psalmo: *Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit* (*Psal.* vii). Sepis autem maceriæque convulsio, ecclesiastica dogmata sunt, et institutio ab apostolis prophetisque fundata. Quæ qui dissolverit, et voluerit præterire, in eo ipso quod negligit a serpente percutitur. De quo serpente et in Amos scriptum est: *Si descenderit in infernum, mandabo serpenti et mordebit eum* (*Amos.* xi). Qualis sit naturæ coluber, Moses sanctus demonstrat: *Erat*, inquiens, *serpens callidior cunctis animantibus* (*Gen.* iii). *Serpens callidior;* sed homo sapientior. Calliditas ergo vitiat, vitium sapientia sapienter evitat. Age, homo, age sapiendo quod coluber facit calliditate. Quando pervenit ad bibendum evomit omne venenum, ne forte sit ei causa mortis vis veneni aqua mista. Ita cum tu, Christiane, ad fidei lavacrum atque vitæ portum pergis, totum peccati venenum evome prius de corde tuo, ne sit tibi morti vis veneni mista vitæ. Nudum hominem timet, persequitur vestitum. Nudos forsitan timebat Adam et Evam, et ne tam timeret, decipit quos timebat. Insequitur adhuc nos vestitos peccatis, confidens quos vicit quod adhuc possit vincere. Novit coluber servare caput si aliquando percutitur, ostendens sedem vitæ esse caput; ita homo servet caput suum Christum, si forte feritur. Cui Christus caput est, in Christo vita sita est. Quando sentit se coluber senescere, jejunat quadraginta diebus, donec deponat senectam cum pelle quam exuit. Vivere quadraginta diebus jejunando cui magis expediat quam nobis inveteratis in peccatis, si volumus juvenescere, deposito senio pro Christo?

Vers. 9, 10. — *Qui transfert lapides, affligetur in eis: et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia.* Volvuntur et in Isaia sancti lapides super terram. Non enim firma in ea statione consistunt, sed prætereunt, et semper ad altiora nitentes hinc abire festinant. De his vivis lapidibus et in Apocalipsi urbs Salvatoris exstruitur (*Apoc.* xxi), et Ecclesiam ædificari Apostolus non tacet. Si quis igitur hæretica arte perversus de

A Ecclesiæ ædificio istos lapides abstulerit, postea tormenta patietur. Quia vero absolute Scriptura ait: *Qui transfert lapides*, et non adjecit bonos sive malos, propterea et e contrario intelligendum, quod ecclesiasticus vir, episcopus videlicet et presbyter, si juxta mandatum Levitici de leprosa domo lapidem abstulerit, in pulverem et cinerem conterendum (*Levit.* xix), dolebit in eo ipso quod de Ecclesia Christi lapidem auferre conatur, dicens secundum Apostolum: *Flere cum flentibus, lugere cum lugentibus* (*Rom.* xii); et: *Quis infirmatur et ego non infirmor, quis scandalizatur et ego non uror?* (*II Cor.* xi). *Et qui ligna scindit, vulnerabitur ab eis.* Hæretici ligna infructuosa sunt, et saltus absque utilitate pomorum. Unde et in templo Dei

B prohibetur plantari (*Deut.* xvi), et vana folio, id est verborum tantum sonantium spernuntur umbracula. Quamvis igitur sit prudens et doctus vir qui gladio sermonis sui hæc ligna concidat, periclitabitur in eis, nisi diligenter attenderit, maxime, si ei hoc quod sequitur acciderit: *Si retusum fuerit ferrum* et faciem ejus turbaverit, id est si disputatio ejus infirmior fuerit inventa, nec acumen habuerit quo contraria quæque secet, sed principale cordis ejus hebetetur, in partem transibit adversum, et confirmabit eum fortitudo perversa. Incipiet tunc fortitudinem, **557** incipiet habere sapientiam quæ superflua est et non adjuvat possidentem. *Si retusum fuerit ferrum et hoc non ut prius, conturbatum erit, virtutibus corroborabitur, et reliquum fortitudinis sapientia est* Si se, inquit, aliquis viderit per negli-

C gentiam amisisse scientiam Scripturarum, et acumen ingenii ejus fuerit obtusum, et turbatus nequaquam manserit qualis esse jam cœperat, evenit quippe interdum, et cum modicum scientiæ quis habuerit, elatus in superbiam, discere desistat et legere, et paulatim ex eo quod ei nihil additur subtrahatur, et vacuum disciplinis pectus permaneat, ferrumque quod acutum fuerat hebetetur; otium enim et desidia quasi quædam rubigo sapientiæ est. Si igitur quis hoc passus fuerit, non desperet remedium sanitatis, sed vadat ad magistrum et rursum instruatur ab eo, et post laborem et industriam sudoremque nimium, valebit sapientiam recuperare quam amiserat. Et hoc est, quod dicitur, *fortitudinibus corroborabitur*, id est labore et sudore et industria et

D quotidiana lectione sapientiam consequetur, et fortitudo ipsius habebit hunc finem ut accipiat sapientiam.

Vers. 11. — *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Simplex hic sensus est. Serpens et detractor æquales sunt. Quomodo enim ille occulte mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens virus pectoris sui effundit in fratrem, et nihil habet amplius a serpente. Cum enim lingua hominis ad benedicendum et ad ædificationem proximi sit creata, ille eam serpenti æquælem facit, dum virtutibus ejus in perversum abutitur. Aliter. Si quem serpens diabolus occulte mo-

morderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, et non egerit ille pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater qui linguam habent ad curandum facile ei prodesse non poterunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat Spice [dispice] ergo, homo, naturam serpentis, et linguam detractoris, et causam videbis quare detractor sit quasi serpens. Moritur serpens si semel percutitur, reviviscit si iterum feriatur. Quidquid per terram trahitur serpendo, serpens nuncupatur. Propterea per serpentem peccator intelligitur, quia terrena quærit, non cœlestia. Sicut serpens moritur si semel feriatur, ita homo moritur peccato si primo ictu feriatur. Dat primum peccanti ictum prima carnis tentatio. Cum enim caro peccat, legis ense nos occidit. Si mens a Deo inspirata secundum ictum donet peccanti, sicut serpentem facit nos reviviscere destructio peccati. Bene enim moritur qui feritur tacente corde. Nam clamando Deum si ad auxiliandum imploret, et confitendo peccata sua Deo grave vulnus monstret, detrahet ei bonus doctor ore suo quidquid contraxit ex amore terræ peccator. Et surgens quasi ipsius virus serpentinum, percussum faciet rursum bene vivere, qui peccando mortuus erat.

Vers. 12, 13. — *Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum ; initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus.* Quam multum differat sapiens ab insipiente docet Ecclesiastes, causas, et vices illorum discernendo. *Verba*, inquit, *oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum.* Quando sapiens loquitur, non solum grata existimantur ejus verba, sed ipsa tibi videtur gratia loqui. Gratia grata facit quodcunque sapientia dicit. Quod si stultitiam certo limite claudere posset sua simplicitas, nihil esset in omnibus rebus, quas bene sapientia gratiaque sapienter disponunt, quod nos posset offendere. Verum quidquid sapientia, quidquid gratia dicit, multo stultorum milite impugnat stultitia. Tales, ut ait Salomon, sua labia præcipitabunt. Pondus est in his paucissimis verbis Ecclesiastis. Non ait, præcipitabunt stultum sua verba, sed præcipitabunt stultum labia sua. Quando loquitur stultus stulto, non præferre verba, sed videtur confuso corde vel ore sonare. Quomodo in dorsum resupina ciconia jactans labia, colliso rostro aera diverberat, ita stulti labia collisa sonant per inane, neque possunt suavem verborum reddere vocem. Potest hoc et de hæreticis accipi, qui prudentium virorum dicta non capiunt, sed se ad disputationes contrarias præparantes, et initium et finem loquendi vanitate tumultuosa et impudenti errore convolvunt, et cum nihil sciant, loquuntur plura quam norunt.

Vers. 14, 15. — *Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit : et qui post se futurum sit, quis ei poterit indicare? Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere.* Aut generaliter de omnibus stultis qui ignorant Deum, aut specialiter de hæreticis disputat. Lege Platonem, Aristotelis evolve versutias, Zenonem et Carneadem diligentius intuere, et probabis verum esse quod dicitur : *Labor stultorum affliget eos.* Veritatem quidem illi omni studio quæsierunt, sed quia non habuerunt ducem et prævium itineris, et humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem minime pervenerunt, de qua in psalmo dicitur : *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges* (*Psal.* LXXII). Omnes enim umbras, diversas, diversas imagines atque personas, quas sibi in variis dogmatibus induerunt, in urbe sua Dominus dissipabit. De qua et alibi scribitur : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV) ; et in Evangelio : *Non potest abscondi civitas super montem posita* (*Matth.* V) ; et in Isaia : *Ego civitas firma civitas quæ oppugnatur.* Siquidem hanc veritatis et sapientiæ civitatem, cum firma sit et robusta, omnes et sapientes sæculi et hæretici impugnare conantur. Et quod de philosophis diximus, hoc etiam de hæreticis sciendum, quod frustra laborent et affligantur in studio Scripturarum, cum ambulent in deserto, et civitatem invenire non valeant. De quorum errore et Psalmista commemorat dicens : *Erraverunt in solitudine, viam civitatis habitaculi non invenerunt* (*Psal.* CVI).

Vers. 16, 17. — *Væ tibi terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt. Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum et non ad luxuriam.* Videtur quidem reprobare juvenum principatum, et luxuriosos judices condemnare, quod in aliis per ætatem sit infirma sapientia, in aliis etiam matura ætas deliciis enervetur : et e contrario probare principem bonis moribus et liberaliter institutum, eos judices prædicare qui nequaquam voluptatem negotiis civium præferant, sed post multum laborem et administrationem reipublicæ cibum capere quasi necessarie cogantur. Verum mihi sacratius quid latere videtur in littera : quod juvenes dicantur in Scripturis, qui a veteri auctoritate desciscunt, et cana parentum præcepta contemnunt, qui neglecto mandato Dei cupiunt statuere traditiones hominum, de quibus et in Isaia Israeli Dominus comminatur, eo quod noluerit aquam Silo, quæ vadit cum silentio (*Isai.* VIII), et veterem piscinam everterit, eligens sibi flumenta Samariæ et gurgites Damasci : *Et dabo*, inquit, *juvenes principes eorum et illusores dominabuntur eis* (*Isai.* III). Lege Danielem, et *Antiquum dierum* invenies Deum (*Dan.* VII). Lege Apocalypsin Joannis, et caput Salvatoris candidum ut nivem, et quasi lanam albam reperies (*Apoc.* I). Jeremias quoque, quia sapiens erat, et cani ejus in sapientia reputabantur, **558** prohibetur juvenem esse se dicere. Væ ergo terræ cujus rex est diabolus, qui semper rerum novarum cupidus, etiam ut Absalon adversus patrem rebellat (II *Reg.* XV), quæ

judices et principes eos habet qui ament hujus sæculi voluptates, qui antequam dies mortis adveniet, dicunt : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (*Isa.* XXII ; I *Cor.* XV). Contra beata terra Ecclesiæ, cujus rex Christus filius ingenuorum, de Abraham et Isaac et Jacob, prophetarum quoque et sanctorum omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, et ob hoc fuerunt liberi. Ex quibus nata est virga liberior S. Maria, nullum habens fructicem, nullum germen ex latere, sed totum fructus ejus erupit in florem, loquentem in Canticis canticorum : *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II). Principes quoque ejus sunt apostoli et omnes sancti regem habent filium ingenuorum, filium liberæ, non de ancilla Agar, sed de Saræ libertate generatum (*Gal.* IV). Nec comedunt mane, nec velociter : non enim in præsenti quærunt sæculo voluptatem, sed tempore suo manducabunt, cum retributionis tempus advenerit. Et manducabunt *ad reficiendum, et non ad luxuriam.* Omne bonum præsentis sæculi luxuria est, futuri perpetua refectio.

VERS. 18, 19. — *In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. In risum faciunt panem, et vinum, ut epulentur bibentes* [*viventes*], *et pecuniæ obediunt omnia.* Domus nostra, quæ cum statu hominis erecta est, et habitatio quam habemus in cœlis, si pigri sumus et ad bona opera tardiores, humiliabitur, et omnis contignatio quæ debet culmen portare sublime, ad terram corruens habitatorem suum opprimet. Cumque auxilium manuum virtutumque torpuerit, omnis desuper tempestas, et nimborum ad nos turbo erumpet. Porro quod in uno homine interpretati sumus, melius potest super Ecclesia accipi, quod negligentia principum omnis ejus corruat altitudo, et ibi vitiorum illecebræ sint, ubi regimen putabatur esse virtutum. In risum faciunt panem ac vinum, ut epulentur bibentes. In pigritia et socordia magistrorum humiliari Ecclesiam, et culmen ejus concidere, et tigna perplui supra exposuimus. Nunc ergo de iisdem magistris loquitur, et quia visus fuerat accusare eos cur tacerent, et non uterentur officio magistrorum, et episcopi et presbyteri in Ecclesia constituti non laborarent in sermone et doctrina, quod et Titus commonetur ut faciat, et Timotheo præcipitur, ne gratiam negligat quam per impositionem manus acceperat ; sed in eo se æstimarent presbyteros et episcopos, ut salaria acciperent, et muti præceptores honorem duplicem quærerent qui laborantibus in doctrina et sermone debetur. Nunc e contrario accusat eos qui loquuntur in Ecclesia et docent populos, sed ea docent quæ populum audire delectat, quod peccatorem palpet in vitio, et strepitus concitet audientium. Nonne quando in Ecclesia lascivit oratio, et beatitudinem et regnum cœlorum multitudini pollicetur, videtur tibi in risum panem facere, et vinum miscere bibentium, sive quod ipsi qui docent divitias et cibos et opes per delectabilia pro- A missa conquirant, sive quod Ecclesiæ, qui panis lugentium est et non ridentium, beati quippe lugentes quoniam ipsi ridebunt (*Matth.* V), in lætitia gaudioque conficiantur. Quod autem sequitur ; *et pecuniæ obediunt omnia*, dupliciter accipiendum, vel ipsos doctores postquam adulatione ditati sunt regnum in populis exercere, vel certe, quia argentum pro sermone semper accipitur, *eloquia enim Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Psal.* XI), hoc asseverat quod eloquentiæ et orationi quæ verborum sit fronde composita, facile vulgus cedat ignobile. Qui habent apud se sponsum, et propterea lugere et jejunare prohibentur (*Matth.* XI), in risu faciunt panem, a quo risu et Isaac nomen accepit (*Gen.* XXI), et in lætitiam bibentium vinum præparant. Omnis itaque B vir sanctus, qui ut Christus præcepit magister Ecclesiæ est, et in risu, et in lætitia panem facit, et vini pocula ministrat in gaudio. Argentum quoque cui obediunt omnia, quinque illa de Evangelio, et duo et unum patris familiæ sunt talenta, et decem gemmæ quæ servis in negotiatione creduntur (*Matth.* XXV : *Luc.* XIX).

VERS. 20. — *In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti : quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.* Et simplex præceptum ædificat audientes, ne ira et furore superati, in maledictum et detractionem regum et principum prorumpamus, quia contra spem interdum evenit, ut his quibus malediximus nuntietur, et incurramus periC culum immoderatione linguæ. Quod autem ait, *avis portabit vocem tuam, et qui habet pennas, annuntiabit sententiam*, hyperbolice intelligendum, quomodo solemus dicere etiam ipsos parietes, quibus consciis loquuntur quæ audierint, non elaturos. Sed melius est sic audire præceptum, ut sciamus nobis esse mandatum, non solum contra Christum temere nihil esse loquendum, verumetiam in arcanis cordis, quamvis variis tribulationibus coarctemur, nihil blasphemum, nihil impium sentiendum sit. Et quia dilectionem quam Christo exhibemus, debemus et proximo, *diliges quippe Dominum Deum tuum, et proximum tuum sicut teipsum* (*Jac.* XI), etiam hoc jubetur, ne post tergum de sanctis quoque detrahamus, et eos quos viderimus scientia, sapientia, virtutibusque D ditatos linguæ mordacitate rodamus, quia angeli qui terram circumeunt et sunt administratorii spiritus, et in Zacharia loquuntur : *Circuimus terram et, ecce omnis terra quiescit* (*Zach.* I), ad instar avium nostra verba et cogitationes ad cœlum perferunt, et clam cogitamus Dei scientiam nos latere.

CAP. XI, VERS. 1. — *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Ad eleemosynam cohortatur, quod omnis petenti dandum sit, et indiscrete faciendum bene. Quomodo enim qui super irrigua seminat fructum sementis exspectat, ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit fœnore

quodam multiplicationem illius, et cum dies judicii venerit, multo amplius quam dederat reperturus. Aliter : In quocunque homine illam aquam videris de qua dicitur : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII), ne te pigeat panem sapientiæ, panem rationabilem, panem præstare sermonis. Si enim hoc frequenter feceris, invenies te non incassum doctrinam jecisse sementem.

Tale quid et in Isaia dictum puto : *Beatus qui seminat super aquam, ubi bos et asinus calcant.* (*Isa.* XXXII), quod ille magister beatitudine dignus habeatur, qui super irriguum pectus seminet audientium, tam Judæis, quam e gentibus populo congregato. Non erat procul a physica Ecclesiastes ratione, cum panem super aquas mittendum censebat. Aqua enim est una de quatuor elementis, cui sicut in speculo nostra relucet imago. Plerumque cernis in aqua, cum facies tua stet de contra, qualis sis, quid facias, ubi te aut quomodo vertas. Vult Salomon ut super has aquas mittat homo panem, ut quæ fiant bona, speculetur in illis. Qui seipsum videt in speculo, in se videt quid pulchri desit sibi, quid turpiter insit. Quicunque bene corrigit actus suos se speculans in aquis, inveniet panem vitæ refluentem per aquas.

559 VERS. 2.— *Da partes septem, necnon et octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Et in Ezechiele septem et octo gradus ad templi leguntur ascensum (*Ezech.* XL), et post ethicum illud psalmum quindecim graduum psalmi sunt, per quos erudimur primum in lege (*Psal.* CXVIII), et septenario numero expleto, postea per ogdoadem ad Evangelium scandimus. Præcipimur ergo ut in utrumque Testamentum tam Vetus scilicet quam Novum pari veneratione credamus. Judæi dederunt partes septem, credentes in Sabbato, sed non dederunt octo, Resurrectionem diei Dominicæ negligentes. E contrario hæretici Marcion et Manichæus et omnes qui veterem legem rapido ore dilaniant, dant partes octo suscipientes Evangelium, sed eamdem septenario numero non tribuunt, Instrumentum veterum respuentes. Nos igitur Instrumento utrique credamus. Non enim possumus dignos cruciatus dignamque pœnam jam nunc mente comprehendere, quæ reposita est his qui versantur in terra Judæis atque hæreticis e duobus alterum denegantibus.

VERS. 3. — *Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Serva mandata quæ tibi superius sunt præcepta, ut nubes super te fundant imbrem suum. Ubicunque enim tibi locum præparaveris, futuramque sedem, sive ad austrum sive ad boream, ibi cum mortuus fueris, permanebis. Aliter : Propterea supra diximus (*vers.* 7) : *Mitte panem tuum super* faciem aquæ, *et omni petenti te tribue* (*Luc.* XI), quia et nubes cum plenæ fuerint divitias suas mortalibus largiuntur, tu quasi lignum, quamvis longævus sis, non eris in perpetuum, sed subito ut ventorum, ita mortis tempestate submersus, ubicunque cecidetis, ibi permanebis jugiter, sive te rigidum et trucem, sive clementem et misericordem ultimum tempus invenerit. Aliter : Dicitur in psalmis ad Deum : *Veritas tua usque ad nubes* (*Psal.* XXXV); et in Isaia peccanti Deus vineæ comminatur : *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem* (*Isai.* V). Nubes igitur sunt prophetæ, et omnis vir sanctus. Qui cum in corde suo plures congregaverit disciplinas, tunc valebit præcepta pluere doctrinarum et dicere : *Exspectetur sicut pluvia sermo, et effundatur super terram imbrem* (*Deut.* XXXII) : ad quam dictum est : *Audiat terra verba oris mei* (*ibid.*). Quod autem sequitur : *Et si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in loco ubi ceciderit lignum ibi erit.* Illud de Habacuc sumamus exemplum in quo scribitur : *Deus ab austro veniet* (*Habac.* III). Et quantum ego existimo, semper in bonam partem auster accipitur, in malam aquilo, ut ibi : *Surge, aquilo* (*Cant.* IV), hoc est recede et abi, *et veni, auster* (*ibid.*). Lignum ergo quod in hac vita corruerit, et conditione mortalitatis fuerit incisum, et peccavit ante dum staret, in boreæ postea parte ponitur; aut si dignos austro fructus attulit, in plaga jacebit australi, nec est aliquod lignum quod non aut ad aquilonem sit aut ad austrum. Hoc idem significat et illud quod scriptum est : *Dicam aquiloni da, et austro noli prohibere* (*Isai.* XLIII.). Nunquam enim austro et orientali vento præcipitur ut adducant, quia apud alias plagas esse eos oportet qui ad orientem et austrum postea deducantur. Aquilo igitur ad austrum adducit, et Africus ad Orientem habitatores suos. Nec enim possunt proficere, si in pristinis sedibus perseverent.

VERS. 4, 5. — *Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compinguntur ossa in ventre prægnantis : sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Qui considerat cui benefaciat, et non omni petenti se tribuit, sæpe præterit eum qui meretur accipere. Aliter : Qui tantum eo tempore Dei verbum prædicat, quo populus libenter auscultat, et secunda aspirat aura in mores, sator negligens est, et ignavus agricola. In ipsis enim prosperis, dum nescimus, adversa consurgunt. Sed opportune, importune, suo tempore Dei sermo est prædicandus, nec fidei tempore adversariarum nubium consideranda tempestas. De qua in Proverbiis dicitur : *Sicut pluvia vehemens et inutilis, sic qui dereliquerunt sapientiam, et impietatem laudant* (*Prov.* XXVIII). Absque consideratione enim nubium et timore ventorum, in mediis tempestatibus seminandum est : nec dicendum illud tempus commodum, illud inutile, cum ignoremus quæ via et quæ voluntas sit spiritus universa dispensantis. Sicut ergo nescit viam spiritus et animæ ingredientis in parvulum, et ignoras ossium et venarum varietates, et in ventre prægnantis quomodo ex vili elemento corpus hominis in diversas effigies artusque vario-

tur, et de eodem semine aliud mollescat in carnibus, aliud duretur in ossibus, aliud in venis palpitet, aliud ligetur in nervis; ita Dei opera scire non poteris, qui factor est omnium. Ex quo docet contraria non timenda, nec temere de ventis et nubibus, quas supra diximus, judicandum, cum suo tenore et cursu debeat sator pergere, et eventum Domini sententiæ reservare. *Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX).

VERS. 6. — *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua; quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: et si utrumque simul melius erit.* Quem mittit Salomon ad serendum mane et vespere semen suum, ipsum mittit Dominus Jesus mane ad putandam vineam. Quod Salomon dicit, *non cesset manus tua*, hoc Dominus undecima vacantibus ait: *Quid hic statis tota die otiosi?* (*Matth.* XX.) Mane somniat, et mane colit putando vineam, quicunque Deo famulatur a primo mane ætatis. Sero seminat et sero colit fodiendo vineam, qui nihil servit matutino vitæ tempore, sed postremo vitæ tempore reversus ad se et ad cor suum, quam tarde et sero fructum bonum sibi quærit, ita redimendo tempus donec vitæ terminet horam. Qui a mane tulerunt *pondus diei et æstus* (*ibid.*), dicit Dominus. *Erunt primi novissimi, et novissimi primi* (*ibid.*). Sic et Salomon modo dicit: *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua.*

VERS. 7, 8. — *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Quæ sit hominis sors, ex verbis Ecclesiastis palam est. Semper vivit in nobis lucis amor dum vivimus et valemus, qui mente exit novissimus. Quid ita nos delectat, quam clarum videre solem? Sed hæc dulcedo ne sit tibi noxia vitæ tuæ, et ne læteris plus quam necesse est aspicere solem, animadverte quomodo res examinet Ecclesiastes. *Si*, ait, *annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum.* Quos non esse breves, imo longos et perennes, ostendit mors æterna vel vita perpetua. Tua dulcedo vitæ tuæ fiet tibi amara, cum pro luce vitæ brevis tenebras patieris, et omnia pro vanis et caducis reputabis. Istas res et causas cum suggerit Ecclesiastes, monet nos ut veræ lucis dulcedine perfruamur, quoniam dulcedo præsentis lucis, dulcedo vitæ istius, non est æterna. Sed hortatur, ut verum solem mundo corde videamus. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Non semper bonum est præsentem videre solem, qui plerumque **560** reverberata luce gravare solet aspicientes. Sol nimio splendore suo nos aliquando perurit. *Vera lux Deus est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (*I Joan.* I). Sicut Deus est tanquam lux, neque lux est quod Deus ipse, ita Deus est quasi sol, neque sol est quod ipse Deus. Cum ideo appelletur sol quia solus lucet in mundo, obtusis

A omnibus stellis ejus lumine, propterea verus sol Deus est, quia solus ubique lucet, procedens ab ore Patris sicut calor ex sole. Istum solem non vidit quarta dies splendescere, sed ante illuxit quam sæcula tempus haberet, a seipso enim super omnia sæcula lucet.

VERS. 9. — *Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Dixerat lucem mundi hujus esse dulcissimam, et lætari debere hominem in diebus vitæ suæ, omnique studio capere voluptatem: ingruere enim noctem mortis æternam, quando non liceat perfrui congregatis, et quasi umbram universa quæ habuimus pertransire. Nunc ergo juve-
B nem cohortatur et dicit: O adolescens, antequam et senectus et mors ingruat, lætare in juventute tua, et quidquid tibi corde bonum, aspectu jucundum videtur assume, fruere ut libet mundi rebus. Rursum ne putaretur hæc dicens hominem ad luxuriam provocare, et in Epicuri dogma corruere, suspicionem hanc abstulit inferens: *Et scito* quoniam super *his omnibus adducet te Deus in judicium.* Sic, inquit, abutere mundi rebus, ut scias te in ultimo judicandum.

VERS. 10. — *Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua, adolescentia enim et voluptas vana sunt.* In ira omnes perturbationes animi comprehendit, in carnis malitia universas significat corporis
C voluptates. Sic ergo, inquit, bonis hujus sæculi fruere, ne aut desiderio aut carne delinquas. Relinque antiqua vitia, quibus in adolescentia tua vanitatis stultitiæque serviisti, quia juventus insipientiæ copula est.

CAP. XII, VERS. 1. — *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.* Sæpe memento Creatoris tui, et sic adolescentiæ vitam gradere, ut mortis ultimæ recorderis, antequam tibi tempus adveniat, quo tristia quæque succedant.

VERS. 2. — *Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam.* Si de generali consummatione mundi accipimus, verbis Domini hoc capitulum congruit, in quibus
D ait: *Erit tribulatio et angustia, qualis non fuit a principio creaturæ, sed neque fiet. Sol enim tenebrescet, et luna non dabit lucem, suam et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum movebuntur* (*Matth.* XXIV), quæ custodes domus, ita ut domus intelligatur hic mundus, viri vero fortes errore decepti, et dissipandæ contrariæ fortitudines. Quod si specialis uniuscujusque consummatio, ad vitæ hujus finem refertur, et sol et luna et stellæ et nubes et pluviæ ei esse cessabunt qui mortuus fuerit. Aliter. Lætare adolescens, o popule Christiane, et fruere bonis quæ a Deo tibi concessa sunt, et in his omnibus scito te a Domino judicandum. Ne putes quia priores rami

fracti sunt et tu insertus es in radicem bonæ olivæ, idcirco te esse securum. Sed aufer iram a corde tuo, et a corpore voluptates; et cæteris vitiis derelictis, memento Creatoris tui antequam tibi dies malitiæ, dies veniat insanabilis, in qua peccantibus pœnæ sunt præparatæ, ne cum peccaveris occidat tibi sol justitiæ meridie, et scientiæ lumen intereat, et splendor lunæ, id est Ecclesiæ subtrahatur, et stellæ occidant, de quibus scriptum est et alibi: *Stella a stella differt in claritate* (*I Cor.* xv). Antequam revertantur nubes post pluviam, ne prophetæ qui corda credentium suo sermone suis pluviis irrigaverint, postquam te imbre suo indignum esse perspexerint, revertantur ad sedem suam, ad eum scilicet a quo missi sunt.

VERS. 3. — *Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi. Custodes domus* aut sol intelliguntur et luna, et reliquus astrorum chorus, aut angeli qui huic mundo præsident. *Viri* vero *fortissimi* dæmones sentiuntur, a forti diabolo etiam ipsi fortium sortiti vocabulum, quem Dominus superans et ligans, juxta Evangelii parabolam vastat domum ejus (*Luc.* IX). Aliter: *Custodes domus*, qui ad corpus hominis referunt cuncta quæ scripta sunt, costas significari putant, quod ab ipsis intestina vallentur, et tota ventris mollitudo servetur. Viros vero fortissimos crura æstimant, solem et lunam et stellas ad oculos, nares et aures ad totius corporis coaptant. Hoc autem ideo, quia inferius necessitate coguntur non de angelis et dæmonibus, sole, et luna et stellis, sed de hominis membris intelligere quæ sequitur. Et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per se foramina. In consummatione mundi cum *refrixerit multorum charitas* (*Matth.* XXIV), et imminutæ fuerint animæ magistrorum, quæ possunt cœlestem cibum præbere credentibus, translatæque in cœlestia, tunc incipient hi qui ex parte in hoc mundo intuebantur lumen scientiæ, involvi tenebris. Si enim Mosi dicitur: *Ponam te in foramine petræ, et sic posteriora mea videbis* (*Exod.* XXXIII), quanto magis unaquæque anima per foramen et quasdam tenebrosas cavernas aspicit veritatem? Aliter: Cessare molentes quia imminutæ sunt, de dentibus dictum putant, quod cum extrema senectus advenerit, dentes quoque atteruntur aut decidunt, de quibus permoliti cibi in alvum transmittuntur. Tenebrescere autem videntes in foraminibus oculos arbitrantur, quibus ætate confectis caliget acies, et intuitus obscuretur.

VERS. 4. — *Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris.* Cum vox fuerit molentis infirmata, et magistrorum doctrina cessaverit, consequenter cessabunt omnia, inter quæ et ostia claudentur in platea, juxta fatuas Evangelii virgines unusquisque clausas habeat suæ plateæ januas, et illæ oleum emere non possint. Vel certe fatuis virginibus circuentibus in platea, claudent cubiculum sponsi qui cum eo intraverunt

A (*Matth.* XXV). Si enim *arcta et angusta est via quæ ducit ad vitam, et lata spatiosa quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII), recte refrigescente charitate multorum, ostium doctrinarum clauditur in plateis. Sequenti autem versiculo in eo quod ait: *Et consurgent ad vocem volucris* sive passeris, utemur interprete, si quando videremus peccatorem ad vocem episcopi vel presbyteri per pœnitentiam consurgentem. Potest quoque hoc quamvis extraordinarie, etsi contextum capituli non sequimur, de legitima resurrectione accipi, quando ad vocem archangeli resurgent mortui (*I Thess.* IV). Nec mirandum si angeli tubam passeri comparemus, cum omnis vox ad Christum comparata sit tenuis. Et quantum cum meo possum animo recordari, nunquam passerem

B in malam partem legisse me novi. Loquitur in psalmo decimo justus: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer* (*Psal.* X)? et alibi: *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Psal.* CI); et in alio loco: *Etenim passer invenit sibi domum* (*Psal.* LXXXIII). Aliter: Clausas in plateis januas infirmas senis gressus accipi volunt, quod semper sedeat et ambulare non possit. Humilitatem **561** autem vocis molentis de mandibulis interpretantur, quod cibum terere nequeant, et vix spiritu coarctato vox ejus tenuis audiatur. Porro consurgere eum ad vocem volucris ostendit, quod frigescenti jam sanguine et humore siccato, quibus materiis sopor alitur, ad levem sonitum evigilet, noctisque medio cum gallus cecinerit, festinus surgat, nequaquam valens strato sæ-

C pius membra convertere. Obsurdescere quoque filias carminis aures significat, quod gravior senum auditus fiat, et nulla inter voces valeant scire discrimina, nec carminibus delectari. Quod quidem et Berzellai loquitur ad David, nolens transire Jordanem (*II Reg.* XIX).

VERS. 5. — *Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via.* Id est ardua ingredi non valebunt, et lassis poplitibus ac tremente vestigio, etiam in plano itinere fluctuantes, offensam gressuum formidabunt. *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes.* Per methaphoram etiam nunc de membris hominis Ec-

D clesiastis sermo est, quod cum senectus advenerit, capillus incanuerit, tumuerint pedes, libido refrixerit, et homo morte fuerit dissolutus, tunc revertatur in terram suam, et in domum æternitatis suæ sepulcrum, exsequiisque rite celebratis, plangentium funus, turba præcedat. Florem autem amygdali quidam sacram spinam interpretantur, quod decrescentibus natium carnibus, spina succrescat et floreat. Per capparim ergo significatur quod senum libido refrigescat, et organa coitus dissipentur.

VERS. 6-8. — *Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam, et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spi-*

ritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes et omnia vanitas. Revertit ad superiora, et post grande hyperbaton, quod ab eo loco interjecerat, ubi ait : *Et memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam tenebrescat sol et luna*, etc.; nunc cœptam sententiam simili fine concludit dicens, *antequam rumpatur funiculus argenteus*, et illud, et illud fiat. Funis autem argenteus, candidam hanc vitam, et spiramen quod nobis e cœlo tribuitur, ostendit. Recursus quoque vittæ aureæ animam significat quæ illuc recurrit unde descenderat. Porro duo reliqua quæ sequuntur, contritio hydriæ super fontem, et confractio rotæ super lacum, per metaphoram mortis ænigmata sunt. Quomodo enim hydria quæ conteritur cessat haurire, et rota per quam de lacu et puteis levantur aquæ si confracta fuerit, aquæ usus intercipitur, ita cum funis argenteus fuerit interruptus, et animæ rivus recurrerit ad fontem, interibit homo, et, ut manifestius sequitur, revertitur pulvis in terram suam, unde sumptus est, et spiritus convertitur ad Deum qui dedit illum. Ex quo satis ridendi, qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parente generari. Cum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, manifestum est Deum parentem animarum esse, non homines. Post descriptionem interitus humani, pulchre exordium libri sui repetens ait : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.* Cum enim cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine disputatum est, huc perveniat *ut revertatur pulvis in terram suam*, et anima illuc redeat unde sumpta est, magnæ vanitatis est in hoc sæculo laborare, et nihil pro futuro conquirere.

VERS. 9, 10. — *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit quæ fecerat : et investigans composuit parabolas multas. Quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos.* Sapientiam qua prævenit Salomon omne humanum genus, nunc quoque in fine sui opusculi profitetur, quod non fuerit veteris regis institutione contentus, sed in profundas se ultro demerserit quæstiones, et ad docendum populum proverbia et parabolas composuerit, aliud habentes in medulla, aliud in superficie pollicentes. Proverbia quippe non hoc sonare quod scriptum est etiam in Evangeliis edocemur, quod Dominus populo in parabolis et in proverbiis sit locutus, secreto autem apostolis dissolverit ea (*Marc.* IV). Ex quo manifestum est et proverbiorum librum non ut simplices arbitrantur patientia habere præcepta, sed quasi in terra aurum et in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altius perscrutandum. Super hoc addit etiam causas naturasque rerum se voluisse cognoscere, et Dei dispositionem et prudentiam, quare unumquodque vel quomodo factum sit scire voluisse, ut quod David post dissolutionem corporis et animæ cœlos reversurum se sperat esse visurum dicens, *Videbos cœlos*

A *opera digitorum tuorum* (*Psal.* VIII), hoc nunc in præsenti Salomon visus fuerit invenire, ut veritatem soli Deo cognitam, corporis vallata septo, mens humana comprehenderet.

VERS. 11. — *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.* Ne videretur post legem Domini temerarius subito præceptor erumpere, et vindicare doctrinam quam Moyses non tam sua sponte, quam Deo irascente primum, dehinc inspirante susceperat, dicit verba sua verba esse sapientium, quæ in similitudinem stimulorum corrigant delinquentes, et pigros mortalium gressus aculeo pungente commoveant, sicque firma sint quasi clavi in altum solidumque defixi, nec auctoritate unius, sed consilio atque consensu magistrorum

B omnium proferantur. Et ne contemneretur humana sapientia, ait eam ab humano pastore concessam, id est, licet plurimi doceant, tamen doctrinæ unius auctor est Dominus. Facit hic locus adversus eos qui alium legis veteris, alium Evangelii æstimant Deum, quod unus pastor consilium prudentium instruxerit; prudentes autem tam prophetæ sunt quam apostoli. Simul et hoc notandum quod dicantur verba sapientium pungere, non palpare, nec molli manu attrectare lasciviam, sed errantibus, et ut supra diximus, tardis pœnitentiæ dolorem et vulnus infligere. Si cujus igitur sermo sapientis, verba quippe sapientis ut stimuli. Quæ cum ad conversionem provocant delinquentem et firma sunt, et a consilio sanctorum data, atque ab uno pastore concessa,

C et solida radice fundata sunt. Hoc stimulo nondum Paulum, sed adhuc Saulum puto in via confossum erroris audisse : *Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Act.* IX).

VERS. 12. — *His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis : frequens meditatio, carnis est afflictio.* Exceptis his verbis quæ ab uno pastore sunt data, et a consillio atque consensu probata sapientium, nihil facias, nihil tibi vindices. Majorum sequere vestigia, et ab eorum auctoritate non discrepes. Alioquin quærenti multa infinitus numerus librorum occurret, qui te pertrahat ad errorem, et legentem frustra faciat laborare. Vel certe doceat brevitati studendum, et sensus magis sectandos esse quam verba, adversus philosophos et sæculi

D hujus doctores, qui suorum dogmatum falsitates conantur asserere varietate ac multiplicatione sermonum. Contra Scriptura divina brevi circulo coarctata est, et quantum dilatatur in sententiis, tantum in sermone constringitur. Quia consummatum breviatumque **562** sermonem fecit Dominus super terram (*Rom.* IX), et verbum ejus juxta est in ore et in corde nostro (*Deut.* XXX). Aliter. Frequens lectio et quotidiana meditatio, animæ solet magis labor esse quam carnis. Quomodo enim quidquid manu et corpore fit, manus et corporis labore completur, ita quod ad lectionem pertinet magis mentis est labor. Ex quo mihi videntur superiora de multitudine libro

rum aliter sentienda quam plerique existimant. Moris est Scripturarum, quamvis plures libros, si inter se non discrepant et de eadem re scribant, unum volumen dicere. Siquidem et Evangelium et lex Domini immaculata convertens animas singulariter appellantur (*Psal.* XVIII), cum plura Evangelia et multa mandata sint legis. Sic et volumen in Isaiæ sermone signatum (*Isa.* XXIX) omnis Scriptura divina est, et uno capitulo libri Ezechiel Joannesque vescuntur (*Ezech.* II; *Apoc.* X). Salvator quoque omnium retro sanctorum vocibus prophetatus ait : *In capite libri scriptum est de me* (*Psal.* XXIX). Juxta hunc igitur sensum arbitror nunc præceptum, ne plures libri fiant. Quidquid enim dixeris, si ad eum referatur qui in principio erat apud Deum, Deus verbum (*Joan.* I) unum volumen est, et innumerabiles libri una lex, unum Evangelium nominantur. Quod si diversa et discrepantia disputaveris, et curiositate nimia huc atque illuc animum adduxeris, etiam in uno libro multi libri sunt. Unde dictum est: *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X). Talibus igitur libris non est finis. Bonum enim omne, et omnis veritas, certo fine concluditur: malitia vero atque mendacium sine fine sunt. Et quanto plus requiruntur, tanto major eorum series nascitur. Super hac re studium atque meditatio labor carnis est. Carnis, inquam, non spiritus. Habet siquidem et spiritus laborem suum, juxta illud quod Apostolus ait: *Plus autem omnibus illis laboravi. Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV). Et Salvator : *Laboravi clamans* (*Psal.* LXVIII).

VERS. 13.— *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo ; et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Aiunt Hebræi, cum inter cætera scripta Salomonis quæ antiquata sunt non in memoria duraverunt, et hic liber oblitterandus videretur, eo quod vanas Dei assereret creaturas, et totum putaret esse pro nihilo, cibum et potum et delicias transeuntibus præferret omnibus: ex hoc uno capitulo meruisse auctoritatem, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quod totum disputationem suam et omne catalogum in hoc coarctaverit, et dixerit finem sermonum suorum auditu esse promptissimum, nec aliquid in se habere difficile, ut scilicet timeamus Deum, et ejus præcepta faciamus. Ad hoc enim natum esse hominem, ut Creatorem suum intelligens, veneretur eum metu et honore et opere mandatorum Dei. Siquidem cum judicii tempus advenerit, quidquid a nobis gestum est stare sub judice, et ancipitem diu exspectare sententiam, et unum- A quemque recipere pro opere suo sive mali quid egerit, sive boni (*II Cor.* V). Nam et de omni otioso verbo, et non voluntate sed ignoratione prolato, reddituri sumus rationem in die judicii (*Matth.* XII). Aliter: Quia timor servorum est, et *perfecta dilectio foras mittit timorem* (*I Joan.* IV), et in Scriptura divina tam insipientium quam perfectorum duplex appellantur metus, nunc de consommato in virtutibus metu dici puto, secundum illud: *Nihil deest timentibus eum* (*Psal.* XXXIII). Vel certe quia adhuc homo est, et necdum Dei nomen accipit, hanc habet rationem substantiæ suæ, ut in corpore positus Deum timeat, quia omne factum, id est omnes homines adducat Deus in judicium, super universis quæ aliter quam ab eo disposita sunt et dicta senserunt, sive B in hanc partem sive in illam. *Væ quippe his qui dicunt malum bonum et bonum malum* (*Isa.* V).

Mollis est animus diligentis, et ad omnem sensum doloris argutus, frater dilectissime Gregori, quem si negligentius tractes, cito mulcet ut rosa, si durius teneas, liquet ut lilia. Me legisse memini, vultu sæpe lædi pietatem. Propterea et si amore convenior, ne sim circa te rarus officii, nunc tamen libentius quam sæpe alias scribendi munus insisto. Primo quod ambitio Domini nostri Guillelmi quodam viatico carere non debuit, deinde quod libellum meum, quem super Ecclesiasten te jubente peregi, putavi plusculum commendationis habiturum, si tibi per eum quem sancte et non ficte diligis mitteretur. Fit enim plerumque ut levia rerum portitor festivus C exornet. Viget in eo vena fraterna. Sed vereor protelare testimonium meum, ne magis laudi ejus obsecutus judicet quam pudori. Nam quorum honesta mens est, eorum imbecilla frons est. Adulatorumque assentationes et noxia blandimenta fallaciæ, velut quasdam pestes animæ fugere debemus. Nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci et molli vulnere animum feriat. Unde et Sapiens ait : *Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora mentis* (*Prov.* XVIII). Isto maxime tempore regnat hoc vitium : quodque est gravius, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur. Et ita fit, ut qui adulari nescit, aut invidus aut superbus putetur. Congratulor ergo tibi, charissime, et nascentem amicitiam ut Dominus fœnerari dignetur precor. Ego cinis, et vilissima pars luti, et jam favilla fu- D turus, satis habeo si splendorem morum tuorum imbecillitas oculorum meorum sustineat. Tu mundus es, et tanquam nix dealbatus, ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem.

R. D. D. RUPERTI
ABBATIS TUITIENSIS

IN OPUS
DE GLORIA ET HONORE FILII HOMINIS
SUPER MATTHÆUM
PROLOGUS.

563 Exigis a me, o philochriste Cuno, venerabilis quondam abbas cœnobii Sigeburgensis, nunc autem præsul Ecclesiæ Ratisponensis, novum condere opus, De gloria et honore Filii hominis constituti super opera manuum Patris, sive sedentis ad dexteram majestatis in excelsis, ut omnia subjiciantur ei (*Hebr.* I), et hujusce operis ædificium construere super Evangelii fundamentum, Evangelii secundum Matthæum. O quam optabile mihi est, et tibi esse dicis, ut, quoniam novissimum, te monitore et pene præceptore, nuper edidi opus De victoria verbi Dei, scribere nunc merear digne de gloria et honore (ut jam dictum est) Filii hominis, propter spem repositam in veritate ejusdem Dei et hominis, dicentis : « Ex verbis tuis justificaberis (*Matth.* XII). » Tute scis quam impatienter hactenus te hoc exigentem audierim, quam asper et pene intractabilis econtra fuerim, Unde hoc ? Videlicet ex multis causis. Multis namque modis me non minus quam te angustat cura domus Domini, quæ credita est mihi. Præterea non facile est homini peccatori os suum aperire et attrahere spiritum (*Psal.* CXVIII), cum sit hoc illorum duntaxat qui desiderant mandata Domini. Adde (quod ipse nosti, quod audisti et vidisti) quia scripta mea sic plerique legunt, ut insidientur mihi. Unde et contingit eis illud quod hic idem Filius hominis glorificandus et honorandus dixit : « Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit (*Matth.* VI). » Poteram ego jam hic in capite sermonis, illi, quem bene nosti, respondere juxta quod meruit : qui quoniam non simplici oculo legit, ambulavit in tenebris, et ita offendit, ut semetipsum non solum invidum, verum etiam demonstraret satis imperitum. Maledictis, quæ in me concitavit, non injustum elogium scripto redderetur, sed. « Mihi vindicta et ego retribuam, dicit Dominus (*Deut.* XXXII : *Rom.* XII). » Cum Semei filius Gera, filii Jemini, maledictione pessima malediceret David, mittens lapides adversus eum, terramque spargens : « Dimittite eum, ait David, ut maledicat, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna (*II Reg.* XVI). Dixi causas quæ benevolum circa Scripturas sacras perturbant animum. Sic turbæ præcedentes atque sequentes volentem videre Jesum quis esset, et currentem ad videndum impediebant Zachæum, statura pusillum (*Luc.* XIX). Sic Pharisæi murmurabant, propterea quod divertisset Jesus ad hunc ipsum apostolum et evangelistam Matthæum (*Matth.* IX), id est donatum. At ille perseverans, magnum fecit ei convivium in domo sua. Similiter quisquis de supernis spirituali donatus est gratia, perseverantiam habens inter turbas curarum, inter detractiones invidorum currere debet ad videndum Jesum, ad contemplandum Salvatorem suum, ut in domo pectoris sui suscipiat eum, faciatque illi, si plus non potest, saltem boni ac fidelis sermonis convivium, quia sermo bonus super datum optimum (*Prov.* XV). Igitur adsit ipse, qui hunc hominem publicanum vidit, et videndo apostolum atque evangelistam fecit. Et tunc demum quod exigis, mihique esse optabile sensi, conabor assequi, proposita spe supernæ consolationis.

LIBER PRIMUS.

564 « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth.* I) : » liber iste, liber cœlestis est; et econtra liber generationis Adam, liber terrenus est, de quo sic scriptum est : « Hic est liber generationis Adam in die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam, in die de quo creati sunt (*Gen.* V). » Sicut primus ille homo de terra, terrenus ; novissimus vero iste de cœlo, cœlestis (*I Cor.* XV) » : ita liber ille generationis Adam, liber terrenus, et iste liber generationis Jesu Christi, liber est cœlestis. In illo libro terreno omnes reprobi scripti sunt, juxta illud : « Domine, omnes qui te derelinquunt, con-

fundentur : recedentes a te, in terra scribentur (*Jer.* xvii).» In isto scripto scripti sunt omnes electi, quibus ipse Dominus : « Gaudete, inquit, quia nomina vestra sciptasunt in cœlis (*Luc.* x). » Et omnes quidem, tam eleccti quam reprobi, in terra sive terreno libro conscripti fuerunt, ex peccato primi illius hominis, in quo omnes peccaverunt : sed per justitiam novissimi hujus hominis, omnes electi transcripti sunt in libro vitæ, libro generationis Jesu Christi, per quem justificati sunt (*Rom.* v). Quomodo in isto tali libro transcripti sunt? Nimirum credendo in hunc Jesum Christum, quemadmodum de primo patrum generationis hujus Abraham scriptum est : « Credit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Gen.* xv ; *Rom.* v). » In quo enim credidit Deo ut justificaretur, nisi in promissione seminis, quod est hic idem Jesus Christus ? Dixerat enim illi Deus : « Suspice cœlum et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum (*Gen.* xx). » Et in hac promissione fuerat egressus de terra et de cognatione sua: « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*ibid.*), » quod Christus est. Cum igitur audis, « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, Abraham genuit Isaac (*Matth.* i), » etc., ne parvum tibi facias librum hunc, non illud solum attendas quod Abraham secundum carnem genuit Isaac, et Isaac secundum carnem genuit Jacob, similiterque de cæteris : sed hoc potius, quod et Abraham secundum promissionem genuit Isaac, et Isaac secundum promissionem genuit Jacob. Hoc namque animadverso, prolixius liber et grandis pagina per singulas fere genituras apparet, dum promissionis verbum in memoria repositum, recogitare facit quid et qualiter ad illos Patres sanctos Deus locutus est. Jam hic considerandum est de hoc ipso generationis libro, quod ita terminatus est : « Jacob autem genuit Joseph (*ibid.*). » Nonne illam potuisset lineam sequi qua perveniret ad eum qui Mariam secundum carnem genuit, nisi potiorem illam æstimaret genituram, quæ est fidei sive promissionis ; quæ est auditio sive observatio Verbi Dei ? Siquidem et ipse Dominus hoc attestatur, nosque cognoscere vult, qui, ubi extollens quædam mulier vocem de turba, dixit : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. — Quinimo, » ait, « beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud (*Luc.* xi). » Et alibi : « Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus et frater et soror et mater est (*Matth.* xii). » Felices itaque quorum etsi caro patres sive generationem Jesu Christi non contingit, anima tamen audiendo et custodiendo verbum Dei, mater facta est ejusdem Jesu Christi : felicissimi vero, qui utroque modo patres sive parentes sunt tanti filii, quorum notissimi sunt hi duo magni patriarchæ, quorum nomina sic insigniter enuntiantur in capite libri hujus filii David, filii Abraham. Et de genitura quidem carnis veritas nostra assertione non indiget, quod secundum illam beata Virgo Maria ipsorum filia sit vel fuerit : de illa vero, qua secundum fidem sive observationem verbi Dei quælibet anima sit mater ejusdem Jesu Christi, non superfluum est memorare, quomodo illorum filia fuerit : videlicet habendo fidem, habendo humilitatem, facta est filia Abraham, filia David ; habuit enim fidem, quæ angelo, sibi inaudita cunctis sæculis evangelizanti, imo Deo, cui Abraham crediderat, loquenti sibi per angelum, velociter credidit (*Luc.* i). Habuit humilitatem, quæ ancillam audiens et credens sese fieri matrem Domini, professa est : « Ecce, inquiens, « ancilla Domini (*ibid.*), » secundum similitudinem patrum suorum jam dictorum Abraham atque David : quorum quanta fuerit humilitas ex ipsorum verbis palam innotescit. Denique pater ejus Abraham, dum Deus cum ipso, et ipse cum Deo sermocinaretur, et amicus haberetur, inter cætera dixit : « Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (*Gen.* xviii). » **565** Porro David cum esset unctus rex electione Domini, et Saul persequeretur eum. « Quem persequeris, ait, rex Israel ? quem persequeris ? Canem mortuum et pulicem unum (I *Reg.* xxiv). » Jam denique intus docuerat eos Deus invisibilis, qui ex eis nasciturus erat homo visibilis, mitis et humilis, sicut dicturus erat ipse : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi); » similemque sibi matrem præparaverat, quæ veraciter diceret : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* i).» Considera nunc initium hoc sive caput Evangelii, quantis vel qualibus titulis illustratum sit. « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. » Quatuor insignia sunt notissima gloriæ et honoris hujus filii hominis, quia Deus est et homo, rex et sacerdos. Si rite consideres, nihil horum hic tacitum est. Nam ipso nomine, quod est Jesus, id est Salvator, cujus nominis sive vocabuli causa est, quia salvat a peccatis, dicente angelo ad Joseph : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* i) ; » ex ipso, inquam nomine, quod est Jesus, ex ipsa causa nominis, quæ est salvare a peccatis, quod facere est solius Dei, Deus esse asseritur, Deus verus esse cognoscitur. Porro sequenti nomine, quod est Christus et interpretatur *unctus*, prædicatur unctus Rex, unctus Sacerdos, Rex et Sacerdos, qui patribus suis jure successit, patri regi, patri sacerdoti, regi David, Abrahæ sacerdoti, quod prædicat hic titulus rutilans, et taliter enuntians, « Filii David, filii Abraham. » Rex namque David, sacerdos Abraham fuit quippe qui obediens et fidelis filium suum Deo in holocaustum obtulit (*Gen.* xxii). Primogenitus quippe fuit Thare patris sui, et secundum morem, quo primogeniti usque ad id temporis sacerdotes fuisse traduntur, ipse sacerdos fuit, et post illum Isaac, sed hæc primogenita Esau propter gulam perdidit (*Gen.* xxv). Horum patrum sive patriarcharum, qui utique homines fuerunt, iste filius et ipse homo est, sive Filius hominis, quia veram de carne illorum carnem assumpsit. Sunt igitur quatuor, ut jam dictum est, insignia præsenti titulo spectanda, quia

Deus est et homo, Rex atque Sacerdos. « Hic homo et in Sion natus est, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* XLVI, LXXXVI). » Iste Sacerdos semetipsum obtulit, et sacrificatus est tanquam vitulus. Iste Rex tanquam leo sive catulus leonis, ad prædam ascendit (*Gen.* XLIX), apertis in morte sua dormiens oculis, et, spoliato inferno, surrexit a mortuis. Hic Deus, ut aquila volans, super omnes cœlos ascendit. Secundum quatuor ista naturæ vel officii sui nomina, quatuor nobis sacramenta pietatis necessario credenda proposuit, scilicet incarnationis sive nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, quorum nullum Christiano ignorare licuit unquam aut licebit. Ex istis cognoscitur Jesus Christus qualis sit, scilicet vere bonus, et vere fortis, quia tanquam bonus propter nos homo fieri et passionem subire voluit, et tanquam vere fortis, victa morte, ressurrexit et in cœlum ascendit. Et quia talis exinde cognoscitur ecce quatuor unius animalis facies intuemur, ubi Ezechiel propheta loquitur : « Similitudo vultus animalium, vultus eorum facies hominis et facies leonis, facies vituli et facies aquilæ desuper (*Ezech.* I). » Nam, licet quatuor animalia dixerit, in primis tamen animal unum vult intelligi, quemadmodum longe infra, cum dixisset : « Facies una facies cherub; et facies secunda facies hominis; et in tertia facies leonis; et in quarta facies aquilæ; ipsum est, ait, animal quod videram juxta flumen Chobar (*Ezech.* X). » Animal unum, unus est Jesus Christus; quatuor facies sive quatuor animalia, quatuor jam dicta sunt unius ejusdemque Jesu Christi sacramenta. Facies istæ fulgent super justos, quia Jesus Christus videt eos, sicut scriptum est : « Oculi Domini super justos (*Psal.* XXXIII), » et videndo illo conformes facit sibi, sive cuilibet ex istis faciebus suis, multo efficacius quam specular penetrat, suamque in illo imaginem format. Vidit justum beatum Matthæum, sicut ipse de semetipso : « Cum, inquit, transiret Jesus, vidit hominem sedentem in teloneo, nomine Matthæum (*Matth.* IV); vidit, inquam, istum sol verus, et in speculari pectoris ejus faciem formavit hominis; vidit alium et in illo figuravit faciem suam, faciem leonis; vidit alium, et in illo expressit faciem aquilæ volantis. Isti sunt quatuor evangelistæ, qui secundariæ quatuor animalia dicuntur. Nam prima quatuor quæ jam dicta sunt, sacramenta, quatuor facies sunt, et animal unum est Jesus Christus. David hunc hominem sive hominis mysteria; hominis, inquam, et sacerdotis, regis et Dei sacramenta mirabiliter ore prophetico simul cum Psalterio decachordo cecinit calamoque conscripsit, et ipsa quatuor vocabula, Deum, hominem, regem, sacerdotem, pariter expressit. Exempli gratia : « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* XLVI, LXXXVI), » illic hominem enuntiavit. « Ascendit Deus in jubilatione (*Psal.* XLVI), » illic Deum hanc ipsam personam nuncupavit, nam qui descendit, ipse est et qui ascendit (*Joan.* III). « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II). » Item : « Domine, salvum fac regem (*Psal.* XIX); » — « Domine, in virtute tua lætabitur rex (*Psal.* XX); » et alibi : « Quis est iste rex gloriæ: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ (*Psal.* XXIII) : » illic regem pronuntiavit. « Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX) : » illic sacerdotem edixit. Itidem sacramenta sive mysteria hominis sive seminis Abrahæ; Dei, sive volantis aquilæ; sacerdotis, sive vituli; regis, sive leonis. Sacramenta, inquam, sive mysteria incarnationis, vel nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis ejusdem Jesu Christi Filii sui, prophetico, ut jam dictum est, et corde concepit, et ore peperit anima hujus beati David, cunctisque venturis post se sæculis legenda vel canenda conscripsit. Hoc Abraham non fecit, licet propheta fuerit, quippe qui nec litteras habuit. Primus namque Moses longe post illum, scribente digito Dei, litteras accepit (*Exod.* XXIV, XXXII). Recte igitur, licet Abraham fuerit anterior quam David, non dixit evangelista, Jesu Christi filii Abraham, filii David ; sed ordinem præposterans, « filii David, inquit, filii Abraham. » Præterea et illud sciendum, quia cum isti duo sint patres, ad quos ejusdem Jesu Christi promissio facta est, verbum ejusdem promissionis ad David non parum auctum est. Nam ad Abraham dictum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII); » ad David : « De fructu ventris tui ponam super sedem meam (*Psal.* CXXXI). » Plus est esse regem seminis Abrahæ quam esse semen Abrahæ. Unde recte dixerim quia verbum promissionis non parum auctum est ad David. Sed et hoc inferam quia plus est esse patriarcham, regem, prophetam atque psalmistam, quod fuit vel est David, quam esse tantummodo patriarcham et prophetam, quod fuit vel est Abraham. Iter per omnia rationabiliter divinus evangelista providit, ut dicere mallet, « filii David, filii Abraham, » quam filii Abraham, filii David. His in titulo latius præmissis, nunc in ipsum generationis librum pergendum est. « Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. » De utroque cum dicit, « genuit, » perpulchrum est subintelligere quem in promissione accepit, et in sacerdotem Deo sacravit. Quæ pars decoris **566** sive geniture decentis, maxime decet libro generationis Jesu Christi, quia videlicet quemadmodum Apostolus dicit : « Non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine (*Rom.* IX). » Quomodo Isaac quem genuit Abraham, et Jacob, quem genuit Isaac, non filii carnis, sed filii sunt promissionis? Videlicet quia non solummodo susceperunt hæreditatem paternæ fidei, verum etiam non tam usu naturæ, quam dono gratiæ provenit hoc ipsum quod geniti sunt. Denique et Abraham sterilem conjugem Saram, et Isaac sterilem habuit Rebeccam, « Deprecatus est, ait Scriptura, Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ (*Gen.* XXV). » Et Isaac

quidem filium suum Jacob sacerdotem verbo sacravit, indutum vestibus Esau valde bonis, quas Rebecca apud se habebat domi, in quibus ille cum esset primogenitus secundum morem, de quo jam supra dictum est, debuerat sacerdotio fungi; ipse autem, videlicet Isaac, ut verbo consecraretur vel benediceretur a patre, opus non erat, quia cum fuisset oblatus in holocaustum Domino, in typum hujus filii venturi Jesu Christi, ex tunc plus quam sacerdos erat, id est, non tantum sacerdos, verum et hostia. De eo quod jam dixi, quia et Abraham Isaac, et Isaac Jacob in promissione accepit, Apostolus ita scribit: « Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius. Non solum autem illa, sed et Rebecca, » et cætera usque ad id. « Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Rom.* IX). » — « Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. » In generatione Judæ et fratrum ejus cessavit mos ille antiquus, quo, ut jam dictum est, eatenus primogeniti sacerdotio fungebantur. Ruben quippe, qui erat primogenitus, ipse peccavit, et propterea benedictionem sacerdotalem non promeruit, imo dimunitionem acquisivit. « Effusus es, inquit pater, sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus (*Gen.* XLIX). » Nec vero ita cessavit prior ille mos sacerdotii, ut saltem junior quisquam ex illis fratribus sacerdotio fungeretur, velut idem junior Jacob amoto Esau, sed et ipsum sacerdotium omnino cessavit, quandiu in Ægypto fuerunt, ubi vendiderant Joseph fratrem suum, usque dum vociferantibus illis ad Dominum et dicentibus: « Eamus et sacrificemus Domino (*Exod.* V), » surgeret sacerdos Aaron frater Mosi, de tribu Levi. Tribum illam tulit Dominus pro cunctis primogenitis filiorum Israel, fueruntque filii Levi interim sacerdotes et ministri scriniarii pro cunctis primogenitis, donec veniret primogenitus iste filius hominis, sacerdos, gloriæ et honoris, suumque amotis vicariis susciperet sacerdotium. Quod innuens divinus evangelista, cum dixisset de Maria, quam utique Virginem concepisse narraverat: « Et peperit filium suum, » continuo non otiose addidit, « primogenitum (*Matth.* I; *Luc.* II), » ut subintelligat prudens auditor, et idcirco sacerdotem dignum, in quem dictum est: « Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Quis autem ordo Melchisedech fuit, nisi offerre sacrificium panis et vini jure primogeniti? Primogenitus namque fuit Noe, ut doctissimi perhibent, idem, qui alio nomine dictus est Sem. Quæ ergo fuerunt primogenita, quæ data sunt Joseph? Sic enim in Paralipomenon scriptum est: « Ruben quippe fuit primogenitus Israel, sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph filiis Israel, et non est reputatus in primogenitum (*I Paral.* V). » Quæ, inquam, fuerunt primogenita quæ data sunt filiis Joseph? Nimirum non ip-

A sum sacerdotium quo nullus eorum, ut jam dictum est, in Ægypto functus fuisse legitur, sed illa pars una quam dixit ad eumdem Joseph filium suum, benedicens filiis ejus, et constituens Ephraim ante Manassem: « En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem unam extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo (*Gen.* XLVIII). » Partis illius evangelista meminit, cum dicit: « Venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo (*Joan.* IV). » Ergo usque ad tempora illa utrumque primogenitis veniebat et honor sacerdotii, et extra fratres suos possessionis una pars. Et quidem benedixit eum Jacob benedictionibus dulcissimis, ita concludens: B « Fiant in capite Joseph et in vertice Nazaræi inter fratres suos (*Gen.* XLIX). » Sed quia nihil tale de illo scriptum est quale est, ædificare altare Domino, et invocare nomen Domini (*Gen.* XII), quod fecisse patres Abraham, Isaac et Jacob, Scriptura patenter astruit, decimasque et hostias offerre (*Gen.* XXVIII), quod votum primus Jacob Domino vovit, palam constat, quia sacerdotium primogenitorum, sicut jam dictum est, in Jacob cessavit, et interim filii Levi primogenitorum fuere vicarii, donec veniret iste primogenitus et unigenitus virginis, primogenitus et unigenitus Dei. Quoniam intentio præsentis operis juxta propositum tendit ad gloriam et honorem Filii hominis, et quatuor facies, de quibus jam supradictum est, insignia summa sunt ejusdem glo- C riæ et honoris, non præterire libet quia jam hic in benedictionibus Judæ, prima sese offert facies illius animalis, facies leonis. Nam ut Joannes ait in Apocalypsi, « animal primum simile leoni (*Apoc.* IV). » Et quidem Ezechiel prius enuntiat faciem leonis, sed illam esse vel non esse faciem primam, nequam dicit, ubi sic ait: « Similitudo vultus eorum, facies hominis et facies leonis, facies bovis et facies aquilæ (*Ezech.* I). » Sed et alibi prius neque hominis, neque leonis, sed vituli faciem dicit: « Facies una, facies cherub (*Ezech.* X), » id est bovis sive vituli; « et facies secunda facies hominis; et in tertia facies leonis (*ibid.*), » etc. Cum ergo solus Joannes faciem primam dicit faciem leonis, constat quia non secundum ordinem, quo celebrata sunt sacramenta incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis D Jesu Christi, sed secundum ordinem Scripturæ Mosi taliter exprimit: « Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti (*Apoc.* IV). » Nam ecce primo loco facies leonis: « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna (*Gen.* XLIX). » Ecce autem: « facies secunda, facies vituli, » quemadmodum dicit: « Et secundum animal simile vitulo. » — « Si sacerdos peccaverit delinquere faciens populum, vel si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra Domini mandatum est, offeret pro peccato

vitulum immaculatum Domino (*Levit.* IV), » et cætera, quæ miro modo et ordine vere sacro et mystico figurant sacramentum passionis Jesu Christi; cujus sanguis secundum quod ritus ille significat, « emundavit conscientiam nostram, ait Apostolus, ab operibus mortuis (*Hebr.* IX). » Porro « facies tertia facies hominis, » sufficienter exprimitur in Deuteronomio his verbis : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus (*Deut.* XVIII), » etc. Cum enim dicit, « sicut me, » nihil illi deesse testatur de **567** veritate naturæ humanæ. Faciem quartam, faciem aquilæ volantis, patenter habemus in verbis istis Cantici Deuteronomii : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos atque portavit in humeris suis (*Deut.* XXXII). » Plane ad gloriam spectat et honorem Filii hominis Jesu Christi, quod non solum prophetæ et psalmi, de quibus jam supra dictum est, verum etiam primus ipse Moses, quatuor hæc scripsit sacramenta pietatis, quorum sine fide homo non vivit, quorum ex notitia cognoscitur bonitas et fortitudo talis hominis, tanti Dei, talis regis, tanti pontificis. Quæ non ignorans ipse, « quoniam necesse esse, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi et prophetis et psalmis de me (*Luc.* XXIV). Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. » Nota historia est quod Thamar nurus fuerit Judæ, et quod ex ea genuerit Phares et Zaram, nesciens quod esset nurus sua, quæ dum concepisset hos geminos, nuntiatum est Judæ : « Fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus ejus intumescere. Et ille : Producite, inquit, eam ut comburatur (*Genes.* XXXVIII). » Nec mora rem cognoscens : Justior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo (*ibid.*). Quis autem nesciat quod ex illa fornicatione nati sunt Judæi, imo et tota fere nobilitas Judaici generis, universa progenies regalis ? Quid igitur Judæi, omnibus hominibus molesti, cum molesti essent Deo ac Domino nostro, jactitabant, dicentes : « Semen Abrahæ sumus (*Joan.* VIII), » nos ex fornicatione non sumus nati ? Et ille quidem : « Scio, inquit, quia filii Abrahæ estis (*ibid.*), » non tamen dixit, scio quia ex fornicatione nati non estis. Nam revera fornicata est Thamar, quæ concepit eos, et istud commemorando poterat confutare superbos, nisi quod prior ipse facere debuit; quod docet per apostolum suum, dicentem : « Nemini dantes ullam offensionem (*II Cor.* VI). » Porro nebula fornicationis illius, non solum obscurat gloriæ et honoris Filii hominis claritatem, verum etiam illustrat bonitatis ejus dignationem, quia sicut pro peccatoribus homo fieri, ita de peccatoribus nasci dignatus est. Hanc ejus gratiam evangelista non parvipendens, nosque eam agnoscere volens, solas ejusmodi mulieres assumit in hac genealogia Salvatoris, quales Scriptura reprehendit, Thamar et Rechab, Ruth et Bethsabe. « Nam Salmon, » ait, « genuit Booz de Rechab, » quam constat fuisse meretricem, et de ruinis Hiericho salvatam esse per fidem (*Jos.* II). « Booz genuit Obed ex Ruth, » quam constat fuisse Moabitidem. In qua mirabile contigit illud quod cum pugnantibus inter se duabus legis divinæ sententiis, ipsa in salutem evasit. Nam lex dicit : « Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Ægypto, et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi (*Deut.* XXIII). » Item lex dicit : « Si fuerit mortuus vir absque liberis, uxorem defuncti frater ejus vel propinquus accipiet, et suscitabit semen fratris sui (*ibid.* XXV.). » Itaque lex ipsa quæ damnabat eam, quoniam Moabitis erat, suffagabatur illi ut acciperet eam Booz, quoniam uxor propinqui fuerat, et taliter non solum intravit Ecclesiam Domini, verum etiam principalem obtinet memoriam in Ecclesia Domini, ita ut semen quod ex ea suscitatum est, statim secunda generatione generaret David, principem et regem Ecclesiæ Domini; siquidem Obed ex ea generatus genuit Jesse; « Jesse autem genuit David regem. » Et Booz quidem non solum excusatus, verum etiam justificatus est, ducendo uxorem Moabitidem, etenim lex, ut jam dictum est, justificat eum. At illum qui prior duxerat illam, non lex justificat, sed necessitas excusat, scilicet fames, quæ facta fuerat, et propter quam, ut Scriptura refert, « abiit homo de Bethleem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore sua ac duobus liberis. Ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noemi, et de duobus filiis, alter vocabatur Maalon, et alter Chelion. Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera Ruth : manseruntque ibi decem annis, et ambo mortui sunt (*Ruth.* I). » Cæterum, nisi necessitas illos excusasset, nec ipsi uxores ducere debuissent Moabitidas, nec Booz lege teneretur, vel cæterorum aliquis, ut eam acciperet jure propinqui. Econtra sicut peccatrices et alienigenas propter fidem lex Dei assumpsit et evangelista hic nominare dignum duxit, ita quosdam domesticos seminis propter impietatem removit atque rejecit. Ait enim « Joram autem genuit Oziam. » Tres de medio succidit, videlicet Oziam, Joas et Amasim. Quam ob causam ? Nimirum propter impiissimam Athaliam matrem suam, cujus imitati sunt homicidia occidendo prophetas Domini, sicut illa et mater ejus Jezabel in Samaria (*II Par.* XXII). Et quidem Manasses quoque multum sanguinem justum fudit (*IV Reg.* XXI; *II Par.* XXXIII), verumtamen reservatus est, quia pænitentiam egit. Et hoc revera multum attinet ad intentionem evangelistæ, de qua supradictum est, quia nisi potiorem illam æstimaret genituram, quæ est fidei vel promissionis, quæ est auditio sive observatio verbi Dei, quam illam quæ est carnis, poterat genealogiam sic texere, ut Patrem illum contingeret, qui beatam Mariam secundum carnem genuit. Qualem enim locum habere deberent inter parentes carnis Domini, hi sub

quibus nec saltem loqui licuit prophetis verbi Domini? Denique prophetam Domini quia fuit ausus loqui in nomine Domini, prophetam et sacerdotem Zachariam filium Joiadæ sacerdotis Joas interfecit, et non est recordatus misericordiæ quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus (II *Par.* xxv). Post hunc Amasias prophetæ dicenti sibi a Domino: « cur adorasti deos qui non liberaverunt populum suum de manu tua (II *Par.* xxv), respondit : « Num consiliarius regis es? Quiesce ne interficiam te (*ibid.*). » Et quidem cæteri quoque præter David et Ezechiam et Josiam, omnes peccaverunt, verumtamen sub illis prophetare licuit prophetis, quod pertinebat ad hujusmodi genealogiam, quorum unus dicit : A timore tuo Domine concepimus et peperimus, Spiritum salutis tuæ fecimus super terram (*Isa.* xxvi). » Atque idcirco isti soli de memoria præsenti, de libro generationis Jesu Christi repulsi sunt verbum audire vel præcones verbi Dei vivere passi non sunt. « Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. » Ecce scala illa quæ in sommo Jacob apparuit, quando parentibus obediens ibat in Syriam, ut de sua cognatione acciperet uxorem. « Ecce, inquam, scala stans super terram, et cacumen illius tangens cœlum, et Dominus innixus scalæ, qui dicit ad eum : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac (*Gen.* xxviii), » et cætera. Licet et alius secundum moralem intellectum possit illius scalæ sensus utilis, nihilominus tamen scala illa, ista est generatio Jesu Christi ; et latera scalæ, summi patres vel principes sunt hujus generationis, Abraham atque David, ad quos promissio facta est, cum juramento ejus qui repromisit. Supremus scalæ gradus, cui Dominus innixus est, iste est beatus Joseph vir Mariæ, de qua Jesus qui vocatur **568** Christus, natus est. Quomodo iste Deus et Dominus huic innixus est? utique tanquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est ; ita innixus est huic beato Joseph, ut esset infantulo iste pater optimus, ut hujus solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur. « Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim. » Quid sibi vult tam diligens generationum computatio, tam diligenter facta quasi per complexionem sive conclusionem computationis divisio ? Num frustra, vel sine rationis pondere taliter digessit vel complexus est generationes evangelista divinus, in quo, vel per quem sine dubio Spiritus sanctus locutus est, quippe qui cum publicanus fuerit, et homo sine litteris, non ab homine, neque per hominem, sed per Spiritum sanctum doctus est, ut scriberet. Sine dubio quidquid loquitur, pondus habet, et hoc ipsum quod nunc ait, vim sensus continet quam non præterire libet. Arbitramur enim imo et experimento didicimus

A plerosque mirari, cur benignitas Dei promissionem suam implere, scilicet incarnationem filii sui, verbi sui, mundo exhibere tandiu distulerit. Nimirum qui paratus studet esse vel cupit rationem reddere omni poscenti de justitia fidelis Dei, qui repromisit, ecce per istas τεσσαρεσκαιδεκάδας subtiliter animadvertere potest, illud magis esse mirandum, in gloriam et laudem justi, et, ut jam dictum est, fidelis Dei, quod immutabilis perstitit, et stabilis in promisso vel proposito suo permansit, cum ab illis, quibus promiserat, multipliciter et nimis graviter offensus fuerit. Offensiones illas numerus iste quatuordecim generationum triplicatus subtiliter insinuat. Quærat ergo aliquis : Cur Deus tandiu Christum suum distulit? Cur non primis parentibus, quibus promise-
B rat, continuo dedit ? Cur non statim vel in brevi de aliquo illorum B. Virgo nata est, quæ Christum conciperet et pareret ? Hoc enim desiderabat ille, qui cum mitteretur ad Pharaonem : « Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurrus es (*Exod.* iv). » Et continuo sequitur : Iratus Dominus in Mosen ait : « Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit (*ibid.*). » et cætera. Ac si diceret : Me dicente, obsecro, Domine, mitte quem missurus es, Dominus iratus erat : et idcirco de eo quod obsecrabat, nec saltem responsum ullum dedit, sed alia dixit. Et quam ob causam Dominus iratus erat ? Videlicet propter peccatum domus Abrahæ, Isaac et Jacob, quibus promiserat, quia filii Jacob fratrem suum Joseph, per invidiam, in servum vendiderant, et ille quatuordecim annis servierat. Cum enim sedecim esset annorum, tunc
C venditus est : et quando eductus de carcere stetit in conspectu regis Pharaonis, triginta annorum erat (*Gen.* xxxvii). Itaque sicut quodam loco justus judex, id est, Dominus dicit : « Juxta numerum dierum quadraginta, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur, et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras (*Num.* xiv), » ita et illic justum esse arbitremur judicium, ut diceret : » Juxta numerum quatuordecim annorum, » quibus servivit venundatus Joseph, generatio pro anno imputabitur, et quatuordecim generationibus semen, quod promisit patribus vestris differetur, quod est Christus. « Igitur ab Abraham, inquit, usque ad David generationes quatuordecim, » subauditur et Christus non venit, et eo usque distulit eum iratus Dominus, unde et
D Moses loco supradicto congemuit. Porro David, in quem generationes quatuordecim terminatæ sunt, cum jam et ipse promissionem accepisset eamdem cum juramento Domini, peccavit et ipse non minus, quam priores illi, Uriam Æthæum percussit gladio, et uxorem illius tulit, et interfecit eum gladio filiorum Ammon (II *Reg.* xi). Itaque non minus super hoc irasci debuit Dominus, quam dudum fuerat iratus, et idcirco « a David usque ad transmigrationem Babylonis, ait, generationes quatuordecim » et Christus non venit, Porro in transmigratione Babylonis quæ pœna fuit, transmigratis illis non minoris erat peccati vel criminis, quod reges Juda maximeque Ma-

nasses (IV *Reg.* 11), sanguinem innoxium fuderant multum (*Matth.* II), donec implerent Hierusalem usque ad eos absque peccatis suis, quibus peccare fecerunt Judam, ut facerent malum coram Domino. Igitur te a transmigratione Babylonis, ait, usque ad Chistum generationes quatuordecim subauditur, et nisi post tot generationes idem Christus venit. Et quidem tunc temporis funestus Herodes multo sanguine terram cruentabat: sed impietas ejus, generi Abrahæ vel semini David imputari non debeat, ut propter illum Christus differetur; quippe qui non Judæus, sed alienigena erat, utpote, patre Idumæo, et matre ortus Arabica; « Jacob, inquit, genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. » Virum Mariæ cum dicit, magnum et verum nomen beato Joseph attribuit, quia si est vir Mariæ, est et pater Domini. An non et lex hoc edicit, quod ea, quæ desponsata est, jam uxor sit? « Si puellam, inquit, virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur (*Deut.* XXII). » Puella quia non clamavit, cum esset in civitate, vir qui humiliavit uxorem proximi sui. Ergo vir Mariæ Joseph, et ipsa uxor illius. Proinde nec iste inepte dixit: » Joseph virum Mariæ, » nec alius Evangelista mentitus est patrem illum ejus, qui ex ea natus est, Christi appellando: « Et erant, inquiens, pater ejus et mater ejus mirantes super his quæ dicebantur de illo (*Luc.* II). » Non solum autem Evangelis a Joseph virum Mariæ dixit, verum etiam prior angelus, quod æquipollens est, Mariam conjugem Joseph enuntiavit: « Joseph, inquit, fili David, nolli timere accipere Mariam conjugem tuam. » O conjugium verum et sanctum, conjugium cæleste, non terrenum: quo modo enim vel in quo conjugati fuerunt? Nimirum in eo quod unus spiritus, et una fides erat in eis, sola illic desinit corruptio carnis. Propterea verissime dixit apostolus: » Quia primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo celestis (I *Cor.* XV). » non quod iste Jesus Christus, qui ex Maria natus est de cœlo cum carne venerit, per Mariam quasi per fistulam transierit, sicut quidam dixerunt hæretici, sed quod conjugum vita sive conjunctio tota fuerit cœlestis, et spiritus sancti amborum conjugalis amor, quorum utique conversatio erat in cœlis, in ambobus præsidens, conjugem viri hujus fidei commiserat, et de carne virginis hominem formans paterno viro huic ejus qui nascebatur, infantis amorem penitus infuderit. « Omnes ergo generationes, ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim, » etc., ut supra. Quomodo per hominis scalam angeli Dei ascenderunt et descenderunt. Jam enim supra diximus (*Genes.* XXVIII), quia scala quam vidit Jacob in somnis stantem super terram, etc., acumen illius tangens cœlum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, mysterium fuit incarnationis hujus Jesu Christi, et Joseph cujus cura paterna Dominus de Maria natus indiguit, **569** gradum illum scalæ fuisse, cui videbatur inniti. Quid ergo significabat, quod angeli quoque Dei ascendebant et descendebant per eam? Nimirum ut subintelligas illud quod non dubium est: quia unus idemque qui de Maria natus est, uno eodemque tempore, quando natus est, et angelis major, et angelis erat minor. Ascendentes ergo vidit angelos, id est Deum habere supra se, in quem desiderant prospicere (I *Petr.* I), quod revera est ascendere: descendentes vidi eosdem, id est minorem considerare quam se, hominem unum et eumdem, quemadmodum psalmus dicit: « Minuisti eum paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII). » An non erat descendere, tanquam ad minorem sive inferiorem, id quod refert Evangelium: qui dum factus in agonia, prolixius oraret, apparuit illi angelus de cœlo confortans eum? (*Luc.* XXII.) Verumtamen eo modo jam non descendunt, non minorem aspiciunt ex quo resurgente illo a mortuis, et ascendente in cœlum factum est quod itidem præscriptum fuerat: « Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum (*Psal.* VIII). « Hic nec illud præterire libet, quod apud beatum Job de diabolo Dominus loquitur: « An extrahere poteris Leviathan hamo? Et fune ligabis linguam ejus? « item: » In oculis ejus quasi hamo capiet eum (*Job.* XL). » Hæc namque generatio Jesu Christi, ab Abraham usque ad Joseph virum Mariæ, de qua Jesus, qui vocatur Christus, natus est, quasi longa piscantis linea est, cui videlicet lineæ ferreus hamus subligatus, carne adoperitur, ob hoc ut piscis edulio provocatus quod foris patet, ferro seipsum strangulat, quod intus latet. Divinitas Jesu Christi quasi ferrum diabolo exstitit, et hæc ex Maria veram assumendo carnis naturam, ibi fortitudinem suam abscondit, sine dubio futurum sciens quod ille homicida ab initio carnem suam morte appetiturus foret, et ita quasi ferro quod intus latebat captus, atque extractus, foras mitteretur, sicut factum esse credidimus, propter quod et loquimur. Et ista quidem secundum Matthæum genealogia Jesu Christi, linea est ejus modi: illa vero Secundum Lucam sursum ascendens, textura genealogiæ prolixioris, revera quasi circulus exstitit: ita ut nihil rectius quam ejusdem generationis excursum putemus posse intelligi in verbis illis quæ itidem ad B. Job Dominus dicit: « Nunquid pones circulum in naribus ejus? et armilla perforabis maxillam ejus? » (*Ibid.*) Quid enim? Nonne cum sic incipit: « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, » et sic finit, « qui fuit Adam, qui fuit Dei (*Luc.* III); » nonne, inquam, initium et finem conjunxit, et circulum fecit? Cum enim uno ductu linea sic flectitur, ut ejus initium et finis conjungantur, nonne circulus, verbi gratia, qualis est armilla, formatur? Ecce Jesus Christus, de quo sic incœpit: « Et ipse Jesus incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Joseph, » Deus et homo est. Incœpit autem ab homine, et in Deo du-

A ctus sui finem fecit. Nonne igitur quasi lineam, sive virgam longe subtilem sive subtiliter longam auream, sive ferream, a Jesu Christo incœpit, et in Jesum Christum reduxit, dicendo « qui fuit Adam, qui fuit Dei, » cum unus idemque Jesus Christus, Deus et homo sit, nec alterius plasma fuerit Adam, quam hujus Dei ? Verum igitur, o diabole, iste est circulus, quem Deus in naribus tuis posuit : ista est armilla, qua maxillam tuam perforavit. Junxit se initium fini, id est Deus homini, et ita hæc, scilicet initium et finis, occurrerunt sibi in utero Virginis, ut nares tuas transfixas teneret firmiter circulus inflexibilis, et maxillam tuam voracem perforaret armilla talis, armilla gloriæ et honoris, unde nunc usque fatuus traheris, et quod avide momorderas, retinere non valens, per maxillæ foramen emittis.
B Ubi vel quando hæc initii atque finis conjunctio facta sit, et idem Lucas uberius scribit, et iste brevius eloquitur, cum dicit : « Christi autem generatio sic erat : Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Hic amplius splendet iste liber generationis, et in hoc tota est utilitas libri, omni legenti, vel audienti credere, quia Christi generatio sic erat, quia de Spiritu sancto Maria Virgo priusquam convenirent conceperat. Quam dissimili generatio hæc generationibus cæteris, generationibus quamvis rectorum ut fuit Abraham ? ut fuit Isaac ? ut fuit Jacob ? ut fuit David ? Et quidem fuerit aliqua similitudo generationis, quia patres isti omnes steriles habuere conjuges,
C unde et qui generati sunt, in plerisque factis suis typum gesserunt hujus Jesu Christi qui vere natus est de utero sterili. Quid enim tam sterile, quam virginitas ? Septem matres fuisse steriles, sacra Scriptura memorat : Saram, et Rebeccam, Rachel (*Gen.* XVIII, XXV, XXX), et eam quæ peperit Samson (*Judic.* XIII), Annam matrem Samuelis (*I Reg.* I), Bethsabe, quæ fuit mater Salomonis, uxor Uriæ Æthæi (*II Reg.* XI), et Elizabeth quæ peperit præcursorem Domini (*Luc.* I). Qui ex istis nati fuerunt, magni fuerunt, et in plerisque, ut jam dictum est, factis suis admirabiles quasdam similitudines Domini prætulerunt de virginitate nascituri; quæ naturaliter sterilis est, et non parit, videlicet Isaac et Jacob, Joseph et Samson, Samuel et Salomon. Joanne, qui septimus
D exstitit, major inter natos mulierum non surrexit (*Matth.* XI), quisque ipsum Dominum non tam factis suis, ut cæteri, significavit, quam digito demonstravit. Octava sterilis, id est virginitatis, de cognata sua sterili Elizabeth proximum accepit testimonium, « quia non erit, » inquit angelus, « impossibile apud Deum omne verbum (*Joan.* I ; *Luc.* I). » Fuerit itaque aliqua, ut dictum est, similitudo in illis, verumtamen rationabiliter hic evangelista dicat : « Christi autem generatio sic erat. » Quod est dicere : Cujusque cæterorum generatio sic fuit, ut nullus eorum generaretur aliter, nisi convenientibus viro et muliere, sicut naturæ usus est; Christi autem generatio sic erat, ut antequam vir et mulier convenirent, inveniretur mulier in utero habens. Hoc est illud mirabile, et inauditum, quod Jeremias prævidens : « Et faciet, inquit, Dominus novum super terram, mulier circumdabit virum (*Jer.* XIII). » Perspecto hucusque hoc libro generationis Jesu Christi, magnum et evidens ostium apertum est, ad contemplandas per ordinem facies quatuor unius animalis, quod videram, inquit Ezechiel, juxta flumen Chobar (*Ezech.* I), ita videlicet, ut contemplatio hæc summa sit nostri propositi, quod insinuat titulus præfixus huic operi, de gloria et honore filii hominis. Nam idem Ezechiel cum dixisset : « Et gloria Dei Israel erat super eam, » videlicet portam domus Domini orientalis, protinus significans quam diceret gloriam Domini, « ipsum est, ait, animal quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar, quatuor vultus uni (*ibid.*), » etc. Jam ex hoc capitulo facies hominis, qualis, quam pulchra, quam gloriosa sit, debet animadverti, cum evangelista dicit : « Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Et hoc, inquam, capitulo, et deinceps usque ad passionis ejus seriem quæ, ut superius jam dictum est, facies est vituli, considerare libet pulchritudinem faciei hujus, facies hominis, quantum se ipse ostendere dignabitur : cui corde et ore clamamus : « Ostende faciem tuam, et salvi erimus (*Psal.* LXXIX). » Quanta est hæc faciei hujus hominis pulchritudo, quod inventa est mater ejus **570** in utero habens de Spiritu sancto. Magnus hic honor generis humani, quod homo nostræ naturæ nostræ conditionis, passibilis atque mortalis, incarnatus, vel conceptus est de Spiritu sancto, id est non de semine virili, sed de virtute, et operatione sancti Spiritus. Recte ergo facies ista, tantæ pulchritudinis conscia, dicit in Canticis canticorum : « Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II), » id est honor humani generis, et decus parentum humilium. Tantam pulchritudinem, tantæ claritatis margaritam, jam tunc oculis invidis, propalari non expediebat. Ibi enim erat, qui dicere habebat : « Nolite mittere margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas, et conversi elidant vos (*Matth.* VII). » Etenim, ut de cæteris interim taceam, qualis tunc erat porcus Herodes ? Quales erant porci omnes ejus funesti satellites ? Nonne ergo fuisset hoc margaritam valde splendidam ante porcos mittere, Virginem prægnantem sive parientem de semetipsa prædicare, unde haberet in utero, scilicet de Spiritu sancto ? Fieret enim inquisitio unde concepisset, vel a quo imprægnata esset, si virum non habens peperisset. Igitur laudi deputandum est ejus, de quo in utero habebat, scilicet Spiritus sancti spiritus consilii, quod mater ejus desponsata erat, quia vere secundum hoc ipsum nomen vel præconium quod dicitur, et est spiritus consilii, dignum se fecit, digne providit, ut illa desponsaretur, et per hanc occasionem ab omni quæstione liberaretur. Sponsus

vel nomen sponsi cœlestibus nuptiis secretum fecit: januas cubiculi clausas custodivit : ita ut non foris omnino pateret transeuntibus lux claritatis, quæ intus erat, nisi quantum per subtiles radios ex rimis, sive fenestris obliquis significari non postulabat. Idcirco erat desponsata, idcirco illam sponsum habere Spiritui sancto complacuerat, et quomodo falsus fuit Saul, cum ungeretur rex David, ita falleretur Herodes sive habitans in Herodes diabolus, in hoc sacramento regis, et Domini, filii Dei, filii David, incarnati sive nascentis ex utero Virginis. Qualiter falsus fuit Saul cum ungeretur David ? Cum diceret Samuel : « Quomodo vadam ? audiet enim Saul, et interficiet me. — Vitulum, ait Dominus, de armento tolles in manu tua, et dices : Ad immolandum Domino veni (*I Reg.* XVI). » Nimirum juxta hanc similitudinem Spiritus Domini, spiritus consilii ita ordinaverat, ac si diceret in secretis suis : Virum unum de populo accipiat Virgo hæc et sit ei desponsata, ut dum conceperit, et pepererit, dicat, quia virum duxi, quia nuptias celebravi, atque ita sicut Samuelem tunc liberavit immolatio vituli, quasi ob causam nullam aliam venisset in Bethleem, ita Virginem hanc ob omni quæstione liberet existimatio carnalis commercii, quasi nihil aliud in ea natum sit, quam quod solet in conjugio vel de conjugio nasci, verumtamen hoc prius Joseph nescivit, sed post angelo in somnis evangelizante didicit. « Joseph, inquit, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. » Timebat enim eam accipere, nolebat eam traducere, sed volebat occulte dimittere. « Hæc ille cogitabat cum esset justus, » ait evangelista. Et revera hoc erat justi hominis, nec tantum justi, verum etiam pii, quod hinc timebat consentire peccatis alienis, et inde abhorrebat uti permisso vel severitate legis, dicentis : « Quod si non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis ejus, et morietur, quoniam nefas fecit in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferas malum de medio tui (*Deut.* XXII). » Neutrum horum facere, scilicet neque traducere neque in judicium voluit producere. Hoc unum præelegit, hoc maluit, videlicet occulte dimittere eam, quod ad perfectam pertinet justitiam. Hic percontari libet : Quare timorem ejusmodi Deus illi evenire permisit ? Quare non prævenit ? Quare hunc ipsum angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem, quæ ei desponsata erat ? Videlicet ut tentaretur, et manifestum fieret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset justus, et talis, qui digne sic deberet appellari, Joseph fili David. Sic etenim idem pater ejus David maluit exulare, quam uti permisso legis dicentis : Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Levit.* XIX ; *Matth.* V). Tradiderat Dominus in manu ejus Saul odientem, et persequentem : « Et nunc, ait Abisai, perfodiam eum

A lancea in terra semel, et secundo opus non erit. » Ait ille : « Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius mihi sit Deus, ne extendam manum meam in christum Domini : Et post hæc surrexit David, et abiit ad Achis regem Geth, et habitavit cum Achis in Geth (*I Reg.* XXVI, XXVII). » Quomodo iste justus Joseph occulte dimittere eam voluit, quam habebat desponsatam, nisi proficisceretur in regionem aliquam, sicut fecit ille David, et sicut propter adversos casus fecerunt plerique alii ? Amplius autem ex eo filius David tam insigniter, tali in re, tali in tempore, dignus fuit appellari, dicente angelo, « Joseph, fili David (*Matth.* I) : » quia fidem habuit eamdem, B quam habuit pater ejus fidelis David : quippe qui prius inaudita, credidit, videlicet quod ipsa, quæ conceperat, Virgo esset : secundum verba hæc ejusdem angeli, « quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est (*ibid.*), » etc. Nam promissionis, sive repromissionis, in qua credendo pater Abraham justificatus, et amicus Dei appellatus est (*Jac.* II), consummatio est hic sermo angeli, quem in somnis accepit, et statim obedivit Deo, credulus, puellæ benevolus, eatenus vir justus, exinde justissimus. Spiritus sanctus maxime ex hoc facto suo nominatur, quia « quod in ea natum est, ait angelus, de Spiritu sancto est. » Antehac Spiritus Dei, sive Spiritus Domini dicebatur, nec facile in omni serie veteris Instrumenti reperies hoc insigne vocabulum, scilicet Spiritum sanctum præter quod David : « Et C Spiritum sanctum tuum ne auferas, inquit, a me (*Psal.* L). » Nec ipse sic absolute Spiritum sanctum dixit, sed tuum addidit, sicut in cæteris scriptus legalibus, sive propheticis, nusquam absolute Spiritus sanctus, sed relative scribitur, ut jam dictum est, Spiritus Dei, sive Spiritus Domini. Ab hoc loco fere primum sonuit in auribus nostris hoc reverendum et insigne vocabulum, proprium atque absolutum, Spiritus sanctus : ubi angelus et ad Mariam, « Spiritus sanctus, ait, superveniet in te (*Luc.* I), » et ad Joseph, « quod enim in ea natum est, inquit, de Spiritu sancto est (*Matth.* I). » Quam ob causam ? nisi quia (quod magna reverentia cogitandum est) maxime ex hoc opere, quod in Maria operatus est, D claruit hic Spiritus Domini, quod vere sanctus sit. Quærat aliquis : Cum et Pater Spiritus, et Filius Spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus sit, quam ob causam vocabulum hoc, quod est Spiritus sanctus, proprium ascribitur personæ huic, et sola hæc persona sic vocari debuit ? Ad hæc inquam : Nimirum, quia tota personæ hujus operatio, non aliud nisi sanctificatio est. Hæc operationum distinctio diligenter animadvertenda est, quia Deus omne quod factum est, per Filium fecit, et omne **571** quod sanctum est, per Spiritum suum sanctificavit. Quid enim est spiritus ejus, nisi amor ejus ? Et quomodo creatura quæcunque rationalis aliter, nisi amando Creatorem, potuit unquam vel

potest sanctificari? Igitur quamvis et pater, ut jam dictum est, Spiritus, et Filius Spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus sit, recte tamen hæc sola persona, Spiritus sanctus debuit nuncupari, cujus operatio propria, creaturæ sanctificatio est, sine quo nec angelus sanctus, nec homo sanctus est, quem non habens angelus diabolus est, quem non habens homo, Antichristus vel membrum diaboli est. Hujus sanctificationis summam esse nemo est qui nesciat id quod in beata Maria natum est, imo et principium ejusdem operationis, id est, sanctificationis illa conceptio est. Denique ipsa est prima, in quam iste spiritus illo cum dato supervenit, propter quod et dicitur Spiritus sanctus, quod videlicet datum, remissio est peccatorum. Et quidem ante illam super multos venit hic idem spiritus Domini, sed alio dato, quod est gratiarum divisio. Duo quippe spiritus hujus data sunt : alterum quod est remissio peccatorum, alterum, quod jam dictum est, scilicet diversarum divisio gratiarum, de quo Apostolus : « Alii quidem, inquit, per spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ; alteri fides; alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum (*I Cor.* XII), » hujusmodi gratiae ante beatam Mariam plures habuerunt, et nonnulli ex his qui habuerunt, non sancti fuerunt, exempli gratia ut Saul et Balaam. Datum aliud, quod est remissio peccatorum, spiritus Domini distulit in Christi adventum, et de hoc est dictum illud : « Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan.* VII). » Datum hoc, beata Maria prima omnium mortalium accepit in ipsa hora conceptionis, dicente angelo : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). Et revera, ut omnino sanctum esset, quod ex ea nasceretur, oportebat ipsam sanctificari, id est emundari ab omni peccato, tam actuali quod majus erat, scilicet originali. Nec vero solum hoc tunc accepit Spiritus datum, quod est remissio peccatorum, verum etiam illud alterum, quod est divisio gratiarum, videlicet ila ut operationem virtutum omnimodam, maximeque fidem et prophetiam, sive omnem haberet propheticam gratiam. Nam ipsa est prophetissa illa, de qua dicebat Isaias : « Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium (*Isa.* VIII). » Præmiserat autem : « Et dixit Dominus ad me : Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis : « Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem et Zachariam filium Barachiæ (*ibid.*). » Quis erat ille liber grandis, quem ut sumeret, et stylo hominis in eo scriberet, dictum sibi asserit, et adhibitis testibus, « accessi, inquit, ad prophetissam, et concepit, et peperit (*ibid.*). ? » Quis, inquam, erat liber ille grandis, nisi universa Scriptura sancta, quanta usque ad tempus illud conscripta fuerat a Mose et prophetis? Hunc librum sumere fuit illi, et in eo scribere stylo hominis, propheticam accipere gratiam, et portionem suam scribere de adventu Christi Filii Dei, taliter ut ab homine posset legi et intelligi. Et quid erat illi hoc facto accedere ad prophetissam, quæ concepit et peperit, nisi ab ista beata Virgine illum cognosci, et sicut cæteras Scripturas, ita et librum Isaiæ mente ejus comprehendi, docente illam repentina illuminatione supervenientis in eam Spiritus sancti? Inde gratulatur quod taliter ad hanc prophetissam accesserit, et quod hujus rei testes habeat Uriam sacerdotem et Zachariam filium Barachiæ, id est, omnes credentes de utroque populo, gentili atque Judaico. Urias namque quod interpretatur *lux mea Deus*, ipse est anterior populus scilicet Judaicus, cui soli quondam notus erat Deus, unde et dicere poterat, « lux mea Deus. » Zacharias vero, quod interpretatur *memor Domini*, ipse est posterior populus videlicet gentilis, qui nunc est memor Domini, quia quod ille populus exspectabat futurum, iste novit ac meminit jam esse factum, scilicet quod hæc prophetissa conceperit et pepererit Filium. Uterque populus hodie testis est illi, quod in illo libro grandi veritatem scripserit. Igitur utrumque spiritus datum simul accepit hæc beata Virgo Maria, prophetarum prophetissa, et hæc est gratia plena, juxta salutationem angeli dicentis : « Ave gratia plena (*Luc.* I), » quia videlicet dum suscepit vel concepit Verbum Dei, Verbum Domini, simul accepit utrumque Spiritus Dei datum. Secundo loco, Joannes amicus sponsi, præcursor Domini utroque ejusdem spiritus dato meruit participare ex utero matris suæ, sicut prædixerat idem angelus, qui ad beatam Mariam locutus est : « Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ (*ibid.*), » quod videlicet tunc mater ejus presensit, quando exclamans voce magna, et ipsa Spiritu sancto repleta : « Ecce enim, inquit, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo (*ibid.*). » Unde sicut veraciter huic beatæ Virgini dixit angelus, « gratia plena, » ita verissime Dominus de illo dixit : « Inter natos mulierum major non surrexit (*Matth.* XI). » De plenitudine gratiæ, qua dictum est : « Ave, gratia plena, » primus ille accepit, et eodem Spiritu sanctificati sunt et hæc mater Domini, et ille amicus Domini. Et extunc qui prius dicebatur Spiritus Dei vel Spiritus Domini, Spiritus sanctus cœpit altius enuntiari, primum ex ore angeli, et deinde ex omni Evangelio Christi, quod vocabulum venerabilius sonare non dubito omni habenti aures audiendi, licet et hoc nomen, Spiritus Dei, Spiritus Domini, satis et multum venerabile sit. Rationem nominis Spiritus sancti quam diximus, scilicet remissionem peccatorum, ipse angelus protinus evidenter exponit, cum dicit : « Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum: Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Quam novum nomen est Spiritus sanctus; tam nova est hæc ratio nominis, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Nusquam enim in lege aut prophetis remissio peccatorum (quod datum est Spiritus sancti præcipuum) verbis enuntiatur tam manifestis. Quam aliam sive meliorem quærere debemus novitatem in verbis illis sancti et veri dicentis : « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum (*Apoc.* III) : » sive in illis apud Ezechielem promissis Domini : « Et dabo cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri (*Ezech.* XXXVI). » Quæcumque vel quantacunque dicantur ad sanctam novitatem pertinentia, summa omnium est remissio peccatorum, quæ hinc habet initium, ubi dixit angelus : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Nihilominus, et hoc nomen Filius Dei, sive Filius Altissimi, novum est; sicut enim jam de nomine Spiritus sancti dictum est, ita et de isto nomine perpendere vel reminisci non otiosum est, quia non facile quisquam hoc reperiet in veteribus Scripturis legalibus, sive propheticis. **572** Denique sicut qui in lege sive prophetis dicebatur Spiritus Dei sive Spiritus Domini, nunc ex Evangelio prædicatur Spiritus sanctus, ita qui in illis Scripturis dicebatur Verbum Dei sive Verbum Domini, nunc dicitur Filius Dei, ex quo sic angelus prænuntiavit, « ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Itemque « hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, » Erat plane in principio, erat de Patris corde natus hic Filius, hic Deus, sed erat filius occultus, Deus absconditus, dicebatque interdum de futuro tale quid :« Dominus dixit ad me filius es tu, postula a me (*Psal.* II), » et cætera, sed vulgo non audiebatur, palam non loquebatur, neque cognoscebatur. Et idcirco confessio nominis ejus, non eo jure quo nunc exigitur, ab hominibus exigebatur. Ex quo is, qui erat ex Deo genitus, factus est nostræ naturæ filius, ex eo tam hujus filii quam ejus, de quo conceptus est, Spiritus sancti, a nobis confessio jure exigitur, sicut et Patris, cujus et hic filius, et ipse est Spiritus sanctus, ut non dicamus tantum, sicut prius, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, sed quod clarius est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, « in quo vivimus, movemur et sumus (*Act.* XVII). » Solemne est, et illud hic perpendere, cum dicit : « Pariet autem Filium, » quia beata Maria cœlum illud est, de quo fuerat præscriptum : « Et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum (*Psal.* LXXVII) » Si enim cujuslibet anima cœlum est, quanto magis hæc singularis Dei habitatio vel sedes ? Quot autem vel quæ sunt januæ hujus cœli, quas Dominus aperuit ? Duæ, altera mentis, altera ventris. Januam mentis Deus aperuit, quia beata hæc credidit quæ dicta sunt ei : Januam ventris aperuit, quia sine viro virgo concepit, virgo peperit et post partum virgo permansit. Quis enim alius, nisi Deus januam ventris sic aperiret, ut et pareret, et virgo permaneret ? Hinc est illud apud prophetam Ezechielem : « Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingredietur per eam, eritque clausa principi ; princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. Per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur (*Ezech.* XLIV). » Notum est ecclesiasticæ fidei celebre, et usitatum est in laudibus Christi, et sanctorum Patrum scriptis, quia hæc porta clausa mater est incorrupta, clausa principi, id est, ad honorem principis Jesu Christi, qui videlicet princeps in ea sedit, quippe qui a die conceptionis, in sacri ventris hospitio novem mensibus habitavit et per viam vestibuli, id est, per auditum fidei ingressus, ita per viam ejus egressus est Deus et homo, unus idemque Dominus Deus Israel, ut per eam vir non transiret, id est, neque in concipiendo sese insereret, neque nascituro viam aperiret. Sed ad prioris prophetiæ capitulum revertamur. « Januas cœli aperuit et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXXII). » Judæi putaverunt Psalmistam hoc dixisse de manna illo transitorio, quod patres eorum manducaverunt in deserto (*Exod.* XVI). Cum enim curiose agentes, et otiose vivere volentes, dixissent : « Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi ? quid operaris ? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, » continuo subjunxerunt, « sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare (*Joan.* VI). » Verum ita putando vel sentiendo multum errabant, si tali cibo vivere existimabant etiam angelos, quoniam continuo sequitur : « Panem angelorum manducavit homo. » « Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis, non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum (*ibid.*). » Et sensus est : Panem illum, de quo scriptum est illud, quod mihi objicitis : « Panem de cœlo dedit eis manducare, » non præterito tempore datum est, nec Moses dedit, sed præsenti tempore « Pater meus dat vobis. » Etenim « ego sum panis vivus et verus, qui de cœlo descendi (*ibid.*), » et de isto tempore dixit spiritus in David, « panem angelorum manducavit homo, » quamvis verbo sit usus præteriti temporis, dicendo, « manducavit, » sicut mos est frequens prophetis futura nuntiare verbis præteriti temporis. Igitur quando factum est, quod dixit angelus, « pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum, » tunc « januas cœli Dominus aperuit, et pluit nobis manna ad manducandum, panem cœli, panem angelorum. » Secundum similitudinem illius facti, quod ita scriptum est : « Mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum, cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum (*Exod.* XVI), » appellavitque, ait Scriptura, domus Israel nomen ejus Man, secundum similitudinem, inquam,

illius signi factum est hic. Spiritus sanctus supervenit in beatam Virginem, qui in sanctis Scripturis per rorem solet significari. Et hoc fuit utique rorem jacere in solitudine, visceribus infundi Virginis solitariæ, nullique viro perviæ. Ille uterum virgineum cœlitus irroravit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorruptæ carnis. In quo mira et magna distantia est, ab omni conceptu universæ carnis, quia vim sementinam sacri corporis, non vir extrinsecus accendens, sed Spiritus sanctus intus operans, excitavit. Tunc in eadem solitudine apparere minutum, hoc fuit adesse in eodem secreto verbum subtilissimum atque fortissimum, quod eidem se humori miscuit tanquam coagulum, unde « sicut filii Israel dixerunt ad invicem: Manhu? (*ibid.*) » ita nos et multo magis nos dicamus « quid est hoc? (*ibid.*). » Dicamus etiam propter hoc : « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* I), » quia videlicet mulier omnis concipiens de amore viri concipit, tu sola de amore Dei, id est, de Spiritu sancto concepisti. Hoc appellamus nos domus Israel Man, gustusque ejus nobis quasi similæ cum melle, quo epulamur quotidie, tam auditu cœlestis doctrinæ, quam perceptione sacræ eucharistiæ. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum per prophetam dicentem : « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII), quod est interpretatum *nobiscum Deus.* » Dictum hoc propheticum, quis non audivit, quis non intellexit? Ubicunque prædicatum est Evangelium libri hujus generationis Jesu Christi, prædicatum est etiam hoc insigne præconium, recitatumque competens hoc testimonium veritatis, notumque factum est, et in usu habitum parvulis, quoque Ecclesiæ Catholicæ filiis. Noli autem, o lector sive auditor præsentis Evangelii, noli hoc tantillum respicere quod calamus hic expressit, de propheta grandi, de vate magno et nobili : « Ecce virgo in utero habebit, sive concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, » licet hoc tantilum de illo scripserit. Non scripsit quantitatem, sed scribentis perpende intentionem, et scito, quia dum tantillum scribit, ad legendum, ea quæ sequuntur te mittit. Quasi januam pulchre domus aperuit, et admota lucerna, quod sit intus, familiariter significavit. Quid enim intus est? quid vides? Trinam vocationem sive vocabuli positionem vides hujus Filii, de quo dictum est hic per angelum, « pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum. » Primo, illic **573** dictum est : « Et vocabitur nomen ejus Emmanuel ; butyrum et mel comederet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum (*Isa.* VII). » Secundo, ibidem dictum est : « Voca nomem ejus, Accelera spolia detrahere, Festina prædari (*Isa.* VIII). » Tertio, itidem dictum est : « Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis (*Isa.* IX). » Igitur vere divinus et Spiritu sancto evangelista illuminatus lucem introrsus in propheticam veritatem brevi

A quidem dicto injecit, sed latam et longam domum ejusdem propheticæ veritatis illustravit. Cum multa scripta sint in lege, et prophetis, et psalmis de puero hoc, quod et ipse sciens, « Quoniam oportet, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege, et prophetis, et psalmis de me (*Luc.* XXVII), » sciendum quod apud nullum prophetarum, in nullo psalmorum, nusquam in tota lege, ita ut hic apud Isaiam, designatur ex nomine. Unde animadvertendum, quia sanctus evangelista non segniter elegit, qui hoc testimonium propheticum præ cæteris in causa præsenti assumere maluit. De nomine Emmanuel, quoniam hoc interpretatur *vobiscum Deus*, quam interpretationem apponere non superflue curavit, idem sentimus quod de illo dicto alterius evange-
B listæ, « et Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I), » hoc tale vocabulum et hic sensus pulchre nobis aperit, quid mysterii contineat illud, quod ubi, sicut supra meminimus, « appellavit domus Israel nomen » cibi sive panis quem Dominus dedit, man, quod erat quasi semen coriandri album, » ita subjunctum est, « gustusque ejus quasi similæ cum melle (*Exod.* XVI). » Quid enim est juxta mysterium supra dictum simila cum melle, nisi caro hujus Emmanuel cum Divinitate? Qualis est gustus, ubi talis Emmanuel videtur? Etenim visio ejus, et sanctorum angelorum et omnium beatorum spirituum sive hominum vitalis est cibus, et immortalis indeficiens gustus, quod nos et si credimus, et utcunque scimus, tamen impossibile est scire sicut est, donec videndo manducemus, atque
C ita manducando experiamur, quia vere est simila cum melle, id est vera et munda est humanitas cum dulci et suavi Divinitate. Et vide hujus et cæterorum nominum quam pulcher et quam rationabilis ordo sit, quem dudum in alio quodam opere ita breviter me adnotasse memini. Primum, Emmanuel, id est *nobiscum Deus*, pro causa videlicet quæ prima est in ordine, quia habitavit in nobis Deus homo factus (*Joan.* I). Secundum, Accelera spolia detrahere, Festina prædari, ea videlicet pro causa, quia moriendo fortem armatum diabolum superavit, et spolia distribuit (*Luc.* XI). Tertium, Admirabilis videlicet, quia surrexit a mortuis et ascendens in cœlum, gloria et honore coronatus, sedet a dextris Dei (*Psal.* CVII; *Matth.* XXVIII; *Act.* I, II). Quartum,
D Consiliarus, ex eo scilicet quod dans Paracletum sanctum apostolis suis, consilium habuit cum eodem Spiritu consilii de repellendis Judæis, et vocandis gentibus (*Marc.* XIII; *Act* II, XIII). Quintum, Deus, quia exinde omni mundo vere adoratur ut Deus. Sextum, Fortis, quia vere fortis in judicio, quo exspectatur, apparebit. Septimum, Pater futuri sæculi quia nimirum peracto judicio non jam ut Dominum servorum, sed ut pater filiorum regnabit. Octavum, Princeps pacis, quia revera laudabitur in æternum, et grates habebit ut auctor pacis, qua Deo sumus reconciliati per mortem ejus, qui eramus inimici (*Rom.* V; *Ephes.* I). « Exsurgens autem Joseph a

somno, fecit sicut præcepit angelus Domini, et accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum et vocabit nomen ejus Jesum. » — « Pluet super peccatores laqueos, » ait Spiritus sanctus in Psalmo, statimque subjungit, » ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum (*Psal.* x). Et est sensus : Dominus, cujus palpebræ interrogant, id est probant, filios hominum (*ibid.*), taliter suam condidit Scripturam, per quam illaqueentur peccatores, qui diligendo iniquitatem oderunt animam suam, quorum curiositas velut ignis, quorum expositio, qua Scripturas perverse exponunt, veluti sulphur, quorum verbositas in disputando, velut spiritus est procellarum, et ista omnia sunt in præsenti pars calicis eorum, allia vero pars reservatur eis in futurum. Ex his fuit impurus Elvidius, cujus adversus blasphemias virginitatem beatæ Mariæ insigni epistola defendit vir illustris B. Hieronymus. Illum, quoniam erat peccator, et iniquitatem diligebat, hoc dictum evangelistæ, « et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, sic illaqueavit, ut diceret : Donec sive usque, adverbium, certum tempus significat, quo completo, fiat id, quod usque ad illud temporis quod præscriptum est non fiebat, velut in præsenti, et non cognoscebat eam donec peperit filium. Apparet ergo, inquit cognitam esse post partum, cujus cognitionem filii tantum generatio deferebat. Deinde nisus est approbare primogenitum non posse dici, nisi eum qui habeat et fratres, sicut unigenitus ille vocatur, qui parentibus solus est filius, et illos qui in Evangelio memorantur fratres Domini (*Matth.* xii), genitos fuisse ex matre Domini et Joseph, post generationem Jesu Christi, procaci et hæretica lingua contendit. Monstrum illud, scilicet Elvidium, totus orbis exsecretur, sicut exsecratus est atque sufficienter confutavit jam dictus vir catholicus atque orthodoxus, dicens inter cætera : Tu dicis Mariam Virginem non mansisse ? ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur, Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos fuit potius quam maritus, relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Igitur natus est Christus, et in nativitate ejus fidelis, et verax comprobatus est ipse qui promisit Deus. Gratulamur omnes dicentes cum Psalmista : « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* cxliv). Item : Qui rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide (*Psal.* xxxii). » — « Quotquot enim promissiones Dei sunt, ait Apostolus, in illo est. Ideo et per ipsum dicimus : Amen Deo ad gloriam vestram (II *Cor.* i). » Vere ad gloriam vestram quodammodo superatus est Deus licet fortior, et vicit volentem vinci fortis colluctator noster per fidem pater Jacob. Quod dicimus ita scriptum est : « Cumque mature surrexisset Jacob, et transductis omnibus remansisset solus, ecce vir luctabatur cum eo usque mane, qui cum videret quod eum sperare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et ille : Si contra Deum, inquit fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ? Et benedixit ei in eodem loco. Dixitque Jacob : Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (*Gen.* xxxii). » Juxta magnum et mirum illud præsagium factum est, nascente Jesu Christo, et victor inventus est homo, sive genus Jacob, promissum exigens a Deo, et quasi jure superatus est Deus, promissi sui debitor. Num prava fuit aut ignota est colluctatio ? Nonne saltem ex eo cognosci potest quod ait ad Moysen : « Cerno quod populus iste duræ cervicis scit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos ? (*Exod.* xxxii). » Ibi namque fortis fuit et invaluit Moyses eodem modo, quo pater ejus **574** Jacob loco vel tempore jam dicto, de quo et in Osea taliter scriptum est : » In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est, flevit et rogavit eum, in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum (*Ose.* xii). » Hinc manifestum est qualis lucta illa fuerit, quia flevit et rogavit eum. Secundum illud præsagium futurum erat et factum est, ut iratus Deus, quia sæpe fuit offensus, et iratus multis eorum adinventionibus, miraretur, quod recederet, imo et genus Jacob disperderet atque deleret, et nunquam defuerunt in populo illo homines, quamvis pauci, in quibus esset fortitudo, id est fides Jacob, luctans et invalescens ad fortitudinem Dei, et quodammodo dicens, « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. » Talium quisque flevit et rogavit, eum et hoc fuit invalescere, et fortem esse contra Deum. Hic ille Moyses, de quo jam exemplum prælibatum est, fortiter luctabatur stans in confractione, id est in nimia mentis humiliatione in conspectu ejus, cum dicente illo : « Dimitte me ? » ipse orabat Dominum Deum suum dicens : « Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum ? Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum (*Exod.* xxxii), » etc. Sic multoties idem Moyses flevit et rogavit eum, sic David flevit et rogavit eum, sic et alii plures fleverunt et rogaverunt eum, quorum fletum et rogatum per ordinem narrare nimis longum est. Quid mula ? Contra Deum fortis fuit Jacob nec dimisit eum nisi benediceret, et benedixit ei in eodem loco. Et itidem contra Deum sive contra iram Dei fortis fuit progenies ejusdem Jacob, nec dimisit eum, nisi daret Christum suum, qui est omnium gentium benedictio. Tunc tetigit nervum femoris Jacob, ubi benedixit eum et statim emarcuit. Quid est hoc, nisi quia sic rationabiliter futurum erat, ut postquam promissio compleretur, postquam hic Jesus Christus nasceretur, jam extunc omnis apud Deum genealogiarum

vetus diligentia pro nihilo, imo et pro stultitia vel fabulis haberetur ? Sciendum quippe, quod omnis tam diligenter facta in lege tribuum ac familiarum sive generationum, domorum atque cognationum distinctio, verbi gratia, quod dictum est (*Num.* xxxvi) de filiis Juda per generationes et familias, ac domos, et cognationes suas, tot erant millia, maximeque illud, quod jussum est, ut unusquisque de tribu ac familia sua duceret uxorem, in unum et solum omnino Christum tendebat, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum, ut dum veniret, dum nasceretur, non incertum sciri posset, aut dici ad gloriam et ad laudem justi et fidelis Dei; quia sicut promisit et juravit, sic et fecit benedictione, qua benedicentur omnes gentes mittendo de semine Abrahæ, de tribu Juda, de stirpe seu de domo ac familia David. Postquam ergo venit, postquam natus est, quæ cura de illo femore, de illa tribuum, generationum, familiarum, domorum, atque cognationum divisione, seu sepputatione? Imo pro extrema stultitia totum illud reputandum est : « Stultas, inquit Apostolus, quæstiones et genealo-

A gias, et contentiones, et pugnas legis devita, sunt enim inutiles et vanæ (*Tit.* iii). » Igitur omnium genealogiarum finis iste sit, quod idem Apostolus ait: « Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* i). » Quod si ex semine David, ergo et ex tribu Juda, ut confirmetur veritas Dei, dicentis per os patriarchæ Jacob : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* xlix). » Quod si ex tribu Juda, ergo ex semine Abrahæ, ad quem primum dictum est : « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* xxii). » Jam de cætero femur Jacob marcidum fit, sic-

B ut vere est. Nam revera emarcuit, ita ut jam neque rex, neque dux, neque propheta, neque sacerdos possit inde sperari, et omnino vigor, sive viror ejusmodi sic defecit in illo, ut sic infidelis, imo et infideli deterior, qui spem habet in carne ejusdem populi, recepturus Antichristum sub nomine Christi.

LIBER SECUNDUS.

Gloriam Dei, gloriam quam prædicare intendimus, et honorem Filii hominis enarraturi erant quidam cœli, juxta illud propheticum : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* xviii). » Ejus gloriæ et honoris principium illud est, unde hactenus sermo habitus est, scilicet, quia « in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*ibid.*). » Quod expositione jam non indiget, quia quod sit et tanquam sponsum processisse de thalamo suo, parvuli quoque audierunt, infantes elocuti sunt, qui de illius sponsi virginalibus nuptiis nati, imo renati sunt, et adoptionis filiorum Dei spiritum acceperunt (*Rom.* viii). Nihilominus et hoc fere omnibus notum est, quod cœli illi, qui gloriam hanc enarraturi erant, apostoli fuerunt cœli vocales, cœli eloquentes, quia » non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* xviii). » Quorsum illud? videlicet ad concilii divini, pulcherrimæque dispositionis laudem atque admirationem, quia futuram postmodum talium cœlorum enarrationem, talisque firmamenti annuntiationem et auditum, sive ob auditionem gentium, quæ crediture erant per voces eorumdem cœlorum continuo præsignavit, ubi natus est Christus in his, quæ confestim narrat
575 divinus Evangelista :

Cap. II. — « Cum ergo, inquit, natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes : Ubi

C est, qui natus est rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. » Nonne jam tunc cœli gloriam istam enarraverunt? Utique narraverunt et alios cœlos, de quibus jam dictum est, enarraturos esse significaverunt. Et sicut tunc magi, id est sapientes utique gentiles, claritatem sive illustrationem istius cœli inanimati, scilicet stellam cognoscentes atque sequentes, venerunt dicentes : « Ubi est qui natus est rex Judæorum ? » sic futurum erat ut gentes illuminationem cælorum, rationalium, id est apostolorum, videlicet donum Spiritus sancti quod acceperant intelligentes, venirent et pœnitentiam sibi ad vitam donari postularent. Item, sicut tunc « Herodes » propter magos seu magorum inquisitionem « turbatus est, et

D omnis Hierosolyma cum illo, et quæsivit puerum ad perdendum eum, » sic futurum erat ut gentibus Evangelium Jesu Christi suscipientibus, eadem civitas Hierusalem, totumque regnum Judaicum seditionibus turbatum conaretur funditus exterminare prædicationem apostolorum, et ipsum quodammodo occidere Christum, occidendo et crucifigendo, flagellando, et de civitate in civitatem persequendo (*Matth.* xxiii), plerosque ex prophetis et sapientibus et Scribis, quos ille misit. Nihilominus, sicut tunc dictum est Joseph : « Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, » et sic fecit Joseph secedens cum puero et matre ejus in Ægyptum, sic futurum erat ut loquens in apostolis suis Christus diceret : « Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quomodo repulistis illud, et

indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes(*Act*.XIII). » Itidem sicut, » defuncto Herode, rursus consurgens accepit puerum et màtrem ejus, monitus ab angelo et venit in terram Israel, » sic futurum est quod Apostolus ait: « Quia cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom*. XI). » Sed ut ad inceptum revertamur, quid pertinuit ad istam gloriam Dei signum ejusmodi ?» Vidimus, aiunt, stellam ejus in Oriente ? » Ad hæc, inquam. Multum ad rem tale signum pertinuit, si rite recorderis, quia quando pepigit Dominus cum Abraham fœdus, a quo liber generationis Jesu Christi cœptus est, et ad quem beati seminis repromissio facta est, tunc etiam eduxit eum foras, et ait illi : « Suscipe cœlum et numera stellas, si potes(*Gen*. XV). » Ac deinceps: « Sic erit semen tuum. In die illo, ait Scriptura, pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens : Semini tuo dabo terram hanc(*ibid*.),» etc. Hinc Apostolus : « Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo qui est Christus (*Galat*. III). » Hic unus est, « propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in illam gloriam adducere veniebat (*Hebr*. II). » Ut sicut in cœlo stellæ innumerabiles sunt, si essent splendidi et incommutabiles per ipsum, atque incompleretur quod fidelis et verax promisit, sic erit semen tuum. Recte igitur non qualecunque signum, sed novum sidus cœli dederunt, videlicet propter ejusmodi promissum, quodammodo dicentes nobis: Laudate et congratulamini quia fœdus, quod pepigit Deus cum Abraham, non fecit irritum (*Gen*. XVII) ; implevit quod promisit : « Suspice stellas, sic erit semen tuum (*Gen*. XV). » Hoc angeli scientes, eadem nocte primi glorificaverunt eum, quorum grandis exercitus, et magna fuit multitudo laudantium et dicentium : Gloria in altissimis Deo (*Luc*. II), » qui etiam congratulantes nobis, subjunxerunt: « Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*ibid*.).» Illud quoque ad rem pertinuit; quod evangelista cum dixisset : « Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Judæ,» statim et locum nativitatis et tempus expressit dicendo « in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis.» Quam ad rem hoc pertinuit? Nimirum ad veritatem ejusdem Dei, qui per eos patriarchæ Jacob, taliter prælocutus est: « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est (*Gen*. XLIX) : » quique sicut Abrahæ, ita et Bethlehemitæ David promisit atque juravit, hunc Jesum Christum de semine ejus nasci. Non ante debebat auferri sceptrum et dux de Juda, donec iste veniret, alioquin fidelis et verax non appareret Deus, qui in patriarchis et prophetis locutus est, quique in patriarcha memorato tempus fere præfinivit, et in propheta, videlicet Michea, locum præsignavit: « Et tu, inquit, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel (*Mich*. V). » Nonne sceptrum ablatum erat de Juda, et dux de femoribus ejus defecerat cum regnaret Herodes patre Idumæo, et matre ortus Arabica ? Igitur dicendo « in Bethlehem Judæ in diebus Herodis,» scienter argumenta præbuit veritatis, breviter et sufficienter edicens, sic oportuisse fieri, id est tunc temporis debuisse nasci Christum, quo tempore narraverat eum esse natum, et illum debere nativitatis esse locum propter veritatem Dei confirmandas voces prophetarum, fuerat autem conceptus in civitate Galilææ, cui nomen Nazareth. Quamcunque ob causam in illa civitate Galilææ tunc fuerint vel habitaverint Joseph et Maria, cum essent de domo David, nihilominus ut nasceretur Jesus in Bethlehem Juda, Deus miro providit modo, videlicet propheticæ veritati famulante Romano imperio. Denique Cæsar Augustus hoc modo famulatus est illi, ut et auferret sceptrum et ducem de Juda dando regnum Judææ Herodi alienigenæ, Antonio suffragante, unde et hic dicitur, « in diebus Herodis regis, et edictum proponeret, « ut describeretur universus orbis (*Luc*. II) : » quæ causa effecit ut ascenderet « Joseph cum Maria desponsata sibi uxore prægnante, in Bethlehem civitatem David eo quod esset de familia et domo David(*ibid*.).» Sic miro modo famulatum est nativitati Jesu Christi et propheticæ veritati, tam Romanum imperium nesciens, quam cœlum inanimatum sentiens; Romanum, inquam, imperium, tale edictum proponendo, cœlum autem, tale signum, id est novam stellam proferendo. Unde propheticum illud impletum est: « Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel (*Num*. XXIV). » Locum ipsum magi, licet divinitus inspirati, nescierunt ; quippe qui non in Bethleem, sed primum Hierosolymam venerunt dicentes: « Ubi est qui natus est rex Judæorum? » Magis in sublimi quam in humili loco, magis in regia civitate quam in vico mediocri, magis in turba divitum quam in silentio pauperum nasci posse et quærendum esse putaverunt regem Judæorum; itaque Hierosolymam venerunt, sed hoc tale erat, ac si parvum non attendentes virgultum, ad excelsa suspicerent ligna silvarum. Dixerat autem Spiritus sanctus per prophetam : « Excelsi statura succidetur, et sublimes humiliabuntur, et subvertentur condensa saltus ejus ferro, et Libanus cum excelsis cadet. Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isai*. X), » et cætera. Et est sensus : Inter superbos erunt jurgia, contra semetipsos dimicabunt et cadent: quod tunc maxime factum est, quando Herodes homicidia, imo et parricida ad omnem Davidicæ stirpis odorem sæviens et contra omne regium genus dentibus stridens, nec uxori pepercit, nec socero, qui erant regii generis, et proprios quoque filios crudeliter morte damnavit. Vane furebat, **576** frustra insaniebat diabolus in illa sua securi, in qua secabat; quia non de excelsis cedris, aut robustis quercubus, sed de gracili virga, quæ inter arbusta latebat, flos erat ascensurus, id est non de superbis et purpuratis divitibus, sed de humili virgine, qualis in plebe vix

cognosci posset, Christus erat nasciturus. Hoc illi, videlicet magi, nescierunt, et quidem poterat facere Deus in primis, quod fecit postmodum, ut scilicet venientes illos ab Oriente, continuo « stella quam viderant, antecederet, usque dum veniens staret supra ubi erat puer ; sed dilatio hæc utilis erat, ut interim qui de cœlo acceperant signum, audirent de Scriptura testimonii firmamentum, quod æque nunc prodest nobis, propter quos est scriptum, ut profuit illis, propter quos tunc fuit recitatum. Quid tandem de muneribus dicendum, quæ illi obtulerunt ? Auditum et celebre factum est in universo orbe gaudium ipsorum. Quia videntes stellam antecedentem se, quam viderant in Oriente, et stantem « supra domum ubi erat puer, gavisi sunt gaudio magno valde ; et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum ; et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. » Vere cœlitus inspirati, vere cœlesti ministerio docti, veramque et cœlestem habentes materiam gaudendi. Quid, inquam, hic dicendum, nisi quia prophetæ ipsi et prophetica ipsorum munera fuerunt ? Veritatem et mansuetudinem et gloriam et honorem protestati sunt, veritatem assumptæ carnis, mansuetudinem, id est humilitatem passionis, gloriam regni, et honorem divinitatis, unius ejusdemque Jesu Christi. « Quatuor facies uni erant, ait propheta, facies hominis, facies leonis, facies vituli, et facies aquilæ volantis (*Ezech.* x). » Quatuor istas facies quatuor constat esse sacramenta, quæ nescire non licet homini Christianæ professionis, scilicet Incarnationem, passionem, resurrectionem atque ascensionem ejusdem Jesu Christi, quarum circa inspectionem facierum tota versatur intentio præsentis opusculi. Faciem unam ex his, videlicet faciem hominis præsentem invenerunt, quam et procidentes adoraverunt, cæteras mysticis muneribus mirabiliter præsignaverunt. Myrrha faciem vituli, id est sacramentum passionis, qua ipse sacrificandus atque mistura myrrhæ et aloes condiendum erat in sepultura corpus ejus. Aurum faciem leonis, id est gloriam resurrectionis per quam caro, quam ex nobis mortalem susceperat, tantum meliorata est, quanto aurum pulvere seu limo terræ pulchrius atque pretiosius est. Thure faciem aquilæ volantis, id est sublimitatem ascensionis, et confessionem ad dextram Patris, ex qua dato hominibus Spiritu sancto cognitus est quod Deus sit idem Filius Dei, cui sacrificium incensi legitimum jure debeat offerri, æque ut Patri, et sancto Spiritui. Et ejusmodi myrrham tota quidem illi offert sancta Ecclesia, dum credens et confitens, quod vere passus mortuis et sepultus fuerit, vitiorum in se mala propter eum mortificat, maxime autem exercitus martyrum, qui gustu mortis amaro passioni ejus communicaverunt. Item thus ejusmodi, tota quidem illi offert Ecclesia credens et confitens, quia vere Deus est, et « omnis in eo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat (*Coloss.* II), »

A maxime autem sanctorum ordo sacerdotum, qui propter eum cœlibem ducentes vitam, semper altari præsto sunt, offerre illi incensum dignum, et omne sanctum jugiter exsequi sacri altaris ejus ministerium. Itidem aurum ejusmodi tota quidem illi offert Ecclesia, credens et confitens, quia surrexit et immortaliter regnat qui mortalis et mortuus fuerat, maxime autem regum et principum potentia, divitumque fidelium opulentia, qui ad construendas nomini ejus ecclesias, aurum et argentum illi fideliter obtulerunt, domumque ejus, « qui cum dives esset, propter nos pauper factus est (II *Cor.* VIII), » largis donariis ditaverunt, juxta illud propheticum, quod tam secundum litteram quam secundum spiritum verissimum est. Et vivet, id est resurget, « et dabi-

B tur ei de auro Arabiæ. Reges Tarsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent (*Psal.* VII). » Recte igitur munera hæc ore sacro evangelista magnificavit, et sic magnifice enuntiavit, ut dicturus, « obtulerunt ei munera, » præmitteret, « et apertis thesauris suis. » Nam vere thesauri fuerunt, et thesauri merentur appellari, non tam sistartia seu thecæ qualescunque, quibus clausæ portari poterant species ejusmodi, quam corda ipsa offerentium, quorum ex abundantia potuerunt invisibili Deo invisibiliter proferri causæ tam sanctæ, quas Ecclesia sancta in illis speciebus visibilibus venerabiliter intelligit. Nihilominus et gaudium illorum sic magnificavit, ut non contentus dixisse, « gavisi sunt gaudio magno, » adderet, « valde, » quia revera gavi-

C si sunt, « gaudio magno gavisi sunt, » et gaudium eorum fuit in Spiritu sancto, qui et judicantem et exsultationem thesaurizavit super eos, quibus nihil defuit de plenitudine scientiæ vel fidei, quæ a nobis exigitur diutina sanctarum Scripturarum lectione instructis, quod comprobatur ex ipsorum muneribus bene consideratis. Et vide quanta sit distantia in modis discendi, quantum distet inter eruditionem illius qui per angelum sive per hominem et illius qui per solam Spiritus sancti revelationem meretur erudiri. « Pastores » itaque Judæi, quippe qui « in regione eadem erant vigilantes, et custodientes vigilias noctis supra gregem suum (*Luc.* II), » non per hominem, sed (quod majus est) per angelum, natum sibi esse Salvatorem Christum Dominum didicerunt, et

D tamen non adeo docti sive eruditi fuerunt, ut procidentes adorarent, aut munera offerrent, sed tantummodo venerunt et « cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, et reversi sunt glorificantes et laudantes Deum (*ibid.*). » Isti primitiæ gentium, neque per hominem docti, neque per angelum, sed per Spiritum sanctum, modo de quo jam dictum est, laudem perfecerunt, et tres homines, tribus partibus orbis, Asiæ, Europæ atque Africæ fidei vel confessionis atque adorationis exemplar existere meruerunt. Interea decet reverenter intueri, quam veraciter sancta Scriptura dixerit de isto tali filio hominis : « Minuisti eum paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII). » Denique ut factus erat ex mu-

liere, factus sub lege (*Galat.* iv), ita et factus est sub legibus naturæ, sub legibus infantiæ nihil pro semeptiso visibiliter agens, nihil hominibus per semetipsum loquens patronos habere dignatus angelos, qui agerent pro puero, loquerentur pro infantulo, et hoc duntaxat in somnis, qui non præcellentior est modus visionis. Ante et post minorationem talis filii, manifeste visos esse angelos legimus hominibus servis et ancillis hujus Domini ; interim autem dum minor est, non manifeste, sed in somnis ubi descenderat in uterum virginis, « angelus Domini in somnis apparuit Joseph, dicens : Joseph, fili, David noli timere; accipere Mariam conjugem tuam ;» in somnis nihilominus eidem B. Joseph : «Surge, inquit, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.» — « In somnis» itidem» surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel ; » — « in somnis » rursus, dum timeret in Judæam ire, eo quod « Archelaus regnaret pro Herode patre suo, admonitus secessit in partes Galilææ. » Sic et magi isti « in somnis » acceperunt **577** responsum, « ne redirent ad Herodem, et per aliam viam reversi sunt in regionem suam. » Ita quasi dedignentur manifeste loqui, loquuntur in somnis sancti angeli servis Domini sui non dedignantes, sed pro voluntate ejusdem Domini sui Scripturam veritatis honorantes, ut seipsos non tantum servis Domini sui, verum etiam ipso Domino suo sciant et recognoscant esse majores, cujus videlicet majoritatis novissimum illic fuit judicium sive testimonium, ubi eidem Domino in passione agonizanti « apparuit angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* xxii). » Legimus quidem angelos ministrasse illi, cum adhuc esset minor angelis, sicut scriptum est, « reliquit eum tentator et accesserunt angeli et ministrabant ei (*Matth.* iv); » sed illud huic sensui non valde repugnat, cum Heliæ semel et iterum angelus eo modo ministraverit. « Projecerat se Helias et obdormierat in umbra juniperi, et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge, comede. Respexit et ecce ad caput suum subcinericius panis et vas aquæ. Comedit ergo et bibit, et rursus obdormivit. Reversusque est angelus Domini secundo, et similiter fecit (III *Reg.* xix). » Quomodo Heliæ ministravit angelus, ut deinde jejunaret quadraginta diebus et quadraginta noctibus, quid mirum si eodem modo ministraverunt angeli huic Filio hominis cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus? Hæc idcirco dicta sunt, quia valere nobis debent ad cognitionem cœlestis disciplinæ, ad venerationem magistri hujus qui dicit, et « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi); » qui, sicut natura vel humana conditione, ita et ipso usu naturæ dignatus est angelis suis minor existere, juxta quod ipse testificatus est, dicens : « Quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx). » Quid porro ipsa mater? Nunquid non saltem ipsa loquebatur, aut loqui poterat? Imo ipsum valde illud decebat, quod alius evangelista semel et secundo me-

A morat dicens : « Maria autem conservabat omnia verba hæc in corde suo (*Luc.* iv). » — « Tempus tacendi, ait Salomon, et tempus loquendi (*Eccle.* iii). » Discretionem ejusmodi virgo sapiens et prudens non ignoravit. Inde collaudans eam sponsus, quod utique fuit illi Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, cui concepit et peperit, dicit in Canticis : « Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus (*Cant.* iv). » Denique hoc quidem sponsus Christus Dei Filius, convenienter dicit sponsæ suæ Ecclesiæ, sed hoc ipsum non minus congrue dicat persona Dei Patris, dilectæ sibi beatæ Mariæ, statim subjungens : « Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus (*ibid.*). » Etiam hoc præmiserat : « Favus distillans labia tua sponsa, mel et B lac sub lingua tua (*ibid.*). » Quandiu Filius hominis manere debuit minoratus paulo minus ab angelis, fere tandiu fuit beatæ Virgini tempus tacendi, et tandiu tacuit, tandiu in silentio fuit, velut « hortus conclusus. » — « Hortus, inquam, conclusus, fons signatus, » quo accedere, cujus secretum audire nullus meretur nisi cognitus, nullus cui talis hortus talisque fons clausuram vel signaculum oris sui aperire indignum arbitraretur, ubi autem gloria et honore coronatus est Filius hominis resurgendo, et in cœlum ascendendo, ubi sedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem beatæ Virgini fuit tempus loquendi et hoc amicis, id est sanctis apostolis et talia loquendi, qualia prius portare non potuissent, quod sciens : ipse Filius hominis, dixerat quodam loco : « Ad-C huc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo (*Joan.* xvi). » Ubi venit, spiritus veritatis, primus quidem et princeps ipse illos omnem veritatem docuit, sed et ipsa beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit, et taliter locuta est auribus fidelibus ut proinde recte dicat dilectus ejus Deus : « Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cyprus cum nardo, nardus et crocus, fistulla et cinamomum, cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano (*Cant.* iv). » Igitur Dei Filius, homo vel Filius hominis factus, et ita paulo minus ab angelis imminutus D (*Hebr.* ii), somniantibus magis et beato Joseph nutritio ejus, vigilantibus autem angelis in custodia ejus, Herodis homicidæ malitiam elusit, « et in Ægyptum fugit, eratque ibi usque ad obitum Herodis. » Ut quid hoc ? « Ut adimpleretur, ait evangelista, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum (*Ose.* xi). » Puta dixisse illum, ut per omnia fratribus assimilaretur, juxta quod Apostolus loquitur : « Nusquam enim angelos apprehendit. » Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipsa tentatus, potens est eis qui tentantur, auxiliari (*Hebr.* ii). » Quis

enim filius, quis est de cunctis fratribus ejus, quem non ex Ægypto vocaverit Deus? Novit sanctorum fides, et in ore fidelis Ecclesiæ frequentissimum est, quia cunctis filiis Dei mundus iste, in quo quandiu « sumus in corpore, ait Apostolus, peregrinamur a Deo (*II Cor.* v). » Ægyptus est, et hoc in illa parte mundi, quæ vulgo vocatur Ægyptus, figuratum est, qualiter vocet Deus omnem filium ex Ægypto hujus mundi, id est « de tenebris in admirabile lumen suum (*I Petr.* II), per illud, quod sicut sacra narrat historia, populum illum, qui in Ægypto servivit carneo Pharaoni, vocavit Deus exinde tam admirabili ordine in terram promissionis (*Exod.* v). Præter hanc universalem peregrinationem, quam universi peregrinamur in Ægypto hujus sæculi, propter prævaricationem Adæ, « in quo omnes peccaverunt, ait Apostolus (*Rom.* v), » hoc illi plus habuerunt quod in illa Ægypto peregrinati sunt, et carneo Pharaoni in luto et latere servierunt propter peccatum proprium, quia vendiderant illuc in servum Joseph fratrem suum (*Gen.* XXXVII). Ergo quia debuit filius iste unigenitus per omnia fratribus assimilari, excepta duntaxat participatione peccati, oportuit illum fugere, et in illa Ægypto peregrinari, et ita incipiendo, taliter totum peragere cursum vitæ præsentis in tentationibus suis, ut veram in semetipso præsentaret similitudinem utriusque peregrinationis necnon et utriusque vel vocationis, vel reversionis fratrum suorum, qui sunt omnes electi, scilicet et illius, qua et illi filii Israel in Ægypto peregrinati, et exinde vocati sunt, et hujus, qua omnes in Ægypto hujus sæculi peregrinamur, et hinc quia filii sunt, quotidie vocantur. Igitur « ut adimpleretur, ait, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum (*Ose.* XI), » id est ut assimilaretur per omnia fratribus et « præ illorum similitudine per omnia tentaretur absque peccato (*Hebr.* IV), » quia ad veram promissionis terram vocati vel vocandi sunt, oportuit illum in Ægyptum fugere, et illic peregrinari, peccatum nec originale habentem, propter quod exsul in hoc mundo esse deberet, ut sumus nos omnes, nec actuale, propter quod in illa Ægypto peregrinatur, ut peregrinatus est propter domesticum, de quo jam dictum est, peccatum populus ille, de quo ipse secundum carnem natus est, ubi servivit exsul ille, qui post eam quæ ad Abraham facta est, promissionem primus persecutionem pertulit, scilicet Joseph et deinde Jacob, et omnis domus ejus intravit, illic exsulando, iste passionum vel **578** tentationum suarum initium sumpsit. Ille populus Israel ex illa Ægypto vocatus, mare transivit, et deinde in deserto quadraginta annis tentatus est, quia Dominum tantavit. Iste puer Israel, sicut propheta dixit: « Quia puer Israel est, et ego dilexi eum, vocans ex Ægypto postmodum, quali oportuit modo mare transivit (*Ose.* XI), » id est baptizatus est in baptismo Joannis, statimque ductus est in desertum a spiritu, non quadraginta annis tentavit, sed tenta-

A tus est quadraginta diebus. Itidem, ille populus Israel non ante, sed postquam tentationibus exercitatus fuit, terram repromissionis introivit, iste puer Israel, non ante, sed postquam tentationes superavit, regnum Dei appropinquare prædicavit (*Matth.* IV), » et « ecce regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII), » inquit. Itaque assimilatus erat fratribus illis, id est electis prioris populi, sed necdum assimilationis perfectio vel finis. Ventum est ad aliam Ægyptum, cujus illa terra Ægypti fuit exemplum. Quæ est illa Ægyptus, nisi infernus? Illic detinebatur captivus fratrum ejus, id est sanctorum populus, quos omnes statim transduxit per mare Rubrum, id est per sanguinis et aquæ decurrentis ex latere suo sacramentum, et inimicos eorum, id
B est peccatum eorum operuit mare illud et usque nunc operit inimicos nostros, qui eodem Sacramento baptizati sumus. Nonne ergo per omnia fratribus assimilatus est, ut debuit, ut eos assimilaret sibi, qui ad fratres suos per multas tentationes usque ad infernum descendit ut eos faceret cohæredes et comparticipes sui. Eorum omnium quæ pertulit, principium fuit illud quod in Ægyptum fugit, et idcirco competenter evangelista meminit illius testimonii, et retulit ad eum: « Ut adimpleretur inquiens, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. » Ad summum quoniam non illic ubi narravit dixisse angelum: « Surge, et accipe puerum et matrem ejus et vade in terram Israel, » quod et facit Joseph; sed ubi nar-
C ravit, « quia consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum, » illic assumpsit hoc testimonium propheticum: « Ex Ægypto vocavi filium meum. » Quid si ipsam Judæam propter persecutiones Ægyptias, sive ipsam Hierusalem appellari voluit Ægyptum? Scriptum est enim in Apocalypsi: « Et corpora eorum ponent in platea civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est (*Apoc.* XI). » Et ad ipsam Hierusalem loquitur Dominus per prophetam: Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? » (*Jer.* II.) Plura sunt exempla hujusmodi, quam ut præsenti loco possint cuncta conscribi, per quæ comprobari queat illa terrena Hierusalem, et Sodoma, et Ægyptus, et populus Judaicus jure et Ægyptus, et Chananæus,
D sive Cethæus magis quam Israel fuerit appellatus. Quare autem loco præsenti Judæam sive Hierusalem illam magis Ægyptum, quam Sodomam sive Chanaan placeat appellari? videlicet propter similitudinem præsentis peccati, quia « turbatus est Herodes, et omnis Hierosolyma cum illo, » quoniam audierat in Bethlehem natum esse regem Judæorum. « Et mittens, occidit omnes pueros qui erant in ea, et in omnibus finibus ejus. » Nonne hoc simile est illi, quod præcepit obstetricibus Ægypti, dicens: « Quando obstetricabitis Hebræas; et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite illum, si femina, reservate (*Exod.* I). » Itemque po-

pulo suo : « Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite, quidquid feminei, reservate ? » (*Exod.* I.) Nimirum et hic in Herode, et illic in Pharaone unus erat diabolus, in utroque unus idemque bacchabatur malignitatis spiritus. Illic idcirco necari volens omnes masculos, ut non esset semen, unde secundum promissionem, quæ ad Abraham dicta fuerat, Christus nasceretur, hic autem idcirco pueros omnes occidere properans in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, ut dum omnes occiderentur, non evaderet ille qui solus timebatur. Igitur non absurdum, imo rationabile est et verum, si dicas, tunc ex Ægypto vocatum esse filium istum, quando fugit Joseph puerum deferens ad illam, quam Scripturæ auctoritas spiritualiter et Sodomam vocat, et Ægyptum, et idcirco evangelistam recte non tunc, quando reversus est in terram Israel, sed tunc quando secessit in Ægyptum, dixisse adimpletum hoc propheticum, « ex Ægypto vocavit filium meum, » ut sit sensus : De manu Herodis eripui eum, et de manu omnium qui quærebant animam ejus, qui vere Ægyptii fuerunt. Difficile et nimis longum est, ea quæ sequuntur hoc dictum : « Et ex Ægypto vocavi filium meum, » discutere et tractare, ut manifeste constet, quod pertineant ad tempus et rem pro qua sumptum est ad testimonium veritatis evangelicæ. Proinde his omissis, videndum est et illud quod deinde subjungit : « Tunc, inquit, adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. » Hoc taliter apud Hieremiam scriptum est : « Hæc dicit Dominus : Vox in excelso audita est lamentationis, fletus et luctus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari, quia non sunt (*Jer.* XXXI). » Paucisque interpositis, quæ pertinent ad consolationem lamentantis sive plorantis, causam illam satis evidenter dicit, propter quam pueros juxta veritatem Evangelii funestus Herodes occidit. « Quia creabit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum (*ibid.*), » id est non deforis semen admittet, sed intus de Spiritu sancto concipiet et pariet filium. Nunquid vero propter istum quem femina circumdedit virum, propter istum qui de Virgine natus est regem Judæorum, soli infantes illi in Bethlehem et in omnibus finibus ejus occisi ? imo innumera in orbe terrarum millia martyrum, sed illi primitiæ fuerunt quos omnes Rachel, id est mater Ecclesia nunc usque deflet, et non vult consolari, quia non sunt, donec resurgant et immortaliter cum illo vivant qui est, quemadmodum dicit : « Ego sum qui sunt (*Exod.* III). » Quare autem talis mater, scilicet Ecclesia, præsenti loco nominari debuit Rachel ? Videlicet quia mater illius, qui primus a tempore promissionis persecutionem propter justitiam passus est. « In servum quippe venundatus est Joseph, humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransivit animam ejus (*Psal.* CIV) ; » mater, inquam, illius dicta est Rachel. Itaque et mater Ecclesia sive omnis anima, quæcunque Christiano persecutionem propter justitiam patienti compatitur, recte apud prophetam istum dicitur Rachel, et omnis ille, quicunque persecutionem propter justitiam patitur, recte nihilominus apud alium prophetam, videlicet Amos dicitur Joseph : « Sicut David, inquit, putaverunt se habere vasa cantici bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph (*Amos.* VI). » Non dixit, nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre « Joseph, » ut quilibet frater sive matris Ecclesiæ filius, proprio significaretur ejus nomine, cujus ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. Et hoc miro decore dixit, videlicet quia, supra dictum est, primus iste a tempore promissionis contritionem, id est persecutionem **579** propter justitiam passus est (*Matth.* V), ita ut « ferrum animam ejus pertransiret (*Psal.* CIV). » Porro, ista mater qualiter et ploret, et consolari nolit, melius sentiri potest per experimentum quam per solum lectionis auditum. Qui enim ? Nonne ploratus ejusmodi dulcior est omni consolatione præsentis sæculi ? Dicit namque ille, quisquis est, qui ploratum hunc, quam sit dulcis, expertus est : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes dies ac nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus (*Psal.* XLI). » Sed dicit aliquis : Si bonum est matri huic filios suos plorare, si optimum est consolari nolle sive consolationem renuere, quomodo ploranti Dominus ibidem apud eumdem prophetam verba consolationis ingerit, et eam a ploratu compescit ? Ubi enim dixit : « Vox in excelso audita est lamentationis, fletus et luctus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt (*Jer.* XXXI), » continuo sequitur : « Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus, et revertentur a terra inimici tui, et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii tui ad terminos suos (*ibid.*). » Quomodo et Dominus eam consolatur, et ipsa consolari non vult ? Si bonus, ut jam dictum est, illius est ploratus, quomodo dicitur ei : « Quiescat vox tua ploratu ? » Ad hæc inquam : Non unus, idemque est ploratus ille, cujus vox in excelso audita est, et ille, cujus vocem Deus audire non vult, dicens : « Quiescat vox tua a ploratu. » Ploratus namque alius est veniens ex spiritu Dei, et alius veniens ex spiritu hujus sæculi. Hinc Apostolus : « Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur (II *Cor.* VII). » Non multis opus est ; nam qualem ploratum interdicat Dominus, dicens : « Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, » ipse in eo de Apostolo determinat cum dicit : « Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent (I *Thess.* IV). » Denique et quod hic subjunxit consolando, « quia est spes novissimis tuis,

et revertentur filii ad terminos suos, » idem est quod ibidem subjungit Apostolus : « Si enim credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum adducet cum eo (I *Thess.* IV), et cætera usque ad id: « Itaque consolamini invicem in verbis istis (*ibid.*). » Ploratum alium, ploratum sive luctum tristitiæ, quæ est secundum Deum, non solum non interdicit, verum etiam beatificat idem Dominus : « Beati, inquiens, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Igitur et laudabiliter plorat, et laudabiliter consolationem renuit Rachel, et cur ita faciat causam rationabiliter habet, videlicet « quia non sunt, » id est quia nondum ad immutabilitatem filii ejus pervenerunt, de qua videlicet immutabilitate in psalmo dictum est : « Hierusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI). » Quamvis in cœlo sint animæ sanctorum, nondum est illis idipsum, quia videlicet adhuc in pulvere dormiunt corpora ipsorum (*Job* XXI), adhuc in hoc sæculo peregrinatur pars ipsorum, adhuc nascituri sunt, quia pertineant ad numerum ipsorum. Quando, sicut in propheta Dominus dicit, » filii, quos plorat Rachel, revertentur ad terminos suos, » id est quando Deus, sicuti ipse in Apostolo loquitur, eos « qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo (*I Thess.* IV), » tunc erit idipsum, tunc consolabitur mater super filiis, quia sunt, quia « tunc videbunt sicuti est (I *Joan.* I), » eum qui dicit : « Ego sum qui sum (*Exod.* II). » — « Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, » et cætera usque ad id, « et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur. » Cum cætera satis per se clareant, illud solum quæstione indiget, cur cum dixisset, « et habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, » causam hanc subjunxit : « Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur. » Quid enim ? Nisi habitasset vel nutritus fuisset in civitate quæ vocatur Nazareth, non esse Nazaræus, id est Deo consecratus ? Ad hæc, inquam : Esset quidem, esset plane Nazaræus, hoc est consecratus sive Nazaræus, id est sanctus, sed non ita vocaretur. Oportebat autem illum ita vocari, quoniam ita per prophetas Spiritus sanctus prænuntiavit quod sanctus imo et Sanctus sanctorum ipse sit. Exempli gratia : « Væ, inquit Isaias, genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati retrorsum (*Isai.* I). » Item : « Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt Spiritum sancti ejus (*Isai.* LXIII). » Et ad Daniel angelus loquitur : « Ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum (*Dan.* IV). » Ipsum quoque verbum Hebraicum Nazaræus, quod hic evangelista posuit, de prophetis sive prophetiis reservatum accipimus : « Benedictiones patris tui confortatæ sunt, ait propheta et patriarcha Jacob, benedictionibus patrum ejus, dodonec venerit desiderium collium æternorum (*Gen.*) XLIX), » quod sine dubio Christus est, desiderium angelorum (I *Petr.* I), et sanctorum omnium, in eum prospicere desiderantium, cujus typum gesserat ille Joseph in eo, quod « in servum venundatus (*Psal.* CIV), » et post carceris angustias Dominus sive princeps terræ Ægypti factus est. Statimque subjungit : « Fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos (*Gen.* XLI, XLIX). » Possumus et hoc dicere, quod juxta veritatem Hebraicam in Isaia scriptum sit : « Exibit virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus ascendet (*Isai.* I). » Moses quoque cum legem Nazarei scribit, dicens inter cætera : « tunc radet Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsariem consecrationis suæ (*Num.* VI), » et subinde : « Post hæc potest bibere Nazaræus vinum (*ibid.*), » et cætera quo, nisi in Christum tendit ? Alioqui nisi cuncta quæ ibi dicuntur, efferri debeant secundum spiritum vivificantem ad spiritualia sacramenta hujus vere consecrati, et vere sancti, quæ utilitas in littera hujusmodi? Oportebat, inquam, ut jam dictum est, illum ita vocari, quoniam ita Spiritus sanctus per prophetas prænuntiavit. Et quare hoc prænuntiavit ? Videlicet quia necessarium est ad æternam salutem omni credenti scire et confiteri quod solus iste sanctus sit, quod peccatum non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus (*Isai.* LIII), et ita sanctus, ita sine peccato (I *Petr.* II), ut etiam tollat et tollere possit peccata mundi : Igitur ut materia daretur tanti nominis, ut quod erat hoc diceretur, scilicet Nazaræus sive Nazarenus, id est consecratus sive sanctus, digne factum quod « admonitus in somnis Joseph fecisset in partes Galilææ, et habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. » Hinc namque occasione accepta, imo agente Spiritu Dei, qui etiam malis bene novit uti, Pilatus famosum et præclarum illum titulum, Hebraice, Græce et Latine super crucem ejus scripsit : « Jesus Nazarenus Rex Judæorum (*Joan.* XIX). » Hujus tituli non parva Spiritui sancto cura vel providentia fuit, ne corrumperetur a pontificibus Judæorum, dicentibus ad Pilatum : « Noli scribere, Rex Judæorum ; sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum (*ibid.*). » Quis enim nisi spiritus Dei, maligni illius **580** animam stare fecit, ut responderet eis : « Quod scripsi, scripsi ? (*ibid.*) » ibi namque servus malus propheticis quorumdam psalmorum bene servivit titulis, scilicet quinquagesimi quinti, quinquagesimi sexti, quinquagesimi septimi, quinquagesimi octavi et quinquagesimi noni, qui videlicet tituli fere omnino homini sunt. In finem ne corrumpas, ipsi David in tituli inscriptione. Nomen Nazareni in illo titulo et si cæteri evangelistæ præterierunt, at Joannes aquilino pervidens oculo, quod multum pertineret ad nomen crucifixi, ut vere Salvatoris (quod est Jesus) et ut vere regis, quod ei pro crimine as-

[illegible] et vere sancti, quod est Nazaremus, A non prælerivit, totumque nobis perscripsit titulum, « Jesus Nazarenus rex Judæorum (*ibid.*). » Ad summum memoriter illud tenendum quod evangelista, cum dixisset, » habitavit in civitate Nazareth, » non ita causam apposuit, ut diceret, « ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus erit, » sed « quoniam Nazaræus vocabitur. » Siquidem non inde sanctus erat, vel est, quia « habitavit in Nazareth, » imo quia de Spiritu sancto conceptus est, sed hoc effecit inhabitatio civitatis illius, qui competenter secundum sanctimoniam suam vocatur Nazaræus, sive Nazarenus, et sic eum vocat omnis lingua Hebræorum, Græcorum atque Latinorum, nec solummodo hominum, verum etiam angelorum malorum pariter et bonorum, hominum piorum pa- B riter et impiorum. Et quod magis mireris, mali angeli sive maligni spiritus, per ejus præsentiam torti, primi hoc nomine illum vocasse leguntur : « Quid nobis et tibi Jesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos (*Marc.* I). » Porro, angeli boni gratulantes in resurrectione ejus, non istud solemniter prædicaverunt : « Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic (*Marc.* XVI). » Homines impii, non solus Pilatus, ubi titulum scripsit supra memoratum, verum etiam illi qui comprehenderunt eum confessione sua provexerunt, vimque vocabuli ejusdem protinus experti sunt. Interrogati namque ab eo, « quem quæritis? Responderunt ei semel et iterum : Jesum Nazarenum (*Joan.* XVIII). » Et eo dicente : « Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (*ibid.*). » C Hoc ordine processit iste gloriosus, et honore dignus Filius hominis, usque ad annum ætatis tricesimum, juxta quod Psalmista prædixerat : « Intende, prospere procede, et regna (*Psal.* XLIV). » Quem videlicet ordinem non recogitantes, imo recogitare, aut requirere nolentes Pharisæi, et idcirco voluntarie errantes, quippe quos excæcaverat malitia ipsorum, dixerunt quodam loco ad Nicodemum, qui nocte venerat ad eum : « Nunquid et tu Galilæus es? » (*Joan.* VII.) Scrutare Scripturas, et vide quia propheta a Galilæa non surgit. Dixerat enim ille : « Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, et cognoverit, quod faciat? » De turba quoque cum propter sermones ejus alii dicerent. Hic est vere propheta, alli Christus, quidam dicebant : D « Nunquid a Galilæa Christus venit? Nonne scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? » (*Ibid.*) Quasi vero fieri non possit et aliquando factum non sit, ut inde alio loco natus quispiam, in alio nutriatur. Imo et si in Galilæa, ubi fuerat conceptus, fuisset etiam natus, nihilominus veraciter de Bethleem castello venisset Christus : nam Bethlehemitis de domo et familia David, erat mater ejus. Alioquin mentitur Scriptura, Ephrathæum, id est Bethlehemitem fuisse dicens Helchanam patrem Samuelis (I *Reg.* I), qui fuit dux populi in reversione a Babylonica captivitate, quique ob hoc dictus est Zorobabel, quia natus est in Babylone, de Judæa non erit, neque alii quicunque nati sunt illic per septuaginta annos captivitatis. Hæc adversus improbitatem illorum, qui quasi ædificantes lapidem hunc reprobaverunt, unde et de peccato suo inexcusabiles sunt, quia si voluissent, cito scire potuissent quod nos juniores scimus et prædicamus, quia quamvis in Nazareth nutritus fuerit, nihilominus de Bethlehem castello venit, ubi erat David, nec quomodocunque venit sed ibi natus fuit. Propheticis libenter immoramur testimoniis, quoniam illa sunt quæ maxime operantur ad clarificationem Filii hominis, cujus gloriam et honorem prædicare (*Joel.* II) præsens opus intendit. Quod non nesciens ipse cum dixisset, « adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo (*Joan.* XVI), » continuo subjunxit : « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis, omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (*ibid.*). » Ex illi erit iste Matthæus, quondam publicanus, et idcirco nondum poterant portare cuncta illa quæ de Scripturis habebat eis dicere, « quia erant homines sine litteris et idiotæ (*Act.* IV). » Factum est quod promisit, venit Spiritus veritatis post resurrectionem et ascensionem ejus, et docuit eos omnem veritatem, sicut apparet tam ex istis quæ jam hic posuit, propheticis quinque testimoniis, quam ex aliis quibus et iste et cæteri evangelistæ valde convenienter utuntur, in causis locisque opportunis. Hoc erat quod dixit, « quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, » quia videlicet suum est omne Scripturarum sacramentum, « sua sunt, » hujus Filii hominis sunt, et in, ipsum tendunt omnia, quæ habet Pater, » subauditur, in thesauris legis, et prophetarum et psalmorum. Quoties aliquid eorum recte intelligimus, quod utique fit per Spiritum veritatis, toties fit quod promisit, « quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis, » atque ita clarificatur ipse in cordibus nostris, dum per testimonia Scripturarum quæ non possunt solvi cognoscitur id esse, quod est verus scilicet Filius Dei, verus quoque Filius hominis. Quomodo autem potuisset decenter vel congrue fieri ut solus ipse, cum esset inter homines, parvus et humilis ; solus, inquam, velut primus testimonium sibi ferret ipse tantæ magnitudinis? Si prodiret in turba, si veniret in cœlum Pharisæorum et Scribarum, quibus ut erat magnum superbiæ supercilium, sic nihilominus magnum erat invidiæ tormentum, ut dicere eis : Ecce ego « quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ (*Joan.* I) ; » ecce ego Messias, « creditis in Deum, et in me credite (*Joan.* XIV), » quomodo consequenter diceret nobis, et « discite a me, quia mitis sum, et humilis corde? » (*Matth.* XI.) Profecto sic illum procedere non decebat, qui est ipsa sapientia, sed nec filiorum sapientiæ quemquam decet, ut ipse primus gratiam prædicet, qualiscunque sibi fuerit

collata, docebat ipsum, cujus hæc sententia est : « Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me (*Luc.* VII,) » dare operam, ut omnis auferretur occasio scandali, illis duntaxat, qui non libenter vellent scandalizari, ut maxime volebant Scribæ et Pharisæi. Idcirco factum est, et revera fieri oportebat, in quod hactenus enarratis evangelista continuo subjungit :

CAP. III. — « In diebus autem illis venit Joannes Baptista, prædicans in deserto Judææ et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum : Hic enim qui dictus est per prophetam Isaiam, dicentem : Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos ejus. Esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre. Tunc exibat ad eum Hierosolyma et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem, **581** et baptizabantur in Jordane ab eo confitentes peccata sua. » Iste ergo Joannes homo magnus pro ipsa magnitudine sui multum debet humilitati Filii hominis, quippe qui propter indigentiam ejusdem, pauperis et egeni propter nos facti, propter nos testimonio magna indigentis, tam magnus et talis venit, qui testimonium perhibens dignus esset audiri, imo non posset contemni. Qualis enim vel quam magnus est propheta hic, de cujus magnitudine prophetaverunt alii prophetæ magni et sancti, teste ipso qui ipsos prophetas misit. « Hic est enim. » ait, « de quo scriptum est : Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. » Nam scriptum est in Malachia propheta (*Malac.* III), quod ipse magnifice confirmans, taliter de eodem pronuntiavit : « Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. » Et ipse Joannes non nimis ultroneus, imo nimis discussus et nimis improbe pulsatus ab inquirentibus (*Matth.* III ; *Luc.* III) : « Ego » inquit, « vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta (*cap.* X), cujus et hic evangelista præsenti loco meminit, et evangelistæ cæteri. Quando venit iste angelus, ista vox clamantis tam magnifice venit, ut conceptus utero senectutis, et sterili, Gabriele archangelo prænuntiante, spiritu suo repleretur adhuc ex utero matris suæ ; tantis nativitatem ejus comitantibus signis, ut timerent omnes vicini, et super omnia montana Judææ divulgarentur hæc, et ponerent omnes qui audierant in corde suo dicentes : « Quid putas puer iste erit ? Etenim manus Domini erat cum illo (*Luc.* I). » Sed fortassis hæc documenta magnitudinis ejus nos quidem scimus quia legimus. Illi autem qui tunc erant præsentes, quoniam a deserto venit, nesciebant aut obliti fuerant a longe præterita, quia tricesimus annus erat. Ad hoc sciendum, quia propter hoc illis non minus reverendus erat, imo et hoc maxime reverentiam illi augebat, quia veniebat ignotus, quia cum hominibus non fuerat conversatio ejus. Inde erat quod Elias esse putabatur, et, quod eo majus est, existimabat populus, et cogitabant omnes in cordibus suis de illo, ne forte ipse esset Christus. Horum omnium, quæ magnitudinem ejus indicant, hic evangelista primum hoc posuit : « Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, dicentem : Vox clamantis in deserto, » etc. Magnum hoc est præconium Joannis quia est vox. Non dicitur vocalis sive vocem habens, sed vox, sicut ipse confessus est, dicens : « Ego vox clamantis in deserto (*Joan.* I). » Et vox utique alterius vox est. Cujus ergo Joannes est vox ? Utique clamantis. Et quis est clamans, nisi ille, cujus omnis vita omne tempus, quo hic in carne deguit, clamor sive inclamatio fuit? Hinc enim Apostolus dicit : « Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum a morte salvum facere, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* V). » Hujus ita clamantis Joannes prima vox fuit. Humilitas quippe vocem non habebat, sed in civitate Nazareth secum habitabat, et annus ætatis ejus jam tricesimus incipiebat. Hoc est quod dicere molitur, quia sicut verbum cujusque nostrum clara vel sonora voce indiget, ut melius audiatur, ita Verbum Dei caro factum testificante Joanne indiguit, ut homines minus in eo scandalizarentur, quod et factum est. Non solum enim apud simplices, verum etiam apud invidentes, et voluntarium scandalum patientes, auctoritas Joannis causam ejus persæpe defendit, ut illic, cum dicerent ei, « in qua potestate hæc facis ? Respondens, dixit eis : Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam, in qua potestate hæc facio. Baptismus Joannis unde erat ? E cœlo, an ex hominibus ? At illi cogitabant inter se dicentes : Si dixerimus de cœlo, dicet nobis : Quare ergo non credidistis illi ? Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. Et respondentes Jesu, dixerunt : Nescimus. Ait illis et ipse : Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio (*Matth.* XXI). » Nec vero illa tamen tempora sive illius temporis aut gentis homines attendere quis debet, sed omnes gentes sive nationes usque ad finem sæculi, quia quocunque et quandiu prædicatur Christi adventus, adest hic idem testis Joannes, et testificans digito suo confirmat quia Christus alius non fuit, nec est, nec erit, nisi is qui putabatur filius Joseph. Hoc valuit magnitudo sive auctoritas illius amici et testis, ut reciperent tunc filium saltem pauci, saltem duodecim, incipientes ab ista voce, qua dixit : « Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Et si non plures illum recepissent, receperunt autem etiam alii nonnulli : sufficere poterant huic sancto Israeliti ad propagandam gentem spiritualem tot spirituales filii, quot secundum carnem filios primus Israel pater ejus habuit Lucas evangelista pulcherrimi prudens auctor eloquii hunc adventum hujus Joannis taliter edicit : « Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato

Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Itureæ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis (*Luc.* II), » etc. Quam pulchre narratio hæc illi propheticæ Danielis visioni concordat : « Aspiciebam in visione noctis et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans (*Dan.* VII). » Et subinde : « Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce in nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur (*ibid.*). » Quid enim erat videre illam talem bestiam, non solum comedentem, sed etiam comminuentem, nisi quod hic pulchre commemorat Romanum imperium, non solum ut cæteras gentes Judæorum regnum suæ ditioni subdidisse, verum etiam in tetrarchias comminuisse ? Ut enim Judaici regni comminueret potentiam, propter nimiam gentis illius insolentiam, idcirco in tetrarchias illud, id est in quatuor principes dissipavit, videlicet Pontium Pilatum, Herodem, Philippum et Lysaniam. Nec vero solummodo regnum, verum etiam sacerdotii principatum, in duos, scilicet Annam et Caipham, dividendo comminuit. Futurum autem erat, ut reliqua pedibus suis conculcaret, quod tunc fecit quando gentem et locum tulit, et eos qui bello superfuerunt in captivitatem dispersit. Nunc igitur levemus oculos nostros, oculos mentis, et prospectum fidei, quia quod illic propheta videbat in visu noctis venientem in nubibus, quasi Filium hominis, dum comedisset, atque comminuisset illa bestia terribilis atque mirabilis et fortis nimis, hoc est, quod hic narrant evangelistæ, venisse et manifestum esse in Israel hunc vere filium hominis, **582** et initium veniendi fecisse a baptismo Joannis, dum regnum Judaicæ gentis sibi subdidisset, et in tetrarchias, ut jam dictum est comminuisset magna potentia Romani imperii. « Incipiens enim, » ait Petrus apostolus, « post baptismum, quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute (*Act.* XV), » etc., usque « Quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum : huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum (*ibid.*). » Initium ergo faciendi veniens a baptismo Joannis, qui latuerat eatenus, habitans cum parentibus Nazareth, et subditus illis, quousque processit ? « Usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum (*Dan.* VII), » etc., « ipse est, » ait Petrus, ut jam dictum est, « qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, » et sicut ait David : « Gloria et honore coronavit eum, et constituit eum super opera manuum suarum, omnia subjecit sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). » Hoc est unde præsenti opere loqui propositum est, ad gloriam et honorem filii hominis, cui sermo bonus est super datum optimum (*Eccli.* XVIII ; *Jac.* I), quem et ipse exoptans dicit ad dilectam animam : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam (*Cant.* VIII). » — « Factum est Verbum Domini (ait jam dictus evangelista Lucas) super Joannem Zachariæ filium in deserto (*Luc.* III), » et idem Joannes apud alium evangelistam, quid ad se dictum fuerit, vel ad quid Verbum Domini super se factum fuerit, prædicat hoc modo : « Et ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans (*Joan.* I). » Item : « Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem in eo, hic est qui baptizat in Spiritu sancto (*ibid.*). » Hoc ex præteritis quæ Scriptura narrat evangelica, satis evidenter constat, quia Joannes nesciebat eum, videlicet eo modo quo invicem sciuntur, vel sciri possunt facies hominum, qui vel pariter commanent, vel aliquando mutuos sibi aspectus præbuerunt. Jesus namque adhuc infantulus necdum biennis, fugerat in Ægyptum, et Joannes puer, nesciens quot annorum, verumtamem in teneris annis, secesserat in desertum. Ergo secundum faciem nesciebat eum, licet secundum spiritum scire potuerit eum jam advenisse, quo agente exsultavit in gaudio, clausus in utero matris suæ (*Luc.* I). Sed « ut manifestaretur, « ait, « in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans, « subauditur et prædicans, quod hic Matthæus primus exprimens : « Venit, » ait, « Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. » Hæc ejus prædicatio viam paravit, ut manifestaretur in Israel iste filius hominis, et appareret in nubibus cœli, perventurus, ut supra memoratum est, « usque ad Antiquum dierum, » id est eligeret sibi apostolus, de quibus dictum est per prophetam : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant ? » (*Isa.* LX.) Testes illos habiturus, et videntibus illis ascensurus in cœlum (*Act.* I), et cum illorum testimonia prædicandus per mundum universum. Et notandum quod primus iste præcursor Domini nomine expresso prædicat regnum cœlorum, sciendumque solum et unicum regno cœlorum regnum esse legitimum, rapinam autem fuisse omnia regna terrarum, præter solam sedem David, quæ hujus regni cœlorum præparatoria fuit. Regna terrarum illa dicimus quæ absque Deo fuerunt, et sine spe regni cœlorum pertransierunt, quorum maxima erant capita leæna et ursus, pardus, et illa sine nomine quarta bestia, quas videlicet bestias Daniel vidit in visione supra memorata (*Dan.* VII), per quas intelligimus quatuor principalia regna,

quorum primum, regnum Babyloniorum, populum Dei captivavit; secundum regnum Persarum et Medorum, agente Aman superbissimo, populum eumdem funditus delere voluit; tertium, regnum Græcorum, mala in eodem populo gessit illa, quæ Machabæorum narrant libri; quartum, regnum Romanorum, et ipsum Filium hominis, tradentibus eum Pontio Pilato Judæis, et martyres ejus usque ad tempora Constantini crudeliter occidit. Quod illic post bestias illas datum sive dandum esse vidit Daniel regnum Filii hominis, dictumque est ad eum: « Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum et sæculum sæculorum (*ibid.*), » hoc est regnum quod prædicans Joannes, præmittit, « Pœnitentiam agite, » et tunc demum causam subnectit, « Appropinquavit enim regnum cœlorum. » Hic jam nec illud prætereundum quod hoc sit propheticæ gratiæ singulare præconium, ubicunque legeris vel audieris ad quempiam factum esse verbum Domini, et hinc prophetas sanctos esse vel dici, quia factum est ad eos verbum Domini. Novissimus omnium illorum iste est Joannes, super quem scribit evangelista (*Luc.* III) factum esse verbum Domini, ut veniret prædicans et baptizans, et sic manifestaretur in Israel filius hominis. Primus autem omnium fuit pater Abraham, de quo sic scriptum est: « Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus sum (*Gen.* XV), » et subinde, « Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo ipsum habebis hæredem, etc. (*ibid.*), » quibus utique verbis promittebatur adventus ejusdem Filii hominis. Igitur cum dicit hic, « In diebus illis venit Joannes Baptista, « subaudiendum est in testimonium. Sic enim alius Evangelista sublimiter enuntiavit, præmittens, « Fuit homo missus a Deo, » cui nomen erat Joannes (*Joan.* I), » statimque subjungens, « Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum (*ibid.*) » Nec verum solummodo ex deserto in omnem regionem Jordanis, verum et ex matris utero in lucem vitæ præsentis in testimonium venit: idcirco senibus justis datus est; idcirco sterili utero conceptus; idcirco adhuc ex utero matris suæ Spiritu sancto repletus est; idcirco cum gaudio multorum et admiratione plurimorum natus est: idcirco duce Spiritu sancto in desertum a sæculo fugit, et vitam angelicam duxit, omnemque ordinem vitæ irreprehensibilem gessit, victu atque vestitu venerabilis, et omni sanctitate mirabilis, ut esset idoneus testis et omnibus his modis in testimonium venit. Sacerdos erat, et patri sacerdoti succedere jure debebat, sed vetera sacerdotii veteris insignia respuens, legemque cæremoniarum in diebus suis esse finiendam optime sciens, solum præelegit prædicare, et in semetipso dedicare pœnitentiam, quæ sacerdotalis officii pars optima est. Noverat quippe, sicut beatus ille et justus Simeon, noverat, inquam,

A « et responsum acceperat ab » eodem « Spiritu sancto » qui hominem talem, pulchrum gratiæ suæ vehiculum paraverat, « non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum (*Luc.* II), » et illum regni cœlorum regem quærendum sibi esse, non per ostensionem sive promissionem aulicæ purpuræ, sed per prædicationem austeræ pœnitentiæ. Nam, « ut manifestaretur, » ait, « in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ (*Joan.* I). » Dicit aliquis: Non poterat alio **583** modo fieri, ut manifestaretur in Israel, nisi prædicando pœnitentiam? Ad hæc, inquam, poterant quidem, sed omnium modorum, quibus hoc fieri poterat, iste modus erat optimus, et pro re magis congruus, magisque necessarius. Quid enim? Nonne
B ad hoc venerat Filius hominis, nonne ad hoc natus erat Agnus Dei, ut pœnitentiam susciperet pro peccatis totius generis humani, et ut pœnitentiam incipiens a jejunio quadraginta dierum, perseveraret agendo illam in laboribus plurimis, « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). « Nonne illa morte a Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris (*Psal.* CXVII), » quod cum lapis ille reprobatus esset, cum foras civitatem projectus ille Filius hominis in cruce penderet, jamque spiritum emisisset, patefactum est latus ejus militis lancea, « et continuo exivit sanguis et aqua? » (*Joan.* XIX.) Hoc fuit, hoc est baptisma ipsius, de quo dixit ipse jam dudum baptismate Joannis baptizatus: « Ego habeo baptismo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur? » (*Luc.* XII). Illo baptismate
C nos baptizandi eramus et baptizati sumus. Hinc Apostolus: « Quicunque enim, ait, baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). » Modus ergo manifestationis hic erat optimus et valde congruus, « ut gloriam humilitas præcederet (*Prov.* XV), » humilitatem gloria sequeretur, atque illic præmonstraretur quali cum fructu susceptam pœnitentiam foret consummaturus. Humilitas quippe fuit, quod venit Dominus ad baptisma servi, et inter peccatores pœnitentiam suscipientes, qui peccatum non fecerat, baptismum pœnitentiæ suscepit. Quæ vel qualis humilitatem gloria continuo secuta est? « Ecce, inquit, aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlo dicens:
D Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. » Hoc et miraculum gloriosum, et majoris fuit gloriæ signum. Similiter namque humilitatem mortis quæ, ut jam dictum est, pœnitentiæ propter nos susceptæ consummatio fuit, secutura erat gloria resurrectionis, qua effulgente, nimirum aperti sunt ei cœli, et ipse in cœlum ascendit, et gratia Spiritus sancti non jam super eum, sed super credentes in eum baptizatos in nomine ejus descendit. Alias autem et vere super eum descendit, quoniam ipse est caput, et ipsi sunt corpus ejus, super quos Spiritus sanctus descendit, nec ob aliud super eos descendit, nisi quia Christus ipse est in eis, quem-

admodum Apostolus dicit « habitare Christum per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* III). » Unde autem huic Joanni, ut tam cito cognosceret eum, diceretque venienti ad se illud memorabile ex humili corde: « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me ? » Dixit enim secundum Joannem, ut supra memoratum est; dixit, inquam, semel et iterum. « Et ego nesciebam eum (*Joan.* I).» Unde ergo tam cito cognovit eum ? Ad hæc breviter respondendum quia per vim prophetici spiritus cognovit eum, utique volentem cognosci, quia jam tempus aderat cognoscendi eum. De illa vi prophetici spiritus, loquitur Apostolus : « Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, etiam occulta cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem, adorabit Deum pronuntians quod vere Deus in vobis sit (*I Cor.* XIV). » Hoc in laude propheticæ gratiæ dicit, quod illi « occulta cordis alterius manifesta sint. » Erat autem Joannes propheta, jamque ex utero matris suæ gratiam propheticam acceperat, spiritu prophetico repletus fuerat. Sed ut et hoc inferam quod aliud verbum Domini factum fuerat, ut Lucas meminit, super Joannem Zachariæ filium in deserto, nisi ipsum, quod caro factum fuerat, ex Mariæ Virginis utero ? Ergone Verbum quod factum fuerat super eum, ut veniret, et assumptum hominem sive carnem quam assumpserat, manifestaret ille in Israel, non ostenderet illi cito quem quærebat, et propter quem ut manifestaretur, obediens Verbo advenerat ? Igitur cum ista sit vis prophetici spiritus, ut jam dictum est, « manifesta facere occulta cordis (*ibid.*), » etiam nolentis, quanto magis manifesta fieri debuerunt Joanni occulta cordis Domini Jesu, præsertim volentis, ut non ex facie mentem, sed (quod mirabilius est) ex mente cognosceret ejus faciem ? Et ille quidem, quisquis est, « cujus occulta cordis ita manifesta fiunt, cadens in faciem, ait Apostolus, adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit (*ibid.*). » Dominus autem Jesus, cujus non est adorare, sed adorari, quo debuit modo, gratiam illam, gratiam propheticam honoravit, cui manifesta facta fuerant occulta cordis sui, quatenus Joannes dicere posset, « Ego a te debeo baptizari, » sive illud secundum Joannem : « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Et quomodo gratiam illam honoravit ? Videlicet pronuntiando, quod vere Deus, vere Spiritus sanctus, vere spiritus propheticus, et plusquam propheticus esset in mente Joannis. Dixit enim ubi opportunum fuit : « Sed quid existis in desertum videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* XI), » etc., usque : « Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat (*ibid.*) » Ubi vero factum est eidem Joanni, quod dixit : « Ego debeo a te bap-

A tizari ? » Oportet namque verum et statera rationis esse ponderatum, quod tali in tempore, talem ob causam, tali tantoque Filio hominis dixit propheta veritatis, homo tanti meriti, angelus tam magni præconii. Ubi ergo factum est ei ? Ubi baptizatus est ab illo qui ad baptismum ejus veniebat, Filio hominis? Illic nimirum, ubi peccata mundi tulit idem Agnus Dei, quem digito demonstravit. Ubi hoc ? Profecto ubi Agnus ipse immolatus est, et nostros sanguine suo postes sacravit, et Pharaonem cum suis Egyptiis ita flagellavit (*Exod.* XII), ut vinceret, qui victus non fuerat decem præceptorum legalium plagis magnis, Pharaonem non carneum sed spiritualem, scilicet diabolum principem tenebrarum. Ubi traduxit illum palam confidenter affigens cruci (*Coloss.* B II),» et mare magnum, mare rubrum, scilicet sanguinem et aquam de latere suo lancea percussus emisit, ibi factum est Joanni quod sperabat, et sciebat dicens : « Ego a te debeo baptizari, » nec soli Joanni, verum etiam sanctis et electis omnibus, qui exspectabant eum ab origine mundi. Et quidem scire poterat, quod ex utero matris suæ sanctus esset, quippe qui sancto Spiritu adhuc ex utero matris suæ repletus est, sed quia erat illi Dominus, sicut scriptum est : « Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humilis spiritu salvabitur (*Psal.* XXXIII) ; » quia, inquam, juxta illi erat Dominus, et de prope sciebat in contritione cordis, et in humilitate spiritus, quod Dominus solus sine peccato esset de virgine natus, ipse autem quamvis magno mu- C nere sacratus, tamen de commistione maris et feminæ fuisset procreatus, sanctitatem illam quasi nescire voluit, nec sibi sufficere judicavit, nisi pro eo funderetur sanguis illius Agni quem videbat, cui loquebatur, Agni solius sancti, solius immaculati. Et revera, nisi mare illud **584** inimicos nostros operuisset, nisi sanguis ille fusus fuisset, et aqua illa inundasset, sanguis redemptionis et aqua emundationis, neque huic, neque illi cui ante hunc dictum est : « Priusquam te formarem in utero, novi te ; et antequam exires de ventre, sanctificavi te (*Jer.* I) ; » neque alicui sanctorum sanctitas ulla suffecisset, quicunque dicti sunt sancti, ut Aaron, de quo Psalmista dicit : « Et irritaverunt Mosen in castris, Aaron sanctum Domini (*Psal.* CV). » Sunt enim plures modi, quibus quidlibet sanctum dici consuevit, ne D cum sanctum audieris, statim perfectum et ab omni putes esse peccato liberum. « Scriptum quippe est in legi Mosi, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Luc.* II). Sanctifica mihi, ait Dominus, omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis, mea enim sunt omnia (*Exod.* XIII).» Et in lege Nazaræi scriptum est : « Sanctus enim erit crescente cæsarie capitis ejus ; omnes dies separationis suæ sanctus erit Domino (*Num.* VI). » Et Joannes quidem istis quoque modis sanctus fuit, utpote primogenitus, ante quem sterilis mater nullum genuit, idemque Nazaræus, uti angelus est, « vinum

et siceram non bibet (*Luc.* I). » Sed nunquid omnis ejusmodi sanctus,qui inde sanctus est,quod primogenitus,immunis a peccato existimabitur? Aut nunquid Nazaræus, quoniam siceram et vinum non bibit,et novacula super caput ejus non ascendit, sive Samson,sive alius quis ejusmodi,ideo consummatæ sanctitatis erit? Verumtamen secundum illum sanctitatis modum, quem infusio sancti Spiritus operatur, « Joanne sanctior inter natos mulierum nemo quidem surrexit (*Matth.* XI),» sed nihilominus Sancti sanctorum Jesu Christi baptismate, id est sanguinis effusione vel ejus morte indiguit,et idcirco veraci humilitate dixit : « Ego a te debeo baptizari.» Nunc vide hunc Sanctum, hunc primogenitum, hunc Nazaræum, quantum deceat sic esse vestitum, ut evangelista refert, dicens :« Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, » et laudari a Domino dicente : « Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? » (*Ibid.*) ubi subauditur non, et sequitur : « Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt (*ibid.*). » Vere talis habitus decebat eum vestimentum de pilis camelorum et zona pellicea circa lumbos,sicut Heliam, de quo itidem scriptum est : « Vir pilosus et zona pellicea accinctus renibus (*IV Reg.* I). » Tales enim utriusque fuerunt mores,et zelus austerus, talisque vita qui non indulgebat sibi ut esset remissior, fluentibusque deliciis luxuriaretur.Hoc de isto confestim Scriptura præsens testatur,quia non molliter peccatoribus blandiebatur. Dixit enim, « videns multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum : Progenies viperarum,quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securus ad radicem arboris posita est.Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum,excidetur, et in ignem mittetur. » Ecce vere hominem non mollibus vestitum,quippe cujus sermo pilis camelorum quibus vestitus erat multo est asperior; unde et non potuit esse in domibus regum, imo in domo regis Herodis et reginæ Herodiadis decollatus est propter sermones ejusmodi, sermones veritatis, quibus ipse non mollis peccatorum molles auriculas et adulationis avidas arguendo nimis offendit. Apud Lucam sensus quidem et verba ipsa pene sunt eadem,nisi quod hic manifestius designat propter quos maxime sic incœperit, « progenies » sive « genimina viperarum,» videlicet propter Pharisæos et Sadducæos, qui erant hæretici Judæorum. Nam Pharisæi ex Hebræo in Latinum interpretantur *divisi*, eo quod traditionum et observationum, quas illi deuteroses vocabant justitiam præferebant,unde et divisi vocabantur a populo, quasi per justitiam. Sadducæi interpretantur *justi*. Vendicabant enim sibi quod non erant.Corporis resurrectionem negabant et animam cum corpore interire prædicabant. Hi quinque tantum libros legis recipiebant,prophe-

A tarum vaticinia respuentes.Igitur cum dicit Lucas : « Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso : Genimina viperarum (*Luc.* III), » hic autem præmisso : « Tunc exibat ad eum Hierosolyma et omnis Judæa et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane,confitentes peccata sua, » tunc demum sic incipit : « Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum,dixit eis : Progenies viperarum. » Constat quod pariter quidem totam,sed non æqualiter totam gentem malitiæ sævientis arguit, quod scilicet invicem invidendo, et invicem mordendo Judæi forent ab invicem consumendi, maxime autem Pharisæi et Sadducæi futuri essent auctores vel causa sibimet tanti mali et iræ superventuræ. Ut

B pro miraculo debeat esse rarus quisque, qui illam sciret vel posset effugere. Nec vero ita denotavit eos solus vel primus. Si quidem prior Moses inter cætera dixit : « Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Nunquid minus est dicere, fel draconum sive venenum aspidum,quam,progenies sive genimina viperarum? Et illos quidem Pharisæos, quibus hæc et cætera dixit, putaremus sic venisse ad eum,ut vellent percipere baptismum,quoniam sic evangelista dixit : « Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ab baptismum suum, » sed repugnat illud quod alius evangelista magis illos insinuat venisse ad insidiandum.« Miserunt, ait, Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent

C eum.Tu quis es? Cumque interrogantibus tandem respondisset : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta (*Joan.* I; *Isa.* XL), » post hanc illius responsionem statim subintulit : « Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis (*ibid.*). » Hoc dicto, deinde sequitur : « Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non est Christus, neque Elias neque propheta? » (*Ibid.*) Per hoc melius intelligitur istud quod ait Matthæus : « Videns multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, scilicet quia venerant,non ut ipsi baptizarentur,sed ut baptizantem calumniarentur, præsertim cum et alius evangelista dicat : « Et omnis populus audiens, et publicani,justificaverunt Deum,baptizati baptismo Joannis, Pharisæi autem et legisperiti consilium

D Dei spreverunt in semetipsis, non baptizati ab eo (*Luc.* VII). » Quod erat illud vel quale Dei consilium,quod Pharisæi spreverunt? Nimirum pœnitentiam agere et dignos pœnitentiæ fructus facere. At illi scilicet Pharisæi confidebant in se tanquam justi et aspernabantur cæteros, sicut attestatur locis opportunis veritas Evangelii. Unde apud Lucam diligenter animadvertendum, quia « interrogabant turbæ dicentes,quid ergo faciemus? interrogabant publicani venientes ut baptizarentur,et dicebant : Magister, quid faciemus? Interrogabant et milites dicentes, quis faciemus et nos? » (*Luc.* III). Turbæ interrogabant,publicani interrogabant,milites quo-

que interrogabant dicentes,« quid faciemus ?» Pharisæi vero nusquam interrogasse leguntur et dixisse, « Quid faciemus ? » Claret igitur quod vel quale consilium Dei, quomodo consilium Dei spreverint Pharisæi, non baptizati baptismo Joannis, quia 585 videlicet erant superbi, confidentes in se tanquam justi (*Luc.* III), » suam justitiam statuere volentes,et justitiæ Dei non subjecti (*Rom.* x), » unde et magno supercilio magistrum pietatis, filiumque patris misericordiarum Christum redarguisse leguntur, dicendo discipulis ejus, « Quare manducat magister vester cum publicanis et peccatoribus ? » (*Matth.*IX).Porro « quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (*Psal.* XCIII),» illa desiderat,ut sciat pœnitentiam agere, desiderat ut possit dignos pœnitentiæ fructus facere. Ille scit, ille confitetur quod justitia nulla sit, quod omnis ex operibus justitia vana sit,nisi testimonium habeat ex fide hujus Filii hominis Jesu Christi, cujus sanguis cum aqua fluens de latere ejus, ut superius dictum est, nisi justos omnes emundasset, immundæ et sordidæ essent omnes justitiæ, juxta illam veridicam confessionem justi et justificandi prophetæ Esaiæ : « Et facti sumus ut immundi omnes nos,et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). » At illi falso justi, et vere peccatores, ne istam cognoscerent justitiam, scutum sui cordis habebant patrem suæ carnis, Abraham, quasi caro Abrahæ, quoniam de illa profluxerant, sufficere posset eis ad justitiam. Proinde cum dixisset : « Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ,» subjunxit atque ait : « Et ne velitis dicere vos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.Jam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.» Hæc eo dicente, opportune reminiscimur sermonis illius prophetici ex ore Hieremiæ : « Maledictus vir qui confidit in homine,et ponit carnem brachium suum, ut a Domino recedat cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili (*Jer.* XVII). Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, et erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas quod ad humorem mittit radices suas,et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis, non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum (*Psal.*I).Quid, quæso, aliud est velle dicere intra semetipsos,« Patrem habemus Abraham,» sive « Pater noster Abraham est,» et hoc adversus Dominum,nisi confidere in homine, et ponere carnem brachium suum, ut a Domino recedat cor eorum ? Nam veraciter ut a Domino corde recederent,imo ut Dominum in sermone caperent, idcirco nonnunquam dixisse leguntur : « Pater noster Abraham est (*Joan.* VIII), » et illud : « Nos ex fornicatione non sumus nati (*ibid.*),» itemque : « Semen Abrahæ sumus (*ibid.*), » et : « Nos autem Mosi discipuli sumus (*Joan.* IX). » Nonne hoc est confidere in homine,et ponere carnem brachium suum ? Fiducia Mosi et carnis Abrahæ, spernere consilium Dei, et gloriari contra Filium Dei,quod sola et unica est gloria Abrahæ, sive Mosi, qua remota, inglorius est Moses, Abrahamque non nisi pulvis et cinis ? « Ne ergo velitis, » ait, « ita dicere intra vos.» Maledictus enim quisque ille est, qui in carne contra consilium Dei gloriatur, ut non faciat dignos pœnitentiæ fructus.Maledictus est ille sicut Chanaan, de quo dixit pater ipsius hanc sententiam maledictionis, « Servus servorum erit fratribus suis (*Gen.* IX). » Etenim ille talis eidem Chanaan similis est,Chananæus et non Judæus est. Hæc enim dicit Dominus ad Hierusalem apud Ezechielem : « Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa (*Ezech.* XVI), » ille, inquam, non quasi oliva est fructifera in domo Domini (*Psal.* LI), sed quasi myricæ in deserto in terra salsuginis et inhabitabili, quæ videlicet arbor ex amaritudine nominata est,gustus enim ejus nimis amarus est,et hæc in solitudine et saxosa humo nascitur. « Jam, » inquit, « securis ad radicem» ejusmodi « arborum posita est » ut « quæ fructum bonum non facit,» excidatur et « in ignem » mittatur,sive illa oliva sive myrica sit.Etenim etiam si de radice bonæ olivæ creverit, sive oleaster aut myrica sit, exciderunt propter sterilitatem, propter incredulitatem.Inde Apostolus : « Si enim, » inquit, « Deus naturalibus ramis non pepercit,ne forte nec tibi parcat, vide ergo bonitatem et severitatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt severitatem,in te autem bonitatem,si permanseris in bonitate,alioqui et tu excideris (*Rom.* XI). » Hoc de invisibili excisione dixit, qua projicitur incredulus a regno Dei,securi excisus divini judicii.Verumtamen et alia excisio illorum propter quos vel quibus dicebat.« Et ne velitis dicere intra vos,Patrem habemus Abraham, » etc., videlicet illa,qua corporaliter quoque excidendi erant et exstirpandi de terra sua, securi visibili, scilicet manu Romana. Hinc Psalmista prædixerat.:« Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum,in securi et ascia dejecerunt eam, incenderunt igni sanctuarium tuum, » etc. (*Psal.* LXXIII). Quid porro est quod ait : « Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ ? » Quos vel quales videbat, sive digito demonstrabat lapides ? Non enim solummodo dixit de lapidibus, sed signanter ait, « de lapidibus istis, » quo videlicet pronomine solemus uti cum digito demonstramus vel demonstrare possumus ipsas res de quibus nobis sermo est. Et quidem sensus verus est,per lapides recte intelligi homines gentiles, lapidea simulacra colentes, de quibus et nos fuimus vel sumus in filios Abrahæ suscitati per fidem Jesu Christi, sed non leguntur tunc adfuisse vel venisse ad Joannem in Jordanem ejusmodi lapides,ejusmodi homines. Quos ergo videbat vel demonstrabat in Jordane lapides ? Putasne illos quos de Jordane tulit,

et quos in medio Jordanis Josue alveo, Domino jubente, posuit : « Elige, inquit Dominus, duodecim viros singulos per singulas tribus, et præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotum pedes, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria. Fecerunt autem filii Israel sicut eis præceperat Josue portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut ei Dominus imperarat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo ubi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis, et sunt ibi usque in præsentem diem (*Josue* IV). » De hoc et de cæteris constat auctoritate Apostoli, quia « omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* X). » Quod cum ita sit, nonne spiritualiter nobis lapides illi prophetæ sunt et apostoli, lapides vivi, lapides magni, qui fidem nostram velut fundamentum portant, necessariamque nobis factis et dictis operum Domini memoriam semper suscitant? Nam de illis lapidibus cur sic a Domino præceptum et sic est factum ? « Quando, » inquit, « interrogaverint vos filii vestri cras dicentes, Quid sibi volunt isti lapides, respondebitis eis : Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini Dei nostri, cum transiret eum. Idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum (*Josue* IV). » Nihil verius quam lapides istos, scilicet prophetas et apostolos, qui significabantur per lapides illos in monumentum nobis usque in æternum esse positos. Si veraciter dixit Apostolus Christi, « Petra autem erat **586** Christus (*I Cor.* X), » cum de petra inanimata, de qua populus biberat, fuisset locutus, quomodo non veraciter dicat præcursor Christi, lapides isti quos Josue Domino jubente pro monumento posuit, prophetæ sunt et apostoli, quorum alios, videlicet prophetas, olim posuit, alios scilicet apostolos sine dubio continuo positurus est (*Ephes.* IV). Et prophetæ quidem quia profundiora vel obscuriora sacramenta continent, quasi medio Jordanis alveo sub aquis latent. Apostoli vero, quia nuda et aperta facie Salvatoris opera testantur, quasi in Galgala positi, quod interpretatur *revelatio*, semper sub dio conspectibus omnium patent. Igitur « Ne cœperitis, » ait, « dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, » id est, ne argumentemini vos pœnitentia vel pœnitentiæ fructibus non indigere, sive regnum cœlorum vobis hæreditarium esse, quoniam secundum carnem estis filii Abrahæ, quia profecto sola caro Abrahæ ad consequendum regnum cœlorum non magis valet quam isti lapides, imo de carne Abrahæ multi sunt filii diaboli, per verbum illorum quorum in figura positi sunt lapides isti multi nascentur qui vere sint filii Abrahæ, vere filii Dei. Nam fides est quæ sola facit filios Abrahæ, caro autem sola non prodest quidquam (*Joan.* VI), et talium quisque virorum benedictus est, juxta pro-

A phetam supra memoratum, quia confidit non in homine, sed in Domino, in quo confisus est et Abraham non deus, sed homo, quia non ponit carnem Abrahæ brachium suum, ut a Domino recedat cor ejus, sed Dominus est fiducia ejus, et idcirco non erit, quasi myricæ in deserto, neque habitavit in siccitate in terra salsuginis et inhabitabili, sed erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, et quod ad humorem mittit radices suas, ut dignos pœnitentiæ fructus facere non desinat. Interea cum hæc et his similia, quæ cæteri evangelistæ non tacent, loqueretur turbis, hic amantissimus præcursor Domini non ignorabat propheticam habens scientiam, quia non esset illi tempore vel officio destinatus quo prædicandum erat cunctis gentibus qui ex utero Vir-
B ginis supra naturam hominis natus esset ipse quem præcurrebat mediator Dei et hominum homo Jesus Christus (*I Tim.* II). Hoc ut erat vere instructus spiritu humilitatis, confitetur humiliter, suæque reputat indignitati dum præmittens : « Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, » subjungit continuo, « cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto. » Per calceamenta quippe, cum sint ex coriis mortuorum animalium, significatur humanitas ejusdem Filii hominis Jesu Christi, in qua erat mortalis et passibilis. Unde est illud: « In Idumæam extendam calceamentum meum (*Psal.* CVII), » id est, notum faciam gentibus incarnationis meæ sacramentum. Hoc per apostolos erat fa-
C ciendum, ipse autem Joannes non erat victurus usque ad illud tempus quo apostoli taliter calceamenta Domini portaverunt, id est, publice prædicare cœperunt natum esse de Virgine Deum et hominem Jesum Christum, quia « Verbum erat in principio Deus apud Deum, et Verbum caro factum est (*Joan.* I), » et sicut angelus locutus est ad Joseph, « Quod in » beata Virgine « natum est, de Spiritu sancto est (*Matth.* I). » Igitur cum dicit, « Qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, » promptum est animadvertere, quam libenter hominis officium subiret, quanta cum dilectione gloriam istam Filii Dei, Filii hominis, cum illis cœlis annuntiare et enarrare pergeret (*Psal.* XVIII). Et ipse quidem de seipso ita sentiendo, ita indignum
D semetipsum judicando, regulam custodiebat veræ humilitatis, quia non considerabat quod ipse solus esset præcursor Domini, imo et angelus Domini, sicut de ipso in Malachia Spiritus propheticus prædixit (*Malach.* III), sed illud considerabat, quod illi futuri essent cœli, qui, sicut jam dictum est, calceamenta portando Jesu Christi, enarrarent ejusdem gloriam Dei. Hæc est regula quam Apostolus breviter præscribit ad Philippenses his verbis : « Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Non quæ sua sunt singuli considerant, sed, ea quæ aliorum (*Philip.* II). » Ipse, inquam, ita judicando, ita non quæ sua, sed quæ aliorum erant, considerando et su-

periores sibi futuros apostolos arbitrando, regulam custodiebat sanctæ et veræ humilitatis, semetipsum deprimens, tanquam minor esset omnibus illis. Sed nunquid ita judicabat Dominus judicii? Nequaquam, sed, « Amen dico vobis, » ait, « non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista (*Matth.* XI). » Ergo et nullus omnium illa Domini calceamenta portantium, illam Domini de utero Virginis Incarnationem suo tempore publica prædicatione sequentibus signis prædicantium (*Marc.* XVI), major te est, o Joannes Baptista. Porro fortitudinem, quam intendit dicendo : « Qui autem post me venturus est, fortior me est, » miro modo non quidem exprimit, quoniam exprimi non potest, et ineffabilis est, sed parumper significat, ita dicendo : « Cujus ventilabrum in manu sua, et præmundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili. » Quanta, quæso, est fortitudo ista, ventilabrum suum habere in manu sua ! Non enim saltem ita dixit, cujus ventilabrum in manu Dei. Simile illud est, quod in Isaia legimus : Cujus imperium super humerum ejus, sive : » Et factus est principatus super humerum ejus (*Isa.* IX). Neque iste dicit, cujus ventilabrum in manu Dei, neque ille dixit, imperium ejus, sive principatus ejus factus est super humerum Dei, sed, ut animadvertas ipsum in sua fortitudine sufficientem esse sibi, et iste « cujus ventilabrum in manu sua » dicit, et ille « principatum ejus super humerum ejus » factum esse asserit. Neque ita dicit iste, et præmundabit aream Domini, et congregabit in horreum triticum Domini, sive Dei, sed « aream suam præmundabit, et triticum, » inquit « suum congregabit. » Ergo Dominus est areæ, et possessor est totius tritici, et Deus fortissimus ipse est, cujus ventilabrum est, et cui ad ventilandum ipsa manus sua sufficit, sicut humerus suus ad imperium sive principatum tenendum satis est, satisque valet absque impendiis alienis. Igitur Deus est, Deus, inquam, et Dominus omnipotens ipse est, qui auxilio nullius indiget. Quid dicemus fortibus ? quid dicemus superbis ? Nimirum quia palea ipsi sunt, humiles autem, et qui timent Dominum ipsi sunt triticum, Verbum autem Domini Verbum incarnatum, Verbum plenarie manens, et inhabitans in pectore, spirans de ore hujus Filii hominis, pro similitudine illis est et erit venti vehementis, quod tam facile imo et multo facilius reprobos et superbos omnes exterminabit, quam vehemens aura sive ventus quemlibet fortis paleam de area cujuspiam eliminare possit. « Omnes eos, ait ipse Dominus per prophetam, auferet ventus, tollet aura (*Isa.* LVII). » Quos eos, nisi omnec fortes fortitudine fallaci, de quibus et ita præmisit, « Cum clamaveris, liberent te congregati tui ? » (*ibid.*) Præmiserat etiam et ipsis, « Effudisti libamen, obtulisti sacrificium (*Isa.* XL). » Ergo omnes eos, subauditur, male fortes, visibiles seu invisibiles, auferet, ait, ventus, tollet aura, et ita dicendo, magnam Divinitatis fortitudinem, et magnam contra omnis creaturæ infirmitatem esse designat. Multa sunt in Scripturis dicta **587** homini, secundum similitudinem sufflantis, « exsiccatum est fenum et cecidit flos (*Isai.* XL), » quia spiritus Dei sufflavit in eo, et in Job : « Vidi, ait Eliphaz Themanites, eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos (*Job.* IV). » Et his similia, per quæ hoc intendit sanctus sacræ Scripturæ Spiritus, ut facilitatem divinæ omnipotentiæ cognoscamus, quod multum facile sit ei, dejicere cito, quidquid contra fortitudinem ejus fortiter stare videbatur. Ibidem quoque apud Esaiam, ubi præmiserat quod jam dictum est : « Et omnes eos aufert ventus, tollet aura (*Isai.* LVII), » postmodum subjunxit : « Quia spiritus meus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam (*ibid.*) » Frequens est lectio, sed experimentum in vita præsenti valde rarum, ut experiatur quispiam, quem Divinitas ad experiendum admittere dignatur, tangendo pectus sive labia ejus in monumento, sive in ictu oculi, taliter afficiatur tactu sensibili, quem B. papa Gregorius ibi vult intelligi, ubi ad Heliam loquens Dominus dicit : « Et post spiritum commotio. Non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis. Non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis (*III Reg.* XIX), » et ibi Dominus. Et quidem subtilitas Divinitatis, omnem non solum corporis, verum etiam animæ sensum excedit ; sed cum vult, non tantum animam, verum etiam corpus tactu suo sensibiliter afficit. Qui videlicet tactus, dum vult suavis ; et dum vult, valde est terribilis, ita ut quisquis illum sensit jam pene non sit illi opus verbis edoceri, quæ vere Deus fortissimus spirituum sit, nec penitus ignorat, licet omnino effari non possit, qualis ille sit tremor, quo majestatem Domini tremere dicuntur etiam sancti angeli.

LIBER TERTIUS.

« Omnes sitientes, ait Spiritus sanctus, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite (*Isai.* LV). » Aquæ præsenti loco Scripturæ sunt quibus spiritualium continentur mysteria gratiarum, sicut et illic : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide (*Prov.* V). » Aquæ istæ aquæ Domini sunt, et quicunque emerit

eas,ejus fiunt nec Domini esse desinunt. Quid rogo est,quod cum omnes sitientes invitaverit ad Domini aquas, illos maxime invitat ad emendum, qui non habent argentum? Ait enim: « Et qui non habetis argentum, properate, emite. » Certe in omni negotiatione terrena magis illi solent invitari ad emendum,qui habent vel habere videntur argentum. Hæc autem negotiatio tota cœlestis, tota spiritualis est. Quid ergo est argentum non habere, nisi in philosophia sæculari, sive prudentia eloquii non confidere? talibus namque non habentibus ejusmodi argentum, ipsa humilis conscientia,magnum est emptionis pretium. Talis erat Moses, cum diceret ad Deum: « Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius,et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum (*Exod.* IV).» Et in parabolis Sapiens loquitur: « Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum: non didici sapientiam, et non novi sanctorum scientiam (*Prov.* XXX). » Quid igitur, o æmule, subsannas? Quid obtrectator me laceras? Fateor quia catygetas [cathegetas] tuos audivi, omnes sapientes et prudentes eloquii mystici,et omnino nullas habeo divitias argenti ejusmodi,et si quid percepi de sæcularibus philosophis, non sunt mihi pro divitiis, sive pro nummis argenteis. Sed nunquid ob hoc mihi ab aquis istis erat desperandum? imo magis sperandum quoniam inter omnes scientes,illos qui non habent argentum audio maxime invitari ad emendum. Subsanna quantum vis,licet scripta mea nonnisi insidiando legere velis, et si libet etiam illud dic: « Quomodo hic litteras scit cum non didicerit? (*Joan.* VII).» Si enim cum illo, in quem hoc dictum est, participes fuerimus opprobrii, erimus etiam gloriæ et honoris. Proinde dissimulanda est præsens amaricatio ventris,ex comestione libri, quem qui devoravit, « erat, inquit, in ore meo tanquam mel dulce,et cum devorassem eum amaricatus est venter meus (*Apoc.* X), » et itinere cœpto pergendum est in opere Dei,in intentione quam significavit titulus præscriptus operi de gloria, et honore Filii hominis.« Ego quidem,ait Joannes, baptizo te in aqua (*Joan.* I). » Quam vel qualem habet rationem baptizari sive baptizare in aqua? Consilium Dei erat in aqua baptizari, sicut alius evangelista significans, « Pharisæi autem, inquit, et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsis, non baptizati baptismo Joannis (*Luc.* VII). » Quid ergo habet rationis tale consilium Dei,quod nobis scire prosit? Sunt quidem « incomprehensibilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus, ut Apostolus ait (*Rom.* XI); » sed hæc et his similia non nos prohibent, ne simus laudatores, aut ne velimus habere scientiam viarum Dei,verum hoc tantum ne simus nimii scrutatores majestatis (*Prov.* XXV). Quam ergo rationem habeat tale consilium Dei quærimus, non scrutando nimium, sed laudare optando majestatem Dei, et sicut cætera « ex parte scimus et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII),» ita de isto quoque gratulemur, quod non qui-

A dem ad perfectum cognoscimus,sex ex parte aliquid sublucet,quo delectemur. Quid illud est? Nimirum, quia tali consilio bene disposuit Deus ut ad ordinem suum creatura humana reduceretur. Fuerat quippe homo supra se nimis elatus, quoniam voluit esse sicut Deus secundum illud falsum serpentis susurrum, « comedite et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen.* III). » Illum primi hominis tumorem, multi ex eo progeniti homines imitati, **588** deos sese appellari voluerunt. Et nonnulli quidem ex eis post mortem suam stulto errore hominum pro diis habiti sunt, ille autem Cæsar Augustus, cujus tempore natus est iste filius Jesus Christus,vivens quoque pro deo haberi non timuit. Unde adulando illi Flaccus dicit:

B *Præsenti tibi maturos largimur honores,*
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.
(HORAT. *lib.* II, *epist.* 1.)

Hæc prima fuit altitudo cordis nostri,ut vellent esse homines sicut dii, et hoc est Adæ peccatum, « in quo,ait Apostolus, omnes peccaverunt (*Rom.* V). » Porro humana conditio sive conditionis humanæ principium, non solum creatore Deo, verum etiam creatura Dei inferius est, et ut manifestius dictum sit, non solum Deo, verum etiam aquæ elemento. Formavit enim Deus hominem de limo terræ, quod videlicet elementum elemento aquæ inferius est et erat,et sub eo latebat, donec diceret Deus: « Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum et appareat arida (*Gen.* I).» Multum ergo terra intumuerat ordineque excesserat, ubi homo terrenus
C Altissimo similis esse concupierat. Reducendus erat ad ordinem et docendus, ut sciret confiteri cujus esset conditionis atque in testimonium ejusdem confessionis submergeretur elemento aquæ quo gravius atque segnius elementum terra est, unde et homo principium sumpsit, et quod, sicut jam dictum est, totum in initio sub aquis latuit. Grande habet momentum in ratione justitiæ, conditionis hujus meminisse,et abrenuntiando superbiæ diabolicæ, sub aqua corpus deprimere, ac deinceps memoria tenere, quod Deus propter superbiam dixit homini: « Quia pulvis es,et in pulverem reverteris (*Gen.* III).» Proinde diligenter animadvertendum est quod « Cum venisset Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, et Joannes prohiberet eum,
D dicens: Ego a te debeo baptizari,et tu venis ad me, respondens ipse, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam. » Nam vere mitis et humilis corde considerabat quod, quamvis Sanctus sanctorum esse, nullumque omnino peccatum haberet, tamen de terra sumptum corpus haberet, quodque ad justitiam pertineret, ut humilitatis remedium propter quod docendum venerat ipse in semetipso demonstraret, submittendo aquis quam assumpserat carnem nostram quæ se ad similitudinem Creatoris omnium extollere affectaverat in Adam « et sic, ait,decet nos implere omnem justitiam. » Respiciebat Joannes quod de Spiritu sancto concep-

tus fuerat, et hoc illi ad plenam sufficere justitiam, non inaniter æstimabat. At ille non quidem contradixit Joanni dicenti : « Ego a te debeo baptizari, »sed nihilominus ut esset plena humilitatis satisfactio, corporis quoque habitu in semetipso significare voluit,quod longe sit homo inferior Deo, subdendo aquis corpus suum, quod secundum materiam terrenam habet fundamentum, quo aquæ superiores sunt, et in initio fuerunt. Quicunque in hoc non imitantur eum,ut volentes descendant,pœnam recipient, ut nolentes descendant. Scriptum est enim : « Introibunt in inferiora terræ (*Psal.* LXII). » Spreverunt consilium Dei, sed non vacabit eis spernere judicium Dei. Jam erat hoc testimonium unum testimonium aquæ,quod vere esset mitis et humilis corde. Accessit autem et alius testis ejusdem mansuetudinis, scilicet species columbæ. « Vidit enim Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ego, inquit Joannes, vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei (*Joan.* I). » Splendida gloria, et gloriosus honor Filii Dei,Filii hominis,quod,dum se submittit aquis, aperiuntur ei cœli, et Spiritus sanctus visibili specie super eum descendit, voce simul audita de cœlo : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Luc.* XII). » Verumtamen in his omnibus non jam consummata gloria, imo gloriæ initium fuit,cujus utique finis postmodum huic initio futurus erat similis, ita ut baptizatus illo baptismo,de quo dixit : « Ego baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur (*ibid.*), » confestim ascenderet de sepulcro ascensu resurrectionis et aperirentur ei cœli ut intraret in gloriam suam, atque inde Spiritum sanctum mitteret discipulis suis, dicente sibi Patre : « Sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Vere igitur ait, « Sic enim decet nos implere omnem justitiam, » quia secundum similitudinem illorum quæ illic gerebantur, futurum erat postmodum ut moreretur « propter delicta nostra,et resurgeret propter justificationem nostram (*Rom.* IV). » Quamvis in aliis quibuslibet aquis hoc idem mysterium potuisset celebrari,verbi gratia : « In Enon juxta Salin (*Joan.* III), » ubi Joannes postea baptizasse legitur, quia aquæ multæ illic erant,tamen magis placet magisque delectat factum hoc esse in aquis Jordanicis. Quam ob causam? Videlicet quia signum sive figura horum olim in eisdem perfulserat aquis.Nam fluvius ille, scilicet Jordanis ex eo, cœpit esse memorabilis quod, mortuo Mose et succedente Josue, divisis aquis transitum filiis Israel per alveum suum præbuit, sacerdotibus qui portabant arcam fœderis Domini stantibus super siccam humum in medio Jordanis. « Portaveruntque,ait Scriptura, filii Israel de medio Jordanis alveo duodecim lapides,ut Dominus imperarat, juxta numerum filiorum Israel usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos.Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterant sacerdotes qui portabant arcam fœderis, et sunt ibi usque in præsentem diem (*Josue*, IV). » Lapides illos bis duodenos,prophetas intelligimus et apostolos. « Omnes prophetæ,inquit Dominus et lex,usque ad Joannem prophetaverunt (*Matth.* XI). » Bene ergo duodecim lapides in medio Jordanis alveo positi sunt; positi, inquam, non transpositi, neque Jordanem transierunt, quoniam prophetæ nonnisi usque ad baptismum Joannis prophetaverunt aut prophetare debuerunt Christum esse venturum.Porro a baptismo Joannis incipiens,duodecim apostolos elegit,et non perdidit ex eis quemquam, « et præcepit nobis, ait Petrus, postquam resurrexit a mortuis prædicare populo et testificari,quia ipse esset, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum ; huic omnes prophetæ testimonium perhibent (*Act.* X). » Bene ergo « duodecim alios lapides portaverunt,de medio Jordanis usque ad locum,in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. Josue, quod interpretatur *Salvator*, qui Mosi successit et filios Israel in terram promissionis introduxit,quod Moses non fecit, ipse est iste filius hominis, qui Mosaicæ legi Evangelium succedere jussit, et per illud credentibus in se regnum cœlorum aperuit. Sacerdotes, qui stabant in medio Jordanis, ut omnia complerentur, et donec festinans populus transiret,nulli melius intelliguntur,quam hic idem Filius hominis primus sacerdos novi, et Joannes ultimus sacerdos veteris sacerdotii, sive legis et prophetarum finis. Igitur quamvis, ut jam dictum est, in aliis quibuslibet aquis baptizatus Dominus baptismo Joannis, sacramentum designare potuisset baptismi sui, jure magis placet et ad honorem Scripturarum magis pertinet, quod baptizatus, et baptismo illo manifestatus est in aquis Jordanicis. Hic illud pulchre **589** occurrit, quod Apostolus,cum dixisset : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (*Hebr.* V), » subjungit atque ait : « Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu (*ibid.*), » etc. Denique illa prædicatione pœnitentiæ, et baptismo Joannis vocatus et clarificatus est a Deo Filius hominis Jesus Christus, ut pontifex fieret tanquam Aaron, id est juxta quod præfiguratum est in Aaron. Aaron quippe nonnisi prius aqua lotus, sacerdotio fungi jussus est, et vestimenta suscepit sacerdotalia, scilicet feminalia linea, subuculam lineam,baltheumque et tunicam,superhumerale et rationale, cidarim quoque et in fronte laminam sacræ venerationis, habentem inscriptum tetragrammaton (*Exod.* XXIX ; *Levit.* VIII), ineffabile nomen Dei, quod octavum decus pontificis, maxime illam designat Ecclesiam et honorem de quo loquimur, Filii hominis de quo Apostolus ait : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen (*Philip.* II), » etc. De aliis indumentis quid gloriæ, quid honoris singula mystice significent, perscribere præsentis,non est negotii, nisi hoc solum quia quod primum sive in initio consecrationis suæ sa-

cerdos Aaron jussus est aqua lavari in figura contigit illi, hujus summi et veri sacerdotis, qui in initio suæ functionis sive sacerdotii sui habebat baptizari baptismo Joannis, et cætera quidem veteris illius sacerdotii ministeria, figuræ vel umbræ fuerunt mysteriorum cœlestis et veri hujus sacerdotii, sed ex magna parte similitudo deficit. Ille namque et cæteri sacerdotes, quia morte prohibebantur permanere, « habebant quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi (*Hebr.* VII). » Hic autem ejusmodi necessitatem non habuit, sed semel hoc fecit, offerendo se non pro suis, sed pro populi delictis. Inchoatio sacrificii sive oblationis, qua semetipsum obtulit, jejunium fuit quod continuo jejunavit, « et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esuriit (*Matth.* IV). » Ita namque incipiens agere pœnitentiam non pro suis, ut jam dictum est, sed pro populi delictis, laborare non desiit, operans opus salutis, in omnibus « obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Vere ergo fidelis et verax Deus, implevit quod locutus est. Timebat olim populus audire vocem Domini Dei, et « ultra, inquit, non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus Mosi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi (*Deut.* XVIII). » Hunc prophetam esse istum Filium hominis certum est. Quomodo hunc populus ille petivit, aut petere scivit? Cum enim dixisset Moses: « Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, » subjunxit atque ait: « Ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est (*ibid.*). » Non invenimus aliter petisse populum, nisi ita, ut Scriptura refert. « Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem, et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul dicentes Mosi: Loquere tu nobis et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur (*Exod.* XX). » Si ergo verba hæc populi pro petitione Deus accepit, hujus Prophetarum Domini (sic), tanquam populus ita petere, ut petierat ipse Moses: « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es (*Exod.* IV), » quid nisi abundantiam intelligere debemus gratiæ exaudientis, qui ubi et humiliter petitur, superabundanter dare consuevit? Hinc enim Apostolus dicit: « Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis; ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen (*Ephes.* III). » Fidelis, inquam, et verax Deus hic implevit quod illic locutus est, et hoc testatur columba, imo Spiritus Dei, quem vidit descendentem sicut columbam, et venientem super se vidit, et Joannes, sicut alius evangelista

A testatur, ait: « Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei (*Joan.* I). » Quam dissimiles species hic atque illic! Hic species columbæ, illic voces et lampades sive maximus ignis, et mons fumans, et sonitus buccinæ. Proinde non leviter attendendum quod apud alium evangelistam Baptista Joannes cum dixisset: « Ego baptizo in aqua (*ibid*)," subjunxit, « medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis (*ibid.*), » etc. Puta illum respexisse ad jam dictam promissionem dicentis ad Mosen: « Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suorum similem tui (*Deut.* XVIII), » et idcirco dixisse, « medius autem vestrum stetit quem vos non scitis, » ut ita subintelligas, ac si dixerit: Ille cujus fortitudinem sustinere non potuit populus, signifi-

B catam sibi per speciem ignis, et dixit ad Mosen: « Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Loquere tu nobis et audiemus, non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur (*ibid.*). » Ille, inquam, abscondita fortitudine zeli ignei similis factus Mosi, id est homo verus ut Moses fuit, medius vestrum stat tolerabilis atque affabilis, mitis et humilis sicut columba, non sicut ignis, et nunc talis de medio vestrum suscitatur vobis, ut loquatur vobis Dominus, et non magis moriamini, quam si Moses loqueretur vobis, si hunc audire vultis. Nam si audire nolueritis, et illic dictum est: « Ego ultor existam (*ibid.*), » et hic dico vobis quia « ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem

C comburet igni inexstinguibili (*Matth.* III). » Nusquam sacra canonica refert Scriptura quod super aliquem sanctorum, sive in aliquibus operibus suis Spiritus sanctus, Spiritus Domini, tale præsentiæ suæ signum dederit. Quis alius nisi Spiritus iste Domini per Mosen operatus est in exitu filiorum Israel de terra Ægypti? Denique hoc non soli confessi sunt magi, dicendo: « Digitus Dei est hic (*Exod.* VIII); » verum etiam Esaias ita declamando dicit: « Ubi est qui eduxit nos de mari, cum pastoribus gregis sui? Ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum sancti sui? Qui eduxit ad dexteram Mosen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum, qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem, quasi ani-

D mal in campo descendens? Spiritus Domini ductor ejus fuit (*Isai.* LXIII). » Ergo per Mosen operatus est iste Spiritus in exitu Isrrel de terra Ægypti, et ubi quinqnagesimo die, præsentiæ vel operationis suæ signum dare voluit, non species columbæ, sed species ignis apparuit, ita ut diceret populus id quod jam supra dictum est, « et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. » Item, ubi post resurrectionem hujus Filii hominis, quinquagesimo die super discipulos ejus venit, et præsentiæ suæ signum dare voluit, non species columbæ apparuit, sed « apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis (*Act.* II). » Item qui tollere solebat Eliam, sine

dubio erat iste Spiritus Domini, unde et Abdias : « Cumque recessero a te, inquit, Spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro (*III Reg.* XVIII); » et ubi gratiæ, quam Eliæ contulerat, signum dare **590** voluit, non species columbæ, sed species ignis apparuit. « Cum enim pergerent et incedentes sermocinarentur, videlicet Elias et Elisæus, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum (*IV Reg.* II). » Neque hic, neque illic ipsa Spiritus sancti substantia visa est mortalibus aut videri potuit ; sed ubi et quomodo voluit, competens operationis vel præsentiæ suæ signum dedit, ita ut nusquam super ipsum Dominum in specie ignis, nunquam super aliquem sanctorum in specie columbæ visus sit. Quare? Videlicet quia divina natura, quæ vel cujus plenitudo in isto Filio hominis Jesu Christo corporaliter inhabitat (*Coloss.* II), satis per semetipsam fervida est, juxta illud : « Etenim Deus noster ignis consumens est (*Deut.* IV), » et idcirco nobis expediebat ut fortitudinem ejus pietas temperaret, et hæc congrue per speciem columbæ, significata est. Porro nostra, id est humana natura per semetipsam tepida, imo et nimis frigida est, juxta illud : « Et quia superabundavit iniquitas (*Rom.* V), refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV), » et idcirco expediebat homines Dei zelo bono calefieri, qui videlicet zelus congrue significatus est per speciem ignis. Nullo libentius modo illud intellexerim, quod et Joannes apud Lucam dicit : « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Luc.* III). » Et Esaias : « Si abluerit, inquit, Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem ejus laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris (*Isai.* IV), » quam ut duo data Spiritus sancti, duabus dictionibus istis putem significari « in Spiritu sancto et igni » sive « in spiritu judicii et spiritu ardoris. » Iste namque unus idemque Dominus et Spiritus sanctus est et ignis, unus idemque et spiritus judicii et spiritus ardoris ; « judicii, » inquam, id est discretionis, quia fidelem ab infideli discernens, remissionem peccatorum per fidem tribuit, quod est datum primum ; « ardoris » autem, quia purgatum a peccatis hominem deinde boni zeli igne accendit, quod est datum secundum. Utroque dato perficitur atque consummatur baptismus Christi, cum aqua quæ de latere ejus exivit, et idcirco Joannes, cum de semetipso dixisset : « Ego baptizo vos in aqua, » continuo, ut declararet quanto melior baptismo suo foret baptismus Christi, « ipse, inquit, vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*ibid.*) » Hanc Joannis, imo suam vel patris promissionem ipse Dominus ante passionem suam confirmare solebat apostolis suis, sicut post resurrectionem suam eum commemorasse Lucas hoc modo describit : « Et convescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum ; quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies (*Act.* I). »

A Jam quidem partem illius promissionis, id est primum acceperunt Spiritus sancti datum, quod est remissio peccatorum, quia stans in medio illorum, qua die resurrexit, insufflavit et dixit : « Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX), » et tamen convescens præcepit eis ut exspectarent promissionem Patris, quia videlicet restat secundum ejusdem Spiritus sancti datum, de quo et postmodum dixit : « Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos (*Act.* I), » etc. Sicut solus de Spiritu sancto conceptus est, ita solus in Spiritu sancto baptizat : nam Joannes adhuc quidem ex utero matris suæ Spiritu sancto repletus est, sed non de Spiritu sancto conceptus est, et idcirco in Spiritu sancto baptizare

B non potuit, sed cum cæteris sanctis, gratiam Spiritus sancti de plenitudine hujus accepit, sicut ipse quodam loco testatur, « et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (*Joan.* I). » Quid tandem sibi vult, vel quam ob causam de cœlo venit vox dicentis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ? » (*Matth.* XVII). Quid, inquam, nisi hoc idem, quod « Spiritus Dei sicut columba descendens et veniens super eum, » et hoc idem quod « verbum factum, ut Lucas meminit, super Joannem Zachariæ filium (*Luc.* III). » Ad hoc denique et verbum Domini super Joannem factum est, ad hoc Spiritus sanctus descendit, ad hoc vox Patris de cœlo audita est, ut sufficiens legitimumque perficeretur testimonium super isto, quod Christus esset, quod Filius Dei esset non alius ; sed iste pauper, iste Jesus a

C Nazareth, iste qui putabatur filius Joseph. In testimonium veritatis hujus hoc totum factum est, ut secundum legem divinam stabile fieret testimonium, quia scriptum est in lege : « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XIX). » Hinc Joannes evangelista dicit : « Et tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, et Verbum, et Spiritus sanctus (*I Joan.* V). » Persona Patris ex voce, quæ de cœlo venit, audita est ; persona Spiritus sancti, cœlis apertis, sicut columba descendit ; persona Verbi, præsens quidem aderat in carne, sed silebat, neque illa hora qua loquebatur testimonium sui, licet quodam loco dicat : « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso (*Joan.* VIII). » In Joanne autem testimonium perhibebat, quia « super

D Joannem, » sicut jam dictum est, propter hoc perhibendum testimonium, « verbum Domini factum fuerat. » Horum trium attendens testimonium ipse adversariis suis dicebat : « Si ego testimonium perhibeo de me (*Joan.* V), » ubi subintelligendum est, sicut solent homines de semetipsis testimonium perhibere, et per inanem gloriam semetipsos commendare, « testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me. Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio, ego autem habeo testimonium majus Joanne

(*ibid.*) » Hæc et cætera adversus malitiosam illorum invidentiam dixit, qui accipere nolentes, et se scire dissimulantes testimonium Dei, qui in testificando non potest falli, et cujus testimonium ex manifestis operibus poterat cognosci, miserunt ad Joannem hominem, quem sperabant posse falli ; at ille non falsus est, sed testimonium perhibuit veritati. Tunc utique miserunt ad eum, sperando eum posse falli et agere, volendo ut posset falli, quando facta est quæstio ex discipulis Joannis, cum eis scilicet Judæis de purificatione, « et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum (*Joan.* III). » Idcirco namque sic incœperunt, ut invidiæ aut zeli flamma ureret animam Joannis, atque ita conformatus illis, id est invidens factus cum invidis, diceret aliquid quod esset contrarium veritati. At ille testimonium perhibuit veritati, « non potest, inquiens, homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo (*ibid.*), » etc., usque « qui crediderit Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum (*ibid.*) » Magnitudo testimonii, et ex specie columbæ, et ex eo quod cum dixisset Pater : « Tu es Filius meus dilectus, » addidit, « in quo mihi bene complacui, » reverenter debet agnosci. Nam species columbæ, id est Spiritus sanctus, descendens et manens super eum in specie columbæ hoc testificatur, quia « in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, » sicut columba totum quiddam est, cui pars corporis nulla deest.

Et hoc dictum, « in quo mihi bene complacui, » **591** hoc testificatur, quia talis hic Filius sola et unica Dei Patris gloria est, et vere in isto solo gloriatur cunctorum mirabilium bonorumque omnium mirabilis operator Deus, quia tale nihil fecit, quale est iste Filius, secundum divinitatem increatus, secundum humanitatem creatus et factus. Cum nondum esset homo factus, erat ut nunc est, « imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ, et in ipso, ait Apostolus, condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant (*Coloss.* I). » Ubi homo factus est, ex tunc « ipse est, ait idem Apostolus, caput corporis ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem divinitatis corporaliter habitare, et per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis (*ibid*). » Recte igitur Pater gloriosus et hic dicit, « in quo mihi bene complacui, » et eumdem in psalmo gloriam suam appellat, dicens ad eum : « Exsurge, gloria mea (*Psal.* CVII). » De manifestatione ejus hactenus pro posse dictum est. Manife-

A status autem, quo vel quali ordine procedere incœpit.

CAP. IV.— « Tunc Jesus, ait evangelista, ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo, et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esuriit. » Ecce quale, quam pulchrum medicantis divinitatis consilium, ut duceret hunc secundum hominem in desertum ad jejunandum, et ad tolerantiam tentationum, et non jam in paradisum ad manducandum, ubi posuerat hominem primum. Dubitandum est super hoc a quibusdam, propter hoc quod subditur : « Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. » Et rursum : « Assumpsit eum in montem excelsum. » Sed vere et absque ulla quæstione convenienter accipitur, ut a sancto Spiritu in desertum ductus credatur, ut illic eum suus Spiritus duceret, B ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret, et eisdem modis a secundo homine vinceretur, quibus primum hominem se vicisse gloriabatur. Contra primum quippe hominem parentem nostrum in tribus se tentationibus erexit, quia hunc, videlicet gula, vana gloria, avaritia tentavit, et tentando superavit : sed eisdem modis, ut jam dictum est, secundo homini tentato succubuit. Igitur ipse Dominus Deus, qui tulit hominem, quem formaverat, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, præcepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas (*Gen.* II) ; permisitque eum tentari, ut manifesta fierent et angelis et omnibus superventuris sæculis quæ erant in corde ejus, ipse hunc hominem secundum, quem de ventre virgineo C formaverat, tulit, sive ut alius evangelista scripsit, « expulit in desertum (*Marc.* I), » — « expulit, » inquam, tanquam reum, et illius primi hominis portantem reatum, quia « ipse posuit in eo iniquitates omnium nostrum (*Isai.* LIII), » ut inciperet vapulare jejunando quidquid in illo uno comedente peccaverunt. Perpulchrum est collationem facere illius primi hominis et secundi in eo quod ille positus fuit in loco amœnitatis et satietatis, et excepto uno ligno appositæ sunt ei omnes deliciæ paradisi, et tamen in illa tali et tanta satietate, de gula in uno tentatus tam facile succubuit. Hic autem expulsus est in locum horroris et vastæ solitudinis et quadraginta dierum jejunium impositum est ei. Quo peracto, esuriit ; et tamen in illa esurie de necessario pane tentatus, D tentationi non succubuit, ut utiliter demonstraret insidiatori per miracula sua, quod esset Filius Dei, unde postmodum plenius dicendum erit. Perpulchra, inquam, ut jam dictum est, collatio ex comparatione hujus secundi et illius primi hominis. Verumtamen quoniam non solum illud originale peccatum, verum etiam actuales « Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, » et ipse puer ille est, de quo propheta prædixerat, « quia puer Israel est, et ego dilexi eum (*Ose.* XI), et ex Ægypto vocavi Filium meum, » cujus prophetici præconii præsens evangelista superius meminit, libet latius explanare sacramentum hoc tentationum, quas pro nobis puer

iste sustinuit; et quia tres fuerunt tentationes, singularum causas sive rationes, per ordinem de sacris proferre Scripturis. Igitur vocatus ex Ægypto puer Israel, Filius Dei, Dominus Jesus, postquam habitavit Nazareth, ubi et nutritus est, postquam aquas baptismi transivit, ductus est in desertum a spiritu, et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, » tentatus et ipse, et fidelis inventus est in tribus tentationibus, ut patrum suorum, filiorum Israel, totidem et easdem tentationem vacuaret atque deleret: qui educti de terra Ægypti, postquam aquas maris Rubri transierunt, quadraginta annis per desertum circumducti sunt et tentati sunt, quia tentaverunt et infideles inventi sunt. Easdem et totidem fuisse tentationes illorum: quas et quot puer iste jam dictus sustinuit, « puer Israel quem ego dilexi, ait in Propheta Dominus, » ex ordine per Scripturam demonstrandum est.

Prima fuit tentatio de panibus, sicut scriptum est: « Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Mosen et Aaron in solitudine. Dixeruntque ad eos filii Israel: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panes in saturitate. Cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame. Dixit autem Dominus ad Mosen: Ecce ego pluam vobis panes de cœlo (*Exod.* XVI), » etc. Tentatio fuit hæc non fidelium, sed infidelium: non quia panem petierunt, sed quia male et absque fide petierunt. Hinc est illud, salvo sacratiore intellectu, « et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, et male locuti sunt de Deo; dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Nunquid panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? » (*Psal.* LXXVII). Quia sic tentaverunt, idcirco tentati sunt in eo ipso, in quo tentaverunt. Cum enim dixisset Dominus: « Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus et colligat quæ sufficiant per singules dies, » subjunxit atque ait: « ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea an non. Die autem sexta parent quod inferant, et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. » Quod cum fecissent, duobus modis comprobatum est quod in lege Dei non ambularent, quia, cum dictum esset eis, « nullus relinquat ex eo in mane, non audierunt, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane et scatere cœpit vermibus atque computruit. » Item, cum dictum esset eis, « Sabbatum Domini est, idcirco non invenietur, » nihilominus ingressi sunt ut colligerent, et non invenerunt. « Dixit autem Dominus: Usquequo non vultis custodire mandata mea, et legem meam? » Sic insipiens populus ille per hoc vitium, scilicet per gulæ intemperantiam deliquit, et si recte consideres, pestis ista, scilicet vitium gulæ, permaxima est vexatio generis humani, ex qua suboriuntur plurima sæva atque mortifera vitia carnis, et hæc iniquitas **592** accidit ex radice peccati, quo primus homo, de quo supradictum est, vetitum lignum momordit. Quomodo iste puer Israel nostrum

A hoc vitium in semetipso punivit et emendavit? Primum « quadraginta diebus, et quadraginta noctibus jejunavit, » et deinde cum esuriret, comedere noluit ad suggestionem tentatoris. « Quadraginta, inquam, diebus, et quadraginta noctibus jejunavit, » et ulterius sive diutius jejunando illum affligi, nimiæ fuisset severitatis. Dicit enim sacra lex, cui per omnia Deus homo factus obedire dignatus est: « Sin autem judices eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus, ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedat, ne fœde laceratus ante oculos tuos habeat frater tuus (*Deut.* XXV). » Unus idemque puer iste sæpe dictus, scilicet Christus et Judex erat et quasi reus, et co-
B ram judicante divinitate sibimet insita vera humanitas ejus prostrata, jejuniorum plagis verberabatur, non quia peccaverat, sed quia peccata gulæ nostræ super se susceperat. Ulterius non debebat extendi jejunium, quia, sicut jam dictum est, sacra jubebat lex ut plagarum modus quadragenarium non excederet numerum. Itaque humilitatem flagellati jam debuit gloria sequi; non gloria inanis, sed gloria vera, gloria Dei. Inanis gloria fuisset si secundum suggestionem tentatoris fecisset, dicentis: « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant (*Joan.* II). » Forte enim putas quia gloriam suam manifestavisset, si ad ejus dictum lapides facti fuissent panes, sicut in eo gloriam suam postmodum manifestavit, quod ad ejus nutum aqua in vinum conversa est; sed non ita est.
C « Ubi enim hoc fecit initium signorum, et sic manifestavit gloriam suam (*ibid.*); » non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu, quem videlicet fructum protinus evangelista præsentat, dicens: « Et crediderunt in eum discipuli ejus (*ibid.*) » Nunquid crederet in eum tentator insidiosus, adversarius antiquus, si lapides convertisset in panes? Dicit aliquis: Nobis ad fidem vel ad cognoscendam Dei gloriam profuisset, qui legeremus si ita factum fuisset. Imo magis hoc nobis gloriam Dei prodest quod legimus, quia testimonium suæ divinitatis Dei Filius diabolo communicare dedignatus, hoc potius respondit: « Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. » Et remoto diabolo a participatione sive præsentia refectionis, « accesserunt angeli et ministrabant ei. » Scriptum
D est autem taliter in libro Deuteronomio: « Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egredietur, ex ore Dei (*Deut.* XVIII). »

Secunda tentatio fuit afflictio sitis et penuria aquæ de qua sic scriptum est: « Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Syn per mansiones suas, juxta sermonem Domini castrametata est in Raphidim. Ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui jurgatus contra Mosen, ait: Da nobis aquam ut bibamus (*Exod.* XVII), » etc., usque

A « et vocavit nomen loci illius, *tentatio*, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum, dicentes : Estne Dominus in nobis, an non ? » (*Ibid.*) Ita miro modo populus et tentabat et tentabatur, et idcirco quia tentabat, justo judicio tentabatur. Nam quod populum tentaret Dominus, Moses loco supradicto testatur, « ut affligeret te, inquiens, atque tentaret Dominus Deus tuus, et nota fierent, quæ in tuo animo versabantur (*Deut.* VIII). » Quod autem ibi quoque populus Dominum tentaverit hoc dicto satis innuit, « et vocavit nomen loci illius, *tentatio*, quia tentaverunt Dominum, dicentes : Estne Dominus in nobis, an non ? » Super hac re, id est super penuria aquæ, non tantum semel, verum etiam et alia vice tentavit et tentatus est, et in illam tentationem Moses quoque et Aaron inciderunt, ita ut dicerent : « Audite, rebelles et increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere ? Dixitque Dominus ad eos : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. » Hoc fuit curiositatis vitium, « quia tentaverunt Dominum dicentes : Estne Dominus in nobis an non ? » (*Num.* XX.) Quo modo hic sæpe dictus puer Israel super hoc vitio tentatus est. « Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit eum supra pinnaculum templi, et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus : Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. » Hoc itidem, sicut et primum responsum, scriptum est in libro Deuteronomii : « Non tentabis, ait Moses, Dominum Deum tuum (*Deut.* VI), » statimque subjungit, « sicut tentasti in loco tentationis (*ibid.*) ; » qui videlicet locus non alius intelligendus est, nisi ille jam dictus, de quo ait : « Et vocavit nomen loci illius *tentatio*, qui tentaverunt Dominum, dicentes : Estne Dominus in nobis, an non ? » (*Exod.* XVII). Sane quod hic dicit : « Scriptum est : non tentabis Dominum Deum tuum ; » et postmodum : « Scriptum est, ait : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies, » non sic accipiendum est, tanquam ipse diabolum corrigere voluerit, et sic eum docere, ac si diceret : O diabole, noli me tentare Dominum Deum tuum, quia Scriptura tibi contradicit, et ab hoc te compescere intendit ; tu mihi dicis : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, » sed tu potius me Dominum Deum tuum adorare debes, quia Scriptura dicit tibi : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Hoc vel suspicari nimis absurdum est. Nunquid enim Deus aut Dei Filius, diaboli Deus aut Dominus vocari dignatur ? Absit hoc ! Magnæ namque est gratiæ, Dominum Deum Creatorem omnium velle cujuspiam vocari Deum. Hinc Apostolus cum de fide patrum multa fuisset præclare locutus : « Fide, inquiens, qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, et exiit, nesciens quo iret (*Hebr* XI), » etc. Interea sic intulit : « Ideo non confunditur Deus vocari eorum Deus, paravit enim illis civitatem (*ibid.*) » Si nec diaboli confunditur vocari Deus aut Dominus, quæ gratia vel quæ beatitudo resonat in hoc dicto de patribus, « ideo non confunditur Deus, vocari eorum Deus ? » Cum igitur dicit diabolo : « Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies ; » — cum, inquam, dicit : « Scriptum est, » subaudiendum est homini, quia revera non diabolo sed homini scriptum quidquid loquitur aut præcipit lex. Est ergo sensus : Nec ego homo, nec quisquam alius homo tibi aurem præbere debet, ut Dominum Deum suum tentet, sive ut cadens, o diabole, te adoret, sed audire debet vocem Scripturæ dicentis : « Non tentabis, » et solum B « Dominum Deum tuum adorabis. »

Tertia tentatio fuit illius populi, qui quoniam tentaverat, jure debebat tentari, ubi Aaron quoque in tentationem incidit, ut contra hoc dictum legis faceret : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Nam sicut puer aliquando voluntati suæ dimittitur, ut remoto magistro **593** sive pædagogo pareat ex occasione licentiæ, quale sit studium ejus ; ita dimissus sibi est idem populus, ascendente Mose in montem, ubi et fuit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et non fuerat præfinitum quando foret reversurus. Tunc illud contigit, quod Scriptura refert : « Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moses, congregatus adversus Aaron ait : Surge, fac C nobis deos, qui nos præcedant. Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit (*Exod.* XXXII). » Tunc revera populus cecidit, et in forma vituli diabolum adoravit, et quis non audivit, quis legendo admirari non potuit quam pertinax, quam pronus in illo tali casu suo semper fuerit ? Sed venit hic alter Israel, qui legem solus impleret, qui cuncta faceret præcepta justitiæ quæ præcepit lex. Unde notandum quia cuncta, quibus tentatorem relidit, testimonia tantum de Deuteronomio sumit, quod videlicet Deuteronomium quod dicitur, hoc est, secunda lex, sicut et ipse alter sive secundus Israel dicitur et est, juxta illud propheticum (cujus et hic evangelista meminit, et nos in locis suis tractavimus) testimonium, « quia puer Israel est, et ego dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium D meum (*Osee.* XI). » Ergo iste alter sive secundus est Israel, post illum Israelem patrem duodecim tribuum qui primitus in Ægyptum descendit, et multitudinem Israeliticam, quæ inde ascendit : et hæc secunda lex huic maxime posita est. Nam illi prævaricatori populo Israel posita est lex cæremoniarum carnalium, quarum circa ritum cæteri versantur Mosi libri. In isto libro Deuteronomii, id est secundæ legis, fere nihil de cæremoniis agitur, sed cuncta sunt præcepta justitiæ, præcepta charitatis : et cuncta fere ad personam numeri singularis familiariter dicuntur, ea quæ spiritualia continent mysteria vitæ et salutis, et sic Israel compellatur quasi unus homo, quia hic

vere futurus erat unus homo, qui fideliter et perfecte cuncta persolveret quæcunque Deo debebat homo,et hic est verus Israel,vere directus cum Deo. Exempli gratia : « et nunc,Israel,quid Dominus Deus tuus petit a te,nisi ut timeas Dominum Deum tuum,et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo,et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, et cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio ut bene sit tibi ? » (*Deut.* x). Hæc et his similia,quæ tam familiariter et sic dicuntur,quasi uni,iste unus bene audivit,et bene implevit, easdemque tentationes, in quibus ille prior Israel, id est populus Israel,pro parte reproborum inventus est infidelis, et etiam pro parte electorum repertus vix parumper fidelis : easdem,inquam,iste sustinens inventus est fidelis (*Eccli.* xliv), sic præsens testatur locus Evangelii, unde et completa est illi fides conventionis, quam innuens, cum dixisset,« ut custodias quæ ego hodie præcipio (*Deut.* xxviii), » protinus addidit, « ut bene sit tibi (*ibid.*). » Porro illa ostensio diaboli qualis putas exstitit? Qualiter omnia regna mundi et gloriam eorum homini diabolus simul ostendere potuit,et, ut ait Lucas, « in momento temporis ? » (*Luc.* iv). Neque enim natura rerum sive oculorum hoc admittit, ut de monte quolibet, quantumvis excelso,cuncta terræ regna regnorumque omnium gloria simul et in momento possit ab homine perspici. Nihil tale uspiam sacra Scriptura gestum meminit, quin quod beatus papa Gregorius (*Dialog.*, lib. ii, cap. 35) de uno vitæ venerabilis viro,nomine et gratia Benedicto, refert, quia, dum quiescentibus fratribus instans vigiliis nocturnæ orationis tempora prævenisset, ad fenestram stans et omnipotentem Dominum deprecans, subito vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa,quæ inter tenebras radiasset.Mira autem valde res in hac speculatione secuta est, quia sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus, velut sub uno solis radio collectus ante oculos ejus adductus est. Verum illa res admirationem habet aliam,quia,sicut jam dictum est, animæ videnti Creatorem angusta est omnis creatura, et quod ante illius sancti oculos collectus fuisse mundus dicitur, hoc egit cum homine omnipotens Deus,et non cœlum et terra contracta est, sed videntis animus dilatatus est, qui in Deo raptus,videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est.Cum hæc dicit, addens etiam hæc : In illa ergo luce,quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum, quia ad superiora rapuit,ei quam angusta essent omnia inferiora monstravit ; cum,inquam, hæc dicit palam astruit,quia prospectus ille mentis magis quam oculorum fuit.Illud mirantes veneramur,quod egit cum homine omnipotens Deus ; de isto vero quid dicemus quod circa hominem Deum Dei Filium tentator, egit diabolus ? Si qua vobis Scriptura narraret similiter eum fecisse circa quemlibet hominum, ut in momento temporis mundum illi ostenderet univer-

A sum,non dubitaremus dicere ostensionem spiritualis nequitiæ visumque fuisse phantasticum.Nunquid et hunc hominem, quem explorabat utrum esset Filius Dei,per suas phantasias diabolus est ausus aggredi ? Animus fidelis hoc vel cogitare perhorrescit. Sed ne abhorrescas, quia quanto major tentatoris injuria, tanto gloriosior victoris patientia. Confer phantasias ejusmodi cum phantasiis quas patimur,quoties tentamur « omni quod in mundo est, ex concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (*I Joan.* ii). » Quotus quisque nostrum est, qui non in tentatione qualicunque concupiscentiæ lenocinio mulceatur, forte etiam invitus ? Nec mirum : nam nos phantasias intus patimur,ejusmodi autem phantasiæ quæ de foris veniunt vel foris fiunt, aliquando non solum non delectant,verum etiam sensibus corporis molesta sunt ; et si a tentatore huic Filio hominis adductæ sunt, indubitanter absque peccato ejus, et accesserunt et recesserunt, ut dicas cum Apostolo, « tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* iv). » — « Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon et Nephtalim ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui sedebat in tenebris,vidit lucem magnam et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (*Isa.* ix). Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. » Quandiu Joannes prædicavit, nequaquam Jesus publicæ prædicationis officium subiit, sed postquam in traditione ejus clausum est os prophetarum et legis : omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt ; tunc demum id quod prophetatum fuerat successit, id est Evangelium Christi effulsit.Fecerat quidem aliqua, jamque habebat discipulos,et docebat eos, sicut evangelista Joannes latius meminit, feceratque signa multa coram discipulis suis,quorum fuit initium,quod aquas in vinum vertit (*Joan.* ii) ; et de quidem idem evangelista dicit,quia,« cum esset Hierosolymis in Pascha, in die festo,multi crediderunt in nomine ejus, ex quibus Nicodemus (*ibid.*) ; nemo enim, inquit, potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo : et nondum missus fuerat in carcerem Joannes (*Joan.* iii), » sed, sicut jam dictum est, nequaquam publicum prædicandi officium subierat, **594** neque ipsos discipulos qui ad eum venire et audire cœperant, ad hoc vocaverat, ut relictis omnibus ipsum sequerentur. Ab eo præsens evangelista narrationem suam inchoat quod in Galilæam Jesus secessit, prætermittens, « cum autem audisset, quod Joannes traditus esset. » Præter sensum supradictum hoc etiam in hac temporis designatione considerandum est quod exemplo suo docuit, sicut per Apostolum suum dicturus erat,« nemini dandam ullam offensionem (*II Cor.* vi), » quia videlicet offendebantur

qui offendi volebant, scilicet maxime Pharisæi qui spernebant consilium Dei, non baptizati baptismo Joannis (*Luc.* VII), » et hoc optabant existimari quod inter Jesum et Joannem, et inter discipulos eorum per contentionem et per inanem gloriam fieret aliquid. Hinc est illud apud evangelistam Joannem : « Facta est ergo quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione, et venerunt ad Joannem et dixerunt ei : Rabbi qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum (*Joan.* III). » Item post aliqua : « Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quia Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus (*Joan.* IV). » Utrumque ergo rationabiliter observatum est in eo quod nonnisi postquam Joannes traditus est prædicare cœpit Jesus, scilicet ut et ordinate legi et prophetis quorum Joannes finis erat, Evangelium succederet, et in quantum fieri poterat, quod ex ipso erat, « nemini ullam offensionem » daret. Quæ autem causa fuerit ut secedens in Galilæam tam cito relicta civitate Nazareth, veniret et habitaret in Capharnaum, Lucas manifestius enarrat. Dicebant enim illi : « Nonne hic est filius Joseph ? Et repleti sunt, ait, omnes in Synagoga ira : et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt eum usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent illum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat ; et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat (*Luc.* IV). Hoc ita factum est ut adimpleretur, ait, quod dictum est per Esaiam prophetam : Terra Zabulon et terra Naphtalim, » etc. Hoc taliter per prophetam dictum est : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem (*Isa.* IX). » Quid est quod sumptum testimonium non ad integrum scripsit ? Duas namque omisit partes præcipuas, « primo tempore alleviata est, et novissimo aggravata est. » Quid, inquam, est, quod istas partes omisit ? Videlicet, quia non erat hoc in intentione, seu voluntate prædicantis, et evangelizantis, ut primo tempore alleviata terra illa, novissimo aggravaretur, id est ut præsentis Domini prædicatione, et miraculis illustrata Judæa, tandem assumpti in cœlum Evangelium repelleret et vitæ æternæ indignam se judicaret. Futurum quidem erat, et idcirco Esaias, revelante spiritu prophetico, prædixerat, quia sic futurum erat : verumtamen non ea Dominus intentione illud prædicare cœpit, ut novissimo tempore, id est consummatis omnibus salutis nostræ sacramentis, Judæa cor suum aggravaret ac repelleret verbum fidei. Testes sunt illæ lacrymæ, testis illa lamentatio videntis civitatem et flentis super eam, quia voluntatis ejus non fuit, quod illa taliter cor suum aggravavit, quod tempus visitationis suæ cognoscere noluit (*Luc.* XIX). Hoc solum erat in intentione prædicantis, « illuminare, » ut Zacharias quoque cecinit, « his qui sedebant in tenebris et in umbra mortis ad dirigendos pedes nostros in viam pacis (*Luc.* I). » Recte igitur providus evangelista solum hoc in intentione ejus fuisse significavit, dicendo, « ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, » etc. Terram Zabulon et Nephtalim, viam maris trans Jordanem propheticus spiritus opportune in tanta re declamavit, quia videlicet nonnihil pertinuit ad felicitatem nuntii tam boni, nominare locum, unde primo auditum fuerit, quod omnes sancti tanta exspectabant attentione, quantam insinuare contendit in eodem propheta mirabilis eloquentia sanctæ sapientiæ, dicendo : « Et elevate signum ad populos, ecce Dominus auditum fecit ab extremis terræ (*Isai.* LXII). » Puta, vel ipsum Joannem, qui tunc traditus erat mox, ut postmodum decollatus est, ad inferos properando signum elevasse ad omnes sanctos, qui hunc exspectabant ab origine mundi in tenebris et in umbra mortis, et dixisse : « Ecce Dominus auditum fecit a terra Zabulon, et a terra Nephtalim, et a via maris trans Jordanem Galilææ, » id est secus mare Galilææ. Sicut alio jam loco dictum est, non solum illud tantillum, quod evangelista de propheticis præscribit testimoniis, respicere debet lector studiosus, sive auditor attentus ; verum etiam illa quæ assumptis adhærent capitulis, quæ præcedunt sive quæ sequuntur, velut si domum, quæ forte per industriam absque fenestris subobscura facta est lucerna intromissa videre debeas, qualis sit intus, qualis sit situs in medio vel in circuitu ejus, et quidem sicut evangelistæ, quoniam brevitate opus erat, amplitudinem testimoniorum vel scribere non vacavit; ita et nobis, quia forte fastidiosum fieret opus, non vacat cuncta prosequi, quæ ipse brevi significatione illustravit : verumtamen in aliqua parte eorum, libet aliquantisper immorari. Præmisso, « populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX), » subinde idem propheta inter cætera, dicit : « Jugum enim oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. Parvulus enim natus est nobis, filius datus est nobis (*ibid.*) » Onus sive « jugum oneris ejus, » scilicet populi qui ambulabat vel sedebat in tenebris, peccatum erat ; « virga humeri ejus, » peccatum erat ; « exactor ejus, » diabolus erat ; sceptrum exactoris illius, » jus vel principatus mortis erat. Quomodo hæc, Domine, superasti ? Nimirum novo genere prælii, « sicut in die Madian, id est secundum mysticam similitudinem prælii, quo, sicut habemus in libro Judicum, dux Gedeon cum trecentis viris superavit Madian. Non enim sic in illo die pugnatum est, sicut ante vel post pugnaverunt cæteri duces, judices et reges Israel ; « sed divisis trecentis viris in partes tres, dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydria confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque : Gladius Domini et Gedeonis ! Omnia itaque

castra turbata sunt, immisit Dominus gladium in omnibus castris, et mutuo sese detruncabant. Prædixerat autem eis Gedeon : Quod me facere videritis, hoc facite (*Judic.* VII). » Secundum similitudinem illius prælii pugnare debere a tempore evangelicæ prædicationis, et regnum exactoris diaboli superandum esse propheta prædixit. Quam ob causam ? « Parvulus enim, inquit, natus est nobis, filius datus est nobis. » Antequam parvulus iste nasceretur nobis, antequam filius iste daretur nobis ; non solum licitum, verum etiam laudabile erat regibus, sacerdotibus, prophetis, patriarchis ferro dimicare et sanguine præliari, sicut fecit David, sicut fecerunt insignes Machabæi contra gentes, quæ contendebant exterminium facere Israeliticæ gentis, agente spiritu diaboli, ut exinaniretur verbum promissionis, ut non esset unde parvulus iste nasceretur nobis, sicut patribus, primoque fideli Abrahæ fidelis Deus repromisit. At nunc, **595** quoniam « parvulus jam natus est nobis, quoniam filius datus est nobis, parvulus sive filius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, » quid opus est materialibus armis ? Quid periculi est in hoc, si exstirpetur arbor, quoniam fructus omnis assumptus est, et tuto repositus loco ? Mutetur modus prælii et pugnetur sicut pugnatum est in diebus Madian. Sint lampades in lagenis fragilibus, in vasis fictilibus, id est dona gratiarum cœlestium in corporum mortalium membris corruptibilibus, sint et tubæ verbi Dei, quarum sonitu hostes visibiles et invisibiles terreantur. Lagenæ in sinistris, tubæ habeantur in manibus dextris, id est in minore corpora, in majore verbum Dei prædicandum habeatur, cura vel diligentia. Quid si corporum fragiles hydriæ confringantur ? Nimirum tunc amplius flammabit [*leg.* flammabunt] miraculorum clarissima luce, et martyres pretiosa morte coronati, exinde fortius præliabuntur. Fecit hoc primus ille Gedeon secundum litteram, et « quod me facere videritis, ait, hoc facite (*Judic.* VII) : » fecit hoc primus iste filius hominis secundum spiritum, et « hoc est, ait, præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). » Quoniam ergo sic pugnandum erat, quoniam materialis gladius jam necessarius non erat, videamus quales sibi milites sive militiæ duces elegit. « Ambulans juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare ; erant enim piscatores, et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, et vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. » Sicut sol visu suo specularia non solum videt, verum etiam suam in illis imaginem format, et imago

A ejus ex ipsis relucet ; ita quodam modo verus iste sol vidit Petrum et Andream, Jacobum et Joannem, simplices et tenebrarum partem nullam habentes, et idcirco lux ab eis comprehensa est, imago veræ hujus lucis in eorum cordibus per fidem formata est. Ista virtus tenebrarum non fuit ad comprehendendum, sed obtusa corda gerentes, repulerunt. Exempli gratia, ita ut dicerent : « Unde huic hæc omnia ; et quæ est sapientia, quæ data est illi, et virtutes quæ per manus ejus efficiuntur ? Nonne iste est faber, filius Mariæ, frater Jacobi et Joseph et Judæ et Simonis (*Matth.* XIII). » — « Et non poterat, ait evangelista Marcus, ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, et mirabatur propter incredulitatem illorum (*Marc.* VI). » Et qua-
B les istos invenit aut vidit, quorum cordis puritatem, et lucidam fidem penetravit ? « Mittentes rete in mare vidit eos, » sive « retia sua reficientes, erant enim piscatores. » Quare autem pauperes potius quam divites Deus elegit ? Imo « quos elegit ante constitutionem mundi, quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII), » quos vocare, justificare et magnificare proposuerat quare pauperes in hoc mundo nasci vel fieri voluit ? Nimirum propter eruditionem ipsorum, quia videlicet conscientia paupertatis grande est instrumentum et valens documentum, ut creatura teneat vel cognoscat id quod coram Creatore perpulchrum et valde justum est, scilicet ordinem suum. Quem vel qualem ordinem suum ? Profecto illum, quem Apostolus
C magno clamore, grandi exclamatione, nobis intimare nititur dicens : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini ? Aut quis consiliarius ejus fuit ? Aut quis prior dedit ei, et retribuetur ei ? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen (*Rom.* XI). » Iste est ordo legitimus, ordo necessarius, ut Creatori creatura subjiciatur, sciendo et confitendo quia ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia quæcunque bona beatus homo vel sanctus habet angelus, et ad hujus sanctæ rei cognitionem sive commonitionem multum valet, ut jam dictum est, memoria retentus priscæ paupertatis caminus, de quali et filii Israel vocati sunt, et in quali Petrus et cæteri apostoli ho-
D mines sine litteris et idiotæ et præterea censu pauperes inventi sunt. Quid multa ? Nimirum quanto plura sancti dona Dei percepturi erant, tanto majoris conscientia paupertatis indiguerunt, ut eadem dona portarent stabiles et firmi, fundati in spiritu humilitatis. Nam « Domini sunt cardines terræ (*I Reg.* II) ; » pro quo in Hebræo scriptum est, ut ait beatus Hieronymus, *afflicti terræ*, « et posuit super eos orbem (*ibid.*). » Afflictio hæc humilitas est, quæ ad portandum orbem constantes eos facit et fortes. Denique quod facit in corporibus sive rebus corporalibus, ut aliud tardius, aliud citius moveatur, flante vento seu movente manu : hoc facit in mentibus humilitatis

virtus, ut succedentibus prosperis spiritualibus non extollatur animus, pristinæ paupertatis seu cujuslibet infelicitatis sibi conscius. Orbis, quem super hujusmodi afflictos Dominus posuit, Ecclesia ipsius est, quam illis regendam commisit. Hinc est illud quod huic Simoni Petro dixit : « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » Super petram fidei, quam confessus est Petrus, Ecclesiam suam ædificavit, eamque regendam illi, cæterisque apostolis eorumque similibus, commisit.

Quid tandem de mutatione nominis dicemus, quam, ut supra jam dictum est, et alius evangelista scripsit manifestius, et iste non omnino tacuit, dicendo, « Simonem qui vocatur Petrus ? » Quæ causa vel ratio fuit mutationis hujus? Nunquid enim otiose, id est sine causa, sine ratione mutaret vocabulum hominis sapientia Dei Jesus Christus ? Dum de uno quærimus, alterius quoque recordemur. Qui enim dixit huic : « Tu es Simon filius Joanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur *Petrus* (*Joan.* I), » ipse idem quondam dixerat cuidam alteri : « Quod nomem est tibi ? Illo respondente, Jacob, ait ille : Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel (*Gen.* XXXII). » Præter duos istos, quorum alter in Veteri, alter in Novo Testamento notissimus est, alios in sanctis non invenimus Scripturis, quorum Deus vocabula commutaverit, licet quibusdam posuerit, ut Isaac ; aliis adauxerit vel minuerit, ut Abram et Sarai, hunc Abraham et illam vocando Saram. Quæ igitur causa vel ratio fuit in isti mutandorum nominum ? Arbitrari licet quod in ambobus mutationis nominum causa fuerit instans mutatio rerum. In illo priore, cui dictum est : « Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, » mutandarum sententia rerum fuit hæc. « Quoniam si contra Deum fortis fuistis, quanto magis contra homines prævalebis ? » (*Ibid.*) Nam contra homines prævalere, quid aliud est quam homines interficere ? Ex tunc genus Jacob sive Israel non solummodo permissum, verum etiam præceptum habuit peccatores occidere, et in primis Chananæos, quos juste terra debuit evomere. Exempli gratia : « Vade, inquit Dominus ad Saul, et percute Amalech, et demolire universa ejus. Non parcas ei, sed interficie a viro **596** usque ad mulierem, et parvulum atque lactantem (*Reg.* XV). » Hoc non tantummodo permissum, verum etiam usque adeo fuit præceptum, ut, cum ille pepercisset, diceret Dominus ad Samuel : « Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit (*ibid.*). » Ab initio autem non ita fuit, « sed omnis qui occiderit Cain, ait idem Dominus, septuplum punietur (*Gen.* IV). » Quomodo respondit Dominus dicentibus sibi : Quid ergo Moses mandavit dare libellum repudii, et dimittere uxorem (*Matth.* XIX) : » fere similiter respondendum est, si quæras quid Dominus homines mandavit interfici, dicendo, « quanto magis contra homines prævalebis ? » Re-

A spondens ait : « Quoniam Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur (*ibid.*). » In isto posteriore mutandarum sententia rerum hæc est : « Converte gladium tuum in locum suum. Exemerat enim gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus (*Matth.* XXVI) » Si ergo quæras, ut jam dictum est, quid Dominus mandavit peccatores interfici, et quid dixit, « quanto magis contra homines prævalebis ; » fere similiter respondendum est, ut « de libello repudii, quoniam Dominus ad duritiam cordis hoc mandavit fieri, ab initio autem non sic fuit. » Quorum ad du-
B ritiam cordis ? Nimirum hominum talium quales fuerunt Amelechitæ sive Chananæi, et cæteri quorum diabolus cor obduravit, ut non solum servirent creaturæ potius quam Creatori, verum etiam unicum cultorem Creatoris populum Israel conarentur omnibus modis aut facere conformem sibi, aut omnino exstirpare radicem gentis ejusdem, ut non esset unde compleretur benedictio quam Deus Abrahæ repromisit, quamque exigebat ille Jacob dicendo : « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi (*Gen.* XXXII) ; et audivit, « quoniam contra homines prævalebis » Propter ejusmodi duritiam cordis mandavit Dominus peccatores interfici : et qui hoc fecerunt, judices Israel, et patriarcha David, et præclari laudantur Machabæi. « Ab initio autem non sic fuit, sed qui-
C cunque occiderit Cain, septuplum punietur, ait Dominus (*Gen.* IV). » Et nunc idem loquitur ad istum, cujus mutaverat vocabulum, significans, ut jam dictum est, mutationem rerum : « Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, » subauditur, nisi pœnitentiam egerint ; et apud alium evangelistan, dicentibus apostolis : » Domine, ecce gladii duo hic. Dixit eis : Satis est (*Luc.* XXII). » Item : « Sinite usque huc (*ibid.*). » Quod prudens auditor sic intelligere debet, ac si diceret : Gladii materialibus jam satis factum est, et in illis huc usque necessario pugnatum est, ob defensionem carnis de qua me Jesum Christum oportebat nasci : jam sinite gladios ejusmodi, et pugnate novo genere prælii, sicut pugnatum est in die Madian, id est sicut significatum est
D illic ubi Gedeon superavit Madian (*Judic.* VII). De illo prælio jam superius dictum est : « Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos et paralyticos, et curavit eos, et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli et Hierosolymis et Judæa et trans Jordanem. » Opera hujusmodi, opera pietatis, quorum hæc initia fuerunt, portendebat signum paud sive significatio

præsentiæ Spiritus sancti, quæ super eum apparuit, A scilicet species columbæ, quæ nimirum avis naturaliter mitis est, et septem habet insignia pietatis, quæ numerare solent physici, quia sine felle est, et gemitum pro cantu habet et in foraminibus petræ sive caverna maceriæ nidificare solet, et nihil vivum comedit, et grana candidiora eligit, et pullos alienos nutrit, et juxta fluenta plenissima residens, insidiosum prævidet atque effugit accipitrem. Omnium pietatis operum, quæ per hæc septem columbæ naturalia bona significantur, initia fuerunt hæc quæ hoc loco narrantur, septem comprehensa dictionibus, quæ sunt: Sanare omnem languorem, et omnem infirmitatem, et omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos et paralyticos. Itidem quod secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa et Decapoli et Hierosolymis et Judæa trans Jordanem, initium fuit populorum sive gentium multarum quæ habebant ad illum concurrere, juxta illud Isaiæ: « Et gentes, quæ te non noverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum et sanctum Israel, qui glorificavit te (*Isai.* LV); » et in hoc initio finem vel consummationem propositi sui meditabatur incarnata Sapientia Dei, unde adhuc plenius dicendum erit.

LIBER QUARTUS.

597 Ecclesia in Canticis dilecti sui pulchritudinem prædicans, dicit inter cætera: « Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima (*Cant.* v). » Quid est hoc dicere, nisi quia studia ejus, quandiu « in terra visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch* III), » sacræ semper intendebant Scripturæ, sicut in psalmo primo prædictum fuerat, « sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* I). » Ejusmodi studia ejus Spiritum sanctum decuit ita significare, ut descenderet super eum in specie columbæ, quia in ea requieverunt omnes spirituales gratiæ, et anima ejus, apertis cunctarum gratiarum oculis, residebat juxta fluenta plenissima, id est cunctas comtemplabatur, ut adimpleret Veritatis Scripturas, quidquid « de ipso in lege Mosi, et prophetis et psalmis scriptum fuerat (*Luc.* XXIV): « et, quod cum magna reverentia cogitandum nobis est, secundum dispositionem rerum quas meditabatur, habitum vel actiones suas disponebat exterius. Hinc est id quod post ea quæ supradicta sunt, continuo sequitur:

CAP. V. — « Videns autem turbas, ascendit in montem: et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Futurum quippe erat, nec ipsum latebat, et hoc sine dubio meditabatur, imo « et, sicut quodam loco dixit, arctabatur usque dum perficeretur (*Luc.* XII), » et ut ascenderet in cœlum, et ibi « sederet ad dexteram majestatis in excelsis (*Hebr.* I), » juxta illud: » Ascendens in cœlum, captivam duxit captivitatem (*Ephes.* IV), » sive illud: « Dixit Dominus Domino meo, sed a dextris (*Psal.* CIX). » Pulchre autem, quia ascensurus erat in altitudinem cœli, ipse in montem, id est excelsum terræ locum, ascendit, quem vel Thabor vel quemlibet alium in Galilæa montem excelsum oportet intelligi, quia, postquam, finivit sermones suos, statim B sequitur: « Cum autem introisset Capharnaum, in montem ejusmodi, videns turbas, ascendit, » quia futurum erat ut, visis turbis, ascenderet, sicut jam dictum est, in altitudinem cœli. Quid enim fecit hic tota vita sua, nisi qui vidit turbas? Vidit plane, vidit turbas generis humani, et non quomodocunque vidit, sed ita ut miseriarum nostrarum caperet experimentum, juxta illud: » Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum (*Psal.* CII), » id est ipse suscepit, et in semetipso expertus est quia fragile est mortale corpus nostrum. Ita vidit, ut misereretur; ita misertus est, ut miserias nostras consolaretur, id est beatitudinem salutis æternæ per passionem et mortem suam nobis operaretur. Hoc facto, jamque sedente eo ad dexteram Patris, accessuri erant C ad eum discipuli ejus, videlicet accessu mentis et profectu fidei, perseverando in spe promissi quod promiserat eis, et « exspectando promissionem Patris quam audistis, inquit, per os meum (*Act.* I), » et cætera. Pulchre igitur sic factum et sic dictum est: « Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. » Itidem futurum erat ut, illis sedens ad dexteram Patris, magis « ac magis « aperiret illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV), » videlicet « docendo illos omnem veritatem (*Joan.* XVI) » per Spiritum sanctum quem dedit illis, sicut promiserat. Ejus rei congrua significatio est eo quod hic ait evangelista: « Et aperiens os suum docebat eos, » et cætera. Nunc jam litteræ vel sermonis hujus seriem ingrediamur. « Aperiens, inquit, os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, D quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Hujusmodi locutio sive dictio, « aperiens os suum, » in sæcularibus litteris pro vitio ducitur, et pleonasmos, id est adjectio unius verbi supervacua dicitur, ut illic: Sic ore locuta est. Neque enim quisquam loquitur nisi ore, nec aliter loqui potest, niri aperiat os suum. Porro in sacris litteris, maxime hic, nequaquam adjectio supervacua est, sed multum ad negotium pertinet, si illud os Domini cogites, quod

evangelistam divinum attendisse decet. Quod est illud os Domini, nisi Scripturæ per quas nobis loquitur Spiritus Domini ? Istæ clausæ fuerant ; clausæ, inquam, et signatæ pro ratione temporis erant, et ut clauderent eas ipsi qui scripserunt, præceptum Domini habebant, exempli gratia : « Tu autem, Daniel, claude sermones, signa librum usque ad tempus statutum (*Dan.* XII). » Et ad Isaiam : « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis (*Isai.* VIII). » Quomodo vel quibus Scripturæ Christum prænuntiantes, clausæ erant ? Utique spiritualia sic annuntiando ut carnalia sonare viderentur, illis præcipue quorum carni subditus et terrenis cupiditatibus deditus erat animus. Exempli gratia : « Et dominabitur a mari usque ad mare, et dabitur de auro Arabiæ (*Psal.* XVII). » Hæc et his similia Judæi legentes, aureamque et gemmatam Hierusalem terrenam, regnante Messia, se habituros sperantes, beatos putabant esse divites, cæterisque rebus vel modis prosperatos, quibus mundus inaniter gaudet. Clausum ergo os Domini, id est Scriptura quæ est os Domini, nec nisi docente ipso, poterat ejusmodi os aperiri. In aperiendo quid primum dixit ? « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Hoc primum cecinit canticum beatitudinis cithara gloriosa, cithara **598** sonora et dulcis, cui tota erat et est insita musica Patris, universa sapientia Dei, qui et dicebat ad eum jamdudum in Propheta : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI). » Octo chordis antiquitus citharæ fiebant, et quæ per primam, eadem vox resonabat per octavam, secundum musicæ naturalem vim, quia tantum septem sunt discrimina vocum, et octava vox eadem quæ prima est, quod cantatoribus peritis, id est musicis, non incognitum est, et quod non minime delectat in ista beatitudinum cantilena, quæ prima, eadem octava sententia est, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Celeberrima est apud doctores fere omnes decantatio hæc octo beatitudinem, nec opus est superaddere quidquam ad ipsorum tractatum, nisi hoc solum, ut ostendamus quia, sicut cætera Dominus noster, ita et hoc secundum certam locutus est auctoritatem Scripturarum. Nam quod pauperes spiritu vere beati sint, vel quod ipsorum sit regnum cœlorum Abraham, Isaac, Jacob pro exemplo vel testimonio sunt, qui pauperes spiritu fuerunt, sicut enarrat sacræ Historiæ textus, et memorat Apostolus. « Confidentes, inquit, quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere, et si quidem illius meminissent de qua

A exierant, habebant utique tempus revertendi ; nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem (*Hebr.* XI). » Nonne hæc est paupertas spiritus, non appetere patriam in terris, et humilis exspectare repositam in cœlis in manu Dei ? « Ideo, inquit, non confunditur vocari eorum Deus. Paravit enim illis civitatem (*ibid.*). » Quid aliud est illa civitas, nisi regnum cœlorum ? Quod mites vere beati sint, et quod ipsi possideant terram, Moses pro exemplo vel testimonio est, de quo veridica dicit scriptura : « Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra (*Num.* XII), » simulque Josue et Caleph, qui, tanquam mites, non detraxerunt terræ, quam lustraverant per quadraginta dies, sicut detraxerunt immites alii qui exasperaB verunt Dominum : et idcirco non possederunt eam, sed pleni alio spiritu laudaverunt, et idcirco possederunt eam (*Num.* XIII). Non quidem Moses possedit terram ad quam ingrediebatur Israel possidendam, terram trans Jordanem, terram Chanaan (*Num.* XIV). sed possedit et possidet terram viventium, quam solam in spiritu Psalmista suspirans : « Credo, inquit, videre bona Domini in terra viventium. Portio mea in terra viventium (*Psal.* XXVI). » In hoc ipso, qui terram illam Chanaan non possedit, mitis fuit, id est semetipsum non defendit, quod est mitis animi. Nam, dicente sibi Domino quod in illam terram non intraret, propter illud quod acciderat ad aquas contradictionis, continuo respondit : « Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc, ne sit poC pulus Domini, sicut oves sine pastore (*Num.* XXVII). » Et in sua quidem causa mitis fuit, in causa vero Dei qualis fuerit, testatur zelus quo zelatus est « pro reatu vituli (*Exod.* XXXII), » et hiatus terræ qui Dathan et Abiron absorbuit, cum ille dixisset ad Dominum : « Ne respicias sacrificia eorum (*Num.* XVI). » Quod lugentes vere beati sint, et quod ipsi consolabuntur, testantur gesta judicum, qui post Mosen et Josue fuerunt usque ad Samuel, quorum luctum atque clamorem, quo clamaverunt ad Dominum, confitentes quod propter peccata sua traditi fuissent et toties traderentur in manus gentium, gloriosæ consolationes subsecutæ sunt. Primus luctus illorum temporum loco quoque nomen dedit, sicut scriptum est : Ascenditque angelus D Domini de Galgala ad locum flentium. Cur, inquit, hoc fecistis ? Cumque loqueretur angelus Domini ad omnes filios Israel, elavaverunt vocem suam, et fleverunt, et vocatum est nomen loci illius flentium sive lacrymarum (*Judic.* II). » Luctus ultimus luctus fuit Samuel, qui lugebat Saulem, sicut scriptum est : « Pœnitet me, ait Dominus, quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte (*I Reg.* XV). » Et subinde : « Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem (*ibid.*). » Dixitque Dominus

ad Samuelem : « Usquequo tu luges Saul (*ibid.*). ? » A et cætera. Consolationes, quibus illi lugentes consolati sunt, tam gloriosæ fuerunt, ut illi quorum per manus Dominus clamantes ad se consolatus est, vocarentur etiam salvatores, utpote Salvatoris venturi quamdam vicem et typum gerentes, salute temporali salvando Israel (*Judic.* III). Ultimus Samuel lugendo talem consolationem consecutus est, ut missus a Domino ungeret David regem (*I Reg.* XVI), et salutis temporalis ducem et salutis æternæ fontem sive originem, id est patrem Salvatoris Christi nominatum post Abraham secundum carnem. Quod esurientes et sitientes justitiam, beati sint, quod ipsi saturabuntur, pro exemplo vel testimonio sunt prophetæ vel prophetarum filii, et quique timentes Dominum, qui sub regibus Israel, Achab et Jezabel, B et cæteris, qui prophetas Domini occiderunt, et altaria suffoderunt, per loca deserta diffugientes et latitantes, egestate et fame afflicti sunt, quorum Helias est notissimus, qui, propter minas Jezabel fugitans, ambulavit in fortitudine unius cibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus (*III Reg.* XIX) ; de qualibus et Apostolus ingemiscens loquitur : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti ; quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis et in cavernis terræ (*Hebr.* XI). » Vere ergo beati, de quibus ita veraciter annuntiatur, dignus enim non erat mundus. Esuriebant et sitiebant corporali esurie et corporali siti, propter justitiam esuriebant, et sitiebant spirituali esurie et spirituali siti ipsam justitiam, id est Christum quem C exspectabant. Etenim quid faceret esuriens et sitiens in eum qui tolleret sibi panem unicum vel potum necessarium ? Utique si posset, occideret eum. Similes huic existimavit sacerdotes et prophetas Baal Helias unus vel notissimus esurientium et sitientium justitiam, id est Christum. Et idcirco occidit ex eis quadringentos et quinquaginta viros in die una, quia, quantum in ipsis erat, indignum faciebant populum Israel, cui, secundum promissionem quæ ad patres facta est (*III Reg.* XVIII), conferretur vel daretur Christus, justitia sempiterna. Hic unus vel præcipuus ex illis, postquam esurivit et sitivit mente justitiam, igneo curru raptus est, et translatus in locum ubi non esurierat neque sitiat (*IV Reg.* II) : unde et pro argumento satis est ut credas verum D esse quod Veritas loquitur : Beatos esse esurientes et sitientes justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quod misericordes vere beati sint, quoniam ipsi misericordiam consequentur, Abdias ille pro exemplo sit, qui misericors fuit et misericordiam fecit cum illis qui esuriebant et sitiebant justitiam, ut supra dictum est, fugientes persecutionem regis Achab et impiissimæ Jezabel. « Nunquid, ait ipse ad Heliam, non indicatum est tibi domino meo quid fecerim, cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, paverim eos pane et aqua ? » (*III Reg.* XVIII.) Dicitur hic fuisse tertius ille princeps quinquagenarius, cui pepercit Helias, dicenti : « Homo Dei, noli despicere animam meam, et animam servorum tuorum, qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, et devoravit duos **599** principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant. Sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ (*IV Reg.* I). » Misericordiam consecutus est, quia misericors fuit, neque solummodo sive utcunque misericordiam, verum etiam gratiam magnam, videlicet propheticam, completumque est in eo illud per Salomonem dictum : « Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi (*Prov.* XXII) » Postmodum enim relicto Ochoziæ regis ministerio, factus Heliæ discipulus prophetavit : et hic ille esse perhibetur, qui in ordine duodecim prophetarum quartus est. Ergo et ab ejus exemplo vere constat beatos esse misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, itemque verum esse, quod alibi dictum est : « Qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet (*Matth.* X). » Quod mundi corde vere beati sint, quoniam ipsi Deum videbunt ; deinde Daniel et socii ejus pro exemplo sunt. Studium ejus ut esset mundo corde, ex eo cognoscimus quod scriptum est : « Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis et de vino potus ejus, et rogavit eunuchorum præpositum, ne contaminarentur, et dixit : Tenta nos, obsecro, servos tuos diebus decem (*Dan.* I), » et cætera. « Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni verbo et sapientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum (*ibid.*). » Inter cætera quæ vidit ille mundo corde, maximum atque pulcherrimum est quod Deum vidit, quomodo a mortali homine videri potuit : « Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit ; vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli capitis ejus, quasi lana munda. Aspiciebam, et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem ; et regnum et omnes populi tribus et linguæ ipsi servient (*Dan.* VII). » Qui adhuc vivens et mortalis, sic propter munditiam cordis vidit Deum, quomodo vel quam feliciter post hanc vitam videt eum ? Ergo in isto præsens testatur experimentum, beatos esse mundos corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod pacifici beati sint, quodque filii Dei vocentur et sint, ipsi qui hanc apertionem oris Domini viderunt, et hanc ejus doctrinam præsentes audierunt, in semetipsis experti sunt. Nam ipsi sunt, et fuerunt primi pacifici, et ministri perfectæ pacis, utique pascis inter se et omnes homines. Quomodo inter se et omnes homines ? Videlicet eo modo ut, sicut cætera omnia reliquerant, sequendo principem pacis, ita ut arma materialia, cuncta belli vasa, de manibus illis excuteret idem princeps pacis, dicendo ad unum vel

primum ex eis Petrum : « Converte gladium tuum in locum suum (*Matth.* XXIX). » Nusquam omnino deinceps arma belli attrectaverunt, nisi gladium illum gladium spiritualem, qui « est sermo Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV). » Beati illi hactenus nominati, scilicet et pauperes spiritu, et mites, et lugentes, et esurientes atque sitientes, armis interdum bellicis usi sunt, et nihilominus beati fuerunt vel sunt, quoniam secundum tempus pro Domino zelabantur, et occidendo impios viam vitæ venturæ aperiebant, quæ est Christus, videlicet defendendo arborem generis sui, ne pro voluntate diaboli penitus a gentibus exstirparetur, de qua nasciturus erat fructus, sicut jam plenius alio loco diximus. « Tempus belli, dicit Ecclesiastes, et tempus pacis. Tempus occidendi, et tempus sanandi (*Eccle.* III). » Tempus denique belli, et tempus occidendi tunc fuit, magisque expediebat occidere quam occidi, quam conabatur diabolus per impios homines exterminare radicem de qua venturum sperabatur semen, quod est Christus, incipiens per Pharaonem, qui præcepit omni populo dicens : « Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite : quidquid feminei, reservate (*Exod.* I). » Tandemque Pharao alter quidem in persona, sed idem in malitia, persequens recedentem Israel : « Evaginabo, inquit, gladium meum, interficet eos manus mea (*Exod.* XV). » Mitissimus quidem, ut supra jam dictum est, « erat Moses super omnes homines qui morabantur in terra (*Num.* XII), sed tamen libenter extendit manum suam severam super mare, ut reverterentur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum, et pro hoc facto gloriosum Domino cantavit canticum (*Exod.* XIV), et ipse pugnavit et vicit Amorrhæum, et ultus est filios Israel de Madianitis (*Num.* XXI). Cætera persequi nimis longum est. Hoc tamen erat demonstrandum quod tunc et exinde, usque dum nascente Christo promissio impleretur, tempus belli et tempus erat occidendi ; et qui bellaverunt et occiderunt, merito prædicantur in Ecclesia Dei, maxime David et inclyti Machabæi. Postquam autem natus est Christus, tempus cœpit esse pacis, et tempus sanandi ; quod ministerium priores susceperunt apostoli, et ecce « beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, » ait, et utique fratres mei. « Vade, inquit, ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum (*Joan.* XX). » Quomodo pacis inter Deum et homines ministri fuerunt ? Missi a Christo resurgente a mortuis, et dicente, quod antea nusquam dixit semel et iterum ac tertio, secundum Joannem : « Pax vobis (*ibid.*). » — « Deus, aiunt, reconciliavit nos sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis ; quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo (II

A *Cor.* V), » et multa his similia. Et nota, qui in ordine beatitudinum septimo loco sabbatismus pacis est. Octava beatitudo quam dicit, « beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » universos complectitur, et pauperes spiritu, et mites et lugentes, et esurientes et sitientes justitiam, et misericordes, et mundicordes, et pacificos ; quia videlicet omnes persecutionem passi sunt et patiuntur, quicunque illos imitari volunt. « Omnes enim, inquit Apostolus, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur (II *Tim.* III). » Similiter promissio, « quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » quæ ipsa prima et octava est, cuncta interiores complectitur promissiones ; quia videlicet regnum cœlorum, et B terra est quam mitibus promittit « quoniam ipsi possidebunt terram ; » et consolatio quam promittit lugentibus, dicendo « quoniam ipsi consolabuntur ; » et saturitas quam pollicetur esurientibus et sitientibus justitiam, dicens « quoniam ipsi saturabuntur ; » et misericordia quam spondet misericordibus, « quoniam ipsi misericordiam consequentur ; » visio Dei, quam promittit mundicordibus, « quoniam ipsi Deum videbunt ; » et gloria filiorum Dei, quam pacificis pollicetur, dicendo « quoniam filii Dei vocabuntur. » In beatitudinibus istis etsi discipulos suos qui præsentes aderant non præterivit, sed eos quoque tetigit, maxime dicendo, « beati pacifici ; » non tamen sic locutus est aut ita dixit, ut enuntiaret eis qualem ad gratiam sive gratiæ gradum prædestinati fuissent atque vocati, quia non ad C secundam personam verba fecit, protinus autem in sequentibus facere incipit. « Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. **600** Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis (*Matth.* XXIII). Sic enim persecuti sunt prophetas qui erant ante vos. Ecce de persona tertia facta conversatione ad secundam, ad eos qui præsentes aderant, discipulos suos verba facit, eosque assimilat vel coæquat prophetis, quorum utique magnum et gloriosum erat memoriale apud viventes filios, quorum patres illos maledixerunt et persecuti sunt, et plerosque ex eis etiam occiderunt. Magnificentia est summi gradus et honoris optimi in hoc dicto : « Sic enim persecuti sunt prophetas D qui fuerunt ante vos. » Verumtamen pro magnificentia rei parum erat hoc dixisse : sic enim fecerunt prophetis. Sed adde quod protinus ait : « Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus, vos estis lux mundi. » Quo pertinuit, sedendo in monte, statim post apertionem oris, in exordio tanti sermonis mentionem facere salis et lucis, taliter ut diceret : Vos estis sal ; vos estis lux ? » Quo respexit, vel quales ad thesauros sapientiæ et scientiæ suos auditores præmittere voluit ? Nimirum ad montem illum, imo ad legem sanctam et justam et bonam, quam ipse olim

dedit in monte Sinai, ubi lux quædam apparebat, sicut scriptum est : « Jam advenerat tertius dies, et mane inclaruerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura. (*Exod.* XIX). » Item : « Cunctus autem populus videbat voces et lampades (*Exod.* XX), » etc. Inter illius, quæ tunc data est legis mysticæ sacramenta, diligentissime salem commendat. « Quidquid, ait, obtuleris sacrificii, sale condies; ne auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal (*Levit.* II). » Tertio repetivit in uno eodemque Scripturæ loco commendationem salis, ne forte primam aut secundam vicem non intellexeris, aut curæ non magnæ putes Deo esse mysterium salis. Cum igitur sedens in monte et dicturus : « Non veni legem solvere, sed adimplere, » præmittit, « vos estis sal, vos estis lux; » utique discipulos suos intelligere vult, sicut postea Spiritum sanctum accipientes et illuminati ab eo sine dubio intellexerunt quod ea quæ visa vel facta sunt in monte Sinai, cognata fuerunt his, et ad rationem pertinuerunt horum quæ facere incipiebat, sedendo in monte et docendo discipulos suos quæque perfecturus erat sedendo in excelsis ad dexteram majestatis, et mittendo illis Spiritum sanctum in linguis igneis : unde et factum est ut essent lux mundi. Ut nunc interim disseram de ratione salis : profecto in eo quod dicit, « vos estis lux mundi, » hoc dat intelligi : Quod ista lux mundi per fulgura et lampades illas designata fuerit, quæ ibi lucebant in medio fumi sive densissimæ nubis, sicut illic manifeste dictum est : « Quia cœperunt micare fulgura, et nubes densissima operire montem (*Exod.* XIX) : » itemque, « cunctus populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ montemque fumantem (*Exod.* XX). » Fulgura et lampades in medio fumi et densissimæ nubis, apostoli fuerunt, doctrina lucentes et miraculis coruscantes in medio Judæorum, quos invidiæ fumus excæcavit, et incredulitatis densissima nubes operuit. Sed jam per ordinem litteram sequentes, sermonem hunc ipso duce ingrediamur, qui locutus est : Cum dixisset : « Si enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos, » continuo quasi quærerent beati illi quibus inter maledicta et persecutiones gaudendum atque exsultandum decernebat, « quoniam merces vestra, inquit, magna est in cœlis, » et dicerent, quid sumus et quis finis erit eorum qui prophetas ante nos persecuti sunt, et nos persequentur, dixit eis : « Vos estis sal terræ. » Breviter dixit; sed in brevitate dicti grandis est sensus, et rationis magna vis. Non dixit tantummodo, vos estis sal, » quo dicto sola poterat significari bene utentium commoditas; sed dixit, « sal terræ, » quo dicto quid portendit, nisi vastationem hostilis terræ? Legimus enim urbes quasdam ira victorum sale seminatas ut nullum in ipsis germen oriretur. Sic ergo accipiendum est ac si diceret : « Omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi (*Matth.* XXIII), » confluens cum sanguine vestro, quos persequentur sicut persecuti sunt prophetas ante vos, sic erit generationi isti tanquam seminatio salis, ut sit sterilis et nullius boni ferax germinis, sicut civitas ira victorum sale seminata, sterilis sit et inhabitabilis. Hoc adversus illos qui salem in terra sua seminare potius quam in cibum sumere, id est doctrinam apostolicam persequi et, quantum in ipsis fuit, maluerunt annihilare quam venerari et suscipere, indignos se judicantes vitæ æternæ, prævaricatores legis sanctæ, dicentis : « Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal (*Levit.* II). » Hujus præcepti, quod ne parvum aut parvipendendum putes, Scriptura triplicavit et sic sublimiter extulit, ut diceret, « sal fœderis Domini Dei tui, » prævaricatores futuri erant Judæi, contemnendo, imo et persequendo doctrinam evangelicam, quæ per istos vel cum istis incipiebat administrari. Quomodo sal superfluos sive nocituros humores carnium desiccat et a putredine purificat, sic apostolica doctrina necessaria Decalogi præcepta, cunctaque justitiæ legalis instituta, desiccatis carnalibus cæremoniis, purificare habebat, et ubique terrarum consilio castitatis salire credentium corpora, quatenus non putrescerent, aut usquequaque putenti corrumperentur luxuria. O quantas salierunt puerorum quoque aut puellarum turmas, ita ut carnes eorum omnino desiccarentur, et usque ad decrepitam senectutem, usque ad finem vitæ incorruptæ perseverarent atque durarent imputribiles continentia et sani virginali pudicitia ! Secundo post apostolos meriti vel gratiæ loco viri apostolici Patres orthodoxi et doctores catholici sal dicuntur et sunt, atque lux mundi ; quia videlicet sapienter atque fideliter tractando atque retractando sacram legis et prophetarum Scripturam, quidquid in ea quasi carnaliter sonat, ita sermone mundo condiunt, ut spiritualiter sapiat, et quod erat clausum patescat, quod obscurum et tenebrosum videbatur, clarum et lucidum fiat. Magna igitur dignitas, magna in hoc dicto gloria, « vos estis sal. » Sed audi quid sequitur : « Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. » — « Noli ergo altum sapere, sed time (*Rom.* XI), » o tu omnis qui te ad ordinem illorum pertingere confidis, quibus dictum est, « vos estis sal, » conscius tibi sermonis sapientiæ vel scientiæ, qui forte tibi super alios abundat. Nonnunquam enim accidit ut evanesceret sal, nonnunquam accidit ut scientiam quis habens, abuteretur ea in superbia, et per mentis elationem loqueretur scientiæ vel conscientiæ suæ contraria, sciens veritatem, dum alteri invidet, et alteri cedere, qui forte prior locutus est aut cui juniori revelatum est quod melius est, damnum suum putat, et quasi tormento gravatur, quia superbus et elevatus est. Taliter niti, hoc est veritatem in injustitia detinere, hoc est « veritatem Dei commutare in mendacium (*Rom.* I), »

hoc est verbum dicere contra Spiritum sanctum (*Matth.* XII). » Et hoc fuit peccatum Pharisæorum quando dixerunt : « Hic non ejicit dæmones **601** nisi in Beelzebub principe dæmoniorum (*ibid.*), » ita per invidiam loquentes, cum scirent quod in digito Dei, id est in Spiritu Dei ejiceret dæmones. Hoc peccatum Arii, peccatum hoc omnium hæresiarcharum fuit, quoscunque remedio pœnitentiæ Spiritus sancti indignos judicavit, quia, cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sicuti sub nomine Christiano peccatores antiquos, peccatores paganos, qui commutarunt, ait Apostolus, veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen (*Rom.* XI). Ubicunque taliter acciderit, ubi doctor vel magister secundum talium exemplum desipuerit, dicito quia sal evanuit ; ubi autem taliter evanuerit, in quo salietur ? Quo doctore alio emendabitur ? Vere nullo, et frustra effundes sermonem, quia non est ibi auditus. « Eum qui ejusmodi est, hæreticum hominum post primam et secundum admonitionem, ait Apostolus, devita, sciens quia subversus est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus (*Tit.* III). » « Ad nihilum valet ultra, ait Dominus, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. » Et idcirco talium patres ac præcessores Pharisæos foras misit, non solum a regno Dei, verum etiam a regno loci terreni, et templi manufacti, quia non erat unde saliretur quod evanuerat sal infatuatum, quia dicebant et dicere non sinebant verbum contra Spiritum sanctum, id est, quia non per ignorantiam negabant, sed per invidiam blasphemabant eum qui venerat, Jesum Christum. « Nunc enim, ait, et viderunt et oderunt et me et Patrem meum (*Joan.* XV). » Secundo similiter gratiæ vel meriti loco dictum sibi non dubitent, « vos estis lux mundi, » quicunque, habendo scientiam Dei; sic lucent et adeo sunt illuminati ut aliis lucere et alios illuminare possint. Una est lux non illuminata, sed illuminans, lux naturaliter lucens, non unde luceret ex accidenti dono habens, et idcirco vel proinde lux vera, sicut habemus apud alium evangelistam, « erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), » quæ illuminando hoc effecit ut veraciter dicere posset istis : « vos estis lux mundi. » Ad illam lucem veram, quæ illuminat, lucis hujus quæ illuminata est, nulla comparatio, quum sit aliqua similitudo. Porro ad istos, qui sic illuminati sunt ut alios verbo doctrinæ illuminare possint, eorum, qui illuminati sunt quidem, sed illam facultatem non habent ut alios illuminare et erudire possint, talis est comparatio, quasi si stellis comparetur splendor firmamenti. Sic enim de istis ad Danielem dictum est : « Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII). »

Quid porro sibi vult quod præmisso, «vos estis lux

A mundi, » continuo subjungit : « Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt : sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Quid nisi humilitatem contingit, et humilitati respondet eorum qui tali nomine sunt digni ut lux mundi nominentur et sint ? Denique talium quisque parvulus est in oculis suis, latere vult : quia dignum se aspectibus hominum, aut hominem esse non arbitratur, et vix animadvertere audet quod Altissimus, quamvis omnia videns, eum scire vel videre dignetur. Et quam magna, quam ampla civitas, quam is, « quem cœlum, et cœli cœlo-
B rum capere non possunt, Deus inhabitat ! » (*III Reg.* VIII.) Et quo in monte, nisi in altitudine cœli, civitas hujusmodi posita est, juxta illud : « Nostra autem conversatio in cœlis est ? » (*Philip.* II.) Non potest abscondi, non patitur ordo vel ratio judicii seu consilii divini ut abscondatur et incognita sit, quæ « ad hoc ædificata est, et ad hoc mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium (*Cant.* IV), » ut omnes qui inter adversarios periclitantur, qui inter Judæos, paganos, atque hæreticos, pro fide agonizantur, recurrere sciant ad civitatem hanc, et in ea communiri, de ea sumptis sententiis armari, ut habeant unde armari, pro qua illis res est, possit. Ecce alia similitudo : « Nequaque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candela-
C brum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, » juxta hanc similitudinem, quibus dixi : « Vos estis lux mundi, » non idcirco illuminati estis, non idcirco sapientiæ et scientiæ Dei claritatem accepistis (quod fieri tunc incipit, perficietur autem, quando accipietis donum supervenientis Spiritus sancti in vos, linguis apparentibus igneis [*Actor.* II), ut sub silentio tegamini vel abscondamini, perpetuis contenti latibulis, nec vos, nec aliqui illorum qui ante vos habuerunt vel post vos habituri sunt gratiam hujusmodi, ut per eorum ministerium Deus mundo innotescere possit. Etiam si quislibet eorum in speluncis et in cavernis terræ delitescere voluit, et ad tempus delituit, nihilominus tamen, ubi causam poposcit, foris prodiit, in publicum Deo jubente vel ordinante venit, ut ei cui prædestinatus, ad quod fue-
D rat vocatus, insistens officio, beneficium lucis, cujus erat particeps, plurimis impertiretur. Exempli gratia : Joannes lucerna ardens et lucens in deserto latere voluit, et illic a teneris annis usque ad annum ferme tricesimum hominibus incognitus, vitam suam detrivit. Nonne interim lucerna quasi sub modio latuit ? Sed profecto « lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), » de quo habebat Joannes ut lucerna existeret, quod et ipse profitetur, dicendo : « Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (*ibid.*), » non idcirco illum sic illuminaverat, non idcirco « de Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ releverat

(*Luc.* I), » ut illic soli, si aut viveret, soli sibi sub modio vitæ eremiticæ, lucem bonæ conscientiæ taciturnus insumeret. Ubi patri ejus cœlestis nuntius nativitatem ejus evangelizavit, nomen quoque et vitæ seriem gerendæ ordine deprompsit, nihil tale denuntiavit, sed hoc quod erat in proposito Dei venerabiliter pronuntiavit. Ipse, inquiens, præibit ante illum in spiritu et virtute Heliæ parare Domino plebem perfectam, id est, cum zelo justitiæ redarguendo et corripiendo peccatores prædicare pœnitentiam. Illud deserti latibulum sponte subiit, istud publicæ prædicationis officium obedienter suscepit ab eo per quem dicit : « Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I), » et cætera. Igitur verbis et exemplis divinæ auctoritatis perdocemur ut sciamus quia Deus, cuicunque sapientiæ, vel scientiæ suæ lucidam gratiam dat, idcirco utique dat ut super candelabrum aliquod ponatur ejusmodi lucerna, quatenus luceat omnibus qui in domo sunt, et plures lucrifaciat. Aliquod autem candelabrum ideo dixi, quia juxta Joannis Apocalypsim septem sunt candelabra aurea, quorum in medio Filius hominis deambulat, et « septem candelabra, inquit, septem Ecclesiæ sunt (*Apoc.* I). » Porro, septenario numero, quo significari solet universitas, universas intelligimus, quas per orbem terrarum Christus habet Ecclesias, et **602** hoc utique vult, ut qui dono ipsius apostolica præpollet fide et scientia, non discrepante vita, nec ipse negligatur vel contemnatur alieno, neque ipse proprio refugiat judicio, quin ponatur super candelabrum, et in domo Dei luceat verbo et exemplo, memor per omnia dicti hujus : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. » Hoc etenim dicto et inanis gloria propellitur, et utilitas multorum desideratur, cum ea jubeatur esse intentio bene operantis coram hominibus ut non ipse, » qui operari videtur, sed Deus qui per eum operatur (*I Cor.* XII) : » — « Deus pater luminum a quo est omne datum optimum, et omne descendit donum perfectum (*Jac.* I), » laudetur et glorificetur. His præmissis, in exordio sermonis, per quæ præparati esse poterant, ut ad audiendum existerent attenti, dociles ac benevoli, ingreditur ampla spatia profundi sermonis cœlestis magister, et dicit : « Nolite putare quia veni solvere legem aut prophetas. Non veni solvere, sed adimplere. » Postquam enuntiavit aliis, cujus forent dignitatis, et sic minores suos discipulos honoravit, ut diceret eis : « Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, » et de semetipso quoque quid deberet sperari, quam humiliter significare voluit, et hoc sciri non inaniter idoneum duxit. Nam magnum est quod de semetipso dicit, « legem adimplere veni, » sed magnitudinem rei, ne jactantiam sermo redolere videretur, pulcherrime temperavit modus docendi, dum in prima fronte excusationem præmittere, et justam sui met æstimationem quodammodo flagitare curavit, dicendo : « Nolite putare quoniam veni solvere legem et prophetas. » Profecto si solam legem posuisset ita : « Nolite putare quoniam veni solvere legem, » et tunc demum dixisset : « Non veni solvere, sed adimplere, » magnum, ut jam dictum est, hoc esset, longe plus quam aliquis hominum de semetipso unquam potuit dicere veraciter. Cum autem addit, et prophetas, et de utriusque, scilicet lege et prophetis, dicit quod hæc adimplere venerit, rogo quantum est. Nonne æquipollens est ac si diceret, cuncta in me adimplebuntur sacramenta legis et prophetarum, etenim cuncta quidem de me scripta sunt ? Sed, ut jam dictum est, magnitudinem rei suaviorem audientibus efficit modus locutionis, similiter et in eo quod protinus subjungit : « Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. » Quanto suavimus ac reverentius sonat taliter dictum, « donec omnia fiant, » quam si ita diceret, donec omnia compleam ? Quæ omnia ? Videlicet quæcunque loquuntur lex et prophetæ. « Non, inquit, præteribit iota unum aut unus apex, donec omnia fiant. » Et quousque vel quanto tempore fient ? « donec transeat cœlum et terra, » id est usque ad consummationem sæculi, usque in diem judicii (*I Cor.* VII), quando prætereunte sive jam præterita, quæ nunc est, figura mundi, erit terra nova et cœli novi (*II Petr.* III). Quid ergo est quod Apostolus dicit, « reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem (*Hebr.* VII), » quoniam hic ait ipse Dominus : « Iota unum aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant ? » Ad hæc sciendum, quia nonnulla est distantia rerum quæ significantur nomine legis, Ne longum in respondendo funem traham : aliud est legem dedisse Deum pro beneplacito suo, quod fecit ante reatum vituli ; aliud legem imposuisse non sine animadversione, vel severo judicio, post reatum vel in ipso reatu vituli. Hic jam verba ejusdem Domini ad prophetam Ezechiel memoranda sunt. « Ejeci eos, inquit, de terra Ægypti et eduxi in desertum, et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciat homo et vivat in eis. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, » et cætera usque, « et post idola patrum suorum fuerunt oculi eorum. » Statimque sequitur : « Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, et pollui eos in muneribus suis (*Ezech.* XX). » Præcepta et judicia quæ faciat homo et vivat in eis, se illis dedisse vel ostendisse dicit : præcepta videlicet, « non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptiles (*Exod.* XX), » et cætera verba Decalogi. Judicia vero, « si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratias (*ibid.*). XX), » et cætera quæ Moses plebi omnia narravit et scripsit, ita concludens : « Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus suis. » Post-

quam autem fecerunt vitulum, et sicut apud prophetam jam dictum habemns, post idola patrum suorum fuerunt oculi eorum, ubi intelligendum est vituli peccatum, quod fecerunt secundum morem Ægyptium, sicut patres eorum præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, quæ sese illis dedisse dicit, illa sunt de quibus fere totus existit liber Levitici : Verbi gratia, de mundis et immundis animalibus comedendis et non comedendis, de lepræ contaminatione et leprosi emundatione (*Lev*. XI, XIII, XXXII), et cæteris ejusmodi, in quibus sine dubio vita non consistit, sicut nec in sacrificiis carnis et sanguinis taurorum et hircorum et arietum sive agnorum, de quibus et apud Hieremiam Deus ipse dicit : « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcipi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens: audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus (*Jer*. VII). » Cum igitur hic Dominus dicit : « Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, » illic autem Apostolus ait : « Reprobatio sit mandati præcedentis propter suam infirmitatem et inutilitatem (*Hebr*. VII), » operæ pretium est scire hanc distinctionem legis, ut hic intelligas præcepta bona et judicia quæ faciat homo et vivat in eis; illic autem præcepta non bona et judicia in quibus non vivent, de quibus ibidem Apostolus: « Nihil enim, ait, ad perfectum adduxit lex (*ibid*.) » Et alibi : « Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos iisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest perfectos facere (*Hebr*. X). » Et multa in hunc modum. Cæterum etsi secundum litteram lex sive mandatum ejusmodi infirmum erat et inutile, propter quod et reprobatio ejus facta est ; attamen his qui secundum spiritum sentiunt, qualium habuerit umbram futurorum bonorum, notum ac perspicuum est quia, nec de lege ejusmodi quidquam præteriit aut præteribit quin jam cuncta fere in Christo vel per Christum adimpleta sint, et quod residuum est, nunc adimpleatur et adimplendum sit usque in finem sæculi. Verumtamen loco præcedenti cum dicit ; « Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, » maxime legem præceptorum et judiciorum illorum oportet intelligi, quæ, ut supradictum est, primum dedit vel ostendit eis, ut apud Ezechielem dicit, nequaquam irritarent eum (*Ezech*. XX), id est ante reatum vituli. Nam de hujusmodi tractat in sequentibus, incipiendo sic : « Qui ergo solverit **603** unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. » In primis in quatuor divisiones totum sermonem distinguere libet, nimirum secundum quatuor virtutes principales, quas ethnici nominare quidem potuerunt, sed non se-

A cundum cœlestem vel spiritualem ipsarum dignitatem cognoscere meruerunt, scilicet justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam. Prima distinctionis hujusce divisio sive pars hic incipit, ubi ait: « Dico enim vobis quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.» Et illic finitur ubi dicitur : « Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, totaque hujus partis series ad perfectionem tendit justitiæ, juxta propositum dicentis, quod jam pertractatum est : « Non veni legem solvere, sed adimplere. » Secunda inchoatur ab eo quod protinus ait : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis (*Matth*. VI), » et illic terminatur ubi
B dicit: « Nolite ergo solliciti esse in crastinum : sufficit diei malitia sua (*ibid*.), » et tota hæc tendit ad virtutem temperantiæ, et maxime ut temperetur ab appetitu inanis gloriæ, et deinde a ventris vel corporis sollicitudine, simulque a servitio mammonæ. Tertia ab eo quod ait : Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos (*Matth*. VII), » usque ad id : « Intrate per angustam portam, quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam (*ibid*.) ;» sine dubio tendendi ad regnum cœlorum demonstrat habere fortitudinem perseverantem, perseverantiam fortem. Quarta ab eo quod ait, « Attendite a falsis prophetis (*ibid*.), » usque ad finem sermonis, indubitanter auditorem ad prudentiam adducit, et informat Christianum ut
C prudens ac providus sit. In singulis patribus istis ex opposito virtutum, Scribas et Pharisæos cunctis virtutibus vacuos accerrime culpat, et nominibus quadrifariam diversis denotat. Nam prima quidem parte sermonis, manifestis eos nominibus Scribas et Pharisæos nuncupat, dicendo : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum. » In secunda semel et iterum ac tertio hypocritas, insuper ethnicos quoque vocat, dicendo : « Nolite tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt, et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, et orantes autem nolite multum loqui sicut ethniei ; et cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes (*Matth*. VI). » Et quidem de gentibus quoque fuerunt et sunt hypocritæ, quos et præsens sermo damnat intemperantiæ, quoniam adeo sunt festini
D ad mercedem suam, ut malint perdere sempiternam, quæ differtur, quam carere temporali, id est laude hominum, quæ præsens habeatur. Sed omnium maximi hypocritarum, omnisque hypocriseos erant magistri Scribæ et Pharisæi, et maxime contra illos præsentem Salvator sermonem dirigit. Similiter in tertia divisionis hujus parte, dum dicit : « Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, » omnes quidem de quacunque gente sint, tali appellatione illos denotat, quorum fœda est fortitudo, mordere scilicet more canum, et irruere more porcorum ad conculcandum et disrumpendum, sed talium quoque maxime Scri-

bæ et Pharisæi fuerunt. Nihilominus in quarta illorum, quos denotat dicendo : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; » illorum, inquam, scilicet falsorum prophetarum Scribæ et Pharisæi maximi fuerunt. Itaque virtutibus, quarum singulas in singulis hujus sermonis divisionibus sublucere perspeximus, scilicet justitia, temperantia, fortitudine, prudentia, penitus vacui demonstrantur. Per hæc nomina, quibus in singulis earumdem partium denotantur, quia videlicet Scribarum et Pharisæorum nulla est vera justitia hypocritarum, quales erant iidem, nulla est a recipienda mercede sua temperantia ; porcorum margaritas conculcantium et homines disrumpentium, quales ipsimet erant, nulla est fortitudo vera falsorum prophetarum; imo luporum sub ovina pelle latentium, nulla est prudentia; nam quæ illorum putatur prudentia, malitia est. His prælibatis, jam velut magno et evidenti ostio pulcherrimi sermonis aperto, ipso duce qui aperuit, introrsus incedendum est. « Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. » Ergo quoniam, inquit, non solum « non veni solvere legem, » verum etiam « adimplere » veni, meum est facere judicium sententiamque dicere super eos qui non solummodo non adimplent, verum etiam solvunt. Quinam illi sunt vel erant tunc? Utique Scribæ et Pharisæi, quos continuo per totum sermonis hujus textum, aliis quoque Evangelii locis vehementer tangit. Quæ autem sunt mandata ista minima, quæ quasi dignum intendens, dicit : « unum de mandatis istis minimis ? » Nimirum ista quæ subjecta sunt: « Audistis quia dictum est: Non mœchaberis, » et cætera. Ergone ista sunt minima? Utique minima. Alioqui quid opus erat adimplere ea quemadmodum dicit, « non veni solvere, sed adimplere, » si erant grandia et sufficientia ? In quo autem vel in quantum minima sint commodis in subsequentibus dicetur. Quid autem est, magistrum ejusmodi minimum vocari in regno cœlorum? Utique non intrare in regnum cœlorum ? Sequitur enim : « Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. » Quam vere minimus est, qui de alto cadit, et episcopatum suum perdit. « Fiant, inquit Psalmista, dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter (*Psal.* CVIII). » Hoc primum Judas proditor pertulit, cujus apostolatum alter accepit (*Act.* I), et post illum Scribæ et Pharisæi, quorum ille, sicut dux in comprehendendo Jesum, ita et exemplar fuit in perdendo [illegible] in [illegible] vel strangulando [illegible]. Sicut [illegible] laqueo semet[illegible] et apostolatum sive episcopatum ejus, ubjam dictum est, alter accepit, ita cœtus [illegible], cunctusque populus Judaicus persuasus [illegible] et a pontificibus, et propria sese sententia damnavit, clamando : « Sanguis ejus super nos

A et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Et pontificatum sive sacerdotium ejus populus alter, populus Christianus accepit. Et sicut ille triginta argenteos sanguinis pretium retulit, ita et huic cuilibet qui non est adversario consentiens, post pauca dicitur hic : « Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. » Igitur cum dicit, « minimus vocabitur in regno cœlorum, » sic accipiendum est, « minimus, » tanquam improperium maximum, ut minimus idem sit quod contemptibilis, juxta illud in visione Abdiæ, ubi cum dixisset ad Edom : « Ecce parvulum te dedi in gentibus (*Abd.* I), » statim subjunxit : « Contemptibilis tu es valde (*ibid.*). » — « Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. » Quid « fecerit et docuerit ? » Nun-
B quid « unum de mandatis istis minimis? » Non sic utique, non sic. Sic enim qui « totam legem observat, offendit autem in uno, factus est omnium reus (*Jac.* II) : » quanto magis qui facit vel observat : unum forte autem offendit in aliis omnibus ? Proinde ergo dicendo, « qui autem fecerit et docuerit, » **604** nec unum de minimis, nec unum de magnis mandatis istis expresse dicit: sed contentus dixisse, « qui fecerit et docuerit, » quasi manum vel digitum mitis et humilis corde reducens in semetipsum: « Hic, ait, magnus vocabitur in regno cœlorum. » Hoc enim et huic similia de semetipso profitetur, non jactanter, sed, sicut ait Apostolus, « ille fidelis permanet, negare semetipsum non potest (*II Tim.* II). » Et quidem fecerunt et docuerunt quamplures qualium optimi fuerunt beati illi auditores dicen-
C tes : « Vos estis lux mundi, luceat lux vestra coram hominibus, » et cætera ; sed non adeo fecerunt, et non adeo stabiles vel assidui sive invariabiles in faciendo fuerunt, ut de facto suo magnificari omnino debuerint, si absque misericordia vocarentur ad judicium. « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII). » Hic unus et solus est qui integre fecit et integre docuit per semetipsum: per illos autem, quantum fuerat gratiæ suæ complacitum. Et proinde magni quidem illi quoque vocantur sive vocabuntur in regno cœlorum, sed eorum magnitudo ad hujus magnitudinem non attingit, quam significat in sermone isto toties dicendo :
D « Dictum est antiquis: Ego autem dico vobis. » Inter magnum istum » qui fecit et docuit » et illum minimum « qui solvit et docuit, » medii sunt ; et illi qui fecit et non docuit, quia scientiam sive facultatem docendi non habuit, et ille qui nec fecit nec docuit, forte quia tempus faciendi non habuit. De omnibus his magis iste judicabit, ita ut minimus ille qui solvit et docuit, non intret in regnum cœlorum, quamvis videbatur sibi esse filius regni, ille autem qui nec fecit nec docuit, quia nec potuit nec scivit, per gratiam sit nonnullus in regno cœlorum, qualem considerans Apostolus: » Ei vero, inquit, qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam

A (*Rom.* IV), » etc. Ille qui fecit et non docuit, videlicet omnis qui in populo fuit auditor, et non potuit esse doctor, locum vel ordinem suum in eodem regno cœlorum habebit, nonnihil differentem ab illis qui fecerunt et docuerunt : qualium primi fuerunt apostoli, et his quoque magnus iste, ut jam dictum est, longe præerit. Ex illa suæ magnitudinis auctoritate protinus ait : « Dico enim vobis quia, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. » Ergo Scribæ et Pharisæi non intrabunt in regnum cœlorum, et hoc dico vobis, ait, tanquam magnus, tanquam regni cœlorum arbiter, velut ille cujus dictum in potestate, cujus in dicto potestas summa est. Et quare Scribæ et Pharisæi non intrabunt in regnum cœlorum ? B Videlicet quia non abundat, imo deficit et nulla est justitia illorum. Quid enim, si manibus suis me non occidunt ? « Audistis quia dictum est antiquis : « Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. » Et hoc dictum sive præceptum se non transgredi figunt, dum suis me manibus non occidunt. « Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. » Quæris quare ? Videlicet quia ira voluntas occidendi est. Et quoniam occidere vult, recte jam homicida esse judicatur, juxta illud : « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III). » Non enim qualemcunque iram, verbi gratia repentinum calentis animi motum leviter surgentem, leniter nihilominus residentem hic intelligere debemus; sed iram ejusmodi, quali scribitur iratus fuisse Cain : « Iratusque C est Cain, ait Scriptura, vehementer, et cecidit vultus ejus. Dixitque Dominus ad eum : « Quare iratus es, et cur concidit facies tua (*Gen.* IV) ? » Sic namque iratus est, ut occidere cogitaret. « Qui similiter irascitur, » quisquis ille est, « reus erit judicio, » subauditur duntaxat divino; quia videlicet humano necdum teneri potest homicida judicio; latet enim homines odium quod in corde est, Scriptura dicente : « Homo videt in facie, Deus autem in corde (*I Reg.* XVI). » Quod si odium, quod prius latebat, signo aliquo proditum fuerit, jam non solum divino, verum etiam humano reus erit judicio. Ait ergo : « Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio. » Concilium namque conventus est hominum ad judicandum, eorum qui de peccatis agendi sive judicandi D ecclesiasticum sortiti sunt ministerium. Raca enim nonnulli dixerunt esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones grammatici vocant partes orationis significantes commoti animi effectum, velut cum dicitur a dolente, heu ! vel ab irascente, hem ! Alii dixerunt hoc verbum proprie esse Hebraicum. Raca enim dicitur inanis aut vacuus, quem nos possumus vulgata injuria, absque cerebro nuncupare. Igitur « qui dixerit fratri suo raca, » id est qui odium intus in corde conceptum tali signo vocis vel oris sui prodiderit hominibus, quale est raca, ut non dubium sit, certisque testibus argui possit; « qui fratrem suum oderit, reus erit concilio. » Legitimumque fiet super eum judicium ab hominibus, ita ut etiam ab altare Domini jure amoveatur donec satisfaciat Deo, et reconcilietur fratri suo. « Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. » Insultantes malis alienis solent dicere, « fatue. » Exempli gratia : Juliano apud Persas interempto, dum nuntiatus fuisset ejus interitus in urbe Antiochia, putantes cuncti habentes festivitatem, et non solum in ecclesiis et sepulturis martyrum, sed etiam in theatris exsultantes, et victoriam Christi prædicantes, communiter clamabant omnes : « Maxime fatue, ubi sunt vaticinia ? Vicit Deus et Christus ejus. » Verum sic illi recte insultaverint et recte dixerint, utpote non fratri, quinimo hosti et inimico acerrimo fratris nostri, fratri optimi Jesu Christi, de cujus fide procedit : « omnis fraternitas sive paternitas utilis, quæ in cœlo et in terra nominatur (*Ephes.* III). » Fratri autem taliter insultare, taliter dicere, fatue, peccatum est nimis grande, utpote testimonium cordis obdurati, quod habeat odium insatiabile. Igitur justa sententia dicentis, « reus erit gehennæ ignis » et subaudiendum est, nisi pœnitentiam egerit. Ad hunc peccati modum pertinuit illa maledictio Semei, quando regem David fugientem a facie filii sui Absalon, flentem et operto capite nudisque pedibus incedentem maledicebat, dicens : « Egredere, vir sanguinum et vir Belial, ecce premunt te mala, quoniam vir sanguinum es, et ita gradiebatur maledicens et mittens lapides adversus eum, terramque spargens (*II Reg.* XVI). » Scribæ et Pharisæi præ cunctis hominibus maligni et, ut propheta prædicit, « in diem malum separati (*Amos* VI), » sic irati sunt fratri suo, sic dixerunt fratri suo raca, sic dixerunt fatue, filii gehennæ, rei gehennalis incendii, cum nihilominus in se confiderent tanquam justi. Non occiderunt fratrem suum manibus suis, sed irati sunt fratri suo, qui dicit in psalmo : « Et odio habuerunt me gratis (*Psal.* XXXIV, LXVIII). » Irati sunt ei nimis odio implacabili, non aliam ob causam, nisi quam Sapientia testatur eos dixisse, « quoniam contrarius est operibus nostris (*Sap.* II). » Universa Eccelesiæ schola leget et concinit, longoque usu jam detrivit quia qui « iratus est Cain vehementer, et concidit vultus ejus (*Gen.* IV), » cum **605** non aliam haberet causam, nisi quia opera ipsius maligna, fratris autem ejus justa erant, typus fuit hujus odii quo hunc fratrem suum secundum carnem Jesum Christum oderunt Scribæ et Pharisæi, non aliam ob causam nisi quia hujus bona, ipsorum autem mala erant opera, et avaritiam eorum in doctrina sua redarguebat. Nonne pro hujusmodi odio rei jam erant judicio ? Addiderunt autem huic peccato, ut non tantum illum haberent odio in corde suo, verum etiam dicerent raca eidem fratri suo, scilicet omne verbum malum quodcunque suggerere potuit hostilis indignatio. Exempli gratia : « Nonne hic est filius fabri ? » (*Matth.*

XIII.) Et alibi : « Dæmonium habet, et insanit, quid eum auditis ? » (*Joan.* X.) Et multa his similia. Et si nihil plus fecissent aut dixissent, nonne rei jam fuissent non solum judicio divino, verum etiam Ecclesiæ concilio ? Propterea quippe sententiam haberet in eos omne patriarcharum et prophetarum concilium, ut dicerent, væ his qui dicunt bonum malum (*Isa.* V). » Addiderunt etiam adhuc, ut insultarent ei in ipsius passione, et subsannarent in ipsa morte, quod erat, ut supra demonstratum est, dicere, « fatue (*Matth.* XXVII). » Cum enim moreretur frater ille, qui dicit in psalmo : « Quasi proximum, quasi fratrem nostrum, sic complacebam (*Psal.* XXXIV), » prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes : « Vah ! qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas, salva temetipsum (*Matth.* XXVII). » Antea quoque cum cœpissent eum, sic illudebant ei tanquam fatuo, sic deridebant eum tanquam fatuum, cædendo colaphis, et dicendo : « Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ? » (*Ibid.* XXVI.) Inter hæc omnia videbantur sibi, aut videri volebant justi, et non transgressores legis dicentis : « Non occides (*Exod.* X); » cum dicerent : « Nobis non licet interficere quemquam, » et non occiderent eum manibus suis, sic justi, sic integri factores legis, « ut non saltem introire vellent in prætorium gentilis hominis, ut non contaminarentur, ait Evangelista, sed manducarent pascha (*Joan.* XVII). » Recte igitur et vere dixit « quia, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, » id est, nisi non solum manus vestras contineatis ab occidendo, verum etiam liberetis animum vestrum ab ira vel odio, et quod plus est, os vestrum ab indignationis quolibet sono, et, quod abundantius est, linguam vestram insultando fratri cuilibet, in quocunque fuerit malo. Quid tandem distat inter judicium, quod dictum est antiquis ; « Qui autem occiderit reus erit judicio; » et judicium istud, quod hic audimus : « Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ? » Non enim nulla debet esse distantia judicii, ubi tanta distantia est reatus judicandi, quanta hic intelligitur inter homicidium quod est perpetratum manibus, et homicidium quod, ut fieri possit, animo vel cogitatione versatur. De homicidio quod perpetratur actu, judicat homo lege constitutus; de homicidio quod non est opere peractum, sed ut fiat, mente tractatur, solus judicat Deus, saltem per legem naturalem quæ in cordibus scripta est, quæ est hujusmodi : « Quod tibi non vis fieri, alii nec feceris. » Hoc judicium primo in Cain sancitum est, qui cum iratus fuisset vehementer, dixit Dominus ad eum; « Quare iratus es, et cur concidit facies tua ? » (*Gen.* IV) et cætera. Illud autem judicium, ubi homicidii manifestum est opus, hic judicat homo, ut se habet causæ modus, quemadmodum lex loquitur : « Qui, inquit, percusserit hominem, volens eum occidere, morte moria-

A tur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus (*Exod.* XXI), » cætera quæ prosequi longum est. Quid igitur superest consilii? Judicium audivimus, quia cujus ira in tantum progressa est ut diceret fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis, quæ videlicet gehenna jam non tantummodo judicium, sed extrema judicii sententia est. Nunquid hoc tempore, dum in Evangelio prædicatur judicium, misericordiæ unquam obliviscitur Evangelium ? Non utique, sed semper et ubique, antequam terminetur judicium, misericordiæ porrigit manum, quærendæ indulgentiæ præbet consilium. Hinc est illud quod protinus subsequitur : « Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adB versum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. » Sicut cætera, ita istud quoque sic sibi putet consuli omnis peccator sive reus homicidalis odii, quæcunque ex gente vel natione sit, ut sciat primum esse in intentione sermonis hujus Judæorum sive Scribarum et Pharisæorum cœtum, quoniam ad illos, imo et contra illos totus ille fere hic sermo habitus est, sicut ex ipsa serie cognosci promptum est. O igitur collegium malum, concilium malignantium Scribarum et Pharisæorum, pontificum et seniorum ! si vis, potes recordari quia frater tuus habet aliquid adversum te, frater quem odio habuisti gratis, cui multa indignanter exprobrando dixisti Raca, multum crudeC liter insultando dixisti fatue. Quid munus tuum ad altare contendis offerre ? Nunquid nescis, nunquid non audisti ? Dicit enim in propheta Deus : « Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra (*Malach.* I), » et alibi : « Ne afferatis ultra sacrificium frustra. Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis : et cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam (*Isa.* I). » Quam ob causam ? « Manus enim vestræ plenæ sanguine sunt (*ibid*). » Hoc est quod nunc dicit, quia frater tuus habet aliquid adversum te. Si ergo hujus recordatus fueris et munus instanter offerre cupis, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari huic fratri tuo, videlicet secundum consilium Petri quoque apoD stoli, dicentis : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum (*Actor.* II) : hoc enim est reconciliari fratri huic. Hoc facto, tunc veniens offeres munus tuum, munus sanctum, sacrificium verum, non sicut carnes taurorum, sanguinem hircorum aut vitulorum : sed ipsum fratris ejusdem, cui reconciliatus es, corpus vivificum, sanguinem verum, sacrificium sanctum et immaculatum. Quotus ex illos Scribarum et Pharisæorum concilio vel ordine supercilioso atque odii pleno, recepturus erat istud humilitatis concilium, istud gratiæ consulentis beneplacitum ? et quidem rece-

pturi erant aliqui, quamvis pauci, ut auditis Petri cæterorumque sermonibus apostolorum, reconcilientur fratri huic, baptizati in nomine ejus : sed inter ipsos quanta divisio, quanta fuit dissensio, sicut Actuum apostolorum liber testatur, maxime derelinquendo sive immutando munere vel ritu quo antea munus offerebatur ? (*Act.* xv, xxi) Sequitur ergo : « Esto consentieus adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. » Huic dicto Apostolus consonans : **606** « Quapropter, ait, sicut dicit Spiritus sanctus, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Heb.* iii, et *Psal.* xciv), » et cætera quibus præmissis longam et optimam ingreditur disputationem derelinquendo, sicut jam dictum est, prisco munere, et offerendo meliore, sic inter cætera dicens : « Reprobatio quidem sit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem (*Heb.* vii). » Denique adversarius eorum qui erant ejusmodi, sermo fuit Evangelii et omnis prædicator evangelicæ veritatis, potestatem habens, non consentientem sibi tradere judici, et non solum judici, verum etiam malo ministro, sub præsentia vel judicio judicis, quemadmodum unus illorum jam memoratus Apostolus ad Corinthios dicit : « Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, judicavi ut præsens eum qui sic operatus in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis (*I. Cor.* v). » Et ad Timotheum scribit : « Ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare (*I Tim.* i). » Et quid mirum si sermo Dei vel quivis sermonis Dei minister in Evangelio dicatur peccatoris maximeque Judæi, sive Scribæ et Pharisæi, rebellis et increduli adversarius, cum inimicus auctoritate prophetica dictus sit ejusdem ipse Deus vel Dei Spiritus ? « Ipsi autem, inquit Isaias, ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt Spiritum sancti ejus (*Isa.* lxiii), » et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos ; et Hieremias lamentando loquitur : « Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus. » Itemque ait : « Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis (*Thren.* ii). » Igitur o Scriba litteræ occidentis, o Pharisæe magni supercilii, refuga spiritus vivificantis, o Judæis declamator manifeste circumcisionis, cum sacerdotibus et pontificibus tuis carnariis atque sanguinariis, noli obdurare cor tuum, sed esto consentiens adversario huic, sermoni huic gratiæ et veritatis, et linguæ ejus et ori ejus, in quo tibi cœpit adversari linguæ apostolicæ, ori evangelicæ prædicationis : ne forte excutiendo pulverem pedum suorum in te, tradat te Judici illi qui per Mosen dixit : « Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam (*Deut.* xviii). » Judex et ultor ille ministrum habet, ministrum, inquam, et servum de quo ad Job loquitur : « Nunquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum ? (*Job.* xl.) » Ille servus, ille minister, si traditus ei fueris, mittet te in carcerem, in inferiorem infernum. Quandiu ille eris ? « Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem (*Matth.* xvi). » Tu triginta argenteos appendisti pretium sanguinis ejus (*Zach.* xi), et donec eos reddas usque ad novissimum quadrantem, non inde exies. Quando autem totum reddere poteris ? Nunquid in carcere illo argenteos illos, quos tu proditori dedisti et proditor tibi retulit, tecum habebis ita ut rependere possis ? Nunquid et quadrantes et trientes et uncias sive libras quoque integras ibi trutinare vacabit, de thesauris quos hic tibi thesaurizasti ? Non utique, non thesaurus tuus, sed solum peccatum et pœna peccati te sequentur illuc. « Ne timueris, inquit Psalmista, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniam, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus (*Psal.* xlviii). » Ergo non exies inde, donec reddas usque ad novissimum quadrantem, id est, non inde exies in æternum. Quadrans habet duo minuta. Verumtamen in rationibus ponderum, quas abacistæ in usu habentes etiam scripserunt, quadrans tres uncias habet ; uncia vero duodecima pars assis est. Porro assis totum quiddam est, sive libra, sive quippiam aliud, quod in duodecim partes æquas dividendum est. Proinde notandum quia non dixit, donec reddes usque ad quadrantem, sed usque ad novissimum quadrantem, ut per quadrantem novissimum intelligas de minutissimis, quale apud illos dicitur chalcus sive siciliquis, in quæ extrema et unciæ, et unciarum particulæ dividuntur. Nam et apud alium evangelistam ita scriptum est : « Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas (*Luc.* xii) » Non solum autem supradictos argenteos, pretium sanguinis fraterni, o infelix et irreconciliate negotiator, a te putes in illo carcere exigendos, verum etiam prædam universam quam fecisti tanta insania, tanta cupiditate lucrandi, ut ipsam domum Dei, quæ domus orationis vocari et esse debuit, speluncam faceres latronum (*Matth.* xxi ; *Joan.* ii). Et proinde quia frater iste contra tuam disputabat avaritiam, implacabile adversus eum mente conciperes odium. Ab initio quo patres tui viginti argenteis vendiderunt fratrem suum Joseph (*Gen.* xxxvii) usque nunc avaritiæ morbo languidus incessisti, et hucusque processisti, ut disputantem, sicut jam dictum est, fratrem istum interficeres, ita ut in pretium sanguinis triginta argenteos dares et reciperes. Totam tantorum malorum exactionem potuisses evadere brevi et compendiosa reconciliatione, et amica voce confessionis lucrari remissionem universi delicti. Secundo loco frater tibi est omnis qui tecum unum eumdemque Deum

colit, et benedicit Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis » (*II Cor.* I). Si fratri ejusmodi iratus es, si dixisti Raca, si dixisti fatue, etiam pro illo reus es gehennæ ignis, utpote homicida, sicut testatur apostolus Joannes, « quia omnis qui odit fratrem suum, homicida est (*I. Joan.* III). » S ergo offers munus tuum ad altare· si orationem, si quamlibet oblationem, festina secundum præsens consilium auferre hujusmodi fermentum : quia [*lege*, est] et secundum sanctam ac mysticam legem fermentatum malitiæ et nequitiæ. Forte vel ipse frater quem odisti, sive alius quis, solus sciens quod pecces irascendo fratri vel odiendo fratrem, corripit te inter te et ipsum solum, et quia corripit, quodammodo tibi adversarius est, et adversari non desinit, adhibendo alium secum si solum cum audire noluisti, dicendo etiam Ecclesiæ, si nec duos audire voluisti, jam ex eo tibi cavendum est ne adversarius tradat te judici, id est, ne fias ei sicut ethnicus et publicanus, si nec Ecclesiam audire volueris (*Matth.* XVIII). » Nam hoc est sine dubio tradere judici, reputare cum his qui foris sunt, de quibus Dominus judicabit. « Quid enim mihi, ait Apostolus, de his qui foris sunt judicare ? Nonne de his qui intus sunt, vos judicatis ? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit (*I Cor.* V). » Porro frater quisquis ille est, cui iratus es, quem odisti, et per odium malo vel contumelioso verbo læsisti, non erit tibi difficilis reconciliationem flagitanti, propter illum qui dixit : « Si peccaverit in te frater tuus, et conversus pœnitentiam egerit, vel dixerit, pœnitet me, dimitte ei (*Luc.* XVII). » Et multa his similia. Verum tamen non propter hæc injustus

A invenitur in facto suo David, ad quem venit Semei, qui maledixerat ei, et prostratus dixit : Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, ne memineris injuriam servi tui ; agnosco enim **607** servus tuus peccatum meum (*II Reg.* XIX), » etc. « Et tunc quidem dixit : Non morieris, juravitque ei (*ibid.*) ; » sed postea cum appropinquassent dies ut moreretur, dixit inter cætera filio suo Salomon : « Habes quoque apud te Semei qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra ; vir autem sapiens es, et scies quæ facies ei, deducesque canos ejus, cum sanguine ad infernum ? » (*III Reg.* II.) Non, inquam, injustus in hoc facto invenitur David, quia non vero corde conciliationem quæsivit Semei, non præ desiderio justitiæ pœnituit, sed serviliter metu pœnæ concidit, quia rex quidem oderat

B in corde suo, cui profugienti maledixit, iterum salutatus in regno sedit. Mutavit vocem, non mutavit mentem. Hoc quoque innuit Scriptura cum dicit : « Ipse quoque, videlicet Banajas, filius Joiadæ, interfecit virum Ægyptium, virum digno spectaculo, habentem in manu hastam (*II Reg.* XXIII). » Ægyptium moribus, non genere, dixit illum Semei et habentem in manu hastam, id est datam in potestate sua propriæ mentis sententiam, quam hoc modo dicit Salomon : « Quacunque autem die egressus fueris et transieris torrentem Cedron, scito interficiendum. Dixitque Semei : Bonus sermo (*III Reg.* II). » Itaque sic fecit David, tanquam non suimet, sed Dei et legis vindex, cujus hoc dictum est : « Principi populi tui non maledices (*Exod.* XXII). » Sic illum puniri jussit, ut nihilominus secure dicat : « Si

C reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis (*Psal.* VII). »

LIBER QUINTUS.

Cum plurima dicta sint antiquis, et omnia comprehendantur uno nomine legis, quam Dominus ipse, « non veni, inquit, solvere legem, sed adimplere : » rationem non frustra quærat aliquis cur pauca de plurimis, id est tantummodo sex dicta pro exemplo posuerit ut appareret, quibus modis agenda foret adimpletio quam dixit : et cur ista potius quam cætera hic assumpserit, talique ordine digesserit. Primum est : « Non occides ; » secundum : « Non mœchaberis ; » tertium : Quicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii, quartum : « Non pejerabis ; » quintum : « Oculum pro oculo, et dentem pro dente ; » sextum : « Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum. » Hæc, ut jam dixi, non frustra quærat aliquis, cur potius ista, quam cætera tali ordine digesserit, per singula subjungens : « Ego autem dico vobis ? Ad hæc breviter dicendum quia quæ sub istis continentur dictis sive præceptis, ita sunt necessaria Christiano homini ad

D perfectionem justitiæ tendenti, ut sine his perfectus esset non possit eadem perfectione, quam post eadem dicto diligenter commendans tandem dicit : « Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Hoc namque primum est opus justitiæ, esse unanimes in fide, et fraterna dilectione. Quid aliud nobis intimare curavit, dum præmisso, « dictum est antiquis : Non occides, » adjecit : « Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, » et cætera usque, « esto consentiens adversario tuo ? » Post hoc initium justitiæ, quid tam pulchrum, tam Deo dignum, quam pro adipiscenda castitate laborare ? Hoc plane vehementi intentione declamat dum præmisso, « dictum est antiquis : Non mœchaberis, » adjecit : « Ego autem dico vobis quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, » etc., usque « quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. » Porro studium castitatis sic discrete erat exercendum, ut

nullum ipsi naturæ generaret scandalum, id est ne prædicatio castitatis occasio fieret adulterii, quod et Apostolus præcavens, « his autem qui matrimonio vincti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere (*I Cor.* VII). » Super hoc nimirum confestim nos instruit, dum præmiso, « dictum est: «Quicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii, » subjungit : « Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. » Cum autem hucusque Christianus profecerit ut castitatis virtute præcinctus sit, confestim et ille justitiæ successus eum delectare poterit, ut cunctis quoad potest sese eximat negotiis sæculi. Hoc intendens cum deinde dixisset: «Dictum est antiquis: « Non pejerabis, » adjecit, « ego autem dico vobis : Non jurare omnino, » etc. Denique sine juramentis quomodo tractari possint negotia sæculi? Cum ergo dicit, « non jurare omnino, » liberum esse vult ab omni sæculari negotio. Profecto qui hanc susceperit partem consilii, consequenter et illud suscipiet, ut injuriam non solum non facere, verum etiam pati propter Deum velit. Mox itaque præmisso, « dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente, » adjecit, « ego autem dico vobis : Non resistite malo, » etc. Post hæc unum adhuc necessarium est justitiæ signaculum, quod protinus superponens, « dictum est, ait: Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum ; ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, » etc. Quæ ita concludit: « Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Nunc horum omnium series juxta propositum sive incœptum diligentius percurrenda est. « Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. » Quomodo supra homicidii, ita hic adulterii voluntas damnatur, etiam non sequente effectu. Videre namque mulierem ad concupiscendum eam, quid aliud est, nisi contemplari mulierem, habendo voluntatem adulterandi eam? Recte ergo, sicut » qui
608 irascitur fratri suo, » vel « qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III), et idcirco reus erit judicio; ita qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam, inquit, mœchatus est eam in corde suo, et idcirco nihilominus reus erit judicio. » Verumtamen adhuc parum est, ejusmodi visum continere, si vis in te veracem facere eum qui hæc proloquens dixit « non veni legem solvere, sed adimplere. » Proinde audi quod sequitur adhuc : « Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. » Etenim hic [*addo* est] sensus : Ut sis in castitate perfectus non solum sinistrum oculum eruere, verum etiam dextrum debes projicere abs te, si tamen scandalizat te, id est non solum adulterim concubitus concupiscentiam fugere, verum

A etiam licitum amorem, licitam conjugii copulam solvere et abjicere, si duntaxat tecum non consentit mulier habitare, aut si propter cohabitationem ejus periculum tibi subeundum est vitæ vel salutis æternæ. Nam hoc modo revera dexter oculus tuus scandalizat te, si vel te virum mulier, vel te mulierem vir conjux non patitur in fide Christi permanere. Huic fundamento fideliter insistens Apostolus, infidelis, ait, si discedit, discedat. » Non est enim servituti subjectus frater aut soror ejusmodi (*I Cor.* VII). » Exempli gratia : Pone Judæum sive gentilem virum sive mulierem converti velle ad Christum, sive jam credidisse in Christum, et de conjugali copula pati hominem scandalum, ut aut solvendum conjugium, aut fidei subeundum sit dispendium.
B Nonne huic incunctanter, et certissime dicas, « expedit tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam? » Si et fratrum et liberorum atque affinium et propinquorum in causa hac nescire debemus affectum, imo truncare expedit homini portiones, ne, dum volumus lucrifacere cæteros, ipsi in æternum pereamus, Unde et de sacerdote magno dicitur, cujus anima cultui Dei dedicata est : «Super patre et matre et filiis non polluetur (*Levit.* XXI), » id est nullius affectum sciet, nisi ejus cujus cultui dedicatus est. « Dictum est autem : Quicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. Et qui dimissam duxerit, adulterat. » Ne ergo nimium sis
C festinus, o auditor evangelicæ pacis, ad eruendum oculum tuum dextrum, ne multum festines quasi propter Evangelium rumpere conjugii vinculum, quod supra diximus competenter significari per oculum dextrum. Dixit tibi supra : « Erue oculum tuum dextrum, si scandalizat te, » et non dixit, erue oculum tuum dextrum ne forte scandalizet te. Ut manifestius fiat quod dico, non tibi dicit Evangelium : « Dimitte uxorem tuam, » quam tecum Christiana fides invenit, ne forte seducat te , sed dicit tibi : « Dimitte eam, » si propter fidem odit te, et tecum non consentit habitare. Adjuvat sensum vestrum Apostolus ad cautelam necessariam, cum dicit: «Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc quidem consentit habitare cum illo, non dimit-
D tat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic quidem consentit habitare cum illa, non dimittat virum (*I Cor.* VII), » et subinde : « Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies ? Aut unde scis vir, si mulierem facies salvam ? » (*Ibid.*) Fieri namque potuit et nonnunquam factum est, et nonnunquam futurum Apostolus scire poterat, ut per mulierem vir, et per virum mulier salva fieret. Rachel vero uxor Jacob per idololatriæ culpam pene perdita erat, quippe quæ et cum viro proficiscens, furata fuerat idola patris sui Laban, sed salvata est per virum dicentem paulo antequam moreretur, periclitata partu: « Abjicite deos alienos; et mundamini :

ac mutate vestimenta vestra. Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et fuit socius itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant. At ille infodit eos subter therebinthum (*Gen.* xxxv). » Ergo coruscante Christi Evangelio, o tu quicunque conjugatus, quæcunque conjugata inventa es comparem sive tori consortem ad fidem Christi præveniens, exspecta, nec desperes quandoque sequi posse quamvis tardantem. Habes namque non solum rationem, verum etiam exempla cur de salute comparis desperare non debeas. « Sanctificatus est enim vir infidelis in muliere fideli, et santificata est mulier infidelis per virum fidelem (*I Cor.* vii), » videlicet ut illa, quam dixi, Rachel. Sed hoc aliquando factum est et adhuc fieri potest. Una duntaxat causa est, propter quam dimittere liceat etiam invitam et tecum habitare consentientem, scilicet fornicatio. Sola enim causa ista te liberat, ut non judiceris fecisse illam mœchari, cum alius eam duxerit, quia prius illa mœchata est, quam tu illam dimitteres. Lex quoque ubi dixit « antiquis dare libellum repudii, » non omnino de isto judicio tacuit, quod scilicet, et qui dimisit et dimissam duxit, uterque adulterii reus fuit. Quid ergo amplius hic dixit, quam dictum est antiquis ? Videlicet quod in Evangelio causa ista non recipienda sit, ut uxorem suam propter odium dimittat quis, nec alium prorsus ob causam hoc licitum sit, nisi ob illam quam dixit, causam fornicationis, quæ sola cum interciderit, reatu mœchiæ non involvitur is qui dimisit. In posteriori parte hujus Evangelii plenius exponit Salvator quod Moses libellum repudii dari jusserit propter duritiam cordis maritorum, non dissidium concedens, sed auferens homicidium (*Deut.* xxiv). Multo enim melius est, licet lugubrem, evenire discordiam quam fundi sanguinem per odium. Iterum « audistis quia dictum est antiquis: non pejurabis. Reddas autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus ; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit tamen sermo vester, est, est : non, non. Quod autem his abundantius est a malo est. » Sciendum hic in primis quia dictum hoc Domini, « non jurare omnino, » nonnihil in rationibus nostris differt a cæteris dictis ejusdem Domini. Denique ut non irascaris fratri, ut non videas mulierem « ad concupiscendum eam, » ut non dimittas uxorem « excepta fornicationis causa, » ut non resistas malo, quinimo « percutienti dexteram maxillam præbeas et alteram, » ut « benefacias his qui oderunt te, et ores pro prosequentibus et calumniantibus, » nec littera, nec spiritus legis unquam contradicit. At vero ut non jures omnino, non videtur lex in tuo reliquisse arbitrio. Dicit enim : « Si latet fur, dominus domus, a quo sublatum est furto

A quidpiam in custodiam sibi commendatum applicabitur ad deos, id est sacerdotes, et jurabit quod non extenderit manum suam in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem (*Exod.* xxii). » Item : Si quis commendaverit proximo suo quodcunque jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medio, quod non extenderit **609** manum ad rem proximi sui, suscipietque Dominus juramentum, et ille reddere non cogetur (*ibid.*). Quomodo ergo dicit nobis non jurare omnino, nisi ita duntaxat ut velit nos, eorum quæ occasionem sive etiam necessitatem præbent jurandi, nihil proprium possidere in mundo ? Et revera hic est ordinatus ad perfectionem justitiæ profectus B ut, postquam erueris abs te oculum dextrum eo modo quo supra dictum est, totum deinde sequaris consilium, quod homini est: « Si vis perfectus esse, vade, et vende universa, quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me (*Matth.* xix). » Cum enim hoc feceris, in tuo jam erit arbitrio non jurare omnino. Quod deinde dicit, « neque per cœlum, neque per terram, neque per civitatem Hierosolymam, neque per caput tuum juraveris, » jam non solum modo consilium, verum etiam præceptum est, quia videlicet per elementa mundi jurare, omnino delictum est. Hanc per elementa jurandi pessimam consuetudinem semper habuere Judæi, sicut prophetalis sermo eos frequens arguit, utpote creaturas resque carnales venerantes honore et obsequio Dei. Qui enim jurat, profecto aut veneratur aut diligit id C quod jurat. Porro, hic venerationem circa hæc habendam videtur augere, cum dicit de cœlo, « quia thronus Dei est, » de terra, « quia scabellum est pedum ejus, » de Hierosolymam, « quia civitas est magni regis, » et idcirco per ista ne juraveris, inquit. Nunquid hoc sensu res istas magnificat, ut ad earumdem rerum non sit ausu jurandi temeranda majestas ? Imo hæc jurisjurandi vocibus indigna judicat. Solus enim Deus solus creator est, per quem jurandum sit, si necessitas jurare compellat. Ait enim lex: « Et per nomen externorum deorum non jurabitis, nec audietur ex ore vestro (*Exod.* xxiii). » Item: Dominum Deum tuum timebis, et ei servies, ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius (*Deut.* vi). Et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum, ut, quo- D modo victimas immolabant Deo, nec eas idolis immolarent, sic et jurare permitterentur in Deum, non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere, quam dæmoniis. Cum igitur dicit « neque per cœlum juraveris, » et causam istam subjungit, « quia thronus Dei est, » itemque de terra « quia scabellum est pedum ejus, » idem est ac si dicat, quia cœlum tanto minoris est eo per quem solum jurare concessum est, quanto minoris est sedente sua sedes, itemque terra tanto minor illo est, quanto minoris est scabellum eo cujus sub pedibus est. Similiter Hierosolyma, quæ, ut multum dicam, civitas magni regis est, forte David, qui illam cœ-

pit, aut Salomonis, qui illam amplificavit, sive etiam Dei propter fundatum in ea templum Dei. Quid ergo per ista juras cum cœlum non Deus, sed tuo sensu scabellum pedum Dei sit, propter illud, quod in Propheta dicit : « Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI), » cum Hierosolyma non Deus, sed civitas sit regis magni ? De capite tuo quid dicam ? Quid juras per caput tuum, id est per temetipsum, cum tu non feceris temetipsum ? Illum namque solum jurare decuit per semetipsum quem alius non fecit, « quia majorem se, ait Apostolus, per quem juraret, non habuit (*Hebr.* VI). » Hæc secundum tempus illud maxime contra Judæos dixerit, qui per angelos et urbem Hierusalem et templum, et elementa jurantes, creaturas, resque carnales venerabantur honore et obsequio B Dei. Denique considera, quod hic Salvator non per Deum jurare probibuerit, sed per cœlum et terram, et per Hierosolymam, et per caput tuum. Porro evangelica veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit. Dicit enim : « Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Sit autem sermo vester, est est, non non : quod autem his abundantius est, a malo est, » subauditur illius, cujus infirmitate, seu duritia jurare coactus est. Exempli gratia : ut is, qui primus ex hominibus jurasse legitur Abraham. Quod enim juravit, a malo ejus fuit, qui dixit : « Jura ergo per Dominum, ne mihi noceas, et posteris meis, stirpique meæ, sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facias mihi et terræ, in qua conversatus es advena (*Gen.* XXI). » C Rex enim erat ille, et nisi rogatus ab eo jurasset Abraham, magis illi suspectus esse poterat. Similiter quod Apostolus juravit Corinthiis, si tamen nihil minus habet juramento quod dicit : » Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior (*II Cor.* XI), » itemque, « quotidie morior per vestram gloriam, fratres; » a malo fuit ipsorum, quos ipse culpans, ait : « Factus sum insipiens : vos me coegistis. Ego enim debui a vobis commendari (*II Cor.* XII). » Postquam consilium hoc sequi cœperit Christianus homo, ut non juret omnino, quod, sicut jam supra dictum est, tunc demum observare poterit, si semetipsum expediat ab omni sæculari negotio; quod jam sequitur secundum propositum ejus ad perfectionem justitiæ tendentis, nisi hoc, ut nulli malum pro malo D reddere velit, nec saltem resistere injuriam facienti ? Sequitur ergo : « Audistis quia dictum est, oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo. » Sicut illud dictum antiquis : « Quicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii (*Deut.* XXIV). » ita et istud : « Oculum pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI), » non præcipientis, sed concedentis sive permittentis fuit, videlicet ob duritiam cordis, cui nequaquam sufficit æqua repensio, nec requiescit, nisi de pœna crudelitatis satiata fuerit. Ergo et in hoc est adimpletio legis, dum non solum vicariam non reposcere doce-

A tur pœnam, verum etiam ad omnis injuriæ vir ecclesiasticus formatur patientiam. « Si quis, ait, te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte ei et pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit a te, da ei. Et volenti mutuari a te, ne avertaris. » Vere propter hujusmodi doctrinam Salvator quodam loco dicit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Etenim qui contra faciunt, qui percutientem in maxillam quoad possunt, repercutiunt; qui pertinaci contentione agunt, ne vincantur ab eo qui vult tollere tunicam vel pallium, nonne laborant ? Nonne onerati sunt ? Econtra, qui præsens sequuntur consilium, nonne requiem etiam in præsenti sæculo inveniunt? Jam fiet illud quod dicit, qui petit a te, da ei, si hilariter fiet, quoniam, ut testatur Apostolus « hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX), » quanta ibi jucunditas ? Quanta festivitas? Verumtamen notandum quod non ita dixit, et qui petit a te, da ei quidquid petit. Quis enim hoc semper facere potuit ? Forte petit aurum, tu aurum non habes vel argentum. Propterea dic illud, quod Petrus apostolus dixit, dum claudus mendicans intenderet in eum, sperans ab eo se aliquid accepturum : « Argentum et aurum non est mecum, quod habeo, hoc do tibi (*Act.* III). » Etenim « si voluntas prompta est, ait Apostolus Corinthiis, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id **610** quod non habet (*II Cor.* VIII). » Et si non est aliud, sermo responsionis porrigatur bonus, quia scriptum est : « Sermo bonus super datum optimum (*Prov.* XV). » Sciendum quia Dominus noster, qui hæc docet, in primis vel maxime fecit quæ docuit. Petenti dedit, imo non exspectavit ut peteretur, sed ultro dedit plus quam petere sciret aliquis. Quomodo cœpit : « Scitis enim ait idem Apostolus, gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis (*I Cor.* VIII). » Ipse percutienti maxillam præbuit non solum et alteram, verum etiam totum corpus, ut saturaretur opprobriis, sicut dictum fuerat per prophetam Hieremiam (*Thren.* III). Ipse volenti cum eo contendere judicio, videlicet Pilato, sive populo Judaico, non respondit verbum, tollentique « tunicam ejus inconsutilem, et desuper contextam per totum (*Joan.* XIX), » remisit et omne vestimentum, ut facerent quod scriptum est : « Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* XXI). » Porro, quod adhuc dicit, « et quicunque te angariaverit milla passuum, vade cum illo alia duo, » subauditur millia passuum, multo insignius quam littera sonat, ipse pauloante fecerat (*Act.* I). Hic primo sciendum, quia mille passus sabbatizantem (*sic*) [1]ex sacra concedit. Quod autem vel quale est, aut

esse debet spiritualis viri sabbatum, nisi secreta et A quieta meditatio rerum spiritualium? Nimirum ejusmodi sabbatum sabbatizabat ipse in deserto quando accessit ad eum tentator. Veraciter hoc fuit mille passus angariari, cum tentatore in illo tali sabbato altercari (*Matth.* XV; *Luc.* IV). At ipse tantummodo semel passus angariari, id est non tantummodo semel passus est tentari, sed ivit cum illo alia duo, quia duas præter priorem tentationes pertulit, assumptus ab illo in sanctam civitatem, et ductus in montem excelsum valde, et tunc dixit ei: « Vade, Satanas. » Forte et tu, o anima magni apostoli, sive cujuscunque viri apostolici, sabbatizare vis. Exspoliasti te tunica tua, lavisti pedes tuos, et in cubiculo secretæ contemplationis sabbatizare vis. Sed « ecce vox dilecti tui pulsantis: Aperi mihi, soror B mea, amica mea, columba mea, immaculata mea (*Cant.* V). » Hæc dicens, utique angariare te vult mille passus, quod est sabbati iter, ut ante jam dictum est: Angariare, inquam, te vult, ut postposita quam elegeras solitariæ contemplationis requie surgas. Illi aperire, vadas Evangelium ejus annuntiare, et hoc in una parte orbis terræ in Asia, ubi sita est Hierusalem sive Judæa, ubi Evangelium ejus primum loqui oportebat. Vade cum illo alia duo millia passuum, id est noli contentus esse in una Asia prædicare, sed et in Africa, et in Europa prædicando labora, laborando prædica Evangelium, et hoc modo pulchre angariatus es, vadens cum illo non solum mille passus, sed et alia duo, fiuntque tria millia passuum, quia tres sunt partes orbis terrarum. C Nunquid in hujusmodi angaria plus injuriæ tu pro illo, quam ille pro te passus est? Illum quippe Deum et hominem diabolus tentator, te purum hominem angariavit ipse Deus salvator. Interea justificare debemus Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi, ipsumque Filium, qui hic loquitur nobis, et dum non accipimus quod ab ipso petimus, nihilominus cum Psalmista dicere: « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLV). » Quid enim? Nunquid illud solum dixit: « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI); » « petite et accipietis, petite et dabitur vobis (*Luc.* VI). » Nonne et hoc dixit: « Date et dabitur vobis, » et quod hic in præsenti loco habemus, « qui petit a te ne avertaris? (*Luc.* VI.) » D Volumus audire, « petite et dabitur vobis: » et dissimulamus, « date et dabitur vobis. » Profecto sicut apud Isaim, ubi præmittens « quærite judicium, subvenite oppresso, » etc., tunc demum subjungit, « et venite et arguite me (*Isa.* I); » ita et hic jurisperitus esse debebis, ut cum feceris quod dicit: « Qui petit a te, da ei, et volenti mutuare a te, ne avertaris, » tunc demum venias et arguas eum, eo quod non acceperis, juxta promissum hoc: « petite et accipietis. » Adhuc unum superest, o Christiane, dictum, vel dicendum tibi, et sex erant dicta Domini, ut cum sex quasi diebus dictorum homini bene operatus fueris, legemque adimpleveris, tunc demum vir emeritus jure introire in requiem Domini, et sabbatismum filiorum Dei sabbatizare dignus sis. Quid est illud? « Audistis, inquit, quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. » Poteras percutienti maxillam dextram, etiam iratus præbere alteram, et dicere, non, ut Apostolus, pronuntiando, « percutiet te Dominus, » sed imprecando: PERCUTIAT « te Dominus, paries dealbate (*Act.* XXIII); » poteras auferenti tunicam, etiam iratus remittere et pallium, et dicere non, ut idem Apostolus, comminando sive prænuntiando, « reddet illi Dominus, » sed maledicendo sive imprecando: REDDAT « illi Dominus secundum opera ejus (*II Tim.* IV), » ut non esset contra hoc legis mandatum adhuc minimum: « Diliges amicum tuum, » neque contra hoc legis permissum, « et odies inimicum tuum. » Porro tendenti tibi ad gradum optimum ut sis filius Patris tui, qui in cœlis est, permisso uti non convenit, ut odio habeas inimicum tuum, imo expedit ut diligas eum jam, dum adhuc inimicus est, et pro illo ores. Quare ergo lex dixit, « et odies inimicum tuum? » Nonne ipsa ejusdem vox est, cujus et Evangelium? Quare ergo tam diu distulit dictum hoc tam benignum. Dilige inimicum tuum? Videlicet, quia hoc impossibile erat legi, et in hoc infirmabatur per carnem, sicut Apostolus ait: « In quo per carnem infirmabatur (*Rom.* VIII), » nimirum eorum qui sub lege erant, quia carnales erant. Sicut ad duritiam cordis eorum permisit eis dare conjugibus libellos repudii, ita nihilominus ad duritiam cordis eorum et propter infirmitatem carnis eorum alia quoque multa permisit, quorum de notissimis est hoc unum, « et odies inimicum tuum, » sive ita, » propinquus occisi statim ut homicidam apprehenderit, interficiet eum (*Num.* XXXV). » Dicis itaque mihi: Nonne et hodie in hominibus eadem est tam duritia cordis quam infirmitas carnis? Est quidem, sed exemplum accessit quod antiquis defuit. Debet plus valere doctrina, ubi docentem sua commendant opera. Audiri debet præceptum, quod præceptoris roboravit exemplum. Ecce Filius Dei præceptor et doctor de cœlo venit, quod præcipit, fecit, quod docet, opere ostendit. Dilexit inimicos; « nam, cum inimici essemus, ait Apostolus, reconciliavit nos Deo (*Rom.* V). » In ipso mortis articulo pro persequentibus et calumniantibus se oravit: « Pater, inquiens, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII), » cunctisque credere volentibus reatum suæ mortis indulsit. Hoc exemplum doctrinam ejus adjuvat, quod quia defuit quando data est lex, erat ipsa lex infirma; simulque quia spiritum dilectionis dare non poterat, tale quid illi efficere, et ad perfectionem cogere homines impossibile erat. Iste quia et perfectio-

nis exemplum et dilectionis spiritum dedit, idcirco jam ex tunc vere a nobis imitationem exigit grandi proposita spe, quæ cum venerit, profecto **611** meritum omne excedit, ut simus filii Dei, fratres et cohæredes unici Filii Dei (*Rom.* VIII). Et in hoc dicto cum dicit, « ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, » magna subjungitur distantia filiorum multorum, et ipsius unici Filii Dei. Ille namque non ut esset filius Dei, sed quia erat Filius Dei, dilexit inimicos, secundum naturam suæ bonitatis; alii omnes, non quia sunt, sed ut sint filii Dei, diligant inimicos imitatione illius bonitatis, « qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. » Hoc si sensu duplici intelligas, abundantius valet : nam est quidem magnum bonitatis sive benignitatis ejus experimentum, quod solem istum visibilem facit oriri super bonos et malos, et pluviam terræ necessariam pluit super justos et injustos, sed majus multo est, quod solem justitiæ, solem verum, Christum Filium suum notum facit bonis et malis, tam qui ex Judæis quam qui ex gentibus sunt, et voluntaria prædicationis evangelicæ pluvia cunctos irrigans, cohortatur eos facere bonum fidei vel pœnitentiæ fructum. « Si enim diligitis eos tantum qui vos diligunt, quam mercedem habetis ? Nonne et publicani hoc faciunt ? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis ? Nonne et ethnici hoc faciunt ? Estote ergo perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Ubi opus laboriosius, ubi labor est operosior, ibi vel inde merces major, et corona acquiritur gloriosior. Porro, multi præcepta Dei, imbecillitate sua non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, et dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos, cæterum diligere plus esse, quam humana natura patiatur. Non sunt impossibilia, sed possibile est observari hæc omnia, quippe cum de justis hominibus exempla nonnulla sunt, qui hæc observaverunt, Stephanus Protomartyr deprecatus est pro lapidantibus inimicis (*Act.* VII), et Paulus optabat anathema esse pro persecutoribus suis (*Rom.* IX). Sed et ante exemplum hujus Filii Dei, cujus est dictum, quique fecit hoc ipsum, dicens : « Pater ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt (*Luc.* XXIII), » David injussus planxit Saulem, luxit Absalon, ambos persequentes, ambos ipsius animam quærentes (*II Reg.* I). Injussum David idcirco dixi, quia lex non jusserat inimico parci, sive doleri de inimico. Evangelium autem, sicut in cæteris ante dictis, ita in isto supplet defectum legis. Dictum hoc : « Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, » quantæ gratiæ sit, ex opposito magis elucet, scilicet ex eo quod serpens primis parentibus nostris dixit, suadens transgredi præceptum : Comedite, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen.* III). Malam viam quasi ad perfectionem ille sibilando susurravit, bonam viam ad veram perfectionem iste demonstrando prædicavit. Estote, inquit, perfecti, estote non dico A sicut dii, sed sicut filii Dei. Estote, inquam, ita perfecti, secundum modum perfectionis, quo Pater vester cœlestis perfectus est, id est non odiendo amicum Dei, quod ut fieret, serpens suasit, sed diligendo etiam inimicos, cujus rei vobis exemplum præbet ipse Pater cœlestis. Illius doctrina nequam abduxit hominem ad omnimodam Dei dissimilitudinem. Hæc doctrina æqua conformabit vos ad ejusdem Dei similitudinem, ut fiat quod scriptum est : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXII). » — « In hoc, inquit apostolus Joannes, manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli (*I Joan.* III). » Nam filii diaboli sunt, qui nec amicos diligunt, in hoc imitantes diabolum, qui non dilexit, imo odio habuit Creatorem suum, cum ille gratis et magnum B et speciosum et sapientem, sicut apud Ezechielem testatus (*Ezech.* XXVIII; XXXI), fecisset, et in monte sancto Dei, id est in cœlo, posuisset eum, persuasitque homini (*Gen.* II), ut neque fidem, neque dilectionem haberet erga eumdem Creatorem suum, suoque exemplo contemneret eum, habendo perversum similitudinis, id est divinitatis ejus appetitum. Filii Dei sunt econtra, qui etiam inimicos diligunt, optando ut amici fiant, imitantes ipsum Deum, qui cum inimici essemus, ultro nobis obtulit reconciliationis gratiam, tanta dilectionis abundantia, ut proprio Filio suo non parceret, sed pro nobis omnibus traderet eum (*Rom.* V, VIII). Ad hujus imitationem suos Filius Dei auditores invitans, cum dixisset, « estote et vos perfecti, » protinus non C quantitatem, sed qualitatem perfectionis proponens, addidit, « sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Quod est dicere : Sicut ille vos dilexit, cum essetis inimici, ut amicos faceret de inimicis, ita et vos diligite inimicos, dando operam, quod potestis, ut convertantur et efficiantur amici. His explicatis, protinus dicit.

CAP. VI. — « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. » Post illa quæ hactenus tractata sunt, dicta justitiæ, dicta legis adimplendæ, secundum propositum dicentis : « Non veni solvere legem, sed adimplere; » nunc adversus intemperantiam loqui incipit, exhortando suos et informando ad virtutem temperantiæ. Hoc ita facere incipit, ut attentos nos esse velit, dicendo : « Attendite ne D justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis. » Venerabilis igitur et vere cœlestis temperantiæ virtus hic inchoatur prædicari, quam nescierunt, sicut et cæteras virtutes, ethnici, id est gentiles, philosophi inanes, qui nomina quidem earum circa res aniles declamaverunt, sed naturam vel dignitatem ignoraverunt, et fundamentum super quod eas ædificarent, non habuerunt. « Ego, inquit, vobis supra dixi, luceat lux vestra coram hominibus, » sed non dixi, ut videamini ab eis, quod esset, sine Deo velle sabbatizare sive gloriari; imo dixi, « ut videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, » quod est quærere glo-

riam Dei, et tendere in sabbatismum ejus, ubi requiescit et ipse ab operibus suis. Alioquin si mercedem hic recipere festinatis, mercedem momentaneam, quæ in usu hominum, in laude vel favore popularium, quam lenis, quam exilis est, « mercedem, ait, non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. » — « Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. » Ergo, inquit, quoniam mercedem non habebit, qui idcirco justitiam suam facit coram hominibus, ut videatur ab eis, « cum facis eleemosynam, etc. » Operum bonorum ex radice dilectionis prodeuntium, primum vel præcipuum eleemosyna est, sequens oratio, deinde jejunium. Paulo ante radicem dilectionis intus in corde plantatam vel fixam esse volens, dixit : « Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum et odies inimicum tuum, ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, » etc. Si ergo fixa est in corde radix dilectionis, bona est eleemosyna, bona oratio, bonum et utile jejunium, de quibus hic agit ipse plantator ejusdem dilectionis, quia fructus vitales sunt, et mercedem vitæ æternæ acquirunt. Possunt autem hæc eadem foras extrudi, absque radice dilectionis, sed tali proventu omnis horum fructuum pulchritudo est hypocrisis. Interpretatur enim hypocrisis, deauratio, quod nomen latinum sic a nobis intelligitur ut res quælibet in superficie colore lucens **612** aureo, sentiatur esse intus sine auro. Ut ergo vicinius dictum sit, ille hypocrita est qui eleemosynam quidem dat, et orat et jejunat, sed intus aurum dilectionis non habens, dupliciter ambulat, penetralibus sive interioribus fetidis, superficie aurea. Eleemosyna quæ non ejusmodi est, quæ non hypocrisis, id est, deauratio, sed tota aurea, tota ipsa aurum est, cujus vena seu venarum principium dilectio est, unde aurum verum misericordiæ manu effodi solet, hæc pretiosa est, hæc in cœlum ascendit, et ibi Regem regum Dominumque dominantium delectabiliter pascit, potusque illi est delectabilis, eumque velut vestimentum cooperit, sicut et ipse ore proprio testificabitur in die judicii : « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » et cætera, usque « quando fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis (*Matth.* xxv). » Et notandum quod hujus gratiæ sex opera sunt, quamdam habentia similitudinem sex dierum quibus Deus mundum perfecit et omnia quæ in mundo sunt, in eo videlicet quod et ipsa suum promeretur Sabbatum, ut qui hæc fecerit, etiam « ipse requiescat ab operibus suis, ait Apostolus, sicut et a suis Deus (*Hebr.* iv). » Primum est : Esurivi et dedistis mihi manducare; secundum : Sitivi et dedistis mihi bibere; tertium : Hospes eram et collegistis me; quartnm : Nudus et operuistis me : quintum : Infirmus et visitastis me; sextum : In carcere eram et venistis ad me. Ingredientur enim in Sabbatum, id est in re- A quiem Domini, qui hæc sunt operati, vocante ipso qui post sex dies in semetipso requievit, ac dicente : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Tali ac tanto illius sabbatismi bono, animam suam intemperans hypocrita defraudavit, quia faciens eleemosynam, tuba cecinit ante se, voluit videri in synagogis, voluit audiri in vicis, cupivit ab hominibus honorari, et hanc mercedem vanus ambivit, vacuus recepit, inanis tulit. « Te autem, inquit, faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. » Quid enim opus est sinistram adhiberi ubi sola dextera sufficit? Quid opus est totum corpus moveri sive inquietari discurrendo, clamando, tuba canendo, cum sola manus dextera levi ductu sese B porrigendo, plus fundere possit quam pauper petere ausus fuerit, plus ingerere quam tuum posse aut velle sit ? Utinam quieta manente sinistra tantum dare velis quantum porrigere valet priusquam lassetur aut deficiat protenta dextera. Idcirco sic facito, « ut sit eleemosyna tua in absconso. » Olim in parabolis quoque Sapientia dixerat : « Manus absconditum exstinguet iram, et donum in sinu indignationem maximam (*Prov.* xxi). » Hæc est illa redditio Dei, quam protinus familiariter promittens: « Et Pater tuus, inquit, qui videt in absconso reddet tibi. » Unde Pater tuus? Nimirum ex eo quod non contentus es observare illud antiquis dictum, « diliges amicum tuum, et odies inimicum tuum, » sed ad illius dicti supplementum : « Si esurivit inimicus C tuus, cibasti illum, si sitivit, dedisti illi potum, ut vinceres in bono malum (*Rom.* xii), » quæ totius eleemosynæ laudanda perfectio est. Inde est ille Pater tuus, et tu tanti es Patris filius, juxta conditionem dicentis :« Benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. » Eadem de oratione, eadem de jejunio ratio sive sententia est, cavendam scilicet esse in eis nequitiam hypocriseos, qua fermentabatur omnis justitia Scribarum et Pharisæorum, et eleemosyna videlicet, et oratio et jejunium, quippe qui sicut eleemosynam facientes tuba canere ante se, ita et « in synagogis et in angulis platearum amant, inquit, stantes orare, ut videantur ab hominibus. Et cum jejunant tristes fiunt, ut pareant hominibus jejunantes. » Unam eamdemque per singula justus Judex depromit senD tentiam : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. » Nunc jam quid dicat dignæ orationis formator et institutor pensandum est. Orantes, inquit, nolite multum loqui sicut ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur : nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. » Ethnicorum non parvum circa voces compositionesque verborum fuit studium, qualium maximi vel notissimi sunt inter poetas Virgilius, inter historiographos Sallustius, inter oratores Marcus Tullius. Talium scripta si sanctis ac divinis Scripturis conferas, ea maxime discernuntur distantia, quod apud illos

A res exiles, atque ignobiles utpote terrenæ, et de cœlestibus sive spiritualibus nihil habentes, verbis ornantur; in sanctis autem Scripturis non res verbis imo verba rebus venerabiliter decorantur. Ibi verba conquisita jusque [*lege* vixque] se pene in rebus caducis majestatem quamdam afferre coguntur; hic autem res magnas, res divinas sponte verba sequuntur et quamvis pulchra sint, ita rerum majestate operiuntur, ut nisi diligenter attendas, vix appareat eloquentia, quod præsens adsit, dominamque suam sapientiam libenter comitetur. Nolite ergo, inquit, assimilari eis, nolite putare, quemadmodum ipsi quod in multiloquio exaudiamini, Deumque judicem magis longa et eleganti oratione quam rerum veritate flectere aut vincere possitis, aut quod docilem facere sive docere Deum opus sit: « Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. » Consurgit in hoc loco quædam hæresis, philosophorum quoque dogma perversum, dicentium: Si novit Deus quid oremus, et antequam petamus, scit quibus indigeamus, frustra scienti loquimur. Quibus breviter respondendum est: Nos non narratores esse, sed rogatores. Aliud est enim narrare ignoranti, aliud scientem petere. In illo judicium est, hic obsequium. Ibi fideliter referimus, hic miserabiliter obsecramus. Plus adhuc discendum et venerabiliter sentiendum est, quia speciosum hoc inter Deum et homines commercium, scilicet oratio non debet esse solummodo ad accipiendum, verum etiam ad occurrendum, scilicet ut beneficiis Dei venientibus, donis Altissimi gratis affluentibus, solemnem et religiosum oratio sancta præbeat occursum, juxta illud Psalmistæ: « Et mane oratio mea præveniet te (*Psal.* LXXXII). » Exempli gratia: « Ecce ancilla Domini, ait Maria, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Denique jam fiebat, jam ex ore angeli verbum audierat et concipiebat, et tamen orando dixit, imprecando sibi clamavit clamore cordis inenarrabili, « Fiat mihi secundum verbum tuum. Hoc propemodum est tale, ac si personam dignam chorus excipiat, aut cœtus solemnis procedens obviam, non jam ut veniat, sed quia venit. Hinc est quod quotidie cibum tam spiritualem quam corporalem cum oratione percipimus, jamque habentes præ oculis aut prope tenentes in manibus panem dominicum vitæ æternæ, panem victualem necessarium huic temporali vitæ, nihilominus oramus et dicimus; « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » quia videlicet benigna voluntas Dei omnia tribuentis, similes optat sibi esse vultus interioris hominis accipientis, ut quod datur divinæ charitatis beneficio, suscipiatur cum desiderio desideriumque ipsum testetur oratio, socialiterque orationem subsequens gratiarum actio. Cum igitur dicit: « Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum, » non otiosum aut superfluum nos existimare vult orationis studium, sed vitare multiloquium, scientes quod te olim de Behemot ad beatum Job dixit: « Non parcam 613 ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis (*Job.* XLI). » Quid si ex affectu divinæ inspirationis oratio protendatur? Nunquid pro multiloquio reputabitur, et erit contra institutionem dicentis: « Orantes autem nolite multum loqui sicut ethnici? » Nequaquam. Alioquin quid fiet de orationibus psalmisticis, id est psalmis pluribus modo locutionis oratorio vel deprecatorio currentibus, et non adeo brevibus, nec parum bene compositis? Taceo de multis orationibus ecclesiasticis, quas religiosus passim conventus privatim ruminare et publice personare consuevit, plerasque prolixas et luculento sermone a scholasticis compositas; de psalmis duntaxat nunc dico, quos esse compositos non dubitamus auctore Spiritu sancto, spiritu prophe-

B tico. Nunquid debebunt contemni pro hac auctoritate dicentis: « Nolite multum loqui? » Proinde diligenter animadvertendum est, quia non tantummodo dixit, « nolite multum loqui, » sed addidit, « sicut ethnici, » et sic intelligendum, ac si dixisset: Nolite multum loqui, nisi forte affluant verba precum ex affectu divinæ inspirationis. Ecce aliud: « Scientia inflat, » inquit Apostolus, subjungens: « Charitas autem ædificat (I *Cor.* VIII). » Nunquid hoc dicto scientiam condemnat? Non utique, sed charitatem commendat, eamque socialiter cum scientia nobis inesse desiderat. Scientia namque sine charitate, verum quidem est, quia inflat, est enim sæcularis scientia; cum charitate vero scientia multum ædificat, est enim donum Dei, cum sit spiritus scientiæ

C unus de septem spiritibus Domino, quintus in ordine, quem Propheta taliter præscripit: « Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini (*Isa.* II). » Itaque, sicut scientiam non propter semetipsam, sed propter viduitatem quamdam dum sine charitate est, vituperat Apostolus dicens, « scientia inflat, » ita longam et facundam orationem Dominus, non propter semetipsam vel propter suimet longitudinem reprobat, sed propter similem ignobilitatem, dum desiderium sanctum non habens, quilibet more ethnicorum verba multiplicat. Nam si utrumque adsit, non solum orantem juvat, verum etiam audientem ædificat, utque abundantius ædificet, pleraque oratio Ecclesiæ musicæ dulcedinis suavitate condita est. Valet enim auditus musicæ dul-

D cedinis psallendo atque orando ad invitandam sive excitandam in pectore nostro Spiritus sancti gratiam, secundum Elisæi prophetæ exemplum, de quo taliter scriptum est in libro Regum: « Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, ait ipse ad Joram regem Israel, quia si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi Psaltem. Cumque canaret Psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait: Hæc dicit Dominus: Facite in hoc alveo torrentis fossas et fossas (IV *Reg.* III), etc. Non dubito plerosque esse, qui hujus rei experimentum quantulumcunque assecuti sunt et se-

cundum illud exemplum nonnunquam persenserint in auditu sive decantatione laudis, sive orationis bene et morose cum musico modulamine sonantis, quod ipsorum viscera concuteret impetus Spiritus sancti, inundans affectus divinæ inspirationis, vis magna sanctæ compunctionis. Fit denique nescio qua naturæ vi, ut multo amplius afficiar audiendo sublimiter canentem Ecclesiæ chorum cum multitudine sonorum, exempli gratia, illam orationem Mosi, « Obsecro, Domine, dimitte peccata populi tui (*Exod.* XXXII), » itemque quod oravit idem Moses eumdem Dominum, et dixit : « Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te (*Exod.* XXXIII), » quam si simplicem ejusdem orationis litteraturam, ut in libro historico scripta est, legam vel audiam. Quod igitur valet nobis hæc institutio brevitatis, qua nos informare volens : « Sic ergo, inquit, vos orabitis ? » Hoc nimirum quod jactantiæ sive elationis vitium, quæ in multiloquio solet obrepere, per compendium sive brevitatem melius potest animus infirmus effugere, et præterea quia modus hic orationis, qui brevitati studet, cæteris modis facilior, cunctisque pusillis pariter atque majoribus magis accommodatus est. Sunt namque tres orationis modi in quibus Domino beneplacitum est, quartus illi omnino displicet. Primus modus est cum oratio ex affectu, ut jam dictum est, divinæ inspirationis protenditur, sicut fiebat Annæ, quæ in tantum multiplicabat preces, ut eam æstimaret Heli temulentam. « Factum est, inquit Scriptura, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia ejus movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei : Usquequo ebria eris ? Digere paulisper vinum quo mades (I *Reg.* I). » Secundum similitudinem illius, Ecclesia de gentibus, quæ dudum sterilis Deo erat, nunc autem peperit plurimos, preces coram Domino bene multiplicat, et ex quo sic cœpit loqui, æstimavit eam temulentam Heli, scilicet vana sapientia veteris sacerdotii. Dixerunt enim, quia « musto pleni sunt isti (*Act.* II), » nescientes et deridentes gratiam quæ postea sterilem istam parere fecit. Secundus orationis modus, quem Dominus loco præsenti commendat, ut videlicet, sciat orans quod non in clamosa voce, non in multiloquio sed in contritione cordis Dominus exaudiat, quodque oratio brevis et pura esse debeat, ut ista : « Pater noster, qui es in cœlis, » etc. Tertius modus est dum non solum sine clamosa voce, verum etiam absque motu labiorum quis orat intrinsecus oratione clausa, sicut orabat Moses, quando persequente Pharaone dixit ad eum Dominus : « Quid clamas ad me ? » (*Exod.* XIV.) Nihil enim tunc ore loquebatur ad Dominum, sed magnus clamor magnum erat desiderium. Hinc Psalmista : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationes cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* IX). » Quartus orationis modus omnino, ut jam dictum est, Domino displicet, videlicet ubi multiloquium est absque affectu divinæ inspirationis, quem solum habent vel habere possunt hypocritæ, multum loquentes sicut ethnici, in synagogis et in angulis platearum stantes, vel stando orantes, et videri volentes. De tribus jam dictis modis orandi faciliorem modum tam pusillis quam majoribus magis commodum vel aptum, scilicet, breviorem paucisque verbis contentum, præscribit, dicens : » Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, » etc. Hæc oratio forsitan discipulis Domini adhuc rudibus ob sui brevitatem insufficiens visa est. Nam, sicut Lucas memorat, cum esset in loco quodam orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : « Domine, doce nos, orare sicut et Joannes docuit discipulos suos (*Luc.* II). » Quale hoc erat, discipulos Domini rogare, ut sicut docuerat homo Joannes ita doceret orare, Joannes enim homo erat ? Ut autem, sicut oportet, oremus, nemo docere potest, nisi solus Deus. Hinc Apostolus : » Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Ergo, quoniam doceri volebant, sicut homo hominem docere potest, sicut homines discipulos suos docere potuerat homo Joannes (*Luc.* XI), quid vel quomodo eis respondit ? « Cum oratis, inquit, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis **614** peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis, et ne nos inducas in tentationem. » Si parum compositus vel insufficiens videbatur illis modus orationis, quem secundum hunc evangelistam Matthæum ipse ultro in monte docuit, et idcirco in loco alio rogaverunt se doceri, sicut Joannes orare docuit, puchre nimirum illis compositionem, sive longitudinem orationis, non solum non auxit, verum etiam diminuit. Nam de septem petitionibus duas omisit, tertiam et ultimam, « fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, » — « sed libera nos a malo, » et laudem brevissimam, quam hic in Matthæo præmisit, uti solemne est orationem a laude inchoare, post primam appellatione : » Pater noster qui es in cœlis. » Nec mora, ut magis ac magis notum sit oranti, qui cum Deo verba facit, quod non opus sit ei longo vel composito sermone fatigari : « Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum (*Luc.* XI). » Nimirum qui sic venit ad amici sui ostium, non sermonem affert longum, premeditatum, diligenter compositum sive accuratum, sed et si tota nocte standum sibi et rogandum est, unus idemque sermo est, brevis est, et hoc idem repetit centies resonatque millies : » Amice, commoda mihi tres panes. » Secundum hoc exemplum « Petite, inquit, et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate, et aperietur vobis. » Quid petimus ? Quid quærimus ? Spiritum bonum, ait : « Si enim vos, cum sitis mali

nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se, » subauditur qui doceat vos orare? Dixistis enim: « Domine, doce nos orare, sicut et Joannes docuit discipulos suos, » ignorantes quia doctrina hujusmodi non est Joannis sive alicujus hominis, sed solius Spiritus boni, Spiritus Sancti. Proinde, si compendiosum quæris iter ad consequendam orandi scientiam, nec ista secundum Matthæum brevi, nec illa secundum Lucam breviori oratione adeo opus tibi erit, tantummodo persistas rogans Patrem, postulans amicum: Da mihi spiritum bonum, da mihi Spiritum sanctum. Quem cum ille dederit tibi, jam vere orandi scientiam habebis, et miro modo sic in oratione vehementer occupatus eris, ut verbum aliquod proferre vix possis, quia non vacabit gemitu continuo totum præoccupante officium vocis. Hinc est illud: « Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus quia secundum Deum postulat pro sanctis. Igitur hanc orationem Dominicam, partesque ejus, id est petitiones septem quarum prima est, « sanctificetur nomen tuum, » ultima, « sed libera nos a malo, « sic recte accipimus tanquam prima scientiæ vel doctrinæ hujus, qua ad orandum sumus informati, elementa, quoniam veluti pueris hæc tradita sunt, cum necdum accepissent Spiritum Paracletum, dicentibus interdum: « Domine, doce nos orare, sicut et Joannes docuit discipulos suos. » Etiam si fuerimus perfecti ita, ut, sicut jam supra dictum est, Spiritus ille gemitibus inenarrabilibus oret vel postulet pro nobis; non tamen oratio hæc, oratio Dominica, prima cunctarum orationum ab ore nostro cadere debet, ne videamur nobis ipsis magni et orationis hujus non indigentes, quæ quasi pueris, id est incipientibus proposita sit, ut habeant aliquod initium dissimilitudinis, ab improbitate hypocritarum, quorum tota oratio est multiloquium (*Ephes.* II). Et quidem brevis et parvis apta est, sed et magnos delectare atque exercere potest, et in primis appellatio hæc: Pater noster. Qui enim, cui dicimus, Pater noster? Nos quondam filii iræ, filii gehennæ, filii mortis, filii diaboli dicimus Pater noster, Patri misericordiarum, Patri cœlestis patriæ, Patri vitæ sempiternæ, Patri Domini nostri Jesu Christi, Dei sibimet coæqualis et coæterni (*Rom.* VI, *Galat.* III). Gratia hujus unici Filii sic loquimur Patri huic, ex quo sumus renati, quia male fueramus nati, et mirabili compendio mala sors nostra sic mutata est, qui effecti sumus filii Dei, credendo in eum, qui cum solus Filius Dei esset, naturæ nostræ particeps factus est (*I Petr.* I). Gratiam istam miratur omnis creatura, prædicat per orbem sancta Ecclesia, venerantur angeli, reverentur archangeli, magnificant throni, glorificant dominationes, laudant principatus, adorant potestates, benedicunt virtutes, desiderant in eam prospicere cherubin atque seraphin. Admirationem tantæ gratiæ nos quoque

A habere innuit laus ista quam brevis, « qui es in cœlis. » Quis enim docilis ad orandum, puer docilis ad invocandum patrem non admiretur quod iste Pater cum in cœlis, id est tantum in invisibilibus, quæ nobis invisibilia sunt, possit videri, hic in isto sæculo visibili, ubi eum non videt homo, nos genuit, quemadmodum apostolus Jacobus: « Voluntarie enim, inquit, genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus (*Jac.* I). » Quamvis autem cœlorum nomine patria significetur invisibilis, ubi sancti habitant angeli, et quo Christus quadragesimo post resurrectionem suam die, videntibus apostolis, ascendit, nihilominus tamen cœli dicuntur et sunt supra memorati novem ordines angelorum, et in ejusmodi cœlis hic Pater noster est, quod est beati-

B tudo illorum, quia videlicet, Deum in illis esse, hoc est, permanere et non mutari, quemadmodum dicit ad Mosen: « Ego sum qui sum (*Exod.* III); » et hujus essentiam invariabilem in semetipsis semper habent, semper et absque ullo fine beati et immortales habebunt, et immortaliter pascentur hoc summo bono, quo pleni sunt, quo pleni permanebunt. Hinc omnes christiani, magni et parvi, divites et pauperes, nobiles et plebei, domini et servi, reges et mendici, principes cum vulgo ignobili, omnes omnino absque ulla distinctione gentis sive conditionis, sexus et ætatis, ordinis vel officii, Pater noster dicimus huic et nemo nostrum dicit, Pater mi. Unus est Filius primogenitus et unigenitus, non uti nos gratiæ, sed solius naturæ filius, cui convenit dicere, Pater

C mi, et dixit cum traderetur: « Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI), » et Pater noster nusquam legitur dixisse. Cur hoc? Videlicet quia dissimiliter illi et nobis Deus Pater est: Illum genuit, nos adoptavit. Tali appellatione præmissa, prima petitio hæc est: « Sanctificetur nomen tuum. » Sanctum semper fuit et est nomen Domini, verumtamen modus quidam est sanctificationis ejus nobis utilis, quem per Prophetam hoc modo promisit: « Sanctificabo nomen meum magnum, dicit, Dominus, ut sciant omnes gentes, quia ego Dominus cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. » Protinus ac si quæreret aliquis, Quomodo nomen sanctificabis? ait: « Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos

D in terram vestram, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri (*Ezech.* XXXVI), » et cætera: quibus utique verbis gratia præsignatur baptismi Christi. Ergo tolli de gentibus, et congregari de universis terris credentes in Christum, et baptizari eos in remissionem peccatorum, hoc sanctificari est nomen tuum, o Deus Pater omnium, quia sic sancti fiunt hi, super quos invocatur nomen tuum. Etenim sanctificatio hæc revera nominis tui sanctificatio **615** est, quia non tam ipsis datur, quam tuo nomini, juxta illud quod dictum est per Psalmistam: « Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini

tuo da gloriam (*Psal.* CXIII). » Ut autem sanctificatio hæc in plures redundaret, primus ipse Christus sanctificatus est, eodem baptismo quo moriendo baptizatus est, sicut prædixerat : « Ego, inquiens, baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur ? (*Luc.* II.) » Et sub ipso passionis articulo, cum dixisset orans ad Patrem : « Sanctifica eos in veritate, » subinde, « et pro eis sanctifico, ait, meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate (*Joan.* XVII). » Quid enim sanctificari ipsum Sanctum sanctorum, nisi sanctificari pro peccatis omnium et auferri illi quas posuerat in eo Deus, iniquitates omnium nostrum? (*Isa.* LIII.) In illo sanctificationis actu, o Deus Pater, sanctificatum est nomen tuum, quia per effusionem sanguinis et aquæ de latere ejus sanctificati sunt, et remissionem acceperunt hi super quos invocatum erat nomen tuum. Igitur quod dicimus, « sanctificetur nomen tuum, » hoc dicere est, convertantur gentes et remissionem peccatorum accipiant per nomen tuum, et omnium orationum quascunque offerimus sive pro catechuminis nostris, sive pro hæretiics et schismaticis, sive etiam pro perfidis Judæis, et pro paganis nunc usque incredulis, ut convertantur ad Deum verum et vivum, et unicum Filium ejus Jesum Christum, Deum et Dominum nostrum, summa hæc est, « sanctificetur nomen tuum. » Secunda petitio est : « Adveniat regnum tuum. » Quando hac oratione discipulos suos informabat, sicut baptismi sacramentum, quod nobis est sanctificatio nominis Domini, necdum conditum fuerat, ita et regnum Dei nondum venerat (*Matth* IV), sed appropinquabat juxta hoc evangelicæ prædicationis initium : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Luc.* XVII). » Ex eo namque regnum Dei advenit et intra nos est, ex quo princeps mundi hujus foras missus est, quod per passionem et resurrectionem suam mox fore prænuntians, « ecce enim, inquit, regnum Dei intra vos est (*Joan.* XII). » Eatenus mors regnabat. Quamvis lex subintrasset, nihilominus tamen peccatum tyrannizabat, quemadmodum Apostolus cum dixisset, « sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, » et cætera, demum subintulit : « Lex autem subintravit, ut abundaret delictum (*Rom.* V). » Quid ergo adhuc oramus. « adveniat regnum tuum ? » Videlicet, ut regi regni ejus omnia sint subjecta, totumque compleatur illud, quod Psalmista cum dixisset, « gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, addidit adhuc : omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). » Hinc Apostolus : « Nunc autem, ait, necdum videmus omnia subjecta ei, eum autem qui modicum quam Angeli minoratus est, videmus Dominum Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum (*Hebr.* II). » Et alibi dicit : « Deinde finis, cum tradiderit Christus regnum Deo Patri, cum evacuarit omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem. Oportet autem illum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur

A mors (*I Cor.* XV). » Igitur, quamvis jam advenerit, jamque sit intra nos regnum Dei, ex quo Christus propter passionem mortis gloria et honore coronatus est, nihilominus tamen adhuc oramus, « adveniat regnum tuum, » id est novissima destructione mortis perficiatur, nihilque relinquatur illi non subjectum, nullumque remaneat scandalum, juxta quod alibi dicebat : « Et colligent de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII). » Tertia petitio : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, » Juxta sensum jam dictum fere superabundat, unde et apud Lucam studio brevitatis prætermisit eam, ut supra jam dictum est. Quis enim regnat et non fit ejus voluntas? (*Luc.* XIX.) Verumtamen nonnihil interest, quia videlicet regnat super bonos et malos, super eos quo-

B que qui dixerunt, nolumus hunc regnare super nos, quemadmodum in propheta dixit : « Et regnabo super vos in furore meo (*Ezech.* XX), » in solis autem bonis et sanctis voluntas ejus est. Hinc ad Hierusalem dicit : « Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis Voluntas mea in ea (*Isa.* LXII). » Econtra reprobis loquitur : « Non est voluntas mihi in vobis (*Malach.* I). » Recte igitur cum dicimus, « adveniat regnum tuum, » quoniam super adversarios quoque suos regnabit, oramus, ut faciat ipse, quatenus nostra sit subjectio voluntaria, dicendo « fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. » In cœlo namque, id est in beatis spiritibus, facta est et fit voluntas ejus, nihilque illi repugnat, dejecto cum suis satellitibus

C adversario, qui idcirco cecidit, quia repugnabat rebellione voluntatis malæ, unde et vocabatur diabolus et Satanas (*Apoc.* XII). Et si sunt plurimæ voluntates ejus, quia plura sunt præcepta ejus, unde et in psalmo dicit : « Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificavi omnes voluntates meas in eis (*Psal.* XV). » Hæc summa est voluntas ejus, ut vivamus et salvi fiamus. Hinc ipse Filius loquitur : « Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. » Et rursum : « Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam (*Joan.* VI). » Quarta petitio : « Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. » Hic quidem su-

D persubstantialem, in Luca vero panem legimus quotidianum. Possumus supersubstantialem panem intelligere, qui super omnes subsantias sit, et universas superet creaturas, qui et dicit : « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi (*ibid.*). » Alii simpliciter putant secundum Apostoli dictum : « Habentes victum et vestitum his contenti sumus (*I Tim.* VI), » de præsenti tantum cibo sanctos curam gerere, unde et in posterioribus sit præceptum : « Nolite cogitare de crastino (*Matth.* VI). » Hujusmodi panem a Deo petisse vel sperasse primus legitur Jacob peregre proficiscens : « Si, inquit, fuerit Dominus mecum, et custodierit in via per quam ambulo, et dederit mihi panem ad edendum (*Gen.* XXVIII), » etc. Alius

est panis sermo Dei de quo dicitur : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei (*Deut.* VIII; *Matth.* IV). » Cujus defectum comminatur per Prophetam Deus populo peccatori : « Mittam, inquiens, vobis famem audiendi verbum Dei (*Amos* VII). » Tertius est panis, caro Christi, quam nobis de sancto altari dat quemadmodum dixit, « et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita (*Joan.* VI). » Quidlibet horum trium cogites, Dei donum est, nec alius quis præter eum dare potest. Si de pane victuali quæras, quis alius facit, ut eum terra producat ? Si de pane spirituali quod est verbum Dei, quomodo, nisi per Dei adspirationem datur ? « Quomodo, inquit Apostolus, prædicabunt, nisi mittantur ? (*Rom.* X.) » Si de pane sacramenti, quis nisi Deus facere potest, ut tibi ad vitam detur, et in remissionem peccatorum a te percipiatur ? Igitur « panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » sic dicat sapiens etiam rex, ut veraciter confiteatur, nec erubescat confiteri, dicens : « Ego autem mendicus sum et pauper (*Psal.* XXXIX). » Quinta petitio : « Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Qualiter nos, quorum multa sunt debita, dimittamus debitoribus nostris, ipse hujus orationis auctor exemplo suo docuit, qui nulli quidquam debuit. Cum enim crucifigeretur, dicebat : « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Sciebat enim inter eos esse nonnullos, nescientes **616** quid facerent, eosque dicturos esse ad Petrum et ad reliquos apostolos : « Quid faciemus, viri fratres ? (*Act.* II.) » Credituri erant ex illis plurimi, et dimissus est illis sanguis ejus, secundum petitionem dicentis : « Pater, dimitte illis. » Similiter optare debemus cunctis debitoribus nostris, et non quærere ultionem ex eis, et tunc ore libero, mente secura, dicere poterimus : « Dimitte nobis sicut et nos dimittimus. » Quid, si non nesciunt quid faciunt, sed invidendo persequuntur nos et occidunt, maxime propter Christum ? Nunquid exigitur a nobis, ut dimittamus eis, si volumus nobis debita nostra dimitti ? Imo non solum inculpabiliter, verum etiam juste clamamus id quod valde notum et usitatum est : « Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est, et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum (*Psal.* LXXVIII). » Nonne his similia, imo et fere graviora, ipsa Christi persona loquitur in Propheta : « Fiant, inquit, uxores eorum absque liberis, et viduæ, et viri eorum interficiantur morte, » et cætera, quæ ita concludit : « Ne propitieris iniquitati eorum, et peccatorum eorum a facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis (*Jer.* XVIII). » Debita pecuniæ seu quarumlibet rerum, quæ nobis jure debentur, ut dimittamus debitoribus nostris, conventio nos ista non cogit, nisi forte pro misericordia, si debitor attenuatus paupertate, reddere non possit. Siquidem et ipse Dominus, quod jure sibi debetur vel quod ei semel quispiam vovit, nequaquam dimittit, sive bonum, sive malum sit

A sed nec altero commutari concedit, imo dicit : « Si quis mutaverit, et hoc quod mutatum est et pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino et non redimetur (*Levit.* XXVII). » Sexta petitio : « Et ne nos inducas in tentationem. » Ergone Deus in ducere solet in tentationem, ut dicamus ei, « et ne nos inducas in tentationem ? » Non utique in tentationem mali, tentationem concupiscentiæ, sive peccati. « Nemo cum tentatur, ait Jacobus apostolus, dicat quia a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concuspiscentia sua abstractus et illectus (*Jac.* I). » Est alia tentatio, scilicet tribulatio, quæ ab hoc sæculo multis infertur modis et ejusmodi tentatione Deus sanctos suos tentare consuevit. Hinc est illud

B per Sapientem dictum : « Deus tentavit illos, tanquam aurum in fornace probavit eos (*Sap.* III). » Recte et sapienter sic tentari, id est, tribulari metuentes, et pavidi dicamus Deo, rogemus Patrem, « et ne nos inducas in tentationem. » Sed dicit aliquis : Nonne et gloriosum et optabile est in tribulatione tentatos et probatos coronari ? Nonne ex hujusmodi tentationibus martyres sancti facti sunt gloriosi ? Nonne ergo magis optare debemus tentationem ? De tentatione quoque peccati si placet hic intelligi, non aliter intelligendum est, « et ne nos inducas in tentationem, » nisi ac si diceretur, et ne nos permittas induci in tentationem. Septima petitio : « Sed libera nos a malo. Amen. » Hanc ut superius jam dictum est secundum Lucam, sicut et tertiam illam : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, »

C studio brevitatis omisit, dum plenius inculcare vult eis qui nondum intellexerant ex hac prima institutione, quod orantes non oporteret multum loqui. Et quidem unum idemque videntur significare, « et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, » quoniam in tentationem non induci, id plane est a malo liberari; verumtamen magis universale nomen est *malum* eorum quæ nocent, et naturæ vel saluti humanæ adversa sunt. Nam, ut de cæteris taceam, mors ipsa malum est, et infernus malum est, et diabolus malus est, a quo gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum nos liberet : Amen : hoc signaculum orationis Dominicæ interpretatur *vere vel fideliter*. Ecce hæc est oratio Dominica, septem distincta partibus, id est petitionibus, et ipsa est

D cunctarum exemplar orationum, ut quidquid a Patre nostro Deo petere volumus, hic probemus utrum Deo placitum, vel ad salutem nostram sit idoneum, quod postulamus. Nam si ab istarum qualibet petitionum petentis intentio discordat, nequaquam in nomine Salvatoris postulat, et idcirco non arroget sibi sponsionem dicentis : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan* XVI). » Et in cunctis quidem petitionibus claret Patris bonitas, in quinta autem quæ est, « et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » bonitas simul et severitas, quam protinus ita confirmat : « Si enim dimiseritis hominibus peccata

eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. » Quam bene bonitas et severitas pii Patris, et justi judicis per istam conditionem providit cunctis reconciliationem quæsituris, sicut ipse superius dictavit dicens : « Si ergo offers munus tuum ante altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth.* v). » Legimus hunc ipsum Dominum, ubi præcepta et judicia sua populo suo per Mosen proposuit, ita dicentem : « Qui percusserit hominem volens eum occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum quo fugere debeat (*Exod.* xxi), » subauditur, ne propinquus occisi interficiat eum, quod alibi constituens plenius edicit (*Num.* xxxv). Quæ fortior vel magis munita civitas reis ad refugiendum esse potuit, quam ista conjunctio justitiæ seu charitatis, « si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis ? » Quis enim Patris hujus filius esse volens, civitatis hujusce vectes et seras effringere audebit, et in eum vindicare qui in illam confugit, cupiendo reconciliari ? Igitur quoniam dixerat superius : « Vade prius reconciliari (*Matth.* v), » et ille poterat causari de difficultate reconciliationis, puta dixisse Dominum, constituam tibi locum quo fugere debeas (*Exod.* xxi), » id est ponam conditionem de peccatis dimittendis, in quam timens incidere frater tuus, satisfactionem tuam suscipiat.

LIBER SEXTUS.

617 « Misericordiam, et veritatem, ait Psalmista, diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal.* LXXXIII). » Secundum hoc veridicum carmen hæc loquitur Dei Filius, quæ nunc tractavimus et tractamus. « Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscons, et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. » Et : « Tu autem cum orabis, intra in cubiculum, et clauso ostio ora Patrem tuum, et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. » Ibi misericordia, ibi veritas est quam Deus diligit. Et quid nisi gratiam et gloriam reddet tibi? Et contra simulatores et callidi provocant iram Dei qualium videlicet maximi erant hypocritæ illi, Scribæ, et Pharisæi, contra quos dicit : « Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut faciunt hypocritæ. » Et : « Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ. » In tribus his operibus veritatem se diligere testatur. Etenim tertium hoc est : « Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus jejunantes; amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in absconso, et Pater tuus qui videt in absconso reddet tibi. » Primus omnium jejunasse legitur Moses. Nam ex quo primus homo continentiæ legem transgressus est, non obaudiens, ut ab uno se ligno contineret, nullus recogitasse legitur, ut per jejunium faciem Domini utcunque complacaret, quam ille per cibum vetitum inobediens offenderat. Nam ille jam dictus Moses jussus esse non legitur, ut jejunaret, sed sponte jejunavit, ut sermonem ex ore Dei procedentem, in quo vivit homo (*Deut.* VIII), accipere atque conscribere dignus existeret. Rursus jejunavit, ut dimissionem peccati populo impetraret quemadmodum dicit ipse Moses : « Et procidi ante Dominum sicut prius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum arripiens, igne combussi (*Deut.* IX). « Est ergo jejunium divinæ auctoritatis res, non quod Deus illud præceperit, aut digitus ejus in tabulis scripserit, sed quia non sine virtute Dei mortalis homo quadraginta diebus et quadraginta noctibus semel et iterum jejunare potuit, et jejunando multum Deo appropinquavit, a quo primus homo manducando nimis longe recessit. Causam vel intentionem jejunandi Moses et Elias et Daniel bonam, et Deo dignam habentes gloriosum, et laudabile fecerunt jejunium, videlicet hoc intendentes, hoc exspectantes, ut mitteret Deus illud quod Abrahæ promiserat semen, id est Christum. Qui ubi venit, jam non fuit jejunandum donec auferretur ab eis, quemadmodum ipse dixit Pharisæis, facientibus quæstionem, quare discipuli ejus non jejunarent : « Nunquid, ait, possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus ? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt (*Matth.* IX). »

Causam istam jejunandi non habuerunt nec habent hypocritæ tristes, et tamen jejunaverunt, et jejunant frequenter, desiderium Christi non habentes, et mira vani cordis duritia nonnunquam plus jejunando laborant quam hi qui Christum et vitam æternam desiderant. Verbum « exterminant, » aliud multum significat, quam vulgo intelligitur. Exterminatur quippe exsul, qui mittitur extra terminos. Pro hoc ergo sermone, *demoliuntur* semper debemus accipere. Demolitur autem hypocrita faciem suam, ut tristitiam simulet, et animo forte lætante luctum

gestat in vultu. Quod deinde dicit, « tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, » juxta ritum provinciæ Palestinæ loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita. Præcipit ergo, ut quando jejunamus lætos nos et festivos esse monstremus. Quid autem faciemus nos, quibus consuetudo non est nec fuit, diebus festis ungere capita? Quomodo faciemus id quod dicit: « Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, ne videaris ab hominibus jejunans? » Ergo non superfluum est, anagogicum hic admittere sensum, ut ungere caput nostrum hoc sit exhiarare cor, quod est principale nostrum; etenim sicut de eleemosyna, ita et de jejunio recte dictum intelligitur: « Hilarem enim datorem diligit Deus (II *Cor.* IX). » Denique gaudere in Spiritu sancto hoc est ungi oleo, quia Spiritus sanctus oleum dicitur, ut illic: « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Hoc autem gaudio tunc gaudere possumus in jejunio, si conscientia nostra testimonium habet, quod inter ipsum jejunium pascatur sponsi, qui ablatus est a nobis, sancto desiderio. Gaudium istud hypocritæ non quærunt, et idcirco tristes hic dicentur, illi autem nescierunt, de quibus propheta Zacharias ita loquitur: « Miserunt ad domum Dei Sarasar et Rogomelech, et viri qui erant cum eo ad deprecandum faciem Domini, ut dicere sacerdotibus et prophetis Domini: Nunquid flendum mihi est in mense quinto, vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis? » (*Zach.* VII.) Videlicet quia soluta erat captivitas Babylonica, templumque manufactum reædificabatur, causam nullam putabant superesse, cur flere deberent aut jejunare. Quasi vero sola captivitas illa deflenda fuerit, et non potius universalis captivitas generis humani, quæ in Adam contigit, et quasi reædificatio templi illius manufacti, malorum omnium finis fuerit, et non potius templum futurum, templum Dominici corporis, quod tandem fabricari, et deinde solvi, et post triduum oportebat excitari. Propterea sic responderi debuit, et sic responsum **618** est illis: « Cum jejunastis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi? Et cum comedistis et bibistis, nunquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis? » (*Ibid.*) Quod est dicere: Nonne hoc pacto non Dei, sed vestram gloriam quæritis, dum pro rebus temporalibus quia desunt, sive ut affluant, lugetis et jejunatis, et de regno Dei, quod differatur, quod nondum venerit, non curatis? Non ita, sed « jejunium quarti, et jejunium quinti et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, et lætitiam, et solemnitates præclaras, usquequo venient populi et habitabunt in civitatibus multis, et apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Judæi (*Zach.* VIII), » etc. Quod hic in Evangelio dictum est jejunanti caput ungere, et faciem lavare, hoc illic in propheta dictum fuerat jejunium in gaudium et lætitiam et solemnitates præclaras esse debere. Est igitur jejunantium distantia triplex, dum jejunant alii propter Dei regnum, quia differtur et, nondum venit eis per occultum divinitatis consilium, justumque judicium, alii propter infaustam memoriam casuum adversorum, qui circa res temporales acciderunt, alii propter humanæ laudis appetitum, ut glorificentur ab hominibus tanquam justi, quia misera ambitione repleti sunt. Secundum distinctiones istas sequitur adhortans suos, et dicit:

« Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. » Ubi est enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Nunquid enim thesaurizare id solummodo est, pecuniam congregare? Imo et opera qualicumque, seu bona seu mala facere, thesaurizare est. Nam sicut qui bona agit, gloriam æternam thesaurizat, quapropter et de timente Dominum, scriptum est: « Jucunditatem et exsultationem thesaurizavit super eum (*Eccl.* XV), » sic et qui mala agit, recte iram dicitur thesaurizare. Unde et Apostolus: « Tu autem, inquit, secundum duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ (*Rom.* IX). » Maxime de bonis hic sentiendum est, videlicet de eleemosynis, orationibus et jejuniis, quia de his hactenus sermo fuit. Denique qui jejunantes, caput suum non unxerunt, nec faciem suam laverunt, hi sunt quorum thesauros in terra thesaurizatos tinea vel ærugo demolita est, quia videlicet valde tineosum caput est et æruginosa facies, ubi totus jejunii fructus est videri et glorificari ab hominibus, dum propter tristitiam tristemque vultus maciem, hypocritæ nequam sancti putantur. Econtra qui caput suum unxerunt oleo supra dicto, et faciem suam laverunt, juxta illud: « Hilarem enim datorem diligit Deus (II *Cor.* IX), » qualium hilaritas est spes quæ in cœlo reposita est, hi sunt quorum thesauros in cœlo thesaurizatos, nec tinea, nec ærugo demolitur, quia videlicet ariditas tinea nunquam contingit caput, quod in Spiritu sancto delectatur. Fere medii sunt, quorum jejunii causa terrenum quidem habet fundamentum, sed non usquequaque, non sicut causa hypocritarum, sed simpliciter et pene pueriliter, sicut illi supra memorati, qui soluta captivitate Babylonica dum templum reædificaretur, dixerunt: « Nunquid flendum mihi est in die quinto, vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis? » (*Zach.* VII.) Nam et qui ejusmodi sunt, non quidem habent rite jejunandi scientiam, sed propter hoc non imputamus eis hypocritarum malitiam, quia videlicet aliud est propter damna rerum temporalium veraciter dolere et absque fictione lugere; aliud, sine ulla menti vel spiritus contritione propter adipiscendam sanctitatis opinionem, caput inunctum quasi circulum contorquere, et sacco, et cinere sternere. Sic enim jejunare etiam potuerunt crudeles homicidæ, in ipso crudelitatis vel homicidii meditatione. Exempli gra-

tia : « Prædicate jejunium, inquit Jezabel, et sedere A facite Naboth inter primos populi, et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum dicant testimonium : Benedixit Naboth Deum et regem et educite eum, et lapidetur, sicque moriatur (III *Reg.* XXI). » Aliud fuit hoc, atque aliud quod « cum audisset Achab sermones Heliæ, scidit vestem suam et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulabat demisso capite, ut malum non induceretur in diebus ejus (*ibid.*). » Ibi Achab jejunando non quidem hypocrita fuit, thesaurizans sibi aliquid, ut diceret Dominus : « Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus (*ibid.*). » Verumtamen hoc ipsum in terra thesaurizavit, « ubi fures effodiunt et furantur. » Qualis utique exstitit Jehu, quia videlicet, B quamvis jubente Domino, deleverit domum illius, non tamen gloriæ Domini, sed suæ cupiditati studuit ; quippe cum regnaret, non fecit voluntatem Domini, ut vitulos, quos fecit Hieroboam, desereret (IV *Reg.* IX).

Quid tandem thesaurizare in cœlo ? vel certe quod est illud cœlum, in quo nobis est thesaurizandum ? Non utique cœlum æreum, neque illud quod secundo die factum est, sicut scriptum est : « Dixitque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et vocavit Deus firmamentum cœlum (*Genes.* I), » sed cœlum tertium, quod in principio factum est, sicut itidem scriptum est : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » cœlum invisibile est, invisibilis patria spirituum beatorum, diciturque « cœlum C cœli (*Psal.* CXIII), » quia videlicet comparatione ejus terra est, et hoc cœlum, et quidquid videri potest oculis terrenis. Quomodo in illo cœlo debemus thesaurizare thesauros ? Nimirum idcirco jejunando et eleemosynas faciendo, cæterisque modis omnibus lugendo, quia illuc abiit, et nondum rediit sponsus, qui ablatus est nobis filiis suis. Causa ista cœlestis est, et proinde qui hanc habet, recte in cœlo thesaurizare dicitur, nimirum tuto in loco, quia fures ibi non effodiunt, nec furantur, neque ærugo, neque tinea demolitur. Fuerunt ibi olim quidam fures, scilicet diabolus et angeli ejus, qui quasi effodientes divinitatis honorem furari voluerunt, sed non valuerunt, imo quidquid honoris vel pulchritudinis habebant a Creatore sibi collatum, ærugo et tinea nequissimæ hypocriseos demolita est, quia sicut illi D per prophetam exprobratur, « In medio lapidum ignitorum ambulavit perfectus in viis suis (*Ezech.* XXVIII), » quæ perfectio fuit hypocrisis, ut videretur esse quod non erat, Altissimo similis, et illa hypocrisi æruginatus, jam non splendidus angelus, sed teter est diabolus, tineosum utique præferens caput. Ejusmodi fures ibi fuerunt, sed jam ibi non sunt, nec erunt, nec tineam sive æruginem admisit postea, nec admittet unquam illud cœlum casu illorum purificatum. Illic thesaurizate, inquit, ac demum familiariter conscientiam cujusque conveniens, « ubi est enim, inquit, thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Quod dictum quale sit ille aliquantisper intelligit per similitudinem sui, qui sollicitudinem hominis voti seu promissi, vel cujuscumque debiti necessitate ductus vel commonitus corde suo illuc sæpe respicit, ubi novit se reposuisse aliquid, per quod sese liberare possit. Et quis eum jure repellere possit, quin thesaurum suum recipiat, cum voluerit vel tempus fuerit ? Porro, in cœlo, ulla unquam injuria fit, quin cum tempus fuerit, cor ejus, id est **619** ipsemet admissus, accedat illuc, ut fruatur thesauris suis, quos thesaurizavit illic. Et interim dum vivit, semper cor ejus illic est, ubi in manus Domini commisit ac præmisit qualiacunque bona opera, per quæ redimi possit, in die judicii.

« Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt ? » Etenim sensus iste est : Idcirco non dixi sic universaliter vobis omnibus facientibus eleemosynam : Sit eleemosyna vestra in abscondo ; et : Vos autem cum oratis, intrate in cubiculum, et clauso ostio, orate Patrem vestrum ; et : Vos autem cum jejunatis, ungite capita vestra ; sed dixi singulariter : « Te autem faciente eleemosynam, » etc. quia videlicet non omnibus dico hoc, neque omnibus dicendum est hoc, sed tibi uni vel alteri, similiter unicuilibet, cujus oculus forte infirmus est, cujus intentio nondum satis firma est. Etenim « lucerna corporis tui est oculus tuus, » et subaudire debes, quia, secundum hujus rei similitudinem, lucerna operis tui est intentio tua. « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, » et subintelligere debes quia secundum rei hujus similitudinem, si intentio tua fuerit absque hypocrisi, et absque nebula cujuslibet miseræ vanitatis, tunc opus tuum totum lucidum erit. « Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit, » et similiter scire debes quia, si intentio tua fuerit in hypocrisi, totum opus tuum tenebrosum erit, sive jejunium, sive oratio, sive eleemosyna sit. » Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Quod est dicere : Si opera bona, quæ facies coram hominibus, propter hypocrisin reproba sunt, ipsa opera mala quæ in occulto sunt, quale judicium merentur ? Proinde simplicem oculum, id est intentionem bonam in corde habeas, et quomodo vis fac. Nam, si fuerit simplex oculus ejusmodi, tunc profecto acceptum est Deo quod facis, sive cinere aspergas, sive oleo perungas caput tuum, dum jejunas, sive longam sive brevem orationem facias, sive multis videntibus sive nullo sciente pauperi eleemosynam porrigas. Hic autem oculus simplex, hæc intentio bona est, cupere ut homines opera tua videntes, glorificent Patrem qui in cœlis est, sicut econtra nequam oculus intentio mala est,

ambire ut ab hominibus glorificeris, quo fit ut tenebrosum sit quodcunque facis, sive cinis sive oleum in capite tuo sit, sive longa sive brevis oratio tua sit, sive publica sive occulta eleemosyna tua sit. Interim, dum nondum purificatus est oculus, dum fieri potest, ut levi vento vel aura miseræ vanitatis intentio lædatur, facito, ut dixi, ut non videaris hominibus jejunans, aut eleemosynas faciens, aut orans.

« Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. » Hactenus temperandum esse debuit a maligna superfluitate hypocritarum, quorum in ipsa temperantia ciborum grande est intemperantiæ vitium, nunc addit quod adhuc melius et perfectius est, ut hi, qui spiritualibus studiis idonei sunt, soluti ac liberi esse cupiant ab omni occupatione curarum sæcularium, ab omni sollicitudine rerum quoque venalium juxta illud: « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* x). » Hoc ita incipit: « Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet. » Hanc generalem de dominis sententiam quam veram esse ratio sponte concedit, idcirco præmisit ut specialem opportune subinferret, eadem nixam veritatis firmitate, « non potestis Deo servire et mammonæ. » Sciendum quippe est quod non idem sit, duobus dominis, ac si dixisset: Duobus hominibus, sive duobus regibus aut potestatibus. Nam duobus hominibus, duobus regibus sive potestatibus potest unus homo servire, quia possunt duo reges, duo principes sibimet concordes existere, ut fuerunt Salomon et Hiram, rex Tyri invicem fœderati (*III Reg.* v), et ambobus servire potuit artifex Hiram in ædificatione domus Domini, quem misit rex Hiram prudentem et scientissimum, qui noverat « operari in auro et argento et ære et ferro, marmore et lignis, purpura quoque et hyacintho et bysso et coccino, » et adinvenire prudenter quodcunque in opere necessarium esset (*II Par.* II). Porro duobus dominis neminem posse servire, idcirco dictum est veraciter, quia dominatio superbiæ fastus est, et dualitas dominationis nunquam absque scissura contrarietatis esse potest. Unus enim Dominus, unus Deus est (*Ephes.* IV); cæteri, qui dicuntur dii vel domini, putative dicuntur et non sunt. Attamen usus obtinuit ut in suo quisque jure dominus dicatur et sit, ut exempli gratia, in suo regno dominus et rex dicebatur rex David. Duo domini tunc ibi esse cœperunt, quia dominationis unitas in dualitatem scissa est, quando filius ejus Absalon dominationem contra eumdem patrem suum ar- A ripuit (*II Reg.* XVI). Utique duobus illis nemo servire potuit. Aut enim unum odio habuit, et alterum dilexit, ut, verbi gratia, ille Chusai qui, quoniam servus erat bonus, bonum dominum dilexit, et malum odio habuit apud Absalon degens, et saluti David miro atque amabili artificio consulens ac deserviens. Aut unum sustinuit, et alterum contempsit, ut ille Achitofel, qui utique non dilexit Absalon, sed idcirco sustinuit eum, ut David dominum legitimum contemnere posset. Nunquid enim diligebat aut diligere noverat, qui talia quæ legimus, illi consilia dabat? Imo et de toto pene Israel ita sentiendum est, quod videlicet neque Absalon, neque Seba filium Bochri, neque Hieroboam, cæterosque reges, quos habuit, dilexit, B quippe quos toties occidit et mutavit, sed ob hoc tamen dominationem illorum sustinuit, ut contemnere posset legitimam dominationem domus David, toties dicendo, ut Scriptura meminit: « Quæ pars nobis in David (*II Reg.* xx), » vel: « Quæ hæreditas in filio Isai? (*III Reg.* XII.)

Non ergo, ait, potestis Deo servire et mammonæ. Hi namque sunt duo domini valde sibi contrarii, sicut veritas et mendacium, sicut justum et iniquum, quia videlicet Deus verus est Dominus, et hic solus jure dominatur. Mammon autem, id est princeps hujus mundi, falsus est dominus, et inique dominatur, et omnino mentitur, de omni gloria mundi, dicens: « Quia mihi hæc omnia tradita sunt, et cui volo, do illa (*Matth* IV), » quia non ipse, sed solus « Excelsus dominatur in C regno hominum, sicut Nabuchodonosor dictum est cœlitus, et cuique voluerit, dat illud (*Dan.* IV). » Istis duobus Dominis nemo potest servire, ambos istos nemo diligere, ambos istos nemo potest odio habere vel contemnere. Si enim Dominum verum diligit, fastum odio habet, ut supra dictus David, qui in psalmo loquitur: « Iniquitatem odio habui, legem autem tuam dilexi (*Psal.* CXVIII). » Si autem falsum diligit, verum Dominum odit, ut Judæi de quibus Salvator: Nunc autem, ait, et viderunt et oderunt et me et Patrem meum (*Joan.* xv); **620** quippe dicunt juxta Isaiæ vaticinium: « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno pepigimus pactum (*Isai.* XXVIII). » Horrisonum est hoc, et ipso auditu nimis asperum quempiam odisse D Deum, et cum diabolo et cum inferno pepigisse pactum, et hoc omnino est impiorum atque desperatorum. Porro unum sustinere et alterum contemnere et non solum sustinere Deum, contemnere autem diabolum, etiam electis interdum accidit, exempli gratia, ut ipsi jam dicto David. Aliquando enim ille diabolum sustinuit, quem nunquam dilexit. Deum autem contempsit, tunc videlicet quando tentatus est, et in Uriam peccavit. « Quare ergo, inquit Dominus, contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris

me (*II Reg.* XII), » etc. Bonum ergo Dominum ipse contempsit, malum sustinens dominum propter emolumentum pravæ delectationis, qui et peregrinus dicitur ille, eo quod longe sit a civitate Dei. Quod enim dictum illic per Nathan, quia dives parcens sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, parabolica locutio est, significans qualiter malum dominum sustineret, bonum autem contempserit. Rursus vero idem David, malum Dominum contemnens ut in omnibus solitus contemnere fuit, præter illum sermonem Uriæ Ethei, bonum Dominum sustinuit, subauditur corripientem, eo quod numerasset populum, et dixit : « Coarctor nimis, sed melius est ut incidam in manus Domini; multæ enim misericordiæ ejus, quam in manus hominis (II *Reg.* XXIV). »

Quoniam ergo non potestis duobus dominis istis servire, ideo dico vobis, ideo suadeo vobis a malo domino, scilicet a mammona, tam longe recedere, ut ne saltem « solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro qui induamini. » Multos enim sollicitudo ista scandalizavit, ut malum dominum sustinerent, et bonum Dominum contemnerent, et non ad horam tantum, sicut scandalizavit tentatio sanctum David, sed usque in finem, sicut Saulem qui ante illum fuit. Ille enim nimium sollicitus de honore sæculi, et de vita præsenti malum dominum non solum vivens invitus sustinuit propter contemptum Domini, verum etiam in fine vitæ suæ volens subiit, consulendo spiritum Pythonis, et comedendo vitulum, quem Pythonissa mulier apposuit (I *Reg.* XXVIII). Alius plus, alius minus a curis hujus sæculi, a sollicitudinibus hujus vitæ scandalizatur. Est quidem licitum, et lege concessum, habere facultates, providere quod domui vel rei familiari necessarium est, inter filios ac nepotes, inter servos et clientes curare, quod dominum vel patrem decet, sed hæc via periculosa est, ne forte, dum quasi ex necessitate cœperis, ad hoc pervenias, ut ex amore servias mammonæ, id est divitiis, et non tu solus [*lege* illis], sed illæ dominentur tibi, et dum putas ire fortiter contra ictum fluminis, victus cupiditatum servus ad inferiora devolvaris. Forte dicis : Si istud perfectionis consilium secutus fuero, si omnibus quæ possideo venditis, et in pauperes erogatis (*Matth.* XIX), te, Christe, secutus fuero, unde esca ? unde vestimentum ? Ad hæc inquam : « Nonne anima plus est quam esca et corpus plus est quam vestimentum ? » Quid majora præstitit, utique et minora præstabit. « Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis estis pluris illis ? » Si ergo volatilia absque cura et ærumnis, Dei aluntur providentia, quæ hodie sunt, et cras non erunt, quorum anima mortalis est, cum esse cessaverint, semper non erunt, quanto magis homines, quibus æternitas repromittitur, Dei

A reguntur arbitrio ? Nonne in psalmo cantatis : « Saturabuntur ligna campi et cedri Libani, quas plantavit; illic passeres nidificabunt. Herodii domus dux est eorum (*Psal.* CIII). » Nolite timere. Sed nominibus et verbis illis de vobis prophetia est, quod Patri vestro cura sit de vobis, cum pauperes, omnibus relictis, nullam habentes sollicitudinem quid manducare aut quo indui debeatis, quasi passeres fueritis effecti, qui non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit eos. Magister enim vester unus est Christus, et hic tanquam herodius, avis magna, et fortis ad devincendum etiam aquilam, reginam avium, quamvis in cœlum volaverit, nihilominus tamen vobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII) Dominus hujus B herodii vita est apostolica quam ipse magister vester Christus exstruxit. Si passeres esse cupitis, si relictis omnibus, hunc Magistrum sequi vultis, domus ejus præcedet volatum vestrum, clamans ad ligna campi, dicens ad cedros Libani, præcipiens potentibus et divitibus hujus sæculi : Expandite ramos vestros, et suscipite passeres istos, effundite thesauros vestros, et pascite voluntarios pauperes istos. Nidificent apud vos passeres isti, construite cœnobia, fundate ecclesias, ubi habitent pauperes isti, ut vacet illis vespere et mane et meridie narrare, et annuntiare (*Psal.* LIV), et exaudiet Deus vocem eorum, tam pro vobis quam pro semetipsis clamantium atque exorantium. Quid ergo de esca vestra solliciti estis, et præ sollici- C tudine hujusce rei tuæ relictis omnibus sequi timeatis ? « Nonne vos magis pluris estis illis ? » subauditur passeribus, quorum per similitudinem vos invitavi ad sapientiam fidei. Homo quippe unus, ad imaginem Dei factus, pluris et plus valet apud Deum, multis et magnis bubalis aut bobus, ne dicam passeribus parvis.

« Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? » Forte enim dicis : Passeres parvi sunt, parvum habent corpusculum, et idcirco de modico pasci possunt; nos autem grandes sumus et idcirco pluribus et grandioribus alimentis indigemus. Dico autem : « Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? » Novi enim vos, quia, dum eru- D bescit alter altero apparere brevior, extendit se quisquis ille vel illa sit, sed quantumcunque extendat, non potest adjicere ad staturam suam cubitum unum; et multum est, si per extensionem possit adjicere palmum unum. Cum ergo dicit, « quis autem vestrum potest cogitans adjicere ad staturam suam cubitum unum, » et tu respondes, nemo, si quidem nemo potest hoc facere cogitans, facit autem annos adjiciens, et proficiens per naturam de infantia in juventutem perfectam, non cogitatione, sed posita a Deo lege naturæ, iterum argueris, quia te grandem fecit, et crescentem ultra quantitatem vel modulum passeris, ipse et es-

cam tibi augere potest ultra quam necessarium sit. « Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent; dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. » Qui passeribus propter voluntariam paupertatem, et cœlestem conversationem, ipsi liliis cæterisque pulchris floribus similes dicuntur in Scripturis propter castitatis pulchritudinem cæterarumque virtutum pulchram varietatem. Hinc Isaias [Sapiens] loquitur : « Audite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium, et date odorem (*Eccli.* XXXIX). » **621** Et in Canticis Christus dicit : « Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias (*Cant.* II). » Et multa in hunc modum. Congrue ergo dum victus atque vestitus interdicit sollicitudinem, ad quorum mittit suos electos considerationem, scilicet passerum atque liliorum, quorum in antiquis Scripturis divina auctoritas ascripserat similitudinem : « Considerate, » inquit, « lilia agri, quomodo, » et cætera quæ ita concludit : « Si enim fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto vos magis, minimæ fidei ? » (*Matth.* VI) Plane multo magis, et subaudiendem est, in regno Dei. Nam ut isto sæculo sic vestiri velimus, pro stultitia reputatur, « quia nec Salomon, » inquit, « in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis (*ibid.*). » Quid porro sibi vult, quod tam acriter edicit, « quanto magis vos, minimæ fidei ? » Aut quid est esse minimæ fidei ? Non enim leviter aut negligenter attendendum est, quod et hic dicit, « vos minimæ fidei, » et alibi collaudat magnitudinem fidei, ut illic : « O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti (*Matth.* XV). » Certos ergo terminos nosse cupiamus, quos cum attigerit fides, magna sit : cum nondum attigerit, parva vel minima sit. Ne longum in quærendo circuitum faciamus, promptum adest signaculum sive indicium magnæ fidei, ubi ad Nabuchodonosor regem dixerunt beati illi tres pueri, eadem hora mittendi in fornacem ignis ardentis : « Ecce enim Deus, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus (*Dan.* III). » In hoc quippe agnoscitur magnitudo fidei, fortitudo fidei, fortitudo fidelis animi, quod cum dixissent, « potens est Deus eripere nos, » addiderunt : « Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia non colimus, non adoramus deos tuos. » Secundum quorum exemplum quicunque dicunt : Potens est Deus, quem colimsu, pascere nos, quoniam et passeres pascit : potens Deus vestire nos, quoniam et fenum, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, sic vestit, et adhuc adjiciunt : quod si noluerit pascere vel vestire nos, nihilominus tibi, o Mammon, nequaquam serviemus, imo relictis omnibus, ipsum sequemur, non solliciti quid manducemus, aut quo induamur : nimirum isti magnæ sunt fidei, quia fides illorum in futurum sæculum totam se extendit.

Econtra, minimæ sunt fidei, qui scandalizantur, nisi a cunctis protegantur, vel defendantur adversis, cunctisque fruantur prosperis, nec putant quod de ipsis Deo cura sit, vel quod ulla sit providentia Dei. « Et dixerunt, » ait Psalmista, « Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso ? Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis (*Psal.* LXXII). » Tales quique quoniam de victu vel vestitu nimium sunt solliciti, et murmurant nisi fuerint saturati, in ipsa professione perfectorum, qui relictis omnibus Christum sequuntur, recte dicunt r minimæ fidei, congruitque his illud quod quibusdam ad se venientibus ipse dixit : « Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis, et saturati estis (*Joan.* VI). » Certos igitur magnæ fidei, certos minimæ fidei terminos invenisse nos arbitramur : quia videlicet hæc dicit, et sentit simile quid illi dicto beati Job : « Etiam si occiderit me, in ipso sperabo (*Job* XIII). » Hæc autem tale quid ut est hoc : « Timeo et non possum exire de Ægypto, ne aquæ penuriam patiar et sitiam in deserto (*Exod.* XVII). » Magna res et utilis est, quam nobis intimare molitur, et idcirco non semel dixisse contentus, iterum ac tertio repetit hoc ipsum dicens : « Nolite ergo solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primnm regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua (*Matth.* VI). » Quia valde utile est et necessarium hoc unum, quod est sabbatizare vel requiescere in studio sive contemplatione Verbi Dei, quæ optima pars est, quam, ut ait ipse Dominus, Maria elegit (*Luc.* X), idcirco, ut jam dictum est, non tantum semel, sed et iterum ac tertio sententiam repetivit de abjiciendo gravi onere sollicitudinis quam venter indicit, et occasio plerisque miseræ servitutis, ut servientes Mammonæ, Deo servire non possint.

Ubi secundo dicit, « nolite solliciti esse, » duas rationes continuo subjungit : « Hæc enim omnia gentes inquirunt, — scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. » Altera terrore compescit, altera plena est consolationis. Quid est enim dicere, « hæc omnia gentes inquirunt, » nisi ac dicatur, « eritis gentibus similes, quorum deus venter est (*Philipp.* III), » si sollicitudini huic, quam interdico, postponitis Deum ? Cum enim dicit, « hæc omnia gentes inquirunt, » pariter subintelligendum est, et præter hoc sæculum nihil ampslius quærunt.

« Promptuaria eorum plena sunt, » ait Psalmstas redundantia ex hoc in illud : non est ruina maceriæ, neque transitus neque clamor in plateis eorum, et beatum dixerunt populum cui hæc sunt (*Psal.* XLIII). » Hæc enim tanquam beatitudinem summam quærunt. Hæc ergo sententiam veluti jurgio nos percutit : et deinde, quoniam victu et vestitu indigemus, volens nos omnem sollicitudinem nostram projicere in eum, quoniam ipsi cura est de nobis, « scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. » Scit, inquam, et bene scit. Quid enim ille nescit? Causam quoque ipse scit propter quem evenit istud quod omnibus his indigetis. In paradiso erant patres nostri, sola innocentia bene vestiti, et non indigebant pane, quo nunc in sudore vultus vestri vescimini, sufficienter solis impleti pomis paradisi. Prævaricati sunt oculis concupiscendo et ore comedendo fructum ligni vetiti (*Gen.* III), et ex tunc omnibus his indigetis, victu ad repellendam famem, vestitu ad abigendum frigus et tegendam turpitudinem. Nunquid vero solummodo scit quia indigetis, et non etiam vult, cum sit Pater vester, ea providere quibus indigetis? Nunquid voluntas deest illi, nisi vos murmuraveritis, et murmurando compuleritis, ut velit? Hæc enim paterna ejus providentia testimonium habet ex aliis multis Scripturuaram locis, quod circa justos, et perfectæ fidei viros semper adsit, et nunquam eos derelinquat, et ibi magis utatur virtute sua, virtute inusitata, ubi humana sibi providere nullatenus potest industria. Exempli gratia : Etiam alibi Dominus per angelum, alias rapaces quoque corvi, alibi vidua de parva farinæ hydria pavit (*III Reg.* XVII, XIX), Elisæus paucos habens panes : « Da, inquit ad puerum, populo ut comedat, et comederunt, et superfuit juxta Verbum Domini (*IV Reg.* IV). » — « Quærite ergo, ait, primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. » Quid est regnum Dei, nisi verbum Dei? Nam per quod facta sunt omnia (*Joan.* I), per ipsum Verbum reguntur omnia, et in hoc servire, utique regnare est. Quoties ergo **622** ad audiendum, sive tractandum verbum Dei convenimus, quoties lectiones sanctas legimus, aut libenter audimus, et eas opere adimplere studemus, toties quærimus regnum Dei et justitiam ejus. Et hic quidem dum vivimus, quærimus et quærere possumus, invenire autem ad plenum, nisi post hanc vitam non valemus. Thesaurus est hoc Dei regnum in agro absconditus (*Matth.* XIII), thesaurus in agro litteræ legalis atque propheticæ, litteræ magna ex parte parabolicæ, sive ænigmaticæ, diligenter clausus atque signatus. Hunc thesaurum invenire est, Scripturas sacras intelligere et præ gaudio thesauri omnia vendere et emere agrum, hoc est, præ delectatione cœlestium bonorum, vel regni cœlorum, quale in sanctis Scripturis promittitur, omnem sollicitudinem abjicere secundum hoc præsens evangelicum consilium, solumque earumdem amplecti studium Scripturarum, ut semper homo sit expeditus ad Verbum Dei tractandum,

A sive audiendum : « Hoc facite primum, et hæc omnia, inquit, adjicientur vobis. » O quantos studium hujusmodi non solum usque ad sufficientiam horum, scilicet victus et vestitus, verum etiam usque ad amplissimos honores cito provexit! « Super salutem et omnem pulchritudinem, » ait quidam, « dilexit sapientiam, et proposui pro luce habere illam. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa (*Sap.* VII). » — « Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi. Sufficit diei malitia sua. »

Jam semel et iterum dixerat, « nolite solliciti esse. » Quid adhuc tertio repetit, nisi quia magnum est negotium quod intendit, et difficile valdeque operosum est evellere de profundo cordis nostri hanc B radicem amaritudinis, radicem cupiditatis? Et nota quam terribiliter hac tertia repetitione sollicitudinem interdicit. Cum enim dixisset. « Nolite ergo solliciti esse in crastinum, » protinus ait : « Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. » Audiat hoc homo ille dives, vel quicunque similis ejus, cui, cum fructus uberes ager suus attulisset, cogitabat intra se dicens : « Quid faciam quod non habeo quo congregem fructus meos? et dixit : Hoc faciam, destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona, reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare (*Luc.* XII). » Multum ille de crastino sollicitus erat, qui sollicitudinem suam tam delectabiliter in annos plurimos extendebat. At vero crastinus dies, non futu- C rum dico tempus breve aut longum, pro quo solet dici cras, ut illic : « Et respondebit mihi cras justitia mea (*Gen.* XXX), » sed crastinus dies, ut vulgo dici solet dies, qui noctem proximam subsequitur secundum occasum et ortum solis, qui quotidianus est, sollicitus erit sibi ipsi. Nam sequitur : « Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem parasti, cujus erunt? » (*Luc.* XII.) Puta quod dixerit : Stulte, quid sollicitus est non dico in annos plurimos, sed in diem crastinum? Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Quod idem videtur esse, ac si dicatur illi : Crastinus dies alia sollicitudine plenus erit, non tibi, sed sibi ipsi, nec tibi concedet status diei crastini, diei mali, quidquam habere rationis, ne dicam sollicitudinis, D quia, sicut Ecclesiastes dicit, « nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* IX), » hac nocte anima tua abste repetita. Dira occupatio, quæ totum hominem sic involvit, ut nec rationis, nec scientiæ, nec sapientiæ solatium quærere vel admittere possit. Aliter : Crastinus dies, id est, ille qui crastino die venit, sollicitus erit vel esse poterit, sive in eo, ut habens Moysen et prophetas audiat illos (*Luc.* XVI), sive in eo ut majora sibi facere cogitet horrea sicut tu cogitasti. Quod si cogitaverit, dicetur et fiet illi, sicut dictum est et factum illi qui præcessit, sive tibi, sive alii : « Stulte, hac nocte repetent animam tuam abs te;

quæ autem parasti, cujus erunt? » Nam quotusquisque est servorum mammonæ, qui non etiam pridie quam anima ejus ab ipso repetatur, et sub ipso fere mortis articulo in annos plurimos male perseverat sollicitus.

Cum multa his similia de die crastino possint dici, et a prioribus nostris dicta sint, sensus anagogicus magis placet, et expeditius procedit. Nam juxta anagogen dies crastinus, dies malus et maledictus est, diei præsenti oppositus, diei quem benedixit Dominus, de quo in David loquitur Spiritus sanctus: « Hodie si vocem ejus audieritis (*Psal.* XCIV); » cujus meminit Apostolus his verbis: « Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus, hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra. Videte, fratres, ne sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendo a Deo vivo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis (*Hebr.* III). » Ac deinceps: « Et quidem ab operibus ab institutione mundi factis, dixit quodam loco de die septimo sic: Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis; » et in isto rursum: « Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo hi, quibus prioribus annuntiatum est, non introibunt propter incredulitatem, iterum determinat diem quemdam, hodie dicendo in David (*Hebr.* IV), » et cætera.

Huic hodierno diei, quem benedixit, et in quo requiescit Deus, contrarius est dies ille crastinus, scilicet diabolus sive mammon, contra quem dixerat supra: « Nemo potest duobus dominis servire, non potestis Deo servire et mammonæ (*Matth.* VI). » Nam quem alium diem putas esse diem illum, quem maledicit sanctus Job? « Aperuit enim os suum Job, et maledixit diei suo, et locutus est: Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, et non sit in recordatione, et non illustretur lumine (*Job.* III), » et cætera. In illo namque die nascitur omnis homo, quia nascitur in peccato, vivit in peccato, et moritur in peccato, nisi visitetur a die isto, die hodierno, sancto et benedicto, et ab hoc visitatus sive illustratus, mutet originem, renovet nativitatem, ut natus in Adam, renascatur in Christo; mortuus peccato vivat Deo. Dicitur autem dies ille crastinus eo quod interveniente iniquitatis nocte, ab isto die hodierno sit omnino separatus. Porro non vere est, sed dicitur et videri vult ille dies, nam revera nox est. Propterea sanctus ille maledicens, hoc utrumque dicit: « Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. » Nunc jam dicendum, quomodo sit vel non sit sollicitus quis in illum diem crastinum, quomodo ille dies sibimetipsi sit sollicitus, et quomodo sufficiat ei malitia ejus. Nam hæc tria dixit Dominus; « Nolite ergo solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi, sufficit enim diei malitia sua. » Sollicitum esse in illum diem crastinum, est servire mammonæ, servire cupiditatibus, diligere mundum et ea quæ in mundo sunt. Quod idcirco recte prohibetur, quia sicut profecto nemo potest utrumque præsentem et crastinum diem simul videre, ita nemo potest mundum simul et Deum diligere, Deo servire simul et mammonæ. Quam ob causam? « Crastinus enim, inquit, dies sollicitus erit sibi ipsi. » Quid est, crastinus **623** dies sollicitus erit sibi ipsi? Nimirum diabolus mammon, sive princeps hujus mundi, nihil Deo de sua sollicitudine communicabit, nihil cum Deo commune habebit. Et quidem si ita dixisset, sollicitus est sibi ipsi, id est esse videretur, sed futuro tempore dictum, sollicitus erit, hoc plus habet, quia sempiternitatem innuit divisionis sive separationis, quia, sicut nunc est, ita semper et in æternum a Deo divisus et separatus erit, et absque ullo fine seorsum quæret, quæ sua sunt, non quæ sunt Dei (*Philipp.* II), nec ulla unquam respectione Deo cupiet rursus confœderari. Unde hoc illi? Unde tanta separationis perseverantia? Ait: « Sufficit diei malitia sua. » Quomodo vel in quo sufficit huic tali diei malitia sua? Videlicet in eo, ut dicat: « Nullius egeo, Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi, et ero similis Altissimo (*Ezech.* XXVIII; *Isa.* XIV), » et cætera his similia. Igitur « sufficit, ait, diei malitia sua, » id est, hoc superbiæ videtur quod sibi sufficiat. Humilitas autem dicit: « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III). » Et alibi: « Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI). »

Cap. VII. — « Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. » Non mandatum novum est hoc, sed mandatum vetus quod ab initio audivimus. Nam per Mosen dixerat hoc idem Dominus: « Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum (*Levit.* XIX). » Denique quod de judicii odio Dominus hic dixerit: « Nolite judicare, ut non judicemini, » et cætera quæ jam dicta sunt protinus manifestat, cum dicit per similitudinem hujusmodi: « Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem quæ in oculo tuo est non vides. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. » Igitur quod dicit. « Nolite judicare ut non judicemini, » hoc dicere est, nolite in judicando habere odium in cordibus vestris. Nam ut omnino non judicemus, sive arguamus vel corripiamus, et evangelica simul et legalis repugnat auctoritas: Legalis, ut eodem capitulo protinus, cum dixisset, « ne oderis fratrem tuum in corde tuo, » subjunxit, « sed publice argue eum, » subauditur hac intentione, ut velis eum lucrari, quod non est odii, sed dilectionis; evangelica, ut illic: « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit lucratus eris, fra-

trem tuum; si autem te non audierit, adhibe adhuc **A** unum tecum vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. » Quod si nec eos audierit, dic Ecclesiæ (*Matth.* XVIII). Simul et hoc evangelica supplevit auctoritas, quod in legali minus apparebat, quia videlicet legalis hoc tantum dixit, « sed argue publice; » evangelica vero perscripsit quali ordine debeas ad hoc pervenire, ut arguas publice, sive dicas Ecclesiæ peccatum quod non est publice admissum, sed te solo sciente. Cavendum est ergo judicium quod ex odii radice procedit, et si non amore justitiæ, at saltem metu vicissitudinis justæ, quam protinus subjungit: « In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. » Etenim si per odium non causæ, sed personæ judicaveritis, judicabimini et vos, judicio non dilectionis, sed odii Dei, qui odit **B** omnem odiose judicantem, imo et « omnes odisti, inquit Psalmista, qui operantur iniquitatem (*Psal.* V). » Verumtamen hæc et cætera fere omnia maxime contra Scribas et Pharisæos hypocritas dicuntur, ut ab illorum similitudine quam longissime recedant, qui discipuli veritatis esse volunt, et Christiano nomine censentur. Illi namque tunc temporis male judicabant, et iniqua mensura metiebantur, peccatores et publicanos condemnantes, et ipsum Dominum reprehendentes pro eo quod illos suscipiebat, seque conjungebat illis, et dicebant: « Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis (*Matth.* IX), » et his similia. Profecto ipsi potius erant judicandi, quia peccatum illorum tanto majus erat peccato publicanorum et meretricum, quanto magnitudo trabis parvitate festucæ major est. Proinde cuilibet **C** eorum aptissime dicit: « Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? » Huic simile hoc est: Quid ignorantiam publicani detestaris, ut dicas, verbi gratia: « Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt (*Joan.* VII), » non attendens odium quod in corde habes, quia vidisti et odisti et me et Patrem meum? (*Joan.* XV). Non solum me vel Patrem meum, verumetiam qualemcunque fratrem odisse, hoc est trabem in oculo habere. Quomodo ergo dicis fratri tuo: « Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo? » Et forte quod vides, aut videre te putas in oculo fratris tui, non festuca, sed festucæ umbra est, tu autem male vides, et male discernis, quia trabem in oculo tuo non vides. **D**

Sed esto, ut veraciter festuca sit in oculo cujuscunque fratris, festuca iræ repentinæ, sive concupiscentiæ subito irruentis, sicut fuit in oculo David, quando iratus propter maledicta Nabal, semetipsum ulcisci voluit (*I Reg.* XXV), quando uxorem Uriæ Ethæi lavantem se de solario prospiciens, vidit et concupivit (*II Reg.* XI). Tu cum sis quasi Semei, quomodo de ejusmodi festucis judicare vel consilium dare poteris, aut istud conveniet tibi tantam habenti in oculo tuo trabem odii, ut maledicens et lapides mittens, terramque spargens dicas tale quid ut est hoc: « Egredere, vir sanguinum et vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem, quem effudisti (*II Reg.* XVI). » Nempe etiam si mitius loquaris, cum tua trabe inveterati odii, ut dicas tale quid, ut est hoc: « Increpationem ergo ne reprobes Domini, quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt (*Job.* V); sive illud: « Non ergo te superet ira, ut aliquem opprimas, nec multitudo locorum [*al.* donorum] inclinet te (*Job.* XXXVI). » Dicitur tibi: « Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. » Denique, quia sapiens Abigail, uxor Nabal insipientis et stulti, trabem ejusmodi non habuit in oculo suo, idcirco perspexit et perspicere potuit qualiter ejiceret festucam de oculo David repente irati, quod et fecit ratione hujuscemodi: « In me sit, ait, domine mi, hæc iniquitas, » et cætera usque: « Cum ergo fecerit tibi Dominus domino meo omnia quæ locutus est bona de te, non erit tibi hoc in singultum et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris (*I Reg.* XXV). » Ille namque purgato statim oculo, id est sedato iræ impetu, dixit ad Abigail: « Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, et benedicta in quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea (*Ibid.*). » Unde illa secundum nomen suum Abigail, quod interpretatur *patris mei exsultatio*, memorabile exemplum esse debet omni animæ fideli, quatenus studeat paci, et reconciliet, sive mitiget iratum quemcunque potest, ante effectum vel opus peccati, quod ira suggerit, quod studium revera est Patris altissimi. Item, propheta Nathan, quia trabem illam in oculo suo non habuit, idcirco perspexit et perspicere potuit graliter festucam peccati quod per concupiscentiam commiserat David in uxorem **624** Uriæ Ethæi, educeret de oculo ejus, incipiendo ita quasi de alio loqueretur, et ab hoc illum suaviter perducendo, ut diceret ille pœnitens: « Peccavi Domino (*II Reg.* XII). » Porro supra dictus Semei, quia magnam habebat in oculo suo trabem odii, non solum non eduxit festucam, quasi [*lego* quæ] tunc erat in oculo David, verumetiam zeli justi longævum sive diuturnum injecit ignem, ut mox dormiturus cum patribus suis, diceret ad Salomonem filium suum: « Quia descendit mihi in occursum cum transirem Jordanem, et juravi ei per Dominum dicens: Non te interficiam gladio, tu noli eum pati esse innoxium. Vir autem sapiens es, et sciens quæ facias ei, deducesque canos ejus cum sanguine ad infernum (*III Reg.* II). »

LIBER SEPTIMUS

Experimento didici, sed hoc ipsum timens confiteor, confitens timeo, quia didici et expertus sum quidpiam, licet exiguum, de modo quodam locutionis, quo dilectus sanctis et dilectis loqui solet animabus, sicut audivimus in Canticis, dum quælibet illarum dicit : « En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, et dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni (*Cant.* II). » Item hoc ipsum repetens, « Surge, amica mea, speciosa mea, » ita subjungit : « Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis et facies tua decora (*ibid*). » Et quæ me necessitas cogit istud confiteri, qui tale quid experimento didicerim? Existimo nonnulla, quia peccat aliquis, dum pene scandalizatur in me, hoc ipsum qui scribo, qui Scripturarum mysteria pertracto, præsumptioni reputans, et vanæ gloriæ, et subsannando quæritans, quid opus sit ut scribam istis, cum sancti Patres tam multi ante nos tam multa tamque sufficientia scripserunt. Quid igitur ? Scribam ne etiam illud experimentum dilecti, quomodo dicat, « surge, propera, » quomodo dicat, « sonet in auribus meis vox tua ? Vere non ausim, sed hoc tibi, o amice, qui et ipse me ad scribendum sæpe hortaris, in aurem dicere non veritus sum, nec verebor, si iterum audire volueris. Cæteris dico et hoc dixisse satis sit, quia revera etiam si tacere sive a scribendi studio cessare voluero, non valeo, et hoc non concedi mihi scio et bene sentio, et hoc gaudeo. Veracem esse didici, si virtutem discretionis habuisset, amicum beati Job, ubi dixit : « Sed conceptum sermonem tenere quis possit (*Job.* IV), et quidem conceptum sermonem superfluum sive malum non posset tenere, vitiosum est et stultum juxta illud Sapientis : « Sagitta infixa in femore carnis, sic verbum in corde stulti (*Eccl.* XIX), sed econtra conceptum sermonem bonum et necessarium non posse tenere, gloriosum, quemadmodum Hieremias tenere non valens, cum dixisset : « Et factus est mihi sermo Domini in opprobium et in derisum tota die, et dixi : Non recordabor ejus, neque loquar, in nomine ipsius (*Jer.* XX), » ita subjunxit : « Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens (*ibid.*). » Verumtamen quomodocunque volunt præsentes de nobis judicent, futuri clementius judicabunt. « Dum enim vivimus, ait vir illustris Hieronymus, et vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmulorum opprobria, Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos qui scribimus, quam eos qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit, et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens silva succreverit, tunc sine nominum dignitate sola judicantur ingenia. Nec considerat qui lecturus est, cujus vel quale sit quod lecturus est, sive ille episcopus, sive sit laicus, imperator et Dominus, aut serico, aut in vilissimo miles et servus, aut in purpura panno jaceat, non bonorum diversitate, sed operum merito judicabitur. » Nunc cœpta prosequamur.

« Nolite sanctum dare canibus neque mittaris margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi elidant vos. » In doctrina sua servus Domini, scientiam habens Scripturarum, unde et dicitur « scriba doctus in regno cœlorum (*Matth.* XIII), » magnam habere debet temperantiam, maximeque illi congruit attendere locum, tempus personam. Nam si absque consideratione horum sermonem effundat intemperans doctor, immoderatus prædicator, sæpe contingit illi dare sanctum canibus, et mittere margaritas suas ante porcos. Nonne etiam plerosque illorum, qui margaritas de quibus agitur, diligenter pro tempore et loco absconderunt canes et porci, id est homines immundi et protervi, injuriose discusserunt ac perscrutati sunt, et concultatis margaritis, ipsos diripuerunt? Multos enim occiderunt, quam plures persecuti sunt, non ut ipsi margaritas haberent, sed ut margaritæ ipsæ nusquam comparerent. Magnum cautelæ hujus exemplum primus ipse, qui hæc loquitur, in facto suo præbuit, quia videlicet Scripturam suam ita condidit, ut ab omnibus vel a quibusque posset intelligi. Non ei sufficere visum est, quod labium, quod omnibus unum erat, et sermones quos eosdem habebat omnis terra, confundit in constructione Babylonicæ turris (*Gen.* VI), atque ita removit omnes gentes a lectione Scripturarum, quas erat traditurus uni scilicet Hebrææ genti. Nam et in illa Dei gente unica, quæ legem accipiebat, qui credebantur eloquia Dei, non defuerunt nec defuturi erant porci vel canes hujusmodi, margaritis cœlestium sacramentorum indigni, et quibus omne sanctum non deberet dari, quod fieret **625** vel factum esset, si nudo sermone absque figuris et ænigmatibus lex et prophetæ fuissent elocuti. Proinde igitur talem Scripturam condidit, quæ non facile posset intelligi quo tenderet, vel quale contineret mysterium regni Dei : et sicut ipse tunc fecit, ita docet cum dicit : « Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. » Quare ? « Ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi elidant vos. » Duplex causa est, videlicet ne et margaritis fiat injurir, et nobis vitæ periculum sive mortis occasio nostra indiscretio fiat. « Petite et dabitur vobis : quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur. » Nil ergo obest aut oberit sancto gregi hu-

milium, quod porcis et canibus margaritæ absconditæ sunt,et quod propter canes omne sanctum intus repositum est.Nam « qui habet clavim,imo qui, ipse est clavis « David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit (*Apoc.* III), » semper præsto est, qui et sicut novit quibus vel qualibus claudendum, ita et optime scit qualibus sit aperiendum, qualibus dandum.Petendo, quærendo et pulsando, semetipsos manifestant hi qui digni sunt.Hic fortitudine opus est. Qua fortitudine ? Illa nimirum vel simili illi, qua pater fortium Jacob cum angelo luctatus est,et victor existens, dicenti sibi : « Dimitte me, non dimittam te, ait, nisi benedixeris mihi (*Gen.* XXXII). » Et benedixit ei in eodem loco. Qualis ergo fuit illa fortitudo? Quid senserat ipse qui dixit : « Quoniam si contra Deum fortis fuisti,quanto magis contra homines prævalebis ? (*ibid.*) » Nimirum fortitudo illa gemitus fuit inenarrabilis,fletus fuit spiritus contribulati, et rogatus cordis contriti et humiliati, quo et Moses eumdem Deum dicentem : « Dimitte me (*Exod.* XXXII),» tenere potuit.Denique et hoc testatur Osee, imo et ipse Deus loquens in Osee ; qui cum dixisset de illo : « In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo,et invaluit ad angelum,et confortatus est (*Ose.* XII), » addidit dicens : « Flevit et rogavit eum (*ibid.*) » Igitur humili fortitudine,forti humilitate hic opus est, ubi sanctum absconditum et in littera obfirmata clausæ tenentur margaritæ sensuum cœlestium.Et sicut ille Jacob luctatus est cum illo angelo, in quo sine dubio Deus erat,qui et victum se fatebatur, ita luctari debet verbi Dei amator cum sermone vel scriptura quæ est ex Deo, nec dimittere antequam vincat vinci volentem, sensumque comprehendat utilem in littera latentem. Lucta enim pulcherrima est, tandiu perseverare petendo,donec inveniat pulsando,donec sibi aperiatur. Quantum sibi placeat hujusmodi lucta, quam veraciter vinci cupiat ipse,qui reluctari videtur,dum non citius aperit,nos animadvertere vult, cum protinus dicit :

« Quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem dabit illi ? aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei ? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se. » Argumentum hoc suam habet intentionem, nec dubium est hanc esse, ut non simus filii diffidentiæ propter hoc, si Pater vester petentibus dare et pulsantibus distulerit aperire. Non vult hoc Pater,sed istud potius, ut ubi magis clausum est, ibi magis te exerceas, spemque tuam in exercitio robores ex ea consideratione quia Pater est, et cum differt dare sive aperire, idcirco differt ut experiaris quia nihil habes quod non acceperis et non in teipso glorieris, tanquam sufficiens tibi sis (*I Cor.* IV) quæ gloriatio fuit vel est maligni, sed cogites et loquaris secundum exemplum Apostoli,qui dixit : « Fiduciam autem tandem habemus,non quod sufficientes sumus cogitare ali-

A quid a nobis quasi ex nobis,sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III). » — « Si ergo vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester ? Et qualis Pater ? Utique bonus, et solus bonus (*Matth.* X), cujus comparatione vos omnes mali estis, et nihil boni, nisi ex accidentali dono ejus habetis.Adam pater utique malus,quippe qui et se et omnem posteritatem suam morti addixit, hic tamen filio suo petenti panem non daret lapidem, petenti piscem non porrigeret serpentem. Herodes quidem, sub quo natus est hic ipse Dominus,qui hæc loquitur,filiis suis plus quam lapidem,scilicet mortiferum præbuit ensem,sed hoc non fecit petentibus panem aut piscem, imo, ut videbatur sibi,Patri machinantibus mortem.« Quanto B magis, inquit, pater vester » vobis ad intelligendam Scripturam, quæ vere est panis,petentibus apertionem cordis, nequaquam econtrario faciet, ut cor obtusum et lapideum det vobis ? Similiter si petieritis piscem,id est si legentes volueritis cognoscere Christum, cujus sacramentum quodammodo ita latet in Scriptura legali atque prophetica, sive piscis in aqua,nequaquam porriget vobis serpentem,inducendo vos in errorem et sensum a Christo,quem in Scripturis pio quæritis desiderio, longe recedentem. Non est hoc suum,ut, petentibus Spiritum veritatis spiritum det erroris.Apud alium evangelistam adhuc scriptum est : « Aut si petieritis ovum nunquid porriget illi scorpionem ? » (*Luc.* XI). De hoc dicere delectat, quia sancti omnes antiqui, sicut panem Verbi C Dei,et sicut piscem,id est Christum,petebant et quærebant,ita et ovum a Patre misericordiarum desideratissime postulabant, et prophetica oracula sine dubio dandum esse confirmabant. Quod vel quale ovum ? Illud nimirum, cui Spiritus sanctus obumbrare dignaretur, superveniens in illud in modum volucris,ovo suo supersedentis, donec pullus in eo formetur.Sic enim futurum erat, et sic factum est. Spiritus sanctus,o beata Virgo Maria,supervenit in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi (*Luc.* I), et ita concepisti et peperisti Filium volucrem, id est non terrenum sed cœlestem, non carnalem sed spiritualem, quamvis veram carnem et terrenum corpus habentem. Hujusmodi ovum petebant sine dubio priores filii, maxime qui non solum fidem, verumetiam propretiam habebant tanti sacramenti. D Exempli gratia, « Qui, » ut supra jam dictum est, « luctabatur cum viro usque mane,Nec dimittam te, ait,nisi benedixeris mihi (*Gen.* XXXII), » sine dubio benedictione illa, ut de stirpe mea fiat illud ovum, ut obumbrante sancto Spiritu femina circumdet virum (*Jer.* XXXI). Nos quoque dum de Scripturis diligenter et desideranter quærimus testimonium, ut certo sciamus quod ita jam sit factum, profecto Patrem petimus ovum, nec Pater nobis porriget scorpionem, ut de beata Virgine quidquam suspicemur quod sit contra veritatem, quod pertineat ad ad hæreticam pravitatem.

« Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis

homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et prophetæ. Intrate per angustam portam, quia lata spatiosa via est quæ ducit ad perditionem. Et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam! Et pauci sunt qui inveniunt eam. » Ergo, inquit, quoniam in Patre vestro promptum est bona petentibus dare, petite rationabiliter, quærite sapienter, pulsate prudenter. In quo? In eo videlicet ut « quæcunque vultis ut faciant **626** vobis homines, et vos faciatis eis. » Si enim vos non dederitis, quo jure dabitur vobis? Si non demiseritis, qua rectitudine dimittemini? Facite ergo ut dixi. « Hæc est enim lex et prophetæ. » Hæc tota est summa illorum: « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* XXII). » Hinc Apostolus: « Qui enim diligit proximum, legem implevit: Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces; et si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Plenitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII). » Quam laboriosum hoc est carni, et sanguini? Hæc enim regula: « Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis; sive, « Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris, » usque ad inimicum hominem se extendit: Nonne tu vis, ut inimicus tuus, si te invenerit, parcat tibi, sicut David pepercit Sauli? Ergo et usque ad inimicum hæc regula se extendit, præsertim quia Sapientia dicit, et Apostolus meminit: « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere (*Prov.* XXI; *Rom.* XII). » Et Dominus: « Benefacite his qui vos oderunt (*Luc.* VI). » Quam laboriosum, inquam, hoc est! Ait ergo: « Intrate per angustam portam. » Non negat esse laboriosum, qui hæc dicit, « Intrate per angustam, » etc. Sed qualibus angusta est hæc porta, et arcta hæc via? Utique superbis et timidis, qui multi fuerunt et sunt. Tales per latam et spatiosam viam ierunt in perditionem. Nunquid mitibus et humilibus similiter hæc porta angusta et arcta est hæc via? Non utique, sed sicut dicit eis: « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI), » ita veraciter dicat eisdem, porta mea vita mea, et si incipientibus angusta videtur et arcta, postmodum talis invenitur, ut dicas illud quod dicebat Psalmista, hujus habens experimentum: « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum (*Psal.* CXVIII). »

« Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » Hic prudentia opus est, prudentia spiritus, quæ una est ex divisionibus gratiarum; est enim discretio spirituum (*I Cor.* XII). Neque enim absque gratia ista falsi prophetæ cognosci possunt, quia duplices sunt, introrsum turpes, speciosi pelle decora; intrinsecus lupi rapaces, extrinsecus quasi oves simplices, omnem humilitatem et mansuetudinem mentientes. Tales olim venerunt et venturi erant ad subvertendum, si fieri possit, pariter et Novum Testamentum. Unde sumenda discretio sive discretionis hujus certitudo? « A fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. « Fructus eorum opera sunt. Possunt enim cognosci et dijudicari ex verbis suis. Hic, ut jam dictum est, prudentia opus est, quæ armata sit verbo Dei, et oculata oculis scientiæ Scripturarum, quales laudantur in Canticis, quod sint sicut columbæ residentes « super rivulos aquarum juxta fluenta plenissima (*Cant.* V). » Quidquid dicat quis, conferendum est cum Scripturis, quas non ab homine, neque per hominem, sed a Spiritu sancto per revelationem Jesu Christi acceperunt, ut loquerentur et scriberent homines sancti; et « licet nos, ait Apostolus, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter id quod accepistis, anathema sit et iterum anathema sit (*Gal.* I). » Hoc dictum, hæc sententia similiter omnium illorum est, qui neque ab homine, neque per hominem acceperunt, sed per Spiritum sanctum, unde et scripturæ illorum omnes solæ canonicæ dicuntur et sunt. « Si quis, » ait Joannes in calce suæ Apocalyseos, et alii cuilibet prophetarum et apostolorum dixisse congrueret, « si quis, ait, adjecerit supra hæc, adjiciet Deus supra illum plagas quæ scriptæ sunt in libro hoc, et si quis diminuerit de verbis prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ (*Apoc.* XXII). » Sed jam ipsa Domini verba sequamur. « A fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. Mala autem arbor frnctus malos facit. Nan potest arbor bona fructus malos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. » In his omnibus sensum quidem habemus evidentem, sed principalem quærimus intentionem. Boni anditoris officium est animadvertere, cœlestis orator non solum quid dicat, verumetiam quid maxime intendat. Est itaque hic sensus vel hæc intentio in istis verbis ejus. Sicut discernere scitis lignum unde ficum vel uvam colligitis, quod spina vel tribulus aut mala arbor non sit, ita et me, cujus ex ore veritatem simul et opus veritatis accipietis. Exempli gratia, cum dico cuidam centurioni: « Vade, et sicut credidisti fiat tibi (*Matth.* VIII)! » itemque cuidam alii: « Vade, quia filius tuus vivit (*Joan.* IV), » cum dicam cuidam leproso: « Volo, mundare (*Luc.* V), » et statim fit, et multa alia multo majora his, me, inquam, per hæc discernite a falsis prophetis, quia non potest utrumque esse, ut et de corde meo confingendo, et falsum loquendo in nomine Domini, arbor mala sim, et fructus faciam tam bonos, ut vos ipsi sentitis quia multa bona opera operor in medio vestri. Ecce loquor « in nomine Domini (*Deut.* XVIII), » scilicet profitendo quod Dominus nomen meum sit, vel quod non semper me, sed in me sit nomen Domini, teste Domino Patre meo, Patre Deo, cum dicit de me quodam loco sic: « Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum

peccaveris, et est nomen meum in illo (*Exod.* xxiii). » Sic, inquam, loquor « in nomine Domini,» ut profitear quod Dominus nomen meum sit, et quod de prophetis ego propheta magnus dominando prædicaturus sim. Dico enim :

« Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi enim dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos. Discedite a me qui operamini iniquitatem. » Ergo et Dominus et invocantium me Dominum, judex ego sum, adeo tutus et dominationis meæ compos ipse, ut cavendum sit his qui invocant me Dominum, ne indigni judicentur a me, quem invocant, ipsa hujus nominis mei invocatione. Mira assentationis repulsio, qua plurimum delectari solent, maxime in initiis suis « reges gentium, et qui dominantur eorum (*Joan.* xviii).» Nam quotus quisque tunc erat, qui jam sciret dicere illi. « Domine, Domine, » nisi forte qui curatione indigebant et virtutem ejus sentire incipiebant. At ipse de talibus non curans, quoniam in hoc natus erat, et ad hoc venerat in mundum, ut testimonium perhiberet veritati (*ibid.*), id est sibimetipsi : « Ego enim sum, ait, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater (*Joan.* viii), » ita loquebatur, ut erat dignum se, scilicet jam cum potestate magna et majestate. Unde postmodum evangelista : « Admirabantur, inquit, turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ eorum et Pharisæi (*Matth.* vii) : » Non, inquam, sicut Scribæ et Pharisæi, quia videlicet non eum delectabat assentatio vel adulatio hæc, ut vocaretur ab hominibus Rabbi. Illi et similes eorum quicunque alii, quam vel qualem **627** in docendo habent potestatem ? popularis auræ servi, gloriosæ cupiditatis, qui totum curant de opinione sermoni sui, de profectu audientium nihil. Vere impotes, vere nullam potestatem habentes, quos si laus ventosa perflaverit, tristes extenuantur. Iste, qui lucrum solum quærit animarum, et claritatem ab hominibus non accipit, magister et exemplum omnium, qui non suam, sed Dei gloriam quærunt (*Joan.* v), facit prior ipse quod doceat, assentationem tam præsentium quam futurorum repellens, et dicens : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlerum. » Pater ejus una est persona, quæ in Psalmo dicit de isto Filio suo, Verbo suo : « Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* xliv) : » nobis autem adoptionis filiis Pater est unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Unde animadvertendum quia fere ubicunque absque determinatione possessivi hujus pronominis *meus*, vel *mei*, dicit Pater vel Patris, ea quæ loquitur, minora sunt majestate suæ divinitatis, ut illic : « Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, quia Pater major me est (*Joan.* xiv). » Ubi autem determinat, Pater meus, vel Patris mei, non sine indicio loquitur divinæ majestatis, quemadmodum hic, « sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, » subauditur, cum eo quod dicit mihi, « Domine, Domine, ipse intrabit in regnum cœlorum, » addens adhuc : « Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ? » et cætera ut supra. « Quamobrem confitebor illis, quia nunquam novi vos : Discedite a me, qui operamini iniquitatem ?» Nimirum, quia quod prophetarunt, sibimet prophetarunt, id est, non prophetando Dei, sed suam gloriam suumque temporale commodum quæsierunt, sicut Balaam, qui cum bona et vera prophetasset, malum dedit consilium ; nam ad suggestionem ejus mulieres Madian deceperunt filios Israel in Beelphegor (*Num.* xxiv). Similiter multi, in nomine ejus dæmonia ejicientes, sive de hominibus exorcizando et baptizando, sive de aris et templis dedicando illa Deo vero, in quibus habitabat et colebatur dæmonum multitudo, et multas virtutes homini facientes, quæ videbantur quidem, sed non erant vere virtutes, imo virtutum simulationes, mercedem aliam quam Domini quæsierunt, et mercedem suam recepernnt. Idcirco « confitebor illis, Quia non novi vos. » Confitebor, inquam, id est, dicam id quod prius celavi, permittens illos sibi justos videri, juxta illud : « Tacui, semper silui, patiens fui, quasi parturiens loquar (*Isa.* lii).

« Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilatur viro qui ædificavit domum suam supra petram. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. Et descendit pluvia, et venerunt flumina et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit et fuit ruina ejus magna. » Formidabilis confessio, quæ in illa die sic revelabit vel conscientias fundamenta pseudoprophetarum et omnium qui operantur iniquitatem, quemadmodum tempestas pluviarum et inundatio fluminum et flatus ventorum irruentium revelant fundamenta domus, quæ non supra petram, sed super dissolutam et fluxam fundata est arenam. Cadent enim et ruent ruina magna in turbine vocis hujus : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* xxv), » non quia audistis verba mea, sed quia non fecistis ea. Domus autem illorum qui audiendo et faciendo posuerunt fundamenta supra petram, firmiter stabit, neque enim hi, qui a dextris erunt cadent eundo cum sinistris in supplicium, imo ascendent in vitam æternam ad percipiendum regnum sempiternum, ab origine mundi sibi paratum.

« Et factum est cum consummasset verba hæc Jesus, admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat

enim docens eos sicut potestatem habens, non sicut Scribæ eorum et Pharisæi. » Qualem, quam vehementem dicit rationem admirationis illius,« qua admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim, inquit,docens eos sicut potestatem habens, non sicut Scribæ eorum et Pharisæi. » Quidnam, rogo, est potestatem habere in docendo ? Imo quid est potestatem non habere in docendo ? Nam ex hoc opposito melius cognoscitur, quid sit potestatem habere in docendo. Ergo potestatem non habere in docendo est bona loqui, et esse malos Scribas et Pharisæos, volendo placere hominibus, et adulando divitibus, ut ex eis aliquid commodi adipiscantur. Contra tales apud Ezechielem sermo propheticus hoc modo gravissime invehitur. « Hæc dicit Dominus Deus: Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas ! Cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, et fragmen panis,ut interficerent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis (*Ezech.* XIII). » Quid enim est vivificare animas quæ non vivunt, et interficere animas quæ non moriuntur, nisi justificare impium, et condemnare pium pro muneribus ? Hoc tamque tale est,quale esse consuere pulvillos sub omni cubito manus, et facere cervical sub capite universæ ætatis, et hoc propter pugillum hordei et fragmen panis, id est propter emolumentum vel commodum temporale, vile nimis et exile comparatione detrimenti justitiæ, quod sibi talis adulator peccati alieni scienter acquirunt. Num ergo hi tales in docendo potestatem habent ? imo servi servorum, impotes et venales clientuli sunt. Iste Magister unus, Magister verax,et viam Dei in veritate docebat, qui inter cætera quæ contra avaritiam illorum disputavit, adeo nulli inquam adulatus est, ut in Hierosolyma, civitate magna et opulenta,nec saltem unius noctis hospitium aliquando habuerit.

CAP. VIII. — « Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum, dicens : Volo,mundare (*Matth.* IV). » Et ante et post sermonem habitum in monte, valde multos narrat evangelista Dominum Jesum infirmos curasse,non exprimens singillatim qualiter et quibus ab infirmitatis fuerint liberati. Ante enim dixit : « Et circuibat totam Galilæam docens in synagogis, et prædicans Evangelium verbi, et obtulerunt ei omnes male habentes,variis languoribus et tormentis comprehensos, et curavit eos (*Matth.* IV). » Post sermonem vero facta de tribus narratione sigillatim, scilicet,de isto leproso, et de puero centurionis, et de socru Petri, rursum dicit : « Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit. » Pauca ergo de multis conscripta sunt, sed secundum intentionem scribentis evangelistæ pro suscepto negotio sufficientia sunt. Iste ergo gloriosus Filius Dei,honorabilis Filius hominis,propterea de monte cœli descenderat in campum hujus mundi, **628** ut infirmitates, id est peccata, sanaret omnis hominis, Judæi primum et deinde gentilis. Curationem Judæi meditabatur in emundatione leprosi, qui et Judæus erat,propter quod et dixit ei,tanquam alumno legis : « Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcipit Moyses in testimonium illis. » Porro, curationem gentilis meditabatur in sanatione pueri centurionis, qui et ipse gentilis erat. Propter quod et indignum se introitu Domini judicavit, et sicut Lucas meminit (*Luc.* VII), seniores Judæorum quasi suffragium ferebant ei, dicentes : Quia dignus est, ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. » Recte igitur leproso, non solum, « volo, » vel solum « mundare, » dixit,verumetiam manum extendit, eumque tetigit, puerum autem centurionis non tetigit,et nec saltem ad eum introivit, quin videlicet Judæum ita curavit, ut ex ipso carnem assumeret, et in medio ejus habitaret, quod nimirum tangere fuit, ad gentiles autem per semetipsum non accessit, sed postquam totam salutem operatus est, et in cœlum ascendit, suos eis prædicatores misit.

Cum autem dicimus aut legimus prius Judæum, id est Judaicum populum, per præsentiam Salvatoris esse curatum, non solos illos paucos attendimus, qui tunc in corpore inventi, ante vel post passionem ejus crediderunt, sed universam populi illius electionem,omnes qui jam a sæculo migraverunt, a tempore promissionis quæ facta est ad Abraham, usque ad tempus illud, quia tunc salvati et ab inferis educti sunt per ipsum,cujus venturi fidem habuerant. Proinde et ipsa infirmitatum diversitas non negligenter pensanda est, quia videlicet ille ex Judæis tantummodo erat leprosus: puer autem centurionis et paralyticus erat, et male torquebatur. Hoc enim secundum similitudinem illorum duorum hominum, plus mali populus gentilis, quam populus Judaicus quia possidebatur a diabolo,dæmonia colens pro Deo,neque enim notus illi erat Deus. Judæus autem tanquam ratione non privatus,in ipsa lepra sua Deum cognoscens,legi erat subditus. Cui enim gravius quam leproso lex dominabatur ? Scribuntur fuisse graves manus Moysi (*Exod.* XVII), et revera nulli magis quam leproso gravis fuit manus legis litteralis. « Quicunque, ait, maculatus fuerit lepra, et separatus ad arbitrium sacerdotis,habebit vestimenta dissuta,et caput nudum, os veste contectum,contaminatum,ac sordidum se clamabit omni tempore quo leprosus est immundus,solus habitabit extra castra (*Levit.* II). » De cæteris quoque immunditiis, scilicet (*Levit.* XV) de fluxu seminis et de menstruis,est judicium legis, sed et de aliis corporalibus maculis,videlicet (*Levit.* XXI) si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo,si jugem scabiem, si impe-

tiginem in corpore vel herniosus : non accedet, inquit, offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. » Porro de illo, qui male torquetur, id est qui dæmoniosus est, ut erat puer iste centurionis, nullum usquam judicium lex decrevit. Per omnia igitur congrue, sicut jam dictum est, per leprosum legis alumnum Judaicus, et per gentilis hominis puerum gentilis populus, a suis curandus peccatis, significabatur : per gratiam hujus Filii hominis, qui in operibus suis exterioribus sine dubio salutem animarum, propter quam venerat, die ac nocte meditabatur salutem, et eorum qui sub lege erant, ut ille leprosus, et eorum qui sine lege erant (*Rom.* II), ut iste puer a proprio sensu captivus.

Quid si vel Judæus postquam a lepra Pharisaica mundatus est, vel gentilis postquam a dœmone, id est a cultura dœmonum, liberatus est; quid, inquam, si vel ille vel iste per fidem Jesu Christi, per lavacrum regenerationis Spiritus sancti salvus factus, iterum peccaverit ? Nunquid et postea salvari vel ad salutem revocari poterit ? Poterit plane, si dignos pœnitentiæ fructus fecerit. « Filioli mei, » inquit, Joannes apostolus, « hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi (*I Joan.* II). » Exemplum hujus rei mysticum divinus evangelista continuo subordinavit. Ait enim : « Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem, et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris. Et surrexit, et ministrabat eis. » Quid enim domus Petri, hominis utique fidelis et fidei ardentis, nisi Ecclesia est Dei viventis ? Ergo socrus Petri febricitans, anima est habens quidem fidem Christianam, sed alicujus peccati, seu vitii passione cum periculo vitæ laborans. Lucas evangelista hoc etiam memorat, « Qui rogaverunt illum pro ea (*Luc.* IV). » Igitur socrus Petri, cujus in domum Dominus Jesus venerat, anima est, ut jam diximus, Christiana vel fidei domestica, quæ cum vitiis et peccatis febricitare cœperit, et pene spiritum vitæ amiserit, rogant fideles pro ea, et orando ab omnibus confirmatur charitas in ea. Præterea et hoc Lucas meminit, quia, « stans super illam, imperavit febri, et dimisit illam (*ibid.*), » Matthæus dicit quia « tetigit manum ejus, et dimisit eam febris. » Lucas autem, ut jam dictum est, « stans, inquit, super illam, imperavit febri, et dimisit illam. » Uterque surgentis hoc exprimit opus, quia « surrexit continuo, et ministrabat eis, » videlicet Domino et discipulis ejus. Hinc breviter dicendum, quia super febricitantem stare, est ejusmodi animam respectu timoris sui valde terribiliter concutere, judiciique futuri memoria conturbare, ita ut dicat : « Conturbata sunt omnia ossa mea, et anima mea turbata est valde (*Psal.* VI). » Non enim sicut ante notitiam veritatis lactatur anima dulcibus gratiæ mammillis, ut Creatorem suum cognoscat ; non, inquam, ita, cum post veritatis agnitionem et susceptam fidem aliquid criminale peccaverit, rursus tam facile prona indulgentia sese illi Jesus impendit, sed quasi desuper stantis terretur animadversione judicis, verbi gratia dicentis : « Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo quem scripsi (*Exod.* XXXI). » Porro jacentis manum tangere, est confortare et adjuvare volentem violentiæ peccati resistere. Quo enim alio modo quispiam liberaretur de corpore mortis hujus ? (*Rom.* VII.) Denique cum vult, potest homo jacere et febricitare, vel qualemcunque passionem corpori suo adducere : sed ut de lecto surgat, eademque passione careat, non in sua voluntate, sed potius in medici positum est curatione. Similiter cum vult, potest sine lege vivere, id est, sine timore Dei mala securitate in peccatis jacere, sed ut surgat, et animæ sanitatem recipiat, non in virtute sua, sed in sola positum est gratia Liberatoris. Etiam si velle adjaceat, non invenit bonum perficere, postquam malo volens tradidit se. Hinc est illud Apostoli, sub persona talium suspirantis : « Condelector legi Dei, secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum (*ibid.*) » **629** Igitur secundum mysterium severitatis quidem est, quod ut Lucas scribit, « stetit super illam, » adjuvantis autem sive liberantis gratiæ, quod sicut ait hic Matthæus, « tetigit manum ejus. » Porro et apud illud et apud istum, sicut in cæteris, ita et in isto facto manifesta et rata est astipulatio veritatis, quia credendum est illi in sermonibus suis, quia sicut Dominus potestatem habens vitæ et mortis, sive vitæ et sanitatis, tantummodo stetit, et imperavit, stetit et tetigit, et febris fugit.

Interea, et hoc dicendum tibi, quicunque es vel esse cupis prudens auditor Evangelii, ne ordinem requiras factorum in omnibus, quæ ab evangelistis conscripta sunt. Non enim ordini intendunt verum gestarum, sive temporibus describendis, quibus res gestæ sunt, sed provisum singuli sequuntur cœleste mysterium, utpote animalia spiritualia, quæ ante et retro oculis plena sunt (*Ezech.* X). Nunquid enim ordo factorum apud hunc et apud Lucam tam diversus esset sicut perpendere potes, nisi causa mystica subesset ? Imo sicut periti artifices, sicut optimi aurifices, dum quisque illorum vas quodcunque pretiosum, sive decoram regio capiti fabricare cupit coronam, appositis sibi gemmis non curat attendere de singulis, quo tempore vel quali pretio comparatæ fuerint, sed hoc solum intendit, qualiter auro superordinatæ, varietate sua melius placere possint intuentium oculis : ita isti fidissimi fabricatores evangelicæ veritatis, non tantum attendere debuerunt, quibus temporibus vel quo temporum ordine miracula gesta fuerint, quantum eorumdem miraculum qualitates, quæ sumpta de innumerabilibus gestis, et subordinate competentibus locis, sufficere possent

ad splendorem veritatis, ferendumque suffragium gloriæ et honori hujus Filii hominis, quod sicut verus homo, ita et verus Deus sit. Hinc est illud in Psalmo : « Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso (*Psal.* xx). » Quid est enim corona de lapide pretioso in capite, nisi Scriptura hæc, testimonium ejus opifex, divinis illustrata miraculis, in initio prædicationis evangelicæ? Non igitur magnopere requiras in gestis ordinem temporum, ubi longe pulchriorum fulget ordo mysteriorum, de quo jam dictum est, et adhuc dicendum. Dictum quippe est, quia futurum erat, ut de populo Judaico prius a lepra sua pars aliquantula, et deinde gentilis populus a fanatico errore suo curaretur, ac deinceps quisque jam fidelis, jam Christianus peccatis actualibus iterum oppressus, gratia miserentis Dei liberaretur, secundum similitudines istorum, videlicet leprosi mundati, et pueri centurionis a dæmonio liberati, et socrus Simonis, quam febricitantem idem Dominus potenti imperio sanavit. Nonne et hoc futurum erat, de hæreticis, quod factum est ? sicut Joannes Apostolus dixit : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis (*Joan.* II). »

Sequitur ergo : « Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, ejiciebat verbo spiritus, et omnes male habentes curavit. » Hoc ipsum Lucas scribens : « Exibant autem, inquit, dæmonia a multis clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum (*Luc.* IV). » In præsenti facto manifestum magnumque et evidens erat divinitatis sive divinæ fortitudinis experimentum, quia sicut cætera, sic et istud in potestate faciebat, et hoc ad testimonium pertinet veritatis, ut veraciter posset dicere : « Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa testimonium perhibent de me (*Joan.* V). » Porro, juxta mysterium jam præscriptum, spiritus vel dæmonia, quæ verbo ejiciebat, et quæ « exibant a multis clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei, ipse autem increpans non sinebat ea loqui, » hæretici sunt, vel fuerunt homines ficti, simulatores, et callidi, qualium primus in Actibus apostolorum Simon exstitit (*Act.* VIII), qui et ipse credidit, sed fides vel confessio ejus et similium clamantium, « Tu es Filius Dei, » similis est confessioni dæmoniorum, quæ non sinebat loqui Filius Dei, quia non est speciosa fides vel confessio in ore, si dilectio non sit in corde.

Quid autem est, quod cum dixisset evangelista, « et omnes male habentes curavit, » statim subjunxit, « ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem (*Isa.* LIII) : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes portavit. » Denique ubi hoc per Isaiam prophetam dictum est, de passione ejus sermo propheticus erat, sicut manifeste docent sequentia hæc : « Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, A attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus (*ibid.*), » et cætera. Et revera hoc fuit illi infirmitates nostras accipere, et ægrotationes portare, scilicet, vulnerari propter iniquitates nostras, et atteri propter scelera nostra, flagellis cædi usque ad livorem sanctissimi corporis sui, et in similitudinem ovis sive agni ad occisionem duci, et in ipsa occisione cum sceleratis reputari, quæ omnia illo prophetiæ loco conscripta sunt, de quo capitulum hoc evangelista sumpsit. Quid ergo est talis capituli præsens commemoratio, nisi pia et prudens tanti medici vel propositi ejus consideratio ? Nam quia propositum ejus hoc erat, ut peccata nostra portaret, quæ vere infirmitates, vere sunt animarum nostrarum B ægrotationes, valde pium atque pulcherrimum fuit cordi hujus evangelistæ considerare, scriptoque suo nobis innuere, quia suum opus quod est ægrotationes, ut jam dictum est, animarum portare sive sanare, ab ægrotationibus corporum cœpit operari, ut prius ab illis, dum visibiliter curaret medicus verus innotesceret, et tunc demum ad curandas ægrotationes animarum perveniret. Nam fecit quidem initium signorum coram discipulis suis, convertendo aquas in vinum (*Joan.* II), sed hoc fuit publicum prædicationis suæ officium, cum necdum Joannes suum implevisset cursum. Postquam Joannes traditus est, tunc sive exinde ipse et prædicare regnum Dei, et miracula facere cœpit Simoni, scilicet, curare corporum infirmitates, ut perinde, sicut jam di- C ctum est, ad curationem animarum perveniretur. Et de potestate quidem hujus Filii hominis, potestate divina hujus Dei et hominis, et ea quæ jam dicta, et ea quæ adhuc sunt dicenda, magna et mystica experimenta sive testimonia sunt.

Sed quid sibi vult hæc interpositio, quam rebus gestis evangelista taliter interposuit ? « Videns autem, inquit, Jesus turbas multas circum se, jussit ira trans fretum. Et accedens unus Scriba, ait illi : Magister, sequar te quocunque ieris. Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Alius autem de discipulis ait illi : Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos D sepelire mortuos suos. « Quid, inquam, hoc sibi vult, quod hæc dicta Filii hominis ad duos homines tam diversa rebus gestis, id est mirabilibus ejus interposuit ? Nam hactenus potestatem ejus evidenter demonstraverat, quomodo cum potestate dixisset ad leprosum, « Volo, mundare ; » quomodo dixisset centurioni, « vade, et sicut credidisti **630** fiat tibi ! » quomodo tactum sive imperium ejus fugisset febris, quomodo spiritus verbo ejecisset, et omnes male habentes curavisset, inter quos exeuntia dæmonia, sicut Lucas meminit, increpans, non sinebat loqui, et continuo dicturus est quomodo surgens imperavit ventis et mari, ut fieret tranquillitas, et obedierunt ei. Quid ergo dicemus ? Plane si in

rebus gestis, rerum in Ecclesia gerendarum processum, qualem exponere cœpimus, divinum evangelistam attendisse præsentis, causam habes in promptu cur hæc ad duos homines dicta tam diversa præterire, vel tali loco inserere voluerit. Futurum quippe erat ut, curata animarum lepra in Judæis, sedata in gentibus dæmoniaca vexatione fanatici erroris, dum rursus in domo Petri, quæ est Ecclesia, curatur vitiorum febris, et de Ecclesia eliminantur hæretici spiritum malum habentes, et idcirco indigni loqui de Filio Dei; futurum, inquam, et hoc erat, ut multi arriperent, aut suscipere viderentur propositum perfectionis: alii per improvidam præsumptionem, alii per timoratam devotionem. Nimirum eorum qui præsumptione accessuri erant, exemplum est ille, qui dixit: « Magister sequar, te quocunque ieris, » eorum autem qui cum timore vocati sive admoniti accedunt, ille qui ait, « Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum, » Quantos putas in Ecclesia fuisse vel esse, qui secundum horum utrorumque exempla tam diversa diversos exitus habuerunt, vel habent professionis suæ? Digne igitur et hoc evangelista non prætereundum existimavit, ut deinde futuras in Ecclesia seditiones prospiciens sive ex falsis fratribus, sive ex manifestis adversariis persequentibus subjungeret, dicens: « Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, et ecce motus magnus factus est in mari, » etc.

Nunc eadem dicta perspiciamus: « Videns, inquit, turbas multas circum se, jussit ire trans fretum. Sicut tunc turbas multas circum se videbat, ita et multitudines gentium oculis suæ divinitatis, cui omnia præsentia sunt, credituras in se fore prævidebat. Item quod venerabiliter aspiciendum est, sicut plerisque credentium in se dicturus erat per Spiritum sanctum, diffusum in cordibus ipsorum, per inspirationem sancti desiderii, in quo fastidium est præsentium, et appetitus cœlestium, sive futurorum; sicut, inquam, dicturus et ineffabili dictione sua facturus erat, ut transirent vel relinquerent sæculum, tumultumque effugerent curarum sæcularium (ut faciunt nunc hi, qui cœnobialem, sive solitariam vitam eligunt), ita tunc jussit ire trans fretum. Non dictum est, jussit turbis multis, quæ circum se erant, neque dictum est, jussit discipulis suis, qui tunc admodum pauci erant, sed dictum est ab evangelista indefinite, « jussit ire trans fretum. » Cur hoc? nisi quia jussio hæc, juxta sensum hunc mysticum, non tam præceptum est quam consilium. Sicut enim quodam loco dicentibus discipulis ejus (*Matth.* XIX). « Si ita causa est homini cum uxore, non expedit nubere, » respondens ait, « Non omnes capiunt verbum istud, » ac deinceps: « Qui potest, inquit, capere, capiat, » ita de omni freto curarum sæcularium, quibus licito quidem fideles implicari possunt, sed cum illis perfecti esse non possunt, prudenter aut discrete sentiendum est, quod sic quosdam jusserit vel jubeat ire trans fretum, ut non tamen omnibus imponat necessitatem omnino relinquendi conjugium, curamque omnium rerum familiarium. Et taliter quidem transfretare, Christum sequi est. Sed attende diligenter, quid vel quomodo fortis ille Scriba dixerit: « Magister, inquit, sequar te quocunque ieris. » Primum ipsa appellatio insuavis est, cum dicit, « Magister, » non dicit, Domine; insuavis, inquam, et sine dilectione. Nam si rite recolis, eorum appellatio, qui cum dilectione appellaverunt, talis erat, ut dicerent: Dominer Exempli gratia: ut appellatio Petri dicentis, « Domine, si tu es, jube me venire ad te (*Matth.* XIV). » Talis appellatio, magister, sive Rabbi, Pharisiaca exstitit, quibus delectabile erat sibi salutare, et sic salutari, vocare et vocari ab hominibus Rabbi (*Matth.* XXIII). Judas impius sic appellare potuit, ut, cæteris singulatim dicentibus (*Matth.* XXVI), « Nunquid ego sum, Domine, » ille, ut erat cordis amari et perfidi, diceret, « Nunquid ego sum, Rabbi? » Et quidem bonum et suave est utrumque dicere simul, Magister et Domine, unde et dicit ipse: « Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim (*Joan.* XIII); » sed solum hoc dicere, Magister, sive Rabbi, et non dicere, Domine, cordis est longinqui, id est remoti a familiaritate dilectionis.

Deinde quantæ est præsumptionis dicere vel dixisse Magistro et Domino huic, » sequar te quocunque ieris? » Quis enim unquam fuit qui sequeretur eum quocunque ivit, vel cui diceret ipse ore suo, Sequere me quocunque iero? Sed non mirum, Scriba enim fuit, cujus ordinis homines de justitia sua valde fuere præsumptuosi, et gloriabundi, unde et ab ipso Domino sæpe graviter notati sunt. Exempli gratia, cum dicit: « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII), » et his similia. Quomodo ergo illi respondit? Nimirum ut debuit: « Vulpes, inquit foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. » Quam dissimilis responsio hæc responsioni illi, qua postea Petro respondit, nimis adhuc forti, et confidenti plus quam oportuit. Nam qui dixerat, « Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire, » itemque, « Quare non possum te modo sequi, animam meam pro te pono, » respondit illi: « Animam tuam pro me ponis? Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges (*Matth.* XXVI; *Joan.* XIII). » Vere responsio dissimilis, quia fuit illa corripientis, ista autem est omnino reprobantis. Et recte debuit esse dissimilis, quia confidentia Petri de radice dilectionis, hujus autem præsumptio de radice superbiæ et nequitiæ prodiit. Plane poterat dicere: Sicut vulpes occulte cubant in foveis, et sicut volucres cœli suaviter sibi sedent in nidulis, ita maligni spiritus propter malitiam vulpeculæ, propter elationem volucres cœli jure nominandi, cuncta occupaverunt diversoria pectoris tui, et idcirco falsum loqueris, dicendo, « Sequar te quocunque ieris. » In quo dicto et do-

lus est superbia simul, dum et me fallere, et ambitione nimia cupis sanctus videri; sed sanctæ discretionis et temperantiæ Magister venerabilis malignorum spirituum nomen tacuit, et rem nihilominus eamdem satis edixit.

Quanti hodieque sunt, horum enim meminisse oportuit, quorum in cordibus, cum in ore sanctam conversationem profiteantur, maligni spiritus ita cubant, sicut vulpes in foveis, sicut volucres in nidulis, et locus in eis non est ubi Filius hominis caput suum reclinet? Simplices non ita Magister iste et Dominus repellit, imo et quasi vim faciens, ad se trahit. Sequitur enim: « Alius autem de discipulis ait illi: Domine, permitte me primum ire et sepelire Patrem meum. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.» In Deuteronomio Moses dicit, benedicens Levi: « Qui dixit patri suo et matri suæ, Nescio vos; et fratribus suis, Ignoro vos, et nescierunt filios suos, **631** ni custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel (*Deut.* XXXIII). » Hoc de perfectione dixit. Præmiserat enim: « Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in perfectione, et judicasti ad aquas contradictionis (*ibid.*) » Ergo iste qui dixit. « Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum, » aliquid minus a perfectione habebat, qui non dixerat patri suo: Nescio te, præsertim tali patri, propter quem diceret ei Dominus cum suæ charitatis imperio: « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. » Non utique talis erat pater hujus, qualis exstitit Jacobi et Joannis pater Zebedæus, alioquin non diceretur mortuus a mortuis sepeliendus. Attamen illi, scilicet Jacobus et Joannes, vocanti Domino ut sequerentur eum (*Matth.* IV), non dixerunt: Domine, permitte nos primum ire, et sepelire patrem nostrum. Non igitur ejusdem perfectionis iste jam erat, cujus illi fuerunt in ipsa vocatione sua, qualem in Deuteronomio Moyses, ut jam dictum est, collaudat. Sed quid? Nimirum talis et talium exemplum fuerit, quales hodieque nonnullos sumus experti, qui cum desiderent perfecta conversatione Christum Dominum sequi, retrahuntur per affectum carnis, per affectum patris et matris, vel cujuscunque propinquitatis cujus dilectioni tunc demum sancta Scriptura vel Dei charitas contradicit, si propinqui illi Deo mortui sint, id est si adversentur viæ Domini. Adjuvantis igitur est gratiæ, quod Verbum incarnatum dicit infirmo: « Sequere me, » et, « dimitte mortuos sepelire mortuos suos:» Proinde secundum hoc exemplum recte dicas illi, cujus desiderium conversionis cognoscis retardari per affectum carnis, verbi gratia, per affectum patris secundum carnem viventis, et idcirco mortui: Relinque mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, et annuntia regnum Dei. Quod si et patrem innoxium, qualis jam dictus erat Zebedæus, relinquat aliis sepeliendum, ut sequatur Christum, tunc multo magis cum apostolis facit, scilicet, cum Jacobo et Joanne, qui patrem Zebedæum reliquerunt.

« Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum, et suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. » Ut cætera, sic et istud in potestate fecit hic Filius hominis, unde et continuo admirantes dixerunt: « Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei. » In hoc genere virtutum Moyses claruit, scilicet utendo elementorum officiis contra Pharaonem in terra Ægypti: de hoc jam supra dictum est, quia signa quæ fecit non ejusmodi erant, ut ea quæ maxime operatus est hic Filius hominis, qui, sicut prædictum fuerat per Isaiam, et hic evangelista meminit, infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit, » circa substantias hominis suarum beneficia virtutum maxime impendit, incipiens a curatione corporum, ut deinde perveniret ad curationem animarum. Nunquid vero non et in ista parte virtutis, scilicet, in imperando elementis, et Moyse et omnibus virtutum operator major est hic? Vere incomparabiliter major, quia nullus eorum quidquam imperando fecit, nec ipse Moyses imperio usus est, sed de plenitudine alterius accepit, scilicet Dei vel Verbi ejus; de plenitudine, inquam, hujus, de quo solum dictum est, et dici debuit, quia « imperavit.» Non enim Moyses imperavit, sed ab hoc imperatum est illi dicendo: « Extende manum tuam super aquas Ægypti, et vertantur in sanguinem, extende manum tuam super fluvios, et educ ranas super terram Ægypti (*Exod.* VII, VIII), » et post multa his similia tandem inquit: « Eleva virgam tuam, et extende manum super mare, et divide illud, ut egrediantur filii Israel in medio mari per siccum, « et rursum, » Extende, ait, manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios, super currus et equites eorum (*Exod.* XIV). » Cuncta hæc alterius imperio fecit, scilicet Dei, suo autem imperio nihil. Homo enim et non Deus erat. Hic solus suo imperio imperavit ventis et mari, Deus enim erat, et obedierunt ei.

Porro, ut de mysteriis cœptum tenorem sequamur, pulchre divinus evangelista miraculum hoc tali ordine scripsit, quia videlicet post illa, quæ hactenus dicta sunt, futurum et hoc erat in Ecclesia, ut manifestæ persecutionis violentia per magnos principes in gentibus, quasi per magnos ventorum motus in mari tempestas excitata, denotaret, ipsamque Ecclesiæ naviculam, quasi dormiente Jesu, pene usque ad periculum vitæ et salutis vehementer vexaret. Quid enim est dormire Jesum in navicula? nisi subtrahi auxilium gratiæ adjuvantis ab Ecclesia? Hoc autem cum fit, ideo utique fit, « ut et qui probati sunt, manifesti fiant (*I Cor.* XI); et qui per prosperitatem falli poterant, per adversitatem instruantur; et qui in peccatis erant, purgentur et

multi martyres coronentur. Igitur toties Dominus Jesus in navicula quasi dormit, aut dormivit, motusque magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, quoties tardante illo per ordinatissimam dispositionem, et necessaria ad tempus subtrahente præsidia, diabolus ventorum hujus sæculi agitator inquietus (qualis utique ventus Nero fuit aut funestus Decius, vel certe Diocletianus sive Maximinus) persecutiones excitavit, et in mortes sive oppressiones sanctorum, mare, id est multitudines gentium, per ipsorum leges et edicta commovit. Heu! quoties moti hujusmodi facto navicula operta est fluctibus! quoties persequentibus et occidentibus paganis crudelissimis, Ecclesia sancta calamitatibus oppressa est innumerabilibus! Tunc nimirum accesserunt discipuli, et dormientem suscitaverunt Jesum, invocantes eumdem Salvatorem. Exempli gratia, dicendo illud Davidicum: « Exsurge, quare obdormis, Domine, exsurge, et ne repellas in finem (*Psal.* XLIII). » Et rursum: « Exsurge, Domine, adjuva nos et libera nos propter nomen tuum (*ibid.*) » Et alibi: « Adjuva nos, ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum (*Psal.* LXXVIII). » Debuit autem semper et esse debet suscitatio ista suavis et dulcis, et non molesta, id est cum fide sine desperatione, cum perseverantia absque impatientia. Alioquin suscitantibus se ipse dicit: « Quid timidi estis, modicæ fidei? » Ac si patenter dicat: Nonne scriptum est, « quia « non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas (*Psal.* CXXIV); » et quid est, non relinquet, nisi diu durare non permittet? Recordamini priorum et novissimorum Ægyptiorum, atque Assyriorum sive Babyloniorum, Medorum atque Persarum, cæterarumque gentium barbarorum, regumque hominum impiorum, quicunque virgam suam, id est potentiam suam vel dominium, extenderunt atque elevaverunt super sortem justorum, ad affligendos sive delendos illos, qui forte, id est gratuita electione misericordiæ, ad vitam æternam prædestinati sunt. Nunquid diu duraverunt? Nunquid non hoc ipsum quod ad tempus prævalere visi sunt, cooperatum est in bonum justis et diligentibus Deum? Quid ergo timidi estis? Num quia Nero Petrum crucifigit, et Paulum **632** gladio cædit? Nolite timere, nolite timidi esse, sed in patientia vestra possidete animas vestras (*Luc.* XXI), quia non tamdiu durabit virga hæc ut necessario extendant justi, quasi auxilio destituti, ad iniquitatem manus suas: sed cito frangetur et in ignem mittetur ut ardeat.

« Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. » Dominum Jesum surgere, ventisque et mari imperare, est pœnitentiam suam exercere sive excitare, scilicet, ad adjuvandum electos et ad vindicandum in reprobos, ut sæpe particulariter factum est, fiet autem universaliter et semel, cum in novissimo judicio surrexerit, sicut in psalmo dictum est: Terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicio Deus (*Psal.* XLV). » Præ-
A terito namque pro futuro tempore usus est, quod propheticis locutionibus familiare est, dicens: De cœlo auditum fecisti judicium, terra tremuit et quievit, pro ut eo diceret, de cœlo veniens auditum facies judicium, subauditur dicendo, « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV), » et cætera, et tunc terra tremet et quiescet, id est impii timebunt et sanctos persequi desinent. Tunc utique contra universos consurget, nunc autem interdum in partes exsurgit, et stat terribilis, ut sanctorum neces vindicet de adversariis et homicidis, ut, verbi gratia, tunc exsurrexerat et stabat, nimirum comminans Judæis, jamque facturus excidium gentis et loci, quando Stephanus protomartyr intendens in cœlum dum staret in concilio, vi-
B dens gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, ait: « Ecce video cœlos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei (*Act.* VII). » Taliter et in aliis, sive contra alios interdum surgente Domino post magnos motus, facta est tranquillitas, et pax Ecclesiis reddita est.

« Et cum venissent trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt in duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis: ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos. Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos. Et
C ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis. » Quali vel quanta cum potestate gloriosus ista Filius hominis hactenus dæmonia ejecisset, sicut evangelista paulo ante dixit, quia « ejiciebat spiritus verbo, » ab isto claret maxime experimento, et littera quidem in manifesto est, manifeste signans, quia hic Filius hominus Deus verax est, cujus præsentiam tremunt et ferre se non posse fatentur dæmonum legiones, et solo ejus nutu torti atque exire compulsi tot maligni spiritus rogant, ut quoniam exire coguntur, saltem in porcos intrare permittantur. Verumtamen unum est, quod non otiose quæritur, videlicet, quomodo placuerit huic tam miti, tamque mansueto, qui nullum ex semetipso injuste lædi pateretur, juxta illud: « Non con-
D tendet, neque clamabit, nec audietur foris in plateis vox ejus (*Isa.* XLII); » quomodo, inquam, placuerit ei, ut porcos alienos daret vel mitteret spiritibus malignis, quatenus per præceps irent in mare et morerentur in aquis? Hoc quicunque requirit, scire debet homines regionis illius tales fuisse, qui non solum porcorum suorum damna, verumetiam pœnas omnimodas deberent sustinere. Nam, si rite perpendas, sicut dixit: « Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia, si in Tyro et Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent; » statimque subjunxit: « Verumtamen dico vobis, Tyro et Sydoni remissio

erit in die judicii, quam vobis (*Matth.* XI) : » sit et istis, videlicet Gerasenis, veraciter dicere potuit. Isti etenim non solum crediderunt, cum tantas virtutes vidissent, verumetiam rogaverunt eum, ut discederet a finibus eorum. Discessit autem, et contigit eis, sicut et cæteris regionibus scusi [*f.* stultis], secundum similitudinem porcorum ipsorum qui, a dæmonibus agitati, per præceps in mare abierunt et mortui sunt.

Hujus expositio mysterii jam ab ipso incipienda est exordio præsentis lectionis. Igitur veniente Domino in regionem Gerasenorum, occurrerunt duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis : quia, cum venissent in hujus vitæ incolatum, ad debellandum principem hujus mundi diabolum, duæ mortes generis humani, duce ipso peccati et mortis principe, adversus eum cucurrerunt. Quænam duæ illæ mortes sunt ? Videlicet, una mors corporum, et una mors animarum, contra quas erat illi dimicandum. Unde et bene illi duo et sævi nimis, et de monumentis exisse vel in monumentis habitasse dicuntur : quia videlicet, et mors animarum sæva nimis est, et per mortem corporum in monumentorum habitationem devenimus. Et illa quidem mors, quæ est animarum, occurrens nihil contra eum prævaluit, quemadmodum ipse dicit : « Venit enim princeps mundi hujus et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Porro illa mors, quæ est corporum, ad tempus illi prævalere permissa est, ut suscipiens vel admittens nostram simplam, evacuaret duplam. Quid autem verius eo, quod ait, « sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam ? » Quis enim ex omni genere humano sævitiam mortis intactus evasit ? « Omnes in Adam peccaverunt, » ait Apostolus, « et omnes in Adam moriuntur (*Rom.* V). » Ubi peccavit Adam, protinus et ipse morte animæ mortuus est ; et nos in ipso mortui sumus : et ubi dictum est ei, quia pulvis es et in pulverem reverteris (*Gen.* III), » et ipse morti corporis, et cum illo nos addicti sumus. Vere igitur per viam illam nullus transire poterat, quia qui mortem non videret, et animam suam erueret de manu inferi, nullus erat. Sed venit iste, in quo nihil juris ulla mors habuit : et quia per unam, videlicet corporis mortem, injuria facta est illi, jure sub illo mors utraque occubuit, non sine magno tormento principis utriusque mortis et satellitum ejus, quas cum illo foras misit. Sicut enim descensus ejus ad inferos populo sanctorum desiderabilis, ita legionibus dæmonum gravis fuit et intolerabilis. Dicebant ergo : « Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei ? Venisti huc ante tempus torquere nos. » Tempus illud, quo se torquendos esse noverunt, ultimum erit judicium, quando princeps eorum cum ipsis, et ipsi cum principe suo, videntibus cunctis, ut in Job scriptum est, præcipitabuntur in ignem æternum (*Job.* XIV). Quomodo tandem impletum est in mysterio quod significabatur in miraculo, scilicet, in eo quod grex porcorum totus cum impetu per præceps in mare abiit, et mortui sunt in aquis ? Ita nimirum, ut fieret quod ipse Filius hominis sciens prælocutus est : « Cum, inquit, immundus spiritus exierit ab homine, » etc., usque « tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus (*Matth.* XII). » Per unum quippe hominem ejusmodi, Judæos incredulos atque blasphemos vult intelligi, qui non tam Judæi quam Chananæi, non tam vituli æstimandi sunt quam porci. Ipsi namque de bono opere Salvatoris pejores effecti, et inde per invidiam mortui, quod ille unam in semetipso et utramque in suis fidelibus mortem vicit, malignis sunt spiritibus traditi, et per furorum suum facto impetu, semetipsos in mari præcipitaverunt. **633** Nimirum seditiones excitando implacabiles, ut plurimi scriptores, et maxime Josephus refert, in Romanum irruerunt imperium, et mira insania, mirabili pertinacia victores omnium gentium in suas neces, in excidium loci et gentis excitaverunt. Quid fuit ita furere, nisi porcos a malignis spiritibus agitatos, per præceps et cum impetu abire in mare ? Si ergo perpendas sive respicias quid olim in Ægypto ante acceptam legem fuerint et quid nunc post adventum fecerint Redemptoris aut receperint, recte dicas, quia novissima horum pejora sunt prioribus, et ita tam secundum animam quam secundum corpus in omne miseriarum profundum præcipitati sunt, ut porci illi, quibus propter furias dæmonum nec suus, quamvis brutus, subesse poterat sensus.

CAP. IX. — « Et ascendens in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesu cogitationes eorum, dixit : Utquid cogitatis mala in cordibus vestris ? Quid est facilius dicere, Remittuntur tibi peccata, aut dicere, Surge et ambula ? Ut sciatis autem quoniam Filius hominis potestatem habet dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbæ, timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. » Potestatem Filii hominis, quam ad honorem et gloriam ipsius considerare et cognoscere intendimus, mirabilibus ejus factis et dictis ipsemet ore proprio hic enuntiavit in re hujusmodi, in qua potissimum expediebat nobis potentem esse hunc Dominum, scilicet, in remissionem peccatorum. Hoc eatenus non dixerat quod potestatem haberet dimittendi peccata, sapienti nimirum usus providentia discretionis, quatenus non hoc ante diceret quam factis comprobaret : et ipsi spiritus, quos verbo ejiciebat, torti confiterentur, ipsum esse, de quo propheta prædixerat : « Et tu, Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel

(*Mich.* v). » Quæ enim illic in eodem propheta sequuntur, eorum summa est, « salvum facere populum suum a peccatis eorum (*ibid.*) » Postquam ergo præcedentibus factis comprobatum fuit quod ipse esset et credi deberet esse ille dux Israel, dux messias, id est Christus, tunc demum paralyticum curaturus : « Confide, ait fili, remittuntur tibi peccata tua, » ut dum tam præsentia miracula, quam antiqua prophetarum oracula, sermonem præsentis confirmant, minus offendantur, qui absque offensione doceri non possunt, tardi ad credendum, imo et impatiens ad audiendum. Nam erant in hoc offendendi, et offendebantur offensione voluntaria, maxime Scribæ et Pharisæi, non veritatem quærentes, sed veritati invidentes. Nam protinus ubi dixit : « Confide, fili remittuntur tibi peccata tua, — B et ecce, » inquit evangelista, « quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? Vidit enim cogitationes eorum, et dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ? » Fortassis et hoc dixerunt intra se, sed et de isto respondit eis sua ipsorum conscientia, et de illo virtus operis manifesta, sequente effectu jussionem dicentis, « Surge et ambula ; » et utrinque convicit incredulos, quod excusationem non habeant de peccato suo.

Quid autem ad illam interrogationem respondendum erat, « quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, aut dicere, Surge et ambula : » nisi facilius esse dicere, dimittuntur tibi peccata ? Nam apud ipsum quidem Filium hominis ita unum sicut alterum facile erat, sed apud homines longe facilius C est dicere, dimittuntur tibi peccata, quam ipsam peccatorum dimissionem comprobare testimonio virtutis qualis protinus est subsecuta. Secundum A exemplum hoc fere quotidie fit in civitate Domini, scilicet in Ecclesia, quæ utique est civitas Domini, civitas Regis magni, ad quam ipse transfretavit et venit, postquam, ut dictum est supra, et mortis corporum nostrorum sævitiam sedavit et mortis animarum nostrarum sævum imperium solvit. Nam quoties facimus illud quod Jacobus apostolus dicit : « Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis sit, remittentur ei (*Jac.* v) ; » Quoties, inquam, hoc facimus, paralyticum sive undecunque infirmum Domino offerimus, et, sicut videns fidem illorum, dixit : Remittuntur tibi peccata, » ita et nunc « oratio fidei solvat infirmum : et si in peccatis est, dimittuntur ei. » Præterea juxta sensum altiorem, paralyticus tunc a Domino curatur, quando fit ut is qui nihil operabatur, jam nunc operetur, quemadmodum dicit Apostolus : « Qui furabatur, jam non furetur ; magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti (*Ephes.* iv). » Nam qui nihil operabatur, et aliena furabatur, nonne veram paralysin habebat in manibus ? Similiter qui ad bonum et utilem sermonem mutus erat, nonne veram in lingna paralysin habebat ? Igitur, cum circa hujusmodi sic operatur Dominus, sive per semet ipsum tantum, sive ministris suis cooperantibus : ut qui taliter paralyticus erat, jam nunc et bene laboret operando manibus suis, « et omnis sermo malus ex ore « ejus « non procedat, » ut ait continuo idem Apostolus (*ibid.*), « sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus, » merito turbæ glorificent Dominum, qui dedit potestatem talem hominibus.

LIBER OCTAVUS.

634 O sapientia Dei, quæ aperuisti os muti et linguas infantium fecisti disertas (*Sap.* x) : ego quondam mutus et infans, nunc autem ore aperto et lingua pene diserta te magnificans, tibique de auro tuo ac de gemmis tuis quamdam quasi regiam gloriæ et honoris facere adorsus coronam, semper D quidem multum, nunc autem maxime tua juvari cupio dispositione, atque opitulatione. Non enim nunc ita, ut hactenus uni tantum intentus sum operi, neque debitor unius tantum debiti, sed circumventus, quasi a duobus funeratoribus magnis et avaris, omittere non valeo quin ambobus satisfaciam, cupiens esse fidelis. Alter eorum est angelus, id est, præsul Agrippinensis Ecclesiæ, cui me, ut credo, tu per misericordissimam providentiam, in tempore persecutionis, tanquam patri filium adoptivum commisisti : alter vero, paterfamilias domus tuæ, scilicet, cœnobii Sigebergensis, cui nequeo dicere quantum debitor sim. Hic mihi primus suaserat hoc opus ingredi, titulatum *De gloria et honore Filii hominis*, cum ille alter, et major amicus, vehementer studii nostri bona opinione sive experimento delectatus, jussit atque rogavit, et utroque modo, scilicet jubendo atque rogando, compulit, quatenus in libros Regum totum cor meum cum tua, Domine, gratia converterem, et quantumcunque possem, te adjuvante, magnum et, ut sibi videbatur, utile opus inciperem, et de tuo adjutorio ad perficiendum nunquam desperarem. Quid ego inter istos animo pene diviso facerem ? Resultarem pertinaciter patri et pontifici ? At ille non solum sic jubebat, verumetiam supplicabat aliquandiu recusanti, ut si non paruissem, mihi ipsi viderer pietati rebellis. Relinquerem hoc opus, quod jam incœperam, rogatu, ut jam dictum est inferioris amici ? At ille tanto circa istud angebatur sancti desiderii ardore, ut videns necessitatem meam, quod non possem majori et digniori denegare, aspiciensque hoc

opus, quantum hactenus scriptum fuerat, diceret hoc solum : « Doleo super te, doleo super te, » codicem aspiciens, quem ægre ferebat imperfectum remanere. Igitur necessitate compulsus, dimidium cordis mei uni, et dimidium cordis mei præbui alteri, totum autem, o Sapientia, tibi præbere optavi, dicenti, « Præbe, fili, cor tuum mihi (*Prov.* XXIII). » Credens quippe et sciens omnia possibilia credenti (*Marc.* IX), ecce ita me charitati impendi, ut uno eodemque tempore circumsedentes duo calamum in mente mea tinguant notarii. Unde fit ut, si quid bene dictum fuerit, tibi totum imputetur : si quid autem minus bene sonuerit, necessitati digne condonetur.

« Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum. » Hoc ad gloriam et honorem Filii hominis prædicandum atque audiendum est, quia hunc hominem vidit, et tam efficaciter vidit ut veraciter conveniat huic dicere : Tu Deus qui vidisti me (*Joan.* I). Quomodo enim vel quibus oculis vidit ? Denique si de oculis humani capitis agitur, quibus ut homo erat oculatus, nunquid solum hunc hominem vidit ? Imo et illos talibus oculis vidit, qui paulo supra (*Matth.* VIII), rogabant eum, ut transiret a finibus eorum, sed et illos, qui crucifixerunt eum. Alii sunt oculi quibus illum vidit, oculi gratiarum : qui juxta Zachariam in uno lapide (*Zach.* III), et juxta Apocalypsim Joannis, in capite unius septem agni sunt (*Apoc.* I) : oculi isti nominibus suis nulli sunt aut esse debent incogniti, quæ videlicet nomina sunt Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Domini (*Isa.* XI). Istis oculis hunc hominem vidit, et cum videret eum exterioribus oculis, per istos interiores oculos recognovit, quod esset unus illorum, quos ante sæcula præscivit et prædestinavit. Itaque videns eum, ait illi : « Sequere me. Et surgens secutus est eum. » Erat enim ipse Matthæus tanquam speculàr prælucidum, eatenus conspectui solis nequaquam appositum, sed in tenebris reconditum et sub tecto latens curarum nimis sæcularium, utpote telonearius, de navibus negotiatoriis cum clamore vel strepitu forensi, publicum exigens vectigal sive tributum. Ubi ergo vidit eum Jesus, ubi vidit eum salus et sol verus, resplenduit ex aspectu ejus, et quia vidit eum talis Filius hominis, reddidit imaginem ejus, et formata est in ipso facies hominis. Alium quoque vidit, et ex visu ejus formata est in eo facies vituli : vidit et alium, et eo vidente formata est in illo facies leonis : vidit et alium, et videndo formavit in eo faciem aquilæ volantis (*Ezech.* I, X ; *Apoc.* IV). Iste visus admirabilis, illa est gratia, quam admirans vas electionis Paulus, dicit : « Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Et quos vocavit, hos et justificavit. Quos autem justificavit, hos et magnificavit (*Rom.* VIII). » Et ante tempora quidem sæcularia præscivit, et prædestinavit, in tempore autem vocavit unumquemque in tempore suo, ut nunc istum vocavit, et « Sequere me » ait. Qui quam hilariter vocanti sese præsentaverit, quam alacriter, sive amabiliter pulsanti januas cordis sui aperuerit, illa res de foris satis indicat, « qui fecit ei convivium magnum in domo sua. » Ergo præcipue in isto clarissimum est illius dicti Dominici experimentum : « Si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, introibo ad illum et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Introivit enim in domum ejus, et cœnavit ipse primus cum illo corporale convivium, et deinde Matthæus cum eo cœnavit cœnam spiritualem. Hoc denique præsens Scriptura probat, Scriptura evangelica, quia revera cum Domino cœnavit, qui **635** hanc primam Novi Testamenti Scripturam tanquam vere saturatus nobis eructavit. Hoc sacramentum Pharisæi, neque scientes, neque scire volentes, discumbente Domino cum eo in domo, cum multi quoque publicani et peccatores discumberent cum Domino Jesu et discipulis ejus, dicebant, « Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester ? » At ille sapienter ac nimis terribiliter ora illorum obstruxit, sapienter quidem dicendo : « Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Euntes autem discite quid sit : Quia misericordiam volo et non sacrificium. » Terribiliter autem subjungendo : « Non enim veni vocare justos, sed peccatores. » Hoc denique dicto, seu verbo terribiliter eos percussit qui in se confidebant tanquam justi. Quos enim hic dicit justos, nisi superbos ? Et quos dicit peccatores, nisi humiles ? Væ talibus justis, qui suo judicio justi sunt, at non Dei qui justi volunt videri, cum non sint. Econtra felices peccatores, qui suam injustitiam recognoscunt, Dei justitiam esuriunt et sitiunt. Nam illos solos vocare venit, propter istos de cœlis descendit, et « humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). »

Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : « Quare nos, et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant ? Et ait illis Jesus : Nunquid possunt filii Sponsi jejunare, quandiu cum illis est Sponsus ? Venient autem dies cum auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt. » Gravissima hæc atque sapientissima responsio quanti sit ponderis, melius ex propheticæ Scripturæ collatione valet agnosci, cum apud Zachariam Dominus dicit : « Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, » et subauditur propter illud quod Nabuchodonosor civitate et templo succenso igni, populum in captivitatem duxit, et propter illud quod Ismael filius Nathaniæ Godoliam, et cum eo reliquias populi interfecit (*IV Reg.* 25 ; *Jer.* XLI), « Nunquid jejunium jejunastis mihi ? » etc., usque, « jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et lætitiam et solemnitates præclaras usquequo venient populi, et habitabant in

civitatibus multis (*Zach.* VII, VIII) : » quod videlicet, futurum erat per adventum hujus Sponsi de quo et subinde dictum est illud : « In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Judæi dicentes : Ibimus vobiscum, audivimus enim quod Deus vobiscum est (*ibid*). » Nam de fimbria viri Judæi protinus hic in Evangelio habes, quia « mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus (*Matth.* IX). » Summa sermonis illius prophetici hæc est, debuisse jejunare illos apud quos reposita erat vel esse debebat spes et exspectatio repromissionis, non tam propter temporalium, quæ acciderant, incommoda rerum, et propter captivitatem Babylonicam, quæ facta fuerat illis septuaginta annis, quam propter peccata sua, et propter illam quæ contigit in Adam, universalem captivitatem generis humani. At illi, quoniam soluta erat captivitas Babylonica, et templum reædificabatur, dicebant singuli : Numquid mihi flendum est in mense quinto, vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis ? Videlicet, quia templum reædificabatur, jam nullam superesse causam putabant, cur jejunarent. Merito ergo redarguebantur a dicente. « Nunquid jejunium jejunastis mihi ? (*Zach.* VII). » Quia videlicet, propter temporalia bona flent et jejunant, quia desunt, non Domino jejunant. Sed qui propterea jejunant quia præsentem non habent Sponsum, sicut illi nondum habebant, nos autem habuimus quidem, sed jam non habemus, ipsi jejunium Domino jejunant. Igitur, quoniam causa jejunii debuerat omnibus esse, desiderium et exspectatio Salvatoris, ut fuit Mosi et Heliæ et Danieli, ipse autem nunc præsens aderat, postmodum recessurus, dulce fuit et jucundum sanctæ charitatis officium, saltem ad breve tempus, propter præsentiam ejus intermitti jejunium quia tempus illud, tempus præsentiæ ejus, quasi tempus erat nuptiarum. Ait ergo : « Nunquid possunt filii Sponsi lugere quandiu cum illis est Sponsus ? » Venient autem dies cum auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt. Ac si dicat : Vos, qui filii Sponsi non estis nec esse vultis, sed nec filii illorum dici meremini, qui jejunaverunt præ desiderio adventus Sponsi, imo illorum quibus Deus veraciter dicit, « Nunquid jejunium jejunastis mihi ? » jejunatis enim et vos sicut illi, pro eo quod aliquando de rebus transitoriis aliquid adversi contigit, vos, inquam, jejunate quantum vultis, nam isti jejunare non possunt præ gaudio Sponsi præsentis. « Venient autem dies cum auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt. »

« Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem ejus a vestimento ejus et pejor scissura fit. » Plane jejunabunt in illis proxime venturis diebus, cum ablatus fuerit ab eis Sponsus, cum passus, mortuus, et sepultus resurrexit et in cœlum ascenderit, jam non ultra cum eis in mundo hoc corporaliter conversatus. Nunquid vero, ut vos jejunatis, ita jejunabunt

A et isti ? Non utique, nam hoc tale esset, ac si quis immittat commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Denique jejunia vestra, jejunia sunt veteris hominis : homines autem isti cum sint filii nuptiarum cœlestium, sunt homines novi. Si ergo jejunarent propter causas ejusmodi, propter quas et vos jejunatis, scilicet quia Moses tabulas priores scriptas digito Dei projecit de manu, et confregit eas ad radices montis (*Exod.* XXXI), vel quia reversis exploratoribus quod miserat Moses explorare terram, et detrahentibus terræ, cum omnis multitudo versaretur in seditionem, iratus Deus juravit quod non intrarent terram illam donec consumeretur generatio illa quadraginta annis, juxta numerum dierum quadraginta, quibus consideraverant terram (*Num.* B XIV), vel quia Nabuchodonosor rex Babylonis, sive Nabuzardan princeps exercitus ejus, capta civitate, succendit domum Domini, et transtulit populum in Babylonem vel quia deinde venit Ismael filius Nathaniæ et percussit Godoliam, quem præfecerat rex Babylonis terræ, et Judæos qui erant cum eo : consurgens autem omnis populus reliquiarum, timens Chaldæos, fugit in Ægyptum (*IV Reg.* XXV ; *II Par.* XXXVI ; *Jer.* XLI). Si, inquam, jejunarent propter causas ejusmodi, hoc esset novos homines flere nenias veteris hominis : quod omnino non congruit his quibus « datum est nosse mysterium regni Dei (*Marc.* IV ; *Luc.* VIII). » Nam, sicut commissura panni rudis, ubi immissa fuerit in vestimentum vetus, tollit plenitudinem ejus, et pejor scissura fit : ita quilibet homo particeps factus sanctæ hujus no-
C vitatis, si ejusmodi Pharisaicis traditionibus sese inseruerit, deterior quovis vetere homine fit, ita ut neque vetus, neque novus sit, et neutrum habeat, cum utrumque in se uno permiscere voluerit. Quare autem hoc ipsum quod intendit, quod intelligi vult in verbis istis, « nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim plenitudinem ejus a vestimento et pejor scissura fit, » non manifeste dixit ? Quare illis sensum tam bonum, tam verum abscondit, clausit et signavit ? Nimirum quia expediebat illis, non expediebat ipsis mysteriis regni Dei ut divulgarentur vel committerentur eis. « Neque » enim, ait, « mittunt vinum novum in utres **636** veteres. Alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in
D utres novos mittunt, et ambo conservantur. » Secundum istam similitudinem damnosum fuisset docere illos verbis manifestis quamobrem tunc non jejunarent discipuli ejus, essent autem postea jejunaturi. Pharisæi enim cum his erant qui interrogaverant. Et sicut utres veteres missos intus vino novo rumpuntur, et vinum cum utribus perit, ita illi, si manifeste diceret ipse, audientibus eis, quidpiam ejusmodi, amplius præ invidia rumperentur, et sermo inutilis esset taliter effusus præsertim cum Sapientia dicat : « Ne effundas sermonem, ubi non est auditus (*Eccli.* XXXII ; *Joan.* II). » Propterea et alius evangelista dicit : « Ipse autem Jesus non credebat

semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes et quia opus et non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine (*Zach.* VII). »

Bene igitur cum dicere posset, jejunandum erat usque ad me, et cum recessero jejunandum erit post me, secundum veritatem Scripturæ propheticæ, cujus jam supra mentio facta est, maluit sermonem suum sic temperare, ut et futuris innotescens res, eos secum servaret, et præsentes, qui tunc erant, per invidiam non rumperet. Quid de eo quod subjunxit protinus, « sed vinum novum in utres novos mittunt et ambo conservantur. » Nunquid non vel ipsi filii sponsi, super quibus non jejunantibus quæstio hæc mota erat jam utres novi erant ? Non jam omnino novi, sed capaces erant sanctæ novitatis. Propterea B quodam loco dicebat et ipsis : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo (*Joan.* XVI). » Quando sunt omnino innovati ? quando acceperunt Spiritum sanctum post resurrectionem ejus cujus gratia novos homines efficit (*Joan.* XX ; *Act.* II), tunc vinum novum missum est in utres novos, et ambo conservata sunt, id est revelata sunt illis omnia mysteria Scripturarum, et gustaverunt amorem sponsi, dulcedinemque cœlestium nuptiarum, et hoc vino inebriati salvi facti sunt, et vinum bene conservatum fideliter quibus jussum est, refuderunt. « Hæc illo loquente, ecce princeps unus accessit, et adoravit eum dicens : Filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus. Et C ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. » Nequeo satis admirari pulchritudinem gloriæ et honoris in facie Filii hujus hominis, in mirabilibus ejus gestis, secundum dispositionem quam hic divinus evangelista disposuit. Quid enim sibi vult quod dum interrogatus de jejunio respondit, et non jejunantes excusat filios sponsi, res gesta protinus subsequitur hujusmodi de muliere, quæ talem ob causam tanta cum fide fimbriam vestimenti ejus tetigit ? Quid, inquam, sibi hoc vult, nisi ut insinuet factis quod, sicut jam dictum est, nondum expediebat palam ostendere verbis se illum esse virum, de quo in Zacharia, loco supra memorato, cum item de jejunio fuisset interro- D gatus, idem addicentibus, « nunquid mihi flendum est in mense quinto, vel sanctificare me debeo sicut jam feci multis annis (*Zach.* VII), » ita responsionem suam terminavit ut diceret, « usquequo venient populi, et apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum (*Zach.* VIII). » Hæc ergo dispositio valde venerabilis, et pia consideratione honoranda est. Quid enim aliud est quod in propheta prædixit post responsum de jejunio : « In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Judæi, » quam quod hic significari vo-

A luit per mulierem, quæ fimbriam vestimenti ejus tetigit, et sanata est a fluxu sanguinis ? Hæc namque mulier forma fuit omnium gentium, quæ profecto in eum credendo, cujus faciem ante non viderunt, quodammodo retro accedunt, et sequendo vestigia ejus, id est custodiendo præcepta ejus, revera fimbriam vestimenti ejus tangunt. Et quid erat juxta hunc sensum sanguinis fluxus, nisi peccatorum illuvies, maximeque sordidus idolatriæ cultus ? Porro filia archisynagogi, pro qua rogatus erat, et ibat, Synagogam designabat. Unde valde notandum quia, sicut Marcus manifestius scribit, archisynagogi filia non fuerat mortua, sed jam in extremis erat (*Marc.* V) ; ubi autem mulier fimbriam tangendo sanata est, tunc ad archisynagogum nuntii venerunt, dicentes : « Quia filia tua mortua est, quid ultra vexas magistrum ? » Item, et hoc vigilanter animadvertendum quia et puella quæ mortua est erat annorum duodecim, et mulier quæ sancta est fuerat in profluvio sanguinis annis duodecim. Itaque et quando puella nata est, tunc illa mulier sanguine fluere cœpit, et quando sanata est mulier, tunc puella mortua est. Quid hoc sacramento pulchrius, verius, ac præclarius ? Quando enim Synagoga in partibus Abraham, Isaac, et Jacob nata est, tunc idolatriæ fluxus in gentibus fluere exorsus est. Quando autem multitudo gentium, credendo in Christum, ab ejusmodi fluxu per fidem suam sanata et salva facta est, tunc Synagoga, quæ eatenus nimis ægra per multas tribulationes fuerat, omnino per invidiam mortua sine Deo facta est. Rursus, « cum multitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI), » atque idcirco congrua pulchritudinis in mysterio consummatio hæc est, quod postquam mulier a fluxu sanguinis sanata est, tunc demum intravit, et tenuit manum puellæ, quæ erat mortua, « et surrexit puella. »

« Et transeunte Jesu inde, secuti sunt eum duo cæci, clamantes : Miserere nostri, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, et dicit eis Jesus : Creditis quia possum hoc facere vobis ? Dicunt ei : Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis, et aperti sunt oculi eorum. » Memores propositi sumus, ut esse debemus, quod videlicet propositum in hoc opere est considerare quatuor facies unius animalis, scilicet, faciem hominis, faciem vituli, faciem leonis et faciem aquilæ volantis, quæ sunt quatuor sacramenta unius Christi, Filii Dei et filii hominis, quæ ignota esse non licet Christianæ fidei, quæ sunt incarnatio ejus, passio ejus, resurrectio ejus, ascensio ejus. In faciem hominis ad hunc intendimus, et in hoc faciem hanc ex parte nos videre, et per speculum contemplari arbitramur, si in factis et dictis ejus, qualis intentio esse potuerit, sentire moremur. Quærimus igitur in faciem intendentes hujus filii hominis, quid sibi voluerit, tantopere requirens meritum fidei, ut diceret cæcis istis : « Creditis quia possum facere hoc vobis ? « Statimque : » secundum

fidem vestram, ait, fiat vobis » Et paulo ante mulieri dixit : « Confide, filia, fides tua te salvam fecit,« et sparsim in omnibus Scripturis tam Veteris instrumenti quam Novi, fidem quærit, fidem approbat, fidem collaudat. Causa sive intentio dignationis ejus non parvi pendenda hæc est, curare antidoto competenti stultitiam antiquam nimiæ credulitatis, qua creditum fuit diabolo, loquenti per serpentem, ac dicenti : « Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen*. III). » Credidit mulier diabolo plus quam Deo, quod taliter deberet illuminari : credamus nos econtra veritati, si veraciter **637** volumus illuminari. Consideratio hæc, cum in cæteris ubicunque Dominus fidem quærit vel invenit, tum in istis cæcis perpulchra est, dum antequam illuminet eos, interrogans dicit : « Creditis quia possum hoc facere vobis ? » Nostra quippe causa significabatur in illis quod maxime ex eo cognoscendum vel sentiendum est, quia cum aperti fuissent oculi eorum, comminatus est eis, dicens : « Videte, ne quis sciat. » Hoc denique valde utiliter in exemplum nobis revocamus, quicunque prærogativam aliquam illuminationis, qua genus humanum per fidem illuminatum est, accepisse videmur. Ad quid enim videamus ne quis sciat, nisi ad hoc, ut occursum malum jactantiæ aut elationis illuminatus cordis oculus effugiat ? Verumtamen illi fecerunt, sicut protinus subjunctum est : « Illi autem exeuntes diffamaverunt eum per totam terram illam.» Nos quoque dignus facimus, si non illuminationem nostram lingua nostra, sed illuminatoris gloriam prædicent opera nostra. Igitur in duobus cæcis omnem intelligamus hominem, sive Judæus sive Græcus ille sit, qui tunc revera fiducialiter atque efficaciter ab illa luce vera, gratiam petit illuminationis, si verum et probatum, quem offerat nummum habet, non fictæ fidei.

« Egressis autem illis, ecce obtulerunt hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmone, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ dicentes : Nunquam sic apparuit in Israel. » Hoc est, quod inter cætera miramur, faciem hujus filii attendentes, quia nunquam sic apparuit in Israel, nunquam super terram talis facies visa est, inter omnes facies patriarcharum atque prophetarum, omniumque hominum quicunque memorabilia super terram operati sunt. Hoc fida discretione discernendum est, quia nunquam talis facies hominis fuit ut hæc : « Pharisæi autem dicebant : In principe dæmoniorum ejicit dæmones. » Pharisæi vero a Deo divisi, quantam spirabant angustiam atque penuriam cordis sui, cordis amari, qui cum dicere non possent : Non ejicit dæmones, illuc se verterunt, ut dicerent : « In principe dæmoniorum ejicit dæmones. » Sed quia non semel hoc dixerunt, et aliis adhuc locis similiter blasphemaverunt, sicut sequentia post hæc indicabunt, jam nunc ad alia properemus, quippe qui ultra propositum diu nimis in contemplatione faciei hominis detinemur, cum et alias facies contemplaturi, longum nimis et fastidiosum opus fore suspicemur. « Et circuibat Jesus civitates omnes et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erat vexati et jacentes sicut oves non habentes pastorem. » Hoc maxime loco spectabilis est ea, quam aspicimus, facies hominis, quia facies est pietatis, facies misericordiæ et miserationis, et quidem homines illi, quos tunc aspiciebat facies ista, facies benigna, vexati erant et jacebant sicut oves non habentes pastorem, quippe qui sub nomine pastorum, lupos habebant Annam et Caipham, de quibus recte dictum fuerit per prophetam dicentem : « Principes ejus in medio illius quasi lupos rapientes prædam, ad effundendum sanguinem et perdendas animas, et avare sectantes lucra (*Ezech* XXII). » Quomodo enim sub ejusmodi, non pastoribus, sed lupis oves vexatæ erant et jacebant ? Nimirum sicut alibi per eumdem prophetam inter cætera dicit : « Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis; quod confractum est, non alligastis, et quod abjectum, non reduxistis; quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperastis ei et cum potentia (*Ezech*. XXXIV).» Quomodo autem, vel in quo misertus est eis, nisi in eo ut jam insisteret facere illud, quod facturum se ibidem fortiter prædixit ? » Ecce, inquit, ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum (*ibid*.). » Sed nunquid solas videbat turbas, et earum tantum miserabatur, quas tunc oculis corporalibus aspiciebat ? Imo et omnes omnium gentium turbas, quæ in eum credituræ erant oculis interioribus videbat, et omnium miserescens, aliam similitudinem induxit, dicens continuo discipulis suis :

« Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut ejiciat operarios in messem. » Hoc usque hodie gemit omnis paterfamilias Dominicæ messis, quia messis quidem multa, operarii autem pauci. Nam ut breviter dictum sit, multæ quidem sunt turbæ in Christum credentium multi cœtus in cœnobiis, sive, xenodochiis sub sacra professione degentium, sed in multitudine horum, pauci sunt qui operantur, id est qui ad illum pervenerint profectum, ut eis secure cura vel providentia committi possit infirmiorum. Quid ergo faciat is cui credita est dispensatio sive procuratio messis ejusmodi ? Roget utique Dominum messis, ut mittat operarios in messem, id est omni instantia postulet a Deo, quatenus in pluribus subditorum multiplicet gratiam spriritualem, imitatus primum procuratorum talium Spiritum sanctum, et fidelem Mosen. « Cur, inquit, ille ad Dominum afflixisti servum tuum ? Quare non invento gratiam coram te ? Et cur imposuisti pondus universi hujus populi

super me? Nunquid ego concepi hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua juravi patribus eorum?» (*Num.* XI.) Denique quid Moses in verbis istis intenderit, quid isto tam grandi, tam vehementi gemitu postulaverit, Deus exauditor cordis ejus, sua responsione manifestum facit. Ait enim: «Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri, et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, et facies ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi et non tu solus graveris (*ibid.*).» Igitur quisquis procurator est Dominicæ messis secundum hoc exemplum fidelis Mosi roget supplementum, et dabit illi ita duntaxat ut ab omni sinistra æmulatione sit immunis, itidem secundum exemplum Mosi. Cum enim cucurrisset puer, et nuntiasset Mosi dicens: «Heldat et Medat prophetant in castris (*ibid.*),» statimque Josue filius Nun, minister Mosis et electus e pluribus, dixisset: «Domine mi Moses, prohibe eos (*ibid.*).»—«Quid, inquit ille, æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum? (*ibid.*) Notandum interea, qui cum apud alium evangelistam dicat: «Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios (*Luc.* X),» hic apud hunc evangelistam vehementius dictum est, «ut ejiciat operarios in messem.» Quid enim est dicere, ut ejiciat, nisi quia libenter otiosi sunt, etiam illorum quam plurimi, quibus creditum est talentum operationis, et interdum quasi specie sanctitatis atque perfectionis volunt secretius vivere soli sibimetipsis, cum prodesse possint et aliis! Ejiciat Dominus qui ejusmodi sunt, scilicet conveniendo conscientias eorum, et redarguendo qui damnose abscondant talentum sibi creditum. Ejiciat, inquam, ut operentur, quia revera est ejici, optatam quietem relinquere præ timore Domini.

CAP. X.—«Et convocatis duodecim **638** discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem. Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus, Philippus et Bartholomæus, Thomas et Matthæus publicanus, et Jacobus Alphæi, et Thaddæus, Simon Chananæus, et Judas Ischariotes, qui tradidit eum.» Apud Lucam jam convocatis ac denominatis duodecim apostolis missurus et alios ad prædicandum Dominus, hæc verba dicit, quæ hic eum, antequam istos duodecim convocaret, dixisse legis, «messis quidem multa, operarii autem pauci (*Luc.* X),» etc. Causa ista recte animum quæstione pulsaret, si prius constans existeret quod Dominus prædicans Evangelium regni nunquam vel nusquam unum eumdem sermonem nisi semel et uno loco dicere debuisset. Sed

A quis hoc a prædicatore exigit, ut quod uno in loco vel tempore dixit, non repetat aut dicat locis vel temporibus aliis, præsertim cum nec omnes uno in loco adesse, nec omnes æqualiter semel audita perpeti memoria possint retinere? Nunc et in isto opere faciem dominantis vigilanter attende. «Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et infirmitatem.» Si paulo ante, ubi ejecto dæmone, locutus est mutus, merito miratæ sunt turbæ, et veraciter dixerunt: «Nunquam sic apparuit in Israel,» quanto magis de isto quod talem discipulis suis dedit postestatem, mirentur omnes et dicant, «nunquam sic apparuit in Israel?» Nunquid talis Moses? Nunquid sua potestate ranas

B produxit et muscas, aut alicui potestatem hanc dedit, ut produceret eas? Igitur hic Deus noster est, et non æstimabitur alius ad eum, qui non qualescunque ranas aut muscas, sed principes muscarum, id est sordium dæmones, et ipse sua potestate ejecit, quod neque Moses, neque alius fecit, et hominibus, quibus voluit, ejiciendi potestatem dedit.

Primus, inquit, Apostolorum Simon, qui dicitur Petrus. Et hoc ipsum nomen quod est Petrus, ab ipso Domino impositum est ei, cum diceretur Simon, Nam alius evangelista, videlicet Marcus, cum dixisset, «et dedit illis potestatem curandi et ejiciendi dæmonia,» protinus hæc ipsa duodecim apostolorum nomina præscribens: «Et imposuit, inquit, nomen Simoni Petrus (*Marc.* III).» Qui huic uni ex omnibus

C in Novo Testamento [nomen] communtavit, ut qui vocabatur Simon, vocaretur Petrus, ipse est qui similiter uni in Veteri Testamento nomen commutavit, ut qui vocabatur Jacob, vocaretur Israel (*Gen.* XXXII). Ipse enim scriptor nominum, qualia ipse nosse dignatus sit, et habet librum conscriptum ex nominibus splendidisimis, quem sciens Moses dixit: «Aut dimitte populo hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo,» subauditur, et non te (*Exod.* XXXII). Nam postmodum: «Invenisti enim, ait, gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine (*Exod.* XXXIII).» Nec abs re est quod et illius in Veteri, et hujus in Novo Testamento nomen commutavit, sed si pru-

D dens inspector adsit, pulcherrimum est mysterium hujusce commutationis, quia videlicet hoc agebatur, ut fieret quod per prophetam dictum est: «Et servos meos vocabo nomine alio, in quo qui benedictus est, benedicetur super terram (*Isa.* LXV).» Eorum videlicet servorum Dei multorum, ille secundum carnem, ipse autem Dominus noster Jesus Christus secundum spiritum Pater est. Unde et pulcherrimum hoc est in mysterio spectaculum, quia Pater ille secundum carnem principium multitudinis, duodecim filios, hic autem secundum spiritum principium Christianitatis, duodecim genuit apostolos, et sicut illi Patri secundum carnem, sic non sibimet quidem Pater iste spiritualis, sed primo vica-

rio suo pristinum commutavit nomen. Interpretatur autem Simon, *obediens*, Petrus *a petra* dictus est, ipse nomine suo soliditatem Ecclesiæ vel fidei catholicæ præsagiens, quam ipse insigniter ita edixit: « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Saulo quoque commutatatum est nomen, ut vocaretur Paulus; sed differt commutatio hæc, quia videlicet non ipse Dominus illi ore commutasse legitur. Andreas, *decorus* sive *resplendens*. Joannes in quo est gratia vel Domini gratia, et frater ejus Jacobus, ambo Boanerges, id est *filii tonitrui*, nominati, videlicet ex firmitate vel magnitudine fidei. Philippus *os lampadis*. Bartholomæus, *filius suspendentis aquas*. Thomas *abyssus* vel *geminus*. Unde et Græce δίδυμος appellatur. Matthæus, *donatus*, qui et Levi, videlicet a tribu ex qua ortus fuit. Jacobus Alphæi, ob distinctionem prioris cognominatus, qui dicitur Zebedæi, sicut iste filius Alphæi. Simon Chananæus ad distinctionem Simonis Petri, de vico Galilææ Chana, ubi aquas Dominus in vinum convertit. Thaddæus, qui et Judas Jacobi, subauditur frater, qui alibi appellatur Lebbæus, figuratum nomen habens a corde, quod nos diminutive corculum possumus appellare. Judas Ischariotes, vel a vico, in quo ortus est, vel ex tribu Isachar, vocabulum sumpsit, quodam præsagio futuri in condemnationem sui. Isachar enim interpretatur *merces*, ut significaretur pretium proditionis, quo Dominum vendidit. Quare autem, inquis, Dominus talem non solum ad discipulatum, verumetiam ad apostolatum admisit? Nunquid nescivit? Ad hæc breviter dicendum quia fecit hoc ob consolationem nostri, ob consolationem Ecclesiæ futuræ, vel eorum maxime qui Ecclesiis præsunt, ut cum eis aliquis perierit, respondeant derogantibus, dicant insultantibus: Ne miremini, et Christo accidit.

« Hos duodecim misit Jesus præcipiens eis, et dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. Euntes autem, prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Gratis accepistis, gratis date. » Non, ut plerique arbitrantur, tunc duodecim apostolos Dominus ordinavit, quando taliter eos convocavit, et talem eis potestatem dedit, sed tantummodo elegit, et numerum eorum duodenarium præfixit. Non idem est eligi, quod et ordinari sive sacrari. Quomodo ergo illos ordinavit sive sacravit? Nimirum quando functus officio suo magnus ipse sacerdos introivit in sancta per suum sanguinem (*Hebr.* IX), tunc eos sacravit, et tunc resurgens a mortuis, plenam atque perfectam potestatem dedit eis in hæc verba: « Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX), » itemque: « Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matt.* XXVIII). » Hæc namque summa est apostolicæ potestatis atque virtutis.

A remittere peccata per gratiam Spiritus sancti, baptizatis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quam videlicet potestatem seu virtutem neque præsenti loco, neque usquam in toto Evangelio, ante passionem suam dedisse illis reperire poteris. Siquidem hic illum dixisse legis, ut prædicarent, infirmos curarent, dæmones ejicerent, mortuos suscitarent, leprosos mundarent, sed non etiam hoc, ut baptizarent et peccata remitterent. Baptizaverunt quidem aliquando, scilicet, cum **639** impleret cursum suum, nondum traditus Joannes, sed non baptizaverunt ab ipso Domino jussi, imo, tantum exemplo vel baptismo Joannis, cujus et plerique illorum erant discipuli. Quare autem duodecim mittens, et eos instituens, in ipso instiB tutionis initio dixit: « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis? » Nimirum quia necdum tempus erat, neque hoc ut jam fieret divinæ rationis aut evangelicæ prædicationis ordo poscebat. Quid enim jam tunc prædicaretur gentibus? Ut circumciderentur, aut ut baptizarentur? Sed profecto circumcisio jam in Christo finem accipiebat, baptismi autem sacramentum necdum conditum erat. Hoc namque sacramentum in Christo passione vel morte conditum est. Hinc Apostolus: « Quicunque, » ait, « baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, » etc. (*Rom.* VI). Bene igitur: « In viam gentium, » inquit, « ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. » Sed quid? « Potius, » ait, « ite ad C oves quæ perierunt domus Israel. » Denique ad illud quod præsentialiter agendum instabat negotium, permittebat ire tantummodo ad oves quæ perierant domus Israel, oves pastorem non habentes, homines vexatos atque jacentes: quippe quibus neque dux, neque princeps, neque rex erat, neque pontifex, sed sub nomine pastorum lupos habentes, lupos graves, lupos rapaces et inde pereuntes. Et quid faciemus ad illas oves?

« Euntes autem, » inquit, « prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. » Nimirum quod pertinet ad rationem ovium, appropinquare regnum cœlorum, hoc est advenisse jam Pastorem magnum ovium, ad visitandum oves suas, sicut per prophetam Ezechiel prædixit: « Ecce, » inquit, « ego ipse requiram gregem meum de manu eorum D (*Ezech.* XXXIV). » Item: « Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum (*ibid.*). » Et quia nec oves ipsæ omnes visitationem suam vel pastorem suum cognoscere habebant, imo et hircinis cornibus pleræque illarum percussuræ erant oves optimas, occidendo, crucifigendo, flagellando, et de civitate in civitatem persequendo. Item postmodum dicit: « Ecce ego judico inter pecus et pecus, arietem et hircum (*ibid.*). Et rursum: « Ecce ipse judico inter pecus pingue et macilentum, pro eo quod lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris

ventilabatis omnia infirma pecora, donec disperge- A rentur foras (*ibid.*). » Hujusce judicationis consummatio tunc erit, « cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo : tunc sedebit super sedem majestatis, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris (*Matth.* xxv). » Hoc erit regnum cœlorum, missis hædis in ignem æternum, transire oves in vitam æternam. « Et inducam eas, inquit, in terram suam et pascam eas in montibus Israel, in rivis, et in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas et in montibus excelsis Israel erunt pascuæ eorum et ibi requiescent (*Ezech.* xxxiv). « Hoc, inquam, est regnum cœlorum, et quia Pastor iste jam venit, pro- B pterea dico vobis nunc, ut euntes ad oves quibus hoc per Scripturam propheticam promissum est, prædicetis, « dicentes quia appropinquavit regnum cœlorum. » Et quia difficile est ut credant me esse ipsum Dominum Deum visitantem oves suas, « sicut visitat pastor gregem suum, » facite quæ dico. « Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. » Hæc facite in testimonium, ut de visitatione sua gaudeant quidem oves, sint autem hirci inexcusabiles. In his autem omnibus aliena sit intentio cupiditatis ab operatione virtutis. « Gratis » enim « accepistis, » et idcirco « gratis date. » — « Quis enim » vestrum mihi « prior dedit et retribuetur ei ?» (*Rom.* xi.) Potestas ista quam dedi vobis, non est alicujus dati vestri retributio, C sed est omnino spontanea, et gratuita donatio. Non solum autem vos, verum etiam ante vos, et prophetæ, et patriarchæ, et alii, quicunque dicunt, et veraciter dicunt, « De plenitudine ejus nos omnes accepimus (*Joan.* i), » quamcunque operationem virtutum, qualemcunque gratiam acceperunt, gratis acceperunt. Et vos igitur « gratis date. » Etenim quicunque gratis non dederit, non erit quemadmodum illi grati et gratiosi, exempli, gratia, quemadmodum Helisæus, qui Naaman Syro, quem a lepra sua mundaverat, dicenti, « Obsecro ut accipias benedictionem a servo tuo : Vivit, ait Dominus ante quem sto, quia non accipiam ; cumque vim faceret, penitus non acquievit ; » sed erit quemadmodum Giezi, qui dixit : » Pepercit Dominus meus D Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit : vivit Dominus, quia curram post eum et accipiam ab eo aliquid. » Cucurrit et accepit, et cum reversus esset, lepra Naaman adhæsit ei (IV *Reg.* v).

« Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo. In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete, donec exeatis. » Hæc est illa ordinatio Domini, cujus Apostolus, ad Corinthios scribens, ita meminit : « Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt ? Qui altari deserviunt, cum altari participantur. Ita et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere (I *Cor.* ix). » Ad quid enim, neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis, neque peram habeant prædicatores Evangelii, nisi quia neque necesse est, neque expedit ? Seminantes enim sua spiritualia, jure illorum quibus seminant metere debent carnalia, secundum istam sententiam a justissimo prolatam Domino : « Dignus est enim operarius cibo suo. » Est autem hic aliquid quærendum, quia cum apud hunc evangelistam supra (13)... ita scriptum est, « Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum (*Marc.* vi). » Et quidem si unam tantum virgam sciremus, difficilius ista quæstio solveretur. Nunc autem duæ virgæ sunt, altera regnum gentium, alia discipulorum Christi. Virga regnum gentium, virga est dominationis : virga discipulorum Christi, virga dilectionis, virga pastoralis officii, super curam animarum sollicite vigilantis. Illa virga, quæ dominationis est, non est concessa ministris Evangelii pacis, et illa interdicitur hic, dicendo, « neque virgam, » amplius autem illic : « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur ; vos autem non sic (*Luc.* xxii). » Porro, virgam disciplinæ, virgam pastoralis sollicitudinis ac vigilantiæ, non solum nunquam interdixit, verum etiam ab initio jussit, ab initio, inquam, id est ex quo primum pastores animarum mittere cœpit. Talium namque primi fuerunt Moses et Aaron. Illis utique, cum mitteret eos, non præcepit Dominus, ut quidquam tollerent in via, nisi virgam tantum. « Quid est, » ait ipse ad Mosen, « quod tenes in manu tua ? Respondit : Virga. » Ait : « Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, » etc. (*Exod.* iv). Et subinde : « Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa (*ibid.*). » Quid aliud præcepit huic vel fratri ejus Aaron, ut tollerent in via, nisi virgam tantum illam ? Sic nimirum evangelistis omnibus, cunctis Evangelii prædicatoribus, nihil aliud præcepit in via sua tollere, nisi vigorem pastoralis curæ, nisi legem vitæ ac **640** disciplinæ, et pro hujus rei signo interdum virgam quoque materialem manu gestare. Porro, virgam dominationis, sicut jam dictum est, apud istum evangelistam interdicit. Quod sciens apostolus Petrus, dicit : » Neque dominantes in clero, sed forma facti gregis (I *Petr.* v), » et Paulus ad Corinthios : « Parcens, inquit, vobis non veni ultra Corinthum, non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri. Nam fide statis (II *Cor.* i). » Quid si non straretis ? Utique tunc « in virga venirem ad vos, nunc autem in spiritu mansuetudinis (I *Cor.* iv). » Quid igitur evangelistæ sunt vel erant facturi, si neque aurum, neque argentum possidere concessum est eis, neque

(13) Prasis manca, cujus sensum integrum assequeris, ita supplendo quæ desunt : *Cum apud hunc evangelistam est* [*irgæ possios omnino prohibita sit, apud alium*] *ita, eti.* PATROLOGIÆ EDITOR.

pecuniam in zonis ? Ait : » Dignus est enim operarius cibo suo. » Et continuo subjungit : » In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis, edentes et bibentes quæ apud illos sunt, » sicut Lucas manifestius meminit (*Luc.* x). Hæc fiducia neque aurum, neque argentum, neque zonas ære fecundas admittunt, aut admittere debent suo comitatu ministri verbi Domini, qui debitor est illis omnis auditor ejusdem verbi Domini, ut illud os impleat cibo corporali, de quo verbum vitæ accepit, qui cibus est spiritualis, ut confidenter dicat : » Si nos vobis nostra spiritualia seminavimus, magnum est, si vestra carnalia metamus ? » (I *Cor.* IX.) Nunquid aliquem unquam Omnipotentis vernulam verbi spes ista frustravit ? Imo et si totus fere mundus aliquando esuriat, et pane indigeat, justum illum, cujus in corde domesticum, cujus in ore familiare est Dei verbum, non videbis derelictum (*Psal.* XXXVI) ; et verum est, quod Scriptura dicit : « Non interficiet Dominus fame animam justi (*Prov.* x). » Exempli gratia : Cum reges et principes esurirent in Israel, et Helias fortissimus verbi Dei minister superesset, nec haberet qui eum pasceret : « Recede hinc, ait Dominus, et absconde te in torrente et ibi de torrente bibes, corvisque præcepi ut pascant te (II Reg. XVII). » Rursus cum post dies siccatus esset torrens, non enim pluerat super terram : « Surge, inquit, et vade in Sareptha Sydoniorum, et manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te (*ibid.*). » Sublata est igitur omnis cupiditatis vel miseræ sollicitudinis occasio, ut sit evangelistarum liber animus, et non ipsi aurum dominetur, sed ipse auro, et omnibus quæ possident homines dominetur, et de omnibus nihil nisi victum et vestitum accipere dignetur. Quomodo autem quisquam audeat illis hæc, scilicet victum et vestitum subtrahere aut invidere ? Revera nullo modo, nisi semetipsum judicare velit indignum æternæ vitæ. Nam hæc est ipsius sententia Verbi ministros suos in suum opus emittentis.

« In quamcunque civitatem aut domum intraveritis interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis. Intrantes autem domum, salutate eam dicentes : Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus digna, veniet super illam pax vestra. Si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur. Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros exeuntes de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam civitati illi. » Hoc est, quod gaudere grati, quod timere debent ingrati. Discernuntur enim grati ab ingratis, recipientes a non recipientibus judicio mirabili, judicio terribili. Nam super istos requiescit pax, super illos cælestis secundum exemplum Sodomorum et Gomorrhæorum irruit ira. Revocemus ad memoriam illam in Sodomis rem gestam, et secundum illius similitudinem clarius animadvertere poterimus præsentem rei veritatem. « Missi Sodomam venerunt vespere duo angeli, sedente Loth in foribus civitatis (*Gen.* XIX). Non exspectavit ille, videlicet Loth, ut illi hospitium postularent, aut interrogarent, qui in domo ejus essent digni hospitibus tantis, sed obviam vadens et adorans, obsecravit, et obsecrando compulit, ut ad eum diverterent. Et quia ingressus domum suam fecit convivium, coxit azima, et comederunt, venit super domum illam pax eorum, ut dicerent ad eum : « Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes, ne te tu pariter pereas in scelere civitatis. Salva animam tuam, noli respicere post tergum (*ibid.*), etc. Simul hæc dicentes, » apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris ejus, ac duarum filiarum ex eo quod parceret Dominus illi, et eduxerunt eum, posueruntque extra civitatem (*ibid.*). » Ita super eum pax quædam requievit, super Sodomam autem et Gomorrham ira venit, scilicet ignis, et sulphuris pluvia, quæ illos subvertit. Juxta hanc similitudinem, « si fuerit domus digna, » inquit Dominus evangelistis suis, « super eos veniet pax vestra ; si autem non fuerit digna, euntes, ait, excutite pulverem de pedibus vestris ; et tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam civitati illi. » Ut dictum, ita et factum est. Etenim super Ecclesiam gentium, quæ apostolos Christi recepit, et alacriter, ut dignum erat, respondit dicentibus : « Pax huic domui, » pax apostolica, pax ipse Christus, quemadmodum dicunt, « Ipse est pax nostra (*Ephes.* III). » venit, et requievit. Illi autem civitati terrenæ Hierusalem, imo Sodomæ atque Gomorrhæ, quæ pacem istam non recepit, nec solum non recepit, verum etiam crucifixit, qualiter jam acciderit, totus orbis audivit, et in die judicii nullum est dubium, quin judicandum sit peccatum ejus intolerabilius peccato Sodomorum, quemadmodum et Hieremias in Lamentationibus dicit : « Et major est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus (*Thren.* IV). » Quid enim de illa Sodoma dictum est, « et non ceperunt in ea manus, » nisi quia voluerunt quidem illudere viros Sodomitæ, qui introierant ad Loth, sed in ea (videlicet Sodoma) nullus fuit cujus manu caperent illos (*Gen.* XIX). Nam domum quidem circumdederunt, sed manus eorum viros illos non ceperunt. At illa quam dicit propheta filiam populi sui, Dominum ipsum et armis circumdedit, et manibus cedit atque comprehendit, illusit, conspuit, flagellavit, crucifixit, occidit. Rectissime igitur tolerabilius erit in die judicii Sodomæ et Gomorrhæ, quam civitati illi et omni genti, quæ secundum exemplum illius missos ad se ministros salutis non recepit. Et nota vehementiam separationis et horrendi anathemastis, in eo quod dicit, » exeuntes de domo vel civitate illa, etiam pulverem excutite de pedibus vestris, » quod eos fecisse Lucas in Actibus apostolorum manifestissime meminit (*Act.* XIII).

«Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, Estote ego prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ; cavete autem ab illis hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides, et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. »Proptera supradixit,« et quicunque non receperint vos, » quia sciebat quod non essent ab omnibus recipiendi, imo a quampluribus ejiciendi, et ab mortem tradendi. Et ipse quoque primus erat ejiciendus et ad mortem tradendus. Quomodo ejiciendus ? qualiter tradendus? «Sicut ovis, ait Esaias, ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum (*Isai.* LIII). »Sed et Joannem Baptistam dicentem audierant: «Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Multis in locis Evangeliorum **641** nominibus utitur hujusmodi, scilicet, pastoris et ovium atque agnorum, pastoris : non regis; ovium, non militum, sed et se ipsum pastorem, non regem, suos discipulos oves, non milites nuncupans. Quod cum ubique diligenter animadvertendum sit, illic maxime delectabile est, ubi cum illi de regio nomine calumnia strueretur a dicentibus: «Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* X), » Christus quippe regium est nomen, et hoc idcirco dicebant, ut in isto nomine captum, possent accusare apud Cæsarem, aut etiam securo invadere, tanquam propter Cæsaris fidelitatem: taliter evasit sapiens corde, taliter elusit superbos et invidos mitis et humilis corde: «Loquor, ait, vobis, et opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, » et cætera usque : « Ego et Pater unum sumus (*ibid.*). » quod utique non minus est quam si palam dixisset eis, Ego sum Christus.

Igitur et hic cum dicit,« ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum,» et ubicunque se pastorem profitetur, suosque sequaces nuncupat oves, duplicem affert utilitatem, quia et illos informat ad mansuetudinem, ut discant ab eo quod sit mitis et humilis corde, et cum omnibus hominibus pacem studet habere, ut nullam habeant adversus eum occasionem justæ querelæ. Exitus probavit quam veraciter ab eo hoc prædictum fuerit: « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.» Ubi enim exsequebantur suæ misionis officium, diversis in locis ab hominibus impiis, tanquam oves a lupis, invasi sunt, lacerati sunt, et cum male tractarentur, non aperuerunt os suum, inter omnes et apud omnes ita prudentes sicut serpentes, ita simplices sicut columbæ. In quo prudentes sicut serpentes ? In eo nimirum, quod cum flagellarentur, occiderentur, lapiderentur, et de civitate in civitatem dispellerentur, cautissime ac vigilantissime agebant, atque patiebantur, tradentes quidem lupis rapacibus corpora sua, custodientes autem Deo Creatori suo

A corda sua, secundum similitudinem serpentis, qui dum percutitur, totum percutienti objicit corpus, maxime pro capite sollicitus, ut quoniam vulneribus carere non potest, saltem caput in quo sibi vita est, utcunque protegatur. Nonne caput hujuscemodi ovium est Agnus Dei Christus ? Pro quo dum corpora sua tradunt ad supplicia et dispendium vitæ præsentis sustinent, ut Christum lucrentur, profecto prudentes sicut serpentes inveniuntur In quo autem simplices sicut columbæ ? In eo videlicet quod nihil eorum faciunt, quæ corvi solent facere : corvi, inquam, id est homines mali, rapaces, cupidi, pro mundo vel pro his quæ mundi sunt, litigantes, invicem mordentes, invicem laniantes. Ita fit ut, dum nihil rapiunt, nullius rem concupiscunt, et B omnia innocentes aspiciunt oculis simplicibus, oculis columbarum, nec solum non rapiunt, verumetiam derelinquunt, dando in usus pauperum, quemadmodum oves, et lac suum et lanam suam capientibus non contradicunt, et insuper corpora sua percutientibus exponunt, solum custodientes caput suum Christum. Ita, inquam, fit, ut et lupis et leonibus et ursis nulla sit occasio porrecta lacerandi eos, flagellandi eos, occidendi, et de civitate in civitatem persequendi eos.« Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.»Hic est effectus similitudinis serpentium, quem dixit : «Estote ergo prudentes sicut serpentes, » scilicet « cavete ab hominibus, » ut subau- C dias vel subintelligas, ne homines percutiant caput, totumque obducite, et percutiendum exponite corpus, secundum similitudinem serpentis, de quo jam supra dictum est. Nam hoc est cavere ab hominibus, scilicet intentos esse et valde sollicitos, ne fiat quod homines moliuntur, ne vos, aut terroribus concutiant, aut blandimentis seducant, ut negligatis metu mortis Christum, qui est caput vestrum. Terribile valde est, si rite perpendas, quod cum dixisset, «et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et ad reges ducemini propter me, » addidit, « in testimonium illis et gentibus. »Cujusnam rei in testimonium ? et quo in tempore revelandum est testimonium ? Nimirum in die judicii, quando faciendum erit, ut, quemadmodum supra D dixit, tolerabilius sit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum, quam illi civitati quæ vos, inquit, non receperit. Quale enim erit in illa die hujusmodi testimonium contra se videre, ut non se possint excusare et dicere: Domine, quando misisti nuntios tuos ad nos, qui prænuntiarent de judicio isto, et non recepimus eos? Diceret enim illis Rex sedens super sedem majestatis suæ : Amen dico vobis, ecce isti sunt quos misi ego in medio vestrum, sicut oves in medio luporum, et ecce cicatrices flagellorum quibus flagellastis eos in synagogis vestris: imo ecce signa clavorum in manibus et perdibus meis, quibus me confixistis. Unde et nunc scio re-

probare malum et eligere bonum, certum habens tam ex meipso quam ex istis quos sicut me et propter me occidistis et persecuti estis, contra vos testimonium, atque inde est irreprehensibile judicium.

« Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Sicut cavere ab hominibus, ut supra dixit,prudentiæ serpentinæ est,ita quod nunc dicit, « nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, » simplicitatis est columbinæ. Simplicitas ejusmodi socia est veritatis angulum non quærentis,cum foris pulsata quæstionibus statim respicit intus, nec aliud scit aut vult eloqui, nisi quod in conscientiæ suæ libro scriptum invenit, scribente,id est suggerente Spiritu Dei,qui et ipse ob significandam simplicem suimet veritatem super Dominum nostrum in specie columbæ apparuit (*Matth.* III). Simile quid et nobis agendum est tanquàm si hic idem optimus informator dicat nobis : Cum autem acceditis ad tractandum verbum Dei,nolite præcogitare qualibus verborum phaleris sanctæ Scripturæ sensum exornetis, dabuntur enim vobis verba sponte venientia, de Spiritu Patris vestri, quæ utique quanto magis sponte venient,tanto et vobis minus fatigationis, et audientibus sive legentibus plus afferent delectationis.O quam dulce, quam præclarum est,ea quæ loquimur aut scribimus, talia esse ut ea prudens auditor sive benevolus lector,nequaquam dignetur ascribere nobis, dicatque : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis ! Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium. Et consurgent filii in parentes, et morte eos afficient. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Sicut hic audivimus prædictum, ita et vidimus factum, ut **642** confidenter dicamus : « Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum (*Psal.* XLVII). » Nam quod præmisit illic, « ibi dolores ut parturientis, » maxime sanctos martyres respicit,quorum dolores fuere non parvi,tunc præcipue, quando frater fratrem, et pater filium in mortem tradidit,et filii in parentes consurrexerunt, et morte eos affecerunt propter nomen Christi.Revera ibi dolores magni,verumtamen non qualescunque, sed « ut parturientis. » Nam qui perseverat usque in finem, ait, hic salvus erit, et salus sic eum faciet dolorum omnium oblivisci, sicut filius natus mulierem quæ peperit. « Cum enim pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum (*Joan.* XVI). » Magnus igitur etiam in doloribus istis Dominus et laudabilis nimis,magna gloria et magnus honor hujus filii hominis, quia sicut de seipso Spiritus sanctus prædixerat : « De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput (*Psal.* CIX), » ita et ipse suis prædicit futuris militibus, quod bibituri sint similiter, propinantibus cognatis et amicis et parentibus, et propterea suum in salutem debeant exaltare caput. Quid si non valeant aliqui teneriores ejusmodi sustinere dolores ? Ait :

« Si autem persequentur vos in civitate ista,fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec regnum Dei veniat. » O ergo quisquis es et prudens et simplex prædicator sive auditor Evangelii, prudens ut serpens, simplex ut columba,non sic præsumas de Spiritu fortitudinis, ut obliviscaris hujusce consilii ? Unde enim scis utrum vere habeas Spiritum fortitudinis ? imo unde scis utrum amore an odio dignus sis ? (*Eccle.* IX.) Non ergo nimis cito temetipsum præcipites in caminum tentationis, sed timens ne forte martyrio dignus non sis, cum te persecuti fuerint in una civitate, fuge in aliam, quia « non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei (*Rom.* IX), » et justius necessitas quam voluntas coronam parit. Verumtamen si expertus veraciter, quod donum vel gratiam habeas supernæ fortitudinis,et hoc tibi Spiritus sanctus aliquo modo revelavit, pulchrum est, laudabile est ut vexillum crucis ultro arripias, et percurrens contra hostem in procinctu fidei confirmes infirmos, et sperandæ a Deo fortitudinis exemplum illas præbeas. Alioqui tutius est ut fugias in spiritu humilitatis, in spiritu timoris Domini,quia Petrum quoque apostolorum principem, cum sibi videretur fortis, ancilla ostiara terruit (*Matth.* XXVI). Forte dicis : Quo fugiam ? Quam civitatem adeam ? Nunquid nobis fugientibus multæ aperientur civitates ? Ad hæc ille : « Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel donec regnum Dei veniat. » Ac si dicat : Hactenus paucæ fuerunt civitates Israel, ita ut cunctas olim una possideret mulier Jezabel, quæ regnavit in Samaria cum filio sua Athalia impiissima, quæ regnavit in Hierusalem. Tunc ita paucæ fuerunt civitates in Israel, ut cum occiderentur prophetæ in una civitate, non haberent aliam in quam fugerent, sed circuibant in melotis, in pellibus caprinis,egentes, angustati,afflicti (*Hebr.* XI), nisi quod Abdias,secundum nomen suum servus Domini, parvit ex eis centum viros quinquagenos et quinquagenos in speluncis (*III Reg.* XVIII). At nunc tot erunt civitates Israel, tot erunt per orbem terrarum civitates sive ecclesiæ meo nomini dicatæ, qui sum verus Israel, civitates hospitales, ecclesiæ pauperum, fidelium susceptrices, ut non possit quivis consummare illas,donec regnum Dei veniat. Nemo quippe tandiu in ista peregrinatione vivit aut vivet,ut fugiendo pertransire possit omnes, quæ in me crediturae sunt, civitates,tales fugitivos libenter suscipientas, consolantes, honorificantes, et me in illis se recipere non vane existimantes.

« Non est discipulis super magistrum nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo,ut sit sicut magister ejus, et servus sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebud vocaverunt, quanto ma-

gis domesticos ejus ? Ne ergo timueritis eos. » Quo respectu vel qua intentione dixerit, « non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum, sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, et servus sicut dominus ejus » manifestat, subdendo, « si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus ? » Sufficientia hæc cunctos discipulos veritatis, omnes servos Altissimi suavissime consolatur, dum traduntur in conciliis, dum flagellantur in synagogis, dum ducuntur ad reges et præsides, et odio sunt omnibus et morte afficiuntur propter nomen Domini. Amplius quærere non debet, ne forte fiat discipulus contrarius magistro, aut servus in contrarium dissimilis domino suo, quia nil magis contrarium, quam ut discipulus superior magistro, servus major esse velit domino suo, quod est velle ab hominibus glorificari, et beneficum vocari, cum ille tantus Dominus, ab hominibus reprobatus, et Beelzebub vocatus fuerit, velle per delicias in regnum Dei [pervenire], cum ille magister humilitatis, per mortem, mortem autem crucis, in regnum suum pervenerit. Hoc sibimet sufficere judicet perfectus discipulus et fidelis servus, ut sit sicut magister et dominus suus : qui inde magister, quod homo ; inde dominus, quod Deus est. Et secundum hoc judicium respondeat adversario, si forte insultans in tribulatione dixerit : Ubi est Deus tuus ? aut certe non curat te Deus tuus.

« Ne ergo timueritis eos. Nihil enim opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine ; et quod in aure auditis, prædicate super tecta. » Ne, inquit, timueritis eos, ne timueritis eorum judicium male de vobis judicantium, dum odio vos habent propter nomen meum, et ejiciunt nomen vestrum tanquam malum. Quid autem esset timere eos sive judicium eorum, nisi sperare de providentia Dei, quod non curet aut non dignetur respondere pro humilibus servis suis, et bonæ illorum conscientiæ verum perhibere testimonium ? Timore hujusmodi omnino ne timueritis eos. Nihil enim opertum, quod non scietur. « Veniet Dominus, inquit Apostolus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo (*I Cor.* IV). » Nam de malis quidem electorum actibus nonnihil opertum, nonnihil remanebit occultum, cum scriptum sit : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI), » et Sapientia dicat Deo : « Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam (*Sap.* XI), » quo dicto satis innuit misericordem Deum velle aliquid de peccatis nostris sibimetipsi quodammodo esse occultum; sed de bonis cujusque actibus, sive de conscientiis bonorum hominum, quas ignorantes homines, plerumque de bonis male sentiunt, et indiscretum super eos præcipiant judicium, de bonis, inquam, nihil omnino « est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur. » O quanta in præsenti quoque vita revelavit, et sciri fecit Deus

A circa suos electos, etiam ipsis nolentibus, dum propter humilitatis custodiam semetipsos abscondunt, et opera sua videri cavent ab hominibus. Novit ipse quos, quomodo, et quorum propter utilitatem oporteat revelari vel sciri etiam nunc, ante illam illuminationem sive manifestationem universalem. 643 quam Apostolus, ut jam dictum est, exspectandam pronuntiavit : « Nolite, inquiens, ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV). » Beatum Job revelatum esse et sciri voluit, quam esset simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo (*Job.* I), et sanctos innumerabiles, qui per humilitatem apud semetipsos latere voluissent, non solum cognosci fecit ex operibus bonis, verumetiam nonnunquam verbis ipsorum secreta cordis eorum utiliter revelavit, ut facerent quod hic continuo subjunctum est :

« Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta. » Quid ipse dicit in tenebris, et quid in aure loquitur Verbum Dei, Deus ipse Jesus Christus, nisi revelationes Dei, quas in occulto quasi in tenebris, ubi homines non vident, quando vult et prout vult, per Spiritum sanctum immittit ? Et hoc bonum quidem per humilitatem abscondere, et occultum tenere videlicet quando, et quomodo gratiam, qua illustratus est, quis acceperit, optimum autem revelare pro gloria et honore Dei, dum utilitatis causa exposcit aut justa necessitas exigit. Nam exempli gratia, nullatenus quisquam tam utiliter secretum Dei donum qualiter acceperit silentio premit, quam utiliter Paulus vas electionis prædicavit, scribens Corinthiis inter cætera de semetipsos, quod usque ad tertium cœlum sive paradisum raptus, audisset arcana verba quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XI). Nonne talia scribens dixit in lumine quod sibi dictum fuit in tenebris, et quod in aure audierat super tecta prædicavit ? Nempe et si omnia dixit aut scripsit quæ in cœlo illo tertio, in illo paradiso audivit, « et quoniam audivi, inquit, arcana verba quæ non licet homini loqui, » attamen hoc ipsum quod illuc usque raptus est, recte in tenebris dictum, et in aure auditum recte animadvertis, quia raptum eum illuc fuisse, et arcana verba audisse nullus mortalium vidit, nullus audivit, neque audire poterat, nisi de semetipso enuntiasset ipse qui vidit et audivit. Ecce ergo dixit in lumine quod sibi dictum est in tenebris, et prædicavit super tecta quod in aure audivit. Imitantur autem illum quicunque prædicant gratiam sibi datam, exigente causa justæ necessitatis, procul absente vento miseræ vanitatis. « Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » Hic recte dicat quis : Da, Domine, quod jubes, et jube quod vis. Ecce jubes ut non timeamus eos qui occidunt corpus, et ratio consentit eum potius esse timendum qui potest et animam et corpus

perdere in gehennam. Sed quæ caro non timeat occidi? Petrus apostolorum primus timuit, et mori timens, Vitam negavit. Cur hoc, nisi nondum illi dederas ut non timeret? qui nisi feras (*sic*) ut non timere? Postquam illi dedisti, potuit facere quod jussisti. Esto igitur fortitudo nostra, et fac in nobis quod tu nos facere vis. Verumtamen hoc primum debet scire fides, quod docendo jubes, et jubendo doces, et deinde spes orare, charitas impetrare ut des ipse quod jubes. Oportet autem sicut veram fidem, ita et firmam habere spem, ut non putet quisquam, quamvis exiguus, quod ab Altissimo non sit requirendus, eo quod parvus sibi videatur et abjectus, cum scriptum sit: « Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum (*Psal.* IX). » Item: « Quoniam non in finem B oblivio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in finem (*ibid.*). » Sequitur ergo:

« Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. » Ecce quam fortiter humilitati huic majestas veritatis occurrit. « Nonne, inquit, duo passeres asse veneunt? » vera propositio, quia et vere omnibus notum est, quia duo passeres pro vili dantur pretio, et longe viliores sunt corpore et anima, quibus ex duobus consistit sive subsistit unus rationalis homo, « et unus ex illis, inquit, non cadet super terram sine Patre vestro. » Assume et hoc, quicunque es vel esse cupis discipulus tanti magistri. Sed forte titubas et dicis: Quomodo unus passer sine Patre nostro in terra C non cadit, cum nec de bove, qui utique major est passere, Deo cura sit? Denique Apostolus cum dixisset, scribens Corinthiis: « Scriptum est enim in lege Mosi (*Deut.* XXVI): Non alligabis os bovi trituranti, » protinus ait: « Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos hæc dicit? Utique propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat in spe fructus percipiendi (*I Cor.* IX), » etc. Quomodo ergo unus ex passeribus non cadit in terram sine Patre vestro, si nec de bobus tanto majoribus, quam sunt passeres, cura est Deo? Ad hæc inquam: Apostolus de lege scripta loquebatur, et hic ejus sensus, quia non fuisset Deo cura, ut de bobus irrationalibus lex scriberetur. Porro hic Filius Dei de providentia Dei loquitur, qui ipse D providerit, unde et quomodo det escam omni carni (*Psal.* CXXX), ut non solum educat de terra panem homini (*Psal.* CIII), verumetiam animantibus terræ et volucribus cœli escam provideat competentem illis, juxta illud Davidicum: « Quid dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum (*Psal.* CXLVI). » Proinde assume et hoc, « et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro, » simulque quod subjungit, « vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt, » quia videlicet Christiana fides exposcit ut non dubites resurrectionem futuram, non solum cum omnibus menbris corporis, verumetiam et cum palpebris sive superciliis, et cum omnibus capillis suis. Cum hoc ut Christianus homo assumpseris statim fortissimo syllogismo suaviter stringeris, inferente illo: « Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. » Meliores, inquam, id est majoris pretii estis vos. Rationalis enim creatura est homo, et vita ejus longe diuturnior est præsenti sæculo, quia non moritur homo, sed solum corpus, et ipsum resurrecturum, ac sine fine cum anima semper victurum est.

« Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. » Ergo, inquit, quoniam unus homo multis passeribus melior est, vos non dubitantes curam de vobis esse Deo, nolite, ut jam dictum est, timere eos qui occidunt corpus, sed confitemini me coram vestris interfectoribus, quia tale judicium erit super hoc, ut qui me confessus fuerit, ego confitear eum, et qui me negaverit, negem et ego eum coram Patre meo. Profecto gloria erit ei, quem talis in illa die confitebitur; confusio autem illi, quem negabit, sive confundetur, quod apud alium evangelistam legimus, id est erubescet confiteri quod suus sit. Quod hujus rei Apostolus magnifice meminit, dicens ad Hebræos de sanctis Patribus: Ideo non confunditur Deus vocari eorum Deus, videlicet quia confessi sunt quod peregrini et hospites essent super terram, manentem hic non habentes civitatem, et meliorem appetentes, id est **644** cœlestem (*Hebr.* XI). Profecto dum de illis negatur, simul de oppositis, id est de infidelibus affirmatur quia confunditur Deus vocari eorum Deus. Et væ illis, quorum Deus esse, quos confiteri et salvare ipse, salvo honore suo, poterit! « Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis, domestici ejus. » Cum dicit: « Nolite arbitrari quia venerim mittere pacem, » subaudiendum est, quomodo mundus dat, qualem mundus pacem mittit, qualem requirit. Nam et alibi cum dixisset: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, » protinus ait: « Non quomodo mundus dat, ego do vobis. » Est ergo pax mundi, quam iste Dominus et princeps pacis mittere non venit. Est enim illa contraria paci Dei, de qua Apostolus ad Galatas: « Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax (*Gal.* V). » Item: « Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras (*Philipp.* IV). » Hujus pacis princeps, ipse est (*Isai.* IX), et hanc mittere venit, primo pacificans per suum sanguinem omnia quæ in cœlis, et quæ in terra sunt (*Col.* I), et deinde: « evangelizans, ait Apostolus, pacem vobis qui longe fuistis, et pacem his qui prope sunt (*Ephes*, II). » Pax ista remissio peccatorum est, sed mundus in maligno positus, istam non quærit, sed

qualem tunc habebat illa vallis visionis, scilicet Hierusalem, cui dicebat iste pacificus verus. « Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi (*Luc.* XIX). » Hæc pax erat, » et hoc gaudium, et hæc lætitia, » ait Esaias in onere ejusdem vallis visionis, « occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur (*Isa.* XXII).

Non, inquit, veni mittere pacem ejusmodi, sed gladium, id est separationem filiorum pacis Dei a filiis illius non pacis, sed iniquitatis quemadmodum ibidem continuo subjunctum est : « Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum (*ibid.*). » Quis nescit, quis non audivit, persæpe factum esse vel fieri, quod hic se facturum prædixit, « veni enim separare hominem adversus Patrem suum, et nurum adversus socrum suam. » Simulque nota quam pulchre, quam convenienter discipulos suos ad propheticam auctoritatem mittit, ut cognoscant, quam antiqua veritatis hujus constantia sit, dicendo, « et inimici hominis, domestici ejus. » Sic enim in Michæa prædictum fuerat : « Nolite credere amico, et nolite confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, filia consurgit adversus matrem suam, nurus contra socrum suam, inimici hominis domestici ejus (*Mich.* VII). » Commemorando hanc ultimam prophetiæ sententiam, « et inimici hominis domestici ejus, » profecto prophetiam ipsam pulchre innuit testimonium ferre dictis suis, nec posse aliter Scripturas impleri, nisi faciat ipse quemadmodum dicit, « non pacem, sed gladium mittere veni. » Et quidem sunt aliæ quoque affinitates, quas inter dividit gladius Evangelii, sed ex multis istæ duæ sufficiunt, quarum altera, scilicet hominis et patris sui de majoribus; altera, videlicet socrus et nurus suæ, de minoribus affinitatibus est, adeo ut rara inter socrum et nurum concordia sit. Unde apud comicum quemdam socrus, dum apud nurum suspectam se hujus vitii persentiret, seque excusare intenderet, inquit :

....*Non facile est excusatu* [*expurgatu*]:
(TERENT. *Hecyr.* act. II, scen. 3).

Ita animum induxerunt socrus omnes esse iniquas. Dum ergo dicit, « veni enim separare hominem adversus patrem suum, et nurum adversus socrum suam, » idem est ac dicat: Omnes omnino tam majores quam minores affinitates separare veni, demonstranda rumpendam esse pacem malam, et tolerandam carnis discordiam propter Dei concordiam.

« Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. » Ecce gladius separantis, ecce separatio propinquitatis. Ecce divisio quæ unum eumdemque hominem contra semetipsum dividit : « Non est me dignus, ait, A qui patrem aut matrem, qui filium aut filiam diligit plusquam me, non est me dignus, qui non crucem suam accipit ut sequatur me. » Hoc verbum judicantis, gladius est separantis. Quis enim habens cor carneum, quis non habens cor lapideum, æquanimiter audire patitur, « non est me dignus? » Valeat potius pater sive mater, valeat potius filius sive filia, dispereat potius ipsa caro sive præsens vita, ait quisque sensatus auditor hujus verbi, quam ego, o Christe, dignus te non sim. Itaque omnem propinquum et omnem amicum relinquit, semetipsum contemnit, ubi nihil horum se posset retinere perpendit, salva dignitate discipulatus Christi. Nunquid mandatum hoc novum est ? Nonne est mandatum vetus, quod ab initio audiximus? Ait enim Moses in B benedictione Levi : « Qui dixerit patri suo et matri suæ: Nescio vos ; et fratribus suis : Ignoro vos ; et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum, servaverunt judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel. Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum (*Deut.* XXXIII). Quod deinde sequitur : « Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe (*ibid.*), » recte de fortitudine ista intelligas, quæ hic exigitur, dicendo, « et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. » Accipere namque crucem et sequi Christum sive in persecutione tradendo corpus suum ad supplicia propter Deum, sive in pace frangendo desideria carnis, sive propter metum gehennæ, sive propter vitæ æternæ C desiderium, fortitudo magna et opus est magnum, fortitudo benedicenda, opus acceptione Domini dignum. Qui hoc non facit, non solum gloriam amittit, verumetiam pœnam incurrit. Sequitur enim : « Qui invenit animam suam, perdet eam. » Quisnam est qui invenit animam suam, nisi qui non vult tollere crucem suam, ne non suaviter transigat præsentem vitam? De illo qui in persecutione ita invenit animam suam, ut Christo negato, lucrum istud faciat, quatenus in corpore retineat quam persecutoris gladius extrudere poterat, animam ex abundanti est astruere, quod æterna perditione perdat illam. Et econverso : « Qui perdiderit, ait, animam suam propter me, inveniet eam. » Non indiget Christiana fides assertione illa, ut demonstretur sibi veram hanc esse sententiam, quia valde certum est quod pius D martyr perdens animam suam, in fasciculo viventium custoditam inveniet eam. Qui tandem superest pupillis et orphanis istis, cum propter Evangelium patrem aut matrem amiserint ; sive orbatis istis, cum filium vel filiam propter Christum dereliquerint? Quid, inquam, nisi ut Christus ipse sollicitus sit pro illis ? Non enim fallitur quisque talium, cum in psalmo dicit: « Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei (*Psal.* XXXIX). » Nonne hic protinus adsunt verba illius sollicitudinis? Sequitur enim :

« Qui recipit vos me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine

prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in **645** nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicunque dederit potum uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. » Quantos putas futuros esse sciebat, qui ipsum recipere cuperent, qui mercedem prophetarum atque justorum accipere optarent? Multos ergo receptores sollicitus Dominus, hoc dicendo, præparabat illis, quos videbat patrem aut matrem amissuros causa sui, quatenus posset quisque illorum etiam hoc dicere : « Quoniam Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me (*Psal.* XXVI). » Ut dictum ita videmus et factum, quia plures sunt receptores talium scilicet prophetarum et justorum, quos patres et matres dereliquerunt, quam ut vincantur multitudine eorum. Nam, ut taceam de cæteris recipiendi modis, tot cœnobia, tot xenodochia receptioni eorum præparaverunt, ut deficientibus justis ejusmodi, in quibus fatetur Christus se recipi, plerisque in locis res sive fundi pro talibus Deo oblati, ad usus sæcularium patres et matres, filios et filias habentium, et Christum non sequentium, magna ex parte redierint.

Nunc ipsa verba perpende : « Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit. » Hoc ipsum apud alium evangelistam hoc modo edicit: « Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit. Qui autem me accipit, accipit eum qui me misit (*Joan.* XIII). » Ergo veri adoratores non superflue agunt, quando supervenientes hospites ista suscipiunt, ut proni in terram adorent. Christus enim in eis adoratur, qui et suscipitur. Dicam adhuc: Deus et Pater Domini Jesu Christi et Spiritus sanctus in eis adoratur, qui et suscipitur. Nam cum dixisset, « qui recipit vos, me recipit, » ne quem forte cogitatio sua illo tempore pulsaret, dicens : Quid magnum est istum recipi hominem mortalem, qui et injuriis affici possit et crucifigi ? protinus addidit : « Et qui me recipit, recipit eum qui me misit. » Et quis est qui istum misit, nisi Deus Pater et Spiritus sanctus. Licet enim istud apud nos testimonio jam pene non indigeat, sic ipse in Esaia loquitur : « Accedite ad me, et audite hoc. Non a principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fierent, ibi eram (*Isa.* XLVIII). » Quod idem est ac si diceret : In principio Deus eram, et hominibus loquens non in abscondito, sed magnis cum signis et prodigiis venturum me testificatus sum, et ego qui loquebar, quippe ibi eram, scilicet apud Deum, ecce adsum, factus homo, mittente Do-

A mino Patre meo, mittente et cooperante per uterum Virginis Spiritu sancto. Igitur in illis qui mittuntur recte ipse, qui mittit eos, Deus adoratur. Nunquid autem hoc sine exemplo vel auctoritate antiqua facimus? Aut nunquid hoc facientes, tanquam creaturam adorantes culpamur ? Cum staret Abraham ad radices Mambre « apparuerunt ei tres viri stantes propter eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis (*Gen.* XVIII), » etc. Item Scriptura dicit : « Veneruntque duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis. Quos cum vidisset, surrexit et abiit obviam eis, adoravitque pronus in terram (*Gen.* XIX). » Nunquid non angelica æque ut hu-
B mana substantia creatura est ? Sed Deus in illis adorabatur, qui et suscipiebatur. Propter hoc et ille coram tribus adorans, uni loquebatur : « Domine. inquiens, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum (*Gen.* XVIII) ; » et iste coram duobus adorans: « Quæso, domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te (*Gen.* XIX), » etc. Quæ tandem pro hac receptione merces erit ? Ait : « Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. » Ergo et Deus [*f.* ejus] qui recipitur, et ejus qui recipit, una eademque merces erit. Non enim dixit mercedem de propheta, sive mercedem de justo, sed mercedem prophetæ, mercedem justi accipiet. Magna retributio, larga recom-
C pensatio. Quænam est merces prophetæ sive merces justi, qui ut prophetaret, sive regnum Dei annuntiaret, quique justitiam Dei custodiret, non patrem aut matrem, non filium aut filiam plusquam illos omnes amavit (*sic*), et tollens crucem suam, Christum secutus est non timens perdere animam suam propter justitiam? Quæ, inquam, merces talium, nisi ipsum manifeste videre Christum? Hoc enim pro summa mercede promisit diligentibus se. « Qui diligit me, ait, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV). » O igitur receptor prophetæ, acceptor justi, in nomine prophetæ, in nomine justi, id est propter hoc ipsum quo prophetam vel justum esse animadvertisti, tanta tibi mercede proposita, hilariter age quod agis, bona voluntate porrige quod porrigis, da quod habes, sive pa-
D rum, sive multum sit ! Non enim perdes mercedem tuam, etiam si non plusquam calicem aquæ frigidæ dare possis. Quod si nec illum in tempore possis, saltem voluntas non desit, quia « pax in terra hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). »

646 LIBER NONUS.

CAP. XI. — « Et factum est, cum consummasset Jesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? » Joannes pro-

pheta et plus quam propheta erat, sicut de illo in hac eadem lectione Dominus ipse testatus est : « Quid, inquit, existis videre ? prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. » Quis autem prophetarum nescivit aut tacuit passurum esse Christum ? Omnes sciverunt, omnes prænuntiaverunt, et hodie legentibus clarum est scripturas eorum fere per omnem seriem significare salutiferum sacrosanctæ passionis ejus sacramentum. Hinc Petrus in Actibus apostolorum : « Deus autem qui prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic (*Act.* III). » Istud enim ignorare, illorum erat, qui prophetas aut non legerant, aut non intellexerunt. Quomodo ergo saltem propheta, ne dicam plus quam propheta, diceretur aut esset ? Cum per hujusmodi rationem adducti, recte senserimus quia Joannes sicut cætera Christi sacramenta, ita et hoc ipsum sciebat, restat ut quæramus quid interrogaverit dicendo : « Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ; « et quod opus fuerit ut hoc interrogaret missis discipulis duobus. Profecto huc interrogavit utrum ipse esset Messias, id est Christus, qui utique exspectebatur venturus, ita ut mulier quoque Samaritana dixisse legitur : « Scio quia Messias venit, qui dicitur Christum. Cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia (*Joan.* IV). » Nec mirum quod hic in una eademque re, circa unam eamdemque personam, præsenti simul et futuro tempore usus est, dicendo, « tu es, qui venturus es. » Nam et turbæ, quas paverat de quinque panibus et duobus piscibus, ita dixerunt : « Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum (*Joan.* VI). » Et hic et illic quod dicitur venturus, idem est ac si diceretur, de quo Scripturæ sive prophetæ testati sunt quod esset venturus. Hoc igitur, ut jam dictum est, interrogavit utrum ipse esset Christus, au alius hoc nomine esset exspectandus. Cur autem hoc interrogavit eum, quem ipsum esse, prophetando, baptizando, ostendendo clamaverat ! Utique magnam ob causam, quam evangelista non præterivit, præmittendo, « cum audisset Joannes in vinculis opera Christi. » Quidnam sibi vult dictio hominis, audisse Joannem in vinculis opera Christi, et idcirco missis duobus discipulis interrogasse illum interrogatione hujusmodi ? Nonne idem Joannes, antequam missus fuisset in carcerem, audierat opera Christi, quorum illud pulcherrimum fuit, quod invitatus ad nuptias, aquam in vinum convertit ? (*Joan.* II.) Nonne et vocem audierat Patris de cœlo super eum dicentis : « Tu es Filius meus in quo mihi bene complacui ? (*Matth.* III.) Si interrogatione opus erat, cur non illis prioribus signis commonitus interrogavit ?

Perpendenda igitur subtilius est causa, quam, ut jam dictum est, evangelista significavit, præmittendo : » Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi. » Nimirum hoc vult intelligi, quia cum opera ejus revera essent opera Christi, id est talia opera qualia nemo alius facere potuisset, nisi

A solus ipse Christus Filius Dei : inter ipsa tamen opera, Christum se esse palam non dicebat, imo et discipulos suos hoc dicere prohibebat. Exempli gratia : Cum interrogasset discipulos suos, dicens : « Quem dicunt homines esse Filium hominis? (*Matth* XVI) » ac subinde : « Vos autem quem me esse dicitis ? (*ibid.*) » Respondente Petro : « Tu es Christus Filius Dei vivi, » illum quidem beatificavit pro cognitione et confessione veritatis (*ibid.*), » sed prohibuit eos dicere in vulgus, sicut alibi refert evangelista : « Tunc, inquiens, præcepit discipulis suis, ne cui dicerent quod ipse esset Christus (*Luc.* IX). » Causam quoque propter quam illud præceperit, ex his quæ continuo sequuntur, promptum est agnosci. « Exinde, inquit Evangelista, cœpit Jesus ostendere

B discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolymam, et multa pati a senioribus et Scribis et principibus sacerdotum et occidi et tertia die resurgere (*ibid.*) » Denique per occasionem, sive accusationem regii nominis, scilicet Christi, futurum erat ut traderetur gentibus a Judæis dicentibus : » Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). » Maxime hanc ob causam ita præcepit. Ergone hoc dicimus quod mortem refugere voluerit, et idcirco mortis occasionem, scilicet regium nomen tacuerit, et discipulis suis, ut de hoc tacerent, præcepit ? Nequaquam, sed sicut mortem ejus oportebat non multum differri, ita profecto expediebat non nimis accelerari. Prius oportebat condi Evangelium, et tanta fieri quanta

C facta sunt, quorum pars aliqua conscripta sufficientibus testimoniis probare posset Christianæ fidei sacramentum. Ubi tempus fuit, postquam et docuit, et signa sufficientia fecit tunc (quod valde notandum est) non solum neminem prohibuit, verumetiam turbam multam et pueros multos admisit sibi ad publicam acclamationem regii nominis, dicentes : « Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit regnum patris nostri David, benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo et gloria in excelsis (*Matth.* XXI ; *Marc.* XI ; *Luc.* XIX). » Demonstratum est quia Dominus noster ante tempus suæ passionis, licet Filium Dei se esse edixerit, et operibus comprobaverit, **647** tamen regium nomen quod est Christus, quia nimis invidiosum foret, non solis Judæis, verumetiam

D Romanæ potestati, et ipse tacuit, et discipulis suis, ut de hoc tacerent, præcepit. Hoc idcirco demonstravimus, ut consequenter elucescat qualis esse potuerit sollicito Joannis, qui « cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? » Qualis ergo sollicitudo ejus fuit ? Pro qua re sollicitus fuit ? Auribus nostris audivimus audiendo experti sumus, etiam adhuc dicere Judæos adversarios nominis hujus : Vos dicitis, discipuli ejus dixerunt, ipse tamen non dixit, quod ipse esset Christus, quod ipse esset Messias quem nos exspectamus. Putasne quod et discipuli ejusdem Joannis,

qui, æmulantes pro magistro suo, nonnunquam talia loquebatur quale est illud : « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eam (*Joan.* III) ; putasne, inquam, quod aliquando etiam istud dixerint : Rabbi, tu illum Christum esse dixisti, ipse autem Christum se esse non dicit ?

Volens igitur ipsius ex ore auditum esse quod Christus ipse esset, et sciens quia illi fidelis permanet (*II Tim.* II), negare seipsum non potest, « mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? Et respondens Jesus, ait illis : Euntes, renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre ? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre ? Hominem mollibus vestitam ? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre ? Prophetam ? Ecce dico vobis et plus quam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. » Diligenter animadverte, o lector sive auditor, qualis, quam rei, vel tempori congrua fuerit responsio hæc. Denique in Malachia, ubi scriptum est illud quod adixit : « Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te (*Malac.* III), » continuo sequitur : « Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum (*ibid.*). Forte optares, o tu quicunque es discipulus Joannis, discipulus gratiæ Domini, necdum tamen perfectus ad cognoscendum in quo sit constans illud quod habes in psalmo toties decantatum : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* I) ; » optares, inquam, ut ad interrogationem istam, « Tu es qui venturus es, an alium exspectamus, » responderet : Ego sum, nec alius est exspectandus. Esset quippe responsio hæc eloquium castum, argentum verum ; sed apud homines non videretur eloquium castum, non æstimaretur argentum igne examinatum : quippe quorum dijudicatio tam est iniqua, ut ipse sciens et providens diceret, maxime pro sua persona : « Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua (*Luc.* IV). » Sapiens igitur et ipsa Sapientia, inde protulit suæ responsionis eloquium castum, ubi nihil est dictum vel scriptum quod non sit argentum igne examinatum, nec audet dicere quisquam, nisi impius, quod non sit irrefragabiliter verum. Nunc igitur quoniam et nos discipuli sumus gratiæ Domini et Dominus Jesus ad turbas loquitur de Joanne, syllogismum amabilem perficiamus. Proponit ipse Christus : « Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante faciem tuam. » Assumamus nos : Sequitur autem protinus in eodem propheta : « Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. » Concludant omnes turbæ Christianorum : Igitur jam non est exspectandus alius, certissime enim jam venit qui exspectabatur venturus Dominator quem vos quærebatis, o servi Domini, Angelus testamenti quem volebatis, o vos quibus et Testamentum creditum fuit et promissio (*Rom.* IV, IX), ejus spem in testamento ipso iste magni consilii Angelus confirmavit.

Jam, inquam, venit, statim quippe illum secundum veritatem Scripturæ venire oportuit, ubi missus est iste angelus ad hoc destinatus, ut pararet viam ante faciem ejus. Si autem de facie Dominatoris hujus dubitatis et dicitis, Ubi est ille, vel quis est ille qui jam venit, si vobis non sufficit index digitus, dicentis : « Ecce Agnus Dei (*Joan.* I), » accipite aliud testimonium, quod huic testimonio Scripturæ præmisit : « Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. » Hoc testimonium operum, quæ utique sunt opera Christi, quæ Joannes in vinculis audivit, quæ nemo alius nisi Christus facere potuit : hoc, inquam, testimonium cum illo testimonio Scripturæ collatum, ad quod misit non dicendo de Joanne : « Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, » non sinit ignorare, nisi eum, qui vult istum Jesum a Nazareth, qui « putabatur filius Joseph (*Luc.* III), » illum esse dominatorem et Angelum testamenti, quem quærebatis, quem volebatis. Hoc plane Joannes quondam nesciebat, videlicet quis homo, quali facie vel habitu inter homines ambularet, apud quos sive inter quos nutritus esset is qui rex Christus dici vel esse deberet, a quo mundum universum et ipsum Joannem baptizari oporteret. Sciebat tanquam propheta quod jam venisset, sed nesciebat quisnam, ubinam ille esset priusquam Spiritus sanctus demonstraret eum, descendens sicut columba, et manens super eum. Hinc ipse dicebat : « Et ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans (*Joan.* I). » Item : « Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto (*ibid.*). » Hoc nimirum pro sinceritate testimonium sui dixit, volens scire auditores, quod non pro favore humano testimonium illi perhiberet, testem idoneum esse designans eum qui in testificando non personam attendit, sed causam in testimonio suo, cum sciret causam, nondum sciebat personam. Hoc, inquam. nesciebat, et salva propheticæ gratiæ magnitudine, nescire poterat quis homo quali facie vel habitu esset Messias, id est Christus, quem venisse constabat. Sic Samuel sciebat quidem de filiis Isai electum jam esse regem, locuto ad se Domino, « Providi enim mihi in filiis ejus regem, » sed quis filiorum

ejus esset Dei electus, nesciebat in tantum ut diceret viso Heliab: « Nunc coram Domino est Christus ejus?»(*I Reg.*XVI.)Similiter in cæteris filiis ita suum exsecutus est officium, et Domini exspectavit judicium,ut cum tandem ungeret David,revera dicere posset,«Et ego nesciebam eum. » Ecce quod quærebat Joannes interrogando dicens,«Tu es qui venturus es? » Hoc enim ille fidelis amicus quærebat, hoc intendebat,ut non contentus Filius Dei testimonio Joannis majori **648** testimonio manifestaret se testimonio Dei Patris sui,quemadmodum apud alium evangelistam ipse dicit Judæis : « Vos misistis ad Joannem, et ille testimonium perhibuit veritati.Ego autem ab homine testimonium non accipio (*Joan.* V).» Item : « Ego autem habeo testimonium majus Joanne.Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit, etc., usque « scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me (*ibid.*). »

Quænam sunt opera quæ dedit Pater in testimonium huic Filio suo Jesu Christo, nisi ita quæ nunc dicit, « Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur?»Et quæ vel quales sunt Scripturæ, quas scrutari præcipiens,« Et illæ sunt, inquit, quæ testimonium perhibent de me,» nisi quales hic degustare potest in isto capitulo : « Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te?»si tamen sequentia perlegas. Ecce igitur, quod cupiebat Joannes, ex ore ipsius auditum est testimonium majus Joanne, imo testimonia, de quibus recte dixerat Psalmista:«Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea(*Psal.*CXVIII). » Sunt enim duo testimonia hic,alterum mirandorum operum, alterum in declaratione Scripturarum. Vere mirabilia testimonia hæc, et ideo scrutari ea debet anima nostra. Primum ita scrutandum est, ut non solummodo respiciamus cæcos illos qui tunc corporaliter illuminati viderunt, claudos illos qui tunc corporaliter ambulaverunt, leprosos illos qui tunc corporaliter mundati sunt, mortuos illos qui tunc corpore resurrexerunt.Ibi namque non perfectio sed initium erat operum « quæ dedit mihi Pater, ait, ut perficiam ea?»(*Joan.*V.) Nimirum in morte et resurrectione sua, quando mortem nostram moriendo devicit, et vitam resurgendo reparavit, ita ut jam non moriatur, mors illi ultra non dominetur(*Rom.* VI),quod et de nobis non incerti speramus. Et nunc dato Spiritu sancto perficit opera ista, quia vere cæci vident,claudi ambulant,qui nimirum cæci,qui claudi, qui leprosi, qui surdi, qui mortui, qui pauperes nos eramus,et hoc nobis multum debet valere ad testimonium hujus respondentis pro se,quia per fidem ejus videmus, ambulamus, mundati sumus, audimus, a morte peccati innumerabiles secundum exemplum Mariæ resurreximus (*Luc.* XVII), et ita evangelizati sumus,ut qui pauperes eramus,divites in verbo et scientia facti sumus (*I Cor.* I). Prout potuit animus fidelis limare atque polire conatus est aurum loci præsentis, quatenus et intentionem Joannis interrogantis et majestatem Christi ad interrogata respondentis, ex verbis ipsis,o lector sive auditor, splendidius apparentem agnoscere possis. Nunc illud non præterire libet, quia testimonium testi suo Joanni pulchra vicissitudine reddens iste, « Testis fidelis (*Apoc.* I), » valde congruum secundum rem ipsam initium sumpsit. « Quid, » inquit, « existis in desertum videre ? Sciendum quippe quia cum diceret, tunc neque Joannes in deserto, sed in carcere erat,neque Christus ipse in deserto, sed in qualibet civitatum loquebatur ad turbas de Joanne.Sic enim præmissum est,quia « præcipiens Apostolis suis duodecim,transiit, ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum.» Ergo ad illum exitum turbarum respexit, et illius exitus turbas memores esse voluit, de quo Marcus ita præscribens, « Initium sancti evangelii Jesu Christi Filii Dei(*Marc.*I),» statim subjunxit,« Sicut scriptum est in Isaia propheta:Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Et egrediebantur ad illum omnis Judææ regio, et Hierosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordane flumine, confitentes peccata sua (*Marc.* I). » Memorabiles illos exitus turbarum ipsa Joannis verba nobis fecerunt,inter quæ illud maximum fuit, quod existimante populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de eo,ne forte ipse esset Christus, « confessus est:Quia non sum ego Christus(*Joan.*I).»

Propterea testis iste fidelis,qui testimonium redditurus est omnibus in die judicii,et pro merito suo singulis, « arundinem, » inquit, « vento agitatam existis videre ? » Non utique, quia non flexus est, non inani gloriæ cessit, et pro nihilo habuit popularem auram sive ventum tantæ existimationis. Aliud fuit, quod hominibus placere non curans, ipsum Herodem arguit,«non licet,» inquiens, « tibi habere uxorem fratris tui (*Matth.* XIV ; *Marc.* VI). » Propterea subjunxit : « Sed quid estis videre ? » hominem mollibus vestitum. Non utique, quia « ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt:»Joannes autem non in domo, sed in carcere regis est. Homines mollibus vestiti, id est adulatores,qui regum suorum adulant peccatis,tractabiles atque suaves dominatoribus tanquam beneficis,cum sint iniqui, sicut Herodes patrator adulterii,ecce in domibus convivii circa latera regalia comedunt et bibunt. Joannes autem spinosus, et aspero vestitu armatus, ita ut palpari non possit, juxta illud : « Verba sapientium,quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi(*Eccle.* XII).» Hic talis extra convivium in carcere clausus est,nec aliter admittitur in illas domus regum, nisi ita ut afferatur caput ejus in

disco, saltatricis præmium, saltationis pretium. Duæ A istæ interrogationes, quibus singulis sine dubio subjungitur, non, auditorem attentum fecerunt ad interrogationem tertiam, cui ipse qui interrogat subjungit hoc etiam modo : « Sed quid existis videre ? Prophetam? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam. » Et ita esse ratione subjuncta protinus probat. « Hic est enim, » ait, « de quo scriptum est (*Malac.* III) : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. » Attentis namque auribus hic opus erat, ut audito hoc scripto, non solæ, quæ tunc præsentes aderant turbæ, verum etiam omnes populi sive gentes, quæ hoc erant auditura, oculos aperirent, circumspicerent, et perlegendo sequentia capituli hujus, quorum supra jam meminimus, scirent quid vel quan- B tum esset responsum ad intentionem interrogationis hujus, « Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?» Et quid vel quantum hoc est ? Nimirum hoc tale vel tantum est, ac si diceret : Joannes ante faciem meam officium angeli, quod videlicet officium angeli, quantum distet ab officio prophetæ, debet scriba doctus quærere et proferre de Scripturis sanctis. Quibus requisitis, audire et dicere poterit : Angelorum officium est, non solum res venturas sive jam instantes pronuntiare, verum etiam ad certas mitti personas, per quas oporteat administrari res ipsas, et eorum corda præparare colloquii sui præparatione, qui digni sint operatione Divinitatis, quam oportet fidem(*sic*), per quam justus vivit, familiariter pervenire. In hoc officio primi, post verbum C promissionis, fuerunt illi tres angeli, qui apparentes Abrahæ in figura sanctæ Trinitatis, hospitio ejus fuerunt recepti(*Genes.* XV), loquente in ipsis Domino, ac dicente : « Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua. » **649** Novissimus angelorum qui ejusdem promissionis administratorii fuerunt, Gabriel ad Mariam missus est virginem, ut præparabilem ejus mentem præpararet annuntiatione ista: «Ecce concipies et paries filium(*Luc.* I). » Porro prophetarum officium fuit promissionem eadem, sive adventum ejus absque certis pronuntiare personis. Exempli gratia: « Audite ergo, ait Esaias, domus David : Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII). » Neque iste, neque quisquam alius prophetarum, ad certam aliquam personam D missus est, ut tale quid evangelizaret, nisi iste plusquam propheta Joannes, qui ad hoc missus est, ut præsentem Christum hominibus digito demonstrans, viam ante faciem ejus ipsa demonstratione præpararet. Pro hac excellentia Joannes plus quam propheta et angelus est. Unde adhuc testis iste fidelis, Jesus Christus, clarissima testificatione intonat:

« Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. » Nota et orbi universo celebris atque clarissima sententia hæc hoc solo indiget, ut intentio quoque tanti testimonii nota sit, id est ut sciatur quæ causa fuerit, ut eo potissimum loco vel tempore de præcursore suo Dominus testimonium proferret tantæ magnitudinis. Quam ergo putamus fuisse causam, nisi magnam humilitatem beatissimi Joannis ? Ille namque plus quam propheta, sciens sese non esse servandum tempori illi, quo palam prædicari deberet mysterium sacrosanctæ Incarnationis Jesu Christi Filii Dei, hoc ipsum ascribebat suæ indignitati, ita ut diceret, prius quam in carcerem missus fuisset : « Qui post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare (*Joan.* III). » Nonne hoc ipsum dicebat apud se, quando tenebatur in vinculis occidendus, et sic ad tempus illud non perventurus? Nimirum fidelis amicus sponsi beatos et omni honore dignos existimabat illos quibus contingeret calceamenta illa portare, id est Incarnationis illius mysterium tempore opportuno palam omni mundo prædicare, licet nullus ad plenum, sicuti est, tantæ rei sacramentum potuerit aut possit evolvere, seipsum autem illis beatis longe imparem, longe minorem, propter hocipsum, quia morte præveniente futurum erat ut non posset illa calceamenta portantium, hoc Evangelium prædicantium, socius aut viator existere. Consolatum igitur illum existimare(*sic*) consolatione magnificentiæ hujus, quia profecto, si non inter natos mulierum, nec inter apostolos sive evangelistas, qui utique nati mulierum sunt, surrexit quisquam major Joanne Baptista, quis tandem ille est minor in regno cœlorum, qui major est illo? Putasne angelus minoris meriti, quo omnes angeli, quantumcunque diversi sint meriti aut ordinis, majores sunt eo, quod illi minimi sit meriti? Sed illum nescimus quis sit, Neque enim Scriptura de ejusmodi quidquam nobis annuntiavit. Nunquid vero regnum cœlorum de solis angelis, et non etiam de hominibus consistit ? Solet etiam regnum cœlorum Ecclesia præsens intelligi, ut illic :« Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala(*Matth.* XIII). » Neque enim in illa Ecclesia cœlesti scandala erunt, quæ possint auferri. Ergone quisquis in isto regno cœlorum minimus, vel minimi est meriti, major Joanne erit? Nimirum juxta hunc sensum contraria sententia obveniet, ut consequenter dicat : « Inter natos mulierum non surrexit minor Joanne Baptista. » Quærendus est igitur ille minor in regno cœlorum, quis sit, et cito invenietur, quia in veritate ipse est qui hæc loquitur, Christus Jesus Filius Dei, minor vel minimus omnium nostrum, minor cunctis parvulis, humilior humilibus cunctis, miro modo ministrans ut minimus, regnans ut maximus, quemadmodum dicit:«Qui major est vestrum, erit minister vester (*Matth.* XX). » Item:«Nam quis major est, qui recumbit an qui ministrat ? Nonne qui recumbit? Ergo autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum (*Luc.* XXII), » ea videlicet dispositione, ut ibi tanto quisque sit major, quanto apud se est minor, id est humilior. Diceret aliquis :

Ubi est illud regnum? Aut quando veniet illud regnum cœlorum? Ait ergo :

« A diebus autem Joannis regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Apud alium evangelistam interrogatus idem Dominus a Pharisæis quando venit regnum Dei, dixit eis : « Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent : Ecce hic, aut illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII). » Plus aliquid hic dixit, attamen ad idem respicit. Cum enim prædicaret, dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV), » profecto nescientes mysterium regni Dei, sæpe quærebant, sæpius inter se conferebant ubinam esset aut quando veniret illud regnum Dei. Proinde ipse volens eos scire quia regnum Dei præsentia esset adventus ipsius regis Christi, et quod in illud regnum introire, hoc esset pœnitentiam agere, secundum prædicationem vel testimonium Joannis Baptistæ, et illic interrogatus a Pharisæis, dixit : « Ecce enim regnum Dei intra vos est, » et hic cogitationibus turbarum respondens, « a diebus autem, inquit, Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Ac si diceret : Non sicut olim, ita et nunc, regnum Dei sive regnum cœlorum de longinquo venturum exspectatur, sed jam venit, jam intra vos est, ita ut apprehendi possit; namque manu apprehenditur, manu rapitur, vim patiens a violentis, id est a peccatoribus pœnitentibus, et hoc a diebus Joannis Baptistæ, nam ante illum non ita erat. Ante ejus dies prœnuntiabatur, et nondum venerat. Hoc est quod continuo sequitur : « Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt. Et si vultis recipere, ipse est Helias qui venturus est. Qui habet aures audiendi audiat. » Prophetaverunt, id est venturum fore Christum prænuntiaverunt, Joannes autem post omnes illos veniens, non prophetat, ut illi, aut prænuntiat, sed digito demonstrat. Statim ut ille venit, venisse constat regnum Dei, secundum supra memoratam propheticam veritatem, ubi præmisso, « ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem tuam (*Malach.* III), » continuo sequitur « et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis (*ibid.*). »

Itaque sicut jam dictum est, omnes prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt, subauditur de primo adventu Christi sive regni Dei, a diebus autem ejus usque nunc id est quandiu dicitur nunc, sive, ut Apostolus dicit, dum dicitur, « hodie si vocem ejus audieritis (*Hebr.* VI), » scilicet ab illis diebus Joannis usque ad consummationem sæculi, jam non prophetatur, aut non prænuntiatur, sed præsens adest regnum Dei, et violenti, scilicet peccatores qui propter peccata sua nihil juris haberent in regno Dei, fortes facti per spiritum humilitatis, qua Moses, homo mortalis, volentem irasci Deum tenere potuit (*Exod.* XXXII), rapiunt regnum Dei pie violenti, et ipsum regnum Dei vim patitur, et non quomodocunque, sed libenter patitur vim ejusmodi, **650** et hoc fit usque nunc, id est usque consummationem sæculi. Ita se habet res a diebus Joannis. « Et si vultis, ait, recipere, » si vultis Scripturam sive prophetiam spiritualem spiritualiter intelligere dicentem : « Ecce ego mitto vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate (*Malac.* IV.) » — « Si, inquam, vultis recipere, ipse est Helias, qui venturus est, » id est de quo legitis quia venturus est. Helias utique non proprietate personæ, sed spiritu et virtute, magnum sacramentum, magnum mysterium. Propterea dicit : « Qui habet aures audiendi audiat. » Hic jam forte quærat aliquis, quicunque est ille qui audivit. Et si in cæteris Joannes spiritum et virtutem Heliæ habuit, nonne multum dissimilis venit illi, saltem in zeli magnitudine? Helias namque zelo zelatus sum, ait, pro Domino Deo exercituum (III *Reg.* XIX), » interfecerat enim gladio prophetas Baal quadringentos et quinquaginta viros, et ita non solum verbo redarguit, verumetiam ferro persecutus est impietatem regis Achab et uxoris ejus Jezabel (III *Reg.* XVIII). Joannes nihil tale fecit. Nam vere quidem sicut de Helia dictum est, ita de Joanne dicere convenit, quia « surrexit sicut ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat (*Eccli.* XLVIII). » Verbi gratia, ut diceret : Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ; jam enim securis ad radicem arborum posita est (*Matth.* III), et his similia. Sed neque securi, neque gladio materiali quemquam percussit, imo ipse gladio caput amisit, in carcere Herodis et Herodiadis (*Marc.* VI). Helias autem furorem Achab et minas Jezabel curru igneo sublevatus evasit (I *Reg.* II). Nonne ergo vel in hoc magna est dissimilitudo istorum, scilicet Heliæ et Joannis? Ad hæc, ut breviter respondeam, dicendum in primis quia sicut Dominus noster hic elocutus est, dicens : « Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt, » subauditur Christi adventum, jam vero non est prophetandum, quia venit quem prophetabant venturum, ita ut veraciter dicas quia non solus Helias, sed et omnes sancti et justi usque ad Joannem, recte et necessario sese gladiis accinxerunt, in gladio percusserunt, et sicut ante nos dictum est, verberaverunt tyrannos, sacrilegos interfecerunt : A diebus autem Joannis, nec ipsi Joanni, nec alicui viro spiritualis propositi conceditur evaginare gladium. Sed « converte, ait Dominus, gladium tuum in locum suum (*Matth.* XXVI), » et quod uni Petro dixit, omnibus dicit : « Satis est, sinite usque adhuc (*Luc.* XXII). » Et est sensus : Hucusque necessarium fuit ut omnes exspectatores regni Dei, quoniam nondum venerat, materialibus uterentur gladiis ob defensionem generis sui, cujus de carne, juxta promissiones oportebat venire regnum Dei : quod videlicet genus eorum, si, ut volebat diabolus, fuisset a gen-

tibus exstirpatum, non esset unde implerentur promissiones, sicut succisa arbore unde fructum speres. Itaque usquehuc, ait, subauditur gladii necessarii fuerunt; jam sinite, satis est. Igitur partem istam spiritus Heliæ, quæ est zelo bono in gladio percutere, non requirimus in Joanne, imo gaudemus in eo defuisse, quia temporis alterius Joannes initium fuit, ita ut tempus superius respiciens, recte dicas pro causa quam dixi : « Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus belli, et tempus pacis (*Eccle.* III).» Hactenus juxta intentionem interrogantis Joannis respondens, summa sapientia peroravit, et responsio ejus per istam viam qua gradimur lucem sparsit, ut videamus, et non ignoremus illud quod Joannes discipulos suos scire voluit, mittens illos ad interrogandum : « Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? »

Tandem operæ pretium est scire conclusionem hujusce orationis, qualis sit ait : « Cui autem similem existimabo generationem istam ? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt : Cecinimus vobis, et non saltastis, lamentavimus et non planxistis. Venit enim Joannes neque manducans neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. » Sensus iste est : Dixi vobis de Joanne quia angelus, quia Helias est, angelus non societate naturæ, sed officii dignitate. Helias non proprietate personæ, sed spiritu et virtute. Et si habetis aures audiendi, consequenter audire et intelligere debuistis, quia ego Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis, et nunc veni pro salute generis humani, antequam veniet dies meus, dies judicii magnus et horribilis. Vos autem neque præcursionem ejus neque adventum meum suscipere parati estis, aut parari vultis, contra vosmetipsos divisi, et quam imparati sitis finis utriusque probabit, finis meus, finis Joannis. « Cui ergo similem dicam generationem istam, » cujus tempore et Joannes quasi angelus prævenit, et ego Dominator statim veni, triginta annos, et paulo plus vobiscum morati, qui sunt dies unius generationis ? « Similis est pueris sedentibus in foro, » etc. Quam boni pueri, qui dicunt, « cantavimus, lamentavimus. » Quam mali et quam stulti pueri, quibus dicunt, « non saltastis, non planxistis ! » Puerorum cantantium primus et præceptor optimus erat ipse Dominus noster Jesus Christus, de quo Deus Pater in Esaia loquitur : « Ecce puer meus exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde (*Isa.* LII). » Et alibi puer idem ipse dicit : « Ecce ego et pueri quos mihi dedit Deus (*Isa.* VIII). » Hujusmodi puerorum cantatio fuit, quam puer iste primus sic incœpit ut cum publicanis et peccatoribus manducaret, quatenus per hanc benignissimam condescensionem benevoli redderentur ad audiendum bonum nuntium, scilicet paratam sibi esse remissionem peccatorum. Ad hujusmodi A cantationem Judæi non saltaverunt, non exultaverunt, non in bonis operibus sese excitaverunt, imo cantanti huic et pueris ejus, scilicet apostolis, inviderunt, et ipsum maxime blasphemaverunt. Propterea dicit : « Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorans [*leg.* vorax], et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. » Puerorum lamentantium primus vel maximus erat Joannes, qui peccatis arguendis asperrimus : « Genimina, inquit, viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? (*Luc.* III.) » — « Erat autem vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat (*Matth.* III). Hoc totum lamentatio erat. Ad hujusmodi lamentationem non planxerunt, quia pœnitentiam non egerunt, imo B et velut insanum detestati sunt. Propterea dicit : « Venit Joannes neque manducans neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. » Nonne ergo inexcusabilis est generatio hæc ? Plane inexcusabilis, ut stulti pueri, Deus autem, vel Sapientia Dei non est unde arguatur, ita ut constanter dicere possit : « Quid ultra debui facere tibi, et non feci ? (*Isa.* V.) » Propterea dicit : « Et justificata est sapientia a filiis hominum. » Justificata veraciter justificatione illa, quam Psalmista desiderans dicebat : « ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L). » Vere magna et gloriosa justificatio, cujus Apostolus hoc modo meminit : **651** « Quid enim si quidam illorum non crediderunt ? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit ? Absit ! Est autem Deus verax, omnis autem C homo mendax, sicut scriptum est (*Psal.* CXV), ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris (*Rom.* III). » Poterat ergo dicere sic, et justificatus est in sermonibus suis Deus, fideliter adimplendo quod patribus promisit, proximus factus per assumptionem carnis generationi huic ingratæ et mendaci, sed quia de pueris similitudinem proposuerat, dicere maluit, « et justificata est sapientia a filiis suis, « quia videlicet pueri qui dicunt, « cantavimus, lamentavimus, » ipsi sunt filii sapientiæ, et ipsorum cantare, sive lamentari, est justificari, laudare et glorificare sapientiam Dei, cujus summum opus est incarnatio sive adventus Filii Dei.

« Tunc cœpit Jesus exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes, quia non egissent D pœnitentiam. Væ tibi Corozaim ! væ tibi Bethsaida ! Quia si in Tyro et Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro et Sydoni remissius erit in die judicii quam vobis. Et tu, Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis ? Usque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis « quod terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi. » Miro modo post illam sententiam quam dixit, et justificata est sapientia a filiis suis, ita subjunctum est : Tunc cœpit Jesus ex-

probrare civitatibus illis. Nam vere capitulum hoc magnum est, et a sanctis patribus scrupulose tractatum, qui utique sapientiam eamdem in omnibus justificare studuerunt. Ecce enim quasi oppositum. Si, inquit, in Tyro et Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, o Capharnaum, forte mansissent usque in hunc diem. Cur ergo illuc vel illuc prædicatores non misit? Cur virtutes, quatenus fierent in eis, non procuravit? Itaque consequens visum est quod illos salvos fieri noluerit, et, deficiente ratione, hoc solum sufficere nobis voluerunt, quia cuncta Dei judicia justa sunt, et quia nemo potest universum eorumdem judiciorum Dei penetrare profundum (*Rom.* XI). Sed nos excitati quorumdam modernorum importunitate, qui sentire nisi sunt contra illam Apostoli sententiam: « Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (I *Tim.* II), » animadvertimus non consequi quod illos Deus salvos fieri noluerit, scilicet Tyrios et Sydonios atque Sodomitas [*Add.* dum in eis fieri virtutes], per quas ad pœnitentiam agendum excitarentur, non procuravit. Hoc potius consequenter intelligi debet, quod de illorum pœnitentia non curavit. Nunquid enim quævis pœnitentia curæ esse debet Deo Altissimo? Non utique, sed pœnitentia illa, quæ est secundum Deum, qualem tunc ipse prædicare incipiebat, dicens: « Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Est autem alia pœnitentia secundum sæculum, qualem agere potuit impius Achab, scindens vestem suam, et operiens cilicio carnem suam, jejunansque et dormiens in sacco, et ambulans demisso capite propter sermones Heliæ quos dixerat: « Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes, si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli (*III Reg.* XXI). » Nunquid iste pœnitentiam egit propter regnum cœlorum? Non utique, sed propter regnum terrenum, propter vitam præsentem, et ne insepultus projiceretur contra honorem regium. Similiter Ninivitæ nunquid pœnitentiam egerunt propter regnum cœlorum? Non utique, sed propter hoc tantum ne subverteretur illa Ninive (*Joan.* III). Nunquid vero pœnitentiam pro causa hujusmodi agere, id est quod salvum fieri, vel salvum esse? illa namque pœnitentia salutem affert, quæ secundum Deum est, quæ pro spe agitur sæculi venturi, pro metu gehennæ, pro amore vitæ æternæ. Unde diligenter notandum quia non dixit, « si in Tyro et Sydone, si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, » salvi fuissent; sed olim, ait, « in cilicio et cinere pœnitentiam egissent, et forte mansissent usque in hunc diem, » quorum neutrum idem est ac si diceret, salvi fuissent.

Ut igitur et in isto non solum fideliter, verumetiam scienter justificata sit sapientia a filiis suis, quærenda erat diligentius intentio præsentis capituli, et Deo dante, citius occurrit. Intendit enim de-

A monstrare dicendo hæc Dominus noster Judæos cunctis gentibus, etiam infidelibus, esse deteriores. Duo enim illis prædicabat, et ut crederent, virtutes faciebat, scilicet et temporale excidium loci vel gentis, quod futurum erat, et factum est a Romanis, et æternam pœnam gehennæ ignis, quæ in die judicii pariata est diabolo et angelis ejus, et hominibus impiis. Cum utrumque prædicaret Judæis, pœnitentiam non egerunt. Unum verbum si fuisset prædicatum Sodomitis, Tyris ac Sydoniis, cum testimonio tantarum virtutum, scilicet temporale exterminium, quod passuri erant, pœnitentiam egissent, sicut et prophetis Dominus dicere solebat. Exempli gratia: « Et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire

B me (*Ezech.* III). » Et hoc in Ninivitis probatum est (*Jon.* III). Porro alterum, si tunc prædicatum illis fuisset regnum Dei, non credidissent neque pœnitentiam egissent. Unde nec fuissent salvi, et idcirco prœdicatores eis mittere non curavit. His dictis pro quæstione difficili, nunc ipsa scrutemur verba præsentis capituli. « Væ tibi, inquit, Corozaim! væ tibi Bethsaida! » Quoniam Corozaim interpretatur *hoc mysterium meum*, pulchre per hoc ipsum vocabulum commonemur in his verbis sensum sequi mysticum, incipientes ab interpretatione nominum. Corozaim ergo, cui væ, interpretatur, ut jam dictum est, *hoc mysterium meum*, generationis illius, contra quam maxime loquitur, significat superbiam sive sapientiam vanam, cui, dum absconduntur hæc, ut post-

C modum dicturus est, nimirum quodammodo dicitur: Hoc mysterium meum vobis absconditum, non vobis, sed parvulis revelandum. Bethsaida, cui similiter væ, interpretatur *domus frugum*, sive domus venatorum et illorum significat avaritiam; quos ejiciens, « scriptum est, ait, domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Matth.* XXI). » Capharnaum, cujus exaltationem percutiens: « Descendes, ait, usque in infernum, » interpretatur *villa consolationis* et eos omnes denotat qui ab isto sæculo capiunt consolationem. Exempli gratia, ut ille dives, qui dicebat animæ suæ: « Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare (*Luc.* XII), » et his dictis quasi exaltatus in cœlum, eadem nocte descendit usque in infernum. Talium

D quales istis tribus nominibus denotantur, notissimi generationis illius pueri fuerunt, quia non per ignorantiam, sed per superbiam et per invidiam saltare noluerunt, et propter avaritiam plangere noluerunt ad evangelicæ prædicationis cantum sive lamentum. Econtra gentes, quæ ignorabant et errabant, et audito Evangelio visisque virtutibus credituri erant, per hæc nomina mystice designantur Tyrum, Sydonem et Sodomam. Tyrus namque *angustia*, Sydon *venatio*, Sodoma **652** *muta* sive *silens pecus* interpretatur. Talis erat gentilitas. Erat enim in angustia, videlicet sicut Tyrus mari ita profundo ignorantiæ circumdata. Erat venatio, scilicet malignorum

spirituum, quasi deorum, ut putabat, laqueis irretita. Erat muta vel quasi pecus silens, quia sola quæ carnis sunt sapiens, ea quæ sunt spiritus cogitare aut loqui nesciebat. Talium ante adventum Christi nonnulli, scilicet Ninivitæ, pœnitentiam egerunt pro solo metu temporalis exterminii; post adventum vero ejusdem Christi, quam multæ gentes pro solo auditu judicii vel sæculi venturi, Judæis in incredulitate perseverantibus, cum utrumque ut supra jam dictum est, prædicatum fuisset eis. In his et in cæteris hujusmodi judiciis justificatur sapientia a filiis suis, et non a semetipsis, sed ex revelatione supernæ gratiæ hæc habent, ut eam justificare norint.

Unde protinus evangelista subjungit : « In illo tempore respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. » Ad ea quæ sibi in Scripturis dici noverat, qualium unum est illud quod supra demonstravit, « ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te (*Malac.* III). » respiciebat ut diceret : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. » Et idcirco pulcherrime atque sanctissime dictum est, « in illo tempore respondens Jesus. De his maxime Scripturarum vocibus, quæ ex persona Patris ad Filium vel de Filio proferuntur, illud sciendum quia tanta tamque gloriosa continent sacramenta, ut pro ipsis confessione, id est laudatione, merito respondere debuerit ipse Filius. Exempli gratia, ut est illud : « Exsurge, gloria mea exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI), » Huic dicto ex persona Patris respondens Filius : « Exsurgam, inquit, diluculo (*ibid.*). » statimque sequitur : « Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus (*ibid.*). » Et in alio psalmo dicit : « Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, et nomini tuo psalmum dicam (*Psal.* CVII). » Præmiserat autem de parvulis quidem, quibus hæc revelanda erant : « Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi (*Psal.* XVII), » de sapientibus autem et prudentibus, quibus hæc abscondita et abscondenda erant : « Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis (*ibid.*). » Igitur secundum Scripturas veritatis loquens et confitens, id est laudans, postquam contra superbos dixit, « cantavimus vobis et non saltastis, lamentavimus et non planxistis, » quasi consolatus consolatione, quam per prophetam prædixit hoc modo : « Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Isa* I). » Et repetens appellationem reverendam pro rei magnitudine, » ita, inquit, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. » Utique hæc dicens et ita confitens, facit ipse primus et princeps quod dixerat, et justificata sapientia a filiis suis, justificat enim assumptus homo in judiciis

A suis. Et notandum quod Deum Creatorem omnium Patrem suum, cœli et te terræ Dominum vocat. Ejus enim solius natura Deus Pater est, cœli autem et terræ, id est omnium visibilium atque invisibilium Dominus est. Sequitur :

« Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Quorsum tendit hæc summa enuntiatio ? Eo nimirum ut animadverterent audientes quod non esset ipse, « ut putabatur, filius Joseph (*Luc.* III), » imo esset filius Omnipotentis, omnia in potestate habentis Dei ; et poterat quidem dicere sic, non sum filius Joseph, sed sum Filius Dei : sed invidiam majorem excitaret hic modus locutionis. Maluit ergo dicere, « omnia mihi tradita sunt a Patre meo. » In quo dicto
B sonus suavior, et sensus idem est : Nemo enim, nisi solus Deus, omnia tradere potest Filio suo. Hoc ipsum autem cum auctoritate Scripturæ dicit. Exempli gratia : « Aspiciebam, inquit Daniel, in visu noctis, et ecce, in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient (*Dan.* VII), » Amplius autem ex eo quod sequitur, demonstrat longe supra esse quam si esset, ut putabatur, filius Joseph. « Et nemo, inquit, novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Nonne hominem illum, qui hæc loquebatur, se nosse arbitrabantur ? imo nimis illum se
C nosse putabant, maxime homines patriæ ejus, unde et postmodum scriptum est : « Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur et dicerent : Unde est huic sapientia hæc et virtutes ? Nonne hic est filius fabri ? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joseph et Simon et Judas. Et sorores ejus nonne apud nos sunt ? Unde ergo huic omnia ista ? Et scandalizabantur in eo (*Matth.* XIII). » Adeo totum se nosse illum putabant et male putabant. Opportune ergo ipse, qui, sicut Apostolus ait, « si nos negaverimus eum, fidelis permanet, negare seipsum non potest (*II Tim.* II), » opportune, inquam, et omni mundo necessarium erat, confitetur quia Filius Dei sit. Nam vere illi, qui aures illas quas ista dicturus require-
D bat, dicens : « Qui habet aures audiendi, audiat. » Confessio ista confessio magna est, quia sicut de Joanne narrat evangelista, dum interrogaretur : Tu quis es ? et confessus est et non negavit, et confessus est quia non sum ego Christus (*Joan.* I), ita et secundum confessionem istam ubi hic interrogatus, « tu es qui venturus est, an alium exspectamus ? — confiteor, inquit, tibi Pater, etc., » recte dicat prudens auditor quia confessus est et non negavit, et confessus quia ego sum Christus Filius Dei. Nec vero sensus iste priorem destruit, quo, cum dicimus confessionem pro laude accipi, solemus uti testimonio verbi præsentis, quo dixit, « confiteor tibi, Pa-

ter, » quia vere laus est ei confessio veritatis, quam in illo tempore confiteri cœpit, confitendo se esse Filium Dei verbis istis, « omnia mihi tradita sunt a Patre meo, » et nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Et in confessione hæc perseveravit usque ad mortem, ubi et coram Pilato dixit : » Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati (*Joan.* XVIII. » Et coram principe Sacerdotum, dicente : « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei (*Matth.* XXVI), » respondit : « Tu dixisti (*ibid.*). » Pro hoc nomine martyrizatus est ipse testis fidelis, clamantibus Judæis ad Pilatum : « Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX). » Et ne quis dubitet testimonium illud recte confessionem dici, Paulus apostolus ad Timotheum dicit : « Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum (I *Tim.* VI). » Vere bona confessio, qua veritas incarnata simul utrumque asserit, videlicet et quod ipse Jesus Christus Filius Dei sit, et quod utraque natura, scilicet divina pariter et humana, non duæ personæ, sed una persona sit. Non enim dicit, « omnia mihi tradita sunt a Patre » **653** verbi mihi insiti, sed » a Patre meo, » inquit : cum utique constet, quia divina Christi natura, Verbum Deus nihil unquam non habuerit, sed humanæ tantum naturæ traditum sit quod ante non habuerat, scilicet omnis potestas in cœlo et in terra.

Interea sciendum quia, sicut, ubi dixit, « neque Patrem quis novit, nisi Filius, » subjunxit, « et cui voluerit Filius revelare, » ita ubi præmisit, « et nemo Filium novit, nisi Pater, » subaudire oportet, et cui voluerit Pater revelare. Nam sicut de revelatione, qua Patrem revelat Filius, testimonium hoc habemus : « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi (*Joan.* XVII) : » et cœtera hujusmodi : ita de revelatione qua Filium revelat Pater, testimonium illud habemus : « Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est (*Matth.* XVI). » Ipsius autem revelationis operatio, sancti Spiritus aspiratio est, per quem cognoscitur Filius, cognoscitur Pater, cognoscitur et ipse qui unus amborum Spiritus est. In qua revelatione quantæ divitiæ, quanta consolatio sit, ex verbis sequentibus vult intelligi. « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me qui mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Quam vera sit ista ille scit qui experiri meruit, qui postquam laboravit et oneratus fuit, vocem hanc audivit invitantis, et refectus est. Exempli gratia, Paulus apostolus, qui dixit, quia « scriptum est, quod oculus non vidit, nec audivit, nec in cor hominis as-

A cendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum, » statimque subjunxit, » nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum (I *Cor.* II), » ipse expertus est. Laboraverat enim in eo, maxime quod « adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini (*Act.* IX), » persequebatur eos usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres, et oneratus fuerat non solum onere peccatorum, verum etiam onere quod portare contendebat cæremoniarum carnalium, quod neque patres nostri, aut Petrus apostolus, neque nos portare potuimus. Audivit beatam invitationem hanc, et venit, et refectus est. Non quidem jam tunc pleno convivio satiatus est, sed parvo interim gustu refectus, donec veniret quod perfectum est. Quid putas illa perfectio vel quantum
B habet suavitatis ? Quantum reficit ? Parvus iste gustus, vere fateor et non incertus credo, quia nullo potest exprimi eloquio. Sentiri potest, dici non potest. Quanto magis illa perfectio ? Et quotusquisque est, qui illud quoque quod sequitur, digne possit appendere ? « Tollite, ait, jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde. » O laborantes, o onerati, qui cum jugo peccati et onere mortalitatis, quod commune est humano generi, regnum quoque vel dominorum dura imperia sustinuistis, quales potius feræ quam homines merentur dici, sicut hactenus apud Danielem præsignatum, per quatuor facies ferarum, leænæ et ursi, pardi et illius sine nomine bestiæ terribilis atque mirabilis, dentes magnos, dentes ferreos habentis (*Dan.* XII), o vos, inquam, defessi ac detriti jugo
C dominorum hujusmodi, « venite, ait, ad me, et ego reficiam vos. » Ecce facies mea facies est hominis, et ecce ego sum ille Filius hominis, qui post illas feras veni in nubibus cœli, et usque ad Antiquum dierum perveni, Antiquum dierum Patrem meum, cui nunc confidens dico, « quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Non sum ut feræ illæ, sed homo sum mitis et humilis corde. » Sub jugo illorum, non hominum, sed ferarum, laborasti et onerati fuistis : sub jugo meo « invenietis requiem animabus vestris, » quia « jugum meum suave est, et onus meum leve : » ita ut scienter dicatis quia nosse me, vivere, et mihi servire, regnare est.

CAP. XII. — « In illo tempore : Abiit Jesus Sab-
D bato per sata : discipuli autem ejus esurientes, cœperunt vellere spicas et manducare. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere Sabbatis. At ille dixit eis : Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus ? (I *Reg.* XXI.) aut non legistis in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant et sine crimine sunt ? (*Exod.* XXIX.) Dico autem vobis quia templo major est hic. Si autem sciretis quid est, misericordiam volo et non sacrificium (*Osee.* VI),

nunquam condemnassetis innocentes. Dominus est A enim Filius hominis etiam Sabbati. » O vos parvuli, quibus Pater ista revelavit, quid vobis per istam rem gestam revelatione dignum emicuit ? « Multa » enim « alia fecit » Dominus « Jesus, » quæ scripta non sunt, et, si scriberentur « per singula, nec ipsum, ait evangelista Joannes, arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros (*Joan.* XXI). » Quare ergo de multis quæ scripta non sunt, inter pauca istud conscribi dignum fuit, « abiit » Dominus « Jesus Sabbato per sata, » et « discipuli ejus esurientes, cœperunt vellere spicas et manducare. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere Sabbatis ? » Quare, inquam, nisi quia responsio quam respondit eis, multum pertinet ad venerabilem confessionem illam, B qua, ut jam dictum est, confessus est se esse Filium Dei, sic incipiens : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Dixit enim : « Dico autem vobis, quia templo major est his, » Item dixit : « Dominus est enim Filius hominis etiam Sabbati. » Nobis scire hæc expediebat, et idcirco scripta sunt, et scribi debuerunt tanta hæc majestatis ejus præconia. Quantum enim hoc est quod ait : « Dico vobis quia templo major est hic ? » Nam propter honorem nominis divini magnum quid est templum, ita ut reverentiam debeat templo quicunque cupit esse subditus et reverentiam præstare Deo ? Nimirum cum dicit, « templo major est his, » nec altare excipit, quo procul dubio nihil majus est, C quam Deus, cujus altare est. Nam propter nomen Domini cui specialiter altare dicatum est, omni creaturæ ipsum altare reverendum est. Ergo dum Dei Filium sese hoc dicto confitetur, qui veraciter templo vel altari idcirco major est, quia Deus. Cum item dicit : « Dominus est enim Filius hominis etiam Sabbati, » profecto omnium Dominum et Deum sese esse venerabiliter astruit. Nullus est enim Dominus Sabbati, nisi Deus ipse qui Sabbatum constituit. His dictis pro gloria illius jam dictæ confessionis, considerand a sunt duo hæc argumenta innocentiæ, quibus discipulos defendit, dicens : « Si autem sciretis quid est, misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. » Primum est quod ita dixit : « Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant, quomodo in- D travit in domum Dei et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi sacerdotibus solis, » duo tunc David fecisse legitur, quorum in altero sacerdotem, qui panes propositionis esurienti dedit, misericordia justificat : et eum qui comedit necessitas excusat. In altero autem semetipsum David idem jure accusat, dicens ad eum qui residuus erat, scilicet **654** Abiathar : « Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doech Idumæus, procul dubio annuntiaret Saul : Ego sum reus omnium animarum patris tui (I *Reg.* XXII). » Fefellerat eum enim, dicens : « Rex præcepit mihi sermonem, et dixit : Nemo sciat rem propter quam a me missus es (*ibid.* XXI), etc. Hæc idcirco dixerim, ne non satis congruum videatur induxisse sermonem pro argumento innocentiæ, discipulorum spicas Sabbato vellentium et manducantium. Nam Dominus quid in illa re historica suo judicio defenderit, satis indicat dicendo : « Si autem sciretis quid sit, misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. » Quæ sententia de propheta Osee sumpta (*Ose.* VI), sicut illum sacerdotem de misericordia justificat, qui melius existimavit esurienti laico dare panes propositionis, quam observare ritum illius sacrificii, sic econtra de inclementia condemnat Pharisæos, qui mallent discipulos Christi fame perire, quam spicas Sabbato vellendas concedere.

Secundum sive alterum innocentiæ discipulorum ejus argumentum hoc est. « Aut non legistis in lege, qui Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt ? » Violant, ait videlicet secundum ausum præjudicii vestri. Nam revera non violant in priori tabernaculo semper introeuntes, et sacrificiorum officia consummantes. Per singulos dies, ait lex, jugiter agnos anniculos duos, unum mane agnum, et alterum vespere, decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno. Alterum vero agnum offeres ad vesperam, juxta ritum matutinæ oblationis (*Exod.* XXIX). » Hoc agentes Sabbato æque ut prima vel secunda Sabbati, profecto Sabbatum violant si omne opus absque ulla exceptione Sabbati violatio est. Quid enim operosius est, spicas vellere, an duos agnos anniculos cædere et pelles eorum detrahere, et eos cum libamentis suis offerre mane et vespere ? Sed ita demum Sabbatum violatur, si quis faciat servilis opus. Servilis operis definitio vera, est præcepti contemptus. Exempli gratia : « Cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna die Sabbati, obtulerunt eum Mosi et Aaron et universæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcere, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Mosen : Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus et mortuus est, sicut præceperat Dominus (*Num.* XV). » Opus illius hominis non ex ignorantia, non ex infirmitate, sed ex superbia venit, et peccatum ejus contemptus fuit. Recte ergo tanquam Sabbati violator mori debuit secundum sententiam hanc ibidem præscriptam. » Anima vero quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius irritum fecit, idcirco delebitur et portabit iniquitatem suam (*ibid.*). » Diceret aliquis illorum : idcirco sacerdotes Sabbato hæc facientes sine crimine sunt, quia faciunt in templo Domini, ex præcepto ejus qui Domi-

nus est etiam Sabbati. Ad hæc ille : « Dico vobis, quia templo major est hic, » et « Dominus est Filius hominis etiam Sabbati. » Quibus verbis si non credis, o tu quisquis es, operibus crede. Sequitur enim : « Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum : et ecce homo habens manum aridam. Et interrogabant eum, dicentes : Si licet Sabbatis curare, ut accusarent eum ; ipse autem dixit eis : Quis erit ex vobis homo, qui habet ovem unam, et si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam ? Quanto magis melior est homo ove ? Itaque licet Sabbatis benefacere. Tunc ait homini : Extende manum tuam. Et extendit : Et restituta est sanitati sicut altera. » Si, inquam, verbis non credis, o tu quisquis es sapiens vel prudens, et parvulus nondum esse didicisti, qualium supra in confessione sua B meminit iste Filius Dei, iste major templo, et Dominus etiam Sabbati, operibus crede. Nunquid enim sic et sic operaretur, si in confessione ista fuisset mentitus : « Confiteor tibi, inquiens, Pater, » et « omnia mihi tradita sunt a Patre meo, » et « templo major est hic, » et « Dominus est Filius hominis etiam Sabbati ? » Ille qui semetipsum mendaciter magnificavit, qui, sicut per Ezechielem exprobratur illi, elevans cor suum dixit : « Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi (*Ezech.* XXVIII). » et ego feci memetipsum, quia mentitus est, idcirco tanquam superbus judicatus est, et nihil inquam divinum, nihil utile fecit. Veniam ad homines quorum extollentia de Scripturis nota est. Maria prophetes, soror Mosi et Aaron, quia locuta est contra Mosen, dicens : Num per solum Mosen locutus est Dominus, nonne et nobis similiter locutus est ? (*Num.* XII) » non impune transiit, sed tanquam superbe locuta, confusibilem pœnam recepit, operuit enim eam candens lepra quasi nix. Amplius autem Chore, Dathan et Abyron in superbiam erecti et sacerdotium vindicantes sibi, pœnam terribilem receperunt, alii cœlitus igne consumpti, alii vivi a terra absorpti (*Num.* XVI). Saul quoque rex quondam electus Dei, propter superbiam projectus, et maligno spiritui traditus est (*I Reg.* XVI). Iste majora de semetipso confitens, quam aliquis illorum hominum peccatorum, majora et majori cum potestate fecit opera, quod quam aliquis hominum justorum, ut est illud, quod protinus, cum dixisset, « Dominus est enim Filius hominis etiam Sabbati, » transiens et veniens synagogam ipsa die Sabbati, homini manum habenti aridam, non precem fudendo, ut quivis sanctus homo, sed imperando ut Deus dixit : « Extende manum tuam, et extendit. » Igitur et ex hoc et ex cæteris operibus, quæ post tantam confessionem illam fecit, qualia nemo alius fecit, vobis o sapientes et prudentes, constans esse debuisset, quia Dei Filium et etiam Sabbati Dominum se esse confitendo, non mentitus est. Sed quid sequitur ?

Euntes « autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent. » Ergo causa absconsionis, quam supra dixit : « Quia abscondi- A sti hæc a sapientibus et prudentibus, » invidia ipsorum fuit. Superati enim et veritate sermonis et potentia virtutis, atque ideo de ignorantia inexcusabiles, « consilium faciebant quomodo eum perderent ; » nec destiterunt ejusmodi sapientes et prudentes, a vera sapientia deinceps magis ac magis superati, et operibus bonis irritati, donec « eum perderent » ut eis visum est. Justo igitur judicio « abscondisti, inquit, hæc a sapientibus et prudentibus. » Quam videlicet absconsionem continuo verbis insinuavit mysticis, sapientia justificate et justificanda a filiis suis. Sequitur enim : Jesus autem sciens, recessit inde, et secuti sunt eum multi, et curavit omnes, et præcepit eis ne manifestum eum facerent. » Nisi enim mysterium intelligas, in illa « præcepit eis ne manifestum eum facerent, » contrarium videbitur ei quod sequitur : « Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. Stupebant omnes turbæ, et dicebant : Nunquid hic est filius David ? Pharisæi autem audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. » Ergo in præceptione hujusmodi mysterium est. Nimirum forma servi homo exterior, consilio vel **655** judicio subserviens insitæ sibi Divinitatis, ita locutus est, ita præcepit ; consilium hoc erat, judicium istud erat, recedere ab invidentibus et blasphemantibus Judæis, præcipere apostolis vel prædicatoribus suis ne apud illos docerent aut prædicarent, juxta illud per Isaiam dictum : « Et nubibus mandabo ne pluant super vineam meam imbrem (*Isa.* V). » C Ad hoc pertinens propheticum subjungit evangelista testimonium. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem : « Ecce puer meus quem elegi. Dilectus meus in quo complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt (*Isa.* XLII). » Si enim in eo quod præcepit eis ne manifestum eum facerent, nihil aliud attendas, nisi quod littera sonare videtur, quomodo per hoc adimpletum est illud quod hic in testimonio prophetic inter cætera dictum est, et « judicium gentibus nuntiabit..., et in nomine ejus gentes sperabunt ? » D Sed profecto in præceptione mysterium est mandati illius, quo, ut jam dictum est, mandare habeat nubibus ne pluerent super vineam suam imbrem, id est apostolis suis, ne illis impenderent evangelicam prædicationem, et excusso pulvere pedum in eos (*Matth.* X), converterentur ad gentes, quod et factum est (*Act.* XIII), et hoc facto nimirum « judicium gentibus » nuntiavit « et in nomine ejus gentes sperabunt. » Quam ob causam taliter mandare debuit ne apud Judæos prædicarent aut docerent ? Ut adimpleretur quod dictum est de hoc puero Domini, de hoc electo et dilecto, bene serviente in forma servi. « Non con-

tendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. »

Plane hoc nos intelligere vult, quod plena contentionis, plena clamoris prædicatio est, ubicunque Christus prædicatur Judæis. Nolunt enim audire, sed verba verbis contraria reddere, et sine sensu clamare, ut vel clamando videantur vicisse, aut rationem habere cur Evangelio non debeant cedere. Ergo « non contendet, ait, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus, » id est mandabit de se non prædicari illis, quia communiter contentiosi sunt et clamosi, juxta illud : Ne effundas sermonem ubi non est auditus (*Eccl.* XXXII). Hinc est illud Apostoli ad Titum : « Stultas autem quæstiones et genealogias et contentiones et pugnas legis divita, sunt enim inutiles et vanæ (*Tit.* III). » Item ad Timotheum : Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetem esse ad omnes (*II Tim.* II). Quod deinde sequitur : « Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, » circa ipsos Judæos sic recte potest intelligi, ut illud : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (*Habac.* III). » Ecce enim ubi venerunt Romani, gentemque et locum tulerunt, civitasque et templum datum est in exustionem ignis, tunc utique arundo quassata est, et ex tunc linum fumigat longa captivitatis dispersione palam cunctis exhibens suæ calamitatis monimenta. Sed neque arundinem sic quassatam confringet, neque linum sic fumigans exstinguet, « quia cæcitas ex patre contingit in Israel, donec plenitudo gentium » subintraret, et tunc reliquiæ salvæ fient (*Rom.* XI). Hoc est quod continuo dicit : « Donec ejiciat ad victoriam judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt. » Illud namque judicium, de quo alibi dixit : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant (*Joan.* IX), » relictis Judæis et gentibus in nomine ejus sperantibus, ejicit, id est fortiter pervenire facit, et victoriam, et in hoc ipso multum proficit, quod arundinem, id est Judaici populi lenitatem, modo supra dicto quassatam, non omnino confregit, et linum fumigans, id est ejusdem populi vetus sacerdotium, igne, ut jam dictum est, perustum non omnino exstinxit, sed semiustum nunc usque in dispersione captivitatis fumigare permittit. Multum, inquam hoc ad illam victoriam proficit, juxta sensum illus versiculi ex persona hujus pueri per Psalmistam prolati : « Deus » ostendit « mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Dispergo illos in virtute tua et depone eos protector meus, Domine (*Psal.* LVIII). » — « Tunc oblatus est ei dæmonium habens cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut lequeretur et videret, et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Nunquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes dixerunt : hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub, principe dæmonum. » Ordo vere mysticus ac divinus,
A quando Dominus Jesus sciens cogitationes eorum « recessit inde, » et sequentibus se præcepit ne manifestum eum facerent, « tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret, » quia sic futurum erat et sic factum est, ut quando ex revelatione Spiritus sancti et auctoritate Scripturæ, relictis blasphemantibus Judæis converterent ad gentes, tunc gentes audientes gauderent, seque ultro offerrent : quarum omnis multitudo, quoniam a principe hujus mund diabolo possidebatur, idola colens, et Creatorem suum nec nominare sciens, et quo ducebatur nesciens, recte per hominem designata est dæmonium habentem, cæcum et mutum.

Futurum autem et hoc erat, ut propter eamdem
B gentium conversionem, Judæi magis ac magis blasphemarent, mira insania gentibus invidentes, gentium salutem odientes, ita ut ne audire quidem paterentur hoc ipsum, quod de gentibus Deo cura esset. Exempli gratia : Cum Paulus ad plebem rationem reddens, illuc usque narrasset : « Et dixit ad me : Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te, audiebant autem eum, ait Scriptura, usque ad hoc verbum, et elevaverunt vocem suam dicentes : Tolle de terra hujusmodi, non enim fas est eum vivere. Vociferantibus autem eis, et projicientibus vestimenta sua, et pulverem jactantibus in aerem, jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi et torqueri, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei (*Act.* XXII). » His atque aliis modis futu-
C rum erat ut contradicerent his quæ ab apostolis dicerentur blasphemantes. Tantæ blasphemiæ initium simul et prodigium fuit, quod Pharisæi audientes dixerunt : « Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebud, principe dæmoniorum. » Et quia, propter hujusmodi blasphemias et perseverantem impietatem, futurum erat ut contra semetipsos dividerentur in quamdam similitudinem dæmonum, quorum participem in divisione ipsorum sacrilegi dicere ausi sunt Filium Dei, venerabilis mysterii pulcherrimus ordo continuatur sic : « Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit : Omne regnum divisum contra se desolabitur. Et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est. Quomodo ergo stabit re-
D gnum ejus? Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum illius diripiat? » Sciens, inquit, cogitationes eorum, videlicet **656** quod non per ignorantiam errarent, sed invidiam blasphemarent, quum aliud posset, istud in primis dicere maluit : « Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit, » sententiam utique veram, cujus veritatem in semetipsis experturi erant.

Futurum namque, ut jam dictum est, hoc erat et factum est, ut regnum eorum et civitas præclara ac ditissima Hierusalem, de foris Romano exercitu circumdata, intus triplici divisione contra se divideretur, principibus divisionum Joanne, Eleazaro et Simone, summa, et media, et inferiora civitatis loca tenentibus, et mirabili insania contra semetipsos debacchantibus tam atrociter ut ipsi hostes, scilicet Romani, duros infidelium casus misererentur, qui inter illorum furias latronum, nulla pace intercurrente, consumebantur. Plane Divinitas, cui omnia præsentia sunt, hoc futurum tanquam præsens jam videbat, imo ut fieret æquissimo judicio decernebat quoniam sic dicebant et existimari volebant de ipso Dei Filio, quod cum Beelzebub, principe dæmoniorum pactum habens, quod auditu quoque nefas est, concordi operatione per eum dæmones ejiceret. Et ut justissimum judicium intelligas, percontatur, dicens ad eos?« Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt ? » Ac si diceret : Et si vos contra me tale verbum dicitis, quid facietis aut dicetis, cum filios vestros, scilicet apostolos, postquam glorificatus fuero, dæmones ejicere videbitis, manifesta operatione Spiritus sancti, non solum de corporibus obsessis, verumetiam de templis vel delubris in quibus coluntur pro diis? Quid tunc dicetis ? utique dicetis quia in Beelsebub faciunt hæc. Si enim patremfamilias Beelzebub vocastis, quanto magis domesticos ejus ? Homini percontatione præmissa, statim subjungit. « Ideo ipsi judices vestri erunt. » Nam revera, si finem fecissent blasphemandi, saltem ubi clamaverunt : « Reus est mortis, » et non solummodo verbum hujuscemodi dixerunt contra Filium hominis, verumetiam « exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt (*Matth.* XXV), » et ad ultimum crucifixum prætereuntes, blasphemabant eum : si, inquam, saltem tunc finem fecissent blasphemandi, et non etiam post resurrectionem et ascensionem ejus, missum de cœlo et in apostolis loquentem Spiritum sanctum ac prædicantem pœnitentiam et remissionem peccatorum similiter blasphemassent, non fuissent judicati, non judicassent eos filii ipsorum apostoli. Verbi gratia, ut dicerent excutientes vestimenta sua : « Sanguis vester super caput vestrum, » mundi nos ex hoc ad gentes ibimus (*Act.* XVIII).

Nec vero totum judicium, sed judicii fuit initium divisio illa regni sive civitatis eorum. Perfectum et plenum tunc erit judicium illorum, quando judices illi, de quibus ait: « Ideo ipsi judices vestri erunt, » sedebunt super sedes duodecim, « judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX), » ita ut terræ Sodomorum remissius debeat esse, quam illis, scilicet in die judicii. Nunc perpendere libet, ad quid inveniendum sive comprobandum summa Sapientia fecerit syllogismum hunc, id est argumentationem ex tribus constantem, propositione, assumptione, conclusione. Præmisso namque sciens cogitationes eorum, sic illum evangelista proposuisse narrat

A « Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit. » Propositioni huic, vellent nollent, audientes consentire oportebat. Sequitur assumptio, quam itidem, vellent nollent, veram esse concederent, scilicet, Satanam esse divisum contra se, quoniam ipsorum erat sententia: in Beelzebub, principe dæmoniorum ejicit dæmones. Proinde assumens, dicit : « Et si Satanas Satanam ejicit, adversum se divisus est. » Statim concludit : « Quomodo ergo stabit regnum ejus? » Quid sibi vult hujusmodi argumentatio? Nonne hoc manifeste innuit quod sciret cogitationes eorum tales esse, ut propositum haberent in regno Satanæ contra Spiritum sanctum stare ? Incredibile hoc videbatur illi cujus sensus

B non recipit vel non credit quod ullus unquam homo fœdus cum diabolo pepigerit. Porro Isaias de istis prophetavit : « Propter hoc audite Verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Hierusalem. Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum » et cætera, usque « et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit (*Isa.* XXVIII). » De istis, inquam, hoc Isaias prophetavit. Nam de eo quod postmodum dicit : « Et dixit Dominus, eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis (*ibid.* XXIX), ipse Dominus in hoc eodem evangelista taliter contra eos mentionem fecit: Hy-

C pocritæ, bene prophetavit Isaias de vobis, dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum (*Matth.* XV). Miro igitur modo blasphemiam illorum assumptam justæ iræ cinxit sententiis, ita proponens : « Omne regnum contra se divisum desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit, » qua sententia illud intendebat, ut jam dictum est, quod in obsidione Romanorum contra semetipsos forent dividendi, sicque casuri ac desolandi. Et ita concludens, « quomodo ergo stabit regnum ejus? » qua sententia terribilius eosdem percutit, casuros cum diabolo in die judicii. Quidnam est percontari « quomodo stabit regnum ejus? » nisi ac si diceret : Quomodo stabit illud quod pepigistis cum morte sive

D cum inferno, id est cum diabolo, pactum vel fœdus? Non enim fœderatis suis, ut vos estis, pactum custodire vel parcere poterit mors sive infernus, flagellum inundans, id est diabolus. Vane dixistis : « Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus (*Isa.* XXVIII). » Cum ita secundum propheticam veritatem speretis in protectione mendacii, quasi in protectione stantis regni, hoc dicitis contra me, dicitis odio mei, quia, me agente « Satanas Satanam ejicit, » quod repugnans est eidem vestræ spei. Stulti et cæci, si Satanas Satanam ejicit, quomodo Satanas parcet vobis

hominibus fœderatis sibi ? Non ita, sed « flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocunque pertransierit, tollet vos, quoniam mane diluculo pertransibit, in die et in nocte, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui (*ibid.*) : » Istud « bene » et veraciter « de vobis prophetavit Isaias : » — « Flagellum » enim « inundans, » id est diabolus utique mors super peccatores inundans, « cum transierit, eritis in conculcationem, » quando pertransierit, « tollet vos. » Duo dicta sunt: « Cum transierit, » conculcabit, quando pertransierit, « tollet vos. » Ecce transibit judicio præsenti, de quo nunc dico : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi ejicietur foras (*Joan.* XII), et tunc conculcabit vos. Cum enim resurrexero A a mortuis, quod est illum foras mitti sive transire, tunc vos conculcabit conculcatione exercitus Romani. Quando autem venero in nubibus cœli, ad judicandum vivos et mortuos, et ille « videntibus cunctis, præcipitabitur (*Job* XL), » quod erit illi pertransire, tunc « tollet vos, » ut neque ipsi neque vos amplius sitis, aut scandala **657** regno Dei faciatis. Illo judicio manifesto in æternum pertransibit, et idcirco sic dictum est : « Mane diluculo in die et in nocte pertransibit. Omni enim æternitate cessabit, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui (*Isa.* XXVIII) ; » quia ante illam præcipitationem non intelliget ipse, non intelligent fœderati ejus quam stulti sint vel fuerint.

LIBER DECIMUS.

Propositi modum supergressus esse videor, reverende mi Cuno, procul Ecclesiæ Ratisponensis, in opere De gloria et honore Filii hominis, quod tu a me magno charitatis imperio, quo circa me uti solebas, ut scriberem, vehementer exegisti. Proposueram quippe in isto libro generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham, sive in hoc Evangelio Matthæi, facies quatuor unius ejusdemque animalis contemplari, faciem hominis, faciem vituli, faciem leonis, faciem aquilæ volantis, id est quatuor sacra hæc, quæ Christiano ignorare non licet, incarnationem, passionem, resurrectionem, atque ascensionem unius ejusdemque Jesu Christi. Hoc, inquam, proposueram, quoniam pertinet ad intentionem operis consideratio hæc, et præfixo congruit titulo : De gloria et honore Filii hominis. C Nec erat in intentione, totum peragrare profundum hujus pelagi, totum continuo expositione pertractare textum hujus Evangelii. Ecce autem cum ita proposuissem, volumen extendi, seriemque evangelicam magna ex parte transegi, atque ita, quasi agente spiritu vehementi, qui non longe a portu navigare decreveram, fere usque ad medium pelagi mea propelli vela permisi. Revocabo igitur sermonis cursum, modumque tenere curabo, et, omisso tractatu eorum quæ in Evangelio sequuntur, post illa quæ, prout potui Domino adjuvante, dixi hactenus in contemplatione faciei hominis, accedam ad contemplandam faciem vituli, dignum aliquid fari desiderans promisso vel titulo, cujus tu mihi auctor exstitisti, amator gloriæ et honoris Filii hominis. Vere fidelis Dominus in verbis suis (*Psal.* CXLIV), veraciter dixit : « Sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles (*I Reg.* II). Veritatem hujus dicti, in te quoque apparere nunc gloriamur. Nam quia tu ejus gloriam desideranter quæsisti, de cujus desiderii fonte processit istud quoque ut dices : B Scribe mihi opus de gloria et honore Filii hominis ; vestem sanctam, vestem pontificalem in gloriam et decorem ipse tibi fecit, cujus gratiæ finis iste sit ut illic te invenias in ordine sacerdotum, ubi, sicut dicit Apostolus, « unusquisque in suo ordine resurgit, primitiæ Christus (*I Cor.* XV). » Faciem vituli sacramentum esse Dominicæ passionis, ex hoc accipimus, quod sicut in exordio meminimus hujus operis, sacra et mystica lex vitulum in figura ejus, pro peccato jussi offerri. « Si, inquit, sacerdos peccaverit, delinquere faciens populum, vel si omnis turba ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, offeret pro peccato vitulum immaculatum Domino (*Levit.* IV), et cætera quæ miro modo, et ordine vere sacro et mystico figurant sacramentum passionis Jesu Christi, « cujus sanguis, » secundum quod ritus ille significat, « emundavit conscientiam nostram, ait Apostolus, ab operibus mortuis (*Hebr.* IX). » In initio quoque quando Moses ascensurus in montem, et tabulas erat accepturus lapideas, dicente Domino : « Ascende in montem et esto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas, legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel (*Exod.* XXIV), » sacrificium obtulit homini, scilicet vitulos duodecim. Et quidem alia quoque animalia jussum est offerri, scilicet hircum de capris sive capram, agnum sive arietem, quæ omnia sacramentum mystice spirabant ejusdem sacrosanctæ passionis, præcipueque agnus ille qui immolabatur ad vesperam, quartadecima die mensis primi (*Exod.* XII) ; sed omnium illorum D maximum est vitulus, quorum pro hoc mysterio fundebatur sanguis, et idcirco recte pro omnibus hic in mysterio una ponitur facies vituli. Aspectus faciei hujus ab eo nobis incipit, quod dixit Dominus Jesus discipulis suis :

CAP. XIII. — « Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. »

Nemo vere qui nesciat Pascha illud fuisse immolationem agni ad vesperam quarta decima die mensis primi, statutumque fuisse Judæis ut per singulos annos eorum ritu celebrarent, secundum hæc verba Domini: « Habebitis autem diem hanc in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno (*Exod.* XII). » Item: « Hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis (*Ibid.*). » Hoc tamen intererat quod lex ita dixisset: « Mense primo quarta decima die mensis ad vesperam Pascha Domini est, et quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est (*Levit.* XXIII). » Interdum non ita fiebat, neque anno illo ita factum est. Nam inter traditiones plurimas, quas seniores Judæorum superstatuerunt traditionibus Dei, istud quoque statuerant, ut si diem ante Sabbatum, quam sextam feriam dicimus, contingeret esse quintam decimam mensis, non celebraretur solemnitas, sed differretur in diem sequentem Sabbati, difficile et incommodum esse dicentes duo Sabbata continuare, id est duobus diebus vacare ab omni opere, multas ob causas, quarum ex præcipuis una erat quod cadavera suorum, nonnunquam usque in quartam diem insepulta, fetoris molestiam generarent. Traditio hæc cognita, magnam solvit quæstionem ei qui forte dicat: Cum Judæi, quarta decima die ad vesperam Pascha celebrando agnum comedissent, et sequenti die, quoniam quinta decima **658** erat, solemnitatem celebrare, et secundum legem vacare debuissent, quomodo illis judicia tractare licuit, quibus tunc totum diem insumpserunt in condemnatione Domini et eorum quos cum illo crucifixerunt? Hanc, inquam, quæstionem cognitio cito solvit illius jam dictæ traditionis, quia traditum illis fuerat, differre solemnitatem, cum evenisset ante Sabbatum legale quinta decima dies mensis, et pro duobus Sabbatis unum celebare Sabbatum magnum, solemnitate duplici. Unde cum dixisset evangelista: « Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce Sabbato corpora (*Joan.* XIX), causam istam subjunxit: « Erat enim magnus dies ille Sabbati (*ibid.*). » His dictis pro traditione seniorum, quam observantes servi peccati, tunc in quinta decima die mensis quasi licitum habuerunt operari et male operati sunt. Nunc redeamus ad rem.

« Scitis, inquit, quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. » Et quidem sciebant quia Pascha fieret, sed hoc nesciebant, quod in illa paschali vespera tradendus, et die sequenti crucifigendus esset. Ipse autem non solum sciebat, verum etiam ab initio taliter fieri prædestinaverat, quatenus, finem accipiente Pascha veteri, id est legalis agni immolatione, confestim verus ipse Agnus et Pascha novum immolaretur, atque ita quod eatenus velut in umbra significatum fuerat, jam in re procederet, figuræ transeunti veritas permanens succederet. Nunquid vero vel illud a mysterio

A vacare putandum est, quo post biduum hoc futurum esse prædixit? Poterat etiam ante hoc ipsum prædicere, ita ut diceret, post triduum, sive post quatriduum. Ergo nec istud vacare patimur, quod tunc prædixit, ex quo post triduum, id est tertia die erat crucifigendus. Unde sciendum quia sicut triduana sepultura, ita et triduana fuit passio ejus, qua necessarium erat sanctam placari Trinitatem, cunctis trium temporum hominibus salutem hanc exspectantibus, scilicet et illis ante legem, et illis qui sub lege fuerunt, et nobis qui nunc sub gratia vivimus. Hæc ejus triduana passio sic discernitur. Qua die dixit hoc discipulis suis: « Scitis quia post biduum Pascha fiet, » venditus fuit, Juda traditore loquente cum principibus sacerdotum et magistratibus, et illis paciscentibus

B pecuniam illi dare, quibus et spopondit illum tradere. Transacto sequenti die, jam ad vesperam plena, id est, quinta decima, luna effulgente, Pascha de more factum est; et tunc ipse, cum esset nox, Juda foras egresso ad tradendum, agonizans et prolixius orans, sudoremque sanguineum desudans (*Luc.* XXII), traditus, comprehensus et ligatus, ad principes sacerdotum adductus est, et die succedente crucifixus est. Nunc rei ordinem ingrediamur:

« Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. » Consilium istud erat, quod patriarcha Jacob prævidens, dicebat: « Simeon et Levi fratres, vasa ini-

C quitatis bellantia. In consilio eorum ne veniat anima mea, et in cœtu ipsorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: et indignatio eorum, quia dura (*Gen.* XLIX). » Nam si tantummodo illud attenderet quod fecerant in Sychem propter violatam sororem suam Dinam, quæ ratio esset, optare de præterito, et dicere, « in consilio eorum ne veniat anima mea, et in cœtu ipsorum non sit gloria mea? » Simul considerandum quia dicturus hæc, etc., filiis suis, præmisit: « Congregamini, et audite, filii Jacob, audite, Israel, patrem vestrum, congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis diebus novissimis (*Ibid.*). » Ergo futuri hujus prophetica erat annuntiatio con-

D silii, quod tunc, ut jam dictum est, congregati fecerunt principes sacerdotum utique de tribu Levi, nec ante desierunt in furore pertinaces, donec morte crucis virum occiderent, et lancea murum suffoderent, murum templi non manufacti, de quo vir ipse dixit: « Solvite templum hoc et in triduo excitabo illud (*Joan.* II). » Propter congregationem ejusmodi, quia tale in consilium congregati sunt: « Dividam eos, inquit, in Jacob, et dispergam eos in Israel (*Gen.* XLIX), quia videlicet propter scelus illud, et pertinaciam indignationemque duram, id est invidiam, qua in crudelitate persistunt, ecce divisi sunt in Jacob et dispersi sunt in Israel, id est in populis

Christianorum, qui supplantaverunt eos, quique, propter fidei rectitudinem, dicuntur et sunt verus Israel. Accelerationem illius consilii, et intentionem doli per hoc intelligimus, quod evangelista subjungit: « Dicebant enim: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. » Dies festus, ut jam dictum est supra, futurus erat magnus dies ille Sabbati, quem non exspectaverunt, sed pridie crucifixerunt illum, nocte quæ præcesserat, comprehensum. Ergo in hoc fuit consilium, ut anticiparent diem festum, et inter tenebras nocturnas comprehenderent illum, metuentes turbas quæ de civitatibus aliis et regionibus ascenderant, ad diem festum, et sequebantur eum, quippe quæ et ingredientem civitatem Hierusalem glorificaverant, præcedendo et subsequendo cum laudibus et ramis palmarum.

« Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo et dari pauperibus. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. » Quoniam hic ad contemplandam, ut jam dictum est, faciem vituli ingredimur, memoriæ non debet abesse quia quatuor istæ facies apud Ezechielem, ita quatuor dicuntur esse animalia, ut nihilominus dicatur et sit unum animal; quippe ubi descriptis ac repetitis quatuor faciebus sive animalibus istis, ita postmodum scriptum est: « Ipsum est animal quod videram juxta fluvium Chobar (*Ezech.* x). » Iterumque præmisso: « Et elevantia cherubim alas suas exaltata sunt a terra coram me et gloria Domini Dei Israel erat super ea, ipsum est, inquit, animal quod vidi subter Deum Israel, juxta fluvium Chobar (*ibid.*). Paucisque interpositis; et similitudo, ait, vultuum eorum ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar, et intuitus eorum et impetus singulorum ante faciem suam (*ibid.*). Quorsum ista? Videlicet quia hic jam perspicere libet quod veraciter de hujusmodi animalibus dictum est, « quia plena erant oculis ante et retro (*Apoc.* IV). » Nam ecce in ista facie vituli, in isto sacramento Dominicæ passionis, cum de oculis ejus alia quoque dici possint et dicta sint, illud maxime delectat, quia clarissime patent duo oculi, misericordiæ scilicet prospectus, et intentio judicii, ante et retro, id est tam in initio quam in fine ejusdem passionis. Denique hic ante, hic in initio duæ sunt personæ, quarum in altera misericordiæ, in altera prospectus est judicii, scilicet mulier peccatrix quondam, et
659 Judas incensor indignationis discipulorum

A dicentium: Ut quid perditio ista unguenti? Et retro, id est in fine passionis, ubi jam expiratus erat, itidem duæ personæ, quarum in altera misericordiæ, in altera est intuitus judicii, videlicet hinc latro qui confessus est, inde latro qui in blasphemia perseveravit. Itaque faciem istam, faciem vituli, claret ante et retro plenam oculis esse, ut recte dicas, tam de anteriore, quam de posteriore intuitu, quia « opus ejus coram eo (*Isai.* XL), » opus bipartitum, misericordiæ et judicii, misericordiæ hic erga mulierem quondam peccatricem et illic erga latronem confitentem, judicii, hic super Judam indignantem, et ad Pharisæos, abuntem, et illic super latronem blasphemum in peccato suo morientem. De cæteris faciebus, sive animalibus, quod in ipsa secundum similem rationem plena sint oculis ante et

B retro, jam hic præscribere nobis quidem jucundum, sed forte esset legentibus fastidiosum. Suis ergo locis opportunius de singulis erat dicendum. Nunc jam secundum litteræ seriem, faciei hujus, faciei vitulinæ mansuetudinem in passione sacrosancta considerare operæ pretium est.

« Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, » etc., ut supra. Quoto die ante diem azymorum hæc facta sint, et qualiter acta sint, Joannes manifestius exprimit his verbis: « Jesus autem ante sex dies Paschæ venit Bethaniam ubi erat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat. Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

C Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit caput Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis, et domus impleta est odore unguenti. Dixit ergo unus ex discipulis ejus Judas Iscariothes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non veniit [*Al. venditur*] trecentis denariis, et datum est egenis? (*Joan.* XII). Hoc in littera Joannes a Matthæo et Marco differt, quod Matthæus, et Marcus mulierem hanc scripserunt hoc loco « super caput, » Joannes autem « super pedes ejus » effudisse unguentum; et de priore quidem effusione unguenti, quando venit ad Dominum, erat adhuc peccatrix et mox justificanda secundum hoc misericordiæ dictum: « Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum (*Luc.* VII); quod et Lucas plenius narrat, et Joannes quoque ante hunc locum, in morte sive

D resuscitatione Lazari, patenter memorat, dicens: « Maria autem erat, quæ unxit unguento Dominum, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur (*Joan.* XI). De illa, inquam, prima effusione unguenti constat quia facta est tantummodo super pedes Domini: Neque enim poterat statim capite ejus dignam se existimare peccatrix. Nunc autem quomodo et Joannes super pedes, et cæteri evangelistæ super caput ejus effusum narrant unguentum, non dubium quin utrumque, scilicet et caput et pedes, unxerit; et idcirco jam etiam caput, quia jam non peccatrix, sed jamdudum justificata dimissis sibi peccatis multis. Mirum qua intentione,

vel quo sensu, devota mulier tale obsequium Domino præstiterit. Neque enim jam scire vel præscire poterat illud, quod Dominus ipse præsciens, « mittens enim ait hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit; sive, ut alius evangelista scripsit, « prævenit ungere corpus meum in sepulturam (*Marc.* xiv). Ipse vitulus sacrificii Domini, suimet adesse immolationem, et facies talis vituli aram inspiciebat et tabernaculum, cujus ad ostium ipse immolandus, cujus in interiora de sanguine ejus inferendum, cujus in introitu reliquum sanguinis ejus secundum mysterium sacræ legis fundendum erat. Illa autem nihil horum sciebat, sicut nec ipsi discipuli Domini, qui nondum sciebant Scripturas, quod oporteret eum pati, et resurgere a mortuis (*Joan.* xx). Quo ergo sensu, vel quid intendens, tale obsequium morituro impendit, nisi eodem sensu, et eadem intentione qua cum primum venit ad eum, dum rigaret pedes ejus lacrymis et capillis capitis sui tergeret, et oscularetur, unguento etiam unxit pedes ejus? Illud autem agendo utique primum pœnitentiæ fructum, congruumque fecit emendationis initium. Liquet enim quod illicitis actibus prius mulier intenta unguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Ideo, quod sibi turpiter adhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Igitur de Anna Samuelis matre scriptum est : « Vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati (*I Reg.* i), » id est in eadem intentione et oratione perseveravit, hoc ista de semetipsa exteriori opere demonstravit, dum finem obsequii similem initio, fecit, imo quia melior est, vel esse debet, sicut orationis, ita et operis, finis quam principium ejus, opus bonum bene incœptum, melius consummavit. Nam, sicut jam dictum est, in initio tantummodo pedes Domini unguento unxit; hic autem, quando ea quæ de ipso erant prope jam finem habebant, et pedes unxit, et super caput ejus unguentum effudit. Quod autem illa bene exhibuit, hoc Dominus ipse medius, et valde rationabilius admisit, certi videlicet gratia mysterii, de quo postmodum dicendum erit. Aliter visum est discipulis, qui « videntes indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc? » maximeque Judæ proditori, qui non simpliciter indignatus est, ut alii, pro sola quasi perditione unguenti sed, (quod nequissimum fuit) hoc doluit, quia furari consueto, et ad furandum inhianti tam lucrosa res commissa non fuit, ut posset furari. « Dixit enim hoc, ait evangelista, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat (*Joan.* xii). » Quomodo autem dictum est, aut dici debuit : « Mittens hoc unguentum, ad sepeliendum me fecit, » sive « prævenit ungere corpus meum in sepulturam, » cum illa, sicut jam dictum est, hoc faciens sepeliendum sive moriturum eum fore nescierit? sed pro hoc nihil est immorandum, quia pro consuetudine loquendi recte ad sepeliendum hoc fecisse dicitur, quod usque ad sepulturam ejus proventurum non ignorabatur ab ipso, disponente quidquid boni vel ipsa operata est, vel nos omnes operamur. Sic Jacob ad filios suos loquitur : « In meam hoc fecistis miseriam ut indicaretis Pharaoni, et alium vos habere fratrem (*Gen.* xliii), » non quod illi hac intentione fecissent, sed pervenisse videbat ad illam, quam patiebatur jam in anima sua, miseriam. Quapropter sciendum quia non totum, quod habebat in alabastro, mulier effudit unguentum.

Denique proditori Judæ dicenti; « Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis, » ita respondit Dominus Jesus : « Sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. » Non ergo totum effudit illud, sed reservatum aliquid effundere habebat in die sepulturæ ejus, quando futurum erat, et factum est, ut Joseph ab Arimathea sepeliret corpus ejus cum linteis et aromatibus, Nicodemo quoque mixturam ferente myrrhæ et aloes, quasi libras centum, ubi aderat et ista mulier, sicut evangelistæ testantur (*Matth.* xxvii; *Joan.* xix). Porro Judas et quod effusum erat perditum esse calumniabatur, et quod non erat effusum, venundare properabat, ut de pretio furaretur. Falsum locutus est, frustra calumniatus est, quoniam ei, qui unguentum admisit, non erat ibi delectatio profusionis, imo meditatio vicinæ mortis, quod notum esse voluit, dicens : « Ad sepeliendum me fecit. » Quod protinus sequitur : « Amen dico vobis, ubicunque **660** prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus, » magis ac magis nos excitat ad considerandam hanc faciem vituli hujus. Quid enim nobis innuit, vel quorsum hæc facies tendit intuitum, dicendo : Hoc Evangelium, nisi in ipsum passionis suæ sacramentum, in quo stabat, et de quo loquebatur paulo ante, sic incipiens : « Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur? » Ipsam nimirum passionis, sepulturæ et resurrectionis suæ prædicationem, quæ tunc in toto mundo audienda erat, et nunc audita est, vere et fideliter nominavit, Evangelium, quod interpretatur *bonum nuntium.* Audivimus, credidimus, « propter quod loquimur (*II Cor.* iv), » quia vere bonum est nuntium, et ubicunque prædicatur hoc bonum nuntium, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus, et valde utiliter ex evangelica Scriptura dicitur, ut et nos similiter faciamus, nos, inquam, omnis Ecclesia de cunctis gentibus peccatricibus et justificatis per gratiam ejus. Cum enim charitatis obsequium quibus ex minimis ejus, pro eo quod sunt ejus fideles, impendunt divites, dando manducare esurientibus, dando bibere sitientibus, hospites colligendo, nudos operiendo, infirmos visitando, et veniendo ad eos qui in carcere sunt (*Matth.* xxv), nimirum suave et odoriferum effundunt unguentum super pedes ejus, et hoc faciendo, effundunt etiam super caput ejus, dum pro eo quod sic ministrant de rebus temporalibus, nihil omnino vanæ gloriæ sive laudis humanæ rescire volentes, spem suam totam reponunt in cœle-

stibus. Et ut de spiritualibus quoque obsequiis non taceam, quando fidelem et utilem de illo habemus, vel facimus sermonem, Deum et hominem eum confitentes sive prædicantes, nimirum et super caput, et super pedes ejus unguentum bonum effundimus, et ex ejusmodi odore unguenti domus impletur, totus Christianus conventus lætificatur. O quoties indignati sunt pro ejusmodi, etiam illorum nonnulli quos negare non posses discipulos esse Domini, et fremuerunt adversus fidelem animam ita facientem, componentem optimum unguentum, et effundentem super caput et pedes Domini, id est scribentem scripta fidelia secundum veritatem sanctarum Scripturarum, spirantia ubique sive redolentia fidem et confessionem veræ divinitatis et veræ humanitatis, Dei et hominis Dei, et hominis Jesu Christi. Indignationem ejusmodi in plerisque legimus, et nosipsi, nostris diebus, nostris pro opusculis, nonnihil experti sumus. Verum quomodo illic alii discipuli simpliciter indignati sunt, Judas vero qui indignationis illorum fuit incendium, malitiose et pro cupiditate lucri indignatus est, ita et tunc et usque nunc Judæi quidem et hæretici malitiose indignantur, nonnulli autem Catholici simpliciter indignati sunt et indignantur adversum nos, scribentes et studentes in Scripturis, et quasi perditionem unguenti existimant quod scribimus, putantes quod per præsumptionem et pro vana gloria hoc faciamus. Sed tandem loquitur Dominus, testis fidelis, et conscius cujusque intentionis et dicit : « Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. » Denique etiam præter communae testimonium quod perhibebit omnibus, et quo omnes defendet in die judicii, jam hic nonnullos talium defendit, qualibet defensione ut inter indignationes ipsas perseverare, et opus bonum quod operari cœperint, valeant, perficere.

« Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas Iscariothes, ad principes sacerdotum, et ait illis : Qui vultis mihi dare et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. » Hoc opus illi operi mulieris oppositum, sive contrarium est, ut bono malum. Plane sicut de illa dixit, « opus bonum operata est in me, » sic contra, de isto dicat Dominus, malum opus operatus est in me. Illa enim ad sepeliendum me pretioso unguento unxit, iste ad crucifigendum me vili pretio vendidit. Nulla tradidit Scriptura quempiam sanctorum sive prophetarum, qui multi interfecti fuerant, ita ut aliquando diceret unus ex illis Helias : « Relictus sum ego solus, et quærunt animam meam (*III Reg.* XIX), » sic venditum sive emptum fuisse, ut venditus sive emptus est iste Sanctus sanctorum, id est sic emptum, ut emptores interficerent eum. Joseph quidem sanctus in typum hujus fuit venditus, sed emptores non idcirco emerunt, ut interficerent eum (*Gen.* XXXVII). Et Aman impiissimus idcirco ut interficeret, emere voluit universum genus Judæorum, in quo utique nonnulli justi erant, dicens regi Assuero : « Si tibi placet, decerne ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ (*Esther.* III). « Sed neque rex accepto argento populum vendidit, neque Aman placito suo gratis concessum interficere potuit. Iste unus Sanctus sanctorum ad hoc emptus est ut interficeretur, emptus pretio vili, scilicet triginta argenteis, quod pretium vix est unius vituli bruti, quo multo melior erat iste vitulus Domini. Quanto melior? « Caput ejus, ait dilecta in Canticis, aurum optimum, manus ejus aureæ plenæ hyacinthis. Venter eburneus, distinctus sapphiris. Crura columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas (*Cant.* V). » Hic tantus triginta emptus est argenteis, venditore nimis ultroneo, ponente pretium in arbitrio ementium, ac dicente : « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? » Hinc per prophetam Amos dictum est : « Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit argento justum, et pauperem pro calceamentis (*Amos.* II). » Denique etsi hoc persæpe fecit ille Israel, nos tamen ea tantum attendimus quæ cognita de Scripturis habemus. Primo vendiderunt argento justum, et pro calceamentis pauperem, quando decem filii Jacob fratrem suum Joseph viginti argenteis Ismaelitis vendiderunt (*Gen.* XXXVII), quod ex pretio cum singulis non plures obvenissent quam duo argentei, vix inde potuerunt calceari. In illo scelere sic isti mensuram patrum suorum impleverunt (*Matth.* XXIII), ut triginta argenteis Judas venderet, emerent autem principes sacerdotum talem tantumque pauperem justum; qui videlicet, duo principes sacerdotum, Annas et Caiphas, pompatice solliciti incidere, ex eodem pretio, cum retulisset eis traditor, vix satis insigniter potuerunt calceari. Hoc agendo Judas infelix vere abiit et veraciter sic dictum est, « tunc abiit unus de duodecim. » Abiit enim et totus recessit ab illis; apostolatum suum dimisit, episcopatum suum alteri reliquit (*Psal.* CVIII; *Act.* I). Abiit, inquam, in consilio impiorum et in via peccatorum stetit, et in cathedra pestilentiæ sedit (*Psal.* I). Abiit a Deo, stetit cum diabolo, et relatis triginta argenteis, nihilominus in triginta maledictionibus, ore prophetico, in psalmo centesimo octavo trecies maledictus, antequam natus. Prima est maledictio, « constitue super eum peccatorem. » Secunda, « et diabolus stet a dextris ejus. » Tertia, « cum judicatur, exeat condemnatus. » Quarta, « et oratio ejus fiat in peccatum. » Quinta, « fiant dies ejus pauci. » Sexta, « et episcopatum ejus accipiat alter. » Septima, « fiant filii ejus orphani. » Octava, « et uxor ejus vidua. » Nona, « nutantes transferantur filii ejus et mendicent. » Decima, « ejiciantur de habitationibus suis. » Undecima, « scrutetur fenerator omnem substantiam **661** ejus, » Duodecima, « et diripiant alieni labores ejus. » Tertia decima, « non sit illi adjutor. » Quarta decima, « nec sit qui misereatur pupillis ejus. » Quinta decima, « fiant nati ejus in interitum. » « Sexta decima, in generatione una deleatur nomen ejus. » Septima decima, « in memoriam redeat

iniquitas patrum ejus in conspectu Domini. » Octava A decima, « et peccatum matris ejus non deleatur. » Nona decima, « fiant contra Dominum semper. » Vicesima, « et dispereat de terra memoria ejus. » Vicesima prima, « et dilexit maledictionem, et veniet ei. » Vicesima secunda, « et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. » Vicesima tertia, » et induit maledictionem sicut vestimentum. » Vicesima quarta, « et intravit sicut aqua in interiora ejus. » Vicesima quinta, « et sicut oleum in ossibus ejus. » Vicesima sexta, » fiat ei sicut vestimentum quo operitur. » Vicesima septima, « et sicut zona qua semper præcingitur. » Vicesima octava, « qui insurgunt in me, confundantur. » Vicesima nona, » induantur qui detrahunt mihi, pudore. » Tricesima, « et operiantur sicut diploide confusione sua. » Quam ergo mala, quam damnosa decimatione miser, nec tamen miserabilis Judas, illam quam perditionem unguenti recuperavit : Dixerat enim : « Ut quid perditio hæc ? » Quare hoc unguentum non venit [*al.* venditur] trecentis argenteis et datum est egenis ? » Trecentorum quippe denariorum decimatio sunt triginta denarii, quot vel quibus benedictum vendidit, et triginta maledictiones hæreditate possedit.

« Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit : Tempus meum propre est ; apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit Jesus illis, et paraverunt Pascha. » Prima die azymorum, quarta decima dies erat mensis primi, cujus ad vesperam Pascha erat, id est immolatio agni, dicente Domino ad Mosen : « Mensis iste principium vobis mensium, primus erit in mensibus anni, » et cætera usque, « septem diebus azyma comedetis (*Exod.* XII). » In die prima non erit fermentatum in orationibus vestris. » Item : « Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma, usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam (*Deut.* XVI), » Sane primus mensis apud Hebræos Nisan, apud nos dicitur Aprilis, quem ita secundum legem propter rationem Paschæ observamus, ut lunatio, cujus quarta decima dies in ipso æquinoctio vel post æquinoctium evenerit, ipsa mensis primus habeatur. Ad vesperam illius diei, quando luna plenissima est, Agnus mystico ritu immolabatur, et comedebatur cum azymis panibus et lactucis agrestibus. Illa die cum in cunctis domibus immolandus teneretur agnus, a decima die servatus, ut ad vesperam immolaretur, quærebat Judas opportunitatem ut Agnum Dei traderet, et opportunitas hoc modo quærebatur : « Ite, ait Dominus Jesus, in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est, » etc. Nam in civitatem hoc est, in Hierusalem a Bethania venit, et illuc veniendo ac diutius immorando, traditori opportunitatem fecit. Sciendum quippe quia cæteris diebus cum in templo docuisset, ad vesperam egrediebatur in Bethaniam, et ibi noctibus morabatur, adeo nulli unquam adulatus, ut in tam magna et ampla civitate, nec saltem unius noctis unquam habuerit hospitium. Illa nocte qua tradendus erat, diutius, ut jam dictum est, immorari voluit, licet sciens ut evangelista Joannes scribit, omnia quæ ventura erant super eum (*Joan.* XVIII), Non enim deceret principem fortitudinis, quamvis nostræ mortalitatis infirmitate circumdatum, quamvis morte instante paveret et tæderet (*Marc.* XIV), refugere horam vel tempus suum, redeundo more solito citius in Bethaniam. Nunquid enim deberet, nunquid justum aut legitimum esset, alias quam Hierosolymis illud vetus Pascha consummare, nonnunquam corporis et sanguinis sui sacrificium, quod illa nocte fecit, offerre ? B « Cave, inquit lex, ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, et facies quæcunque præcipio tibi (*Deut.* XII). » Factus sub lege, obedientiam legi debeat, ut non in Bethania sive in alio quocunque loco, sed in loco quem elegerat Dominus, scilicet in Hierosolymis sacrificium offerret. Quando putas locum illum elegit Dominus? Putasne, quando Salomon in ea civitate templum condidit (III *Reg.* VIII). Imo quando pater Abraham filium suum Isaac ibi obtulit, tentante Domino ac dicente : « Tolle filium tuum unigenitum quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque offer eum ibi in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi (*Gen.* XXII). » Jam tunc elegerat C Dominus locum illum sacrificio huic, cujus in typum jusserat Dominus Isaac ibidem a patre suo sibi offerri. Nam quod legimus in terram visionis, in Hæbræo habet Moria, et est mons in quo postea templum conditum est in area Ornan Jebusæi. Sicut ei in Paralipomenon scriptum est : » Et cœpit Salomon domum Domini in Hierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebusæi (*Par.* III). » Hæc idcirco dixerim, ne ignorem causam cur vitulus iste sive agnus immolandus accedere debuerit ad locum immolationis, scilicet quia factus sub lege, debuit obedire legi (*Gal.* V). Itidem de ingressu ejus in eamdem civitatem, quo ingressus est decima die, sentiendum ac dicendum est. Neque enim, ut nonnulli putant et dicunt, idcirco cum tanta gloria D tunc in civitatem introivit, ut eos provocaret ad interfectionem sui, sed obediens legi dicenti : « Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo, tribus vicibus per annos singulos ascendebat, scilicet in solemnitate azymorum, in solemnitate mensis primitivorum, et in solemnitate tabernaculorum (*Exod.* XXIII ; *Matth.* XXI ; *Joan.* XI). » Populorum autem turbæ, quæ convenerant ad diem festum, idcirco cum tanta gloria obviam ei venerunt, quia audierant eum fecisse recens illud miraculum, scilicet vocasse de monumento Lazarum mortuum quatriduanum.

« Vespere autem facto, discumbebat cum duode-

cim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : Nunquid ego sum, Domine? At ipse respondens ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur? Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi : Tu dixisti. Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. » Hic idem narrationis ordo apud Marcum habetur (*Marc.* XIV), scilicet, **662** inter manducandum et bibendum, dum manducarent vetus Pascha, id est Agnum assum cum azymis panibus et lactucis agrestibus, proditorem fuisse designatum, dicendo : « Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est, » etc., usquequo ait illi, « Tu dixisti. » Et tunc demum sacramentum corporis et sanguinis sui Dominum tradidisse discipulis suis, ubi jam de traditore illo nulla mentio fit. Porro apud Lucam textus vel ordo litteræ se aliter habet. Prius enim utrumque Pascha, scilicet vetus et novum continua narratione describit, et tunc demum hæc Domini verba subjungit : Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa (*Luc.* XXII), » etc. Hæc diversitas in ordine narrationis, diversas magnis atque catholicis Patribus de Juda traditore sententias peperit, aliis dicentibus de illo quod interfuerit, aliis astruentibus quod jam exisset et non interfuerit, ubi Dominus jam dictum corporis et sanguinis sui sacramentum discipulis suis tradidit. Præcipuus Pater Augustinus, attendens Lucæ evangelistæ narrationem sive litteræ ejus seriem, hoc sensit, hoc in plerisque locis scripsit, quod ille interfuerit, et cum cæteris apostolis sacramentum hoc acceperit. Exempli gratia : In Evangelio secundum Joannem, ubi dictum est : « Et post buccellam tunc introivit in illum Satanas (*Joan.* XVIII), » non autem ait, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum enim est quod jam omnibus eis distribuerat Dominus corporis et sanguinis sui sacramentum, ubi et ipse Judas erat, sicut sanctus Lucas evidentissime narrat, ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per bucellam tinctam atque porrectam, suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem, illius significans fictionem.

A Porro beatus Hilarius hanc Matthæi narrationem sequens, in hoc ipso Evangelio dicit : « Postquam Judas proditor indicatur, sine quo Pascha accepto calice et fracto pane conficitur, dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat. Nam discessisse statim hic intelligitur, quod turbis reversus ostenditur. Neque sane [de *vel* cum] Deo [tunc] bibere poterat, qui non erat bibiturus in regno, cum universos istum bibentes, ex vitis istius fructu secum postea bibituros polliceretur (13.) » Si ergo causa postulaverit ut in quæstionem veniat utrum Judas adhuc in illa hora cum discipulis fuerit, an ante eam exierit, qui horum magis audiendus vel sequendus erit? Is utique cui magis opitulatur ratio sumpta de textu evangelicæ narrationis. Soli namque sunt prophetæ et apostoli, quorum de Scripturis in aliquo dubitare nefarium sit. Quod cum multis ipsorum, qui Scripturas tractaverunt confirmari possit sententiis, una sufficiat beati Hieronymi in versiculo psalmi LXXXVI : » Dominus narrabit in scripturis populorum et principum horum qui fuerunt in ea. « — » Videte, » ait, quid dicat : » Qui fuerunt, » non qui sunt, ut exceptis apostolis quodcunque aliud postea dicitur, abscindatur, non habeat auctoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post apostolos, quamvis disertus sit, non habeat auctoritatem, quoniam Dominus narrat in scripturis populorum et principum horum qui fuerunt in ea (14). » Si igitur scire opus est vel scire cupimus cujusdam ratio firmior sit, pervidendum est prius quomodo Lucas a cæteris evangelistis Matthæo et

C Marco in ista narratione non discrepet, quia videlicet beatus Augustinus eorum consonantiam hic non requisivit, dum Lucæ narrationem sequi visus est. Quærentibus istud jam occurrit, quia videlicet, cum dixisset : » Et accepto pane, gratias egit, fregit et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem : similiter et calicem, » ita determinavit, ut diceret postquam cœnavit (*Luc.* XXII). » Profecto si postquam cœnavit, ergo et post verba hæc : » Verumtamen ecce manus tradentis me, meum est in mensa, » quia, sicut jam dictum est, secundum alios evangelistas hæc verba dixit, nec postquam cœnavit, sed quando cœnavit, et de cœna ipsa buccellam intinctam Judæ porrexit, qui et, sicut Joannes refert, continuo exivit (*Joan.* XIII). Hic jam quæritur quid opus fuerit ut hic evangelista tali uteretur modo narrationis. Est enim hic modus, quem recapitulationem vocant. » Unde Ticonius quidam, ut ait beatus Augustinus, contra Donatistas invictissimo disseruit, sextam regulam scripsit in libro quem Regularum vocavit, quia in eo quasdam septem regulas exsecutus est, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperiantur occulta (15). » — « Sextam regulam ille recapitulationem vocavit, in

(13*) S. Hilar. Comment. in Matth. cap. 30, 2. Patrol. tom. IX, edit. Migne.
(14) S. Hieron. in Psal. LXXXVI, Patrol. tom. XXVI, édit. Migne.
(15) S. August. de Doct. Christ. Lib. III, cap. 30, Patrol. tom. XXXIV, edit. Migne.

obscuritate Scripturarum satis vigilanter inventam. A Sic enim dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora quæ pretermissa fuerant latenter narratio revocetur, quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur. Exempli gratia : In Genesi scriptum est : « Plantaverat autem Dominus Deus paradisum « voluptatis a principio, in quo posuit hominem « quem formaverat (*Gen.* II). » Statimque sequitur: « Produxitque Dominus Deus omne lignum pulchrum « visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in « medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali (*ibid.*). » Hoc igitur videtur dictum, tanquam id factum sit, postquam factum posuit Deus hominem in paradiso, cum breviter utroque commemorato, scilicet et quod plantaverat Dominus Deus paradisum, B et quod in eo posuit hominem quem formaverat, recapitulando redeat et dicat quod prætermiserat, videlicet quomodo plantatus fuisset paradisus (16). »

Multa secundum hunc modum in Scripturis inveniuntur, quorum ad obscuritatem elucidandam regula hæc, scilicet recapitulatio, valde utilis est. Hoc ergo quæritur, ut jam dictum est, cur Lucas evangelista scribendo illam Domini cœnam, tali narrationis modo uti voluerit. Istud quærentibus, illud in primis demonstrandum est, quia solus ipse, videlicet Lucas hæc Domini verba præscripsit, dicta in illa priori cœna typici Paschæ sive agni pascalis, quem comedit cum suis discipulis secundum morem veteris mandati. « Desiderio, ait, desideravi hoc Pascha C manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de genimine vitis, donec regnum Dei veniat (*Luc.* XXII) » Hoc solus, ut jam dictum est, Lucas scribere curavit Dominum dixisse quod desiderio desideraverit cum discipulis suis comedere Pascha illius anni, qui annus erat tricesimus tertius assumptæ humanitatis, suique desiderii causam hanc subjunxisse, quod Pascha illud manducaturus, et calicem ejusdem typici Paschæ bibiturus non esset, donec impleatur in regno Dei. Congruum ergo fuit, ut modum adimpletionis illius continuo perscriberet, et idcirco dilatis quæ eadem cœna D dicta sunt : « Et accepto, inquit, pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. « Similiter et calicem postquam cœnavit dicens: **663** Hic est calix, novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur (*ibid.*). » Hoc itaque modo impletur in regno Dei illud quod illo priore pascha et priore calice figurabatur. Extunc enim venit regnum Dei, cujus videlicet regni initium erat passio ejus, ad quam nocte illa tradebatur, tertia die resurrecturus. Itaque causam nos arbitramur dixisse idoneam, propter quam solus Lucas utriusque, scilicet veteris ac novi paschæ, narrationem continuare voluerit, ac demum per recapitulationem rediisse ad verba quæ ante sacramentum novi paschæ dicta esse testantur evangelistæ cæteri.

Non ignoro quod plerique et fere omnes sensum sequantur et magis amplectantur beati Augustini, quam beati Hilarii sententiam, quem tamen aliter sensisse vel scripsisse hactenus noverant admodum pauci. Aiunt namque multos hodieque indignos, quod verum est, idem sacramentum accipere, et accipiendo judicium sibi manducare et bibere. Aiunt etiam, quod itidem verum est, nemini nisi confesso vel convicto de crimine sacramentum hoc denegari debere, et cum alia ratione, imo multis rationibus, illud comprobetur, maxime huic rationi innituntur, quia Dominus Judæ traditori, sicut et cæteris apostolis, sicut nondum confesso, aut convicto, communionem ejusdem sacramenti non negavit. Sed videamus utrum Judas secundum præscriptam considerationem confessus vel convictus fuerit, an non, quando Dominus hoc sacramentum tradidit. Nam quomodo vel quali ordine in occultis criminibus ad hoc perveniendum sit, ut confessus vel convictus quis habeatur, Dominus ipse prædocuit : « Si, » inquit, « peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus et publicanus (*Matth.* XVIII) » Videndum ergo utrum, sicut in cæteris accipimus quia cœpit Jesus facere, et docere (*Act.* I), ita et in isto fecerit ipse quod docuit. Utique peccabat in eum Judas frater fictus, quia festinabat tradere eum, nullo fratrum, id est discipulorum sciente, præter ipsum qui omnia noverat, quem latere non poterat. Ait autem suppresso nomine traditoris : « Unus ex vobis tradet me. » Ita dicendo, profecto corripuit eum inter se et ipsum solum, quia præter ipsum, quem sui ipsius conscientia latere non poterat, nemo scivit de quo diceret, non audivit corripientem quippe qui in intentione persistens, manum quoque cum Domino intingebat in catino, callidus putabat ipse. « Tunc, » ut plenius Joannes narrat, « aspicientibus ad invicem discipulis, et hæsitantibus de quo diceret, erat recumbens unus ex dicipulis Jesu in sinu ejus, quem diligebat Jesus. Innuit ergo Simon Petrus, et dixit ei : Quis est de quo dicit ? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine, quis est ? Cui respondit Jesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Iscariothi (*Joan.* XIII). » Hoc agendo nimirum adhibuit unum alium secum, scilicet Joannem, cui locutus fuerat, audiente ipso Juda, quia propius as-

(16) S. August. ibid. cap. 36.

sidebat, ut fieret quod dixerat, quia « in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. » Non audivit eos, imo deterior factus est, sicut per hæc verba innuit, evangelista : « Et post buccellam tunc introivit in illum Satanas, et cum indignatione dixit : Nunquid ego sum, Rabbi ? Et ait Jesus illi : Tu dixisti (*ibid.*). » Et hoc nimirum ecclesiæ dicere fuit, quia conventus discipulorum audire potuit, continuo exivit, ecclesiam non auditurus, imo quod faciebat, faturus citius, jam ethnicus et publicanus, ethnicorum et publicanorum deterrimus. Hæc idcirco dixerim, ut si sententiam beati Hilarii suprascriptam sequamur, nihilominus constare sciamus quod sacra communio nemini deneganda sit nisi de crimine confessus sit aut convictus. Jam, ut ad propositum sermo recurrat, considerandum in isto capitulo, quanta sit faciei præscriptæ, faciei vitulinæ mansuetudo, quanta ratio, quanta veritatis et justitiæ pulchritudo. Non antehac tradidit vel condidit hoc sacramentum corporis et sanguinis sui, sed tunc primum, quando in passione jam agonizabatur, ipsa nocte qua tradebatur, quando jam strues lignorum componebatur, super quam secundum spiritualem ritum sacræ ac mysticæ legis membra talis vituli cæsa ordinarentur subjecto in altari igne magnæ charitatis, sive Spiritus sancti, per quem desiderabat offerri, tunc adipem suum pro peccato ipse obtulit, scilicet, omnem necessariam nobis utilitatem suæ passionis sub istis speciebus panis et vini, dicendo : « Hic panis est corpus meum, hic calix novum est testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. » Et recte atque rationabiliter; etenim sacramentum hoc, quo mors ejus annuntiatur, quemadmodum Apostolus dicit : « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (*I Cor.* XI) ; » quando debuerat condi vel dari, nisi sub ipsius articulo passionis ? Hoc denique ratio vel nostræ salutis ordo poscebat, ut non nisi jam mundatis per passionem ejus ab illa veteri macula peccati originalis, daretur iste cibus vitæ contra illud edulium mortis, quod primus homo maligna intentione comedit, volens esse Deo similis, in quo omnes peccavimus (*Gen.* III), in quo omnes superbiæ veneno infecti fuimus.

Sed dicit aliquis : Nondum erat fusus ille sanguis, sed fusus est die sequenti, quo et ipsos apostolos oportebat emundari, quibus primis illa nocte hanc escam et hunc potum dedit. Ad hæc inquam : Jam venditus erat iste Agnus Dei, jam tradebatur iste vitulus sacrificii veri, et idcirco jam recte mundi habebantur, jamque veraciter vocabantur amici, ita ut diceret eis : « Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis; » et subinde : « Vos amici mei estis (*Joan.* XV). » Et notandum quod non dixit, propter passionem vel mortem meam jam vos mundi estis, jam vos amici estis, sed « propter sermonem, » ait, « quem locutus sum vobis. » Non enim passio vel mors ejus aliter eis profuisset, nisi sermo quem locutus fuerat eis, creditus vel admistus fidei fuisset. Quod autem istis dixit, omnibus quoque sanctis dixit, aut dicere potuit, qui eum exspectabant ab origine mundi. « Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. » Nam revera propter eum, quem locutus est eis, sermonem legis et prophetarum ; propter illud, quod primum ad Abraham locutus est, promissionis verbum de semine ejus, quod est ipse Christus (*Gen.* XV, XVII, XXII: *Gal.* III) : propter illum, inquam, sermonem quia crediderunt, jam ex eo mundi sunt, et mundavit eos ipsa passio ejus, quæ tunc agebatur : ipse sanguis ejus, cujus effusio nocte illa parabatur. Unde licet jam dictum corporis et sanguinis ejus sacramentum humana comprehendi ratione non possit, quomodo panis corpus ejus, et vinum quomodo sanguis fiat, quomodo dudum de isto loquens mysterio, dixerit : « Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi **664** vita (*Joan.* VI) ; » hoc tamen rationabiliter dixeris, quod vel pro eo panis iste recte dicatur, et vere sit caro Christi, quia nobis residuis, qui nondum eramus nati, nobis viventibus, sive venientibus ab ipsis apostolis, idem facit comesus iste panis quod illis prioribus sanctis fecit in sua specie crucifixa, moriens et sepulta caro Christi. Remissionem peccatorum contulit prioribus illis caro Christi mortua, et eodem ventre recepta, quo sepulta continebantur eorum corpora, et sanguis ille, quem et vivens illa nocte sudando emanavit, et jam mortuus, cum aqua de latere suo fudit remissionem peccatorum, operatur et nobis sacramentum ejusdem carnis et sanguinis sub istis speciebus panis et vini. Igitur ut dicere cœperam, non ante passionem, sed sub ipso passionis vel mortis articulo sacramentum hoc fieri vel dari debuit, quod simul omnes, tam mortui quam vivi, credentes ab illa macula veteris cibi abluerentur, et simul omnes isto novi testamenti sacramento epularentur : mortui modo sibi congruo, et vivi modo sibi congruo. Denique mortui, quoniam in vita sua de sacrificiis hujus sacramenti significantius initiati fuerant, venturum et moriturum Christum licet intelligerent pauci signis illis annuntiantes, idcirco recte refectionis perfectionem illam, quam diximus, assecuti sunt, ut et mortui Christi anima vel spiritus ad animas illorum descenderet, per quod factum est, ut statim viderent et scirent, quam suavis est Dominus Deus, qui angelorum cibus est, quos pascit immortaliter, et corpus in ejusdem terræ ventrem deveniret, quo condita erant eorum corpora, per quod resurrectio ad vitam daretur eis sicut ex multis qui cum eo jam tunc resurrexerunt (*Matth.* XXVII) confirmatum est.

Porro vivis, id est nobis, quibus veraciter dicitur, et qui fideliter credimus, quia « Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » non jam figuræ proponuntur, quæ Christi morte impleantur, sed ipsa rei veritas, verum sacrificium, quo ipsa Christi mors verbis manifestis cum signaculo crucis ejus annuntiatur, ubi miro modo et vivimus et mortui sumus. » Quicunque

enim, ait Apostolus, baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*ibid.*), » quo videlicet baptismo nisi mortui fuissemus non esset nobis in cibo et potu isto annuntiare mortem ejus, libet hic nota uti similitudine. In libro Numerorum scriptum est : « Misit Moyses exploratores ad considerandam terram. » et : « Confortamini, » inquit, « et afferte nobis de fructibus terræ. Cumque ascendissent, exploraverunt terram, pergentes usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri (*Num.* XIII). » Secundum illius rei gestæ similitudinem, nimirum et illi qui tempore præcesserunt, et nos qui subsequimur Christi adventum, utrique portamus quasi botrum cum palmite suo, magnum promissionis dulce experimentum, scilicet Dominicæ incarnationis, passionis, resurrectionis atque ascensionis mirabile sacramentum. Illi portaverunt in sacris ac mysticis sacrificiorum cœremoniis umbraticis et significativis, nos portamus in isto unico sacrificio panis, et vini. Quapropter hic animadvertendum quia virorum illorum portantium botrum illum alter, qui præcedebat, quod portabat ipse, non videbat alter, qui sequebatur, quod portabat ante se videbat. In hoc denique nos atque illi non minime discernimur quod nos manifestis, ut jam dictum est, verbis cum signaculo vivificæ crucis verum perficientes sacrificium, mortem Domini annuntiamus, mortem Domini sequimur, et crucem bajulamus. Botrus quippe in vecte, Christus est in cruce, et hoc aperta facie contemplamur, illi autem portabant quidem, sed non videbant, legebant, sed non intelligebant, et qui optimi erant, qui intelligere digni erant, qui propheticis oculis videbant, eis dicebatur ne propalarent. Exempli gratia : « Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum. Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia (*Dan.* XII). » Ad Isaiam autem : « Liga testimonium : signa legem in discipulis meis (*Isa.* VIII). »

Quamvis de hoc sacramento a majoribus nostris multa sufficienter dicta sint, et fastidium legentis vitandum sit, unum tamen adhuc, quod mens suggerit, libet eloqui. Jam enim forte quis animadverterit quod hic maxima tentatio sit. Et revera non fallitur quisquis hoc animadvertit : est enim hic tentatio Dei, tentatio quærens fidem : contraria est tentatio diaboli, tentatio quærens perfidiam. Cujus D videlicet tentationis Dei, ut de simili causa proferamus testimonium, ecce in Exodo dicit Dominus ad Moysen : » Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Egrediatur populus et colligat qui sufficiant per singulos dies ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non (*Exod.* XVI). » De simili causa ideo dixi, quia profecto quod tunc Dominus manna de cœlo pluit, in figura sacramenti hujus contigit illis (*I Cor.* X), ut itidem tentationis diaboli de contraria proferamus exemplum, serpens, imo in serpente diabolus, dixit ad mulierem : » Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Comedit mulier, deditque viro suo, et comedit (*Gen* III). » Ita tentati a diabolo, tentaverunt Deum, et aperti sunt oculi amborum, non ut scirent bonum et malum, sed ut a bono caderent in malum, non ita ut se esse deos, sed ita ut cognoscerent se esse nudos. Non autem putandum quod tunc primum tentaverint Deum, quando vetitum comedendo experiri ausi sunt uter verior existeret, Deusne qui dixerat : « In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini (*ibid.*), » an serpens qui dicebat : » Nequaquam morte moriemini, sed eritis sicut dii. » Jam ante tentare Deum incœperant, jam antequam foris audissent malum serpentis consilium, intus in corde suo tentabant Deum, versantes divinitatis appetitum. Non, sicut ante nos dictum est, nisi prius intus intumuissent, foris tentati tam facile non cecidissent. Alioqui quomodo æquum fuisset, ut Deus tentaret eos, ponendo præceptum quod non ignorabat eos fore prævaricaturos ? Deus enim intentator malorum est (*Jac.* I). Quod ut apertius dictum sit, Deus non nisi, male tentatus ab aliquo, non tentat aliquem tentatione, in qua comprehendatur prævaricator. Exempli gratia : In tentatione supra memorata, qua tentavit populum, dicens : « Egrediatur populus, et colligant quæ sufficiant per singulos dies, ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non : die autem sexta parent quod inferant, et sit duplum quam colligere solebant, quia in die septimo non invenietur (*Exod.* XVI) : » prævaricatores inveniendi erant. Venit enim dies septima, et egressi de populo ut colligerent, non invenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen : « Usquequo non vultis custodire mandata mea, et legem meam ? » (*ibid.*) Nunquid intentatus Deus eos illa tentatione tentavit, quos prævaricaturos non ignoravit ? Non utique intentatus, murmuravit enim omnis congregatio filiorum Israel, murmurando tentans, tentando, murmurans, sicut habemus in Psalmo : « Et tentaverunt Deum in cordibus suis ut peterent escas animabus suis, et male locuti sunt de Deo ; dixerunt : Nunquid **665** poterit Deus parare mensam in deserto ? Nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo ? » (*Psal.* LXXVII.)

Porro si quem tentat Deus, a quo non ipse est male tentatus, illi nimirum omnis tentatio in gloriam cooperatur. Unde non solus Abraham, quem Deus tentavit in oblatione filii sui, verumetiam fere omnes sancti pro exemplo sunt, de qualibus Sapientia dicit : « Et si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se (*Sap.* III). » Omnibus his Moyses dicit illud quod Israeli in Deuteronomio dicit : « Adduxit te Dominus Deus tuus per desertum ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius an non (*Deut.* VIII). » Ac deinceps : « Eduxit rivos de petra durissima, cibavit te manna in solitudine quod nescierunt patres tui.

Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui (*ibid.*). » Igitur, ut ad propositum redeam, magna in isto sacramento tentatio Dei est, tentatio quærens fidens, ad evacuandam perfidiam, quam tentatio diaboli in primis hominibus invenit, quibus vetitum comedere persuasit. « Est autem fides, ait Apostolus, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* XI). » Oportebat ergo non apparere res, ut locum haberet substantia hæc, res, inquam, id est carnem et sanguinem non apparere oportebat, non solum ne sensus nostros comedentium atque bibentium naturali offensione offenderent, quibus humanam carnem manducare vel dentibus terere, sanguinemque humanum bibere, neque pium neque naturæ amicum est, verum etiam ut locum haberet hæc sperandarum substantia rerum, hoc argumentum rerum non apparentium, scilicet fides in qua « testimonium, » ait idem Apostolus, « consecuti sunt senes (*ibid.*). » Denique, si omnes respicias senes, id est antiquos patres, quibus testimonium sancta perhibet Scriptura, quod fuerint fideles, quosque Apostolus ibidem enumerat, sententiam hanc veram interserens : « Sine autem, ait, fide impossibile est placere Deo (*ibid.*). » omnium illorum fidem probatam invenis circa res illas quæ non apparebant, quas ipsi jam non videre, sed tantum sperare portant, quarum etiam aliquæ non solum non apparebant, sed et supra naturam erant. In hoc itaque sacramento, cum sit opus magnæ atque ineffabilis misericordiæ, miro nihilominus judicio, miranda tantamur veritate, ut manifesti fiant hi quorum est fides, quibus salva judicii rectitudine, misericordia condonare debeat morsus illos ligni vetiti, quos momordit mulier et dedit viro suo, mali in Deum suspicione, perversa et nimia circa serpentem credulitate. Nonne creditum ibi fuit quod non apparebat, quod non videbatur ? nunquid oculis videbant in illo fructu ligni virtutem tantæ rei effectivam, quam serpens promisit dicens : « Eritis sicut dii ? (*Gen.* III.) » Et quidem nec illa mors apparebat aut videri poterat oculi, quam interminatus fuerat Deus, dicens : « In quocunque die comederis ex eo, morte morieris (*Gen.* II), » sed credere oportuisset Deo creatori, fidei in omnibus quæcunque dixit ; creditum autem fuit non Creatori sed serpenti, non Deo sed diabolo. Totum illud sacrilegium per istud emendatur sacramentum in illis qui credunt, et credentes percipiunt, in fide humiles, in humilitate fideles ; ac proinde illis parentibus longe dissimiles, cum illi promissum illud audierint in pretium prævaricationis : Eritis sicut dii superbi, et male creduli, ac proinde male creduli, quia superbi, isti autem vocem humilitatis audiunt in mysterio sive annuntiatione mortis ejus : « Vos amici mei estis, manete in me et ego in vobis (*Joan.* XV). » Quanto enim suavior est hæc vox : « Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo dilectione [*fort.* illectione], (*Joan.* VI) illa,

A quam serpens susurravit : Comedite, et eritis sicut dii, qui utique de sua non dabat, sed rapinam facere suadebat ; hic autem non qualecunque suum, sed suam carnem et suum sanguinem dat. In illis qui non credunt, et non credentes ore tamen sacramentum percipiunt, cibus et potus iste operatur judicium, quia tentati reprobi inventi sunt, eo ipso quod sine fide sunt, et male tentant Deum.

De hominibus hæreticis in illo psalmo parabolarum, qui sic incipit : « Attendite, popule meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei, aperiam in parabolis os meum (*Psal.* LXXXVII), » ita dictum est : « Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit. » Eorum B namque peccatum est in eo quod dicent : Tentemus Deum, « quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt, nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo ? » (*ibid.*) Est enim hic sensus : Nunquid quia potuit Deus facere, ut patefacto crucifixi Jesu Christi latere, quod fuit percuti petram, flueret aqua cum sanguine, et implerentur Scripturæ, et intelligibiles fierent, sufficerentque mentibus nostris ad bibendum, in modum torrentium inundantium : nunquid, inquam: quia potuit illud facere, poterit etiam panem confectum manibus hominum convertere in corpus et vinum de palmitibus istis in sanguinem suum ? Alioquin nisi mysterium attendas, sensus secundum litteram non constat, « quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, nunquid et panem poterit dare, » quia C videlicet iste panis, id est manna, secundum historiam prius datum est, quam percussa petra fluerent aquæ. Hactenus dilectio sacramenti hujus morosius nos detinuerit, nunc ad cætera pergamus.

« Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Tunc illis dicit Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim (*Zach.* XIII) : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter negabis. Ait illi Petrus : Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixe- D runt. » Exitus iste in montem Oliveti ille est, quem apud Joannem habemus cum terribilibus ac reverendis verbis istis : « Surgite, eamus hinc (*Joan.* XIV). » Quidam erat dicere, « surgite, eamus hinc, » et ita exire in montem Oliveti, in ipsa hora suæ traditionis, quando Judas loquebatur cum senioribus statim venturus cum cohorte et ministris, nisi relinquere civitatem illam, quemadmodum per prophetam Hieremiam prædixit : « Reliqui, ait, domum meam, dimisi hæreditatem meam, facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in silva, dedit contra me vocem suam, ideo odivi eam (*Jer.* XII). » Ergo et prophetiam hanc et illud, quod per semetipsum

dixerat ante biduum ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII) » jam impleri significans, surgite, inquit, eamus hinc : « Et exierunt in montem Oliveti. » Factis enim non minus, quam verbis loqui, sapientiæ Dei familiare est. Josephus quoque vocem similem testatur fuisse auditam : « Nocte, inquit, sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem modum quemdam strepitumque senserunt, postea vero subitam vocem audierunt, quæ diceret : Migremus hinc (17). » Ita cum terribili significatione vocum omne **666** præsidium salutis sese ab illa civitate migrare demonstravit, juxta quod et ab ipso templo exiens idem Dominus prius significaverat, dicente evangelista : « Jesus autem abscondit se et, exivit de templo (*Joan.* VIII). » Mala subsequentia probaverunt, vere et de templo illo exisse, et de civitate illa abiisse Jesum, et ab utroque migrasse omne angelorum præsidium. Et congrue non quovis, sed juxta consuetudinem tunc quoque exivit in montem Oliveti. Illinc enim ascensurus erat in cœlum, quo facto « reversi sunt, ait Lucas, Hierosolymam a monte, qui dicitur Oliveti, qui est juxta Hierusalem Sabbati habens iter (*Act.* I). » Nec vero repugnat illud, quod scripsit idem Lucas : « Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis, benedixit eis, et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum (*Luc.* XXIV). » Bethania namque in latere montis Oliveti sita est. Ergo ubi per ascensionem consummanda erat ejus gloria illuc recte exiit eamdem gloriam suam oratione prævenire, et agonem suæ passionis inchoare, quod idem Lucas evidentius narrat : « Positis, inquit, genibus orabat, factus in agonia, et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII). » Jam dicti exitus sui causam, propter quam recte diceret, « relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII), » breviter innuat, dicens : « Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis. » Scandalum illud omnes novimus, nec demonstrare opus est, quomodo scandalizati fuerint, quomodo omnes relicto eo fugerint, quomodo Petrus suæ, quam putabat, fortitudinis oblitus, scandalo noctis illius sic offensus sit, ut ter eum negaret, dicens : « Nescio quid dicis, non novi hominem, » et tunc demum gallo cantante, « recordatus sit verbi Jesu dicentis : Priusquam gallus cantet ter me negabis, et respiciente eum Domino, egressus foras amare fleverit. » Non, inquam, demonstratione opus est, sed nos proposito tenemur, non faciem istam, faciem vituli in hac immolatione ipsius contemplari delectamur. Si cui vacat, sedeat nobiscum, et contempletur pariter in claritate faciei hujus pulchritudinem oculorum ipsius. Et hoc ut locupletius fiat, res anterius gesta ad memoriam est reducenda : valet enim mysterium ejus in attentione ista.

(17) Joseph. De bello Jud. lib. VII, cap. 12.

A Jussit aliquando hic Dominus noster discipulos suos ascendere in naviculam et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas; cumque dimissa turba solus ascendisset in montem, et vespere facto solus esset ibi, et oraret, « navicula in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim ventus contrarius. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans super mare. » Cumque turbatis illis dixisset : « Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Domine, inquit Petrus, si tu es, jube me venire ad te super aquas, et descendens de navicula, ambulabat super aquas. Videns ergo ventum validum timuit. Et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens : Domine, salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi : B Modicæ fidei quare dubitasti ? » (*Matth.* XIV.) Denique res illa gesta miro modo, et res gesta, et rei gerendæ quædam fuit parabola, siquidem placet parabolam dici, non solum in verbis, verumetiam in factis, quoniam et Apostolus enumeratis compositionibus primi et secundi tabernaculi, « quæ, inquit, parabola est temporis instantis (*Hebr.* IX). » Igitur dimissa turba solus Jesus ascendit in montem orare, quia sic futurum erat et sic factum est, ut exiens de civitate jam non docturus turbam, exiret, ut jam dictum est, in montem Oliveti solus orare : Exierunt quidem cum eo discipuli, sed non usque ad locum orationis. Nam « sustinete hic, ait, sive sedete hic, donec vadam illuc et orem (*Matth.* XXVI). » Et assumpsit quidem Petrum, et Jacobum et Joannem secum, sed et illis iterum dixit : « Sustinete C hic, et vigilitate (*ibid.*). » Et progressus pusillum sive avulsus ab illis, quantum est jactus lapidis, procidit in faciem suam, orans (*Luc.* XXII). » Ita relictis illis iterum et tertio abiit, et oravit. Solus ergo erat orans nocte illa, sive vespera profunda. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, id est, fides discipulorum nimis contristabatur, ita ut oculi eorum præ tristitia gravarentur. Sed venit Dominus Jesus ambulans super aquas, quia tempestates illas quæ propter ipsum motæ erant, et movebantur, prompto spiritu conculcabat, licet caro esset infirma. Etenim caro quidem infirma, dicebat in oratione : « Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, » sed spiritus promptus ; « Verumtamen, ait, non sicut ego volo, sed sicut tu. » Ibi confiden- D tia Petri, se quoque promptam esse putavit : « Domine, inquiens, jube me venire ad te super aquas (*Matth.* XIV). » Dixit enim : « Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. » — « Animam meam ponam pro te, tecum paratus sum, et in carcerem, et in mortem ire (*Joan.* XIII; *Luc.* XXII). » Cum ista fiducia, quasi jam fortis et bene cinctus ambulabat et ipse super aquas, ut veniret ad Jesum. Cum enim discipuli omnes relicto Domino fugissent, « ipse sequebatur longe usque in atrium, et ingressus intro sedebat cum ministris ut videret finem. » Sed ecce vidit ventum validum, et

timuit, cœpitque mergi. « Cum enim sedere in atrio A cum ministris, ut jam dictum est, accessit ad eum una ancilla ostiaria, dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens : Nescio quid dicis. « Iterum ab alia similiter ventilatus ancilla, dixit : « Non novi hominem. » Tertio ab his qui stabant, magno vento impulsus. « cœpit detestari et jurare, quia non novisset hominem. » Cum ita cœpisset mergi, clamavit, dicens : « Domine, salvum me fac (*Matth.* XIV). » Gallo quippe cantante, recordatus verbi Jesu quod dixerat, « priusquam gallus cantet, ter me negabis, egressus foras, flevit amare. » Denique sic flere, hoc fuit clamare, et salvationem quærere. Ut ita clamaret, respectus fecit Salvatoris, quem Lucas venerabiliter expressit dicens : « Et conversus Dominus, respexit Petrum B (*Luc.* XXII). » Postquam resurrexit, « sicut et hic prædixit : Postquam autem resurrexero præcedam vos in Galilæam, » apparuit ei, sicut in Evangelio ejusdem Lucæ scriptum est, quia duo ex discipulis « regressi in Hierusalem invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, dicentes : Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni (*Luc.* XXIV). » Sed et angelus loquens mulieribus, hunc in nomine consolatum esse voluit dicendo, sed « ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam (*Marc.* XVI). » Vere ergo Jesus extendens manum, apprehendit eum : reservavit enim illi gradum suum, reservavit et stabilivit principem apostolorum. Libet nunc inspicere illum prophetiæ locum, quem nobis illustrare debet scintilla hæc, ex C ore ejus dicentis, scriptum est enim : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII). » Pauca ex præcedentibus, et subsequentibus diligenter inspecta, pulchram intelligentiæ lucem refundent. Præcedentia sunt hæc : « Et erit in die illa, dicit Dominus Deus exercitum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra, et prophetas et spiritum immundum auferam de terra. Et erit cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus, et mater ejus qui genuerunt eum : **667** Non vives quia mendacium locutus es in nomine Domini, et configent eum pater ejus, et mater ejus genitores ejus, cum prophetaverit. Et erit : In die D illa confundentur prophetæ unusquisque ex visione sua cum prophetaverit, nec operientur pallio saccino ut mentiantur, sed dicet, non sum propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia. Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in mediorum manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in medio « [*Vulg.* domo] eorum qui diligebant me (*ibid.*). » His præmissis. « Framea, inquit, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, et dispergentur oves (*ibid.*). » Deinde subsequitur ; « Et convertam manum meam ad parvulos, et erunt in omni terra, dicit Dominus partes duæ, et dispergentur, et deficient, et tertia pars relinquetur in ea, et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos, sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es, et ipse dicet : Dominus Deus meus. Ecce venient dies Domini, et dividentur spolia in medio tui (*Zach.* XIII, XIV). etc. Totum illud prophetiæ capitulum illustrat nobis, ut jam dictum est, brevis sententia hæc scintillans de pectore et ore ipsius Domini, « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II), » dum præmisso, « omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte » subjungit : « Scriptum est enim : Percute pastorem, et dispergentur oves gregis. » Itaque ut competenter evangelica utar similitudine molentis. Ait enim ipse Dominus : « Duæ erunt molentes in unum, una assumetur, et altera relinquetur (*Matth.* XXIV). » Hæc prophetica quasi mola inferior ponenda est, et cœpta jam evangelica narratio Dominicæ passionis superponenda quasi mola superior, ut agente manu Domini, circumacta volucri cursu, fructuosum frumenti granum salubriter nobis teramus, et de optima ejus medulla candidissimæ farris panem in usum Christus est, qui de semetipso dicit : « Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert (*Joan.* XII). » Tale, inquam, granum est, ut molendo nunquam dissipetur, eoque integro permanente diffundi aut dissilire nunquam desinet medulla ejus. Nunc interim finis hic sit libelli hujus, et sequentem cum jam dicto prophetiæ capitulo, reparatis post lassitudinem viribus, exordiamur.

LIBER UNDECIMUS

Tuam in Scripturis sanctis gloriam, tuum, o Fili hominis, quærere et invenire honorem in propheticis et in evangelicis præconiis, tale nobis est inter tædia vitæ præsentis, quale fesso viatori, remissis interdum gravibus sarcinis, residere sub umbra odoriferæ arboris prope rivulum aquæ jugiter salientis, gratoque otio fugacem insequi et comprehensam attrectare columbam, tactu blando, manibus innocuis. Et revera sic est ; sancta quippe Scriptura ipsa est columba illa, de qua ipsius auctor Spiritus sanctus in psalmo dicit : « Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). Ne ergo miretur quis dicens, quid vel ad quid iste scribit, cum sancti Patres sufficien-

tia scripserint, quæ cuncta perlegere nemo nostrum sufficit? Nam et si alii nemini, at mihi scribenti hoc ipsum quod scribo jam proficit. Hoc dulce studium jam in præsenti nonnihil præmii, nonnullum habet suæ exercitationis emolumentum. Quam suave est ut jam dixi, viatori, demissis interdum sarcinis, pennulas columbæ deargentatas et aurea dorsi ejus præ oculis habere, et manibus tractare posteriora, tam suave et jucundum est inter medias curas sanctam tractare Scripturam, cujus et exterior sermo castus, absque omni superfluitate, nitet quasi argentum, et interior sensus rutilat velut aurum.

. . . . . *Trahit sua quemque voluptas.*

(VIRG. *Eclog.* II, 65.)

Et hoc habeo testimonium conscientiæ quod dixerim ego voluptati huic: « Trahe me post te (*Cant.* I). » Ecce argentum, ecce aurum, videlicet susceptum in fine præcedentis libelli quod cum evangelica narratione Dominicæ passionis tractare proposui, prophetiæ capitulum: « Et erit, inquit, in die illa dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra, et prophetas et spiritum immundum auferam de terra (*Zach.* XIII). » Præmiserat autem: « In die illa erit fons patens domui David, habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*ibid.*). » Ergo diem illam, quam hic prophetiæ spiritus intendit, diem Dominicæ Passionis necesse est intelligi, quia nimirum lancea militis latus aperiendo Salvatoris, fontem patefecit domui David, et habitantibus Hierusalem, fontem sanguinis et aquæ, credentibus in Christum, qui propter hoc ipsum dicuntur, et sunt domus David, et habitatores Hierusalem, quia credunt in Christum Filium David, cujus æternæ civitatis quoddam erat exemplar illa Hierusalem, in qua regnavit David. Et ille fons erit, inquit, in ablutionem peccatoris et menstruatæ: » — « peccatoris, » inquam, id est, gentilis populi, qui sine lege peccavit, et « menstruatæ » quæ per legem peccavit, quæ, ne de justitia præsumeret factorum, unus ex optimis ejus filiis confessus est, et dixit: « Et facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). »

Quærendum itaque, qui vel quales in illa die fuerunt prophetæ, quoniam dixit « et prophetas et spiritum immundum auferam de terra. » Hic citius evangelistæ Joannis narratio occurrit. **668** Ait enim: « Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: Et venient Romani et tollent nostrum et locum et gentem. Unus ex ipsis Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetavit, quia moriturus erat Jesus pro gente, et non tantum pro gente sed A etiam ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum (*Joan.* XI). » Hujusmodi prophetas auferam, ait, de terra. » Nam ne prophetas bonos suspiceris, « spiritum immundum » illis copulavit. Ait enim, « et prophetas et spiritum immundum auferam de terra. » Ergo prophetæ mali, prophetæ immundo spiritu pleni, in die illa fuerunt auferendi de terra non solum de terra viventium, verumetiam de terra ipsa et civitate, quam tunc mortales et Deo mortui inhabitaverunt, qui malam sibi hanc prophetiam de corde suo prophetaverunt: « Quid facimus, quia hic homo multa signa, facit, » etc. Nempe expecto quod præmiserunt, « si dimittimus eum, » sic totum quod dixerunt, in prophetiam reputatum est illis, ut omnes crederent in eum: illis autem B non credentibus venirent Romani, et tollerent eorum et locum, et gentem. Fuit inter illos unus Caiphas talium prophetarum maximus, qui dixit: « Vos nescitis quidquam, neque cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. « Hoc autem, » evangelista inquit, « a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. » Causam eorum propter quam auferendi essent de terra, ipse propheta latenter, ut oportuit, continuo subjunxit: Ait enim: « Et erit cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium C locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater ejus et mater ejus genitores ejus, cum prophetaverit (*Zac.* XIII). » Propheta magnus de semetipso ultra prophetavit, quia illi et præcipue Caiphas prophetaverunt, quod expediret eum mori, ipse autem prophetaverit, quod oporteret eum resurgere a mortuis. Hoc ultra fuit, videlicet prophetiam illorum, prophetiam mortis, qui prophetavit prophetiam resurrectionis. Dixit enim: « Solvite templum hoc, et post triduum excitabo illud (*Joan.* II). » Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo « prophetaverit quispiam ultra, » quem nominare nolo, quia non expedit, « dicent, inquit: ei pater ejus et mater ejus qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini. » Pater ejus Judaicus populus, et mater D ejus Synagoga, qui secundum carnem genuerunt eum, ita dixerunt ei; cum enim aliud non haberent, unde accusarent eum, novissime submissis duobus falsis testibus istud protulerunt: « Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et in triduo reædificare illud; » cumque principi sacerdotum dicenti, « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei, » respondit, « tu dixisti, » et « amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli: » clamaverunt. « Reus est mortis. » Nonne hoc erat dicere, « Non vives, quia falsum locutus es in nomine Domini? »

A Ex illa visione sua quomodo confusi prophetæ illi? Ait enim: « Et erit in die illa, confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit. Aut quomodo prophetantes illi operiebantur pallio saccino ut mentirentur? Nam et hoc sequitur. « Nec operientur pallio saccino ut mentiantur (*Zach.* XIII). » Nisi se operuissent aliquando, frustra diceret, « nec operientur pallio saccino. » Quid ergo fuit operire se « pallio saccino, » ut mentirentur, nisi per nequissimam hypocrisim simulare dolorem, et fingere timorem, ut paveret populus? Hoc fecit ille propheta, ille prophetarum impiorum impiissimus Caiphas. Denique ut mentiretur, ut magnificaret et confirmaret mendacium visionis suæ, quam pariter in concilio suo dixerant, venturos esse Ro-
B manos, ut tollerent et locum et gentem, nisi Jesum interficerent, idcirco scidit vestimenta sua. Adjuraverat Dominum Jesum dicens: « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei benedicti. » Et cur addiderit « benedicti, » nescias nisi quia stultissimus ipsi Deo adulari præsumpserit, in causa ejusmodi, adulatione crudeli. Cum ille fidelis permanens qui seipsum negari non potest, « respondisset, « Tu dixisti, » subjungens: « Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem in nubibus cœli, » tunc, ut jam dictum est, « scidit vestimenta sua, et dixit: Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce, nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? » Atque hoc modo saccinum simulatæ tristitiæ pallium sibimetipsi super-
C duxit ut mentiretur, ut mendacium corroboraret, ut videns populus male credulus, magis paveret, ubi non erat pavor, sicut in psalmo dictum est: Ibi trepidaverunt, ubi non erat timor (*Psal.* XXXII). » Taliter saccino solebant operiri pallio patres eorum fundendo sanguinem prophetarum et justorum, quorum isti mensuram impleverunt. Exempli gratia: Scripsit Jezabel per litteras ex nomine Achab, et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu, et ad optimates, qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth. Litterarum autem erat ista sententia: « Prædicate jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi, et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant, benedixit Deum et regem, et educite eum et
D lapidate, sicque moriatur. Fecerunt ergo cives ejus, et majores natu, et optimates qui erant cum eo in urbe, sicut præceperat Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos. Prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Naboth inter primos populi, et adductis duobus viris filiis diaboli fecerunt eos sedere contra eum (*III Reg.* XXI), » etc. Et illud jejunium, et quidquid deinceps fecerunt imitatores illorum, usque ad hypocritas istos, qui, ut mentirentur, ut firmarent sibi sermonem nequam (*Psal.* LXIII), sciderunt vestimenta sua, recte nimirum et pulchre appellaverit Spiritus sanctus, brevi appellatione, pallium saccinum, quo non operientur, ait ultra ut mentiantur. Nam ipsa mentiendi auctoritas eis auferetur, et miro modo, ex visione sua confundentur, ex visione mendaci quam prophetaverunt dicendo, venient Romani si dimiseritis eum sic. Etenim econtra idcirco factum est, ut venirent Romani, quia non dimiserunt eum sic, et ecce non tantummodo secundum visionem illorum, pro sensu ipsorum mendaci, locum tulerunt et gentem, verum etiam id quod plus est, quod ipsi videre aut nesciebant timere; tulerunt quoque optima quæ illorum erant, scilicet adoptionem filiorum et gloriam, et testamenta, et legislationem, et obsequium et promissa, et totam hæreditatem patrum ex quibus Christus secundum carnem, **669** qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen (*Rom.* IX). » Hæc enim omnia tulerunt eis, et cum cæteris nunc gentibus possident Romani, longe alii quam Romani illi qui tantummodo locum et gentem tulerunt eis, perfuerunt, et permanserunt pagani, quia non curaverunt, neque curare scierunt de spoliis istis opimis, tantum modo locum et gentem, ducibus Vespasiano et Tito, tulisse contenti.

Quapropter militaverint, quidem huic Domino et regi Jesu Christo, in vindictam sanguinis ejus contra civitatem Ariel, quod interpretatur *leo Dei*, juxta quod ipse dixit: Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva (*Jer.* XII), » contra civitatem Hierusalem, quam expugnavit per eos, iste verus David filius, secundum carnem illius David, secundum prophetiam hujusmodi: « Væ Ariel, civitas quam expugnavit David. Additus est annus ad annum, solemnitates evolutæ sunt. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens et erit mihi quasi Ariel. Et circumvallabo quasi sphæram in circuito tuo, et jaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam: Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum. Et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit (*Isa* XXIX). » Militaverunt quidem in hoc, ut dixi, Christo Domino et regi, et hoc væ Ariel, sed nihilominus væ et ipsis, sicut væ Assur. Sequitur enim: « Et erit, sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te, et sicut favilla pertransiens, multitudo eorum qui contra te prævaluerunt. Eritque repente confestim a Domino exercituum, visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis, et tempestatis, et flammæ ignis devorantis. Et erit sicut somnium visionis nocturnæ, multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, et omnes qui militaverunt et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam, et sicut somniat esuriens, ut comedat, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus, et sicut somniat sitiens, ut bibat, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est, sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicaverunt contra montem Sion (*ibid*). » Ita miro modo puniendi ad puniendum venerunt Romani, et dimicaverunt contra Ariel, materialibus armis, et ecce confusi sunt, nec jam

licet eis operiri pallio saccino ut mentiantur imo captivi per omnes gentes, nec locum habent quod ad similiter mentiendum congregentur. Sed econtra dicit eis quispiam insultabundus, qui, ut jam dictum est, prophetavit ultra subauditur, quam fuisset ab adjurante principe sacerdotum interrogatus : « Non sum propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea (*Zach.* XIII). » Grandis insultatio, et ironia gravissima, quippe qui negando acrius affirmat, et affirmando vehementius negat. « Non sum, inquit, propheta, » subauditur, vestro arbitratu, sic enim dixistis : « Propheta a Galilæa non surget ; non hic a Deo (*Joan.* VII, IX), » et his similia. « Homo agricola ego sum, » itidem vestro arbitratu dicentium : » Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ? Nonne hic est fabri filius ? » (*Matth.* XIII,) Attamen vera sunt quæ prædixi, et vos captivi estis, nec jam pallio saccino, licet vobis operiri, ut mentiamini, et quempiam vestrum interficiatis. Dixistis, « quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea, » calumniando quod ego gloriam meam quærerem, et dicendo : quem teipsum facis ? » (*Joan.* VIII.) Et alibi : « Quia tu homo cum sis facis teipsum Deum (*Joan.* X). » Hæc fuit exprobratio vestra, sed aliter est. Longe ego dissimilis Adam, et ille exemplum meum non fuit, qui gloriam suam quæsivit, imo et dicebam, et quod dicebam verum est : « Ego gloriam meam non quæro, est, qui quærat et judicet (*Joan.* VIII). » Judicium ejus pro me super vos manifestum est. Nam ecce quem confixistis, qui mortuus fui, ecce loquor, et respondeo loquentibus mihi. Hoc est, quod sequitur :

« Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum. Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me (*Zach.* XIII). » Perspicuum est diligentibus, occultum est negligentibus, quod iste, qui hic respondet percontantibus, unus et solus sit Filius hominis Jesus Christus. Quis enim alius interrogatus est aut respondit, sive interrogari et respondere potuit, postquam mortuus est, plagis acceptis in medio manuum suarum nisi iste solus qui mortuus resurrexit, ut posset loqui, cujus videlicet locutionis hoc initium fuit, ut ostenderet plagas suas dicendo : « Videte manus meas et pedes meos (*Luc.* XXIV). « Hæc ergo gloriosa sicut cætera prophetarum præconia, dicta sunt de te, o Fili hominis, et verum est quod de sancto Paracleto sub ipso suæ passionis articulo promittens dixisti : » Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (*Joan.* XVI). » Tuum est et vere tuum est, quidquid sancti prophetæ locuti sunt. Etenim illi de te scripserunt, de te quid scriberent, acceperunt, et de illo tuo Spiritus paracletus, quantum sibi placet accipiens et nobis annuntians, id est, intelligere faciens, clarificat te nobis, ut claritatem jam hic ex parte videamus sive cognoscamus, tantæ gloriæ tantique honoris tui, cujus hæc summa est, quia cum fueris mortuus plagis, quas in medio manuum tuarum accepisti, adhuc loqueris, et ipsas respondens plagis interrogantibus jugiter respondeas responsione mirabili. Quid enim ? Quandiu, quomodo, a quo, vel a quibus interrogaberis, sive dicetur tibi, quid istæ plagæ sint ? Nimirum in sæcula sæculorum, sine cessatione, et cum ineffabili admiratione dicetur tibi : Et a Deo Patre, cui factus es obediens usque ad mortem, mortem autem crucis *Philipp.* II), dicetur tibi, et a sanctis angelis qui in te desiderant prospicere (*I Petr.* I), dicetur tibi, et ab hominibus quos morte tua redemisti, dicetur tibi et jugiter interrogaberis quid istæ plagæ sint, et tu dices eis dictione quæ nullum unquam finem habet ; « His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. » Et, o magnum sacrilegium, sacrilegum homicidium, plagas ejusmodi tibi esse illatas in domo diligentium ! Non dices ! His plagatus sum ab his qui diligebant me, sed in domo eorum qui diligebant me. Nam qui plagas intulerunt, non dilexerunt te ; erant autem secundum carnem domus Abraham, et Isaac, et Jacob, et David et cæterorum talium qui diligebant te, qui promissum sibi exspectabant te. Verumtamen hoc dicere, non est respondere, ad hanc interrogationem, quid sunt plagæ istæ. Aliud namque est percontando dicere quid sunt plagæ istæ, et aliud dicere ubi factæ sunt plagæ istæ. Illud quæritur quid sint plagæ istæ. Ergo ex abundanti dicet, « his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. » Et tunc demum dicet quid sint plagæ, dicet : Calix est quem Pater dedit mihi bibere (*Joan.* XVIII). Nam quod protinus sequitur, æquipollens est ; vox enim est Patris ejusdem, qui calicem dedit, et ex persona ejus sonat hoc dictum in auribus nostris :

« Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi. Percute pastorem, et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII). » Memoriter tenendum est, cur in hunc prophetiæ locum sermo devenerit, quia videlicet facies ista, quam nunc contemplatur, facies vituli ante et retro plena oculis, cum jam protinus ad victimam raperetur, huc respexit : » Omnes, inquiens, vos scandalum patiemini in me in ista nocte, scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur **670** oves gregis. » Idcirco et nos huc respeximus, et vidimus, locum hunc sive capitulum prophetiæ fidelis, illustratum respectu scintillantis faciei hujus, vidimus, inquam, prophetiæ sensum hoc dicto elucidatum, scriptum est enim : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. » Etenim littera licet non sic se habeat, sensus procul dubio sub ista littera hoc habet, quia quid littera sonat, « framea suscitare super pastorem meum, percute pastorem, » dictum est Patris, frameam adhibentis, sive imperio suo suscitantis, et quod hic dicit, « percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis, » responsum frameæ, responsum est mortis. Quid enim est framea hæc, nisi mors ? Non dico mors peccati, mors animæ, quæ peccantem animam a Deo vivo sejungit,

sed mors corporis est framea hæc qua omnes percutimur, dum cujusque nostrum anima a corpore separatur. Frameam hanc super omne genus humanum Deus suscitavit, et nos omnes percussit, quando primo homini dixit : « Donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III). » Et nos quidem recte omnes tali framea percutimur, inutiliter enim, imo perniciosissime in æternum viveremus secundum corpus, qui secundum animam morte peccati mortui eramus, hic autem pastor Dei Patris, et vir cohærens illi, est enim una eademque persona cum divinitate Verbi, quid fecit, ut hæc framea super eum suscitaretur, ut diceret : Pater, percute pastorem ? Nihil fecit, nullum in se habuit peccatum, sed hoc dicere fuit, ponere in eo iniquitates omnium nostrum. Quid autem et de eo dicemus, quod in prophetia, cum dixissem, « percute pastorem, et dispergentur oves gregis » statim subjunctum est, « et convertam manum meam ad parvulos ? » (*Zach.* XIII.) Nonne et hoc ipsum nobis illustravit ? Ubi enim dixit, « scriptum est enim : Percutiam pastorem » etc., protinus addidit : « Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. » Nonne hoc fuit Domino convertere manum suam ad parvulos post resurrectionem suam apparere in Galilæa discipulis suis, et illic dicere eis : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Ejusmodi namque humiles auditores suos non solum illic in prophetia, verumetiam et hic in Evangelio parvulos appellavit, « confiteor, » inquiens, « tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI). »

Tres istæ partes, una sapientium, scilicet Græcorum sive gentilium, et alia prudentium, videlicet Judæorum non credentium, quibus sacramenta hæc abscondita sunt, et tertia parvulorum, id est humilium quibus credentibus hæc revelata sunt, tres illæ partes sunt, de quibus, ubi præmisit, « et convertam manum meam ad parvulos, » statim subjunxit. « Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ, et disperdentur, et deficient, et tertia pars relinquetur in eam, et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum (*Zach.* XIII). » Hoc ex parte maxima videmus jam factum. Nam duæ partes jam dictæ sapientium atque prudentium, de quibus Apostolus : « Nos autem, inquit, prædicamus Jesum Christum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I). Ecce disperditæ sunt et defecerunt, partem autem tertiam, partem parvulorum, id est, humilium, reservavit Dominus, et duxit per ignem multarum tribulationum, ut examinaret eos sicut examinatur argentum, ut probaret eos sicut probatur aurum. Superius jam dictum est de beato Petro, quia dum ambularet super aquas, ut veniret ad Dominum Jesum, videns ventum validum, timuit, et cœpit mergi (*Matth.* XIV) id est, dum semetipsum fortem putasset, ita ut diceret : Quare non possum te modo sequi, « animam meam ponam pro te, tecum paratus sum, et in carcerem, et in mortem ire (*Joan.* XIII ; *Luc.* XXII), » propter vocem unius ostiariæ mortem timuit, et vitam negavit, quod fuit incipere mergi ; at ipse non omnino mersus est, et ut non mergeretur, ut tempestatem illam evaderet, respectus Domini fecit, quia conversus Dominus, ait evangelista, respexit Petrum, et recordatus verbi Domini Petrus, egressus foras flevit amare, » fletu pœnitentiæ (*Luc.* XXII). Respectus venerabilis, respectus misericordiæ et propitiationis ille fuit, qui pœnitentiam operatus est, pœnitentiam bonam, et salutem stabilem fecit illi. Ecce autem alia et longe dissimilis pœnitentia.

« Tunc, inquit Evangelista, videns Juda, qui eum tradidit quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? Tu videris. Et projectis argenteis in templo recessit, et abiens, laqueo se suspendit. » Vere enim longe dissimilis et valde contraria hujus pœnitentia fuit pœnitentiæ jam dictæ Petri apostoli, quia mortem ista, salutem autem operata est illa pœnitentia. Venerari, et honorare intendimus hic, ut sæpe jam dictum est, faciem hujus vituli, qui tunc ducebatur ad victimam, quando Petrum respexit, et ad prædicandam claritatem oculorum ejus hoc dicimus, quia facies eadem quæ Petrum respexit, super Judam quoque respexit, sed respectu dissimili : Videlicet Petrum respectu misericordiæ, Judam respexit respectu judicii. Nam ne quis existimet respectum Domini semper fieri in bonum illius super quem respicit : ecce Scriptura manifeste dicit : « Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum (*Exod.* XIV). » Et de utroque pariter respectu, videlicet, et de respectu gratiæ sive misericordiæ, et de respectus iræ sive judicii, psalmus dicit sententiis continuatis : « Oculi Domini super justos et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII). » Igitur ipsa facies, quæ Petrum respexit, ut ad pœnitentiam salutarem compungeret Judam quoque respexit ut ad pœnitentiam exitialem conturbaret. Et ad contemplandum talis respectus justitiam jam quidem trahimur, sed prius est, ut de modis pœnitentiæ quidpiam loquamur, quoniam de isto perditionis filio ita dictum est, quia « pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, et abiens laqueo se suspendit. » Unus est pœnitentiæ modus, de quo justus et misericors Deus curare dignetur, videlicet ubi causa pœnitentiam agendi est, fides futuri sæculi, metus gehennæ, desideriumque regni Dei. Hujusmodi pœnitentiam non solum per suos nuntios, verum et maxime per se-

metipsum Deus de cœlo veniens prædicare curavit, sic incipiens Evangelium suum : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Alius est pœnitentiæ modus, ubi causa pœnitentiam agendi est, amor præsentis sæculi, pro qua videlicet causa pœnitentiam egit impius Achab de sanguine Naboth Israelitæ, scindens vestem suam, jejunansque ac dormiens in sacco, et ambulans demisso capite (*III Reg.* XXI). Pro causa hac et Sodomitæ, Tyrii ac Sydonii pœnitentiam egissent quemadmodum Dominus dicit : « Quia si in Sodomis factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, o Corozaim et Bethsaida, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent (*Matth.* XI). » De hujusmodi **671** pœnitentia, quoniam salutem non operatur (*II Cor.* VII), Deus nunquam curasse legitur, ut vel per semetipsum vel per nuntios suos, eam prædicare dignaretur, præter quod ad Ninivem civitatem magnam misit prophetam Jonam, licet nec pœnitentiam ibi prædicaverit, aut prædicare jussus fuerit, sed hoc tantum, « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur (*Jon.* III). »

Cum ergo duæ sint istæ causæ pœnitentiam agendi, propter quam earum pœnitentia ductus est iste filius perditionis ? Nunquid propter causam futuri sæculi ? Non utique cum diabolus esset, sic ipse Dominus jam dudum dixerat : « Nonne ergo vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est ? (*Joan.* VI.) » Non, inquam, de isto sæculo curavit, aut quidquam spei habuit. Nunquid vero propter causam præsentis sæculi ? Non utique, nam et hoc male relinqueret, abiens laqueo se suspendit. Qualis ergo causa esse potuit, quæ fecit illum pœnitentia duci ? Hanc enim non otiose quærimus : Et obscura quidem et incerta nobis est, sed per aliud simile fieri potest, ut nonnihil inveniamus. Scriptum est de Achitofel, qui fuerat consiliarius David, et versus ad Absalon consilium inutile dederat contra David, quia « videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, et surrexit, et abiit in domum suam et in civitatem suam, et disposita domo sua, suspendio interiit (*II Reg.* XVII). » Quam ob causam se ille suspendit ? Vidit enim quia non erat factum consilium suum. Parum dictum est, nisi simul subintelligas, quia malignus conjector conjiciebatur, decipiendum fore Absalon, et reversurum esse David in regnum suum, quod sibi æstimabat fore intolerabile manum ; quippe qui inter cætera mala jam ante dederat consilium ut Absalon fœdaret patrem suum. Illud simile isti recte dixerim : Quis enim nesciat illum David similitudinem vel typum prætulisse hujus Jesu Christi Filii Dei, et sui quoque secundum carnem filii ? Nam ut et secundum præsens sacramentum quatuor facierum aliquid loquar : Propinquus ipse fuit faciei hominis, pro eo maxime quod ex semine ejus Christus secundum carnem (*Psal* CXXXI) : Et faciei leonis, pro eo quod fortissimus ipse « cum leonibus lusit ut Sapientia meminit, quasi cum agnis et in ursis similiter fecit. Nunquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium in Israel ? Contrivit inimicos undique, et contrivit cornu ipsorum, usque et in æternum in omni opere (*Eccl.* XLVII). » De similitudine quoque faciei vituli plurimum habuit, quia videlicet multis laboribus eruditus fuit, et multis tribulationibus passiones Christi præsignavit. Unde et sicut itidem Sapientia testatur : « Christus purgavit peccata ipsius et exaltavit in æternum cornu ejus (*ibid.*). » Nihilominus illud multum attinet ad faciem aquilæ volantis, quod propheticæ gratiæ oculis mirabiliter et vidit et cecinit sacramenta cœlestia, ejusdem Christi sessuri ad dextram Patris, vidit, inquam, et audivit ut inter cætera referet nobis dicens : « Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Suo quoque nomine ad similitudinem accedit interpretatur enim David *manu fortis* sive *desiderabilis*. Porro Achitofel et nomine et re similitudinem prætulit hujus, de quo nunc sermo est, Judæ filii perditionis. Achitofel quippe interpretatur *frater meus cadens* sive *irruens*. Et sicut ille voluit et in eo intendit ut David de regno ejectus, etiam funditus deleretur, id est moreretur, et ita periret nomen ejus. Dixit enim ad Absalon : « Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte (quippe qui lassus est, de solutis manibus), percutiam eum (*II Reg.* XVII), » sic et iste Dominum nostrum, non quomodocunque mori, sed ita mori, voluit, ut periret nomen ejus, testante psalmo ex persona ejusdem Christi, quo cum dixisset. « Inimici mei dixerunt mala mihi : quando morietur et peribit nomen ejus (*Psal.* XL) ? » protinus de isto insidiatore maximo et insidiantium pessimo, ita subjunxit : « Et ingrediebatur ut videret, vana loquebatur cor ejus, congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras et loquebatur in idipsum (*ibid.*). » Et hoc idem iterum repetens, cum de universis dixisset : « Adversum me subsurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi, » (*ibid.*), etc. istum manifestius expressit dicens : « Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem (*ibid.*). »

Hinc manifestum est quod iste nec solus iste, sed maxime iste sic Dominum Christum mori voluit, ut periret nomen ejus, id est ut nulla fama vel memoria, et nulla superesset doctrina ejus, sicut ille videlicet Achitofel, illud intendebat, ut David, sicut jam dictum est de regno ejectus, nequaquam ultra regnare posset, morte præventus. Eamdem igitur vel similem ob causam uterque pœnitentia ductus est et uterque laqueo se suspendit, videlicet quia persensit, tam iste quam ille, quod res non procederet secundum consilium ejus. Et inde pulcherrimam similitudinis perfectionem ! Quomodo ille persensit vel unde ille percepit non fieri secundum intentionem suam, ut funditus exterminaretur David ? Nimirum ex eo quod Chusai, amicus David, quasi relicto David, venerat ad Absalon, quem utique sciebat nequaquam animo recessisse a David, neque

corde esse cum Absalon. Nonne iste similiter de A Domino Christo dicere poterat, quod quamvis esset damnatus et moreretur, non tamen periret nomen ejus : ex eo quod superstites erant discipuli ejus, prædicaturi nomen et resurrectionem ejus ? Denique hoc voluerat ut discipuli quoque ejus cum eo comprehenderentur. Et manifestius evangelista Joannes exprimens : « Stabat autem, inquit, et Judas qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram, etc., usque : « si ergo me quæritis, sinite hos abire, ut impleretur sermo quem dixit (*Isa.* VIII) : Quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam (*Joan.* XVIII). » Horum videlicet discipulorum quibus ipse jam dixerat : « Jam non dico vos servos, sed amicos meos (*Joan.* XV), » et nomine et re similitudinem B gessit ille Chusai, Chusai quippe interpretatur *silentium*. Nam Chusai aliud nomen est, quod ad istud non pertinet, et interpretatur *Æthiops*, ait beatus Hieronymus (18), aliisque litteris scribitur. Hoc ergo nomine Chusai quod, ut jam dictum est, interpretatur pulchre præsignatum est silentium discipulorum metuentium, qui relicto eo omnes fugerunt, et non solum siluerunt, de illo, propter metum Judæorum, verum etiam negavit eum Petrus maximus illorum. Qualis illa negatio fuit? Nonne solummodo linguæ, et non etiam cordis? Sicut enim ille Chusai, non corde vel animo, sed ore solummodo negavit amicum David dum dicente Absalon ; « Quare non ivisti cum amico tuo? respondit, nequaquam, qui illius ero quem elegit Dominus, et hic omnis populus et uni- C versus Israel, et cum eo manebo (*II Reg.* XVI) ; sic et Petrus apostolus non corde, sed solo ore Christum negavit, dum dicente aliquo : « Et tu ex discipulis ejus es? respondit : Non sum. » Et sicut illud quod taliter Chusai recessit a David, per voluntatem factum est ipsius David, dicentis : « Si veneris mecum, eris mihi oneri, sin autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalon, servus tuus sum rex, sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus, dissipabis consilium Achitofel (*II Reg.* XV) ; » sic et istud quod omnes discipuli relicto Domino fugerunt, et inter Judæos per silentium jam dictum semetipsos reservaverunt, **672** voluntate factum est ipsius Domini, dicentis : « Quo ego vado vos non potestis venire (*Joan.* XIII), » quo ego vado non potes me modo sequi. « Si ergo me quæritis, sinite hos abire (*Joan.* D XVIII), » ut videlicet dissiparetur consilium Judæ, fieretque illis reservatis, ut eo mortuo nomen ejus non periret nobis quibus annuntiaverunt : Quia resurrexit. Ex hac nota similitudine, documentum sumere libuit ad demonstrandum quod pœnitentia Judæ dolor fuerit natus ex invidia crudeli, et confessio ejus dicentis : « Peccavi, tradens sanguinem justum, » parum, aut nihil differe potuerit a confessione dæmonum, qui illum non solum justum, verum etiam Filium Dei esse interdum confessi sunt.

Et quia similitudinibus hujusmodi uti delectabile est in sanctis Scripturis, non tædeat nos cœptam hanc similitudinem adhuc longius persequi. Sicut enim illius desertoris Achitofel suspendium, quo interiit dirum fuit prodigum Absalon et populo Israel egresso ad pugnam contra viros David, sic suspendium hujus proditoris Judæ « qui et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus, sicut in Actibus apostolorum meminit Petrus apostolus (*Act.* I) horribile fuit portentum populo Judæorum, non desistenti persequi discipulos Christi filii David. Denique et ibi post suspendium Achitofel, Absalon quoque suspensus pependit, sicut Scriptura dicit : « Quia cum ingressus fuisset mulus, cui sedebat, subter condensam quercum et magnam, adhæsit, caput ejus quercui, et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus, cui sederat, pertransiit et ipse Absalon confossus est lanceis, et populus Israel cæsus est a viris David, multoque plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illo (*II Reg.* XVIII). Et hic suspenso Juda, populus Judæorum totam damnationis ejus suscepit hæreditatem pendens inter cœlum et terram, id est neque spem habens in cœlo, quia vitæ æternæ indignum se judicavit, neque terram habens suam; venerunt enim Romani tuleruntque locum et gentem et multo plures quam ullo unquam die vocasset gladius de populo illo consumpsit in obsidione illa saltus Romani exercitus post quadraginta annos, ducibus Vespasiano et Tyto, juxta quod prædictum fuerat per Psalmistam : « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*Psal.* LXXIX). » Nonne hoc est pendere inter cœlum et terram, et crepuisse, et omnia pendentis viscera diffusa esse, scilicet neque in cœlo spem sive ullam partem, neque in terra quam calcamus locum ullum proprium habere, et post seditionem ingentem crepitum, quem historiographus denarrat Josephus, reliquias conclusæ multitudinis, quæ gladio superfuerunt, in omnes gentes captivas ductas esse? Et ille siquidem Achitofel festinans ad interitum domum suam disposuit sicut littera refert. « Et disposita domo sua suspendio interiit (*II Reg.* XVII) ; » hujus autem domum, scilicet jam dictum populum Judaicum, qui domus ejus recte dicitur, ex quo dux ipse fuit eorum qui comprehenderunt Dominum Jesum, jam dudum disposuerat spiritus propheticus in psalmo centesimo octavo sub triginta maledictionibus, quas et nos præcedenti loco numeravimus, quarum prima est, « constitue super eum peccatorem. » Tricesima, « et induantur sicut diploide confusione sua, » secundum numerum triginta argenteorum, quos iste venditor justi sanguinis ab illis emptoribus acceperat. Illius nimirum prophetici spiritus dispositione, illud quoque dispositum fuit, ut eodem triginta argenteos Judas referret principibus sacerdotum et senioribus, atque

(18) S. Hieron. lib. Quæst. in Gen. cap. 10 v. 6, *Patrol.* tom. XXII, edit. Migne.

projiceret in templo,et illi acceptis argenteis dicerent: « Non licet mittere eos in Corbonam,quia pretium sanguinis est,et concilio inito emerunt ex illis, agrum figuli,in sepulturam peregrinorum.» Nam ne casu hoc accidisse quis putet, « Tunc, inquit Evangelista,impletum quod dictum est per prophetam,dicentem? Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. » Propheta per quem hoc dictum fuerat,Zacharias est,sed per incuriam scriptorum inolevit,ut hic pro Zacharia nominaretur Hieremias, et ipsa prophetia,quam hic abbreviavit evangelista,maxima querela est Pastoris boni juxta illud quod alibi dicit: « Retribuebant mihi mala pro bonis (*Psal.*XXXIV). » Narrat quippe gregem se pavisse Pastor bonus,ab eo quo ait : « Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant,occidebant,et non dolebant, » usque ad id,« et dixit Dominus ad me, adhuc sume tibi vasa pastoris stulti (*Zach.*XI), » quæ omnia hic præscribere et explanare nimis longum est.Testimonium,quod evangelista brevius posuit, sic se habet inter cætera illius capituli: « Et dixi ad eos: Si bonum est coram vobis,afferte mercedem meam: et si non quiescite Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium quod [*al.* quo] appretiatus sum ab eis,et tuli triginta argenteos et projeci illos in domum Dei ad statuarium (*ibid.*). »

Denique hoc sciendum quia sub conditione, et quasi conventione facta, gregem pavi,scilicet filios Israel,de quibus Psalmista dicit: « Deduxisti sicut oves populum tuum,in manu Moysi et Aaron (*Psal.* LXXVII). » Et sub conditione legem dedi eis in monte Sinai, et terram Chanaan, cujus videlicet conditionis sive conventionis summam Psalmista breviter exprimit his verbis: « Et dedit illis regiones gentium,et labores populorum possederunt,ut custodiant justificationes ejus,et legem ejus requirant (*Psal.*CIV). » Quid ergo est hic dicere: « si bonum est coram vobis,afferte mercedem meam,et si non, quiescite, » nisi in arbitrio ipsorum quid mallent ponere,et voluntarias debiti cultus et susceptæ legis observatione quærere? Nam voluntarium servitium ab eis quæsisse Deum, manifestum est.Exempli gratia: « Testes,ait,ipse per Moysen,invoco cœlum et terram,quod proposuerim vobis vitam et bonum, benedictionem et maledictionem.Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum (*Deut.*XXX). » Et Josue dixit ad eos: « Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis,optio vobis datur: Eligite hodie quod placet,cui servire potissimum debeatis (*Jos.* XXIV). » Igitur quod dicit: « Si bonum est coram vobis afferte mercedem meam,et si non quiescite, » tale est, ac si dicat: Ille filius patrisfamilias et domini vineæ,missus ad agricolas tempore fructuum, ut acciperet vineæ fructus, Ecce Pater meus,post-

A quam servos suos misit, quorum alios cecidistis alios lapidavistis,me novissime misit ad vos dicens: « Verebuntur filium meum (*Matth.*XXI). » Si ergo bonum est coram vobis,date fructus vineæ,et si non, saltem quiescite: ut non occidatis me dicentes: « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus (*ibid.*). » At illi, non solum fructus vineæ non dederunt,verumetiam ab hoc mala non quieverunt quin ejicerent me extra vineam et occiderent. Et ut hoc facere possent, appenderunt triginta argenteos, quos ironice dico mercedem meam, quia non mea vel mihi debita merces,sed sanguinis mei pretium erant. Miraculum tam malæ retributionis spectandum erat oculis, Patris, qui miserat me, ut vineæ fructus exigerem ab

B eis.Dixit ergo Dominus ad me: « Projice illud ad statuarium decorum pretium.» — « Denique pretium quod sic appretiatus sum **673** ab eis (*Zach.*XI). » Cum gravissima ironia dixit decorum.Ille statuarius, id est,figulus,sive plasmator hominis,Deus Pater meus. Tuli enim triginta argenteos et projeci illos in domum Dei ad statuarium (*ibid.*),ut scilicet videns retributionem tam iniquam, daret judicium et judicaret eos ex ore ipsorum dicentium: « Malos male perdet,et vineam suam locabit aliis agricolis,qui reddant ei fructum temporibus suis (*Matth.*XXI). » Ad hunc sensum valet quod continuo sequitur: Et præcidi virgam meam secundam quæ appellabatur funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel (*Zach.*XI). » In isto prophetiæ capitulo, quod totum

C hic præscribere piguit,ita præmiserat: « Et assumpsi mihi duas virgas,unam vocavi decorem,et alteram vocavi funiculum,et pavi gregem. » Ac deinceps: « Et tuli virgam meam,quæ vocabatur decus et abscidi eam,ut irritum facerem fœdus meum, quod pepigi cum omnibus populis.» Et est sensus: Regendas susceperam omnes gentes,et fœdus pepigeram cum eis, dicens ad Noe,et ad filios ejus, « Ecce ego statuam pactum meum vobiscum,et cum semine vestro post vos (*Gen.*IX), » et illius regiminis virgam vocavi, inquit, decorem. Decus enim sive decor quidam est non parvus inter omne genus humanum: et deinde seorsum regendum susceperam gregem unum gentis Israeliticæ. Et hujus regiminis virgam alteram, inquit, vocavi funiculum, juxta illud: « Pars autem Domini populus ejus.Jacob

D funiculus hæreditatis (*Deut.*XXXII). » Quomodo autem abscondi virgam illam priorem, quam vocaveram decorem? Dimittendo scilicet gentes omnes abire quo volebant, quemadmodum et Paulus in Actibus apostolorum dicit: « Annuntiamus vobis ab his vanis converti ad Deum vivum,qui fecit cœlum et terram,mare et omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas (*Act.*XIV). » Porro virgam secundam, quam vocaverat funiculum, præcidi, ait, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel,faciendo scilicet, quod ipsimet judicaverunt ad quos et propter quos parabolam dixerat, « malos male

perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis. » Sicut prædictum, ita et factum est. Præcidit virgam suam fecundam, quæ appellabatur funiculus, et hoc non quomodocunque, non ita ut repelleret plebem suam, « Nunquid » enim, ait Apostolus, « repulit Deus populum suum? absit, nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin: non repulit Deus plebem suam quam præscivit (*Rom.* XI); » sed ita, ut dissolveret germanitatem inter Judam et Israel. Et est sensus: Sicut olim dissoluta germanitas inter Judam et Israel, quando decem tribus scissæ sunt a domo David, facientes sibi regem Jeroboam, et colendo vitulos, quos ille fecit, tribus autem Juda permansit cum domo David, habens civitatem Hierusalem, et unicum templum nominis Domini (*III Reg.* XII), ita et nunc. Sicut enim tunc in illa dissolutione germanitatis tribus Juda, ex qua oportebat Christum nasci, adhæsit regi suo David, cujus de domo nativitas illa sperabatur, quia Dominus juraverat illi (*Psal.* LXXXVIII, CXXXI), et sicut in ipso Israel, id est, in decem tribus aliqui erant residui dicente Domino, « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal (*III Reg.* XIX), » sic et in hoc « tempore ait idem Apostolus, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* I). » Et in his tanta est dissolutio germanitatis, quanta significari potuit significatione gladii, cum Dominus dicit: « Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus (*Matth.* X). » — « Ibi dolores ut parturientis (*Psal.* XLVII), » pro tanta dissolutione germanitatis. Exempli gratia cum Paulus apostolus dicit: « Veritatem dico in Christo, mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem (*Rom.* IX). » Intueri tandem libet quia inter prophetiam et inter rem gestam, secundum qualitates verborum nonnulla distantia est. Nam in re « Judas, » ait evangelista, « retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, » et projecit eos in templum (*Matth.* XXVII); in prophetia autem ipse, qui mercedem suam quærebat, gregem paverat, Dominus dicit: « Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Dei (*Zach.* XI). » Itemque et cum futurum esset, et ita factum sit, ut dicerent illi emptores sanguinis: « Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est, » et hæc dicentes emerent « ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, » ita prophetatum fuerat: « Et dixit Dominus ad me: Projice illos argenteos sive illud pretium ad statuarium (*ibid*), » id est figulum. Itaque quod fecit Judas referens argenteos, et quod fecerunt principes sacerdotum et seniores, emendo ex illis agrum figuli, hoc secundum verba prophetiæ semetipsum fecisse dicit

A ipse cujus sanguinis pretium fuerunt illi argentei. Diligenter animadverte: Non quod talem appenderunt mercedem divites illi, negotiantes in templo, et dicere soliti, in hoc ipso capitulo præmissum est, « Benedictus Dominus, divites facti sumus (*ibid.*); » non, inquam, quod constituerunt traditori dare triginta argenteos pro traditione Domini, hoc fecit Dominus; sed quod traditor eosdem retulit argenteos, et quod illi « consilio inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, » hoc fecit Dominus Dei Filius, et hoc inquit, « constituit, mihi Dominus. » Et quem non delectet justitiæ causam cognoscere, cur ita fecerit Dominus, cur tantopere hoc facere voluerit Dei Filius, ut super faciendo, quasi jam facto, tubam præmitteret propheticam

B personantem suo perflante Spiritu? Denique per hoc excitati æstimare debemus argenteos illos gravissimos et maximi fuisse ponderis, magnique signatos inscriptione mysterii, quam ipse noverat qui omnia in sapientia fecit. Appendamus eos melius in statera rationis, quia male appenderunt ipsi qui dederunt eos in pretium sanguinis justi. Primo sciendum quia argentum illud fuit Domini, sicut et cætera et omnia quæcunque possidebant illi divites facti, filii pauperum, quorum Patres nihil habuerunt, quippe quos de Ægyptia servitute, quapropter venditionem fratris sui Joseph diu servierant, Dominus eduxit (*Gen.* XXXVII; *Psal* CIV), nihil habentes, nisi quod dedi eis regiones gentium et labores populorum possederunt, sub ista conditione, sicut jam superius dictum est, ut custodirent justificationes ejus, et legem ejus

C requirant. « Et terra, » inquit, « mea est: vos autem coloni mei estis (*Levit.* XXX). » Tunc dedit et ex tunc multiplicavit eis aurum et argentum videlicet de laboribus populorum jam suis, de regionibus Chananæorum in suum jus redactis, quia per justum illis abstulerat judicium, propter scelera ipsorum. Nihil ergo juris isti habuerunt in bonis illis, nisi hoc, ut servientes Domino, bonis Domini uterentur tanquam mercenarii. At illi utentes bonis Domini persæpe nimis fraudaverunt servitium Domini, in tantum ut hæc ipsa bona quæ pro mercede acceperant servitii Domini sacrarent diis alienis, et simulacra fabricarent dæmoniis. Hoc est quod per prophetam Osee Dominus idem conqueritur, his verbis sub similitudine mulieris fornicatricis. « Et hæc nescivit, quia

D **674** ego dedi ei frumentum, et vinum et oleum, et argentum multiplicavi ei et aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus (*Osee* II). » Parum illud fuit, quod argentum et aurum Domini fecerunt Baal. Impleverunt isti filii mensuram patrum suorum, in eo maxime, quod argentum ejusdem Domini pretium sanguinis ejus fecerunt. Igitur jam plane tempus erat faciendi quod in illa prophetia præscriptum fuit, tempus Domino liberandi lanam suam et linum suum, quæ operiebant ignominiam

suam fornicatricis illius, liberandi frumentum, et vinum suum, aurum suum et argentum suum. Hujusce liberationis initium quale esse potuisset convenientius, justius, aut venerabilius, quam ut revocaret, et de manu traditoris abstraheret, atque in templo projiceret illud ad statuarium jam dictum, scilicet, Deum Patrem suum, illos triginta argenteos sanguinis sui pretium? Nam vere ipsa relatio argenteorum liberationis jam dicta fuit initium liberationis omnium bonorum, quibus, sibi collatis illi nimis sacrilego et crudeliter abusi sunt. Finis autem vel consummatio, quando venerunt Romani, totumque aurum et argentum sive in templo sive extra templum, lanamque et linum, quod incendio superfuit, abstulerunt; et factum est quod in eodem propheta comminatus fuerat Dominus, « ne forte, » inquiens, « exspoliem eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ, et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti (*ibid.*). » Quoniam autem et hoc fecit Dominus, sicut jam supra dictum est, « non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est, emerunt ex illis agrum figuri sepulturam peregrinorum. » In isto quoque facto quis dubitet scitu dignum subesse mysterium? Nos enim eramus peregrini, quippe et quibus dicit Apostolus: « Qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel. Hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. « Et nunc quidem, » ait idem, « jam non hospites et advenæ sed estis cives sanctorum et domestici Dei (*Eph.* II), » verumtamen mutata peregrinatione peregrini sumus, profitentes cum eodem, quia « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII), » et facientes quod idem dicit: « Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes (*ibid.*). » Igitur illi emendo « agrum figuli in sepulturam peregrinorum, sicut constituit mihi Dominus, » Domini Dei Filius, mysterium nobis operati sunt, et licet ignorantes, justitiæ Dei servierunt. In eo videlicet, quod sicut illi argentei non remanserunt traditori, qui vendiderat non suum, sic nec sibi pretium illud remanere passi sunt, qui bonum operarium et vineæ Dominum, non de suo sed de bonis ejusdem Domini, de mercede ejusdem operarii, emerant ad interficiendum. Erat autem corbona gazophylacium, et interpretatur corbona *oblatio*, et proinde sic appellabatur, quia de oblationibus implebatur, quæ nimirum oblationes ad ipsos perveniebant. Ne igitur ad illos illi argentei redirent, quibus et ipsum gazophylacium et cætera omnia juste tollenda erant, hoc providit Dominus, hoc « constituit Dominus, » ut emerent ex illis agrum jam dictum, qui vocaretur ager sanguinis, in præsagium malum ipsis, bonum nobis. Ager quippe sanguinis tota est illis Ecclesia Christi, qui sanguinem illum usque hodie fideliter bibit, clamantem ad Deum adversus maledictos illos secundum similitudinem sanguinis Abel justi, de quo Dominus loquitur ad Cain: « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua (*Gen.* IV). » Quomodo autem in hujusmodi agro sepelimur aut sepulti sumus nos peregrini? Quis hoc nesciat? « Quicunque baptizati sumus, » ait Apostolus, « in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem, etc. (*Rom.* VI). Interea jugum obedientiæ trahit ipsa, cujus ad honorem hæc loquimur, facies vituli, et adversa obveniunt ei, juxta quod in propheta dictum fuerat. « Facies autem bovis sive vituli a sinistris. Et facies leonis a dextris (*Ezech.* I), » de qua dicendum post hæc erit. Sinistra hæc sunt, quod illuditur, flagellatur, et crucifigitur. Illusus enim est prius ab ipsis Judæis et pontificibus sive pontificum ministris, exspuendo in faciem ejus, velando faciem ejus, colaphis eum cædendo, et palmas ei in faciem dando, cum cachinno crudeli, ut dicerent: » Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit. » Deinde illusus est a gentibus, quibus eum tradiderunt, militibus præsulis [*leg.* præsidis]. Congregata quippe ad eum omni cohorte, « exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus, et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput; » deinde flagellatum tunc demum crucifixerunt eum. Fuit ergo duplex illusio, altera canum, alia vitulorum: canum, id est, gentilium; vitulorum lascivientium, id est Judæorum, sicut ipse in psalmo clamavit, et adhuc clamans dicit: « Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens, » etc. (*Psal.* XXI). Ac deinceps: « Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas et pedes meos (*ibid.*). » Miro modo prophetia hæc ordinem tenuit historiæ sive rei gerendæ, ut sicut futurum erat, et sicut factum est, quod prius a Judæis, et deinde a gentilibus illusus et male tractatus est; ita prius de Judæis, et Judæorum pontificibus querelam depromeret, sub nominibus vitulorum et taurorum pinguium qui quasi munda erant animalia, quia putabant vel dicebant se cognoscere Deum, deinde de gentilibus sub nomine canum, quia sine Deo viventes, nec saltem nomen scientes ejus, palam immundi erant. Cuncta hæc sinistra fuerunt, unde et facies hæc recte, ut jam dictum est, a sinistris fuisse perhibetur. Facies in gloria et despecta, sicut gemituosus propheta loquitur: « Et ascendit sicut virgultum coram eo, sicut radix de terra sitienti. Non est ei species neque decor. Et vidimus eum et non erat aspectus, et consideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem et quasi absconditus vultus ejus, » etc. (*Isai.* LIII). » Sinistra, inquam, id est, adversa hæc fuerunt, sed per

hæc sinistra, cuncta nobis dextra, per hæc adversa, cuncta nobis prospera venerunt. Et illis quidem vitulis sive tauris sinistra hæc ignominiosa, et canibus illis contemptibilia fuerunt, et unde et Apostolus loquitur : « Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; (I *Cor.* I); sed nobis, » id est, nostro sensui, illud « stultum Dei sapientius est hominibus » Judæis, « et infirmum, » illud « Dei, fortius est hominibus » ethnicis, quos cum auctoritate supra scripta, vitulos et canes dicere audemus potius quam homines. « Beatus est, ait ipse, qui non fuerit scandalizatus in me (*Matth.* I), » et hoc scientes non scandalizamur, sed gloriamur, et faciem hanc in ista quasi stultitia et infirmitate **675** maxime gloriosam prædicamus, quippe qui ipsas ejus contumelias sacramentis et majestate judicii plenas esse intelligimus. Primum illud quod illudentes faciem quoque ejus (quod Marci et Lucæ narratio non præterivit [*Marc* XIV ; *Luc.* XXII], velaverunt, quantum usque hodie super illos exercet judicium ? Nam quia sic faciem ejus velaveruut, idcirco velamen positum est super cor eorum, secundum illud portentum, quod Moyses ponebat velamen super faciem suam (*Exod.* XXXIV), et « usque in hodiernum diem, ait Apostolus, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum (II *Cor.* III). » Et quia sic velata facie incurvabant eum ad colaphizandum, recta imprecatione, sive juxta concessione in psalmo spiritus propheticus : « Obscurentur, inquit, oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXVIII). » Sibimet ergo faciem ejus absconderunt, quamvis ipse illi abscondisse dicatur, dicente Isaia : « Et exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum (*Isa.* VIII), » subauditur, donec ostendat eis faciem suam, sicut loco memorato prosequitur Apostolus, dicens : « Cum autem Israel conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen (II *Cor.* III). » Interim absconditus est ab eis pro reatu velationis, et reprobationis illius, qua reprobaverunt eum, lapidem summum, lapidem angularem, non qualicunque modo, sed ita procaciter ut inter reprobandum in faciem quoque ejus exspuerent. Quo enim modo quidpiam magis quam conspuendo reprobamus ? Ejus namque rei, quam conspuimus, odorem nobis fetere significamus. Nimis ergo illi reprobaverunt ædificantes istum lapidem, sed frustra, factus est enim in caput anguli (*Psal.* CXVII). Et principium est fortitudinis, unde plenius dicendum erit in contemplatione faciei leonis. Præter hæc et vocem cachinni non sine justa indignatione Deus audierit, dum velata facie quasi non videntem colaphizantes, et alapis cædentes, dicerent : « Prophetiza nobis, Christe : Quis est qui te percussit ? » Stulti et cæci, nos pro illo vobis prophetizamus, id est secundum veram prophetiam respondemus, quia percussit eum filia latronis. Quæ percussit eum, tota Synagoga vestra vocatur et est filia latronis. Sic enim habet prophetia, quam ipse velata tibi facies nobis videt, nobis ostendit.

A « Nunc vastaberis, filia latronis (*Mich.* V). » Quam ob causam ? « Obsidionem, ait, posuerunt super nos, in virga percutienti maxillam judicis Israel (*ibid.*). » Quem judicem Israel, si quæras quisnam sit ? ecce dicimus, quia ipse est, qui natus in Bethlehem de virgine Maria, ab initio autem sive ab æterno Deus erat. Nam protinus sequitur, et ait : « Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis (*ibid.*). » Ergo filia latronis tu es, o Synagoga Satanæ, quæ tanti judicis maxillam percussisti, et hoc prophetizat tibi loquens in prophetis, loquens, etiam in nobis. Cujus filia latronis ? Nonne Barabæ ? Erat enim Barabas latro, et propter seditionem et B homicidium missus fuerat in carcerem (*Matth.* XXVIII ; *Luc.* XXIII), illum tu tibi donari petisti, auctorem seditionis, occidisti autem hunc, principem pacis. Vere ergo filia latronis, et patris ejusmodi, seditiones et latrocinia justa in hæreditate possedisti. Et idcirco vastata es, quia obsidionem posuisti, eos prohibens loqui, et persequens et occidens eos qui prænuntiabant de adventu justi, scilicet jam dicti judicis, et ejusdem cum præsens esset, maxillam percussisti. Et quidem gentiles quoque, quobus eum tradidisti, non minus illuserunt, imo et amplius illuserunt, qui præter hoc, quod similiter, uti tu, exspuerunt in eum, et alapas ei dederunt, simul etiam ad derisionem regii nominis, super quo accusaveras cum chlamidem coccineam circumdederunt ei.

C Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus, et genu flexo, regem salutantes, arundine percutiebant caput ejus. Sed in omnibus his, tu filia latronis, majus peccatum habes, quia legem et prophetas, Messiam tibi promittentes acceperas, ita ut excusationem non habeas de peccato tuo, quin sciens et per invidiam Dominum et regem tuum illuseris, illudendumque et flagellandum et crucifigendum tradideris. Illi autem ejusmodi nihil habentes aut scientes, hæc omnia fecerunt, multo excusabiliores comparatione tui. Nam de tuis aliqui a te persuasi, per ignorantiam fecerunt, illi autem omnino nescierunt : Exeamus tandem ad eum, vel cum eo, in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus, ubi cruci- D figentes eum, diviserunt sibi vestimenta ejus, et videamus in humilitate vel pœna judicati, gloriosum et terribile mysterium judicaturi. Illic enim ipse duorum latronum medius, alterum a dextris pœnitentem suscepit, « et amen, inquit, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII), » alterum a sinistris, in nequitia perseverantem in damnatione reliquit. Illic et Joannes ex amicis amicissimus cum Maria matre ipsius, stans juxta crucem ejus (*Joan.* XIX), unde abierant non voluntate, sed metu cæteri discipuli ejus et Barabas latro nescio quo abierat, a Judæis dimissus. In his quatuor tam diversis hominibus quam magnum subluceat mysterium judica-

turi hujus, qui, ut jam dictum est, duorum latronum medius pendebat, judicatus: tunc demum rite perpendis, si simul prospicias, quia cum sederit, ut judicet omnes gentes, super sedem majestatis suæ, tunc omne genus humanum in quatuor partes dividetur. Illic erunt a dextris qui judicentur et condemnentur, atque illic erunt qui non judicentur, sed judicent. Nimirum apostolicæ perfectionis homines, « judicabunt sancti nationes (*Sap.* III), » videlicet cum illis principibus quibus specialiter dictum est: « Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Quarta pars erit illorum qui nec judicabuntur, quia jam judicati sunt, juxta illud Apostoli dictum: » Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt (*Rom.* II). » Jam ergo crux ipsa Christi judicati quoddam erit tribunal ejusdem tremendi judicis, quia circa ipsum alter latronum judicatus, id est punitus et salvatus est; alter judicatus, de illo judicio vel pœna transivit ad pœnam æternam, impœnitens et usque in finem suum blasphemus; et dilectus Joannes, neque tunc, neque deinceps crucifixus, vel alia vi peremptus est. Quartus Barabbas, a Deo quidem damnatus erat, sed ab hominibus non judicatus, imo dimissus, ut jam dictum est.

Splendidius mysterium hoc nobis faciet sancta et mystica lex, capitulo quod hujusmodi est: « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt, et præcepit, et, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum), nisi ante hæc fecerit. Vitulum offeret pro peccato, et arietem in holocaustum. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, et cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur, suscipietque ad universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua, duobus hircos **676** stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, mittens super utrumque sortem, unam Domino et alteram capro emissario. Cujus sors exierit Domino, offeret illum pro peccato. Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino ut fundat preces super eum, et emittat illum in solitudinem. His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum, assumptoque thuribulo quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta, ut positis super ignem aromatibus nebula eorum ut vapor operiat oraculum quod est super testimonium, et non moriatur. Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget septies digito contra propitiatorium ad orientem. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi, et expiet sanctuarium ad immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos, in medio sordium habitationis eorum. Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex ingreditur sanctuarium, ut roget pro se et domo sua, et universo cœtu Israel, donec egrediatur. Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super corna ejus per gyrum, aspergensque digito septies expiet, et sanctificet illud ad immunditiis filiorum Israel. Postquam autem emundaverit sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem: et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, et positis vestibus, quibus prius indutus erat, cum intraret sanctuarium, relictisque ibi, lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestimentis suis. Et postquam egressus, obtulit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo, et adipem qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. Ille vero qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta et corpus aqua, et sic ingredietur in castra. Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est, ut in sanctuario expiatio compleretur, asportabunt foras extra castra, et comburent igni, tam pelles quam carnes eorum et finum. Et quicunque combusserit ea lavabit vestimenta sua, et carnem aqua, et sic ingredietur in castra, eritque hoc vobis legitimum sempiternum (*Levit.* XVI). »

Assertione nostra non indiget, demonstratione nostra non opus est, quod hæc et cætera legalia instituta fuerint exemplaria cœlestium, de quorum, quibusdam præscriptis Apostolus dicit: Necesse est ergo exemplaria cœlestium his mundari; ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis (*Hebr.* IX). Denique et Mosi, cum hæc ordinarentur, Deus dixit: « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV). » Ergo exemplaria cœlestium ista fuerunt, immolatio vituli pro peccato, et oblatio arietis in holocaustum, et ab universa multitudine filiorum Israel susceptio duorum hircorum pro peccato cum ariete jam dicto in holocaustum, et cætera quæ præscripta sunt, exemplaria fuere cœlestium. Ipsa autem cœlestia sunt ista de quibus est jam dictum, immolatio Christi crucifixi, et sortes divisæ latronum qui cum eo crucifixi sunt, dimisso Barabba per petitionem Judæorum. Dicamus ergo: « Non, inquit, omni tempore

ingredietur sacerdos in sanctuarium, quod est intra velum, coram propitiatorio quo tegitur arca, » etc. Sacerdos et hostia ipse Christus est, ipse vitulus, ipse aries, ipse et hircus, sed diverso respectu. Sacerdos namque est, quia, Apostolus dicit, ipse « assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manu factum, id est non hujus creationis neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX), » sacrificium præferens panis et vini, secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX) in sacramento corporis et sanguinis sui. Vitulus, quia sicut pro nobis, ita pro illis quoque oportuit eum pati, qui usque ad adventum ejus portantes jugum legis, juste vixerunt, et mundi fuerunt per justitiam fidei. Aries ipse, videlicet immolatus et pro arietibus quoque, id est pro apostolis suis de quibus psalmus dicit : « Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum (*Psal.* XXVIII). » Ipsi namque duplici de causa recte arietes dicti sunt, vel quia duces sunt totius Ecclesiæ, sicut arietes duces sunt totius gregis, vel quia sicut arietes duobus cornibus, sic ipsi duobus testamentis oppugnantia sibi impugnant, hoc a vitulis, id est ab anterioribus sanctis differentes, quod jugum legis non portant, « quod neque nos, ut ait Petrus apostolus, neque patres nostri portare potuimus (*Act.* XV). » Hircus, ipse nimirum pro illis, quorum graviora peccata tulit, sive qui ante adventum ejus sub lege fuerunt, sive quos in adventu suo ipse, finis legis, per pœnitentiam suscepit, vel suscipit, qualium novissimus latro ille est, quem, ut supra diximus, in cruce pœnitentem suscepit. Igitur cum vitulo et ariete et duobus hircis, tunc accessit sacerdos coram Domino, in ostio tabernaculi testimonii, quando Redemptor noster ad passionem venit, « obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). » Ostium quippe tabernaculi sancti et veri, ipsa est passio ejusdem Redemptoris. Et illud maxime vulnus ejusdem passionis, quo latus ejus unus ex militibus lancea percutiens aperuit, apertio est illius ostii, quo ingredimur, et præter quod ostium non est aliud, per quod possumus ingredi in gloriam illius cœlestis sanctuarii. Nos autem extunc « regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » effecti (*I Petr* II.)

« Suscipiet, inquit, ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, » etc. Unus vitulus et unus aries, quia videlicet justorum atque sanctorum hominum, propter quorum imperfectam justitiam sive sanctitatem, Christum tanquam vitulum, et velut arietem pati sive immolari oportuit quoniam et si propriis vel actualibus criminibus non erant impliciti, peccato tamen originali tenebantur obnoxii; nulla dualitas, nulla divisio est sed omnes unum sunt. Porro, hirci duo sunt, sorte separandi, quia peccatores sive impii divisi sunt

A divisione hujusmodi, ut alii per pœnitentiam conversi, remissionem peccatorum accipiant in sanguine Christi; alii impœnitentes in suis moriantur peccatis, et non prodest illis sanguis Christi, imo in judicium venit super eos, sicut quidam eorum sibimetipsis imprecati sunt, dicentes : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Ait ergo : « Cumque obtulerit sacerdos vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, mittens super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario. » Hoc ita factum est. Voluntati **677** Patris obediens sacerdos, verus Dominus Jesus Christus; semetipsum tanquam vitulum obtulit, et pro se ac pro domo sua, quæ est Ecclesia, oravit, B quando procidens in faciem suam : « Mi Pater, inquit, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, factusque in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII). » Tunc ubi comprehensus est, et præsidi Pilato traditus : « Quem, inquit ille, vultis dimittam vobis Barabbam an Jesum qui dicitur Christus ? » Hoc plane fuit sortem mitti super duos hircos. Hircus enim ipse qui aries et vitulus diverso respectu, ut supra meminimus. « Cujus sors exierit a Domino, illum, ait, offeret pro peccato. Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, et emittat illum in solitudinem, » et hoc ita factum est. Quem illi sibi petierunt dimitti, dimissus est illis, scilicet Barabbas latro, C Jesum autem flagellatum tradidit eis Pilatus ut crucifigeretur, quod fuit hircum sortis Domini offerri pro peccato. Quæ autem fuit solitudo vel desertum, quo dimissus abiit ille Barabbas latro ? Sic enim dictum est de hirco emissario : « Statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, et emittat illum in solitudinem. » Quod dicit, « ut fundat super eum preces, » id intelligi oportet imprecationes. Nam rursus ita dictum est : » Tunc offerat hircum viventem et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. » Quod ergo desertum, vel quæ fuit solitudo, in quam emissus est ille Barabbas, D hircus reprobus, malis precibus diris super caput suum coopertus imprecationibus ? Nimirum illa solitudo illud est desertum, quod intelligi oportet in verbis istis, quæ sacerdos ille prædixerat : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII), » præmissis imprecationibus hujusmodi : « Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam (*ibid.*). » Vere deserta domus, quam deseruit salus, quam deseruit Deus, et Dominus Jesus Christus, foras du-

ctus, extra civitatem crucifixus. Ejusmodi preces sive imprecationes, « imprecabitur, ait, capiti ejus, posita utraque manu super caput ejus . » Non enim una manu, non uno vel simplici, sed duplici punivit eos judicio, scilicet et in isto et in futuro sæculo, condemnatos ex ore suo dicentes, « sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Ergo imprecantis utraque manus posita est super caput ejus, scilicet Barabbæ in primis, et cum eo populi, cui petenti dimissus est talis hircus, portans iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum, scilicet contra ipsos in testimonium, quod seditiones hæreditario jure possidere deberent, quia seditionis auctorem sibi dimitti petierunt.

Quid tandem facere debuit aut potuit ille homo, qui dimisit ejusmodi caprum emissarium ? aut quis ille homo, aut quomodo paratus fuit, quoniam sic dictum est, « emittet illum per hominem paratum in desertum ? » — « Principes sacerdotum, ait evangelista, et seniores persuaserunt populo, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent . » Illa persuasio fuit præparatio, et ille homo unus congrue populus unus intelligitur, illa persuasione præparatus. Quid ergo facere debuit homo immundus, tali præparatione et talis capri contagione pollutus ? « Lavabit, inquit, vestimenta sua et corpus aqua, et sic ingredietur in castra. » Quali aqua lavabit ? Nimirum aqua baptismatis, aqua sanguine mixta, ex ejus latere sors Domino exiit, ut immolaretur sive offerretur pro peccatis. Qui pœnitentiam egerit, eo quod persuasus caprum emissarium dimisit, et istum mactari petivit, tali aqua lavabitur ut salvari possit. Hoc ita factum est. « Pœnitentiam agite, inquit Petrus, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti (*Act.* II). » Item : « Vos autem, ait, Sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interemistis. Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur vestra peccata (*Act.* III). » His auditis, compuncti sunt corde, et baptizati sunt primo tria millia, et deinde quinque millia, atque hoc modo, qui caprum emissarium, id est Barabbam, dimittens, auctorem vitæ interfecerat, lavit conscientiæ suæ vestimenta, et corpus aqua, et sic ingressus est in castra, appositus est ad illorum numerum quos ab initio mundi credentes usque in illam horam et sanguis exiens de latere Christi emundaverat. Non omnes ita egerunt, sed qui voluit, sic lotus est, et in castra sanctorum mundus ingressus est. Et de isto quidem hirco reprobato et male emisso, pro tempore et re, ut puto, satis dictum est ; de cæteris adhuc dicendum, quod plurimum delectat, quia tantummodo tres istæ species animalium, vitulus, aries, et hircus, sub virga pastoris transeunt, qualis videlicet pastor fuit ipse Moses, per quem ordinata sunt hæc exemplaria cœlestium. Pascebat enim oves soceri sui Jethro, quando vocavit eum Deus de rubo

A (*Exod* III). Respice in hanc partem, et non plures, sed totidem ordines invenis animalium rationalium, quæ sub virga boni pastoris hujus transeunt, de quo loquimur, quia posuit animam suam pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est. Nam unus est ordo illorum, qui congregati sunt, curisque sæcularibus licitis inserviunt, inter quas et propter quas armis quoque utentes, quasi cornu obunco, more vitulorum adversantes sibi feriunt, neminem tamen concutientes, neque calumniam facientes, et contenti stipendiis ,vel justis laboribus suis)*Luc.* III). Talium est dicere : » Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus (*Luc.* XVII), » quia videlicet tantum, et non plus quam præceptum est, fecerunt. Hi in suo ordine, tanquam vituli boni pastori

B suo dilecti sunt. Exempli gratia, ut ille adolescens in Evangelio, qui cum de præceptis interrogatus, respondisset : » Magister. hæc omnia servavi a juventute mea. Jesus autem, inquit Evangelista, intuitus eum, dilexit eum (*Marc.* X). » Alius est ordo illorum qui nullum sæculi jugum trahunt, nec ea quæ mundi sunt, appetunt, imo quæ propria sibi esse poterant habentibus distribuunt, et velut tonsi arietes, depositis velleribus, sequuntur eumdem pastorem suum, cornu quidem habentes, sed recurvum, quo neminem perfoderent, quia et si interdum excitantur in zelum, non contra homines, sed contra vitia hominum, suæ fortitudinis impetum faciunt. Tales erant apostoli et quotquot apostolicæ perfectionis viam tenere student, aut studuerunt, ad hunc

C ordinem pertingunt. Distantiæ horum summa hæc est, quod illi tantummodo præcepta custodiunt, isti super præceptum addiderunt facere consilium dicentis : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me (*Matth.* XIX). »

Tertius ordo illorum est qui non solum non secuti sunt consilium, sed nec impleverunt præceptum, velut hirci, qui neque lanis suis pastorem vestiunt, neque in opere aliquo jugum ejus suscipiunt ; tandem autem **678** conversi ad pœnitentiam post crimina quælibet remissionem et ipsi percipiunt, ita tamen, ut pervenire non debeant ad honores seu gradus ecclesiasticos, sicut sacri canones rationabiliter diffiniunt. Igitur quot sub virga pastoris hominis, qualis fuit Moses, brutorum animalium trans-

D eunt species, totidem sub manu summi Pastoris Dei et hominis, sunt electorum ordines, quasdam habentes, ne quibus jam dictum est, similitudines, sicut et ipsi pastores, sive Jacob, sive jam dictus Moses nonnulla gesserunt in figura boni pastoris Christi, quod fere nonnulli [*al.* nulli, *seu* non ulli] incognitum est. Summa autem inter hæc in hoc distantia est, quod brutorum animalium causa non postulabat ut pastor ipsorum pro ipsis moreretur. Istis autem rationalibus vituli, arietibus et hircis, scilicet hominibus cunctis, in veritate expediebat quatenus hic Pastor bonus animam suam pro eis poneret, et pro eis mori dignaretur ; ipsi autem

mortuo commorerentur illo videlicet modo, quo jam A mortui sumus, jamque resurreximus, sicut dicit Apostolus: « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Magna hæc distantia est, quod illic pastores sive sacerdotes, Moses et Aaron, et cæteri de stirpe ejus in sacrificio non moriebantur, sed tamen pecora occidebantur; hic autem et Pastor mortuus est, et quotquot sunt de grege ejus, illi, ut jam dictum est, necessario commoriebantur. Utriusque, et Pastoris pro grege morientis, et gregis Pastori suo commorientis sacramentum in hac figura legis perspicere plurimum delectat, ubi vituli et hirci solus sanguis B inferitur in sancta, et corpora cremantur extra castra; aries vero solus et totus super altare in holocaustum offerri jubetur.

Denique Dominus Jesus Christus, animalium rationalium Pastor bonus extra castra, id est extra civitatem passus, et omnes anteriores justos, sive electos, et peccatorum pœnitentium primitias, scilicet latronem, qui cum eo crucifixus fuit, tanquam vitulos et hircos suo sanguine mundavit; intus autem cum arietibus, id est cum apostolis, nocte præcedenti ipse verus aries, post cœnam typicam paschalis agni, sacramentum corporis et sanguinis sui in holocaustum obtulit, quod optime notum est Christianæ sive catholicæ fidei. Gregis huic Pastori, ut dictum est, commorientis lex eadem cadem est, C et esse debet quemadmodum Apostolus dicit: » Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non proferunt ambulantibus in eis (*Hebr.* XIII). » Ac deinceps: » Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes (*ibid.*). » Hæc et cætera cum dicit, nulli jam ignotum, vel dubium est, quin exire velit tam Hebræos quibus ea scripsit, quam nos qui cum eis unum ovile sumus effecti, extra castra justitiæ carnis, justitiæ servientium solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus, « quæ non possunt, ait, perfectum facere servientem » in illis (*Hebr.* IX). Hoc est extra castra cremari secundum similitudinem vel ad imitationem summi hujus vituli sive hirci, extra castra passi, spernere D Judaicas justitias, et justitiæ Dei subjici, et hoc est sanguine suo communicare sanguinis ejus, illato in sancta, carnem suam crucifigere cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V). Perfectis autem his, est etiam velut arietem in holocaustum offerri, id est non solum illicitis abstinere rebus sive concupiscentiis, et ea servare præcepta, quæ in tabulis scripta sunt digito Dei; verum etiam a licitis sive concessis, quod primi vel maxime cœperunt facere sancti apostoli, ut secundum ipsum nomen holocausti totum eorum propositum sit sacrificium, quia videlicet holocaustum interpretatur *totum incensum*.

Multa sunt adhuc sacramenta ejusdem capituli præscripti, ad rationem pertinentia faciei hujus, faciei vituli, sed quia veremur esse nimii, vitendumque est fastidium etiam in rebus pretiosis, nos pluribus omissis hoc tamen intactum præterire nonpatimur, quod interea dicit: « Tollet quoque sacerdos de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium. » Itidem et alibi dicit: « Immolatoque vitulo in conspectu Domini, inferet sacerdos, qui unctus est de sanguine ejus in tabernaculum testimonii, tincto digito aspergens contra velum (*Levit.* IV), » Denique hoc valde pertinet ad illum, cui hoc opusculum dicavimus, honorem Filii hominis, quod hujus sacræ litteræ vivificans spiritus vigilanter aspicientibus innuit. Utquid enim vitulus iste immolatus, utquid sanguis Christi est fusus, nisi ut Spiritum sanctum, qui in eo septiformi plenitudine requiescit, in remissionem peccatorum acciperemus? Septies ergo contra propitiatorium sive contra velum debuit aspergi sanguis illius vituli significativi digito sacerdotis, » quia non nisi per passionem et sanguinem hujus Filii hominis potuit aut debuit sanctus septiformis Spiritus in remissionem peccatorum dari nobis. Nec hoc dicimus, quin et ante adventum ejus Spiritum sanctum acceperint, et patriarchæ et prophetæ justi quamplurimi, sed non hoc dato, quod dicitur, et est peccatorum remissio. Duo quippe sunt data Spiritus, alterum in divisiones gratiarum, quo solo illi anteriores illustrati fuerunt, alterum in remissionem peccatorum, quod ante hoc datum non fuerat, sicut evangelista testatur: » Nondum enim, inquit, erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* VII). » Hoc sciens ipse, videlicet quod datum non daretur, nisi per mortem et sanguinem ejus, dicebat ipsa nocte qua tradebatur: « Vado ad eum qui me misit, sed quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum, sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI). » Quod eum dixisse de passione vel morte sua, liquido constat potius quam de futura ascensione post quadraginta dies a resurrectione sua, quia videlicet propter illam discessionem ejus, discipuli non contristari, imo gauderi habebant, sicut sanctus Lucas memorat, dicens: « Et ipsi adorantes, reversi sunt in Hierusalem cum gaudio magno (*Luc.* XXIV). » De passione vel morte sua dixisse omnino rectius intelligitur, « sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam, » etc. præsertim quia sic evangelista præmiserat, dicens: « Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia ejus hora venit ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII). » Igitur necessario valde sacerdos iste in sanguine vituli digitum tinxit, et contra propitiatorium sive contra velum sæpius aspersit, quia verum est, et hoc ab ipso in veritate dictum sit, quia [*add.* nisi] sanguis ejus prius funderetur,

neque conditum baptismi sacramentum, neque Spiritus sanctus datus fuisset in eo quod est Paracletus, id est consolator, scilicet in eo quod est remissor vel remissio peccatorum, quæ una vel summa est consolatio sanctorum, electorumque omnium A tam præcedentium quam subsequentium, quia omnes, tam illi quam isti, sanguine ejus emundati sunt, nec aliter dissolvi poterat eis medius paries inimicitiarum, qui significabatur per velum, quod erat ante propitiatorium.

LIBER DUODECIMUS.

679 Audire delectat, propter gloriam et honorem tuum, Fili hominis, audire et intelligere dulce est, o gloriosum animal, in contemplando quatuor facies tuas, illud quod dixit sanctus Ezechiel, ubi propheticis te vidit oculis juxta fluvium Chobar. « Cum, inquit, aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies (*Ezech.* I), » etc. Rota ista nimirum sancta Scriptura est, habens et ipsa quatuor facies, et sicut unum animal quatuor sunt animalia, ita et quatuor rotæ sunt una rota quia sicut habet ipsa prophetiæ series, ipsæ vel eædem sunt rotarum, quæ animalium facies. Verus ergo et fidelis sermo, quem dicit, « quia cum aspicerem animalia, apparuit rota una, » etc. Cum enim tu, quicunque es, aspicis hæc animalia, tunc et non prius apparet tibi rota ista; cum, inquam, aspicis vel respicis ista Filii hominis sæpe dicta quatuor sacramenta, incarnationem passionem, resurrectionem atque ascensionem, tunc vel extunc apparet et elucet tibi quid velit, quo tendat sancta veteris Instrumenti Scriptura, rotunda, volubilis, perfecta, quatuor faciebus secundum istas quatuor partes distincta. Quarum partium pro hac ratione prima est liber Geneseos, secunda lex cæremoniarum sive sacrificiorum, tertia libri Regum, quarta libri Prophetarum. Nam revera si in libro Geneseos rite perpendas, quo aspiciat intentio Dei, ibi in rota ista facies est hominis, exempli gratia: Ubi tanta cura est Deo de Patrum sive patriarcharum conjugiis, cum dicit Abraham servo seniori domus suæ: « Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito (*Gen.* XXIV), » etc., si in isto et in cæteris similibus solummodo res gestas attendis, et non etiam intentionem gerentis Dei, non tibi apparet rota, imo nimis est obscura talis Scriptura: si autem aspicis, quod in hominem Deus intenderit (intendebat enim in eam, quam ante sæcula proposuerat, incarnationem Verbi sui) rota apparet, Scriptura lucida est, et in rota facies hominis est. Similiter in legalibus cæremoniis, in immolatione vituli, arietis et hirci, in omni ritu sacrificiorum, quem per manum Mosi Deus ordinavit, si solum quod gerebatur attendis, et non etiam intentionem ejus qui hæc fieri mandavit, non tibi apparet rota, imo vilis, et abjecta est tota Scripturæ littera; si autem aspicis, quia Deus intendebat figuram in illis haberi passionis ejusdem incarnati Filii sui, quoniam opus erat electis illius temporis per hæc initiari, rota tibi apparet. Et in ea faciem vituli, quod animal eorum quæ sacrificabantur, maximum est, et hanc ibi faciem agnoscere pium atque honorificum est. Nihilominus in rebus gestis, rebus bellicis regum, quorum David primus exstitit, de quo Sapientia dicit, quia « cum leonibus lusit quasi cum agnis, et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium (*Eccli.* XLVII), » ab isto quoque usque ad Judam Machabæum, de quo B sic scriptum est: « Similis est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione (*I Mach.* III), » nonne rota ista faciem habet leonis? Narrat quippe fortitudinem tantam regum, ducumque fidelium, quanta sufficere potuit aut debuit, quanta pro tempore, et re necessaria fuit contra leones, ursos et pardos, cæterasque feras diaboli, scilicet primo contra gentes, quæ in circuitu erant, quarum prima et diuturnior fuit gens Philisthim. Deinde contra Assyrios, Babylonios, Persas, Medos, Macedones, sive Græcos, per quos diabolus laboravit exstirpare arborem feracem fructus æterni, delere gentem de qua Christum oportebat nasci secundum promissionem Dei, firmatam juramento ad Abraham (*Gen.* XV, XXII), juramento David (*Psal.* LXXXVIII, CXXXI).

C Hæc ergo tertia facies rotæ, id est sacræ Scripturæ recte dicitur, et est facies leonis. In prophetis profecto rectissimo quartam accipis faciem rotæ, faciem aquilæ volantis. Illa namque sacræ Scripturæ pars sublimiter volat, totiusque intentionis suæ oculos in verum solem figit apertos, non solum factis illum significans, sed (quod majus est) majestatem divinitatis ejus verbis enuntians. Igitur « cum aspicerem, ait, animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, hominis quatuor facies (*Ezech.* I), » id est cum crederem et firmiter tenerem Deum Dei Filium vero hominem factum, vere passum vel mortuum, vere resurrexisse a mortuis et ascendisse in cœlum, tunc intelligibilis mihi facta est sancta veteris Instrumenti Scriptura, continens D hæc, et tota tendens in hæc quatuor sacramenta. Alioqui clausa mihi fuisset et occulta, ut est usque nunc omnibus illis, qui non aspiciunt hæc animalia, Judæis maxime, qui non recipiunt, qui agnoscere nolunt hæc salutis nostræ sacramenta. Unde Apostolus: « Usque in hodiernum diem, ait, idipsum velamen Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur (*II Cor.* III). » Experimento didicimus, et cum gratiarum actione, tanquam experti, verum esse perhibemus quod deinde dicit, quia « cum ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea, et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ; et quocunque ibat spiritus, illic eunte spiritu, et rotæ pariter

elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis (*Ezech.* I). » Hoc, inquam, ita esse, ut dicitur, non solum credimus, verum etiam oculis nostris ipsi videmus. Olim antequam ambularent, et elevarentur animalia, non ambulabant neque elevabantur rotæ de terra, sed **680** conclusæ erant in sola Judæa; neque enim editæ fuerant Scripturæ plus quam in una lingua, scilicet Hebræa, et ibi quia non intelligebantur quasi jacebant in terra. Denique præter paucissimos, gratiam habentes Spiritus prophetici, hoc ipsi nesciebant Hebræi, quod spiritus vitæ esset in rotis, quod in litterali structura subesset vigor cœlestis ministerii. Nunc ipsi videmus, quia rotæ istæ ambulaverunt et ambulant, ex quo animalia ambulare cœperunt, videmus quia de angustiis terræ Judææ, de cavernis linguæ Hebraicæ, sanctæ veteris Instrumenti Scripturæ prodierunt, et usque in medium gentium ambulaverunt, ubicunque incarnationis, passionis, resurrectionis atque ascensionis Jesu Christi prædicatur, aut prædicatum est Evangelium et ubique juxta sunt, ut quidquid horum dicat Evangelium, statim paratum consonet testimonium, quod sic oportuerit fieri, nec aliter venire sive ambulare aut procedere, Messias, quem exspectaverant ipsi Judæi, quam venit, ambulavit, et processit iste Filius hominis a Nazareth, iste Jesus filius Mariæ, « qui putabatur filius Joseph (*Luc.* III). » In quo illud valde mirum est, et mirabiliter a Deo provisum, quod ipsi qui sunt horum animalium adversarii rotas istas gyrant juxta ea per orbem terrarum auxilium ipsis, ipsi qui contradicunt et contrdicere volunt sæpe dictis quatuor sacramentis, Judæi per omnes gentes captivi, Scripturas bajulant, sua, id est Hebraica, lingua conscriptas in testimonium veritatis, atque ita, quamvis nolentes, affirmant quia sic scriptum est, et sic oportuit fieri. Procedamus igitur, cœpto itinere, inter fluxus atque refluxus rotarum currentium, et hæc animalia sequentium, inter voces alarum animalium, alteram ad alteram percurrentium, unde audivimus vocem commotionis magnæ: « Benedicta gloria Domini de loco sancto suo (*Ezech.* III), » quoniam gloria hæc est et iste honor, qua gloria glorificatum, et quo honore honorificatum Filium hominis, nostra in præsenti opere devota spectat intentio.

Sed quid agis, anima? Ut sentio, fatigaris, et in procedendo quasi dormitare incipis. Dic ergo animalibus istis, sive huic animali, uni quatuor facies habenti, dic spiritui vitæ qui in rotis: « Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis (*Psal.* CXVIII). » Tu sæpe dicte, et sæpe dicende mihi Cuno, venerabilis pontifex Ecclesiæ Ratisponensis, fatigationis hujus causam præbuisti, et ex te occasio venit difficultatis, qua nunc animus meus vacillat, et pene fluctuat in viis suis. Ante hoc fere triennium, miranti tibi et scire volenti narraveram qualem per eventum accidisset ut, post tam multos sanctos Patres catholicos atque nominatissimos, quorum scripta sufficienter impleverunt armaria ec-

A clesiarum Christi, ego, περίψημα omnium, animum inducerem ad scribendum tam copiose, et, ut dicere solitus erat, tam efficaciter sive utiliter, ut dubitare non possis quin sit Dei donum (*I Cor.* IV), et quin ista quoque facultas desursum sit, et descenderit « a Patre luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum (*Jac.* I). » Admirationem tibi augebat facilitas conversationis meæ; videlicet quia fere nihil in me videbas de illis præparationibus sanctorum Patrum, quibus in ejusmodi studiis laboraturi, feliciter se præparaverunt, sicut Dei ministros, ut beatus Apostolus ait, in vigiliis, in jejuniis (*II Cor.* VI), et cæteris bonis, quibus adhibitis clarificari solet sensus hominis, ut recto intuitu mereatur incedere per sanctas ac venerabiles

B Scripturas veritatis. Narraveram ergo tibi causas, puero loquacior, lepore timidior, quanquam scirem et certus essem de te non esse verendum; quippe qui longe ab illis es omnimoda dissimilitudine, quibus interdum illud maxime fetet, quod boni odoris est, qualium nimis aversos ac terribiles oculos primus expertus est, omnia sua denarrans, puer Joseph (*Gen.* XXXVII). Auditis causis, tu homo simplicis oculi, ac totus lucidi corporis, dixisti: Scribe hæc mihi. Me prorsus abnuente, tu iterum atque iterum repetens atque exigens, ut hæc scriberem, cum nuda prece nihil obtineres, magnum nimis et forte vinculum, quo me traheres, collo injecisti, scilicet, adjurationem sancti ac tremendi nominis: « Per Patrem, inquiens, et Filium et Spiritum sanctum præcipio

C tibi, ut hæc scribas mihi. » Non ignoro, Pater et domine mi, quando talis ac tanta vehementia de radice vel fonte dilectionis prodierit, qua nostra semper opuscula quibuscunque potes, commendare properas, homo cujus oblita est invidia, quique cum beato Job dicere possis: « Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris, meæ egressa est mecum (*Job* XXXI). » Ad hanc partem, scilicet ad meorum commendationem scriptorum, nonnihil valere arbitraris notitiam, sive memoriam eorum, quæ ut scribam, tu tantopere compellis, et pro quibus nimium vehemens exactor, cum recusarem, ut jam dixi, adjurationem quoque adhibuisti.

Tandem ergo, quoniam parendum est, ob reverentiam nominis Domini, recordabor gemituum meorum et divinæ consolationis, vel unum ex Patri-

D bus orthodoxis, in exemplo habens beatum Hieronymum, qui cum jam multos haberet vel habiturus esset obtrectatores, scribere non timuit, quanta super eo cura fuisset supernæ majestati, ut flagellis cæsum depelleret a sæcularium librorum studiis, atque ad sanctarum compelleret studium Scripturarum, profuturum, ut nunc apparet, cunctis per orbem terrarum Ecclesiis Christi. Primo hanc veritatem dicam, quia facultas hæc, quam sic amplecteris, et pro qua mihi congratularis, consolatio est miserentis Dei, juxta beneplacitum sapientiæ ejus, quæ cum dixisset: « Noli regibus, o Lamuel, noli, regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi

regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis (*Prov.* xxxi), » continuo subjunxit : « Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius (*ibid.*) » Mœrens quippe eram atque amaro animo incedebam puer sive adolescentulus, cujus videlicet mœroris atque amaritudinis causa, ut jam breviter eloquar, hoc dico, quia sedebam juxta flumen Chobar (*Ezech.* i). Hæc enim lectio nunc mihi erat in manibus, tractanti de quatuor animalibus, sive de quatuor unius animalis faciebus. Novit ipsum gloriosum animal, et ipse novit spiritus vitæ, qui est vel erat in rotis, quia cum in exordio libri hujus undecimi De gloria et honore Filii hominis, ista lectio sese offerret, tunc in mente non habebam, ut hac vice huc diverterem, tibique parerem in hac parte, quam verebar, quod cujus suspecta posset esse præsumptionis et vanæ gloriæ. Verum ubi jam dictam lectionem attigi, et post contemplationem faciei vituli, procedere volui ad contemplandam faciem tertiam, scilicet faciem leonis, recordatio tui sese obtulit, instantius atque vehementius, quam eatenus occurrisse senserim, et quasi manu me tenuit, quodammodo dicens mihi : Huc diverte, quia nisi rem, pro qua sic adjuratus es, prius effeceris, nusquam solita facultate uti poteris, ut commode progrediaris. Quid multa ? Quasi subsistente spiritu qui me ducebat aut ducere videbatur, coactus sum huc a proposito cursu divertere ; tamen multum varius, diuque incertus, nunc probans, nunc improbans digressionem **681** hanc ; tandem vix animo sedit, visumque est non nimis discrepare a voluntate sapientiæ, si scriberem quomodo vel ad quid mœrenti mihi, qualemve egestatem deploranti, siceram suam et vinum suum dederit, scilicet, præsentem consolationem de sanctis Scripturis, quo aliquantisper obliviscerer doloris mei.

Igitur sedebam, ut jam dixi, juxta flumen magnæ Babylonis, juxta fluvium Chobar, quod interpretatur *gravitudo* vel *gravitas*. De illa namque Babylone loquor, cujus est rex vel princeps, in qua tyrannizavit spiritualis Nabuchodonosor, scilicet diabolus, jugumque suum aggravavit super filios quoque civitatis Dei viventis, Hierusalem cœlestis, quos omnes in Adam comprehensos, in istam suam Babylonem, in hoc sæculum nequam captivos abduxit, subitos peccato originali, reos mortis. Hæc mihi, o Lamuel, magni mœroris et amari causa erat animi. Audiebam enim auditu intellectuali voces peregrinorum sive captivorum lamentantium atque dicentium : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion (*Psal.* cxxxvi). » Assumptoque luctu in absconditis in interiore homine flebam et ego passim atque lamentabar scienter, et lamentando laudabam, sicut docet Ecclesiastes, mortuos magis quam viventes (*Eccle.* iv). Mortui namque illi, qui in Domino mortui sunt, securitatem suimet assecuti sunt, reversi in illam beatam Sion ; unde omnes per peccatum Adæ exciderunt, cujus recordatione, dum captivi essent, fleverunt. Porro viventes quandiu in corpore sunt, et a Domino peregrinantur (*II Cor.* v), quomodo securi esse possunt ? Non est enim tuta sessio, vel firma statio secus flumen Chobar, vel supra cætera Babylonis flumina, præsertim cum et Apostolus dicat : « Quid se existimat stare, videat ne cadat (*I Cor.* x). » Ipsa namque fluminum littora lutosa sunt atque palustria tamque lubrica, ut semper suspectus esse debeas, ne moto vel prolapso pede subjectum flumen cadas.

Laudabam igitur, ut jam dixi, mortuos magis quam viventes, non qualicunque, sed gemituosa et luctuosa laudatione, ac si jam vererer mihi accidisse illud, quod in Evangelio dictum est : « Duo in lecto, unus assumetur et alter relinquetur (*Matth.* xxiv) ; » sive (ut cum hac similitudine secundum numerum nostrorum loquar) tres uno ex utero, assumentur, et unus relinquetur. « Relictus sum ; aiebat, ego solus et quærunt animam meam (*III Reg.* xix), » et cum hujuscemodi verbris cantilenam lugubrem frequentabam. Jam quid mihi acciderit, qualibus audeam verbis eloqui ? « Cum essem in medio captivorum » (iste cujus memor nunc eram visor animalium cœlestium) cum essem in medio captivorum « juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei, » et cætera usque « similitudo hominis in eis (*Ezech.* i). » Sed quid hic simile illi ? Verumtamen quam similitudinem cognovi, jamque ex parte tetigi, istius magnæ Babylonis, in qua omnes simul nati, et illius, in qua tunc erat ille captivus cum captivis libet quamvis cum timore vicina sub eo locutione uti, quia aperti sunt mihi, oculi, et vidi Filium Dei, vidi ipsum vigilans in cruce viventem Filium hominis. Non corporali visu vidi, sed ut viderem, repente evanuerunt corporis oculi, et aperti sunt meliores, id est interiores oculi, cum tenerem in sinu atque complecterer crucem ligneam, et in ea imaginem ejusdem Salvatoris, sedens occultus retro post sanctum altare in quodam oratorio beatæ Mariæ semper virginis, claro jam diluculo, multis eamdem imaginem deligens atque circuiens osculis, et ad ra is, ut solebam, frequenti dimissione capitis. Solitus eram idipsum facere, sed illo diluculo agebam majore contractione, id est mentis humilitate. Qualis autem visus est aspectus ejus ? Humana hoc non potest lingua verbis comprehendere, tantumque dixerim, quia sensi breviter illic, quam veraciter dicat ipse : « Et discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi), » quam veraciter de ipso Apostolus dicat : » Quia exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* v). » Vultus ejus miro atque ineffabili modo sese demittens, quam reverentibus oculis accepta se habere significavit oscula adorantis, et adorationem osculantis. Nulla mora interfuit, et ad visum communem reversus, crucem quidem super altare loco suo restitui. Gustus autem quidam ineffabilis, gustus suavitatis ejus in ore animæ aliquandiu ipsa die superfuit, qui tamen paulatim recedens, tandemque deficiens, me-

morem adhuc facit me versiculi hujus : « Gustate et A videte quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII). » Et quid mirum, si Veritas verum dixit : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v), » et consolationis primitias jam in isto sæculo Paracletus, id est, consolator spiritus pueris suis dare dignatur? Nam pueris maxima, id est infirmis et invalidis, pro ipsa infirmitate sua lugentibus, consolatione opus est. Hinc ipse Dominus in Isaia, cum sanctæ civitatis suæ Hierusalem lætitiam et diem festum agere demandaret, hæc inter cætera dixit : « Pueri eorum in humeris portabuntur, et supra genua consolabuntur. Quemadmodum mater consolatur filios suos, et ego consolabor vos, et in Hierusalem consolabimini (*Isa.* LXVI). » Notum est quia mater cum suos filios diligat omnes, citius tamen atque B pronius ad consolationem flentis parvuli sui sese impendit, et illum super humerum aut in brachio suo portat, et super genua consolatur.

Dicam ergo gratias agens, qualem deinde mihi fecerit consolatione, perseveranti in illo, cujus supra nemini, fletu captivorum dicentium : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXVI). » Quid enim si quis legens contempserit? Hodie confessiones beati Augustini, id est libros, in quibus confitetur miserationes Domini, nemo contemnuit. Forsitan dum ipse viveret, aliquis legens non pro magno duxit. Confortemur ergo, quoniam, tu Pater mi, præsul Christo amabilis, quod hæc secretius habiturus esses, promisisti. Quin et si quis hæc præripiens et legens, C quasi gloriabundum me contemnendum putaverit, dicentem me audiant pro istis exiguis idipsum, quod pro suis vere magnis Apostolus dixit : « Nam et si voluero, inquit, gloriari, non ero insipiens. Veritatem enim dicam (*I Cor.* II). » Denique non parum habet confortationis in hujusmodi conscientia veritatis. Confugeram bona spe circa idem tempus ad invocandum nomen Domini nomen, quod invocatum est super nos, et in quo sumus signati, sanctamque Trinitatem, invocabam et adorabam invocatione supplici, adoratione fideli. « Turris enim fortissima, ait Sapientia, nomen Domini, ad ipsam currit justus et exaltabitur. Substantia divitis, urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum (*Prov.* XVIII). » Sentiebam quippe hostes invisibiles persequentes me, idcirco currebam ad nomen istud matutina D prece, ut velut turris fortissima exaltaret me, ut velut urbs roboris muniret me, ut velut murus validus circumdaret me, et hoc quidem facere cœpit; spero autem quia perficiet. Visa per idem tempus visione memorabili, plena venerandæ suavitatis, præcedente causa hujusmodi. Mœrens eram, meque somno dederam hora solitæ orationis, sive adorationis illius, quam prædixi; et causa erat mœroris, quia non tam cito nec tanta, ut volebam, pax mihi provenerat **682** de insurgentibus in me malignantibus, quasi unquam dum vivimus, tuti vel securi esse possimus, cum potius « militia sit vita hominis super terram (*Job.* VII), » in qua si legitime certamus, nimirum et ferimus et interdum ferimur. Itaque mœrens quasi puer, cujus voluntas non statim fit, somno me dederam hora solitæ orationis, cum ecce video semivigilans in ipso lectulo magnam lucem velut solem super me incumbentem, et audio sonans in ecclesia signum, ut fieri solet dum statutam convocamur ad orationem Surgere et ad orationem currere mihi visus sum. Fiat mihi secundum voces aut verba quæ audivi, canente uno conventu multorum, quos nescivi, in una parte ecclesiæ psalmum quinquagesimum, *Miserere mei Deus*, et alio conventu in alia parte ecclesiæ psalmum vicesimum sextum *Dominus illuminatio mea*, stante maligno adversario contra me in angulo in ingressu oratorii : quem ut vidi, exprobravi, velut exprobare solemus quempiam larvalem aspectum signo totius faciei potius quam verbis; propter quod cum ille iratus contra me irrueret, somno illo tenui excitus sum.

Intelligere poteram quod pro consolatione hæc mihi fierent; verumtamen illum quoque diem totum in mœrore transegi, et sequentis, diluculi sive antelucani hora, oratione omissa, quam consueveram, somno cum tristitia me reddidi, cum ecce tenuiter dormienti similiter, ut pridie visum est signum ad orationem commoveri. Surrexi et ad ecclesiam cucurri, et ecce quasi pro solemnitate Domini multa ecclesiam compleverat turba diversorum ordinum, maxime autem monachorum, quodam venerandæ canitiei episcopo celebrante solemnia missarum. Multa ad offerendum quasi post Evangelium, quando solet offerri sanctum sacrificium, ascendebat processio utriusque sexus personarum venerabilium. Cucurri et ego, quasi eleemosynam petiturus de oblationibus illis; et ecce juxta dextrum cornu altaris tres personæ stantes, habitus valde reverendi et dignitatis, quantam nulla potest lingua verbis consequi. Duæ personæ multum antiquæ, id est valde cani erant capitis, persona tertia ut speciosus astabat juvenis, regia dignitate, ut ex vestitu ejus poterat agnosci. Una ex personis, ut dixi, venerandæ canitiei, valde jucunda dignatione ac sereno vultu manum meam apprehendit, meque osculata est, et pauca verba dixit : quæ quidem memoria non tenui, scio tamen quia pertinebant ad officium vel ministerium scribendi. Persona illa regia, juvenis ille speciosus, nihil quidem loquebatur, sed me tanquam frater, quam germana affectione, quam reverenter seu venerabiliter, quieto ac modesto vultu me intuebatur, meaque præcordia suo penetrabat intuitu. Non statim, sed postmodum sanctam in his Trinitatem, juvenemque illum esse Filium Dei, hoc modo agnovi : Quidam spiritus mali, me ab utraque parte circumstantes, coram ipso altari me altiorem ipsis pusillis infestare, et latera mea fodere cœperunt digitulis importunis. Cum ita me affligerent, et ego auxilium implorarem ab his quos videbam; Dominus Jesus qui paululum secesserat, ita tamen ut viderem eum, per nomen mihi innotuit, dicentibus personis aliis :

Exspecta paulisper, Jesus veniet confestim, teque adjuvabit. Hoc audito, ipsum invocavi Dominum Jesum ex nomine. Nec cunctatus ipse, ascendit iterum per gradus per quos descenderat, quasi cum potestate et reverenda majestate, et potenter spiritus illos propellens, manusque illorum a lateribus meis cito avellens, liberavit me. Tunc ipsæ tres personæ grandi et pari statura æquales, me pusillum circumsteterunt, et aperto pergrandi libro, me superpositum eidem libro in sublime sustulerunt. Quo facto, is qui me in initio fuerat osculatus, confortans dignanter et familiariter, hæc locutus est: Noli timere, et designans super sanctum altare quædam sanctorum phylacteria auro fabrefacta, quæ vulgo dicimus feretra. Adhuc enim, ait, eris melior quam ista sint. Visio hæc tam manifesta fuit, ut veraciter dicere possim, B quia « sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit (*II Cor.* XII), » quamvis res ista nihil ad magnitudinem illam dicentis, « quia raptus est usque ad tertium cœlum, quia raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui (*ibid.*). » Nam et cum adducerer ad videndum, scio me de lectulo exsiliisse, et in ecclesiam cucurrisse, recto et vigilantibus solito itinere; et completa visione cum personas illas abeuntes prosequi vellem, neque concederetur mihi, aspexi quod nudus, et sine omni vestimento essem, et ab hoc festinus eo recurrens, unde veneram, ubi lectulum attigi, confestim experrectus sum.

De apertione libri, et de ratione quam persona illa dixit, aureas ostendens sanctorum memorias C sive phylacteria, non opus est, ut interpretationem faciam tuæ charitati, cujus de me judicium sæpe audierunt et secuti sunt multi, quod vere Deus librum suum, id est Scripturam sanctam mihi aperuit, et multis sanctorum Patrum sententiis, quorum in sancta Ecclesia digne celebris est memoria, et velut aurum rutilat, alinquanto meliora dixerim: Quid deinde dicam? « Si flagellat, ait beatus Job, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat (*Job* IX). » Cujus dicti nunc idcirco meminerim, quia per idem tempus de pœna mea, id est de exspectatione mea quæ impatienti animo videbatur nimis longa, ipse quodammodo risit. Non imputo illi. Jamdudum enim condonavi, videlicet illa condonatione justissima, quam idem beatus Job exprimit his D verbis: « Solvat manum suam, et succidat me, et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti (*Job* VI). » Ejusmodi condonationem, quæ non est contradicere sermonibus sancti, non reprehendere judicia sancti et justi, ut certissime credo a me exegerat, dum solito plus dolerem, et abundantius flerem propter causam eamdem, id est propter tædium vitæ præsentis, et fere per triduum non mutarentur in diversa vultus mei. Visus quippe mihi sedens post sanctum altare, tali schemate vel habitu A pro quo debeat dici, ut vere est, Antiquus dierum (*Dan.* VII), cum propius accessissem, crucem pergrandem signum magni doloris bajulans, protenta manu dextera Pater clementissimus, naturæ nostræ amicus, mitis et humilis: Amice, inquit, dona mihi quod feci tibi. Illico manum ejus manu mea velut pro firmamento condonationis, quam vehementer, quam alacriter percussi: quam ille fortiter stringens, me totum quasi ad amplexus et oscula traxit: sed non mora, vis magna cujusdam sanctæ ac divinæ voluptatis me somno excussit. Num infantilia videntur hæc? Imo res valde seria est, condonare illi quidquid super nos grave ab ipso illatum est, omnia quorum hoc initium vel summa fuit, « quia audisti vocem uxoris tuæ et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, » et cætera usque « quia pulvis es et in pulverem reverteris (*Gen.* III). » Quæcunque mala super nos propter peccatum induxit, nimirum condonanda sunt ei videlicet corde et ore dicendo tale quid, ut est hoc dictum a Daniele vel cæteris concaptivis: « Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi (*Dan.* III). » Maxime autem dilectionis et fidei est non patienter mori, sed **683** patienter vivere in hoc sæculo pleno peccatis, et voluntatem sequi creatoris cuncta bene disponentis, dum non cito exauditur cupiens esse dissolvi, desiderans ab ista valle lacrymarum migrare ad gaudium visionis Dei.

Igitur condonavi quidem, verumtamen inter cætera pro quibus adjurasti, Pater mi, narrabo quomodo de pœna mea riserit, tandemque me consolatus sit. Vir quidam venerando habitu stare visus est, meque intuens familiariter: « Adhuc, inquit, octo annos victurus es. » Cum quasi ludibundum hæc eum dixisse putare, eumdem sermonem repetens: « Verum, ait, loquor, adhuc octo annos victurus es. » Nox erat illa solemnis et festiva beati Matthæi apostoli, cujus super Evangelii fundamentum ut præsens opus construerem, tu exegisti, opus De gloria et honore Filii hominis. Cum sanctas manus ejus osculari vellem, non admisit; et ab hoc depulsus, evigilavi. Quid putas, quomodo subsequentes et dies et menses et annos enumeravi mihi? Sic enim acceperam, et sic eum dixisse volebam, ac si omnino determinasset, atque dixisset ita: Octo annos, et non plus, victurus es. Non attendam, neque attendere volebam præ nimia desiderantis animi festinatione, posse aliquid subesse, in quo errarem, salva visionis veritate, neque recogitabam de Cassio Narniensi episcopo, cui a Domino per ejus presbyterum, ut refert beatus papa Gregorius, hoc demandatum est: « Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua. Natali apostolorum venies ad me, et retribuam mercedem tuam (18*). » Tunc e vivo apostolorum natalitius dies imminebat. Eodem ergo tempore sollicitus fuit: secundo quoque anno

(18*) S. Gregor. Dial. lib. IV, cap. 56, Patrol. tom. LXXVII, edit. Migne

vel tertio, in mortis exspectatione suspensus, quarto, quinto et sexto similiter. Qui desperare de veritate revelationis poterat, cum ecce anno septimo, in vigiliis exspectati Natalis, lenis hunc calor attigit, atque « ipso die Natalitio, cum solemnia missarum peregisset, et mysteria sacræ concionis accepisset, e corpore exivit (19). » Si parva licet similare magnis, similiter ego, ut ille, sensu sive intellectu properantior fui, quam haberet ipse sermo visionis, quia sicut illi non totum hoc dictum est, Natalitio die apostolorum præsentis anni venies ad me, sic nec mihi dictum fuerat, quod statim completis octo annis, deberem hanc vitam finire. Transierunt ergo mihi septem anni, et octavus annus volvi incœperat, magna cum exspectatione et pene jugi mortis meditatione, cum ego fere totus et solito vigilantior in me conversus, mirari cœpi quid mecum gererem, et qualiter pro expectatione tantæ rei me habere debuissem. Habebam autem tunc in manibus librum beati Augustini De civitate Dei. Et hic erat locus quem legebam : « Cum autem, inquit, unicuique mortalium, sub quotidianis vitæ hujus casibus, innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quandiu incertum est quænam earum ventura sit, quæro utrum satius sit unam, perpeti moriendo, an omnes timere vivendo (20), » etc. Ex occasione lectionis hujus tunc instantius cor meum conveni, laudans cum Ecclesiaste magis mortuos quam viventes (*Eccle.* IV), ut jam superius dixi, et suspirans consilium hoc mecum inii, quatenus quærerem a Deo precibus attentis veritatem seu certitudinem tantæ rei, ut si ex ipso visio supradicta venisset iterato mihi oraculo dignatio ejus ipsam confirmaret. Ad hoc negotium sedit animo sanctum invocare Spiritum, quoniam et si Patris et Filii et Spiritus sancti una substantia est, una divinitas et operatio inseparabilis, tamen sicut Patris proprium est opus hominis conditio, et Filii proprium opus redemptio, sic proprium est opus Spiritus sancti ejusdem hominis illuminatio, revelationumque gratia, et omnium gratiarum divisio. Ad hunc ergo converti me, toto corde, et pro tantæ rei negotio ausus sum illum interpellare, licet mihi occurreret, faciemque mentis meæ reverberaret illud, quod in Isaia Dominus, cum præmisisset : « Clamare ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum (*Isa.* LVIII), » continuo subjungit : « Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et quæ judicium Dei sui non dereliquerit (*ibid.*). » Non enim omnium est responsa Domini quærere, quæ tunc per prophetas administrabantur, sed eorum duntaxat, qui judicium faciunt et justitiam operantur. Verumtamen fiduciam in hoc præstabat non solum communis fides, verum etiam propria quædam conscientia, seu dignationis ejusdem Spiritus sancti memoria, quia diebus illis nonnunquam visitationem seu respectum ejus modis qualibuscunque sentiebam, super quibus parcendum est, præsertim cum et magnus Apostolus dicat : « Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me (*II Cor.* XII). »

Verumtamen quoniam hactenus propter illam communem trium personarum visionem singulariter dixi, et de illa quæ videbatur persona Patris, et de persona Filii, qualiter dolorem meum consolatæ fuerint, conveniens videtur, ut et visum non minus jucundum narrem de tertia persona Spiritus sancti. Nam quocunque quispiam accipiat, forsitan benignitas ejusdem Dei Patris et Filii et Spiritus sancti narrationem hanc, sic tanquam gratiarum actionem suscipit, quoniam solet Deus ab homine gratiarum actionem exigere pro suis beneficiis. Exempli gratia : « Nonne, inquit Dominus, decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena (*Luc.* XVII). » Dicam ergo : Jacebam aliquando non valde sopitus, imo semivigilans in lectulo, et ecce, ut videbatur, per gradus dormitorii fratrum descenderam, multorumque spirituum horribilium et facie crudelium quasi castra contra me consistebant. Ego ut aliquoties eatenus nomen Spiritus sancti per somnum quoque, horrore aliquo ingruente ; proferre solitus eram, nihil aliud contra eos dicere dignatus, hoc solum nomen teterrimis eorum vultibus objeci, Spiritus sanctus. Ipsum testor, quasi magno turbine retroacti pene resupinabantur, non ferentes virtutem nominis. Cum pro hoc illis insultarem, paululumque intermissa sancti nominis enuntiatione, gestu faciei totius exprobrarem, illi quasi viribus ex iracundia resumptis, in me velut fortes irruerunt, et ego in fugam versus in pratum, quod inter columnia claudunt, illic invenio senem antiquum, virgam manu gestantem, et agnosco Spiritum sanctum, filiole, filiole, inclamantem quo nomine parvulos appellare solemus, quos de sacro fonte suscepimus, meque tali appellatione confortantem gestu potentis pariter et adjuvantis, ut si consisterent adversum me castra, non timeret cor meum, si exsurgeret adversum me prælium in hoc ego sperarem (*Psal.* XXVI).

Confortatus ergo, eoque unde veneram procurrens contra illas phalanges teterrimas, et cum illis congressus eodem modo vel ordine quo prius, ingravescente conflictu, iterum ad patronum confugi, sic eum appelans a succurrendum congeminato clamore appellationis, quomodo solet quis illum appellare qui eum de fonte suscepit. Ecce autem inventus est eodem in loco, non sicut prius senex antiquus, sed ignis valde serenus, et circa eum quietitudo et securitas magna, ita ut oblitus totius adversitatis, quasi nulla **684** fuisset, solum ignem illum demissus attenderem, et defixis introrsus oculis per-

(19) S. Gregor. Dial. lib. IV, cap. 56, Patrol. tom. LXXVII, edit. Migne.

(20) S. August. De civ. Dei, lib. I, c. 11, Patrol. tom. XLI, edit. Migne.

spicere vellem. At ille quasi quoddam sibimet de semetipso fecit umbraculum, duo hinc et inde velamenta sublevans in modum alarum, quæ paulatim convenientia, me quasi ablactatum, ad sensus communes ab illa contemplatione remiserunt, non ignarum interpretationis, quid sibi voluisset species ignis, et quod habitus senis quasi patrini filiolum consolantis. Ipse est enim sanctæ regenerationis nobis auctor in baptismo, et ipse est ignis quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi (*Luc.* XII). Hoc ergo utrumque in oratione sive hymno, quem tunc de ipso composui, gratulanter confessus sum his verbis : « Et sicut mori voluit, nos quoque doces commori, dum vivos aqua sepelis, o artifex mirabilis. Pro sepulturæ triduo fit trina rei mersio, ut mortuus obruitur, ut resurgens egreditur. O Deus, nostris auribus audivimus, patres nostri opus quod operatus es, annuntiaverunt nobis (*Psal.* XLIII), cum processisti igneis in linguis a throno Dei, ut terra cœlum fieret, ut dii essent homines (*Act.* II). Sed jam redeamus ad rem, propter quam etiam hanc intuli narrationem. Memoria donationis ejusdem Spiritus sancti, qua conscientiam meam nonnunquam lætificaverat, illis diebus per visitationes hujuscemodi fiduciam in hoc mihi præstabat, ut jam dixi, quatenus iterato mihi oraculo confirmare dignaretur visionem, si ex ipso fuisset, qua mihi, dictum fuerat, « adhuc annos octo victurus es, » eo quod septem anni transissent, et unus superesset. Fatigabar enim, juxta quod in parabolis Sapientia dicit : « Spes quæ differtur affligit animam (*Prov.* XIII). » Ut ergo fieret mihi quod sequitur : « Lignum vitæ desiderium veniens (*ibid.*), » et iterum : « Desiderium, si compleatur, delectat animam (*ibid.*), » converti me, ut jam dixi, ad exorandum pro hac re Spiritum sanctum, et audeo dicere quia feci hoc tanquam cervo similis, juxta quod in psalmo fidelis anima dicit : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? (*Psal.* XLI.) » Tunc enim fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*ibid.*), et per triduum vultus mei non sunt in diversa mutati (*I Reg.* I), et mira intentione nihil aut parum cogitans de meritis, quæ nulla erant, sola fide nixus, cum tuo luctabar nomine, sancte Spiritus, et votum vovebam tibi, quod sempiternas tibi retribuerem gratiarum actiones, pro beneficio impetrato tantæ exauditionis, et nunquid hoc frivolum erat ? Quid enim aliud faciemus ibi ? Omnes siquidem, qui illuc transeunt, in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei transeunt in voce exsultationis et confessionis (*Psal.* L). Et alibi Psalmista cum dixisset : « Illuc enim ascenderunt tribus Domini, testimonium Israel (*Psal.* CXXI), » quasi quæreres ad quid ascendant illuc, ait : « Ad confitendum nomini (*ibid.*). »

Gaudeo igitur, Domine, sancte Spiritus, quia sic luctatus sum, scilicet prece et lacrymis; nam hæc A fuit lucta Jacob (*Gen.* XXXII), scilicet flere et rogare, secundum veritatem Scripturæ propheticæ, quia cum dixisset propheta Osee, et in fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum et confortatus est statim fortitudinis ejus expressit modum subjungens : « Flevit et rogavit eum (*Ose.* XII). » Gaudeo, inquam, quia non dimisi nisi benediceres mihi, et tu hoc modo benedixisti mihi. Nox erat instantis diei, quem Christiana religio nuncupat caput jejunii, capita solemniter cinere conspergens, sana correctione illius culpæ primi parentis, qua ambivit esse Deo similis, cum esset terra et cinis, cum ego leniter dormiens, videbar mihi quasi cum amico loqui, quærente quid deberem, quid tantopere instarem ad quærendam seu inveniendam ejusmodi B rem. Ego respondens dicebam esse (ut vere est) magnum negotium, cujus rei cum haberem desiderium, propter multa, quæ hic occurrunt pericula peccatorum, scirem tamen impensis majoribus opus esse, ut aliquatenus præpararer ad migrandum. Cum hæc talia dixissem, repente paululum semotus ab eo cui loquebar, video quasi cœlum desuper modice aperiri, atque inde quasi talentum lucidum substantiæ ineffabilis, substantiæ viventis, velociter ac dicto citius demitti, quod meo illaspsum pectori, magnitudine vel pondere suo me protinus somno excussit, auro gravius, melle dulcius. Quod ubi elaspum [*leg.* illapsum] est, primum quidem aliquanta morula quievit, seque ab omni motu continuit, me quoque quieto, ut forte resupinus jacebam, exspectante eventum rei; mox autem moveri cœpit, et circiter uteC rum interioris hominis, uterum animæ, quem eatenus nesciebam, cujus vel quantæ esset capacitatis. Circuibat itaque modo mirabili res viva et vera vita, semperque circuitus sequens præcedente erat major multoque amplior; quos tamen circuitus, cum multi fierent, non attendi ut numerarem. Miroque atque ineffabili modo et circuibant inundationes, altera post alteram, et sese infundebant, donec tandem ultima infusio veluti quoddam magnum flumen inundans, hoc mihi dabat intelligi, et hoc sentire me fecit, quod totum animæ vel cordis exceptorium plenum esset et plus capere non posset. Quo facto, iterum quievit paulisper, ut neque influeret quod jam fecerat, neque efflueret quod postmodum fecit; et interim volebat homo interior quasi faciem claD rius videre illius substantiæ viventis, sed quodammodo occultabat se, ut non videretur facies ejus cum valde magno pondere portaretur, et in magna dulcedine sentiretur. Postquam cœpit reflecti, aliamque in partem circuitus agens in modum fluminis per lævum latus effluxit, videntibus oculis interioris hominis, quod cum ultimus circuitis proflueret, paululum substitit, et ecce videbam quia substantia illa pulcherrima quasi aurum liquidum erat.

Ubi hoc actum est, et ejus rei sensus præteriit, ego ignorans quid deinde proventurum esset, hoc solum dolebam, quia secundum intentionem meam nihil dixisset, qui hoc pro maximo gratiæ beneficio

accepissem, si diceret : Hoc anno, ut exspectasti, de corpore migraturus es!

Ecce in hoc obedivi nomini Domini, per quod adjurasti me, venerande pontifex, amator gloriæ nominis Domini, ut scriberem tibi quod viva voce incontinens narraveram, secretius auribus tuis libenter audientibus opera Domini, qualiter hanc acceperim facultatem in sanctis Scripturis, de qua dubitare nunquam voluisti, quin esset ex gratia vel Spiritu Dei. Et vere audeo scire et fateri quia donum est Altissimi pro consolatione doloris mei, quem dixi, quo accepto, jam non invenit anima mea in se, ut interpellaret eum pro ejusmodi re, aut ita festinaret, ut prius, vesperam rapere diei hujus, finem vitæ hujus, ratione admissa quod prius aliquid sit operandum quam exigenda merces, quoniam nobis quoque pusillis talis operum materia data est. Ita consolatus sum, et ita spes, quam dedit mihi in verbo suo, « me consolata est in humilitate mea (*Psal.* CXVIII), » ut illud quod dixit dator ejusdem spei Christus Filius Dei, non dubitem mihi accidisse. « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Quæ videlicet **685** Scriptura, cum ita dixisset : « Bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui : deriventur foras fontes tui, et in plateis aquas tuas divide, habeto eas solus, nec sint alieni participes tui (*Prov.* V). » Quo dicto docet nos et discere et docere in unitate fidei, nihilque in sanctis Scripturis sentire cum hæreticis, ita subjunxit : « Sit vena tua benedicta, et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ (*ibid.*). » Denique hoc mihi est lætare cum muliere adolescentiæ meæ, in omni studio sive exercitio sanctæ Scripturæ consolationem habere. Hæc namque est illa mulier, sapientia, cui dixit Sapiens : « Soror mea es (*Prov.* VII), » et prudentia, quam vocavit amicam suam (*ibid.*). Hæc est illa mulier, quam tu in somnis (si meministi) uxorem me duxisse vidisti, natosque ex ea mihi filios complectebaris, quod utique facis, dum scripta mea libenter legis et libris meis nusquam carere vis. Accipe nunc qualibus verbis ibidem continuo Sapientia dilicietur, et congratuletur collætantibus tali mulieri, tali adolescenti : « Cerva, inquit, charissima et gratissima hinnulus. Ubera ejus inebrient te omni tempore, et in amore illius delectare jugiter (*Prov.* V). » Jam quale initium fecerim, qualem vocem primam ediderim post illam, quam præscripsi, inundationem fluminis, scribendo libellum Hymnorum, in laudibus Spiritus sancti, non præteribo; tu more solito sedulus audi.

Flumini magno sitientibus quod
Petra deserta crucifixa fudi,
Gratias Christo, quia civitatem
Lætificavit :
Qui nec argentum, nec habebat aurum
Pauper hic vinum bibit, atque lactis
Copiam, cuncti properate, gratis
Gratia fundit.
Huic libens offert pia gaudii vox
Hostiam laudis melius quod optem
Quam salutaris calicem tenere,
Reddere vota.
Tu modo mentem rege Pneuma sanctum
De tuo reple cor et os apertum,
Qui jubes festum dare tympanum, vel
Sumere psalmum,
Sancte sanctorum, Deitas deorum,
Gaudium, lumen, medicina, vita,
Sit tibi laus cum Patre, cumque Nato,
Spiritus alme. Amen.

Sic incipiens magnam intus versabam materiam, per angustum foramen ubertim prodire non valentem, dum metricis pedibus verba ligando, ut in scholaribus assuetus eram, longum in paucis sermonibus laborem insumerem. Nondum enim plene mihi acciderat id, quod supra memoravi, dictum a Sapientia : « Sit vena tua benedicta (*Prov.* V), » id est nondum, cum suscipere potuissem, ordinem presbyterii susceperam. Scriptum est autem : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus (*Malach.* II). » Ad hoc ergo (ut reor, et sicut postmodum expertus sum) interim differebar, ut prius in isto gradu consisterem, et tunc demum ad tractandas ecclesiastico more sacras Scripturas, legitimam acciperem oris apertionem. Eatenus diuturna Christi Ecclesiam vexaverat discordia, propter sedis apostolicæ schisma, quæ tamen mortuis auctoribus paululum conquieverat : propter illam et propter alias quoque causas multi et qui magis videbantur religiosi, et ecclesiasticam puritatem diligebant, episcopos suos in suscipiendis ordinibus devitabant, simplici quidem oculo, sed in omnibus discretione opus est. Nam quandiu palmes manet in vite, potest fructum ferre, postquam autem abscissus, et foras missus fuerit, jam fructum ferre non poterit (*Joan.* XV). Sic nimirum quislibet Ecclesiæ sacramentorum Christi minister, quandiu in concione universitatis manet, quiquid administrat, ratum est; ubi autem a legitimo judicio denuntiatum fuerat, præcisum illum esse vel damnatum, quidquid deinceps operarit videtur, speciem quidem pietatis habere potest, sed virtutem ejus habere non potest. Et ego quoque simplici illos ordinatores, qui infames fuerant, devitabam. Et idcirco, ut dixi, ordinem presbyterii jam præordinatis quibusdam junioribus nondum susceperam, et fortassis propter illam quam dixi causam, illud quoque mihi inierat [*leg.* inerat], quia dignum me non existimabam. Venit autem, et illud quoque non præteribo, quomodo venerit Dominus et Pater nuptiarum, qui vocavit nos ad nuptias, et dixit mihi quod diceret recumbenti in novissimo loco : « Amice, ascende superius (*Luc.* XIV). » Plenus eram et plenus ieram ad lectulum diuturnis cogitationibus, qualibus nonnunquam delectabar, imo et sæpe exercitabar, et in quibus deficiebat spiritus meus cogitans dies antiquos, et in mente habens annos æternos (*Psal.* LXXVI), quod is qui creavit et redemit nos, tremendo tandem judicio judicaturus esset nos. Optabat anima pavida, si quomodo daretur facultas

A illum Judicis adventum anticipare, et meditabar cum corde meo, quomodo possem prævenire, et aliqua cum ipso secretius verba facere. Summam cogitationum illarum, ut memini, sonant hæc verba beati Job : « Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum. Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus ? Ponam coram eo judicium, et os meum replebo increpationibus, ut sciam verba quæ mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi (*Job.* XXIII). »

Cum hujusmodi cogitationibus ieram ad lectulum, ut jam dixi, et dormienti somnus meus hoc modo suavis exstitit mihi. Videbam stans coram altare, super ipsum in medio stantem Dominicam crucem, et in ipsa Domini Salvatoris imaginem. Quem cum B diligentius intuitus essem, agnovi ipsum Dominum Jesum ibidem, crucifixum et viventem, oculos in me apertos habentem. Quod ubi perspexi, confestim inclinans faciem aio ad eum : « Benedictus qui venit in nomine Domini ((*Matth.* XXIII). » Quam salutationem quanta cum humilitate, cum qua reverenda capitis sui defluxione susceperit, nullatenus edicere possim, nisi hoc tantum, quia potuit homo interior hoc intuens aliquatenus sentire, quam veraciter de semetipso dicat, « discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Non satis hoc mihi erat, nisi in manibus apprehenderem, amplexumque deoscularer. Sed quid agerem ? Altius erat altare ipsum, quam ut eum attingere possem. Ut ergo ejusmodi cogitationem seu voluntatem meam, C voluit et ipse. Sensi enim ego quia voluit, et nutu voluntatis ejus ipsum altare, per medium sese aperuit, meque introrsus currentem suscepit. Quod cum festinus introissem, apprehendi quem diligit anima mea, tenui illum, amplexatus sum eum, diutius osculatus sum eum. Sensi quam graviter hunc gestum dilectionis admitteret, cum inter osculandum suum ipse os aperiret, ut profundius oscularer. Plane hoc agebatur, hoc illa significatione parabatur, ut fieret illud, quod in Canticis dilecta exoptans, dicit : « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer et jam me nemo despiciet. Apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum D **686** granatorum meorum (*Cant.* VIII). » Denique extunc mihi nonnihil provenit secundum sensum dictorum hujuscemodi, quia, cum ad me reversus fuissem, et infra vigilias nocturnas visum hujusmodi suavissime retractarem, sicque interpretarer illam altaris et ipsius oris Domini Jesu apertionem, quod sacramentorum ejus profunda deinceps clarius intelligere deberem ; interea paulatim amor illius sacerdotalis officii menti sese infudit, tantumque excrevit ut mox die facto dicerem patri meo spirituali me non velle amplius reniti, imo velle ire cum primum juberet, et suscipere jugum Domini, causa tamen tacita quæ acciderat, ut jam dixi. Gratulatus est, et ut primum adfuit tempus ordinationis, hunc sacrum, licet indignus, ordinem suscepi. Nec vero minore signo, quam prævenerat Deus meus misericordia mea, me in hoc officio subsecuta est. Non enim plus quam triginta dies transierant, cum ecce jacente me in lectulo, fere clauso jam die, cum vix oculos in somno clausissem, venit desuper quasi similitudo viri proni, et æqualiter extensi, solam quam maxime faciem suam occultans, et in me demissa, totam complevit animæ meæ substantiam, eo modo mihi impressa, quem verbis exprimere nullatenus possim, multo citius atque profundius, quam cera, quamvis mollissima, sigillum fortiter impressum admittere possit. Protinus somno qui vix obrepserat, excussus sum, et vigilans sensi dulce pondus, vigilans delectatus sum, et quid dicam ? « Anima mea liquefacta est (*Cant.* V) ; » anima mea, Domine, pene defecit, pene de corpore effusa est. O quam vera concionatoris nostri sententia : « Adolescentia enim, inquit, et voluptas vana sunt (*Eccle.* XI). » Porro ibi non vanitas, sed veritas, ibi vera et viva voluptas, ubi usque in finem completur quod scriptum est : « Qui adhæret Domino unus spiritus est (*I Cor.* XI). » Hinc est quod canimus in psalmo : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). »

Ejusmodi voluptatem viventi in corpore saltem gustasse jucundum est, jucunditatis et exaltationis thesaurus est. Verum dicere liceat quia, nisi illa repentina sanctæ voluptatis inundatio cito se continuisset, animam velociter in sua de corpore in modum torrentis abstraxisse, secumque detulisse poterat : unde et melius jam scio, quomodo sentiendum sit quod Deus ad hominem locutus est : « Non enim videbit me homo, et vivere potest (*Exod.* XXXIII) » Sed, ut dixi, cito subsistit inundans illa vis amoris, paulatimque decessit ; ego autem extunc os meum aperui, et cessare quando scriberem nequaquam potui, et usque nunc, etiam si velim, tacere non possum. Sit hoc mihi facere illud, quod supra memoravi de Canticis, scilicet invenire dilectum foris, et deosculari, ut jam me nemo despiciat apprehendere eum, et inducere in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ (*Cant.* III), ut aliquis filiorum ejus ex hoc proficiat, neque doceri a spiritu veritatis et dare illi « poculum ex vino condito (*Cant.* VIII), » id est sermonem bonum sive rectum et bene sonantem ex Spiritu sancto, « et mustum malorum granatorum meorum (*ibid.*), » scilicet delectamentum scientiæ cum fructu bonorum operum. Si veritatem dixi, si nihil horum de corde meo finxi, turris fortissima sit mihi nomen Domini, per quod adjurasti me, Pater et domine mi, et fiat mihi secundum quod dixit Filius Dei, idemque Filius hominis : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* XVI) , » et luceat mihi

justitiæ sol, sitque illuminatio mea Dominus, et misericordia mea Deus meus, et sublevet me de corruptione et egestate, quemadmodum in propheta : « Et sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui (*Isa.* LVIII). » Et condonet mihi quidquid de timore quem timebam evenit mihi, quidquid eorum quæ verebar accidit, toto tempore hujus peregrinationis sive incolatus prolongati, numerusque dierum meorum prima et octavo beatitudine compleatur, quæ est possidere regnum cœlorum ; fiatque mihi, quod ei dicimus in psalmo : « Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor (*Psal.* IV). » Et ad me quoque illud pertineat quod in Isaia dictum est : « Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt (*Isa.* XXXIII); » et introeam ad altare Dei, ad altare cœlestis sanctuarii, et ibi contingat animæ meæ quod verus amor dicit : « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I), » et ipse sponsus immortalis in illo contineat me corpore sponsæ suæ Ecclesiæ, cui amore æterno et sempiternis copulabitur nuptiis. Non enim sine causa sic incipiens factus sum, neque tu sine causa instanter me adjurasti, ut de meipso scriberem res hujuscemodi.

De causa libet hic aliqua breviter eloqui. Nonnulli putantes se probe illud facere quod in Job dictum est : « Sapientes confitentur et non abscondunt patres suos, quibus solis data est terra, non transibit alienus per eos (*Job* XV), » quondam, ut verbis loquar ejusdem beati Job, afflixerunt animam meam, et attriverunt me sermonibus, et non minus quam decies confoderunt me, et non erubescunt opprimentes me (*Job* XIX), refragantem quibusdam sententiis quas proferebant, a vero et recto sensu discrepantes, quas tamen a magnis et valde nominatis patribus suis, id est magistris suis, accepisse videbantur, quos videlicet patres suos confiteri, et non abscondere gloriosum arbitrabantur. Quorum videlicet patrum ipsorum auctoritati, utpote hominum, quamvis sapientium, cum ego non crederem, meliusque et sanius loqui auderem, secundum Scripturam auctoritatem. O quanta indignatio, quanta exprobratio juxta hunc modum ! Intellige prius, et sic loquamur : « Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones? Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos (*Job*.XV). » Tui patres ubi sunt ? Qui vel quales magistri te docuerunt ? Secundum hæc et his similia non semel, nec paucis diebus, sed multoties et aliquot annis me confoderunt, et sermonibus oppresserunt, donec perseverantiæ virtute, et Scripturarum auctoritate subnixus, obtinui victoriæ palmam, te quoque plurimum adjuvante, et testimonium perhibente quod non ex timore spiritus, non ex præsumptione proprii cordis, sed ex dono mihi accidisset gratiæ Domini, ex dignatione Spiritus sancti, fiduciam talem habere tractandi sanctarum Scripturam sacramenta, et quod nullo modo A facultatem hanc assequi potuissem, nisi per spiritum bonum, de quo vel a quo bona cuncta procedunt. Confiteantur ergo sapientes illi quantum volunt, nec abscondant patres suos, quibus solis, ut aiunt, data est terra (*ibid.*), id est Sripturarum artiumque liberalium scientia. Ego, quamvis et ipse nonnullos in discipulis scholaribus patres habuerim, et in libris artium liberalium non segniter studiosus exstiterim, hoc profiteor, quia visitatio ab Altissimo melior mihi est quam decem patres ejusmodi, cujus sub virga sæpe in labiis percussus, nonnunquam etiam toto corpore concussus sicut auribus tuis fidelibus aliquoties intimavi, loquor ad scribendum quidquid ille monitor suggerit, spem habens istam quam Sapientia dicit : « De fructu B oris viri replebitur venter ejus, et genimina labiorum ejus saturabunt illum (*Prov.* XVIII). »

687 Nunc ad te sermo meus liberior dirigitur, discipule veritatis, desiderator sanctitatis, amator Filii Dei, ejusdemque Filii hominis episcope, bonis omnibus amabilis. Jam dudum in hoc gaudeo, et pro hoc tibi jure gratulor, quia præclare in te quoque lucet experimentum veritatis, quæ in Evangelio secundum Marcum dicit : « Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc domos, et fratres, et sorores, et patrem, et matrem, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam (*Marc.* X). » Antequam veri hujus sermonis C in te habitum collaudem experimentum, dicere libet aliquid propter eos, qui hic hærere vel mirari et dicere possunt. Nunquid omnes qui sua qualiacunque sive quantulumcunque propter Christum reliquerunt, centies tantum in hoc tempore, vel in hoc sæculo receperunt? Ut de cæteris taceamus, nunquid eremitæ sive anachoretæ centies tantum, quantum reliquerant propter Christum, in isto sæculo receperunt? Propter eos quibus hujusmodi cogitationes occurrere possunt, notandum est quia non dixit, « qui reliquerit propter me » tantum, sed addidit « et propter Evangelium. » Denique si tantumdem et non plus est propter Evangelium, quam propter Christum, superfluum erit præmisso « propter me, » addidisse « et propter Evangelium. » Quæ vendum ergo D vel sciendum est quid addiderit in se su addendo verbis, « et propter Evangelium ? » Illud nimirum in sensu addidit per hoc dictum, ut sentias eum dixisse in hoc esse perfectionem, etiam præsenti remuneratione dignam, cum quis non contentus propria salute, relicta omnibus sequendo Christum discurrit, festinat, suscitat amicum, id est prædicat Evangelium, ut audientes filii sequantur Christum, quod videlicet ministerium in primis est apostolorum, qui tunc instruebantur, cum hæc diceret eis, quorum primus Petrus dixerat ei : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : Quid ergo erit nobis ? (*Matth.* XIX.) » De hujusmodi non dat quispiam

aliquem, « qui non receperit vel recipiat in suo tempore, et domos, et fratres, et sorores, et patrem, et matrem, et filios, et agros, cum persecutionibus,» id est in medio etiam persecutionum, quæ volentibus pie vivere in Christo non desunt (*II Tim.* III), centuplum quam reliquerat, idcirco expeditus prædicare Evangelium, et tunc demum dubitet de promissione hac, utrum vera sit, an non. Exempli gratia : Petrus qui piscator erat, qui dives non fuerat, qui cibos manu et arte quærebat, hic, ubi misso Spiritu sancto de cœlo prædicare cœpit Evangelium nonne centies tantum recepit, quantum reliquerat, vocantem de navicula sequens Christum ? ut taceam quod et primum in Antiochia, et deinde in urbe Roma magna residens pontifex, et domos habuit, imo et ecclesias construxit, et fratres, et sorores spirituales, et patres, et matres, et filios multo plures secundum spiritum habuit, quam secundum carnem quis habere possit, ut, inquam, illa omnia taceam, solum illud jus possessionum sive facultatum communium in initio Evangelii, ubi « multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia (*Act.* II, 4), » valuit illi plus quam centum retia, centumque naviculas, qualium unam reliquerat.

His animadversis, illud quoque quod Matthæo taliter scriptum est : « Et omnis qui reliquerit hæc propter nomen meum (*Matth.* XIX), » liquet, plus esse quam si dixisset, propter me, videlicet ut propter nomen meum id esse intelligas, propter me notificandum, quod fit prædicando Evangelium. Igitur ut dicere cœperam, congratulamur tibi, episcope venerabilis, quia magnum in te experimentum lucet hujus veritatis. Domum quippe unam nescio quantulam, et propinquos aliquos, ut percepi, non infirmos, nonnihil agrorum habentes, in una civitate reliquisti. Et ecce dominus factus es in hoc tempore ejusdem civitatis. Nunquid non centies tantum est ? Præter hoc autem hæc spes in sinu tuo reposita est, quod in futuro sæculo vitam æternam habebis. Laudi ejus, qui quos ante tempora sæcularia præscivit, et prædestinavit sanctos omnes, ipsos et suo quemque tempore vocavit, justificavit et magnificavit illud ascribendum est (*Rom.* VIII). Quod te non qualicunque tempore sed in ipso ingressu ferventis adolescentiæ vocavit cita vocatione, ut eum, quem quasi in ingressu mundi posueras, retraheres pedem, et relictis omnibus, patria quoque sive provincia nativitatis tuæ longe post tergum dimissa, peregrinus ad monachicam vitam confugeres, in montem spiritualis victoriæ suo nomine præsagum (vocatur enim Sigeberch). Quis enim hoc fecit, nisi aspiratio gratiæ vocantis ? A fructibus cognosci possunt quia plantatio tuæ conversionis, plantatio fuit Patris cœlestis, quæ nunquam possit eradicari (*Matth.* XV). Nunquid puer sive adolescentulus tunc eras, quando vidisti inter Deum et antiquum de te certamen haberi, quasi dubium esset uter eorum, scilicet Deus creator, an Satan corruptor te habere deberet, ita rudis fuisti, ut putares de te solo inter partes tam contrarias ejusmodi certamen haberi ? Imo et de toto genere humano certamen hoc fuit ab initio. Utrum Deus, qui creavit, an diabolus qui primum hominem decepit, deberet possidere nos.

A De hoc certamine ego tibi efflagitanti nuper scripsi opusculum libellorum duodecim, intitulatum De victoria Verbi Dei, quod admirationi esse multis etiam sapientibus, et ab ipsis libentissime legi, fateor, ipse gaudens audivi. Certamen istud vetus est, et pro omnibus certatum est, et adhuc pro singulis certatur, et in omnibus vel pro omnibus electis suis vincit Deus. « Nemo enim, ait Filius Dei, potest rapere de manu Patris mei (*Joan.* X) ; » sive : « Et non

B rapiet, inquit, oves meas quisquam de manu tua (*ibid.*). » Tibi autem de teipso idcirco demonstrata est illa singularis visio, ut esses sollicitor, et territus fugisti non perspecto neque præmonstrato tibi, quænam pars vincere, et quæ haberet vinci, forte ne te comprehendisse arbitrareris. Et tunc quidem sciens reliqueras omnia propter Christum, sed nondum sciebas quod ea reliquisses propter Evangelium, id est idcirco ut aliis multis evangelizares Christum. Ipse autem sciebat qui te vocaverat in opus prædestinatum. Illud quoque nesciebas futuri hujus ministerii quoddam esse initium, quid acceptum desuper datum optimum, scilicet boni ingenii vel perspicacis intelligentiæ talentum, factus juvenis

C sub obedientia patris spiritualis impendebas non solum junioribus, verum etiam coævis tuis, non magis præceptor scientiæ, quam exemplar disciplinæ monasticæ. Unde et ipsum talentum sive donum acceptum merito in te crevit, juxta illud : « Qui habet, dabitur ei, et abundabit (*Matth.* XIII). » Quid multa ? Tunc super clarissimum candelabrum non contemnendæ altitudinis, posita est lucernula Dei, quando tu, quem illuminabat lux vera, et verus accendebat ignis, regimen suscepisti Ecclesiæ Sigebergensis. O quam multi jam extunc in lumine gaudere cœperunt ! Omnis simplex oculus longe lateque manentium, maximeque in domo magna quæ est Agrippinensis sive Coloniensis Ecclesia, flammam tui **688** luminis libenter aspiciebat ; et si quis erat nequam oculus, qui tibi adversaretur, hoc ipsum

D quod sibi gravis esses etiam ad videntum fateri non audebat. Tanta erat tui luminis auctoritas, ut statim contra se dictum putare posset illud propheticum : « Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras (*Isa.* V). » Interea dum familia Domini, super quam tu fidelis servus, et prudens constitutus eras, cui corde flammato et ore lucido vitam æternam evangelizabas, merito et numero augeretur ac multiplicaretur, tu tamen in oculis tuis parvulus et fere nullus eras, quod maxime percipiebant hi qui familiares tibi erant ; quique tecum de salute animæ familiarius colloquium habebant, quod ipse ego persen-

tiens, animadverti nonnihil, imo multum ad te attinere illud propheticum : « Quare dicis, Jacob, et loqueris Israel : Abscondita est via mea a Domino et judicium meum a Deo meo transiit ? Nunquid nescis, aut non audisti ? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus, qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat (*Isa.* XL). » Itemque illud : « Ego Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi : Ne timeas, ego adjuvi te. Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis in Israel. Ego auxiliator sum tui (*Isa.* XLI). »

Hujusmodi responsa tuæ humilitati esse congruentia, si hactenus non advertisti, at saltem nunc attende, commonitus augmento gratiæ seu magnitudine beneficii, quod Altissimo nonnulla de te cura sit. In primus hæc appellatio, « noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis, » dicam quomodo congruat tibi et similibus tui, imo cunctis humilibus corde, qui didicerunt a bono Magistro discente : « Discite a me quia mitis sum et humilis (*Matth.* XI). » Humilis quisque spiritualium Pater filiorum et vermis est et Jacob, vermis quidem suo, Jacob autem, Dei judicio, Jacob denique magnus homo fuit, et multos habens mares filios, pro causa unius feminæ, quam solam filiam genuit, afflictus est, et tristitiam habuit (*Gen.* XXXIV). Sic nimirum viri apud Deum magni, qualium omnium viventium tu mihi notissimus es, cum multas habeant virtutes, multosque, ut et tu habebas, filios spirituales, aliquam habent quasi filiam, id est infirmitatem, occultam, pro qua dum quis humiliatur coram Domino, et vermis est, et Jacob, vermis, ut dixi, suo; Jacob autem, Dei judicio, et mortuus est sibi, id est timet se illa infirmitate mori, sed vivit Deo. « Noli ergo timere, dici tibi : Ego auxiliator sum tui, » et ab effectis probat, quia non fuit, nec est a me abscondita via tua, nec a me judicium tuum transibit, sed hoc potius dicito : Tu Deus, qui vidisti me et judicium meum, hoc quod judicasti, et qui se humiliat, exaltabitur, non transiit a te. Ego quoque cum ipso Deo interrogante, verbis ipsius interrogo te, qui cum de homine secretam aliquoties haberemus collocutionem, volebam consolatum te esse : « Nunquid nescis, aut non audisti ? (*Isa.* XL.) » Videlicet istud quod sequitur : » Deus sempiternus Dominus qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laboravit (*ibid.*), » scilicet ubicunque vel quotiescunque infirmum curare, vel pauperem honestare voluerit. Cuncta enim possibilia, cuncta facilia sunt ei. « Nec est, inquit, investigatio sapientiæ ejus (*ibid.*) » In quo ? Nimirum, ut secundum causam præsentem loquar, in eo quod « dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat (*ibid.*), » id est qui electum suum prius dimittit lassari et lassitudinem suam agnoscere, ita ut penitus sibi videatur non esse, sive nihil esse, et tunc demum « virtutem dat, tunc demum fortitudinem et robur multiplicat. » Non ita est cum fortibus, non sic agitur cum sanis, id est cum illis qui sibi justi videntur, et in suis confidunt viribus. Sed quid ? Continuo subjungens : « Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent (*ibid.*). » Pueri namque recte dicuntur qui sunt inexperti, quique in tentationibus non militaverunt; juvenes autem qui sibi videntur fortes, et quasi de suis virtutibus superbiunt.

Manifestum jam te habere non dubitamus judicium sive experimentum, quod via tua Domino abscondita non fuerit, et judicium tuum a Deo tuo non transierit, quia cum nescires, cum præsens non adesses, imo longe remotus abesses, Ratisponensis Ecclesia pastore suo viduata, pastorem te, id est pontificem, sibi elegit, quæ magna est gratia, donumque Pontificis magni, « qui cœlos penetravit (*Hebr.* IV), » quemadmodum Apostolus dicit : « Et ipse dedit quosdam quidem apostolus, quosdam autem prophetas, alios autem evangelistas, alios autem pastores et doctores (*I Cor.* XII). » Cum clerus et populus in partes pro eligendo sibi pastore divideretur, fieretque periculosa partium contentio, aliis nunc aliis illum clamantibus, jamque prope esset ut in seditione invalescente ad arma concurreretur, unus sapientior cæteris, cujus cor Deus tetigit, repente tuum nomen in medium protulit, teque eligi consuluit, et protinus totus ille partium motus conquievit, et in te unum, quæ divisa fuerat, unitas Ecclesiæ concessit. Cujus nutu, cujus intuitu taliter credamus actum, nisi illius, de quo Apostolus : « Ipse est, inquit, pax nostra, qui fecit utraque unum ? (*Ephes.* II.) Gaudeas igitur, quia, sicut jam dixi, non ita fuit via tua abscondita a Domino, quin videret te, quamvis parvulum inter multos, quos habet ipse regendos, sive disponendos. Ergone, ait aliquis, gaudendum est in re hujuscemodi ? Nonne potius renitendum est, secundum exemplum Mosi, cum mitteretur ad tantum ministerium, ut fieret populo Israel dux, et princeps liberationis, educendos eos de terra Ægypti ? (*Exod.* III.) Ad hæc, inquam : Nonne et illius exemplum sequendum est, qui cum audisset vocem Domini dicentis : « Quem mittam, et quis ibit nobis ? » (*Isa.* VI.) Dixit : « Ecce ego mitte me (*ibid.*). » Nimirum Mosi quidem humilitas laudanda, et in exemplum pro tempore et re assumenda est ; sed præter humilitatem aliam quoque rationem habuit, quæ ex verbis istis intelligitur, quæ dixit, postquam semel et iterum, ac tertio recusavit : « Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es (*Exod.* IV) » Quisnam erat ille, nisi de quo partiarcha Jacob prædixerat : « Donec veniat qui mittendus est ? » (*Gen.* XLIX.) Christum ergo jam ad salutem populi sui nimium festinus mitti volebat, et idcirco recusabat. Ac si diceret : Non ego vicarius eam, sed ille obsecro jam veniat. Itaque præter istum qui ejusmodi causam intendebat, ostende mihi aliquem, qui jussus inire officium sive ministerium ejusmodi, laudabiliter recusaverit, nisi forte recusantis esse putes, quod Hieremias dixit : « A, a, a,

Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum (*Jer.* I). » At ille hoc dicere potuit non recusando ministerium, sed potius optando sibi augeri donum, quod et protinus factum est, quia « misit Dominus, ait, manum suam, et tetigit os meum (*ibid.*), » etc.

Illi ergo maxime laudabiles sunt, qui dilectionis instinctu, ob salutem proximorum semetipsos offerunt, sicut et Helisæus se offerens : « Oro, inquit, ad Heliam, ut fiat spiritus tuus duplex in me (*IV Reg.* II), scilicet spiritus operationis virtutum, ut duplicia, quam tu fecisti signa possim facere, per quæ commoveatur populus, et non obliviscatur dicere illud quod te agente dixit : « Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus (*III Reg.* XVIII), » contra quem Jezabel impia nititur. Congratulantis animo cuncta hæc tuæ sanctæ loquor paternitati, **689** et inter hæc non præterito illud, quod valde placet oculis nostris, quia nonnihil habes de imitatione beati Martini. Jam vero episcopatu sumpto, ait scriptor Vitæ ejus, qualem se quantumque præstiterit, non est nostræ facultatis evolvere. Idem enim constantissime perseverabat, qui prius fuerat, eadem in corde humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat, atque ita plenus auctoritatis et gratiæ, implebat episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret. Vidimus te præclaræ civitatis episcopum, verne cum pellibus et pulla desuper capta coopertum, sive affibulatum præcedentem, et euntes post te præclaros utriusque tam clericalis quam laicalis ordinis spectabiles viros, peregrinorum murium pelliculis secundum morem vel honorem suum coloratos sive defloratos, in eo sapientes quod episcopum se habere vel sequi gauderent, talium contemptorem, censu divitem, affectu vel habitu pauperem, in corde humilem, in vestitu vilem, in mensa sibi communi, cum dignitate episcopi propositum monachi virtutemque non deserentem. Hoc esse dixi de imitatione beati Martini.

Unde non vanam fuisse constat illius sanctimonialis visionem, quam audisti. Referebat dictum sibi per visum occurrendum esse beato Martino, isto die suo, in ipsis rogationum diebus tunc imminentibus, quæ ante Ascensionem Domini ex more celebrantur. Mirabatur illa pro nuntio hujuscemodi, sciens, et in somnis quoque memoria tenens, festum beati Martini non agi diebus illis, sed longe alio tempore anni undecimo die mensis Novembris. Non ergo multum attendens visum velut otiosum reticuit, donec tu, quem venturum esse non ante visum illum sciebat, electus advenisti, die Rogationum. O quanta cum lætitia cleri et populi, quanto cum tripudio non solius civitatis, verum etiam totius patriæ, quantis cum laudibus Christi civitatem introisti ? Cujus laus, cujus erat ille honor ? Nunquid tuus aut tibi debitus ? Ergo tibi verbis congruentibus vicem rependere volo. Nam quia solitus eras vel mihi, vel de me aliis dicere, quod ea quæ scriberem ego, mihi non magis imputares quam asino, ego similiter dico quia tantam illius susceptionis gloriam fere non magis tibi ascribo, quam illam gloriam, sive honorem, laudesque turbarum, cum palmarum ramis occurrentium Domino ascribere velim illi, cui sedebat asello. Non enim propter se, sed propter sessorem suum dignus erat asellus ambulare viam stratam vestimentis hominum, tantisque circumdari floribus, et ramis palmarum (*Matth.* XXI). Sic nec tu taliter suscipi dignus fuisti propter temetipsum, sed propter habitantem in corde tuo per fidem Jesum Christum (*Ephes.* III). Hæc videns illa jam dicta sanctimonialis, visum quem viderat, ad te pertinere recognovit, et extunc quibusque fiducialibus enarravit. De humilitatis tuæ insignibus sermonem repetam sperans, et spem meam firmissimam esse desiderans quod in ipsa perseverabis, et perseverando gloriam tibi in futurum thesaurizabis, quia non gloria humilitatem, sed « humilitas, ait Sapientia, gloriam præcedit (*Prov.* XV). » Hoc tibi vel cordi tuo recte persuasisti, propter humilitatem Filii hominis, cujus gloriam et honorem beata dilectione diligis. Ipse enim dixit : « Non ita erit inter vos, sicut inter principes gentium, qui dominantur eorum. Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis (*Matth.* XX ; *Luc.* XXII). » Nonne quotidie hic Filius hominis ministrat nobis in sancto altari ministerium ejusdem redemptionis, scilicet, sacramentum corporis et sanguinis sui ? Quare ergo non erubescimus ministrari, tali ministro ministrante nobis, et audemus cuiquam dominari, nisi solis vitiis ? Audi me adhuc unum quod narrabo tibi de hujusmodi, qualia superius narravi, quia sic voluisti. Cum adhuc essem recentior, et proinde etiam attentior in ordine hujus ministerii, scilicet in officio presbyterii, vidi in visu pleno jucunditatis, ministrantem nobis istum Filium hominis. Quid dicam, vel qualibus verbis eloquar habitum gestumque ministrantis ?

Denique quasi in magna domo ad mensam decoram et magnam residentibus multis, ipse aspectu reverendus et amabilis, defibulato ac deposito, quo super tunicam amictus erat pallio, manibus decentissimis, et incessu quam spectabili ministrabat, hinc et inde ministrationem panis et vini. Erant autem quasi crustula panis candidissimi concava, vinumque fusum in se recipientia, et ferculum hujusmodi omnibus ministrabat. Amplius dicere non possum, nisi quia quod exprimi non potest, salva majestate ministrabat, et sic eum ministrare valde decebat, tali vel tanto affectu, ac si diceret illud de Canticis : « Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi (*Cant.* V). » Et quidem vera est, et mihi tunc vera fuit sententia, multas curas somnia, sed nihilominus verum est, quia bonas curas plerumque bona et vera sequuntur somnia (*Eccle.* V). Non fuit hoc de somniis ejusmodi, quæ

multos errare fecerunt (*Eccli.* xxxiv), imo ad veritatem ducit, in eo quod mihi dulciter et sæpe commemorat, et tibi cupio ut commemoret illud dictum Filii hominis : « Ego autem in medio vestrum sicut qui ministrat (*Luc.* xxii), » et adjuvante commemoratione hac, ab eo quod cœpisti humilitatis gradu comminister sanctitatis, non desistat. Quid multa? « Omni tempore, ait Sapientia, sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat (*Eccl.* ix). » Scienti loquor, quia vestimentum tuum hominibus quidem nigrum, sed Deo et ea quæ Dei sapientibus candida sunt, et oleum in capite tuo charitatis est in corde tuo, quæ nunquam deficiat. Ego quidem dispendium timere potui pro absentia tui, secundum præsagium quod vidi prius quam progrederis. Mancum me esse videbam, dextera de cubito suo manu avulsa, quæ res illud sine dubio, quod de te actum est præsignabat. Verumtamen bene utrumque erat, quia dexteram ipsam, quamvis avulsam, non omnino amiseram, sed altera, id est sinistra manu deportabam, simulque quasi miraculum factum est, ut alio loco illius tenella manus dextera succresceret. Secundum hæc revera, te manum dexteram meam non omnino amisi, sed adhuc in sinistra, id est in præsentis vitæ cura tu mihi auxilium qualecunque ferre poteris. Certiorem autem habemus, et habere debemus Paracletum, id est consolatorem, videlicet eum qui dicit per Psalmistam : « Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam (*Psal.* cxx). » Quamvis ergo præsentia tua caream, quam sic habebam veluti custodiam fidam, et dexteram manum meam, non sim quasi desolatus, sed ipse custodiat sperantem in se, qui custodire et protegere potest super omnem manum dexteram. Spem istam inter cætera nonnihil roboret recordatio miraculi, cujus ego in Opere quod de Canticis canticorum scripsi, mentionem feci, ubi dilecta loquitur : « Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus (*Cant.* v). » Fateor, de me quoque illam narrationem feci, sed quia verebar insipientiam meam, ne viderer gloriari frustra, necessitatem non hominis quam nunc habeo, qui, sicut sæpe dixi, tu me adjurasti. Idcirco sic ipsam narrationem transfiguravi, **690** ut et rem ipsam veraciter dicerem, et tamen persona non posset agnosci.

Ultimo tandem libelli hujus capitulo exoratum se esse noverit, quisquis ista legerit, ut non quasi insipientem subsannare, sed quasi mœsti parvuli causam compatiens attendere velit illam videlicet quam in initio horum dixi, secundum verba Sapientiæ dicentis : « Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. Date siceram morientibus, et vinum his qui amaro sunt animo : Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius (*Prov.* xxxi). » Verba ipsa quoniam recitavi, libet aliquantisper aperire. Lamuel, quod interpretatur *in quo Deus*, ipse est Christus; de quo Apostolus dicit : « Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (*II Cor.* v). » Hic sese gratum habere, et gratanter adimplere consilium istud spiritus Sapientiæ, dicemus : « Noli, Lamuel, regibus dare vinum, » etc. Dicit in Evangelio : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* xi). » Denique et hic reges, et ibi prudentes et sapientes iidem sunt, scilicet superbi, « sensu suæ carnis inflati (*Col.* ii). » Istis ait : « Noli dare vinum, » id est noli aperire, imo claude divinorum profunda mysteriorum. Quam ob causam? Videlicet, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, id est nulla oris custodia, ubi scientia inflat (*I Cor.* viii). Secretum illud non est ibi, quod eadem sapientia desiderans alibi, cum dixisset : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide (*Prov.* v), subjunxit atque ait : « Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui (*ibid.*). » Quia ergo secretum non est ibi, et alienis, id est hæreticis, communes se faciunt. « Noli, inquit, dare eis vinum, ne forte, » quod sæpe contigit, « ita bibant ut obliviscantur judiciorum et mutent causam filiorum pauperis (*Prov.* xxxi), » id est ne male judicent de Scripturis, et aliter interpretentur quam expedit saluti auditorum, quos tu pauper, tu ipse mitis et humilis corde, filios tibi ex aqua et Spiritu sancto regenerasti. Mœrentes et amaro animo sive egentes atque dolentes sunt jam dicti parvuli, id est humiles qualium est ille gemitus : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* cxix), » qui in isto sæculo consolari renuunt, et idcirco lugent, quia sponsus ab eis ablatus est (*Matth.* ix). Istis date siceram, istis date vinum, id est istis aperiatur sensus, ut intelligant Scripturas, legentes legem et Evangelium, et ita bibentes, nunc interim consolentur ex parte donec veniat quod perfectum est (*I Cor.* xiii). Fateor, talium ego unus eram, quondam tam ætate adolescentiæ, quam propria parvulus æstimatione, ita nunc scienter lugens, et cum beato Job dicens : « Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. Noctem illam tenebrosus turbo possideat; non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria nec laude digna (*Job.* iii). » Sed bibi siceram, bibi vinum, eo modo vel ordine quo fideliter denarravi, in quo quia, ut puto, satisfeci tibi, jam nunc istorum finem sciens, interruptum subnectam sive repetam, ut compleam quod superest operis De gloria et honore Filii hominis, sperans quod in proximo te visurus sim.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

« Benedicta gloria Domini de loco sancto suo (*Ezech.* III), » ait illa, quam audivit propheta, ut longe superius memorare jam cœperam, vox commotionis magnæ, et vox alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vox rotarum sequentium animalia, et iterum vox commotionis magnæ (*ibid.*). Ab illa commotione, o gloriosum animal quod nunc videmus per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII), juxta sæpe dictum flumen Chobar, animal quatuor facierum, quæ tua quatuor sacramenta sunt, scilicet incarnatio, passio, resurrectio, atque ascensio, illam faciem tuam jam juxta propositum laudare cupimus, quæ recte dicitur facis leonis, videlicet fortissimam atque invictam virtutem tuæ resurrectionis. Ejusdem commotionis veraciter magnæ, initium simul et præsagium fuit illud, quod te clamante voce magna et emittente spiritum : « Ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt (*Matth.* XXVII), » non antequam resurgeres, sed te primogenito mortuorum resurgente (*Col.* I), resurrexerunt. Eatenus se continuerat facies leonis, agente vel patiente quod suum erat vituli facie, donec diceret : « Consummatum est, » et inclinato capite traderet spiritum, et patefacto latere per lanceam militis exiret sanguis et aqua (*Joan.* XIX), redemptionis animarum simul et corporum pretium. Statim et extunc, ut verbis Sapientiæ loquar : « Sicut fremitus leonis, ita et ira regis, et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus (*Prov.* XIX). » Cui, quæso, statim ira regis, sicut fremitus leonis? Nonne inferno et sempiternæ morti diabolo tenebrarum principi, antiquo peccatori, proposito mortis ? Et cui vel quibus hilaritas ejus, sicut ros super herbam ? Nonne omnibus sanctis sive electis, qui exspectaverunt eum ab origine mundi ? Talem fremitum tanti leonis quomodo senserunt spiritus illi, quandoquidem terra insensibilis et inanimata sensit? Mota est enim, et motu suo cum scissura petrarum fremitum illum se sustinere non posse clamavit. Econtra hilaritatem vultus ejus quomodo senserunt Abraham, Isaac, et Jacob, et cæteri sancti, quandoquidem et latro confitens sicut rorem sensit ? Audierat enim paulo ante sibi dictum ab illo : « Amen **691** dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). » Pulchre igitur dictum et veraciter adimpletum est : « Juda, te laudabunt fratres tui. Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum : Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum ? » (*Gen.* XLIX). Secundum hæc et his similia, quæ et vox alarum animalium

A percutientium alteram ad alteram, et vox clare personantium rotarum animalia sequentium (*Ezech.* III), id est Scripturarum veterum sacramentis evangelicis consonantium, recte dicta est hæc facies leonis esse a dextris. Nam facies vituli a sinistris, per quam, videlicet sinistram, significata est adversitas passionis, et facies leonis, ut jam dictum est, a dextris, per quam designatur prosperitas vel gloria resurrectionis. Sinistra autem dixerim pro infirmitate assumptæ humanitatis, salvo eo quod sicut resurrectio carnis ejus nostris corporibus, ita passio ejus nostris animabus dextera est. Nam per passionem ejus primam, quæ est animarum, resurrectionem habemus, et per resurrectionem ejus, resurrectionem secundam, quæ corporum est, in vitam æternam exspectamus. Sibi ergo soli facies vituli, id est

B sua passio a sinistris erat secundum quod tristis erat anima ejus, et tædebat, et pavebat (*Marc.* XIV). Nam interim pro causa valde necessaria dexteram ejus Pater tenebat, id est fortitudinem ejus differri volebat, ut ea non jam tunc, sed opportuno uteretur tempore, juxta quod in psalmo competit dicere : « Tenuisti manum dexteram meam, et voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (*Psal.* LXXII). » Nam et si cujuslibet sancti vel justi vox ista esse potest, nihilominus et multo magis ex persona hujus eam intelligi decet. Nam revera juxta quod ipse orans dixit : « Verumtamen non mea voluntas sed tua fiat (*Matth.* XXVI), » Deus Pater manum ejus dexteram tenuit, Deus Pater sua voluntate illum obedientis repressit ad tempus fremitum

C leonis. Qui paulo ante, scilicet postera die qua passurus, ingressus est civitatem, leviter se excutiens cum parvo flagello, quem fecit de resticulis, tantam multitudinem vendentium et ementium de templo ejecit, et mercimonia sive lucra eorum cum cathedris evertit (*Marc.* XI). Et deinde cum traderetur, dicendo : « Quem quæritis, ego sum (*Joan.* XVIII), » totam cohortem præsidis et ministros pontificum cum traditore prostravit. Eo usque tenuit dexteram illam, ut non saltem descenderet de cruce, dicentibus Judæis : « Si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credimus ei (*Matth.* XXVII). » Postquam ergo tenuit manum dexteram ejus, et in voluntate sua deduxit eum, fecit et quod protinus sequitur, « et cum gloria suscepisti me, » id est, a

D mortuis gloriose suscitasti me.

Nunc jam suprascripto prophetiæ capitulo, sermo attentius innitatur, et secundum verba ipsa, quod ad jam dictum fremitum leonis pertineat, aliquid loquamur. « Et audivi, inquit, post me vocem commotionis magnæ : Benedicta gloria Domini de loco sancto suo, » et cætera, ut supra. Sicut hic in prophetia semel et iterum auditam habemus vocem

commotionis magnæ, sic et in illo fremitu leonis, scilicet et in descensu ad inferos,et in resurrectione Jesu Christi factum esse terræmotum jam supra diximus, magnæ commotionis initium fuisse simul et præsagium. Initium, quia protinus cum ipso terræmotu ablatum est ab eis omne cœleste præsidium, clamantibus, ut Josephus quoque testatur, præsidibus templi virtutibus : « Transeamus ex his sedibus (22).Præsagium,quia videlicet in eo quod velum templi scissum est,nobis quidem revelatio cœlestium mysteriorum,sed illis scissura veli cum scissura petrarum præsagium fuit implacabilium seditionum,quibus extunc inter se discissi sunt, excitantes etiam contra semetipsos Romani imperii terræmotum.Hanc denique partem fremitus leonis simul memorare libet quoniam et alius propheta, videlicet Amos, taliter incipit : « Dominus de Sion rugiet, et de Hierusalem dabit vocem suam,et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli (*Amos* I). » Quænam fuerunt illa speciosa pastorum, nisi illa, de pulcherrimo templo lucra pontificum sive sacerdotum ? et quid vertex Carmeli quod interpretatur *scientia circumcisionis*, nisi superbia Judaici populi, carne quidem circumcisi, sed corde et auribus incircumcisi ? « Luxerunt ergo, ait, speciosa pastorum,et exsiccatus est vertex Carmeli, » id est desolata est civitas et templum, super quo gloriabantur pastores illi dicentes : « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est (*Jer.* VII), et ablatus est a Judæis omnis viror gratiæ spiritualis (*Isa.* XV), mandatum quippe est nubibus, ne pluerent imbrem super illum superbiæ verticem, mandatum est apostolis, ut excusso pulvere pedum in eos, ipsi ad gentes transirent (*Matth.* X). Istæ sunt quatuor partes illius commotionis magnæ, cujus vocem, ut præmissum est, sanctus Ezechiel audivit post se. Nam « Dominus de Sion rugiet, » hoc recte intelligitur, Dominus tanquam leo sive catulus leonis infernum confringet, et ante faciem ejus mors fugiet, juxta illud, quod jam supra memini, « catulus leonis Juda, ad prædam ascendisti, fili mi. » — « Et de Hierusalem dabit vocem suam, » id est incipiendo ab Hierusalem prædicari faciet in nomine suo cunctis gentibus pœnitentiam. Ejusmodi autem vox Domini, scilicet prædicatio Evangelii, nunquid non et ipsa rugitus leonis est? « Justitia enim Dei in eo revelatur, ait Apostolus : Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem,et injustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent (*Rom.* I). » Differunt tamen præsenti loco rugitus Domini, et vox ipsius quam dedit. Rugitus namque solus infert timorem, vox autem loquelam exprimens, cum terrore habet etiam doctrinæ rationem. Et Dominus nimirum super infernum solummodo rugiit, et rugitu suo mortem exterruit atque fugavit, mundo autem, id est cunctis gentibus vocem suam dedit,doctrinæ rationem expressit,vocem inquam, suam, scilicet loquendo Evangelio per commotionem magnam. « Conturbatæ sunt gentes, ait Psalmista, et inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra (*Psal.* XLV). » Nec vero simplex commotio illa. Nam alii moti sunt ad persequendum, alii ad agendam pœnitentiam credendo judicium futurum,secundum vocem alarum animalium, alteram ad alteram percutientium, et secundum vocem rotarum animalia sequentium. Altera namque ad alteram ala percutitur, quia duo sunt adventus leonis hujus, et alter de altero confirmatur ; secundus in quo judicaturus est de primo, in quo judicatus est. Magna et fortis percussio alarum hujusmodi et percussionis vox valde terribilis. Exempli gratia, cum dicit : « Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli (*Matth.* XXIV). » Et angeli dicunt : « Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I), » quod profecto testificatur vox rotarum, vox legis,et prophetarum et psalmorum, tunc erit et alia commotio magna, quando sic veniet ille judicaturus. « Nam et virtutes cœlorum movebuntur (*Matth.* XXIV). » Unde non otiose repetivit, quod jam semel dixerat,« et vocem commotionis magnæ. » Hæc pro illo terræmotu dicta sint,quia videlicet et quod eo moriente,et quod eo resurgente terræmotus factus est, magnæ commotionis signum fuit, de qua pro rerum magnitudine nulla potest lingua sufficienter eloqui.

Quæ tandem vel quid est gloria illi Domini, **692** quam prædicat et benedicit, tam animalium quam sequentium rotarum omnis vox, dicendo : « Benedicta gloria Domini de loco sancto suo ? » Quid, inquam, est gloria ipsa cui maxime propositum nostrum intendit, in præsenti opere De gloria et honore Filii hominis ? Quo alio nomine,ut melius possit agnosci, nuncupanda est gloria Domini ? Nempe isto nomine quid est veritas Domini ? et ipsa veritas Domini, quid est nisi Verbum Domini? Verumtamen causa postulat, et causam dicturi sumus, cur ipsum Verbum Domini, in quo gloriatur Dominus, libeat præsenti loco nuncupare veritatem Domini. Cum staret sub judicio ante præsidem,ipsum incarnatum Verbum Domini, et interroganti et dicenti : « Ergo rex es tu ? » (*Joan.* XVIII), respondisset : « Tu dicis, quia rex ego sum (*ibid.*), » statim causam suam, causam adventus sive incarnationis suæ taliter edixit : « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem (*ibid.*). » Magnum valde capitulum, in brevi sermone sensus pergrandis, quem si assecutus es, tunc revera dicas : « Benedicta gloria Domini. » Ut ergo clarescat ipsa veritas, quanta sit gloria Domini, et quam gloriosum opus hujus Filii hominis, moriendo et resurgendo testimonium perhibere vel perhibuisse veritati, primo consideranda est ipsa facies veritatis qualis sit. Non enim hic vulgariter nomen veritatis debet accipi, id est eo modo tantum, quo nominari solet in nostris quoque commu-

(22) Josephus De Bello Jud. lib. VII, cap. 12.

nibus verbis, juxta quem modum ethnicus quoque sive comicus ille veritatem nominare potuit, dicens :

Obsequium amicos, veritas odium parit.
(Terent. *Andr.*, act. I, scen. 1, vers. 41).

Unde ergo vel per quid juvari melius possis ad cognoscendam faciem veritatis, quam ex eo quod illi oppositum est, scilicet ex inconstantia vanitatis? Cujus, quæso, vanitatis? est enim tam amplum nomen vel significatio vanitatis, ut non solum phantasmata diaboli, qualia fecerunt magi Ægyptiorum coram Pharaone contra veritatem Dei (*Exod.* VII, VIII); verum etiam cuncta quæ fiunt sub sole, vana dicantur et sint : « Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Eccle.* I). » Et post enumerationes multorum, quæ sub sole fiunt : « Vidi, inquit, in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole (*ibid.*) » Nimirum cuncta quæ non permanent, propter hoc ipsum quia non permanent, vana esse judicavit; verumtamen ut hæc vana esse judicentur, seu vanitatis arguantur, non tam temporalis conditio ipsorum quam cupiditas meretur hominum; qui nimirum vani et falsi sunt, dum in eorum usu sive affluentia beatitudinem sibi constituere præsumunt. Denique et ædificare domos, et plantare vineas, et facere hortos et pomeria possidere, servos et ancillas multamque familiam habere, armenta quoque, et magnos ovium greges, aurum et argentum et substantias regum ac provinciarum et cætera hujusmodi (*Eccle.* II), sancti quoque patres, Abraham, Isaac, et Jacob, et Job, et David possidere potuerunt, nec tamen ea possidendo in vanitate ambulaverunt. Ad summum, « vidit Deus, inquit Scriptura, cuncta quæ fecerat, et erant valde bona (*Gen.* I). » Et de cibis Apostolus loquitur, quia « omnis natura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur (*I Tim.* IV). » Ergo ut vana judicentur, non ipsorum natura, sed male utentium facit affectus, quando nimium vel supervacue diliguntur, videlicet præ concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. A quibus nos revocans Joannes apostolus : « Quoniam, inquit, omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (*I Joan.* II) : » quæ non est ex Patre, sed ex mundo est, « et mundus transit et concupiscentia ejus (*ibid.*) »

Semota igitur mediarum multitudine vanitatum, summam vanitatem, et quæ recte dicatur vanitas vanitatum, explorare libet, quatenus ex deprehensione illius victæ partis notior fiat hæc pars victrix, scilicet veritas Dei, victoriæ laudem adepta per testimonium hujus Filii hominis, quemadmodum dixit, ut supra jam memini : « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. » Explorata est, et ipsa altitudo Satanæ, « quemadmodum dicunt, ait Joannes apostolus (*Apoc.* II), subauditur, hi qui eum cognoverunt, vel stulte admirati sunt. Explorata, inquam, est maxime sanctis prophetis. Nam in Ezechiele Deus exprobrat illi sub nomine Pharaonis regis Ægypti : « Ecce, inquit, ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis, meus est fluvius, et ego feci memetipsum, » et cætera, usque « eo quod dixeris : Fluvius meus est, et ego feci eum (*Ezech.* XXIX). » Quid, rogo, est dicere istum draconem magnum : « Meus est fluvius, et ego feci eum, » nisi dicere, meum est humanum genus, et ego feci illud? Et unde putas illi altitudini Satanæ ut hoc audeat dicere? Puta quod proinde glorietur sic, tantumque sibi arroget, quia nequissimus venator per os serpentis sibilans, radicem nostræ originis in primis parentibus vitiavit, ut tam multiplex ultra numerum succresceret propago generis humani, supra numerum, inquam, eorum, « quos Deus præscivit et prædestinavit regni sui consortes fieri (*Rom.* VIII), » quosque in benedictione jussit nasci, benedicens enim dixit : « Crescite et multiplicamini (*Gen.* III). » Nam revera si intercessisset prævaricatio, auctore illo serpente maligno, non dixisset Deus ad mulierem : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos (*ibid.*), » non profluxisset ex carnis liquore tantus fluvius tanta superfluitate abundans, imo superabundans humanum genus. Sic vanus et mendax nebulo ille malignus, ut proinde ausus sit dicere factorem se humani generis, pro eo quia vitiator est humanæ originis. Qualis autem, quam mala sit intentio vel semper fuerit, in operatione tanti adversarii « in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis (*II Thess.* II), » quorum primum illud ex Scripturis agnovimus, quod serpentem ingressus, et per os ejus locutus, stultam mulieri admirationem fecit, eamque seduxit; ultimum quod hominem peccati, scilicet Antichristum, ingressurus est, et seducet eos, qui juste pereant, eo quod charitatem veritatis non receperunt credentes mendacio, judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, qualis, inquam, intentio ejus sit vel fuerit, operæ pretium est, et ad præsens negotium pertinet hic breviter edicere, ut, sicut propositum est, per hoc oppositum bonam et utilem intentionem Dei clarius queamus agnoscere. Hæc nimirum intentio ejus fuit, quæ nunc frustrata est per Jesum Christum, ut creatura cognoscere non posset Creatorem suum. Quam ob causam? Videlicet, quia cognoscere illum vita æterna est, quam ille Deo mortuus et mortis auctor omnibus invidet. Econtra intentio Dei in omni operatione suæ bonitatis, in omni virtute et signis, et prodigiis veracibus in omnibus quas condidit Scripturis veritatis hæc fuit et est, ut creatura Creatorem suum in veritate cognosceret. Quam itidem ob causam? Nimirum

quia cognoscere illum, vita æterna est, quam ille nobis cupit, quia bonus est : Nam « hæc est vita æterna, » inquit Filius ad Patrem, « ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII). » Causa ista vere magna est, et digna Deo, propter quam voluerit cognosci **693** et glorificari, et admirabilis fieri, magnumque certamen suscipere contra illam intentionem diaboli, quo posset, vincendo illum, melius cognosci, eo quod fructus cognitionis ejus, vita æterna creaturæ sit. « Quemadmodum Jamnes et Mambres restiterunt Mosi, ita hi resistunt veritati : homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus sicut et illorum fuit (*II Tim.* III). » Igitur ut certamen peramplum atque diutinum, diffusum in universitate melius per compendium, perspicias in parte, sit tibi Pharao ille carneus, tanquam spiritualis Pharao diabolus, sic illa localis Ægyptus, tanquam totus mundus, sic Israelitæ peregrinantes in illa Ægypto, tanquam omnes electi Dei, degentes captivi in hoc sæculo, sic omnis temporis illius Ægyptus tanquam omnes homines reprobi, et a Deo alieni, sic illi duo magi, tanquam omnes ministri Satanæ, quicunque restiterunt veritati, maleficiis sive quibusdam arcanis et incantationibus maxime armati, sic Moses et Aaron tanquam omnes sancti et prophetæ vel justi, quicunque doctrinam vel ministerium veritatis assecuti, ad hoc missi sunt et in hoc steterunt, ut testimonium perhiberent veritati. Quo tendebat Pharao, vocans sapientes et maleficos, ut facerent ipsi per incantationes Ægyptias et arcana quædam similiter ut Moses et Aaron, projicientes singuli virgas suas, quæ conversæ sunt in dracones : et convertentes aquas in sanguinem, et educentes ranas super terram Ægypti, similiter ut Moses et Aaron, licet ultra proficere non potuerunt (*Exod.* VII, VIII.) Quo tendebat, nisi eo ut Dominus Deus Hebræorum dicere non posset quod dicebat : « Ut scias quod non sit similis mei in omni terra ? » (*Exod.* IX.) At ille et magi ipsius restiterunt quidem veritati, sed ultra non profecerunt, et insipientia illorum manifesta fuit, dum per immolationem agni tandem effectum est, ut cantare liceret Israeli : « Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis et faciens mirabilia? » (*Exod.* XV.) Juxta hunc modum qui spectatus est in parte spectandum est et in universitate. Quo enim tendebat spiritualis Pharao diabolus, adhibens et subordinans sibi per mundum universum templa et sacerdotes arreptitios sive fanaticos, magos et aruspices, poetas quoque turpium numinum declamatores, similiter, ut putabat, sicut Deus, imo plures quam Deus, qui tantum in una gente habebat prophetas et sacerdotes. Quo tendebat nisi eo, ut nesciret mundus, nebula ejus obtenebratus, illud quod scire vita æterna est, scilicet quod non sit Deus, nisi unus ?

A Non propositum nobis est demonstrare, sed neque scire licet, quibus modis, quibus artibus homines corruptos mente in jus suum deduxit, qui nisi corrupti sua sponte fuissent, et voluptatum amatores, odiumque veritatis habentes, non tam facile, non tam curiose, tantum admisissent creaturæ Dei adulterium, non ignorantes iniquum esse et impium, cum illo habere pactum, sed plane scientes, et tamen obsequentes, propter illum, quem nimis diligebant, temporalem hujus mundi successum. Exempli gratia : « Numa Pompilius, tertius [*Leg.* secundus] a Romulo rex, sacrorum Romanorum constitutor, conscriptas eorumdem sacrorum causas, ipse quidem, quoad vixit, penes se habuit, sed nec populo nec senatui, nec saltem ipsis sacerdotibus eas in-
B notescere voluit. » Constat quippe quia curiositate illicita, ad ea dæmonum pervenerat secreta, quæ ipse quidem ut scriberet, ut haberet unde legendo commoveretur, sed tamen quamvis rex esset, qui minime quemquam metueret, scire neminem voluit, ne homines nefaria doceret, violare autem timuit, ne dæmones iratos haberet. Obruit ergo ubi tutum putavit, scilicet in sepulcro suo, cui appropinquare aratrum posse non credidit, quod tamen factum est. Nam cujusdam Terentii bubulcus, cum juxta sepulcrum ejusdem Numæ aratrum trajiceret, libros illos ex terra eruit, et in Urbem ad prætorem pertulit. At ille cum respexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. Ubi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum,
C eosdem libros, ut prætor combureret, tanquam religiosi patres censerunt (23). Sed redeamus ad rem.

Quam vano tumore inflatus ille Satanas, sibimet applaudebat, eo quod effecisset, ut non solum cætera Dei opera, quorum sub sole nil permanet, ait Ecclesiastes (*Eccle.* II), verum etiam ipse homo, ad imaginem Dei factus, vanitatis argui posset, ita ut Scriptura quoque diceret : « Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt (*Psal.* CXLIII). » Item : « Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII). » Et iterum alia Scriptura dicit : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job.* XIV). » Effecerat quippe
D duas hujusmodi mortes, alteram animæ, alteram corporis, secundum illam mysticam similitudinem in Ægypto, vel sicut jam supradictum est, Magi coram Pharaone, cum duo essent, projecerunt singuli virgas suas quæ versæ sunt in dracones, nescientes futurum, quod virga Dei virga Aaron versa in colubrum devararet virgas eorum. Unam quippe solummodo quæ carnis est, mortem, Deus homini bene providus intulit, dicendo : « Ne forte sumat de ligno vitæ et vivat in æternum, » emittens eum de paradiso, et dicens ei : « Quia terra es, et in terram ibis

(23) S. August. De civit. Dei, lib. VII, cap. 24, Patrol. tom. XLI, edit. Migne.

(*Gen.* III). » Verumtamen et ipsa mors carnis non minus quam mors animæ auctori diabolo ascribenda est, quia propter peccatum, cujus ille auctor exstitit, utraque mors in hunc mundum subintravit (*Rom.* v). Itaque vanus male gloriabatur, quod optimam Dei creaturam, scilicet hominem, quasi victor, vanitati et morti subjecisset, ignorans futurum, quod, sicut jam dictum est, virga Dei versa in colubrum virgas contrarias devoraret, id est mors carnis divinitus provisa, utramque generis humani mortem evacuaret. Quam justo econtra dolore interim omnis creaturæ angelicæ et humanæ pars electa dolebat, bene æmulans pro sui Creatoris honore, eo quod opus ejus nondum ita esset consummatum in veritate, ut obstrueretur os nebulonis illius, gloriantis quasi pro victoria, tanquam omnino et irrecuperabiliter avertisset propositum Dei, parte angelorum detracta, et vitiata omni creatura humana. Hinc Joannes in Apocalypsi cum præmisisset : « Et nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum, et ego, inquit, flebam multum, quia nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum (*Apoc.* v). » Denique in persona flentis Joannis universitatem intelligimus, et eorum qui erant in cœlo, id est sanctorum angelorum, et eorum qui erant in terra, scilicet hominum justorum in quacunque generatione viventium, et eorum qui erant subtus terram, videlicet mortuorum fidelium, quia apud inferos longum videndi gloriam Dei habebant desiderium. Omnes itaque dolebant tanto dolore, quantum ille Joannis fletus debuit significare, eo quod nemo dignus inveniretur aperire librum, et solvere signacula ejus, id est adimplere sacramenta salutis nostræ, vel promissa quæ Scripturis veritatis clausa continebantur. Ab aliqua similitudine capiamus argumentum. Cum ille Philisthæus Golias, stans clamaret adversus phalanges **694** Israel, et diceret : « Quare venistis parati in prælium ? nunquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saul ? eligite ex vobis virum et descendat ad singulare certamen (*I Reg.* XVII), et post hæc et cætera ejusmodi, jactaret se dicens : « Ego exprobravi agminibus Israelis hodie (*ibid.*) : nimirum dolebant omnes viri Israelitæ, quia nemo inveniebatur qui auferret hoc opprobrium ab Israel, cum præcederet idem Philisthæus mane et vespere, et staret quadraginta diebus. Fugiebant omnes a facie ejus timentes eum valde, et dicentes alter ad alterum : « Ad exprobrandum Israel ascendit, ad exprobrandas acies Dei viventis (*ibid.*). » Quid autem erat opprobrium sive exprobratio unius hominis, pro causa ejusmodi in comparatione tantæ rei, tanti adversarii, dicentis : « Deus ego sum et in cathedra Dei sedi, et meus est fluvius, et ego feci eum, » scilicet genus humanum ? (*Ezech.* XXVIII, XXIX.) Si ergo dolore justo dolebant omnes Israelitæ propter unum talem Philisthæum, et propter illud tale opprobrium Israel, quia non habebant virum qui descenderet ad singulare certamen, quanto magis jure dolebant omnes sancti, et homi-

A nes, et angeli, pro gloria Dei, eo quod non haberent, qui pugnarent contra talem tantumque adversarium diabolum, secundum jam dictam similitudinem Joannis multum flentis, eo quod nemo esset inventus, neque in cœlo, neque subtus terram dignus aperire librum vel respicere eum.

Igitur Dominus, Pater Verbi æterni, et Deus totius consolationis, qui non statim, sed post quadraginta dies illius opprobrii, cum jam bene experti essent omnes Israelitæ quod non deberent confidere in viribus suis, misit eis parvulum David, quem providerat sibi regem in filiis Isai, in quo experimentum faceret virtutis nominis sui, dicente : « Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini, ut sciat omnis terra

B quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus (*I Reg.* XVII). » Ipse non statim post verbum promissionis, sed post generationes quadraginta, quarum prima in ipso Abraham, quadragesima reputatur in Joseph, « misit filium suum Christum, » sicut ait Apostolus, « in plenitudine temporis (*Gal.* IV), » qui salvaret non in gladio, neque in hasta, sed in sua humilitate et patientia. Quis ita futurum crederet, quod talis ille parvulus, de domo patris cujus pascebat oves assumptus, tale experimentum daret virtutis seu nominis Domini ? Nunquam enim sic contigerat in Israel. Sed nec quisquam eatenus prodierat ex cunctis hostibus Israel, qui multi fuerant taliter, ut ad singulare certamen provocaret, et talem conditionem proponeret. « Si quiverit pugnare

C mecum, et percusserit me, erimus vobis servi ; si autem prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis (*I Reg.* XVII). » Itaque venerabilis in puero causa, propter quam se periculo dedit, spem firmissimam habens in nomine Domini, quod auferret opprobrium ab Israel, scilicet ut ultra non dominarentur, aut prævalerent eis Philisthiim, venerabilis, inquam, causa quam dixit, « ut sciat omnis terra, quia est Dominus Deus Israel, » et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus ; ipsius est enim bellum. Similiter quis, nisi cui Deus revelaverat per spiritum suum, existimare vel sperare posset quod mortalis homo, per omnia nostræ naturæ in Deum in ipsa sui conceptione assumptus, in hoc nasciturus, et ad hoc esset in mundum venturus, ut tale testi-

D monium perhiberet veritati, quemadmodum dixit, quod jam superius memini, « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. » Quale enim vel quomodo et cujus rei testimonium perhibuit veritati, scilicet Verbo Dei, Verbo Deo qui illum assumpsit ? Nimirum fidele testimonium perhibuit, id est experimentum in semetipso dedit, quod veritas quæ non est aliud quam ipsum Verbum Dei, non minus in humilitate seu infirmitate mortalis naturæ quam in majestate seu fortitudine divinitatis suæ, non minus in profundo inferni, quam in altitudine cœli, esset insuperabilis, infatigabilis, incommutabilis. Hujus rei testimonium per-

hibuit veritati moriendo, ad infernum descendendo, a mortuis resurgendo, et in cœlum unde venerat ascendendo, ut sciret omnis creatura angelica et humana, per hoc experimentum, quia « verbum Domini manet in æternum (*Isa.* XL) ; » et hoc sciendo ipsa quoque creatura viveret in æternum, nam « hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan,* XVII). » Cujus unquam oculus hoc vidit ? Cujus auris audivit ? Cujus in cor hominis ascendit, quod taliter fieri, nisi prophetarum paucorum, quibus Deus per spiritum suum revelavit ? Ut de hominibus taceam, nunquid vel sancti totum hoc sacramentum sciebant omnes angeli ?

Denique Apostolus dicit : « Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro (*Ephes.* III). » Non dixit ut innotescat Ecclesiæ per principatus et potestates quæ sunt in cœlestibus, quod minus mirum videretur, sed « ut innotescat per Ecclesiam principibus et potestatibus in cœlestibus multiformis sapientia Dei, quam fecit in Christo Jesu, » ita videlicet ut videntes glorificatum caput ejusdem Ecclesiæ, admirentur et dicant : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus, de Bosra ? iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ (*Isa.* LXIII). » Et alibi : « Quis est iste rex gloriæ, quis est iste rex gloriæ ? (*Psal.* XXIII). » Quorum ne omnino ignoremus admirationem quod vere digna sit, consideremus, quoad possumus, rem tanti sacramenti, quod a sæculis absconditum innotuit eis, secundum hæc ipsa verba beati Apostoli : « Data est mihi, inquit, gratia in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, » et cætera, ut supra. Pulcherrimas et valde pretiosas divitias Christi, quas eidem filio suo thesaurizavit dives Pater Deus, qui omnia creavit, quas alias vult intelligi, nisi eas quas continet gazophylacium Dei, gazophylacium Evangelii ejusdem Jesu Christi ? Quas enim alias investigabiles divitias ipse, qui hæc loquitur, Apostolus in gentibus evangelizavit ? Ergo divitiæ Christi, divitiæ investigabiles sunt omnes gratiæ vel dona Spiritus sancti, « omnis habitans in eo corporaliter plenitudo divinitatis (*Col.* II), » plenitudo gratiæ et veritatis, quia « vidimus, ait evangelista Joannes, gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum, » subauditur, vidimus eum, « gratiæ et veritatis (*Joan.* I). » De hujuscemodi divitiis aliqua dicturi, prius dicendum arbitramur de illa dispensatione sacramenti absconditi, imo et ante de ipso sacramento abscondito a sæculis æternis in Deo, qui omnia creavit. Cujus, quæso, de absconsione sacramenti hæc dicit ? Cognito namque sacramento sive absconsione sacramenti, tunc demum sine scrupulo viam sese ostendit ad cognoscendam dispensationem sacramenti de qua dixit, « et illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi. » Quid ergo intelligi vult nomine « sacramenti absconditi a sæculis, » subjungendo, « in Deo qui omnia creavit ? » An forte causam ipsam secretam, propter quam Deus **695** omnia creavit ? Non enim frustra vel otiose, talem præsenti loco relationem fecit, dicens « in Deo qui omnia creavit, » et quæ causa est, propter quam Deus omnia creavit, nisi iste Filius hominis ? Religiose dicendum, reverenter est audiendum, quia propter istum Filium hominis, gloria et honore coronandum, Deus omnia creavit. Unde enim Apostolus ad Hebræos cum præmisisset : « Videmus Dominum Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum (*Hebr.* II), » ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, ita subjunxit : « Decebat enim eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummari (*ibid.*). » Diligenter animadvertendum, duo dixit, propter quem omnia et per quem omnia. Et quidem per quem omnia si solum dixisset, non esset adeo mirum sive incognitum, scimus enim omnes quia « per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » Nunc autem duo hæc dixit, prius, propter quem omnia : deinde, et per quem omnia. Ergo ipse causa est, propter quam videlicet causam Deus creavit omnia, et quam pulchre, quam venerabiliter sacramentum appellavit absconditum a sæculis in Deo qui omnia creavit. Denique cum diceret Deus, hoc fiat vel illud, « fiat firmamentum in medio aquarum, fiant luminaria et illuminent terram (*Gen.* I), » et ita fieret ; sciebant angeli de his et de cæteris, quod per Verbum fierent, quoniam de omnibus : « Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt (*Psal.* XXXII, CXLVIII). » Causa autem, cur hæc omnia faceret, abscondita erat in Deo, et idcirco causa ipsa recte dicitur sacramentum, quia hoc erat in Deo absconditum, id est soli Deo cognitum, propter quid et angelos creasset, et fabricam hujus mundi conderet.

Nunc autem innotuit, et angelis in cœlestibus et hominibus in terra, quia per quem facta sunt omnia propter ipsum etiam facta sunt omnia. Quod, ut lucidius pateat, jam de dispensatione sacramenti ejusdem dicendum est. « Et illuminare, inquit, omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi, a sæculis in Deo qui omnia creavit. » Eorum quæ præcipue sunt in dispensatione sacramenti, id est causæ secretæ, propter quam Deus omnia creavit, scilicet Verbi Dei, ejusdemque Filii hominis, propter quem omnia, sicut jam dictum est, eorum, inquam, primum est opus incarnatio, secundum passio, tertium resurrectio, quartum ascensio, de quibus quatuor sacramentis, ad æternam salutem necessariis, nam absque horum fide nemo potest salvari, hic nobis sermo est scribendus De gloria et honore Filii hominis. Sic namque accipimus unum sacramentum quod erat in absconsione illa, et quatuor sacramenta.

quæ apparuerunt in dispensatione ista, sicut in visione prophetica, de qua in hoc opere jam sæpe dictum est, unum animal et quatuor accipimus facies, sive quatuor animalia (*Ezech.* I). Nunc vide in ista quaternaria dispensatione sacramenti, quomodo sancti angeli mirantes interfuerint, quoniam Apostolus de isto sacramento dixit, « ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei. » Nato illo de virgine Maria, ipsa nocte pastoribus angelus locutus est cum claritate magna, et mox ut ille gaudium magnum annuntiavit dicens : « Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David, subito facta est cum illo multitudo militiæ cœlestis laudentium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). » Nimirum jure laudabant, recte admirabantur et glorificabant, quia magnum innotuerat eis sacramentum, quia videbant ejusdem Dei et Domini sui in terra non minorem humilitatem sive clementiam, quam viderant in cœlo majestatem sive potentiam. Item, cum pateretur, et cum in passione agonizaretur, nimirum præsentes aderant angeli ad tam mirum patientiæ et humilitatis ejus spectaculum. An quia de uno solo narrat evangelista, « quia apparuit ei angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* XXII), » putas quia non plures adfuerunt ? Imo et illos præsentes habebat, et si voluisset, visibiliter exhibuisset, de quibus Petro dicebat : « An putas quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum ? » (*Matth.* XXVI). Item, cum resurgeret a mortuis, et ex abundanti est astruere quia læti exceperunt cum omnes sancti angeli, et sicut alibi scriptum est : « Laudaverunt eum astra matutina, et jubilaverunt omnes filii Dei (*Job.* XXXVIII), » attoniti præ gaudio tanti sacramenti, quod innotuerat eis, ita ut dicerent : « Quis est iste rex gloriæ ? quis est iste rex gloriæ (*Psal* XXI) ? » et respondorent ipsi suæ admirationi : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, ipse est rex gloriæ, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ (*ibid.*). » Sufficiebant duo ex illis ad judicium sive pro testimonio magnæ cunctorum festivitatis, sedentes visibiliter ad monumentum ejus in albis (*Luc.* XXIV). In cœlum cum ascenderet, et apostoli intuerentur eum euntem in cœlum, magnum cunctorum beatorum spirituum festivitatem satis indicaverunt duo ex ipsis, qui astiterunt juxta illos in vestibus albis (*Act.* I). Hæc idcirco dicta sint, ut aliquatenus persentire queamus, quam magna et quam læta fuerit admiratio sanctis angelis super illo sacramento, secundum hæc verba B. Apostoli :

« Et illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui creavit omnia, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei (*Ephes.* III). » Adhuc de ista vera Domini gloria seu veritate gloriosa, quæ diaboli veritatem et mendacium taliter vincit, aliqua dicturi magno ejusdem ducimus amore veritatis, ut non intactam prætereamus illam stultitiæ suspicionem, quam Apostolus in gentibus redarguens : « Nos autem, inquit, prædicamus Christum Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I). » Stultitiam namque visum est gentium sapientibus, quod Deus cum prædicetur omnipotens, ut vere est, causas evenire permisit, propter quas oporteret eum hominem fieri et crucifixi, secundum stultam, ut eis visum est, prædicationem Evangelii. Quare non potius fecit ut omnipotens Deus, quatenus neque homo caderet, neque angelus, atque ita salva starent omnia sine labore ejus : Stultum namque fuit, aiunt sapientes hujus sæculi, quorum sapientiam Deus stultam fecit, stultum fuit, malle pro mortuis mori, sicut prædicatis, quam prævenire malum sive causam, propter quam oporteret, necessario Deum hominem factum, etiam pro hominibus mori, malle pro reparandis ruinis laborare, quam creaturas angelicam atque humanam, ne ruere possent, firmiter in ipso creationis initio stabilire. Secundum istam sæculi sapientiam consequens visum est nonnullis etiam ecclesiasticis, quod Deus voluerit malum ipsum fieri, propter quod oporteret Dei Filium hominem factum, ut jam dictum est, mori, ne si aliter dicerent, viderentur consequenter debere fateri, quod Deus omnipotens non sit. Itaque utrobique magna est difficultas humano sensui, et utrobique præsumptoribus blasphemandi occasionem parit. Aiunt enim isti : Si malum Deus fieri noluit, malum autem evenit, propter quod ipsum usque ad mortem laborare oportuit, **696** ergo Deus omnipotens non est. Aiunt econtra illi : Si Deus omnipotens est, et malum ne fieret avertere potuit, malum autem eo permittente factum est, propter quod usque ad mortem laboraturus erat, ergo Deus sapiens non est.

Et ut de aliquo exemplo non magis coarctent, id est sapientes hujus sæculi, quorum, ut jam dictum est, sapientiam Deus stultam fecit, dicere possunt, si volunt : Si potuisset fortissimus Samson inimicos suos omnes principes Philisthinorum, et cum eis tot viros ac mulieres sic interficere, ut non ipse moreretur, nonne stultum fuisset sic de illis ultionem quærere, et sic eos interficere, ut etiam ipse moreretur ? (*Judic.* XVI) Medium istarum partium eximius Pater Augustinus, regiam tenens viam, dixit : « Quis enim audeat credere aut dicere, ut neque angelus, neque homo caderet in Dei potestate non fuisse ? Sed eorum hoc potestati maluit non auferre, atque ita et quantum mali eorum superbia, et quantum boni sua gratia valeret, respondere. » Verumtamen cum hæc dicit, non satis illorum suspicionem perimit, quibus cum Dei omnipotentia constet, consequens esse videtur quod Deus malum fieri voluerit, cum eo sciente vel præsciente factum sit. Quid igitur dicemus ad hæc, nisi esse aliquod quod Deus omnipotens potuerit aut non possit ? Nec vero primum a nobis dicendum, imo longe ante nos dictum

est, quia Deus injustus esse non potest. Sed et in Evangelio Marcus hoc negationis verbi uti non dubitavit. Cum enim abiisset Dominus Jesus in patriam suam, dicentibus illis : « Unde huic hæc omnia, nonne iste est faber, filius Mariæ ? non poterat, inquit, ibi virtutem ullam facere (*Marc.* VI), » scilicet virtutem fidei, virtutem spei, virtutem charitatis. Hujusmodi namque virtutes intelligi voluit, subjungendo, « nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, et mirabatur propter incredulitatem eorum (*ibid.*) » Si ergo Dominum virtutum, verum Dei, Dei omnipotentis omnipotentem Filium dixit, in illis conviciniis ejus non potuisse facere virtutem illam, quia non per ignorantiam errabant, sed per invidiam blasphemabant, quanto magis de illis spiritibus malis et malignis, superbis et invidis, qui gloriæ Creatoris invidebant, sane, dicas, quia non potuit in eis facere ullam virtutem ? An putas quia de virtute in vitium, et non potius de vitio in vitium ruendo, et angelus cecidit de cœlo et homo ejectus est de paradiso ? Non enim ita cecidit ut qui erat sanctus, sive in aliqua sanctitatis arce locatus fieret iniquus, et in id quod sanctitati est contrarium laberetur, sed ad hoc ut sanctus fieret, Deumque cognoscendo et diligendo sanctus fieret et ad sanctitatem proficeret, et angelus in cœlo, et homo positus fuerat in paradiso. Non ergo de sanctitate, quam non attigerat, in iniquitatem, sed de loco in locum, de cœlo in istum caliginosum aerem, de mansionibus quæ in domo ab initio et angelis et hominibus multæ paratæ sunt, cecidit sive ejectus ille angelus, et cadendo factus est diabolus, quia superbivit, et sibimet ipse placuit tanquam sibi sufficiens, quod non fuit de virtute in vitium cadere, sed in eo, quod factus est remanere, scilicet in vanitate, quod quidam medium est inter veram et incontaminabilem essentiam Dei, et illud unde omnia creavit, scilicet, nihil. Et cætera quidem nascentium genera in id revertuntur, unde facta sunt, scilicet in nihilum, et idcirco interim, dum subsistunt, recte vana dicuntur et sunt ; angelica vero et humana creatura, non quidem in nihilum, ita ut omnino non sit, sed in semetipsa remanens, et Deo qui vere est, frui contemnens, nihilominus vana, imo et ipsa vanitas est.

« Vanitas enim vanitatum, dixit Ecclesiastes : Vanitas vanitatum et omnia vanitas (*Eccle.* I), » et homo ipse vanitas, sive vanitati similis factus est. Et ipse diabolus non solummodo vanus, verum etiam totius vanitatis est princeps, quia Deo frui contempsit, et in semetipso remare noluit, ut jam dictum est. Utrum in potestate Dei fuerit, quatenus nec iste de cœlo, nec homo illum imitans caderet, sive ejiceretur de paradiso, dicat ipse Dei Filius, omnipotens ex omnipotente, Deus ex Deo : « Non possum, ait, ego a meipso facere quidquam ; sicut audio, judico (*Joan.* XV). » Unde sciendum quia judex injustus est, qui a semetipso facit, id est, qui aliter judicat

A quam audit, sive intelligit. Hoc facere Deo impossibile est, injustus enim [esse] omnino non potest. Et proinde sicut audivit, sic illum judicare oportuit, ut sese non communicaret aut impartiretur creaturæ illi quæ ausa est velle seipsam sufficere sibi. Salva igitur omnipotentia, salva benevolentia Dei, ruente diabolo et homine decepto, malum accidit, propter quod Deum sapientem laudabiliter hominem fieri, et pro omnibus mori oportuit, aliterque homo salvari non potuit, et hoc nimirum sensu fidelis animus non segnior, imo citatior fit ad occurrendum, et gratias agendum charitate Dei, quia necessario propter nos tantum se humiliavit. Nunc ad illud longe superius memoratum Apostoli capitulum recurrere libet, quod dicit : « Decebat enim
B eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari (*Hebr.* II). » Hic primum illud quærere libet utrum iste Filius Dei, de quo hic sermo est, etiam si peccatum, propter quod omnes morimur, non intercessisset, homo fieret, an non. Nam de eo quod mortalis homo non fieret, quod mortale corpus non assumeret, nisi peccatum accidisset, propter quod et nos omnes facti sumus mortales, nulli dubium est, nulli nisi infideli incognitum est. Illud quærimus utrum hoc futurum, et humano generi aliquo modo necessarium erat, ut Deus homo fieret caput et rex omnium, ut nunc est, et quid de hoc respondebitur ? Nimirum de omnibus sanctis et electis certum est, quia nati fuissent omnes, et soli,
C si non accidisset illud peccatum primæ prævaricationis. Hinc Pater Augustinus in libro decimo quarto De civitate Dei : « Quisquis autem dicit primos homines non coituros fuisse, nec generaturos nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum ? Si enim non peccando soli remanerent, quia, sicut putant, nisi peccassent generare non possent, profecto ut non soli duo homines justi possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit. Quod si credere absurdum est, illud potius credendum quod sanctorum numerus, quantus complendæ illi sufficit beatissimæ civitati, tantus existeret, et si nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quousque filii sæculi hujus generant et generantur (24). » Cum ergo de sanctis
D et electis omnibus dubium non sit, quod nasc ituri forent omnes usque ad præfinitum numerum secundum propositum Dei, quo ante peccatum benedicens : « Crescite, ait, et multiplicamini (*Gen.* I), » et absurdum sit putare, quod propter eos, ut nascerentur, peccatum necessarium fuerit, quod de isto capite, et rege omnium electorum angelorum et hominum sentiendum, nisi quod et ipse maxime causam necessariam non habuerit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus delicias suæ charitatis habiturus cum filiis hominum (*Prov.* VIII).

(24) S. August. De civit. Dei, lib. XIV, cap. 23, Patrol. tom. XLI, edit. Migne.

697 Ipse est enim sapientia Dei, quæ de isto A suo proposito dicit, « Dominus possedit me in initio viarum suarum, » (*Prov.* VIII) etc., quæ ita concludit : « Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Ibid.*).» Tantæ charitatis propositum, quo proposuerat Deus Dei Verbum deliciari cum filiis hominum, formam habendo circumscriptam ex natura humana in medio angelorum et hominum, mirum et adoratione dignum, quia non evacuavit ex adverso veniens peccatum, imo jam tunc factum est illud, quod alibi sive aliunde dictum est : « Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia (*Rom.* V).» Ubi namque abundavit tantum tantæ prævaricationis delictum, ubi super mortem animæ, qua mortui fuimus in illis parentibus nostris per illud originale peccatum, accessit mors altera, mors scilicet corporis, providentia Dei, dicentis ad hominem : Quia terra es, et in terram ibis (*Gen.* III) : gratiosum accessit præceptum ad charitatem Filii obedientis, quatenus ipse Filius talis fieret absque peccato, quales non propter peccatum facti fueramus, id est, non solum nostram, quam proposuerat assumere naturam, offensus non resurgeret [refugeret?], verum etiam propter nos usque ad mortem nostram descenderet, quod cum maxime diceret, quemadmodum, ut jam meminimus, Apostolus dicit : « Decebat enim eum propter quem omnia, et qer quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari (*Hebr.* II). » In hac ergo consummatione, eo quod per passionem consummatus est ipse auctor salutis nostræ, pondus est paterni præcepti, decus est obedientiæ Filii paternæ dilectionis, de quo idem Apostolus dicit : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Et alibi : « Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). Et ipse Filius ipsa nocte qua tradebatur, ait ad discipulos suos : « Sed ut cognoscat mundus, quia ego diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio (*Joan.* XIV). » Et quia per charitatem Pater hoc mandatum dedit, et per charitatem Filius obedivit usque ad mortem crucis, ipsa autem charitas sanctus est Spiritus eorumdem Patris et Filii, rece et venerabiliter idem Apostolus ad Hebræos dicit : « Sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi (*Hebr.* IX). »

Hanc ejus humilitatis et obedientiæ gloriam magna gloria confestim secuta est. Nam « propter hoc Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II). » Hic jam audire plurimum delectat illud, quod idem Apostolus vas electionis, quam gratiose, quam venerabiliter intonat : « Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (*I Cor.* VIII). » Fidentes nos esse vult, fiduciam nos habere hortatur, quæ videlicet fiducia nimirum venerabilis atque laudabilis est, quoniam fides eam cum dilectione, fides scientiam cum charitate habens, operatur. Quid enim ? Tu forte suspensa mente alta cœlorum suspiciens, et illic intuens oculo contemplationis hunc altissimum Dei Filium, stantem, sive sedentem a dextris Dei, ad dexteram majestatis in excelsis, tremebundus et magna formidine tactus in corde tuo dicis : Eheu, quidnam erit de nobis servis iniquis et scelestis, quo- B rum propter scelera talis ac tantus Dominus, tot et tantis affectus est contumeliis usque ad mortem, mortem autem crucis ? Cum hoc vel huic simile aliquid dixeris, non vane videatur tibi, quod ille (ut est mitis et humilis corde [*Matth.* XI]), veraciter respondere possit : Nec ego talis ac tantus nunc existerem, nisi causa tui, nisi propter peccata generis humani. Et revera sic est, tanquam certum nobis esse debet, ac si ore proprio responsum ejusmodi daret aut dedisset. Ut quid enim homo iste sive Filius hominis in Deum assumptus est ? Ut quid passus vel mortuus est ? Nonne pro impiis. Nonne pro inimicis ? « Videmus » autem, ait idem Apostolus, Dominum « Jesum, » Christum, « propter passionem gloria et honore coronatum (*Hebr.* II). » C Ergo impii et scelerati causa fuerunt ei ut coronaretur et sederet a dextris Dei, coronatus gloria regni, honore pontificii. Multum igitur debet impiis per fidem ejus ad pietatem conversis, multum debet inimicis per ipsum Deo reconciliatis. Hinc jure nobis fiducia, et fiducia nostra ipsi placet, quoniam justa est, quoniam rationabilis est. Igitur « cum fiducia, inquit, adeamus. » Quo adeamus ? « Ad thronum gratiæ. » Magnifice dictum, venerabiliter audiendum. Quid enim est thronus gratiæ ? Dulcius quippe ac delectabilius hoc sonat, quod dicit, « ad thronum gratiæ, » quam si diceret, ad thronum judicii vel justitiæ. Et quidem thronus Christi Filii Dei thronus est judicii vel justitiæ, et in hoc tempore magis expedit nobis ut primum sit thronus gratiæ. Quibus vel qualibus nobis ? Nimirum pec- D catoribus, « quorum, » ait idem Apostolus, « primus ego sum (*I Tim.* I), » et « gratia Dei sum id quod sum (*I Cor.* XV).

Denique et ejus consecutionis, de qua cum præmisisset, quod jam dictum, « adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, » protinus subjunxit, « ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno : » magnum in se ipse sciebat experimentum, quia, cum fuisset peccator et blasphemus, consecutus erat de illo throno gratiæ duo hæc, misericordiam et gratiam, misericordiam videlicet remissionem peccatorum, et gratiam, scilicet, insuper apostolatum. Hoc nunc interim opus

sive officium est, non tam judicis sedentis in throno Judicii sive justitiæ, quam pontificis summi sedentis in throno gratiæ, futurum autem est ut sedeat judex in throno judicii, sedeat rex in throno justitiæ, quando revertentur quatuor animalia hæc, sive quatuor unius animalis facies de quibus nobis hactenus sermo est. Revertentur enim modo quodam, et non revertentur. Utrumque enim in propheta scriptum est : « Non revertebantur, » ait, « cum incederent, sed unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur (*Ezech.* I). » Et subinde : « Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis (*ibid.*) » Quo ergo modo non revertentur ? Eo nimirum modo non revertentur, ut Christus, qui semel passus est, iterum patiatur. Quo autem modo revertentur ? Memoriter quippe tenendum, quatuor unius animalis facies esse unius Christi quatuor sacramenta hæc quæ Christiano ignorare non licet, incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem. Eo utique modo, ut sedeat in novissimo die in sede majestatis suæ, Filius hominis cum insignibus suæ passionis, scilicet, cum cicatricibus vulnerum, quæ in manibus et pedibus et in latere suo suscepit, et demonstret omnibus quia resurrexit in veritate carnis, et faciet cum omnibus electis suis, qui erunt a dextris, illud quod dictum est in cantico Deuteronomii : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas **698** suas et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis (*Deut.* XXXII). » De utroque hoc, scilicet, et de non revertendo, et de revertendo, idem Apostolus dicit : « Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc judicium, sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem (*Hebr.* IX). » Quod cum dicit, non ab re quærat aliquis : Quid factum est hactenus vel nunc fit in omnibus sanctis, qui exspectaverunt eum ab origine mundi, si tunc apparebit ? Nam *apparebit* de eo dicimus quod non videmus. Quid ergo factum est illis ? Nunquid nondum vident gloriam Domini, gloriam et honorem hujus Filii hominis, sedentis a dextris Dei ? Ut quid ergo tantopere desiderant peregrinari a corpore (*II Cor.* V), nisi ut præsentes sint ad Deum ? Ut quid cupiunt dissolvi, nisi ut cum Christo sint ? (*Philip.* I). Quomodo ergo nunc dicit, « secundo apparebit exspectantibus se in salutem ? » An forte propter illos dicit qui tunc in corpore præsentes erant, juxta quod ad Thessalonicenses dixit : « Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis ut nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (*I Thess.* IV). » Et hoc quidem recte sentitur. Verumtamen et de omnibus sanctis, qui, peregrini a corpore, præsentes sunt ad Deum, nihilominus recte dicas quia exspectant eum ; recte, inquam, dicas quia et vident eum, et exspectant eum. Nondum enim toti vident eum, nondum in carne sua vident Deum. Hæc et exspectatio illorum ut in carne videant Deum. « Scio enim, » ait beatus Job, « quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum (*Job.* XIX). »

Pro hujusmodi exspectatione recte intelligis dictum « secundo apparebit exspectantibus se in salutem. » Et qualis, rogo, tunc erit ejus apparitio ? quali cum voce gloria Domini, quanta cum commotione apparebit ? « In jussu » enim, ait idem Apostolus, « et in voce archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi (*Thess.* IV). » Magnus erit ille rugitus leonis, tenentis atque amplexantis prædam, scilicet sanctos et electos omnes constitutos a dextris, quorum omni multitudine diabolum spoliavit, et rugientis super illos qui a sinistris erant, tali rugitu ut dicat : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » postquam dixerit a dextris : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* VII). » Tunc, sicut ab beatum Job dictum est (*Job.* XL), videntibus cunctis præcipitabitur ille Behemoth, quod interpretatur animal, scilicet diabolus, leo contrarius, leo dictus propter feritatem. Nam iste qui rugiet super eum, et suo rugitu præcipitabit eum, leo dicitur propter fortitudinem. Cum hoc factum fuerit, tunc demum omnis rugitus magni hujus leonis cessabit, causam deinceps propter quam rugiat non habituri, videlicet ablatis de regno ejus omnibus scandalis (*Matth.* XIII), et tunc facies aquilæ sublimius evolabit, pariter volantibus et sequentibus quocunque ierit, pullis ejus omnibus, bene adultis, et bene probatis, quod non degeneres sint, valentes et digni oculis apertis inspicere summam claritatem Solis æterni, videre facie ad faciem gloriam summæ Divinitatis, gloriam beatæ Trinitatis, unius Dei, Patris et Filii, et Spiritus sancti. Quid amplius de facie ista, scilicet facie aquilæ, dicere possum ? Longius enim supereminet quam ut visu nostro consequi valeamus, quandiu in hoc mortali corpore peregrinamur. Hoc tantum dixisse libet, quia visio faciei hujus, visio claritatis Filii Dei, quam videbunt illi beati, secundum hanc orationem ipsius : « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi (*Joan.* XVII) ; » visio, inquam, illa, videntibus ignis erit, nec qualiscunque ignis, imo et caminus erit, juxta illud Esaiæ : « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Hierusalem (*Isai.* XXXI). » Denique in Sion, id est, in præsenti Ecclesia, quantuluscunque ignis est, cognoscere ex parte, videre per speculum et in æni-

gmate (*I Cor.* XIII); at in illa cœlesti Hierusalem videre facie ad faciem caminus est, inæstimabiliter magnum æterni amoris incendium est. Hominis quatuor inconsumptibilia fomenta hæc. « Propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctor salutis eorum per passionem consummatus est (*Hebr.* II). » Nonne istorum consideratio sive frequens meditatio, quemdam facit amoris ignem in ista Sion ? In primis de eo quod primum positum est, « propter quem omnia, » interrogo, nonne dum istud consideras, nonne ex subjacente fidei scintilla suscitatur in te lucida jucundæ dilectionis flamma ? Quid enim ? Pater optimus, dum unicum in secreto sui pectoris haberet Filium, thesaurizare voluit illi thesauros auri et argenti, lapidumque pretiosorum, et omnis bonæ supellectilis, ædificare palatium regni, cunctaque providere ministeria regalis curiæ, exercitum copiosum, familiam numerosam, duces, præfectos, tribunos ac centuriones, servos et ancillas, seu clientes, ac ministros, qui pulchra varietate distincti, astarent ei sedenti in medio ipsorum, ac deservirent in ordinibus suis.

Idcirco fecit hæc omnia, cœlum et terram, cœlum invisibile replens angelorum agminibus, terram autem tot et tantis humanæ creaturæ generationibus in quibus sumus et nos. Quis ad hæc non respondeat, quia vel sola causa hæc magnam dilectionem exigit, magnæ nos illi dilectionis ac devotionis debitores facit. Adde quod secundo loco dictum est » per quem omnia. » Omnia enim « per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » Si omnia utique per

A ipsum inter omnia. Adde quod tertio loco dictum est, « qui multos filios in gloriam adduxerat. » Unus enim et solus ipse Dei Filius erat, sed noluit solus remanere, imo voluit multos fratres habere, quos et ante omnia sæcula sibi conformes facere, id est, in gloriam filiorum Dei adducere prædestinaverat (*Rom.* VIII; *Tit.* I). Adde quod illum optime decebat, quia, cum periissent in Adam tot filii Dei, fratres sui, ipse auctor salutis eorum per passionem consummatus est. Quanta dilectione digna sunt hæc ? Nimirum propter hæc non diligere illum, nimiæ ingratitudinis est, summa nequitia est. Quasi ligna hæc sunt, subjecta semperque subjicienda in altari, ad nutriendum sanctæ hujus dilectionis seu justi amoris ignem, sicut in sancta et mystica lege

B scriptum est : « Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies et imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum (*Levit.* VI). » Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Et nunc quidem in Sion, id est, in præsenti Ecclesia, sicut jam dictum est, dilectio hæc sive amor iste ignis est, sed nondum tantus, ut caminus jure dici possit. Caminus illic erit, ubi præ magnitudine amoris, et torrente voluptatis illi beatæ Hierusalem, **699** scilicet, sanctorum atque electorum omnium universitati, nihil aliud quam Deum cogitare aut respicere vacabit. Holocausta super hunc ignem, et adipes pacificorum, laudes et gratiarum actiones erunt, a quibus nunquam cessare poterunt. Nam « beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæ-

C cula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII). » Amen.

HYMNUS SIVE ORATIO RUPERTI

AD SANCTUM SPIRITUM

Cujus mentionem facit in libro duodecimo, qui decantari potest sicut et hymnus ille : *Veni, Creator Spiritus*, etc.

Deus meus et Dominus,
Tu es, o sancte Spiritus,
Arma mea, scutum meum,
Veni in adjutorium,
Tu Patris indulgentia,
Tu vera Christi charitas,
Ex te fuit consilium
Salvationis hominum
Traxisti de cœlo Deum,
In uterum femineum.
Tu es amor, per quem Deo
Conjuncta est nostra caro.
Fecisti domum corporis
In matre Filio Dei,
Septem columnis editam
Per septiformem gratiam.
Virga Jesse flos ortus est

D Super quem requiesceres.
Cum tuis septem oculis
Unus lapis apparuit.
Tot cornibus, tot oculis
Præmuniens Agnum Dei.
Opponis hunc in prælio
Urso, leoni, colubro.
Et sicut mori voluit,
Nos quoque doces commori,
Dum vivos aqua sepelis,
O artifex mirabilis,
Pro sepulturæ triduo
Fit trina rei mersio,
Ut mortuus obruitur,
Ut resurgens egreditur,
O Deus, nostris auribus
Audivimus, Patres nostri

Opus, quod operatus es,
Annuntiaverunt nobis.
Dum processisti igneis
In linguis a throno Dei,
Ut terra cœlum fieret,
Ut dii essent homines.
Tonant ergo miraculis,
Verbis pluunt cœli novi.
Quam terra bibens pluviam
Novam concepit gratiam
Inde per orbem geniti
Adoptionis filii,
Abba Pater in te Deo
Clamamus, sancte Spiritus.
Magnæ sunt istæ, Domine,
Tuæ misericordiæ
Quæ spem meam reficiunt
Ut invocem nomen tuum.
O fidei signaculum,
Advocate fidelium,
Lux ignis et fons luminis,
Audi vocantem et veni,
Vides vim mei frigoris,
Scis glaciem mei cordis,
Sed aspira, Paraclete,
Si flaverit fluent aquæ,
Mel optimum, vinum bonum,
Hoc vile reple vasculum,
A Et erit vas in gloria,
Quanquam testa sit lutea
Ignis Dei quo angelus,
Et qui homo est et Deus.
Stans juxta aram, aureum
Repleverat thuribulum,
Purifica preces meas,
Incensa mea concrema,
Ut ascendat ante Deum
Fumans odor aromatum,
Da oculos ut videam
In maxilla Leviathan,
Foramen armillæ Dei,
Maria per quod exiit.
Dux bone, præbe validum
B Compunctionis gaudium
Quo castra pœnitentium
Regno Dei vim faciunt,
Te duce Patris facies
Et Filii videnda est,
Et tu ab illis profluus
Fons vitæ pacis fluvius.
Et nunc tibi pio Deo
Et pio sit laus Domino,
Et gratiarum actio,
Cum Patre et cum Filio.
Amen.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Revocatur lector ad numeros crassiores textui insertos,

A

B

D

E

L

M

P

S

T

U

V

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI CENTESIMI SEXAGESIMI OCTAVI.

Sancti-Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY.